HENRICI MORI
CANTABRIGIENSIS
OPERA THEOLOGICA,

ANGLICE quidem primitùs ſcripta,

Nunc verò

Per Autorem *LATINE* reddita.

Hiſce novus præfixus eſt de

SYNCHRONISMIS APOCALYPTICIS
TRACTATULUS,

CUM

Luculenta demonſtratione neceſſariæ & inevitabilis

INTELLIGIBILITATIS

Viſionum Apocalypticarum calci ejuſdem Tractatûs adjecta.

Dan. cap. 12.

Expurgabuntur, dealbabuntur, & explorabuntur multi, & impiè agent impii, nec intelligent ulli impii, ſapientes autem intelligent.

Siracid. cap. 39.

Qui ad meditandam Supremi Legem animum adjecit, is antiquorum omnium ſapientiam exquirit, intelligendiſq; vacat Vaticiniis.

LONDINI,

Typis *J. Macock*, Impenſis *Johan. Martyn* ſub Signo Campanæ, & *Gualteri Kettilby* ſub Signo Capitis Epiſcopi in Divi *Pauli* Cœmeterio.

MDCLXXV.

45
7 1
331

DEDICATIO.

JESU NAZARENO

CRUCIFIXO DEI FILIO,

Qui nos in Eccleſiam Sanctam & inculpatam,
Et quæ nullam haberet maculam aut rugam
Pretioſo SUO Sanguine
Redemit;
COMMUNI HUIC Humani Generis SERVATORI
Ac præſtitutæ LUCI GENTIUM,
ÆTERNÆ utiq; PATRIS SAPIENTIÆ
In B. Virginis Utero INCARNATÆ,
Servorum *ILLIUS* omnium indigniſſimus
HENRICUS MORUS
Hæc ſua Scripta THEOLOGICA
Séq; ipſum pariter ſuáq; adeò omnia,
CORPUS, ANIMAM, VITAM
L. M. Q. D. D.
Fidóq; EJUS commendat PATROCINIO,
Suppliciter EUM Orans,
Ut faxit hæc OPERA ſua
In ILLIUS cedant Gloriam
Et ECCLESIÆ SUÆ Emolumentum;
Utq; PROMISSORUM SUORUM memor
Præpotenti SPIRITUS adventu
TENEBRARUM REGNUM debellet
Virésq; frangat PECCATI ac DIABOLI,
ECCLESIAMQUE SUAM repurget
Ab omni IMMUNDITIE
SUPERSTITIONIS, IDOLOLATRIÆ & PROFANITATIS
SATANICÆQUE SÆVITIÆ,
ÆTERNAMQUE in Terris ſtabiliat
JUSTITIAM ac PACEM,
Et FELICISSIMA illa SECULA acceleret
Jam olim per os prædicta
Sanctorum SUORUM PROPHETARUM
Ut VERA ſic JEHOVÆ NOTITIA
Totum ORBEM TERRARUM repleat
Sicut AQUÆ operientes MARE.

Amen.

SCRIPTORUM
In hoc
VOLUMINE
THEOLOGICO
Contentorum Syllabus.

PRæfatio ad Lectorem.

Viſionum *Apocalypticarum* Ratio *Synchroniſtica.*

Magni *Myſterii Pietatis* Explanatio, ſive, Vera ac fidelis Repræſentatio *Æterni Evangelii* Domini ac Servatoris noſtri *Jeſu Chriſti* Dei Filii unigeniti Hominúmq; Principis ac Angelorum.

Myſterii Iniquitatis Pars prior, ſive, Diligens juſtáq; Delineatio *Veræ Ideæ Antichriſtianiſmi* in Realibus genuiníſq; illius Membris.

Myſterii Iniquitatis Pars poſterior, ſive, *Synopſis Prophetica* compendioſum continens Proſpectum in illa Sacræ Scripturæ Vaticinia quibus *Regnum Antichriſti* inſigníſve Lapſus ſeu Degeneratio Eccleſiæ in eis rebus omnibus quæ in *Idea Antichriſtianiſmi* comprehenduntur, præfiguratur vel prædicitur.

Expoſitio *Prophetica* ſeptem Epiſtolarum ad ſeptem Eccleſias *Aſiaticas.*

De *Veris Rationibus* ſive Fundamentis *Certitudinis Fidei* in rebus Religionis brevis Diſſertatio.

Antidotus adversùs *Idololatriam*, ſive, Diſſertatio brevis multa complectens Theoremata ad dignoſcendum quid ſit haberíve debeat *Idololatria* apud Chriſtianos aprimè utilia, cum Applicatione ad Doctrinam *Concilii Tridentini.*

Antidoti Appendix, in qua vera & adæquata Notio ſeu *Definitio Idololololatriæ* communiter ſic dictæ proponitur, Exempla plurima iſtiuſmodi Idololatriæ in *Romana* Eccleſia per propoſitam Definitionem examinantur, Conſuetudines quædam in Eccleſia *Anglicana* vindicantur, ſeriæq; aliquot Monitiones de *Idololatria Spirituali* demum annectuntur.

Divinorum *Hymnorum Heptachordon.*

Carmina quædam in Scriptis Philoſophicis *Anglicè* occurrentia, & *Latinè* hîc per Autorem reddita.

Rerum ac Verborum, locorúmq; Scripturæ in hoc Volumine explicatorum *Index locupletiſſimus.*

Præcipuorum membrorum *Antichriſtianiſmi Deſcriptionum ſimul* & *Prædictionum* eiſdem reſpondentium *Index particularis.*

Erratorum Collectio, quò recurrere poteſt Lector, quoties ob σφάλματα *Typographica* ſenſus ipſi, (quod rariſſimè ſpero poſt Præfationem eventurum) inter legendum hæſerit.

AD

AD
Lectorem Præfatio.

De *Theologico* hoc Volumine in genere, quæ monenda cenſuerit Author.

1. *Tractatus noſtro hoc* Theologico *volumine contenti cum multas eaſq; admodum prolixas* Præfationes *haberent, equidem Lectoris tædium optimè me ſublevaturum putavi, ſi abſcinderem univerſas, unicamq;* Generalem *earum loco ſubſtituerem totiq; volumini præfigerem. Quod tamen ſic faciendum duxi, ut quæ neceſſaria ſint, de ſingulis breviter monere nuſquam omittererem. Sed, & ea è dictis præfationibus excerperem, novis quibuſdam, ubi opus eſſet, ſubinde intermixtis, inq;* Præfationem generalem *quam commodiſſimè fieri poterat conciunatis.*

Quantum ad occaſionem ſcripta mea Latinè transferendi, ſtyliq; rationem & ſimilia, cum ad utrumq; volumen tam Philoſophicum *quam* Theologicum *perinde pertineant, ea ad* Præfationem generaliſſimam *differenda cenſui, volumini* Philoſophico *præfigendam.*

Quod autem volumen hoc Theologicum *in Latini luminis oras prius emiſerim quam* Philoſophicum, *juſtâ id ſuâ, ut ſpero, non caret Apologiâ. Equidem fateor tractatus meos Philoſophicos, hos in hoc volumine contentos & temporis & naturæ ordine præcedere, ut qui prius ſcripti ſunt & generaliora hiſce argumenta tractant. Siquidem in illis libris* exiſtentiæ Dei, Animæq; immortalitati *demonſtrandæ* myſterioq; creationis Moſaico *enucleando opera præcipuè data eſt. Ego verò artis methodo methodum prudentiæ hic præferendam judicavi, Ordiniſque concinnitati ac elegantiæ manifeſtam Eccleſiæ utilitatem. E re autem Eccleſiæ plus fore exiſtimo ut iſtiuſmodi ſcripta in lucem prodeant quæ Chriſtianam Religionem demonſtrant ac confirmant, quam quæ ea ſolummodo tractant in quibus omnes Religiones conſentiunt. Cujuſmodi ſunt Dei rerumq; incorporearum Exiſtentia ac animæ humanæ Immortalitas & ſimilia. Ut taceam majorem quidem earum etiam rerum certitudinem è ſacris Scripturis plenè rectèq; intellectis, quam vel ex limpidiſſimis Philoſophiæ fontibus hauriri poſſe. Quod ego certe adeo expertus ſum, ut planè ſentiam experientiam hanc, magnum illum Philoſophandi ardorem qui me admodum juvenem invaſerat, ſi maturius mihi obtigiſſet, maxima ex parte fuiſſe extincturam. Quî enim fieri poteſt ut is qui veritati Evangelicæ clarâ ac luculentâ methodo propoſitæ ac demonſtratæ, ſolidisq; ac irrefragabilibus vaticiniorum interpretationibus mirificè munitæ ac corroboratæ plenam fidem habet, aut de Deo ejuſq; providentia aut de Angelorum miniſterio & exiſtentia, animæq; humanæ immortalitate in poſterum unquam dubitet. Committere igitur non potui quin ea ſcripta quibus me in fide Chriſtianâ confirmatiſſimum perſenſi Latinè prius transferenda curarem priuſq; in lucem emittenda.*

Quod quidem eo diligentius feci, ut, quam primum, emendandi in his ipſis ſcriptis loca paucula edve, perficiendi illuſtrandive mihi inde occaſionem arriperem. Quædam enim mihi exciderant ſed pauciſſima quæ ex clariſſimi Medi *Hypotheſi potius quam propriâ emanarunt, quæ mihi haud ſatis attento inter ſcribendum ſe inſinuaverant. Aliaq; ſunt quæ vaticinia minimè ſpectant, quæ, ut quorundam hominum ingenium eſt, in ſequiorem rapiebantur partem, quæ proinde aut mutavi aut delevi. Quippe qui is ſum, qui cum omnibus, quantum poſſum, prodeſſe ſtudeo; offendere volo neminem.*

Sed enimvero ſi in eis rebus quæ apertè veræ ſunt claréq; demonſtratæ major ſolito ardor tantam aliquando lucem comitatus ſit, videaturq; cuiquam ſtylum meum aliquibus in locis nimiâ armaſſe aſperitate & vehementiâ, equidem vellem tam tenem Animam ac prudentem apud ſeipſam conſiderare an non ſint in mundo homines æque pravi, atq; ego deſcripſi, & an non ipſe per charitatem judicare debeat me nullos alios indigitare quàm eos ipſos; cumq; ſint tales quales ego deſcripſi an minus ſevere eos tractaſſe oporteret: Et ſi ipſe ex eorum numero non ſit cur participatum ire vellet

ipſorum peccata juſtas eorum improbando correptiones ac vituperia. Contra quæ nulla ratio colorve eſt, niſi plane inſenſati facti ſint qui hanc pœnam merentur. Quæ inſenſibilitas plus deploranda ac deflenda eſt quam quod exponuntur fidelis Chirurgi explorationibus, cujus artis ratio atq; methodus vel invitum ipſum coegerit, ut, ad vivum eos, quantum poterat, lancinaret, illi vero qui principia in impietatem digeſſerunt, ipſamq; Religionem formaverunt deflexeruntq; in ſubſidium & conſpirationem cum fœdiſſimis moribus propoſitiſq; merè mundanis, minimè mirum eſt; dum poſſunt ex tam leviculis rationibus putare ſeipſos Templum domini, filios Altiſſimi, ipſaſq; Cœli delicias, *ſi parem ab hominibus honorem autument ſibi deferri oportere, ſeq; debere porro (quanquam in tam perverſis viis incedunt) pari pompâ & ſecuritate proficiſci, atq; olim filii Iſrael ex Ægypto, de quibus dicitur, quod ne canis quidem linguam ſuam adverſus eos movebat. Atq; hæc de* Theologico *hoc volumine in genere dicta ſunto.*

De Myſterio Pietatis. 2. *De ſingulis jam partibus aliquid breviter prælibemus: primoq; de* Myſterio pietatis; *cujus titulum plenamq; inſcriptionem ſi recte intellexeris totius Tractatûs ſcopum ac rationem facile deprehendes. Expectare igitur meritò poteris, ex eo quod* Explanationem Myſterii pietatis *eam appello, expoſitionem quidem non merè verbalem ſive declarationem quid per illud ſignificetur vel in eo doceatur, ſed tam ordinatam veritatum repreſentationem, ut totius ſcopo rectè intellecto partium ſingularum ratio eò pertinentium manifeſtò appareat. Finis verò ad quem omnes Myſterii Chriſtianitatis partes digitum intendunt, eſt* Divinæ vitæ Triumphatus *ejuſq; ad debitos ſuos gradus ſubvectio. In cujus exaltatione Deus maxime glorificatur & magnificatur quàm locupletiſſimè; non autem in tenebricoſo illo ægreq; intelligibili* Potentiæ irreſiſtibilis *exercitio. Per quod nulli alii actus Devotionis in nobis excitari queunt, quam timor quidam atq; ſtupor, quales miſellas pecudes & attonitas invadere ſolent in tempeſtatibus & tonitruis, magniſq; ac violentis torrentibus quibus ipſæ, neſciunt quò, deportantur.*

Nuncupavi porro, Veram ac fidelem Repræſentationem æterni Evangelii, *&c.* Veram *appello, utpote cui nullas humanas inventiones vel deductiones immiſceri ſino, eis ſolis contentus quæ expreſsè in ſcripturis declarantur. Quorum veritatem credo me evidentia irrefutabili demonſtraſſe in tertiâ parte hujus Tractatûs. Addo verò* fidelem, *ut qui abſq; omni partium ſtudio, eam ſcripſi, nihil ingerens ex affectu ſenſuve ullius mundani commodi, nec ex ſpiritu contentionis, aut inani gloria, ſed liberè loquens & ex animo, nullâ habitâ ratione perſonarum & partium, minime mecum inſtituens aut demulcere hos aut illos irritare ſed nuncium meum ſic enarrare quemadmodum hominem decet, qui ſibi conſcius ſit, brevi ſe mandati præſtiti rationem in altero mundo eſſe redditurum: Atq; quemadmodum profiteor me omnia hæc ſincero corde tranſegiſſe, ita nihil dubito quin ipſe eventus teſtimonium ſit perhibiturus id verum eſſe quod ſum profeſſus.*

Etenim cum alii per Hypocriticam *quandam adulationem* externæ perſonæ *Chriſti omni obligatione ad* Divinam vitam *ſe exuant (qui eſt* myſticus *ille* Chriſtus *in nobis) gratiamq; Dei in Evangelio ad licentiam & libidinem pervertant; alii vero contrà, (ſive id fiat ex vi melancholiæ quæ cogitationes introrſum revocat, ſive ex ſcandalo propter abuſum* perſonalium *officiorum Beati ſervatoris, cum obſervarerint pleroſq; Chriſtianos externam religionis formam pro peccati pallio adhibere, ſive deniq; ob Articulorum quorundam fidei Chriſtianæ obſcuritatem)* Infideles *plane facti ſint, nullam* hiſtoriæ *Chriſti in univerſum fidem habentes ipſiuſq;* perſonam *rejiciant, myſterium Chriſtianitatis rem omnino intra nos autumantes, nec ullum aliud habere objectum quàm quod in nobis aut agit aut agitur; Ego certe cnixiſſimo ſtudio & evidentiâ irrefragabili Teſtimoniorum tum Rationis tum Scripturæ demonſtravi & veritatem & neceſſitatem tam* externi *quam* interni *Chriſti, & manifeſto eis ante oculos expoſui mirandam Dei ſapientiam ac bonitatem in formando tam habile Inſtrumentum, quam eſt* exterior *Chriſtianitatis* Oeconomia *ad renovandas animas noſtras in glorioſam Imaginem filii ſui qui* Dei vita *eſt certumq; nobis pignus beatæ Immortalitatis. Præterea nullus eſt Chriſtianæ fidei Articulus nec ullum particulare miraculum quod aut ſervatori accidit aut per ipſum factum eſt aut faciendum, quod occurrit in Evangeliis aut uſquam alibi in novo Teſtamento cujus plenam ſolidamq; rationem non reddidi, uſq; adeo ut auſim dicere quod nemo ſit qui rationis uſum habeat, quin libere faſſurus ſit ſe nulla vera argumenta producere poſſe contra religionem Chriſtianam, qualis in ipſis ſacris Scripturis exhibetur. Et quid obſecro eſt, ſi hoc non ſit,* fidelem Repræſentationem *Evangelii facere?*

Quod non temere nominavi, Æternum Evangelium Domini ac ſervatoris, *&c. ad id confirmatus ex eo loco* Danielis *qui Chriſtianam Religionem* צדק עלמים Juſtitiam æternam

æternam *nuncupat, ſive* Religionem æternam, *quemadmodum recte interpretatur* Grotius. *Quæ religio notam ſuam Charactereмve ſumità Paſſione Meſſiæ & abinde incipit, manereq; debet uſq; dum ille viſibiliter redierit in nubibus Cœli ad finem imponendam huic rerum terrenarum* Scenæ. *Fui porro huc impulſus ex deſtinato ſtudio oppugnandi impudentem illum Euthuſiaſten de quo tam multa locutus ſum in ſubſequenti Tractatu, qui ſeriam videtur navaſſe operam Chriſtianiti antiquandæ quatenus fundatur ſuper perſonam ſemper beati ſervatoris; nempe crucifixi illius* Jeſu, *ut aliud introducat Evangelium: Fingitq; ſe proinde Angelum illum in medio cœlo volantem illudq; prædicantem omni genti & tribui, & linguæ, & populo.*

Præter generalem vero hanc rationem ac titulum, etiam de particularibus quibuſdam locis lectorem monere haud alienum fore cenſeo; ut de fuſtori Animalis vitæ *deſcriptione, de prolixiori delineatione* Paganiſmi, *de Paralleliſmo* Servatorem *inter &* Apollonium, *de* Mahometiſmo *etiam ac* Familiſmo, *ejuſq; fœtu ſqualidiori* Quakeriſmo.

Et quantum quidem ad vitam Animalem, *putabam me non poſſe nimis accuratè agere in ea deſcribenda cum tam commodè inſerviat ad meliorem intelligentiam* Divinæ. *Cujus natura ac proprietates quò clarius ac diſtinctius à quopiam concipiuntur, quoq; majorem earum experientiam guſtumq; magis ſapidum habet, eò majori voluptate perleget quæ ſcripſimus, intelligetq;* Rationabilitatem, *certuſq; erit de* Veritate *& ſoliditate Religionis Chriſtianæ. Etenim* Divina vita *profundiſſima quaſi Baſis eſt & fundamentum totius hujus* Myſterii Pietatis, *quod tractamus.*

Præterea, perfectior intelligentia naturæ vitæ Animalis *judices nos facit magis idoneos multarum ſuperſtitionum Paganicarum, in quibus licet ipſi argutis ſuis defenſionibus ab* Atheiſmi *crimme craſſioriſq;* Idololatriæ *ſe expedire poſſent, præſtareq; unum fuiſſe æternum Numen, (diſiniatur quam Philoſophicè poteſt) quod eorum cultûs præcipuum erat ultimumq; objectum; eſt tamen hinc manifeſtum vel optimos ex ipſis* Animalis vitæ *limites non exceſſiſſe. Quippe qui Deum coluerunt in his barbaris Religionibus ex ſenſu ſolummodo earum rerum quæ* Animali vitæ *gratificabantur: & ſi copioſiùs depinxi quàm fœdè ac ſordidè id fecerint, ſpero judicatum iri me non fruſtra hos labores ſuſcepiſſe, cum tam clare inde appareat, quam juſtam victoriam* Chriſtianitas *contra* Paganiſmum *reportavit.*

Et quod perpetuum illum Paralleliſmum *ſpectat quem feci inter* Chriſti *vitam ac* Apollonii, *præter voluptatem quam percipere poterit lector ex deſcriptione Charactéris & actionum tam præclaræ perſonæ quam erat ille* Paganus, *(quem ſui* Compagani *aut æquipararunt beato noſtro Servatori aut prætulerunt, quiq; non vanus ac leviculus* Euthuſiaſtes *erat, elato ſtylo affectataq; eloquentia turgidus, ſed egregium Juſtitiæ, Caſtitatis, & Generoſitatis exemplum, & qui talia miracula edidit, qualia nihil præter Magiam opemq;* Poteſtatum inviſibilium, *quibuſcum fœdus icerat, efficere potuiſſet) præter voluptatem, inquam, quam inde percepturus eſt, accedet etiam commoditas clarioris & diſtinctioris cognitionis rectæ Ideæ* Perſonæ *reverà* divinæ, *ex hujus utiq; ementitæ detectione, quæ tamen externâ ſpecie tam prope accedebat ad veram. Etenim quamvis illæ res meliorum Gentilium oculos perſtrinxerint, ut* Hieroclis *& aliorum, ita ut illam reputarent perſonam æquè Sacram ac ipſum* Servatorem; *nihil dubito tamen quin ex hoc* Paralleliſmo, *collationem probaverim vanam fuiſſe ac temerariam, palamq; fecerim omnibus, qui rectè judicare poſſunt quid* vere Divinum *ſit, Chriſtum Servatorem tantum exceſſiſſe characterem* Apollonii *(quanquam valdè probabile eſt,* Philoſtratum *libertatem ſibi indulſiſſe addendi plura miracula ac perfectiones, quam quarum iſte ſibi unquam conſcius erat) quantum* Apollonius *ipſa bruta animalia excedebat. Ac proinde hunc meum* Paralleliſmum *magni ſpero uſûs fore ac momenti, utpote quo doceantur homines rectè diſtinguere inter* Divinam *vitam ac* Animalem, *etiam tum cum* Animalis vita *ornamentis quam fieri poteſt ſplendidiſſimis veſtita nobis exhibetur. Cujus rei* Apollonius *exemplum eſt illuſtriſſimum.*

Et tametſi ad nullum faciat curioſitatis judicii exercitium Mahometem *grandemq; illum Euthuſiaſten ab* Amſtelodamo *tanquam duos audaces ipſius* Chriſti Corrivales *in ſcenam introducere, in conſpectum tamen eos trahere non eſt omnino ſupervacaneum, quanquam ob id ſolum, ut de propriis ipſorum vultibus condemnentur. Nam & id etiam facit ad confirmationem Religionis noſtræ, quod nullos habeat Competitores ſive Æmulos niſi qui primo aſpectu culpabilitatem ſuam prodant ac vilitatem. Quod facilius fit in* Mahometiſmo, *cum eorum ſucceſſus ac victoriæ audaces ipſos fecerint, minuſq; curantes quomodo turpitudinem ſuam mundo exponant.* Familiſmus *verò monſtrum eſt magis varium, obſcurum, & ab hominum conſpectu abditum. Qui tamen in cœcis ſuis cavernis non ceſſat muſſitare ſe jus habere ad imperandum univerſæ*

terræ, tandemq; fore ut ſibi locum ceſſuri ſint & Chriſtianitas & Mahometiſmus. Atque idcirco defectus meritò cenſeri potuiſſet, ſi hoc monſtrum è ſpelunca ſua in apricum non extraxiſſem, ut cum ſemel mundus ipſum aſpexerit ſatiatos ſe tam horrido ſpectaculo ſtatim exclamarent, niſi Deus ex irâ ſuâ ipſos tradidit in reprobum ſenſum propter abuſus ſolidarum veritatum Evangelii.

Equidem fateor tam amplas excurſiones, frequenteſq; expoſtulationes cum Familiſtis & Trementibus ſive Quakeris non poſſe magno eſſe meo Tractatui ornamento; ſed potius oneroſas; iſtiuſmodi præſertim hominibus qui ſcripta legunt propter voluptatem magis quàm bonum aliquem fructum, propterq; privatam potius oblectationem quàm publicam eorum utilitatem, quam nec ipſi intendunt, nec facile eam obſervant aut ſapiunt in inſtitutis aliorum. Verùm cum Eccleſiæ Chriſtianæ Bonum publicum ſcribendi hunc Tractatum ſcopus mihi eſſet ac menſura, ſufficit mihi proprium propoſitum fidelitèr proſequi, gratificationem nihil morans nitidiorum & elegantiorum ingeniorum, quæ profectò tam faſtidioſa ſunt ac delicata, ut ad ulcus accedere nollent, quamvis levi ſuo tactu ipſum poſſent ſanare nec ad hominem ægrotum appropinquare, quanquam vel umbræ ſuæ projectu morbum ejus poſſent depellere: Me vero minimè pœnitet hanc operam inſumpſiſſe, cum adeo fundamentalis detectio veſaniæ ac dementiæ harum Sectarum non poſſit, uti ſpero, non eſſe admodum efficax ad prævertendum in poſterum ipſarum propagationem, ut diutius penes doloſos ipſorum ductores non ſit per fucata verba hominibus ſimplicibus probèq; animatis imponere, efficereq; ut talem factionem imprudentes foveant, cujus profundiſſimum arcanum eſt obſtinata contra Perſonam Chriſti rebellio, Chriſtianæq; religionis perfecta abrogatio.

Atq; hæc quidem ſufficere poterunt ad excuſandum fuſiorem illam harum rerum tractationem. Quam defenſionem facile admiſſum iri confido, cum hæc methodus adeo naturalis ſit ut alii qui eandem provinciam ſuſceperunt eidem planè ſibi inſiſtendum judicaverint, ut Adamus Borelius in ſuo, Univerſi humani generis Legiſlatore. Quod profectò Inſtitutum quod is ingenti, ut videtur & laudabili zelo vaſtoq; molimine aggreſſus eſt, ſpero, me hoc Tractatu rationibus brevioribus nec minus firmis abſolviſſe. Id vero præcipuè diſcriminis eſt, quamvis ſcopus utriq; noſtrum idem ſit, inter illius rationes meaſq; in probando Chriſtum eſſe totius humani generis Legiſlatorem ſive Principem, quod is ſolâ vi miraculorum ac vaticiniorum quinque primis libris Novi Teſtamenti commemoratorum hanc fidem primò hominibus extorqueri velit, quippe qui parvi ſive mediocris judicii ac ingenii homines nullo alio argumento moveri poſſe exiſtimat: quibus ille itaq; ſolis erudiendis Legiſlatorem ſuum videtur deſtinaſſe. Ego vero doctis pariter atq; indoctis meas Lucubrationes inſtitui, ac proinde non tam ea quæ ad vulgi captum accommodatiora quàm quæ omnino vera videri poſſint & cuivis homini excitatioris & exercitatioris ingenii firma atq; ſolida, in medium proferenda cenſui. Unde fit ut Religionis Chriſtianæ per omnes ſuas partes Rationabilitatem quaſi in Idea primùm explicuerim, cui Rationabilitati ſtatim ſubjungo omnium Chriſtianorum literatorum juxta atq; illiteratorum per tot ſæcula conſtanter adhibitam fidem. Realem autem exiſtentiam excellentiamq; perſonæ Jeſu Nazareni ex prophanis poſteà autoribus vaticiniiſq; Veteris Teſtamenti Meſſiæ characteres continentibus cum indubitatis eventibus comparatis ita demonſtro, ut certiſſimum ſimul efficiam vitam Chriſti maturè ſcriptam fuiſſe, & eâ ipsâ ætate quâ teſtes oculati earum rerum quæ ſcriptæ ſunt, vixerunt. Quod præcipuum & fere unicum fundamentum eſt, cui totum opus Borelianum innititur, cuiq; demonſtrando maxime omnium inſudat.

Quod quidem ego ſatis demonſtraſſe mihi videor exoticis hiſce argumentis & quæ ex ipſis quinq; Novi Teſtamenti libris non petuntur. Neq; enim, ut ingenuè fatear quod res eſt, mihi in mentem tunc veniebat inſitorum argumentorum ex eis ipſis libris accerſendorum. Quæ tamen minime contemnenda ſunt, quæq; ob eam cauſam, è Borelii Legiſlatore (cujus videndi vir illuſtriſſimus præſtantiſſimuſq; Dominus Franciſcus Mercurius Helmontius cum Ragleiæ eſſem, poteſtatem mihi fecerat) in librum ſeptimum hujus Tractatûs transferenda inſerendaq; curavi.

Ex inſtituto etiam Borelii erat de doctrina præceptiſq; Chriſti quam copioſiſſimè agere, nos verò ea parcius tractamus niſi quatenus ad tres illos vitæ Divinæ ramulos referenda ſunt, Humilitatem, Puritatem, & Charitatem, nec, tametſi in ratione reddenda actionum & miraculorum Chriſti ſatis copioſi ſumus, illuſtrandæ tamen præceptorum Rationabilitati (quanquam id haud alienum futurum fuiſſe concedo) quicquam operæ impendimus. Neq; enim animam inducere potui, ut crederem præcepta Chriſti cuiquam viſum iri rationi minus conſona, ſi ipſorum ſenſum non pervertat. Videri quidem poſſunt primo aſpectu ſevera & difficilia, ſed ea ſeveritas non eſt major quam quæ requiritur in curatione morborum corporis. Ut

Ut valeant homines ferrum patiuntur & ignes.

Et teipſum abnegare & mortificare teipſum nullius rei in te eſt aut abnegatio aut mortificatio vel occiſio præterquam vitiorum tuorum, ex quo tibi proveniet ineffabile gaudium & quies. Nec difficultates in hiſce rebus ſubeundis, adeo grandes ſunt quin ſubſidia multò ſint majora, modo fides tua ſit ſincera. Cuinam enim libidini valedicere gravari poteris illius causâ qui & propriæ ipſius vitæ valedicere non gravatus eſt tuâ? Et quodnam præſens eſt gaudium quod non lubenter perdas ſi fælicitatem illam futuram credas quæ te manet in altero mundo? Quomodóve committere poteris ut fornicationem non vites dum conſideras quod tam fœdo indulgendovitio vilem meritricem facis Sancti Spiritûs Rivalem. Cujus templum corpus tuum eſt ſi ſis Chriſtianus, cujuſq; templum fieri non poteſt ſi tibi tam periculoſam libertatem indulgeas; cum nihil ſit quod operationes Spiritûs æque extinguit ac frænorum relaxatio hujuſmodi illicitis cupiditatibus. Verùm rationes præceptorum Chriſti tam obviæ ſunt quantum ad ſpeculationem, quantumq; ad experientiam tam fideles, ut ſupervacaneum fore credam huic argumento diutius inſiſtere, pro certo hoc cuiq; aſſerens veritatem eorum & ſoliditatem optimè ab eo intelligendam eſſe ex uſu vitæ ad eam normam inſtitutæ.

Atq; hæc fere ſunt, quæ de Myſterio Pietatis *Lectorem monere operæprætium putavi.* Myſterium Iniquitatis *in duas partes dividitur,* Idæam Antichriſtianiſmi & Synopſin Propheticam. *Quas utraſq; εὐδοκιμήσεις ὑπὸ τῆς πεφσώπου quàm plurimis fore prævideo, & ex ipſis titulis valde diſpliciturας.*

Idæa Antichriſtianiſmi: *Equidem utraq;* vocabula *tam miſerè præconceptis offenſionibus ac præjudiciis onuſta ſunt, ut* ipſe *etiam* liber *facile præjudicari poſſit anteq; quam perlectus ſit condemnari niſi debitis maturiſq; præmonitionibus, quò benignius excipiatur, viam præmuniam.* De Idæa Antichriſtianiſmi.

Sciat igitur Lector hanc Idæam *quam ipſi præſento, non vanum eſſe, Aereum ac* Platonicum *Chimæricumve Figmentum, quemadmodum quidam omnem Idæam exiſtimant, nec hunc meum de* Antichriſtianiſmo *Tractatum rudem eſſe, inurbanam, omniſq; charitatis expertem formam Phraſeologicam convitiandi ejuſmodi rebus vel perſonis quæ non ſolum innocentes ſunt, verum etiam ſacræ: ſed è contra naturam* Antichriſtianiſmi *tam juſtè ſcitèq; hâc* Idæa *eſſe circumſcriptam, câq; tam aptè limitatam ut reverà frænum ſit linguis labiiſq; eorum qui neſcientes quid verè* Antichriſtianum *ſit quid non, in proterva qualibet animi intemperiè omne id in Religione ſic appellitant quod ad ſuos ſenſus ac imaginationes non quadrat. Præterea cum hic Tractatus ſcriptus ſit per modum* Idææ, *hoc eſt, cum abſtracta ſit deſcriptio ſeu delineatio Naturæ Antichriſtianiſmi abſq; omni applicatione ad ullam certam perſonam perſonaſve cujuſmodicunq;, quam obſecro Ruſticitatem, Inurbanitatem charitatiſve defectum præ ſe ferre poteſt hoc propoſitum, niſi agreſte quid ac inurbanum exiſtimandum ſit vitia definire* in abſtracto, *eaq; per partes & objecta ſua deſcribere, & per quaſcunq; circumſtantias quæ ad clariorem perfectioremq; eorum cognitionem faciant, modo cum fide id fiat & peritia. Atq; equidem an falſimoniæ quicquam ego in re quaquam per univerſam hanc meam Antichriſtianiſmi deſcriptionem adhibuerim, ſummâ auſim confidentiâ idonei cujuſvis nulloq; præjudicio laborantis lectoris judicium ac conſcientiam appellare. Verùm cuicunq; rei Antichriſtianiſmi notam inuſſi ea ex ſuâ natura talis eſt, ſive ſic appellctur, ſive non, Quam accuratam definiendi rationem ſi omnes imitari velint nihil profectò magis tenderet ad pacem orbis Chriſtiani, ſtabilemq; ac firmam promotionem veræ Chriſtianitatis in ſingulis Nationibus.*

Cæterùm, eſto, inquient aliqui, quod nihil falsò vel fraudulentèr adminiſtratum ſit in provincia quam ſuſcepimus, ipſa tamen ſuſceptio quantumvis juſta atq; utilis, an non aliquod in ſe habet ignobile, illiberale *ac* inglorium *cum ſtylus toties tingendus ſit calamuſq; contaminandus* Antichriſti *&* Antichriſtianiſmi *nominibus, quas voces rudis ac imperiti vulgi halitus æquè rancidè olet atq; ſuas cèpas ac allia, quaſq; illi adeo conſpurcarunt immodeſtis ſuis ac hiulcis eboatibus citra omnem ſcopum ut indignas reddiderint quæ per labia nunc tranſeant viri cujuſvis liberalis ac ingenui. Ad quod reſpondeo, ingenuè me fateri* Titulum Diſſertationis *ob hanc ipſam cauſam merito minus plauſibilem videri poſſe. Etenim,* verum *nihilominus eſt,* propriumq; nomen *illius* Argumenti *quod tracto, cui ſoli, ſi rudis hic populus edoctus fuiſſet vocem appropriare, nunquam profectò tantam nauſeam moviſſet contraxiſſetve præjudicium, quantam nunc videtur moviſſe ac contraxiſſe. Speroq; veniam ſaltem ſi non gratiam mereri, quod tam ſedulò navavi operam quo debitum eos propriumq; vocabuli uſum edocerem.*

Verùm, ſi quis ulterior ſubſit ſenſus huic objectioni, quaſi ignobile *ac* illiberale *eſſet infraq;* generoſum *animum detectioni oppugnationive* ipſius *etiam* Antichriſtianiſmi *ſe ingerere, equidem non poſſum quin profitear, cum bona objectoris venia, exiſtimare me minime eum intelligere quid ſit* Antichriſtianiſmus *aut ſaltem quid ego per ipſum intelligam, quibuſve cum rebus in hac* Idæa *deſcripſerim. Ille enim* Antichriſtianiſmus *quem ego oppugno mundiq; conſpectui expono nihil aliud eſt quam* realis Impietas, *craſſa fraudulentia ac impoſtura & perquam truculenta ac nuſquam æquiparanda crudelitas adverſus inſontia Chriſti membra, atq; id omne (quod infinitis modis crimina aggravat) ſub ſpecie ac prætextu* Pietatis *ac* Religionis, *immò Religionum omnium ſanctiſſimæ, ipſius utiq;* Chriſtianitatis. *Hæc igitur ſi non ſolum* inurbana *ſunt &* illiberalia, *ſed &* ferina, belluina *vel potius* diabolica, *poteſtne illiberale eſſe aut inurbanum animitùs & ex profeſſo ea impugnare.*

Vel ut diſtinctius agam magiſq; particulatim pro duabus hominum conditionibus. Eos primum rogo qui conſcientiam habent, fidemq; Chriſtianæ Religioni adhibent, quatenus in ſacris Scripturis eſt tradita, Eos, inquam, rogo quàm illi ignobilem ac inglorioſam rem reputent illud oppugnare quod apertè ac manifeſtò verbo Dei adverſatur, præceptiſq; Jeſu Chriſti : omnive opere adniti illud demoliri quod ipſum finem illius Evangelii ſupplantat fruſtraturq;, adeoq; ex diametro fœlicitati illius Regni *repugnat. Proculdubio quicunq; judicare poteſt hujuſmodi inſtitutum minus honorificum eſſe, ejůſdem eum Spiritůs eſſe oportet cum illa hominum Societate quos*
Johan.5.44. *ſervator olim juſtiſſimè reprehendit hiſce verbis.* Quomodo vos poteſtis credere quum gloriam alii ab aliis captetis & gloriam quæ à ſolo Deo proficiſcitur non quæ-
Johan. 12. 43. ratis, *quemadmodum & dictum eſt alio loco,* Dilexerunt enim gloriam hominum potius quàm gloriam Dei.

Jàm verò quantum ad eos qui rem tam nobilem ac glorioſam eſſe exiſtimant ad omnes religiones ſe indifferenter habere, vel potius fidem adhibere nulli, qui ne communis *quidem* Chriſtianitatis *ſenſu tanguntur, talis nimirum in qua omnes qui ſe Chriſtianos appellitant, conſentiunt, etiam hos, niſi* communis Humanitatis *ſenſum porro exuerunt (quo nihil fingi poteſt magis barbarum ac inurbanum) hos, inquam, rogo, quid peccati eſſe poſſit contra leges vel* ſummæ Generoſitatis *ſi quis profiteatur diſplicentiam ſuam ac Inimicitiam contra ejuſmodi rerum conſtitutionem quæ apertè ac manifeſto non ſolum* legi Chriſti *perſpicuiſq; Scripturæ documentis adverſatur ſed &* indiſpenſabilibus *& indelebilibus* Naturæ *regulis ac* Rationis, *&* communibus *adeo univerſimq; agnitis humani generis* Privilegiis. *Eſto quod ipſe vix credas Deum eſſe multoq; minus quicquam poſt hanc vitam fore, quodq; proinde conſcientiam habeas ad quamlibet religionem liberam quantumvis impiam ac ineptam, & irridere poſſis imperioſas Sacerdotum Impoſturas poſt tua ipſis præſtita obſequia. Verùm, certuſne tamen eſſe potes* liberos *tuos tales fore,* uxoremve *ingremio tuo ſi forte talis in præſens ſit, ſic eſſe permanſuram? Audeſne præſtare* Intimum *tuum ſic manſurum qui tibi vitâ tuâ charior eſt? Immo verò* teipſum *ſemper talem fore, nec tam potenti ictu Deum conſcientiam tuam vulneraturum, ut convertendus ſis ad veram Dei cognitionem filiiq; ejus Jeſu Chriſti? Nunc igitur ſemel tibi dico & per compendium, contexturam hanc* Antichriſtianiſmi *quem ego oppugno, Meram eſſe* Tendiculam Retéve *quod tibi ponitur tenditurve ad* vitam adimendam tibi ipſi, Intimo tuo, Uxori, liberiſq;. *Nemo horum cum cognitione & judicio profiteri ſe poteſt fidelem Dei ſervum ejuſq; Chriſti quin eo ipſo obnoxius ſit ſanguinolentæ ſævitiæ hujus Monſtri* Antichriſtianiſmi.

Sed pone propriam tuam conſcientiam nondum eſſe expergefactam, poteſne adeo omni Charitate *expers eſſe, vel (dum* Generoſitatem *tam canorâ voce crepas) adeo infra bruta animalia degenerare, ut non affectus ſis immò verò miſerè & intolerabiter afflictus, dum* uxorem *tuam vides è gremio tuo per vim abreptam,* Amicos *tuos ac* liberos *è brachiorum tuorum amplexu avulſos, moxq; in ſqualidum carcerem conjectos, & poſt triſtem ac faſtidioſam moram in ſuis fœtidis cellulis, in conſpectum populi eductos ad maxime contumelioſam ac cruciabilem mortem, quæ in ullos unquam malefactores ſolet inferri. Nec* intimos tuos amicos *ſolùm intelligo* charoſve parentes *ac* liberos, *ſed & ipſam* uxorem *tuam ad vivicomburium ſic educendam (tanquam ſi Saga eſſet aut viri per venenum interemptrix) atq; etiam tunc cum gravida ſit, fœtu ex utero prorumpente per ſævam torrentium flammarum obſtetricationem, cùm interim omnis hæc crudelitas in ipſos adhibeatur quia nolunt contra Deum peccare propriamq; conſcientiam. Quæ* Sancta Spiritůs ſenſibilitas *teneraq; divini Numinis Reverentia, quanquam tu pro craſſa tua Philoſophia* Imbecillitatem *in ipſis eam judicare poſſis (tamen cum talis nævus ſit qui nullam vel tuo ipſius judicio dedecoris*

maculam

maculam præ ſe gerit, quinimo qui maxime decorus ſit in eis qui fortunâ proſperâ utuntur, quiq; ſummam commiſerationem moveat intimamq; condolentiam in rebus afflictis & adverſis) ne minimo quidem momento minuere poteſt charitatem tuam atq; affectionem erga calamitoſos tuos amicos in hac conditione, cum & perſonalis ipſorum pulchritudo & amabilitas, prudenſq; ac ſcita demerentium morum obligatio conſtanſq; fidelitas & utilitas in omnibus officiis ac negotiis tam profundum tibi amoris & exiſtimationis characterem impreſſerint ut oppidò quam difficulter ſit unquam obliterandus.

Poteſtne igitur tam barbaræ rerum conſtitutionis oppugnatio, quam hæc eſt, tamq; ad tuum ipſius ſenſum & judicium gravis & intolerabilis ſub quoquam prætextu ignobilis *haberi ſive* inglorioſa, *& non potius ſummè* Generoſa & Heroica? *Quinimò è contra tutò pronunciare poſſumus, qui non animitus execratur atq; abhorret iſtiuſmodi deformem ac deteſtabilem rerum faciem qualem in hac* Idea *deſcripſi, non ſolùm in* Irregenitorum *ſtatu eſſe,* Divinæq; vitæ *prorſus* expertem *& ex conſequenti æternæ exortem ſalutis, ſed & infra* humanam naturam *eum ſubſediſſe, & non ſolum* inurbanum, *ſed &* ſtupidum *ac* vecordem *aut ingenii deniq; prorſus* ferini *apertè evaſiſſe.*

Jam verò quantum ad Synopſin Propheticam, *equidem minime me latet quam multifariis hominum* Præjudiciis *hoc etiam ſcriptum ſit obnoxium (ut qui Tractatus eſt qui interpretandis vaticiniis* Danielis *præſertim atq;* Apocalypſeos *totus impenditur) Inter cætero verò* duo *præſertim emicant, Unum eſt eorum qui omnia ejuſmodi ſtudia admodum vana ac frivola exiſtimant, quippe qui apud ſeipſos jam ſtatuerunt Vaticinia omnia gryphos eſſe ænigmataq; inextricabilia omniſq; certæ ſolutionis omnino incapacia. Alterum eorum eſt qui in ea ſunt opinione quod vaticiniorum ſenſûs perveſtigatio,* Apocalypſeos *præſertim ac* Danielis, *ad nihil aliud tendat niſi ad factiones ac confuſionem ad turbas ciendas ac tumultus in orbe Chriſtiano viamq; ſternendam ad ſubverſionem Regnorum Rerumq; publicarum & ad ruinam & exitium ipſius Eccleſiæ Chriſti. His duobus permagnis præjudiciis me oneratum cenſeo, verùm nullus dubito quin ab utriſq; aſpirante cœptis Deo, plenè me perfectéq; ſim liberaturus.* De Synopſi Prophetica.

Quod igitur ad primum attinet, neminem eſſe credo apud quem Dei timor quicquam valet, quem non puderet in tali ſententia perſiſtere, cum ad Prophanitatem Impietatemq; *tam propè accedat, immo ad* apertam *adverſum Divinum Spiritum* Blaſphemiam, *quaſi is iſtiuſmodi res ſanctis Prophetis dictaſſet quæ nullum ſenſum haberent, nec ab ullo unquam Lectore eſſent intelligendæ. Ecquid magis* ſcopticum *adverſus* Divinam inſpirationem *dici poteſt quam hoc? quodq; majori dolo atq; aſtu ipſa Chriſtianæ Religionis fundamenta ſubruat? Verùm non opus eſt ut nimis ſollicitè confutando errori inſudemus, qui ab omnibus hominibus cujuſcunq; ſectæ, qui ſeriò Religionem colunt tam univerſim eſt condemnatus. Nam obſcuriſſimos Vaticiniorum Libros (*Apocalypticos *intelligo &* Danielis*) commentariis ſuis illuſtrare conati ſunt,* Pontificii, Proteſtantes, *& qui ex* neutra *ſe* parte *profitentur; unde univerſi ſanè harum Viſionum* Intelligibilitatem *communi quaſi ſuffragio confirmarunt. Cæterùm quæcunq; ipſis inſit obſcuritas præſentem hanc noſtram operam eo acceptiorem eſſe debere ego quidem exiſtimo, quod tantum ad claram certamq; eas interpretandi rationem contribuerim, tam firma ponendo fundamenta ac principia; ut ſi quis ea diligenter obſervet Hiſtoriamq; inveniat, intra harum legum limites applicabilem, fieri profecto non poſſit ut vero Vaticiniorum ſenſu excidat, non magis certè quam* Græci Latinive *Autoris recta expoſitione, quandiu ad regulas* Grammaticas *notaq;* Dictionariorum Interpretamenta *recurrit.*

Quas leges cum ipſe tam ſtrictè accuratéq; obſervaverim, totum equidem mundum appellare auſim an Ratione *planè* demonſtrativa *ſenſum earum viſionum, quas ſuſcepi explicandas, non explicaverim, liberéq; profiteor rem eam me inveniſſe haud ita arduam, certóq; perſuaſus ſum nullam tam eximiam Ingenii præcellentiam doctrinæve copiam, quam integritatem cordis mentemq; præjudiciis liberam ad hujuſmodi res intelligendas requiri. Nam ſi Spiritus ille Vitæ in homine ſemel reſuſcitatus ſit,* Regenerationis *ſuæ virtute ſive* novæ Nativitatis *non videbit modo oculis ſed & manibus palpabit horum Myſteriorum veritatem.* Non intelligent ulli impii, ſapientes vero intelligent, *ii ſcilicet qui animum ſuum ad hujuſmodi res intelligendas appulerint, qui interim tam prudentes futuri ſunt ut nihil præjudicare velint eis de rebus quarum accuratius examinandarum nondum eis data ſit opportunitas.* Dan. 12. 10.

Jam verò quantum ad alteram objectionem; quod ſenſûs horum Danielis *atq;* Apocalypſeos

Apocalypſeos *Vaticiniorum inveſtigatio ad tumultus tendat & ſeditiones in Orbe Chriſtiano, equidem id temerè admodum imperitéq; dictum eſt. Nolo ſanè inficiari, quin quemadmodum dicitur de* Philoſophia, *quod* ſuperficiaria *illius* delibatio *hominem fortean ſibi minùs caventem, in* Atheiſmum *poſſit præcipitare, ita levior in hæc Vaticinia inſpectio inclinare queat aliquos ad* Fanaticam *quandam Inſtabilitatem vanumq; de* quinta Monarchia *inſomnium carnalibus temerariæ ſuæ Imaginationis commentis maxime congruâ. Veruntamen, ut plenior* diſciplinæ Philoſophicæ *hauſtus impias iſtas animæ ſordes iterum diluit, ita nullus dubito quin* penitior ſenſûs harum Divinarum Prædictionum inveſtigatio *majorem animi ſobrietatem homini ſit conciliatura, radicituſq; evulſura omnes illos inanes prætextus ad* Innovationes *atq;* Schiſmata. *Ac proinde operam quam in pleniorem penitioremq; Inquiſitionem in ſenſum harum Viſionum Propheticarum impendi veniam ſaltem ſpero apud homines mereri poſſe, ſi non ipſorum approbationem tanquam debitum ſuum præmium vindicare; quandoquidem id quod tantopere ad pacem ac ſobrietatem facit non poteſt quin optimo jure debitæ approbationis præmium apud homines vindicet.*

Dico igitur, ſi negligentiori inveſtigatu iſtiuſmodi horum Vaticiniorum Interpretationes formatæ ſint quæ periculum incommodumve aliquod ſecum traherent, major emicuit neceſſitas ut unus aliquis pluresve accuratiori perſcrutatione in verum ac genuinum ipſorum ſenſum penetrarent, ne Divina *illa* Veritas *quæ in* bonum *Eccleſiæ revelata eſt per errorem in* damnum *ejus ac ruinam verteretur. Ut certè talis opinio de modo introducendi* quintam Monarchiam, *qualem quidam imaginati ſunt & amplexi, multas turbas noxaſq; in res orbis Chriſtiani inferre poſſit. Fundamentum*
Lib.2.cap.5. sect.5. *cujus erroris cum malis ipſius conſequentiis ſeptimum noſtræ* Co-expoſitionis Conſectarium *penitùs tollit, ut nihil de aliis locis dicam. Funeſtâ porrò edocti ſumus experientiâ quàm veſanas Applicationes* Euthuſiaſtæ *faciunt* Beſtiæ decacornis & Meretricis Babylonicæ *dum per cœcum ſuum falſumq; zelum Magiſtratum quemlibet legitimum* Beſtiam, *& Eccleſiam quamlibet ritè ordinatam* Meretricem *illam imaginantur, ut celebratiſſimus ille eques* Romanticus *per inflammatam animi rabiem læſamq; Imaginationem, proximam, quæ occurreret* Molam alatam *pro* Gigante, innocuoſq; ovium Greges *pro tot* Armatorum hominum exercitibus *adoriebatur.*

Is vero qui animum ad illud adverterit quod tam manifeſtò demonſtravi, media *ſcilicet* Synchrona *neſceſſariò ſimul finiri, noſtramq;* Anglicanam Reformationem *eminentem fuiſſe prædictionis* Reſurrectionis Teſtium *completionem* Speciminalem *non poteſt in æternum ab ea dementia non liberari ſeq; ſufficienter reperire munitum adverſus omnes iſtas veſanas ſectas qui his temporibus tam magnificè ſe efferunt, magiſq; ſpeciatim adverſus altivola illa* Tremeutium & Familiſtarum *inſomnia qui ſub prætextu* neminem cognoſcendi ſecundum carnem *tam facile omni noſtræ Religioni valedicunt quæ ad* Perſonalia *Chriſti* Officia *refertur. Nam ſi* Proteſtantium Reformatio *ut in aliis locis ita præſertim hic in* Anglia Reſurrectio *erat* Teſtium, *prout certiſſimum eſt eam eſſe, æquè profectò certum eſt firmumq;* Familiſmum & Quakeriſmum *mera eſſe* Enthuſiaſtica deliria, *ex eo quod rejiciunt deſpectuiq; habent ea omnia quibus tam plenè tam expreſſim univerſimq; teſtimonium perhibetur, ab hac* nube Teſtium *vel potius ab* his Teſtibus *in* cœlum aſcendentibus in nube. *Cujus Vaticinii Impletionem præſtantiſſimo maximéq; ordinato modo contigiſſe autumo in* Anglicana *noſtra* Reformatione *ubi* Teſtis Eccleſiaſticus *altiſſime omnium inter Reformatas Eccleſias in cœlum hoc Propheticum aſcendit. Quod juſtæ reprehenſioni inſervire poteſt Sectæ etiam* Preſbyterianæ, *quotquot ſcilicet ex ipſis inviderunt ei hanc Reſidentiam aut etiamnum invident.*

Et rurſus, quantum ad Trementes & Familiſtas, *qui adeo* Gigantei *ſunt ſibiq;* ſufficientes, *ſi ita fas ſit loqui,* Religioniſtæ, *eamq; horum Teſtium Teſtimonii partem quæ* remiſſionem peccatorum in ſanguine Chriſti *& Juſtificationem liberationemq; per merita illius Paſſionis complectitur, aſpernantur & contemnunt, quam inſubidi ruditerq; ſuperbi hac in re ſint palam eſt ex eo, quod liberatio Teſtium ex ſervitute* Romani *illius* Pharaonis *planè attribuitur tranſitioni ipſorum per* Mare Rubrum, *& notiſſimum eſt primos Proteſtantes Reformatores exordium ſumpſiſſe ab* articulo juſtificationis *hoc ipſo in ſenſu. In quo quidem* Egyptii *myſtici ſubverſi ſunt Equi Equiteſq; & ſubmerſi. Quo nullus dubito quin* Epinixion *illud, Apoc.* 15. *alludat quemadmodum magis particulatim ſuo loco probavi.*

Vide Lib.1.c. 4.ſect.5 & lib. 2.c.12.ſect.2.

Quamobrem manifeſtum eſt quantam vim hoc habere debeat ad reconciliandos omnium Sectariorum *animos cum* Nationalibus *ſuis Eccleſiis, quippe quarum fidei confeſſio Inſtitutaq; eadem ſunt quæ* horum Teſtium *qui per ſpecialem providentiam in*

Cælum

Cælum ſunt accerſiti & per Divinæ illius prædictionis Impletionem Teſtes *demonſtrati* Dei *atq;* Veritatis; *Et ſimiliter quam utile ſit ad pacem & ſtabilitatem omnium Rerum publicarum Regnorumq; Proteſtantium, utpote qui inde tam certi eſſe poſſunt cui Religioni ipſis ſit adhærendum, periculumq; ſubeſſe ne perinde ſit atq; contra flumen luctari (niſi Reformatarum Eccleſiarum peccata ad tempus caſtiganda tanto malo viam aperiant) immò adverſus Deum ipſum belligerare, ſiquis ſuperinducere conaretur iſtiuſmodi opiniones Praxeſve contra quas ab his declaratis Dei teſtibus Teſtimonium ſit perhibitum.* Neq; enim ſapientia eſt, nec prudentia, Prov. 21. 30.
nec conſilium contra Dominum.

Enimvero in hujuſmodi rerum circumſtantiis Deus, qui corda hominum occupare ſolet & ipſorum oculos pro ſuo libitu illuſtrare, ita populum illuminare poteſt ut plus videre valeant quam profeſſi ipſorum Prophetæ, quorum viſus occecari poteſt quod Injuſtitiæ præmium in ipſorum manibus inveniatur, hoc eſt, quod Mundanarum Utilitatum aucupium conſcientiam eorum judiciumq; vaſtaverit. Tunc enim ipſorum conditio à Balaami *conditione in aſina equitantis non multùm abluderet quam ille nunc ex hac parte nunc ex illa baculo contundebat, ut in ea ſemita eam contineret, quæ maximè directò ad privatum ſuum propoſitum, ad propriam ſcilicet cupiditatem explendam duceret. Aſina verò cum plus ſibi à ſtricto Angeli gladio quam à furioſis Prophetæ Verberibus metueret, brevi ex curſu ad murum ſe apprimit pedemq; atterit ſedentis. Nulla enim vis humana mortalem Animantem cogere poteſt adverſus vim terroremq; Dei contraire.*

Quamobrem magni profectò momenti eſt ut ii qui in Imperio ſunt ſignificationis Vaticiniorum non ſint ignari quo ſe certò à lapſu in hanc θεομαχίαν *ſuſtineant nec ſuas res ita unquam adminiſtrent ut quicquam adverſus Divinæ providentiæ curſum moliri videantur, ſed ad* eam Cynoſuram *potius* Gubernacula dirigant. *Quam ignorantiam ſervator Judæis videtur exprobrare,* Hypocritæ, cœli terræq; faciem Luc. 12.
diſcernere ſcitis, hoc autem tempus quî fit ut non diſcernatis? *Tantum abeſt ut veri Vaticiniorum ſenſûs inveſtigatio tumultuum cauſa ſit in Rebus publicis Regniſve, cum è contra recta ipſorum intelligentia undequaq; tantopere tendat ad firmam eorum ſtabilitionem atq; pacem. Quæ in iſtiuſmodi Religione firmiter fundari nequit quæ* veritati Divino etiam fato præmunitæ *in rebus ſummi, quod fingi poteſt momenti, apertiſſimè repugnat.*

Nec certe horum Vaticiniorum intelligendorum utilitas intra Reformatarum Eccleſiarum limites coercetur ſed & in univerſum orbem Chriſtianum redundat. Quemadmodum videre eſt in accuratiori meâ Explicatione perditionis Beſtiæ & combuſtionis Meretricis. *Nam ſecundum noſtram Interpretationem prædictio Interitûs hujus quartæ Beſtiæ* benignum *videri debet* promiſſum *potius quam* comminatio. *Quod utiq; ejuſmodi eſt; Eam nempe, quemadmodnm ad tempus deſiit, ita poſt certam temporis periodum in æternum eſſe deſituram. Jam verò temporaria ceſſatio ſive abolitio Beſtiæ in eo tantum conſiſtebat, quod Imperium puram & Apoſtolicam Chriſtianitatem Idololatriis nondum coinquinatam amplexata erat & tuebatur. Quamobrem æterna ejus abolitio ſive Interitus nihil aliud futurus eſt quam illius in æternum ab omni* Idololatria & Antichriſtianiſmo *firma ſtabiliſq;* purificatio. *Quod nuncium ſane neutiquàm infauſtum eſſe poteſt ulli Imperatori ulliſve ſæcularibus Imperii Regibus ac Principibus, utpote qui ab Idololatria (quæ Imperium Beſtiam conſtituit) & à doloſa Tyrannide & uſurpationibus Pontificis Romani unâ operâ ſint liberandi.*

Quantum verò ad Hierarchicam Papæ ejuſq; cleri poteſtatem (*quod & talem* Presbyteratum *qui debitæ obſervantiæ erga ſæcularem Principem in rebus indifferentibus doctrinam haud ſatis edidicerit per Analogiam perinde eſt perſtricturum) quantum, inquam, ad* Hierarchiam Popalem *quæ (prout* Rex *ſemper beatæ Memoriæ* Jacobus *aculeatè ſanè ſed admodum juſtè eam taxavit)* ſub larvata ſimulatio- Præfat. Monitor ad Cæſar. &c.
ne curæ ſpiritualis animarum, regna exhaurit Orbemq; Chriſtianum cæde & ſanguine miſcet, *huic poteſtati fateor, Viſiones* Apocalypticæ *aliquanto, ſicut par eſt, ſunt ſeveriores. Hæc enim poteſtas, (exceptis eis rebus in quibus cum* primæva *Eccleſia conveniat) cum nihil in ſe contineat præter* fraudum & impoſturarum cumulum, *præter* Superſtitiones & Idololatrias, *præterq; ſævas &* Antichriſtianas Crudelitates, *Viſiones ſane* Apocalypticæ *Viſiones Dei non eſſent niſi tam impiæ &* Satanicæ, *(ut vocatur in Epiſtola ad Eccleſiam* Thyatirenſem) Politiæ *male ominarentur. Ut tamen ſi libere mihi liceat profiteri quod ſentio, ſi improba illa rerum malarum moles ejecta eſſet & abolita, falſaq; illius mercimonia, ubiq;, quemadmodum hic in* Anglia *erant, interdicta, hujuſmodi ſane purificatio procul-*

dubio impletura eſſet prædictionem combuſtionis *Meretricis* Babylonicæ *per ignem ſecundum primarium illarum Viſionum ſenſum ſcopumq;, Eccleſiaq; & quicquid in ipſa decorum ſit aut utile ſervari poſſit ab omni ulteriori ſevérioriq; caſtigatione; modo ne in illis quæ reliqua ſint novam quandam* Antichriſtianitatem *exerceant totamq; Religionem in* externa ſola forma *quantumvis irreprehenſibili collocent, negligentes interim indiſpenſabiles* vitæ Divinæ *leges, honeſtamq; ac laudabilem* Moralitatem. *Tam parum cuiquam rationis ſuppetit cur ſibi male metuat à recto ſenſu* Apocalypſeos *in hiſce Viſionibus, niſi rebus* Regni peccati *faveat* Dominioq; Diaboli *in Mundo.*

Quod autem quidam me vehementius accuſaturi ſint, tanquam ſi libertatem mihi aſſumpſiſſem ab omni Charitate alienam, quod ea Vaticinia quæ ab antiquis Interpretibus intellecta ſunt de Antichriſto *adeoq; ab ipſis Pontificiis de eodem etiamnum intelliguntur, tam amplæ Orbis Chriſtiani Portioni quam eſt* Eccleſia Romana *applicuerim; ad hoc libere & ingenuè reſpondeo, & tanquam in illius conſpectu cui omnium mortalium corda nota ſunt nudaq; patent,* me nihilo majorem capere voluptatem in hos Antichriſtianos characteres deprehendendo in Eccleſia Romana quam ſi tot maculas peſtilentiales in cognatorum meorum chariſſimorumve amicorum corporibus detexiſſem; *adeo ut hac in re ne vel minimi quidem defectûs charitatis ipſe mihi ſim conſcius.*

Sed enimvero ſi charitatis leges tam ſtrictè obſervandæ ſint (ut certè ſunt) eam obſervandi rationem teneamus quæ ita communi omnium ſuffragio comprobata eſt ut in tritum abierit Proverbium; Charitatem ſcilicet à propriis Laribus incipere oportere, *pariq; curâ Proteſtantium Eccleſiis in cis rebus quas cum veritate tuentur proſpiciamus atq; Pontificii etiam in falſitatibus Impoſturiſq; obtrudendis, ſuæ parti proſpiciunt. Meliori igitur jure fidelitati meæ erga veram Chriſti Eccleſiam quam ulli Charitatis defectui erga Romanam imputari debet, quod communem illam Proteſtantium Aſſertionem de magno illo* Antichriſto *optimis quibuſq; rationibus munitam in medium denuò proferam. Quæ quidem cum mihi tam ſolida viſa ſit & irrefragabilis veritas, ſummi profectò charitatis defectûs erga pretioſam primorum Reformatorum memoriam,* Teſtium *illorum quos Divina Providentia è* mortuis excitavit, *mihi conſcius eſſem, niſi, quam contentiſſime poſſum; eniterer ad ſuffulciendam eorum exiſtimationem in re tanti momenti, ubi certè erraſſe videri non poſſunt ſine extrema ſui ipſorum ignominia damnoq; irreparabili cauſæ Proteſtantium.*

Etenim ut nulla doctrina eſt, in qua nos & Pontificii *diſſentimus, quæ ſit verior, ita ſanè nulla omnino eſt quæ ullatenùs tam potens ſit ad omnes ipſorum adverſus nos aſſulturas propulſandas quàm hæc eſt quæ Eccleſiam ipſorum* Babylonii *Civitatem eſſe ſtatuit, ex qua expreſſim Dei populo* præcipitur ut exeant, ne participes ſint peccatorum ejus & ex plagis ejus accipiant. *Quod ſapiens ille Princeps* Jacobus *ſemper beatæ memoriæ Rex optimè novit, integraſq; proinde primitivas Reformationis ſententias conſervavit, vel potius Regali ſuo calamo exornavit expolivitq; quod etiam fecerunt duo illi egregiè religioſi ac eruditi Præſules* Andreades & Jewellus *multiq; alii pii doctiq; noſtræ Eccleſiæ Epiſcopi. Neq; hic prætermittam quam explicitè ipſa Eccleſia* Anglicana *hanc rem in* Homilia de periculo Idololatriæ, *alteraq;* contra Rebellionem *definiverit. Quos illuſtres* Teſtes *in tanti momenti veritate inurbanum eſſet & injuſtum inſimulare defectûs charitatis ejuſdemve eos habere ſuſpectos.*

Et quod ad me attinet, equidem non poſſum quin porro addam (cum eâ ſim ſententiâ, cumq; tantopere confirmatus ſim ab illis Heroicis *Exemplis, quorum quantum ad ſummam rei in hiſce meis Propheticis Interpretationibus veſtigia premo) quod utiq; me infidum exiſtimaturus eſſem, non ſolum erga* veram Chriſti Eccleſiam, illiuſq; Regni incolumitatem *quam charitas nunquam eſt proditura, ſed etiam erga* ipſam Eccleſiam Romanam *charitate frigere, niſi hanc adverſus eam prophetandi libertatem adhiberem vel potius prophetias interpretandi in juſtam illius reprehenſionem & emendationem.*

Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.

Dictum illud de eo perinde verum eſt qui amici ulcus celat quando ad ſanationem faceret ejus detectio, atq; de eo qui celat ſuum proprium.

Quod ſi Charitatis defectus ſit, verba paucula duriora, quantum libet vera, adverſus eam eloqui, quanta illa demum futura eſt Barbaritas eam maximis Fortunæ calami-

calamitatibus, quibus res humanæ obnoxiæ ſunt, exponere? Ut ſi quis effræni furori rapinæq; inundantis Turcæ eam proderet, Numnam hoc Benevolentiæ charitatiſq; futurum eſſet adeo demeritorium ſpecimen? Et tamen hoc ipſi proculdubio ii præſtant qui cubito ejus pulvillos conſuunt blandeq; ei palpant, appellitando ſororem meam & matrem meam *nec adeo grandes in ea contendendo errores eſſe & peccata; cum interim apertè rea ſit omnium illorum peccatorum quæ Apoc.* (9. 20.) *recenſentur, Quæ ſunt* πεϱισύνησις δαιμονίων καὶ εἰδώλων, φόνοι, φαϱμακεῖαι, ποϱνεῖαι, κλέμματα. Idololatriæ multifariæ, ſevæ cruentæq; perſecutiones, Adjurationes Magicæ Incantationeſve, impurus cœlibatus. Piæ fraudes impiæve Aſtutiæ *cum impenitentiâ omnibus ſuperaddita. Propter hæc peccata Locuſtæ Equiteſq;* Euphratæi, Saraceni *utiq; atq;* Turcæ *Eccleſiam* Orientalem *vaſtarunt; Et tamen à charitate alienum habendum eſt* Latinam *Eccleſiam, quæ majori horum Maleficiorum reatu tenetur, ea de re monere.*

Non quod ego exiſtimem in fatis eſſe ut Turcæ *univerſam Eccleſiam* Occidentalem *unquam inundaturi ſint armiſve ſubacturi, ſed quod nullus dubitem quin expurgatio Eccleſiæ à craſſis ſuis Idololatriis ſæviſq; hominum innocentum Perſecutionibus, tanti periculi à cervicibus noſtris amoliendi tutiſſima ſit certiſſimaq; Ratio. Quantum verò ad* vaticinia Apocalyptica, *ancipitem ea fateor ſuper hac re habere aſpectum. Divino autem fato conſtitutum eſſe ut* Roma Pontificia Idololatrica, Regina *æternùm non ſedeat manifeſtiſſimum eſt. Eccleſiam vero univerſam fere* Occidentalem ipſamq; *adeo* Romam *ſine cæde ſine flammis ſolâ Divini Spiritûs ope Chriſtiani Orbis Principes ſinceroſq; Antiſtites eò impellentis tandem reformatum iri nequaquam abnuunt Oracula. Quod ut deſperandum non eſt, ita ab omnibus bonis vehementer eſt exoptandum.*

Quod ſi hoc adeo optabile ſit an non perinde eſt optabile ut perſuaderi poſſit Eccleſia Romana ſe tali Reformatione indigere? Ecquid vero eſt quod eam indigentiæ hujus magis convicturum ſit quam quod immania illius flagitia tam conſpicuè depicta ſint (ut ſunt certe) in illis Viſionibus quas in hoc Tractatu *explicavimus; immo pungenter admodum & Satyricè à Dei Spiritu deſcripta, in eum finem ut Chriſtianus Orbis ex* profundo hoc ſopore ac veterno excitetur. *Hujuſmodi enim aliquam oportet eſſe* vehementem & aculeatam Increpationem *quæ retrahere poſſit & revocare Eccleſiam à tam inveteratis erroribus, radicatis in conſuetudine, & in dulci* Lucri *faſcino & illecebra fundatis; quod nulla ſpes eſt ullis levibus conditionibus relictum iri. Quam quidem luminis vim è vero horum vaticiniorum ſenſu enitentem obnoxia hæc Eccleſia plane agnoſcit ſe perſentiſſere, ex eo quod ſeipſam, quantum poteſt à redargutoriis eorum perſtrictionibus abſcondit, homineſq; ſubornat qui arte quanta poſſunt maximâ* deformitates ipſius pallient, defendantq; ab ipſâ ardores urentes, ac penetrantes ſplendores harum veracium Viſionum falſis ſuis & adulterinis gloſſematis. *Quod tamen facinus à charitate eſt omnium alieniſſimum maximaq; injuria quæ ei inferri poteſt, ut tam altum hoc pacto ſoporem illi concilient, quo irreſiſtibili Dei irâ opprimatur, juſtoq; ipſius zeli exponatur furori.*

Quamobrem an non magis è re illius foret ſi deſiſteret in poſterum in iſtiuſmodi coactis & incredibilibus *depravatæ ſcripturæ Interpretationibus perfugia quærere, malaſq; illas technas miſſas faceret ut reformet ſeipſam ad illud exemplum quod tam manifeſtò à Divinis Oraculis approbatum eſt in ſenſu non ſolum* credibili *ſed* apertè vero. *Ratione enim plane demonſtrativâ verum eſſe conſtat è ſecundo Conſectario noſtræ* Co-expoſitionis, *Eccleſiam ante quadringentos circiter annos à nato Chriſto non factam fuiſſe Antichriſtianam; ſicuti ex Ratione etiam* Exterioris *Atrii ad* Interius *eam ſymmetram fuiſſe uſq; ad ea fere tempora. Quæ puriora Eccleſiæ ſæcula exemplare erant* Anglicanæ *noſtræ Reformationis. Quibus addas, quod jam inſinuavi, dictam* Reformationem *eminentem fuiſſe Vaticinii de* Reſurrectione Teſtium *completionem* Speciminalem, *adeo ut Rectitudo illius confirmata ſit ab illis perinde Viſionibus quæ* Reſtitutionem *Eccleſiæ præfigurant atq; ab eis quæ ſignificant* primævam *illius* puritatem.

Interea vero loci manifeſtum eſt tantum abeſſe ut recta Viſionum Apocalypticarum *Intelligentia rebus Chriſtiani Orbis ſive* Reformati *ſive* non Reformati *quicquam obſit ut nihil excogitari poſſit quod ad communem omnium ſalutem magis tendat conducatq;.*

Quod quidem futurum eſſet, tametſi illud eſſet Vaticiniorum Apocalypticorum *ingenium ut funeſtas omnino & truculentas clades ac calamitates Chriſtiano Orbi minitarentur; modo clarè conſtaret ob quæ præſertim peccata, tanta illi mala inten-*

intententur; ut certè æquè manifestò ex Visionibus Apocalypticis, *si non manifestiùs de* culpæ *genere constat quam de* pœna, *nempe de* Idololatriis *sævisq; hominum innocentium* Persecutionibus. *Potestne igitur intempestivum esse aut inutile de præcipuo fonte ac origine tantorum malorum Christianum Orbem præmonere, ut per maturam rescipiscentiam præcaveri possint ac præverti. Comminationes enim Divinæ Hypotheticæ sunt sive stylo* simplici *ac* vulgari *sive* Prophetico Symbolicove *denuncientur. Sensus utiq; utrobiq; idem est.*

Visionum Apocalypticarum Ratio Synchronistica.

Idololatrias autem innocentumq; hominum sævas injustasq; persecutiones duo illa gravissima esse crimina quæ in orbem Christianum Pontificium à Spiritu Sancto intenduntur, nemo, opinor, qui sepositò omni præjudicio libellum nostrum de Visionum Apocalypticarum Ratione Synchronistica *legerit Tabulasq; perlustraverit, unquam potest dubitare. Quem igitur Tractatum, reliquis nostris scriptis Theologicis hoc Volumine contentis præfixi. Utpote qui persuasus sum, postquam quis prima hæc Vaticiniorum (eorum scilicet quæ ad Ecclesiam Christi pertinent) intelligendorum rudimenta imbiberit, quod non solùm* Synopsin *nostram* Propheticam *(ad cujus promptiorem intelligentiam quodammodo sunt necessaria) sed quicquid uspiam rerum Apocalypticarum in* Mysterio Pietatis, *aliisve è sequentibus Tractatibus occurrat & fructu optimo, & summa quidem cum voluptate lecturus sit pariq; intellecturus facilitate, clareq; tandem percepturus magnam illam quam de fœlicissimo Ecclesiæ statu in terris olim futuro spem concepimus, non levibus quidem aut commentitiis sed veris solidisq; Fundamentis inniti.*

Reliqua hujus voluminis opuscula.

Atq; hæc de Mysterio Pietatis *& de* Mysterio Iniquitatis *dicta sunto. Quæ sequuntur* Opuscula *non est ut multùm eis immoremur, præsertim cum quæ jam dicta sunt hîc etiam locum aliquem habere possint. Utilitatem* Expositionis septem Epistolarum ad septem Ecclesias *Epilogus illi additus satis explicat. Usus vero* Tractatuli de veris Fidei fundamentis *satis ex se manifestus est, occurritq; in proximè subsequenti Tractatu,* Antidoto *scilicet* adversus Idololatriam. *Cujus Tractatûs soliditatem eo alacrius Lectori prædicare possum quippe quod tametsi nuper ab acerrimo Adversario docto sanè ac versuto impugnatus sit repertus est planè inexpugnabilis. Qui tamen adjunctâ* Appendice *fortior adhuc factus est atq; munitior.*

Solum jam supereſt Divinorum Hymnorum Heptachordon *quod ut Devotionis potius quam Poeseos specimen edo. Rogatu amici cujusdam versus primùm Anglice composui, câq; quam ille à me vehementer efflagitavit styli sensûsq; simplicitate; nec multum nitoris addidit* Latinitas. *Edendos tamen curavi, ut quæ conjungendi cum* Historia *sensum Religionis nostræ* Mysticum *haud incommoda Exempla fore sperabam. His autem* Carmina *pancula superaddidi quæ Anglicè sparsim occurrunt in scriptis meis Philosophicis, hîc à me Latine reddita. Quod hoc consilio feci, ut, si quid humanitùs acciderit illaq; Provincia ab alio aliquo suscipienda sit Versiones istas in parato habeat, nisi forte, quod facile fieri potest, ipse elaboraturus sit elegantiores.*

Scripta Autoris inter se collata.

Atq; sic percurri dicam an pervolitavi per reliqua hæc scripta mea Theologica *de quibus jam invicem comparandis Lectorem pauca, quæ ipse forsan observaturus sit, monendum duxi. Primum est, mihi non unâ quasi vice clarissimam illam maximéq; distinctam Visionum Propheticarum Intelligentiam obtigisse, sed per occasionem me potius quam datâ operâ harum rerum Notitiam acquisivisse. Neq; enim mihi conscius sum me hoc genus Peritiæ affectasse sed fere nolenti volenti eam tantâ mihi cum claritate & facilitate se insinuasse ut non possim sanè quin ea certò pleneq; intelligerem quæ alii adeo obscura sibi videri volunt ac incerta. Atq; hic ausim profectò cjuslibet appellare conscientiam ac judicium, modo omni sepositò præjudicio & cum Timore Dei perlegere vellet ac perpendere octo postrema Capita libri primi* Synopseos Propheticæ *an non expositio nostra in cap.* 13. *&* 17. Apocalypseos *certitudinem habeat plane Mathematicam & de qua nemo qui mentis compos sit postquam intellexerit possit dubitare. Cui si addat* Grotii, Riberæ, novæq; *cujusdam* Interpretationis *Confutationes quæ libro secundo occurrunt quæq; primis quinque Capitibus continentur, clare quidem deprehendet Divina Oracula* non adeo Nasum esse cereum ut quidam libenter sibi fingunt, sed ad unum certum sensum oppidò quam rigidè ac inflexibiliter determinari, *huncq; sensum nos certò assecutos esse in dictis illis duobus Capitibus* Apocalypseos.

Quod inexpugnabile est Propugnaculum contra omnes Præstigias & Incursitationes Pontificiorum. *Quippe postquam tam clare constiterit de sensu horum duorum Capitum, frustra litigabitur de cæteris. Quanquam non dissimulandum est* Expositionem

ſitionem ſeptem Epiſtolarum ad ſeptem Eccleſias *pari fere certitudine niti, uti ex ultimo illius capite conſtat, perindeq; eſſe ſi quis dubitaret de ſeptem illarum Epiſtolarum* ſcopo Prophetico, *nempe an ſit ejuſmodi Prophetia, qualem eſſe contendimus (cum univerſa illic notanda, nominibus ipſis non exceptis, eò planè collimet) ac ſi hæſitaret de ſtructura Animalis* Caſu *facta ſit an* Providentiâ *cum omnes illius partes ad unum finem, quæ eſt perfectio vitalium functionum Animalis, tam manifeſtò deſtinentur. Reliquaq; profectò Vaticinia quæ interpretati ſumus ſi non pari ex ſe certitudine, ſatis luculentâ tamen, ſi prædictorum Vaticiniorum certitudinem adjungamus, & concinnitate & firmitudine mihi expoſita videntur, ſubmiſſoq; hîc corde Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti Cœli terræq; conditori gratias ago, quod hæc ſui Regni Myſteria tam clare mihi patefecerit, nec cuiquam harum rerum invideo jactabundam ſuam ac ſecuram Ignorantiam.*

Quibus igitur de rebus cum tam firmiter perſuaſus eſſem, quamq; immenſi momenti futurum eſſet ut tam claræ Veritates in hominum venirent notitiam, equidem omnium Mortalium me nequiſſimum cenſuiſſem ſi Myſteria tanta ac tam utilia Orbi Chriſtiano celaſſem. Quod etiam effecit, ut duram hanc Latine *transferendi hæc mea ſcripta Theologica provinciam data occaſione tam alacriter ſuſciperem,* Divinæ *hac in re, uti ſperabam,* Providentiæ Nutui *Obſecutus. Conſultius enim judicavi ſi omnibus externæ vitæ periculis & incommodis caput offerrem; quam ſi domeſticæ illius Furiæ, læſæ ſcilicet & inquietæ Conſcientiæ ſpiculis ac vulneribus animam exponerem.*

Cæterùm, tametſi, quod dicturus eram, ſummâ maximeq; diſtinctâ claritate hæc mihi Myſteria innotuerint, id tamen haud factum eſt ſemel, ſed detinebar aliquandiu veteris Hypotheſeos ſpecioſitate, nec Reſurrectionem Teſtium *adhuc contigiſſe putabam. Qua de re abunde jam certus ſum, ſatiſq; valida ſuo loco adhibui argumenta quibus alii itidem ea de re certi eſſe poſſunt. Hoc tamen præſtare non auſim, quanquam quædam ſat ſcio me expunxiſſe, nulla uſquam in meis ſcriptis prioris Hypotheſeos manere veſtigia. Quin & ſatis ampla occurrere memini,* Myſter. Pietatis, *lib. 5. cap. 7. quæ ex inſtituto integra reliqui, propter moralem ſuam utilitatem. Atq; hoc primum eſt quod Lectorem monere volui.*

Alterum eſt ingens illud diſcrimen inter Apologias in Myſterio Pietatis *pro* Idololatria Paganica *factas, &* Pontificiæ Idololatriæ *tum in* Idea Antichriſtianiſmi, *tum in ipſa adverſus* Idololatriam Antidoto, Exagitationes. *Ubi opportunè Lector poteſt obſervare quàm libero cogitationum æſtu ego ſemper Philoſophatus ſim, plenamq; Idololatriæ notitiam me uno ſimiliter hauſtu non accepiſſe ſed omnes hujuſmodi res per datas occaſiones paulatim in animum inſtillaſſe. In* Myſterio Pietatis *de nihilo ſollicitus eram præterquam de* Divina providentia & Chriſtianæ Religionis veritate *in genere defendenda. Atq; hoc opere abunde contentus nunquam, quod ſciam, ulteriùs in Theologicis Speculationibus progreſſurus fuiſſem, (utpote qui eas res in uſum vitæ potius quam in inanem contemplationis oblectationem proſequendas ſemper cenſui) niſi miram* Pontificiorum *induſtriam ac diligentiam in corrumpendis ſuâ ſuperſtitione hominibus obſervaſſem & ſingularem eorum de ſucceſſu, ac ſi ipſorum Religio mox quaſi poſt-liminio reverſura eſſet, jactationem & confidentiam. Quæ res effecit ut fere coactus omnes cogitationes meas ad id unum intenderem, ut* Pontificiæ Religionis *naturam ac conditionem penitus intelligerem. Quod quidem ſtudium* Tractatum de Myſterio Iniquitatis *peperit &* Antidotum adverſus Idololatriam. *Et certè hic rursùs opportune monendus eſt Lector, quam diſſimile veri ſit hominem qui* Idololatrias Paganicas *Apologiis tam aptis ſcitiſq; deauraverit, ex metu ullo plebeio ac ſuperſtitioſo (ſed puræ ſolius ac defæcatæ Rationis vi convictum)* Idololatrias Pontificias *tantopere poſſe abhorrere. Fateor enim me ſtabilem & determinatam Idololatriæ naturam, poſtquam huic rei penitiùs rimandæ operam dediſſem, multo accuratius quàm cum iſtas Apologias excuderem, tandem intellexiſſe, omninoq; jam cenſere res tanti momenti, ubi de Dei honore hominumq; ſalute agitur, non temulento ac lubrico Juvenitioris Ingenii dulcori ac eloquentiæ relinquendas eſſe, ſed ad rigidiſſimam Rationis normam eſſe expendendas, ac nutu & autoritate Divinorum Oraculorum dirigendas definiendaſq;. Quicquid verò incommodi ex blandiuſculis iſtis ac leviculis Apologiis in* Myſterio Pietatis *profecturum ſit, facile ei, ut ſpero, in ſequentibus Tractatibus medebitur firmiſſimarum Rationum Scripturarumq; luculentè expoſitarum ſoliditas ac ſeveritas.*

Cæterùm nec alienum forſan erit aliorum etiam hujus generis ſcripta cum his noſtris parumper comparare. Tertio igitur, obſervare poterit Lector quam nullo partium ſtudio, ſummâ *vero* fide & ſimplicitate *in* vaticiniis Interpretandis *verſatus* Aliorum ſcripta cum illis comparata.

ſim; quippe qui nullo adverſæ partis odio amoriſve defectu, nimiave erga noſtros benevolentia inductus de via deflexi, ſed utriſq; perinde quæ grata ingratave eſſe poſſint ingenuè liberéq; declaravi. Etenim ut tandem abolitum iri Religionem Romanam *ex Divinis Vaticiniis pronuncio, ita nullam eſſe neceſſitatem ut* Urbs Romæ *ferro flammiſq; vaſtetur, (ſicut vulgò narrant de combuſtione Meretricis) Beſtiave aliter peritura ſit quam quoad* Belluinam *ſuam* ſævitiam *fœdamq;* Idololatriam *ex eiſdem Oraculis planè aperteq; definio. Utq; haud ita pridem factam* Reformationem Teſtium *eſſe* Reſurrectionem *vehementer contendo Intervallumq; Eccleſiæ* Sardianum *ejus durationem ſignificare, ita eum minùs perfectum eſſe rerum ſtatum ex Interpretatione Epiſtolæ ad Eccleſiam* Sardianam *rurſus ſtatuo, pluſq; eos innuo zeli carnalis quam vitæ verè Chriſtianæ habere, gravemq; aliquam calamitatem iſta Epiſtola prædictam niſi reſipuerint, ipſis imminere neutiquam eos celo. Quinimo & in ipſa Expoſitione illius Epiſtolæ & in libri Epilogo eos hiſce de rebus clarè libereq; moneo. Eoſq; etiam atq; etiam denuo hic rogo ut dicta mea ſerio & cum timore Dei apud ſeipſos perpendant & conſiderent.*

Quartò deniq;, cum adeo effrænis futura prædicendi pruritus plurimos eo confidentiæ impulerit ut eventus Viſionibus Propheticis præfiguratos ad certum annum determinarent tanquam ad eam ἀνελθειαν *in Vaticiniis prænotatos, turpiterq; fruſtrati fidem ſic & ſibi ipſis & ipſi vaticiniorum interpretandorum ſtudio apud multos abrogaverint; Ego ſanè non ſolùm nihil ipſe ad certum annum præfinio, ſed apertè etiam definio nihil jam ſupereſſe in Viſionibus* Apocalypticis *nondum impletis; nec unquam profectò fuiſſe, quod ad tam præciſum tempus ab aliis poſſit definiri, ita ut nullus locus jam reliquus ſit turbulentis hominibus & temerariis ad res novas, quaſi dato divinitùs ſigno, moliendas, Viſionem enim de* Teſtium Reſurrectione *impletam jam eſſe affirmo dieſq;* 1260 *quantum ad omnem uſum Propheticum, omnino exiiſſe. Qua de re ex quo primùm ei anquiſitius preſſiuſq; contemplandæ animum adjeceram pluſpluſq; indies factus ſum confirmatior. Adeo ut Ruinæ Antichriſti quam vocant, taliumq; Eventuum qui eam maturaturi ſint, appropinquatio à nullis aliis Indiciis conjectari poſſit quam ex* profectu veræ ſinceræq; Pietatis illibatæq; morum integritatis in Eccleſiis Reformatis, *quemadmodum fuſiùs edocui in Epilogo* Expoſitionis Epiſtolarum ad ſeptem Eccleſias.

Verùm enimvero, quanquam nihil de Die Annove *glorioſi adventûs Domini noſtri Jeſu Chriſti ejuſq; claritate, quâ iſte* Homo peccati *delendus ſit definio, facere tamen non poſſum quin audacter conſtanterq; affirmem eum ſuo tempore deletum iri, fœliciſſimamq; rerum ſcenam ſtatim ſucceſſuram.*

Erit erit *proculdubio tempus & eluceſcet* tandem *ille dies ubi* Juſtitiæ ſole exorto Ægyptiacæ *tenebræ ac Caligines penitùs diſſipabuntur. Ubi omnes Eccleſiæ ſordes atq; ſcoriæ* Divini amoris ardore *abſumentur & expurgabuntur. Ubi omnis morum immanitas fœdæq; Superſtitiones & Idololatriæ in* ſtagnum *amandabuntur* Ignis atq; Sulphuris. *Ubi denq;* Calviniſmus, Lutheraniſmus, Papiſmus *& quicquid uſpiam ſectas ſapit & opinionum animorumq; diſſidia in unum (qui inſtar omnium eſt) verè Catholicum & Apoſtolicum quoad vitam pariter ac doctrinam colliquefient* Philadelphianiſmum. *Quæ tempora ut Deus acceleret cordaq; Principum ac Populorum Chriſtiani Orbis eò inclinet bonorum omnium Votum eſſe debet & expectatio.*

VISIONUM

VISIONUM APOCALYPTICARUM RATIO SYNCHRONISTICA TABULIS SYNCHRONISTICIS

Universas Apocalypseos Visiones Propheticas continentibus eximiè illustrata;

CUM

Luculenta Demonstratione necessariæ & inevitabilis

INTELLIGIBILITATIS

Visionum Apocalypticarum Dissertationis calci adjecta.

Per *HEN. MORUM*, Cantabrigiensem.

Jul. Scal.
Nullam majorem afferre solet ignaris inscitia voluptatem quàm expeditum fastidiosumq; contemptum.

LONDINI,

Typis *J. Macock*, Impensis *Johan. Martyn* sub Signo Campanæ, & *Gualteri Kettilby* sub Signo Capitis Episcopi in Divi *Pauli* Cœmeterio.
MDC LXXIV.

VISIONUM APOCALYPTICARUM RATIO SYNCHRONISTICA.

CAP. I.

Axiomata Synchroniſtica & de Latitudine Epocharum.

1.

Ncipiemus ab Axiomatis *Synchroniſticis* quæ tantæ claritatis ſunt, ut inſtar communium ſint ſententiarum in rebus Mathematicis.

Axioma. 1.

Synchrona ſunt quæ ab eodem tempore incipientia indeque perpetuò continuata in idem tempus deſinunt.

Axioma. 2.

Quotcunq; Synchrona inter ſe fuerint idem eorundem omnium Principiorum tempus, idemq; finium eſſe intelligitur.

Axioma. 3.

Iſochrona ſunt quæ tempore ſunt æqualia.

Axioma. 4.

Omnia Synchrona Iſochrona ſunt ſed non vice versâ, omnia Iſochrona Synchrona.

Axioma. 5.

Iſochrona tamen quorum aut Principia aut Fines coincidunt Synchrona omninò ſunt.

Axioma. 6.

Quæ uni alicui tertio Synchrona ſunt inter ſe ſunt Synchrona, omnibuſq; quotquot fuerint, quibus illud tertium ſit Synchronum.

Axioma. 7.

Quod in Principii unius alicujus Synchroni tempus deſinit, à Finiſve tempore incipit, idem in omnium ſuorum Synchronorum Principiorum tempus commune deſinere vel à Finium communi tempore incipere neceſſe eſt.

Hæc ſanè tam manifeſta ſunt abſtractè Mathematicéq; ſumpta ut ne explicatione quidem ullâ, nedum demonſtratione indigeant.

2. Quantum verò ad tempus Initiorum Finiumq; Viſionum Synchronarum ſummoperè notandum eſt id nequaquam tam præcisè ac Mathematicè intelligi oportere; Non ita certè ut momento punctove temporis circumſcribatur, non horâ, non die, non Anno; ſed modo longè laxiori intelligendum eſt, & pro naturâ Viſionis ex Hiſtoriarum circumſtantiis definiendum. Ut vel ex uno illo exemplo (*Apoc.* 17. *v.*12.) cuilibet conſtare poteſt. Ἀλλ' ἐξουσίαν ὡς βασιλεῖς μίαν ὥραν λαμβάνουσι μετὰ τὸ θηρίου. Hoc enim eſt Initium ſive Epocha Beſtiæ *quæ erat & non eſt & tamen eſt*, quod cum ea hora vel tempore coincidit, quo decem Reges (quod paulatim fiebat) regna ſua accipiunt. Hoc verò nec diei nec anni ſpatio coercetur, ſed in aliquot annorum ſeriem excurrit.

CAP. II.

Synchronorum Apocalypticorum plena ordinataq; Propositio.

1. ATq; hæc pauca quidem Axiomata sufficiant, ad quæ in particularibus Visionum Synchronismis demonstrandis, quoties opus fuerit, possit recurri. Priusquam verò ad illas demonstrationes descendamus primò operæ pretium fore judico de *principali filo* Ordinis Visionum Apocalypticarum pauca prælibare & deinde *Universalem Synchronismorum Tabulam* non demonstrare quidem (id enim postea faciam per partes) sed ordinatim duntaxat describere ac proponere, ut Mathematici Propositiones vel Problemata suis Demonstrationibus solent præfigere.

2. *Principale* autem *filum* Seriei Ordinisve Visionum Apocalypticarum citra controversiam statuenda est *Visio septem Sigillorum* quæ directè apertéq; ab initio ad finem totius stadii Apocalyptici procurrit, totumq; tempus quo res transigendæ hoc vaticiniorum libro præfiguratæ sunt, à carceribus ad metam comprehendit. Quod facile intelligetur prompteq; agnoscetur, si quis ipsum Textum Apocalypticum consuluerit. Manifestum enim est Cap. 6. v. 1. Visionem primi Sigilli, *Sessorem* utiq; *Equi albi* ipsum esse Initium rerum prædicendarum & *quinq; proxima Sigilla continuato ordine subsequi*, *Visumq; uniuscujusq; Sigilli illud esse quod immediate post ejus apertionem commemoratur vel repræsentatur.* Ac proinde cum statim post apertionem Sigilli septimi Cap. 8. v. 1. *Angelorum septem tubicinum Visio exhibeatur* palam est eam ipsam septimi esse Sigilli Visionem, *spatiumq; Sigilli septimi* hoc pacto in *septem partes dispesci*, quæ *septem Tubarum tempora* dici possunt.

3. Septimæ verò sive ultimæ Tubæ tempus ad finem usq; Mundi pertingere nemo, opinor, potest dubitare. Præsertim si magnificum illud Angeli juramentum rectè intellexerit. Cap. 10. v. 5. Ubi sublatâ ad Cœlum suâ manu jurat per viventem in perpetua secula, ὅτι χρόνος οὐκ ἔτι ἔσται, ἀλλ' ἢ ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς φωνῆς τοῦ ἑβδόμου ἀγγέλου, ὅταν μέλλῃ σαλπίζειν καὶ τελεσθῇ τὸ Μυστήριον τοῦ Θεοῦ ὡς εὐηγγέλισε τοῖς ἑαυτοῦ δούλοις τοῖς προφήταις, hoc est, *Quod tempus non erit deinceps nisi in diebus vocis septimi Angeli quando futurum est ut clangat peractumq; fuerit Mysterium Dei ut suis servis Prophetis nuntiavit.* Nam quod ἀλλ' ἤ non ἀλλὰ legendum sit sensus imperfectus & vacillans, lecto ἀλλὰ, planè innuit. Ab ἀλλ' ἤ verò in ἀλλὰ, lapsus erit facillimus. Quod si ἀλλὰ legendum esset, & particulam καὶ exterere ut redundantem & τελεσθήσεται non τελεσθῇ simul legere oporteret, legendo verò ἀλλ' ἤ, quod idem est atq; εἰ μὴ, naturalis sensus in solidum restituitur.

4. Jam verò ut *Sigillum septimum* in *septem Tubarum* Intervalla dividitur, ita porrò haud obscurum est, *Tubam* etiam *septimam* in *septem Tonitruorum* intervalla dividi. Quod sane mihi satis constare videtur ex eo quod v. 3. occurrit. Nempe quod commemorantur septem Tonitrua tanquam Tubam sextam immediatè subsequentia quemadmodum planè ex rerum ordine apparet.

Hæc enim Visio statim annectitur Tubæ sextæ Cap. 9. commemoratæ. Et verò, cùm hoc decimo capite Visiones *Libri Sigillati* claudantur, Novaq;, atq; ea alterius generis Visionum series subindicetur. *Libri* scilicet *aperti*, Visiones *Sigillati* septem hisce *Tonitruis* claudi consentaneum est, eaq; non solum esse *in* Tuba septima, sed eam *totam* occupare, nequid extremæ scenæ desiat. Ut omittam quam congruenter ultimum Tonitruum cum Terræ conflagratione coincidat.

5. Non est igitur quod dubitemus, quin Tuba ultima in septem Tonitrua divisa sit, similiter atq; Sigillum ultimum in septem Tubas. Unde insignis hæc oritur totius hujus Principalis Visionum Apocalypticarum fili Tripartitio, nimirum in *sex prima Sigilla*, in *sex primas Tubas*, & in *septem Tonitrua.*

Quæ Visiones unæ post alteras eo ordine quo recensui collocatæ *totam temporis Apocalyptici lineam* occupant ab initio ad finem pertingentes. Atq; hic opportunum erit multumq; ex usu nostro, monere, Visa omnia Apocalyptica, quæ ad primam partem hujus lineæ pertinent, appellanda esse πρόμεσα, *Antemedialia*, quæ verò ad alteram, μέσα, sive *Medialia*, quæ ad tertiam vel ultimam, Μετάμεσα, seu *Postmedialia*, quæ verò & ad primam & secundam aut ad secundam tertiamq; sive ultimam quoquo modo spectant *Mixta* esse vocanda.

6. Atq; hæc de generali ordine Visorum Apocalypticorum. Universalem jam Synchronismorum Tabulam Lectori ante oculos quantâ possumus perspicuitate, proponemus,

nemus, tam plenam certè & accuratam ut nullam Viſionem propriè Propheticam à me ſperem prætermiſſum iri.

Eſto igitur Filum illud principale totius Schematis Apocalyptici AD. in tres partes diviſum. AB. BC. CD. totuſque Semicirculus AZD. Prophetiam *Libri Sigillati*, Semicirculus verò AND. Prophetiam *Libri Aperti* contineat. Particularium verò Semicirculorum ALB & BRD prior ſex prima Sigilla, poſterior ſeptimum complectitur, quod & ſeptem Tubas continet. Quarum ſex primas Semicirculus BMC, ſeptimam Semicirculus CND includit diſtributam demum in ſeptem Tonitrua ordinatim numeris, I. II. III. IV. &c. diſtincta, ſicut factum etiam eſt in Sigillis Tubiſq;.

VISIONVM APOCALYPTICARVM TABVLA GENERALIS.



Atq; adhoc *Sigillorum*, *Tubarum*, *Tonitruorumq;* filum ſive ſeriem omnes reliquæ Viſiones non tantum *Libri Aperti* ſed & *ſeptem Eccleſiarum* aliquo modo annecti applicarive poſſunt per Synchroniſmos aut *perfectos proprieq; dictos*, aut per *imperfectos* & *partiales*, quemadmodum monebimus percurrendo ſingulos.

7. Incipiemus autem à *Viſionibus Antemedialibus*, ubi AEB eſt mulier parturiens ſole amicta ſtelliſq; duodecim coronata. Apoc. cap. 12. v. 1. AFB. Atrium Templi & Altaris ſymmetrum. Cap. 11. v. 1. AGB. Prælium Michaelis cum Dracone de Puerperio Mulieris. Cap. 12. v. 4, 7, 8. AJR Eccleſia *Epheſina* ſive Intervallum *Epheſinum* cum primo Sigillo ex parte contemporans. Cap. 2. v. 1. RHK. Intervallum *Smyrnæum* quod cum parte poſteriori primi Sigilli, & cum ſecundo, tertio, quarto & quinto prioriq; parte ſexti contemporat. Cap. 2. v. 8. 8. Se-

8. Sequuntur Visiones Mediales, ubi BC est cœtus 144000. Servorum Dei Signaculo Dei vivi munitorum. Cap. 7. v. 3. LNC. Intervallum quo ponuntur tres illi Angeli Apoc. 14. v. 6. usq; ad versum 13. cum posteriori parte Tubæ quartæ & cum quinta sextaq; contemporans. MC. Intervallum Angeli cum Threnodia Cap. 18. BDC. Atrium exterius asymmetrum, à gentibus 42. menses calcatum. Cap. 11. BEC. Duo testes amicti saccis & prophetantes lugubriter dies 1260. ibid. BeC. Iidem Testes occisi & jacentes in platea Urbis magnæ per tres dies & dimidium. BFC. Mulier in Deserto ibi alenda dies 1260, seu per tempus tempora & dimidium temporis. Cap. 12. v. 6. & 14. BGC. Bestia septiceps cum decem cornibus cujus plaga lethalis est sanata, Cap. 13. v. 3. BHC. Bestia bicornis sive Pseudopropheta Bestiæ decacornis Instaurator. ibid. v. 11. BJC. Cœtus Virgineus 144000. Signatorum Agni, Cap. 14. v. 1. BKC. Urbs illa magna Meretrix Babylon bestiæ septicipiti decacorni (*quæ erat non est & tamen est*) insidens. Cap. 17. v. 3, 8. KPR. Intervallum *Pergamenum* cum posteriori parte sigilli sexti & cum quinq; prioribus fere Tubis contemporans. RQC. Intervallum *Thyatirense* cum aliqua particula quintæ totaq; Tuba sexta contemporans.

9. Reliquæ sunt Visiones Postmediales. Ubi CAH. HYP. PzQ. QqR. RrS. SpT. & ToD. sunt septem Tonitruorum *Antisynchrona* septem, CAH verò septem Phialarum Intervallum est cum præfixo Cantico Mosis sive Psalmodia Citharistarum. Apoc. Cap. 15. & 16. Cui plenè contemporat CFH. Doxologia scilicet Seniorum & Phialarum compendium. Cap. 11. v. 16. ad finem Capitis. CEH est *Συλλειτουργία* præconiorum trium Angelorum. Cap. 14. à v. 6. ad v. 13. commemoratorum. CBO, est Intervallum Ecclesiæ *Sardianæ* Cap. 3. v. 1. cum sex primarum Phialarum intervallo contemporans. gH. est Angelus Apoc. 18. cum sua Threnodia in Babylonem, contemporans cum secundo tertioq; trium Angelorum. Cap. 14. commemoratorum. GH tres Synchronas Visionum combinationes complectitur, Visionem *Messis* & *Torcularis*. Cap. 14. v. 15. & 18. Visionem *sextæ* & *septimæ Phialæ*, Cap. 16. v. 12. & Visionem *Præparationis Sponsæ*, & *Prælii Sessoris Equi albi*, Cap. 19. v. 7. & 11.

HYP. est nova Hierosolyma descendens de Cœlo HiP. Apprehensio Satanæ. PzQ. Millenne Christi Imperium in terris. PLQ. Incarceratio Satanæ in Abyssum ejusq; in eandem obseratio obsignatiove cum Christi Imperio contemporans. Apoc. 20. HMQ. est Turba Palmifera. Cap. 7. 9. OWQ. est Intervallum Ecclesiæ *Philadelphianæ*. Cap. 3. v. 7. cum Phiala septima incipiens & in Principium quarti Antisynchroni desinens. QqR. est illud Antisynchronon quartum Solutio scilicet Satanæ Cap. 20. v. 3. RrS Obsidium Sanctæ Civitatis per Gogum & Magogum ibid. v. 7. SpT. Christi adventus ad Judicium ibid v. 11. PUT. Novæ constitutæ Hierosolymæ sive Sanctæ Civitatis cum tertio quarto quinto sextoq; Antisynchrono contemporantis duratio. PNT. Turba improba (cum eisdem Antisynchronis contemporans) è Sanctâ Civitate exclusa. Cap. 22. v. 15. QXT. Intervallum Ecclesiæ Laodicensis Cap. 3. v. 14. ToD. Telluris conflagratio. Cap. 20. v. 14. TeD. Consummata Sanctorum Salus.

Universalis Synchronismorum Visionum Apocalypticarum Comprehensionis Propositio sic est. Ad singulorum demonstrationes aut qualescunq; demùm Probationes (neq; enim omnes quanquam satis certæ sunt, æquè sunt certæ) jam pergimus.

CAP. III.

Synchronismorum Medialium *Demonstrationes.*

1. INcipiemus à Visionibus *Medialibus*, quippe quorum Synchronismi maximè omnium illustres sunt, maximéq; perspicui. Inter reliquos verò præcellunt *Atrii exterioris*, *Duorum Testium* sive *Prophetantium* sive *Occisorum*. *Mulieris Eremicolæ* & *Bestiæ septicipitis instauratæ* Synchronismi, propterea quod illæ Visiones ex ipso Textu planè deprehenduntur *Isochronæ*. Quæ certè & non contemnenda Probabilitas est eas esse etiam *Synchronas*, & ad Synchronismos earum investigandos satis opportuna Invitatio.

VISORVM MEDIALIVM TABVLA.

Viſionum *Atrii exterioris, Duorum Teſtium, Mulieris Erimicolæ* & *Beſtiæ ſepticipitis inſtauratæ* ex ipſo Textu detectus *Iſochroniſmus.*

2. Iſochronas verò eſſe clarè conſtat ex eo quod *Atrium exterius* calcandum dicitur à Gentibus per menſes 42. Cap. 11. v. 2. *Duo Teſtes* prophetant amicti ſaccis dies 1260. ibid. v. 3. *Mulier Eremicola* alitur in deſerto dies 1260. Cap. 12. v. 6. vel per tempus tempora & dimidium temporis, v. 14. *Beſtia* poſt plagam lethalem *curata* bellum gerit, blaſphemat & dominatur in omnem tribum linguam & gentem per menſes quadraginta duos Cap. 13. v. 5. Tempus autem tempora & dimidium temporis omnes exponunt de tribus annis & dimidio. Quin & ex ipſo Textu facilè demonſtratur, ſiquidem mora mulieris in deſerto & per tempus tempora & dimidium temporis & per 1260 dies numeratur. Tres verò Anni & dimidium æquantur quadraginta duobus menſibus ſicut utriq; diebus mille ducentis ſexaginta. Palam eſt igitur Tempus tempora & dimidium temporis, Menſes 42, & dies 1260. idem tempus denotare, & proindè has quatuor Viſiones eſſe *Iſochronas.* Quidni dicam has quinq; Teſtium dividendo in *lugubriter prophetantium* & *Occiſorum*; cum tres dies & dimidium idem eſſe quod tria tempora & dimidium, fusè alibi

probaverimus. Vide Myſter. Piet. lib. 5. cap. 15. Synopſ. Prophet. lib. 1. cap. 4. Sect. 11, 12. & lib. 2. cap. 12. in ver. IX.

Supra dictarum Visionum Synchroniſmus demonſtratus.

3. Dictas Viſiones *Iſochronas* eſſe manifeſtum eſt. Quin & *Synchronas* eſſe ſic facilè patebit. *Beſtiæ* enim *inſtauratæ* & *Mulieris* in *Eremum ingredientis* idem eſt initium, nempe ſtatim à Victoria Michaëlis adverſus Draconem qui dejectus in terram, cum fugam mulieris in deſertum effuſo flumine antevertere non poſſet ſtans ſuper arenam Maris huic ipſi Beſtiæ inde aſcendenti ſuam virtutem thronum ac poteſtatem tradit ut reliquos ex ſemine Mulieris bello laceſſeret. Apoc. cap. 12. v. 13. Cum verò Mora Mulieris in deſerto, & Integrum adhuc infractumq; à decem Regibus Beſtiæ Regnum Iſochrona ſint, neceſſe eſt, ut ſint Synchrona per Axioma Synchroniſticum quintum.

Et per idem Axioma, *Regnum* dictæ *Beſtiæ* & *Luctus Teſtium* prophetantium ut & *Eorum Mors* Synchrona ſunt; ſimul enim finiuntur, ad exitum Tubæ ſextæ; quemadmodum ex verſu 14. Cap. 11. planè conſtat. Nam immediatè antecedit & Reſurrectio & aſcenſio Teſtium & decimæ partis Civitatis caſus, unde & *Luctus* & *Mors Teſtium* & *integrum* ſive *infractum Beſtiæ Regnum* quatenus infractum & integrum ſimul finiuntur, ac proinde Synchrona omnino ſunt per Axioma quintum.

Teſtes verò & *Atrium à gentibus occupatum* Synchrona ſunt ex 1. & 2. verſibus cap. 11. Ubi planè innuitur idem tempus & *gentibus Atrium conculcantibus* & *duobus Teſtibus* miſerum illum ſtatum *lugentibus* dari, porroq; ad Reſurrectionem & Aſcentionem Teſtium gentes dicuntur irâ inflammari. v. 18. Res apud omnes Interpretes in confeſſo eſt.

Quamobrem cum *Atrii conculcatio Luctui Teſtium* eorumq; *morti* nempe *Politicæ* contemporet, *Luctus Teſtium infracto integrove Beſtiæ Regno* vel Dominio, *Beſtiæ Regnum Moræ Mulieris in Deſerto*, manifeſtum eſt per Axioma ſextum ſingula ſingulis contemporare.

Beſtiæ bicornis & *Meretricis Babylonicæ* cum *Beſtia inſtaurata* contemporantium Synchroniſmus.

4. Superſunt *Beſtiæ bicornis* & *Beſtiæ inſtauratæ* item *Meretricis Babylonicæ* & ejuſdem Beſtiæ contemporationes, *Beſtiam* verò *inſtauratam* & *Bicornem Beſtiam* contemporare inde liquet, quod *Beſtia Inſtaurata* ſit *Imago Beſtiæ*, cap. 13. per *Beſtiam Bicornem* facta, hoc eſt, per *Pſeudoprophetam* formata & conſtructa, quam & animat & regit *Beſtia bicornis* ſive *Pſeudopropheta* omnemq; ejus poteſtatem exercet in conſpectu ejus adeo ut neceſſe ſit ut utriuſq; poteſtates & Dominia, quatenus Beſtialia, id eſt, Idololatrica & Tyrannica ſimul oriantur, ſimul vigeant, & ſimul moriantur ſive ex parte ſive in ſolidum. *Beſtiam* verò *Bicornem* & *Pſeudoprophetam* eundem eſſe plane conſtat ex cap. 13. v. 14. & cap. 19. v. 20. Ubi ultimus Exitus, conſummatumve exitium *Beſtiæ inſtauratæ* & *Pſeudoprophetæ* deſcribitur. Integrum verò nec dum à decem Regibus imminutum Beſtiæ inſtauratæ Imperium ac Pſeudoprophetæ Dominium ad Viſiones has *Mediales* duntaxat pertinent, ultimus exitus in *Poſtmediales* Viſiones excurrit, ut ſuo loco videbimus.

5. *Beſtiæ inſtauratæ* & *Meretricis Babylonicæ* contemporatio ſic patet, *Beſtiæ* ſcilicet *inſtauratæ* quatenus inſtauratæ, i. e. Idololatricæ factæ *Meretrix* inſidet, idq; ſimul atq; inſtauratur; ſed & decem cornua, i. e. decem Reges regna ſua accipiunt dum Beſtia inſtauratur & poteſtatem ſuam Beſtiæ tradunt uſq; ad præſtitutum tempus quo tandem oſuri ſunt Meretricem & retracturi ſuam poteſtatem (quo compages Beſtiana diſſolvitur) & corpus *Meretricis* uſturi Cap. 17. ſive id ſpeciminaliter fiat ſive totaliter. Prius ad has *Mediales* Viſiones attinet, ad *Poſtmediales* poſterius. Præterea cum *Meretrix* idem ſit quod *Beſtia bicornis*, & Beſtia *quæ erat & non eſt & tamen eſt*, idem quod *Imago Beſtiæ*, quemadmodum in Co-expoſitione noſtra abunde demonſtravimus, inde etiam liquidò patet *Meretricis* & *inſtauratæ Beſtiæ* contemporatio.

Cœtûs Virginei *cum* Meretrice *adeoq; omnium* Medialium *Viſionum* libri aperti *inter ſe contemporantium Synchroniſmus.*

6. *Cœtûs* verò *Virginei Signatorum*, cap. 14. & *Meretricis Babylonicæ* contemporatio

ratio ex ratione ἀντιστοιχίας maximè omnium eſt obvia. Nam *Beſtia bicornis*, quod dixi, & *Meretrix* idem ſunt, & è regione hi *Virgines* opponuntur *Signatis Beſtiæ* cap. 13. i.e. *Characterem Beſtiæ* manu vel fronte accipientibus, ut ſi *Patris nomen* frontibus inſcriptum habere dicuntur. Quemadmodum igitur *Beſtia* ſuos habet ſervos per totum ſuum regnum ita & *Agnus* intelligitur habere per idem Intervallum ſuos eiſdem oppoſitos, qui quatenus eis oppoſiti ſunt hic tantùm conſiderantur, hoc eſt, ſub ratione perpetuæ ἀντιστοιχίας, unde utrorumq; liquet contemporatio.

7. Itaq; cum *Cætus Virgineus* cum *Meretrice* contemporet, *Meretrix* cum *Beſtia inſtaurata*, *Beſtia inſtaurata* cum *Beſtia bicorni*, manifeſtum eſt hæc quatuor Univerſa inter ſe contemporare. At eadem Beſtia contemporabat cum præcedentibus Synchronis. Ergo omnia inter ſe contemporant per Axioma ſextum, hoc eſt, 1. *Atrium exterius* à gentibus conculcatum. 2. *Duo Teſtes* in ſacco & cilicio prophetantes. 3. *Cadavera Teſtium* per tres dies & dimidium in Platea magnæ Civitatis jacentia. 4. *Mulier Eremicola*. 5. *Beſtia inſtaurata*. 6. *Beſtia bicornis* ſive *Pſeudopropheta*. 7. *Meretrix Babylonica*. 8. Et *Cætus Virgineus* ſignatorum Agni prorſus inter ſe contemporant. Atq; hæc ſunt Synchrona *Medialia* Prophetiæ *Libri aperti*.

VISORVM MEDIALIVM TABVLA.



Duorum Synchronorum Libri Sigillati *cum octo Synchronis* Aperti *contemporantium Synchronismus.*

8. Duo adhuc reſtant quæ ſunt *Libri Sigillati*; *ſex primæ Tubæ* ſcilicet & *Cœtus* 144000, *ſervorum Dei ex omnibus Tribubus Iſraëlis collectorum & Dei Sgnaculo munitorum.* Quæ viſa præcedentibus contemporare ſic probamus. Sex *primas Tubas* cum initio *Sigilli ſeptimi* incipere ex ſupra dictis manifeſtum eſt. Cap. 2. Sect. 2. *Cœtum* verò *Virgineum* Apoc. cap. 14. & *Cœtum Iſraëliticum* Cap. 7. eundem eſſe Cœtum hinc planè conſtat, quod utriq; Signati ſint, quod in fronte ſint ſignati, quod Nomine Dei vel Patris, quodq; deniq; idem ſit Cœtûs utriuſq; Numerus (nempe 144000) qui planè Symbolicus eſt. Cœtus igitur uterq; cum reverà idem Cœtus ſint incipiunt cum Sigillo ſeptimo (uti patet ex Cap. 7. Apoc. v. 2. & Cap. 8. v. 1. 2.) ac proinde cum *ſex primis Tubis*; cumq; idem ſint Cœtus neceſſario in eundem terminum deſinunt. *Cœtus* autem *Virgineus* Synchronus eſt *Luctui Mortive duorum Teſtium* Sect. 7. ideo *Cœtus Iſraëliticus* eiſdem Synchronus eſt. *Luctus* autem *Teſtium* deſinit in finem Tubæ ſextæ, ac proinde *Cœtus Iſraëliticus* in eundem deſinit. Atq; ſic *primæ ſex Tubæ* & *Cœtus Iſraëliticus* Synchrona ſunt *Luctui Mortive Teſtium*, ac proinde Synchrona inter ſe reliquiſq; omnibus Synchronis Medialibus *Libri aperti* per Axioma ſextum. Atq; hæc de Synchronis Medialibus *perfectis.*

Medialium Mixtorum *ſeu quoquo modo* imperfectorum *Synchroniſmi.*

9. *Mixta* illa ſive quoquo modo *imperfecta Medialia* Synchrona ſunt. 1. Intervalli Eccleſiæ Pergamenſis pars longe maxima 2. Intervallum trium Angelorum. Apoc. capite decimo quarto. 3. Intervallum Angeli Threnodi *Babylonici* Apoc. decimo octavo. 4. *Thyatirenſis Eccleſiæ* Intervallum. Quantum ad primum, totius illius Intervalli principium fiximus intra Sigillum ſextum. Nam Smyrnæum Intervallum per decem Perſecutiones extenditur & ad Sigillum ſextum pertingit, quod continet eos rerum motus quibus *Conſtantinus* non ſolum Pacem, ſed & exaltationem Eccleſiæ paulò ante afflictæ paravit, inter quem primum ſtatum & degenerationem Eccleſiæ aliquem Temporis tractum intercedere oportet, quod *Sigillo ſexto* contineri manifeſtum eſt. Inſtauratio enim Beſtiæ incipit cum *Sigillo ſeptimo* ſive *Tuba prima.* Finis autem Intervalli *Pergameni* figitur in Annum Chriſti 1242. ubi finitum eſt bellum contra *Albigenſes*, ſicut memoravimus in *Expoſitione ſeptem Eccleſiarum.* Ille autem Annus incidit in Tubam quintam, annos aliquot ante res *Turcicas* quas Tuba ſexta complectitur. Intervallum verò trium Angelorum quorum primus eſt *Græci* Imperatores *Iconomachi*, ſecundus *Albigenſes*, Tertius *Lutherus* cum reliquis Reformatoribus, neceſſe eſt ut incipiat Anno ferè ſeptingenteſimo triceſimo, hoc eſt, centum ferè annis ante res *Saracenicas* Tubamve quintam, unde ejus initium in *Tuba quarta* ponendum, exitus verò in fine *Tubæ ſextæ*, tunc enim facta eſt Reformatio. Hæc eſt clariſſimi *Medi* Expoſitio, quæ ſanè ſuâ probabilitate non caret. Et ſi vera ſit nihil tamen impedit, quo minus alia κατ' ἀνατεροπλήρωσιν formari poſſit probabilior & nobilior qua de re videbimus in Synchronis *Poſtmedialibus.* Admiſsâ verò *Medi* Expoſitione de tribus Angelis conſentaneum ſane eſt ut Angelus cum Threnodia in Babylonem hic etiam ponatur, incipiatq; cum ſecundo Angelo, Viſumq; deſinat in Reformationem, poſtea verò plenius implendum. Idem autem eos habere initium eadem utriuſq; vox plane innuit *Cecidit Cecidit Babylon.* Intervallum deniq; Eccleſiæ *Thyatirenſis* exire in Reformationem ſatis clarè probavimus in *Expoſitione ſeptem Eccleſiarum*, quo Lectorem remitto. Reformationem verò *Reſurrectionem* eſſe *Teſtium* alibi probo.

Apoc. cap. 14. 8. & cap. 18. 2.

CAP. IV.

Viſionum Antemedialium Synchroniſmorum Demonſtrationes.

1. HActenus de Viſionibus *Medialibus.* Ad *Antemediales* jam pergimus. Synchrona igitur perfecta *Libri aperti* Antemedialia tria ſunt. 1. Atrium Templi & Altaris Symmetrum. 2. Mulier ſole amicta & ſtellis duodecim Coronata. 3. Draconis cum Michaële pugna de Mulieris puerperio, ejuſq; contra eam inſidiæ: *Libri* verò *Sigillati* unicum. Sex prima utiq; Sigilla. Atrii

VISORVM ANTEMEDIALIVM TABVLA.

Atrii Interioris Symmetri, Mulieris duodecim ſtellis Coronatæ, & Prælii Michaëlis cum Dracone, *cum* ſex primis Sigillis *contemporantium Synchroniſmus.*

2. Hæc quatuor Viſa ſi ab eodem tempore incipiunt & in idem tempus deſinunt Synchrona ſunt per Axioma primum. Quod in idem tempus deſinunt ſic probatur. 1. Manifeſtum eſt *ſex prima Sigilla* terminari in principium *ſex primarum Tubarum*, quippe quarum Principium eſt Principium Sigilli ſeptimi. 2. *Atrium* verò *Templi* & *Altaris Symmetrum* planè terminatur in *Atrium aſymmetrum*: *Interius* nempe *Atrium* deſinit ubi incipit *Exterius*. 3. *Mulier* verò *ſole amicta* & *duodecim ſtellis coronata*, i. e. Eccleſia purè adhuc Apoſtolica, nec Beſtiæ Draconiloquæ; c. 13. ſive Pſeudoprophetæ præceptis inſtitutiſve Idololatricis coinquinata ſic perſiſtit uſq; ad initium ejuſdem *Beſtiæ bicornis* ſive *Draconiloquæ* & in illud ipſum tempus impingit. 4. Et ultimò, *Draconis cum Michaële pugna & Inſidiæ contra Mulierem* ipſum ingreſſum Mulieris in Eremum attingunt. Apoc. c. 12. v. 13, 14. Jam verò cum *Mulier Eremicola*, *Beſtia bicornis Draconiloqua Atrium exterius aſymmmetrum* & *ſex primæ Tubæ* Synchrona ſint, principiorum horum omnium idem eſt tempus per Axioma ſecundum, & proinde quatuor hæc Viſa Antemedialia in idem tempus deſinunt.

3. Et ab eodem pariter tempore incipiunt, nempe ab ipsâ Apocalypſeos Epocha, primiſve

primisve Ecclesiæ exordiis. Primum enim ab eo tempore incipit Sigillum. Ab eo usq; tempore Mulier erat duodecim stellis coronata, soleq; amicta. Ecclesia nempe Apostolorum doctrina, Deiq; verbo illustrata. Draconis etiam sive Satanæ insidiis impetita & Angelorum ministerio adjuta, Dei calamo deniq; commensa sive Symmetra. Etenim ut *exterius Atrium* tempus Ecclesiæ calamo Dei incommensuratum significat, ita consentaneum est immò necessarium ut *Interius Atrium* totum tempus commensuratum denotet; alioqui prima Prophetia *Libri aperti* prorsus esset ἀκέφαλος & inciperet à Visione *Mediali*. Ordinem verò temporis per Structuræ alicujus corporeæ partium ordinem stylo Prophetico notari posse ex Statua *Nebuchadnezzaris* notissimum est. Quamobrem cum quatuor hæc Visa ab eodem tempore incipiant & in idem tempus desinant manifestò Synchrona sunt per Axioma primum. Deniq; cum in tempus Principiorum Synchronorum Medialium quorundam desinant, necesse etiam est ut *Antemedialia* immediata sint respectu reliquorum omnium per Axioma septimum.

Cæterùm cum hîc *Atrii interioris Symmetri* ut in præcedenti capite, *Atrii exterioris*, & passim in Scriptis meis Theologicis *Temporum* Ecclesiæ *Symmetrorum* & *Asymmetrorum* facta sit mentio, ut ne minimum Lectori superfit Obstaculum quo minùs etiam obscuriora scriptorum meorum loca summa cum facilitate ac voluptate perlegat, *Templi* & *Atriorum* ejus *Ichnographiam* ipsi ante oculos hîc ponendam censui, quemadmodum eruditissimus *Medus* in suis *Commentariis* eam depingendam curavit.

Ichnographia τῦ ἱεῦ, *id est*, Templi & Atriorum *ejus*.



Ubi

Ubi α β ipſum *Templum* eſt ſive ὁ Ναὸς. α. *Sanctum Sanctorum.* β. *Sanctum.* γ δ. *Altare Holocauſti.* Αγ. Αδ *Thyſiaſterium* ſive *Altarium* in quo Altare ſtabat. AAAA *Atrium Interius.* Totum hoc ſpacium omnia hæc comprehendens cum per calamum *Johanni* ab Angelo datum (Apoc. 11.) menſuratum eſſet *Symmetrum* dicitur; utpote quod calamo illi congruum erat vel homogeneum, juxta illud Ariſtotelis πᾶν τὸ μέτρον συγγενές. Hoc autem denotat primævum illum ſtatum Eccleſiæ quo nondum ad cultus Idololatricos degeneraverat, nec à *Verbo Divino* legitima illa omnium Rituum *norma* ac *menſura* defecerat. Hæc ſunt illa *Tempora* Eccleſiæ quæ nos tam frequenter vocamus *Symmetra*; quæ hîc, tanquam enormis illius Criminis Idololatriæ immunia, à Spiritu Sancto approbantur. Reliquum autem ſpacium nempe BBBBBBB quod eſt *Atrium exterius* quaſi rejectaneum ac prophanum repreſentatur, utpote de quo dicitur, *Ejice foras*, quippe quod conculcandum foret à *Gentibus*, i.e. Novo quodam *Gentiliſmo* ac *Idololatria* conſpurcandum contra Dei Verbum, quæ *vera* eſt omnium, uti dixi, Rituum Chriſtianorum *menſura*, ad quam cum hæc Eccleſiæ tempora minimè quadrent rectè appellantur *Aſymmetra.* Tam aptè denotant hæc *duo Atria* duos illos diſſimiles Eccleſiæ ſtatus: Sed & ordinem non ſolùm *Dignitatis* ſed *Temporis* etiam ſignificant. *Interius* enim *Atrium* ante erat quàm *Exterius*; Eademq; inter *Atrium Interius* & *Exterius* (nempe 2 ad 7, ſiqua *Villalpando* fides) atq; inter *Tempora* Eccleſiæ *Symmetra* & *Aſymmetra* eſt Ratio. Quod ſuo loco notabitur.

Intervallorum Epheſini & Smyrnæi *cum* ſex primis Sigillis *partialiter contemporantium Synchroniſmus.*

4. Reſtant duo tantum Viſa *Antemedialia*, Intervallum Eccleſiæ *Epheſinæ* & Intervallum *Smyrnææ*, Intervallum *Epheſinæ* Eccleſiæ à prima Apocalypſeos Epocha incipit & deſinit in decimum Annum *Neronis* qui eſt Initium Intervalli *Smyrnæi*, Illic enim incipiunt decem Perſecutiones, Intervalli *Smyrnæi* Character peculiaris. De exitu autem Intervalli *Smyrnæi* jam dictum eſt in Synchronis *Medialibus.* Sect. 9. c. 3. *Epheſini* verò exitus neceſſario intra Sigillum primum reperitur; ſiquidem *Sigillum* illud *Johannis* Apoſtoli morte & generali Oraculorum per Orbem terrarum obmuteſcentiâ clauditur, ac proinde ad Annum ferè Chriſti centeſimum protenditur, cum annus decimus *Neronis* in annum Chriſti ſexageſimum tertium incidat; Adeo ut, ſi Reſurrectio Aſcenſiove Chriſti Apocalypſeos ſtatuenda ſit Epocha; Intervallum *Epheſinum* vix dimidiam quidem primi Sigilli partem occupet. Vide Doctiſſimum *Medum* in Sigillum primum, noſtramq; *ſeptem Eccleſiarum Expoſitionem.*

CAP. V.

Poſtmedialium *Viſionum Synchroniſmorum Probationes.*

1. VEnimus jam ad Viſa *Poſtmedialia*, quæ omnia clangoris *Tubæ Septimæ* Intervallo comprehenduntur. Quod ſpatium *Septem Tonitrua* in Prophetia *Libri Sigillati* implere ſatis ſuprè confirmavimus. cap. 2. ſect. 4. Quid verò ſingula *Tonitrua* ipſa ſignificent, non tantum mihi aſſumo ut quoquam modo definiam. Hunc verò inter alios uſum habere poſſe, ut ſint diſtincta Intervalla, quibus totidem Principalia Viſa Antiſynchrona in Prophetia *Libri aperti* reſpondeant vix quenquam puto addubitaturum, nempe ſi totidem Viſa unâ ſerie à Principio hujus Intervalli ad finem procurrentia, in hac etiam Prophetia inveniri poſſint. Quæ quidem me reperiſſe minimè dubito, eaq; eſſe quæ ſupra recenſui. 1. *Effuſionem* ſcilicet *ſeptem Phialarum.* 2. *Novæ Hieroſolymæ de Cœlo deſcenſionem.* 3. *Chriſti Regnum millenne in terris integrum firmumq; cum prima incipiens Reſurrectione.* 4. *Solutionem Satanæ.* 5. *Dilectæ Civitatis obſidium per Gogum & Magogum.* 6. *Chriſti adventum ad Judicium incipientem cum Reſurrectione Univerſali.* 7. *Et Terræ deniq; conflagrationem.* Hæc ſunt ſeptem *Antiſynchrona principalia* ſeptem Tonitruis pari paſſu è regione reſpondentia. De quibus nullam ſpero fore difficultatem poſtquam *primum Antiſynchronorum* ſextam Tubam immediatè conſequi confirmavero.

Septem

VISORVM POSTMEDIALIVM TABVLA.



Septem Phialarum *cum* Primo Tonitruo *contemporantium Synchroniſmus.*

2. Quod ſic expedio. Primùm, oſtendendo quam infirma ſint argumenta eorum qui maximam partem *Phialarum*, quinq; putà, ſexve primas ante *Tubam Septimam* collocant. Tota enim argumentorum vis huc demum redit; quod ipſo ferè initio Tubæ ſeptimæ dicuntur *Regna Mundi facta eſſe regna Domini noſtri Chriſtiq; ejus qucdq; regnaturus ſit in ſecula ſeculorum*, Apoc. cap. 11. v. 15. Quod tamen fieri non poteſt ante Beſtiam perditam, cui perdendæ Phialæ inſerviunt, nec tamen Thronus ejus ante quintam effuſam tenebreſcit. Ergo *ſex* ſaltem effunduntur ante *Tubam ſeptimam.* Ad quod breviter reſpondeo, voces illas è Cœlo cap. 11. v. 15. Fauſtas duntaxat eſſe acclamationes *ad reſurrectionem aſcenſionemq; Teſtium*, pignus ſcilicet *Imperii* Chriſti *Univerſalis* clangente *Tuba ſeptima* obtinendi, non quidem in ipſo initio illius Tubæ, ſed poſt *ſeptem Phialas* intra hanc *Tubam ſeptimam* effundendas, quas in ipſo initio Tubæ omnes effundi nemo cogitaverit. Equidem rem tantam tamq; moliminoſam tantillo tempore peragi poſſe incredibile eſt. Beſtiam verò in ipſo initio hujus Tubæ perditum iri, ex verſu 6. cap. 10. falsò colligunt, dum ὅταν μέλλῃ σαλπίζειν reddunt, cum *cœperit clangere*, uti etiam καὶ τελεσθῇ, omittendo καὶ, vertunt *conſummabitur* Myſterium Dei, quaſi ſimul atq; cœperit Angelus clangere omnes illæ præclaræ prædictiones de *Univerſali Regno* Chriſti eſſent implendæ, cum tamen

tamen ὅταν μέλλῃ σαλπίζειν καὶ τελεσθῇ τὸ μυστήριον τοῦ θεοῦ rectiſſimè reddatur (quod & ſupra notavi) *Quando futurum eſt ut clangat & conſummatum fuerit Myſterium Dei* nempe in plenâ perditione Hominis peccati & erectione Univerſalis Regni Chriſti. Acciſum autem erat & minutum etiam à decem Regibus, Regnum Beſtiæ ſive Antichriſti in *Reſurrectione & Aſcenſione Teſtium*, ita ut Regnum ejus quantum ad illius plenitudinem & *Integralitatem* (ut ſic loquar) cum *Tuba ſexta* exierit.

SEPTEM PHIALARVM
TABVLA.



3. Nulla igitur ſolida eſt ratio cur *ſex primæ Phialæ* ſub *Tuba ſexta* collocentur. Nos verò intra *Tubam ſeptimam* omnes collocandas eſſe ſic probamus. Primò magis congruum eſt, ſicut *ſeptem Tubæ Sigillo ſeptimo, ſeptemq; Tonitrua Tubâ ſeptimâ*, ita ut *ſeptem Phialæ* extremorum Tonitruorum alterutro includantur, non autem in diverſa diſtrahantur, ſchemaq; *Apocalypticum* tam difformi luxatione deturpent.

Deinde *ſeptem Phialæ* dicuntur ſeptem *ultimæ* Plagæ, quibus conſummetur ira Dei cap. 15. 1. Ad quam *Tubam* igitur rectius referri poſſunt quàm ad *ultimam*. De omnibus enim dicitur quòd *ultimæ* ſint, ſicq; appellari, reſpectu *ſex Tubarum*, Adverſarii etiam fatentur. Finiri igitur nullæ earum debent ante finem ſex Tubarum. At quinq; ſaltem ſi non ſex finiuntur ante finem Tubæ ſextæ, juxta horum Hypotheſin. Aut igitur ultimæ non dicendæ ſunt, (quas tamen ſic vocat Spiritus S.) aut poſt ſextam Tubam collocandæ.

Tertiò deniq; Apoc. cap. 15. Manifestum est primum illius capitis versum *Titulum* quasi esse, immò *merum* Titulum *Visionis Phialarum*, quæ amplissimis circumstantiis postea per totum illud caput caputq; decimum sextum deducitur. Introducitur autem Visio cum Hymnodia & gratiarum actione Citharistarum ob insignem aliquam victoriam vel liberationem Populi Dei à servitute planè Ægyptiaca, hoc est, quorundam, procul dubio, populorum regnorumve à *Romani Pharaonis* jugo, *non* autem *omnium*; quod & ipsum Canticum innuit, v. 4. ut & hoc eximium esse *specimen* Judicii Divini adversus *Ægyptum Mysticam*, *majoriq;* Regni Christi *amplificationis pignus*.

Post verò hanc Hymnodiam *Mosaicam*, v. 5. ubi ea verba occurrunt, καὶ μετὰ ταῦτα ἤνοιγη, expressè dicitur *Templum Tabernaculi Testimonii in Cœlo apertum esse*, septemq; Angelos plagas septem habentes inde exire. Deinde autem cap. 16. septem suas Phialas ordine effundunt. Ubi in septima mentio fit *vocis è Throno exeuntis*, v. 17. qui Thronus idem est quod *Arca Testamenti*. Statim verò insequuntur *fulgura, & Tonitrua, & Voces, ingensq; Terræ motus, & immanis grando*.

Atq; hinc manifestum est ante magnam aliquam victoriam liberationemve Populi Dei ab *Ægyptiaca*, i.e. *Pontificia servitute* hanc Hymnodiam non cani, & nullam ante cantatam Hymnodiam egressumq; Angelorum è Templo Phialam effundi. Dicit enim καὶ μετὰ ταῦτα εἶδον, nempe post cantatum hoc *Epinicion*.

4. Hymnodiam verò hanc cantari, & Angelos è Templo egredi post sextam Tubam liquidò mihi videtur constare ex cap. 11. à versu 11. ad finem capitis. Ubi res gestæ rebus horum duorum capitum viz. 15. & 16. planè ex-amussim respondent. Ibi enim à versu 11. ad vers. 14. mirifica narratur liberatio Populi Dei sub figura *duorum Testium* occisorum in *Ægypto* (quod cum Cantico illo *Mosaico* cap. 15. optimè convenit) & ad vitam resurgentium ascendentiumq; in Cœlos ingenti interim clade in *Ægyptum* inflictâ. Quibus statim subjungitur v. 14. Væ secundum abiit, id est, Tuba sexta. Hujusmodi autem cladem aliquam in Hostes victoriamq; supponit Hymnodia Citharistarum, imò planè commemoratur, cap. 15. v. 2. Statim verò atq; clangit Angelus septimus, præter acclamationes illas è Cœlo de futuro Christi successu, *Doxologia* continuò sequitur *Seniorum* (quæ *Hymnodiæ* sive Ἐπινικίῳ *Citharistarum* respondet) usq; ad versum 19. Quemadmodum vero cap. 15. *Citharistarum Hymnodiâ finitâ* statim mentio fit *apertionis Templi Tabernaculi in Cœlo*, ita & hîc statim post *Doxologiam Seniorum* dicitur, *Et apertum est Templum Dei in Cœlo*. Quod proculdubiò dictum est datâ operâ, ut intelligamus idem utrobíq; significari, indeq; colligamus Angelos *non exire*, nec Phialas effundere *nisi post Tubam sextam*. Porro ut Cap. 16. in effusione Phialæ septimæ vox dicitur audiri *de Templo Cœli à Throno*, ita hîc *Arca Testimonii Domini*, quæ est ejus *Thronus*, conspici; & quemadmodum illic *Fulgura fieri, & Tonitrua, & Voces, & Terræ motus, Grandóq; Talentaria*, ita & hîc & *fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna*. Quæ certiora esse possunt Visionum eodem spectantium Indicia sive Vestigia? Manifestum igitur est omnes *Phialas* post *Resurrectionem Testium* imò post *Doxologiam Seniorum* quæ cum *septima Tuba* incipit, effundi. Quod oportebat demonstrare.

Reliquorum sex Antisynchronorum *cum sex reliquis* Tonitruis *contemporantium Synchronismus*.

5. Jam verò cum tam clarè constet *Effusionem Phialarum Antisynchronon* esse *primi Tonitrui*, de sex reliquis nulla erit difficultas. *Descensionem* enim *Novæ Hierosolymæ à Cœlo* continuò sequi planè innuitur cap. 21. v. 9. ex eo quod Angelus ultimæ putà Phialæ effusor, quâ Bestiam, i. e. *Bestianam Politiàn* perdidit, *Novam Johanni* ostendit *Hierosolymam* descendentem cælitùs à Deo. *Novam sanctamq; Politian*, æquissimam, justissimam, puréq; *Apostolicam* (sicut & *Nova hæc Hierosolyma* numero *Duodenario* in solidum undiq; nititur) cælitùs à Deo descendentem, i.e. ab hominibus cœlesti ingenio præditis, Divinóq; Spiritu imbutis constitutam. Per Descensionem igitur Novæ Hierosolymæ, æquissimarum legum, vitæq; ac doctrinæ Apostolicæ ad amussim congruentium, in magno aliquo Concilio verè Sancto veréq; Oecumenico, quos *Spiritus Sanctus cælitùs* in eos delapsus dirigat, celebratissimam intelligo sanctionem. Hæc est ipsa *descensio sanctæ Urbis de Cœlo*; *Antisynchronon* utiq; secundum. Hanc autem continuò excipit *Imperium Christi Millenne*, Judiciumq; statim juxta has leges exercetur. Atq; hoc est *Antisynchronon* tertium. Apoc. cap. 20. v. 4.

Post

Poſt Millennii verò exitum *Satanam è carcere ſuo ſolutum iri* apertè indicatur. v. 7. Quod eſt *Antiſynchronon* quartum.

Aliquanto verò poſt eò res devenit ex hac *Satanæ ſolutione* ut *dilecta Civitas* obſideatur à *Gogo* & *Magogo*. Ut ſancti utiq; in anguſtias redigantur ab Idololatris ab Injuſtis atq; Impiis, v. 9. Quod eſt *Antiſynchronon* quintum.

Interponit verò ſe Chriſtus veniens ad Judicium, qui pro Tribunali ſedens univerſos judicat, bonos maloſq; vivos pariter atq; mortuos in Univerſali ſcilicet Reſurrectione, v. 11, 12, 13. Quod eſt *Antiſynchronon* ſextum.

Sententiæ deniq; *Executio* in malos apertè memoratur, v. 14, & 15. ſupraq; præinnuitur in calce verſus Noni: Hæc eſt *Telluris Conflagratio*, quod eſt *Antiſynchronon* ſeptimum. Quodq; apertiſſimâ ratione reſpondet *Tonitruo ſeptimo* Phyſicè propriéq; ſic intellecto, quemadmodum & *Reſurrectio ultima* & *univerſalis* ſic intelligitur, non autem *Ethicè* aut *Politicè*. Vides quam naturali nexu omnium horum *Antiſynchronorum* ordo cum ſuis *Tonitruis* inter ſe cohæreat.

Synchronorum cum Antiſynchrono *primo ſive ſeptem Phialis tum plene tum ex parte contemporantium Synchroniſmus.*

6. Videamus jam de Synchronis *Antiſynchronis* his ſeptem ſubnexis, primóq; de Synchronis *Antiſynchroni* primi. Quorum perfecta quidem duo ſunt *Doxologia Seniorum* cum *Phialarum compendio* & *Præconiorum trium Angelorum deuteropleroſis*. De priori conſtat ex ſuprà dictis ſect. 4. Idem verò ſibi ipſi æquale eſſe manifeſtum eſt. De *deuteropleroſi* autem ambigi poteſt an ſit admittenda, de admiſſæ æqualitate cum ſeptem Phialis minimè poteſt, ſiquidem tres illi Angeli non ſunt tres ſingulares Perſonæ ſed trium cœtuum iſtiuſmodi hominum ſucceſſio. Admitti verò hanc δευτεροπλήρωσιν, etiam ſuppoſitâ priori Impletione & Interpretatione & poſſe & debere mihi hinc conſtare videtur, ex eo quod multo ſit illâ alterâ concinnior. *Deuteropleroſis* enim hæc incipit poſt tempus ἀντιστοιχίας, cœtûs Virginei ut & Viſio hæc ſequitur eundem Cœtum. Altera verò Expoſitio retrahit hanc Viſionem trium Angelorum verſus initia temporum Cœtus Virginei, quod duriuſculum videtur. Præterea prior Interpretatio ut quæ aliquanto anteit Reformationem, immenſum nimis Intervallum relinquit inter exitum Præconii trium Angelorum & vocem de Cœlo. c. 14. v. 13. dicentem, *Beati mortui qui in Domino moriuntur, &c.* ubi planè innuitur primam Reſurrectionem inſtare fructumq; Teſtimonii fidelium Martyrum Chriſti adverſus Antichriſtum mox in terris ob pacem & ſecuritatem Eccleſiæ Evangelicæ eorum opera reſtitutam uberrimo modo perceptum iri. *Deuteropleroſis* autem hæc in ea uſq; tempora res deducit, nempe ad ultimam uſq; Phialam ubi Poteſtas Beſtiana funditus ſubvertitur.

7. Imperfecta *Antiſynchroni* primi Synchrona ſunt. 1. Intervallum *Sardianum*, quod incipere cum *Phialarum effuſione* & in Phialam ultimam deſinere in *Expoſitione ſeptem Eccleſiarum* clarè oſtendo, *Sardin* verò *Canticum Lætitiæ* ſignificare, quod præclarè cum *Hymnodia Chariſtarum* & *Seniorum Doxologia* convenit. Sed non opus eſt hæc repetere. 2. Secundum eſt, *Angelus cum Threnodia in Babylonem*, Apoc. 18. (Quamvis enim plurium ibi Angelorum fiat mentio, unius tamen Angeli videtur aut continuata aut ſubinde reſumpta Narrationis ſumma) quem cum ſecundo tertioq; trium Angelorum contemporare manifeſtum eſt ex verſu 2. c. 18. propter *idem Præconiorum* initium & in finali Babylonis exitio enarrando moram. 3. Tertium eſt, Viſio *Meſſis & Torcularis* quæ cum *ſexta ſeptimaq; Phiala* contemporat, utpote quarum exitus idem eſt, conſummata ſcilicet Beſtiæ perditio. *Meſſiſq;* & *Sextæ Phialæ* (quæ ſpem præbet convertendorum Regum Orientis) natura congener non obſcurè innuit idem utriuſq; eſſe initium. 4. Eademq; ratio eſt de *Sponſæ præparatione* & *Equi albi Seſſoris prælio*. Nam præparatio Sponſæ convertendis illis Regibus Orientis reſpondet, & exitus *prælii Seſſoris Equi albi* eſt plena poteſtatis Beſtianæ abolitio quemadmodum & Phiala ultima. Itaq; *præparatio Sponſæ* & *Prælium Seſſoris Equi albi* ſextæ ſeptimæq; Phialæ contemporat.

Synchronorum Antiſynchrono *ſecundo tertioq; tum ſingulis tum Conjunctis contemporantium Synchroniſmus.*

8. *Antiſynchroni* ſecundi unicum perfectum ſive adæquatum Synchronum eſt, *Apprehenſio* ſcilicet *Satanæ* catenæq; ipſi quaſi injectio; quam ipſa rei natura docet *Deſcenſioni Novæ Hieroſolymæ*, i. e. optimarum legum conſtitutioni contemporare.

VISORVM POSTMEDIALIVM TABVLA.



Antisynchroni tertii unicum etiam est Synchronum perfectum, *Incarceratio Satanæ in Abyssum*, quæ est inviolabilis legum millennis Imperii observatio: *Tu reges eos sceptro ferreo &c. Incarcerationem Satanæ* millenni Christi Imperio firmo vegetoq; contemporare, tum ex rei natura tum ex versu 3. cap. 20. Apoc. planissimè constat. Unde etiam manifestum est *millenne Imperium* Christi non incepisse ante Tubam septimam; Quoniam ex ipsa natura Visionum tum *Antemedialium* tum *Medialium* planè constat Satanam per totum illud tempus liberum fuisse ac solutum. Vide Clavem Eruditissimi *Medi*, ubi hoc Argumentum per quam solidè fuséq; tractatur.

Antisynchronorum deniq; secundi tertiiq; simul sumptorum unicum hoc statuimus Synchronum, *Turbam* nempe *Palmiferam*, quam malui cum Regno Christi firmo vegetoq; finire, quam in langorem, soluto Satanâ, *Laodicenum* producere. *Palmiferorum* enim Descriptio, cap. 7. v. 9, 10, *&c.* isti conditioni haud ita convenit nec altiori eorundem exordio.

Intervalli Philadelphiani *cum* Phiala septima Antisynchronoq; secundo *ac* tertio *contemporantis Synchronismus.*

9. *Phialæ* verò *ultimæ* ac *secundi tertiiq; Antisynchroni* Synchronum statuimus Intervallum *Philadelphianum*, etiamsi res versuum 13, 14, 15, & 16. cap. 16. (quod certè

certè ratione omnium veriſimillima fit) rebus ultimæ Phialæ adnumeremus. Subeſt enim *Iconiſmorum Metallaxis* quam ſuo loco explicavimus. Intervallum autem *Philadelphianum* ſic contemporare ex eo patet, quod Chriſtus huic Eccleſiæ promittit ſe eam conſervaturum adverſus tentationis horam toti orbi eventuram. Apoc. 3. 10. Quod planè arguit Eccleſiam hanc in *ultima Phiala* extituram eſſe, inter magnos eos rerum motus ac mutationes quæ figurantur ingenti illo terræ motu ſub ea Phiala. cap. 16. v. 18, 19. Sed & in ipſo initio hujus Phialæ extituram porrò liquet, cum id quod primum omnium commemoratur in Epiſtola ad eam Eccleſiam, ſit parvis ſuis copiis ingentis ſucceſſus promiſſio. Quo mihi innui videtur, partem hanc fore exercituum *Seſſoris Equi albi.* Quos *ſeptimæ Phialæ* contemporare ſupra probatum eſt. Ante hoc tempus verò à paucis illis nominibus *Sardianis Philadelphianos* diſtingui, nulla ſatis firma ſuppetunt argumenta.

Philadelphianum verò Intervallum in quartum *Antiſynchronon* impingere ex rei natura innoteſcit. Soluto enim Satanâ laxatur ardor *Philadelphianus* & in teporem *Laodicenum* incipit flacceſcere, quanquam externa forma *Philadelphiæ* ad finem uſq; Mundi perſiſtit.

Novæ Hieroſolymæ durationis Turbæq; ex ea improbæ Excluſionis *cum* Antiſynchronis *tertio, quarto, quinto, ſextoq; contemporantium Synchroniſmus.*

10. Nam & *Antiſynchronorum* tertii, quarti, quinti, ſextique Synchronum eſt *Novæ Hieroſolymæ conſtitutæ duratio.* Obſidetur enim à Gogo & Magogo ſub *Antiſynchrono* quinto nec ante ſeptimum infertur *conflagratio.* Quamdiu autem Civitas manet tamdiu ex eâ excluditur *Turba apertè improba & Idololatrica.* Apoc. c. 22. v. 15. Satis clarè igitur conſtat de duobus hiſce *Antiſynchronorum* tertii, quarti, quinti, ſextiq; Synchronis.

Intervalli Laodiceni *cum quarto, quinto atq; ſexto* Antiſynchrono *contemporantis Synchroniſmus.*

11. *Antiſynchronorum* quarti quinti atq; ſexti unicum eſt Synchronon, Intervallum ſcilicet *Laodicenum.* Quod neceſſariò incipit ubi *Philadelphianum* deſinit, extenditur autem uſq; in ſextum *Antiſynchronon.* Tum quod ſolenne ibi Chriſtus judicium exercet, quod & nomen *Laodiceæ* innuit, ſicut in *Expoſitione ſeptem Eccleſiarum* notavi, tum quod Terra non concrematur ante ſeptimum.

Antiſynchroni ſeptimi Synchronon.

12. Solum jam ſupereſt *Antiſynchroni* ſeptimi Synchronum, *conſummata* ſcilicet *Salus Sanctorum*, ipſorumve in Cœlos Remigratio. Quod tametſi obſcurius ſubindicetur, nolui tamen omittere. Subindicatur autem cap. 20. v. 15. ubi planè ſupponitur, eos qui in *Libro Vitæ* ſcripti inveniuntur, non conjici in ſtagnum igneum, cum igitur *tota Terra* tunc ardeat *Sanctos* in *Cœlum* recedere neceſſe eſt, ne eodem cum impiis obruantur incendio. Idem etiam ſignificari ſuſpicarer verſu primo Capitis proximi niſi elegantiſſimam *Lemmatoſynechiam* eſſe cenſerem, & *Politice* exponi debere, quanquam externus cortex novam Terram novumq; Cœlum loco veterum igne peremptorum indicare videtur, Cœleſtem ſcilicet Patriam ubi nullum Mare ſed Pax & quies æterna. Omnium verò apertiſſimè traditur in Epiſtola ad *Laodicenſes* Apoc. 3. v. 21. *Qui vicerit ei dabo mecum in meo ſedere ſolio, ut ego quoq; victor conſedi cum meo Patre in ejus ſolio.* Dei Patris verò ſolium Cœlum eſt. Vide *Expoſitionem ſeptem Eccleſiarum.* Addemus tandem non nihil de *Epocha* Viſionum Apocalypticarum deq; vera & authentica temporum numerandorum menſura & poſtea concludemus.

CAP.

CAP. VI.

De EPOCHA *Visionum Apocalypticarum deq; Vera & Authentica Temporum numerandorum Mensura.*

1. MIrum (idq; meritò, si ita res haberet) aliquibus videtur, nullam certam *Epocham* à Spiritu Sancto vaticiniis Apocalypticis apponi, sed omnia, ob incertum exordium, quantum ad temporis rationem fluctuare permitti, cum tamen Visa principalia, quibus multa alia Synchrona sunt & ad quæ reliqua omnia tanquam aut antecedentia aut consequentia referri possunt certis temporum numeris definiri videantur, nec tamen ulla Epocha præfigi. Contra planè atq; factum est in Hebdomadum Danielis Vaticinio, ubi Epocha ab exitu mandati ad condendam civitatem expressim vaticinio apponitur. Hîc verò à quo principio exordiendum sit, utrum à *Nativitate* Christi, an ab illius *Passione* Anno 33. an verò ab *Excidio Hierosolymitano* Anno 70. an deniq; ab ipso tempore quo hæc *Johanni* facta est *Revelatio*, puta Anno 94. Viri Eruditi ad hodiernum usq; diem dubitant. 2. Mihi verò admodum incredibile videtur Spiritum Sanctum in *Systemate Prophetico* cætera tam perfecto compositoq; rem tanti momenti omittere voluisse; Ac proinde & præfixisse *Epocham* & *talem* quidem, quæ rerum prædicendarum naturæ maximè conveniat, & *tali demum loco* extare qui ei rei maximè sit opportunus, affirmatissimè contendo, Capite scilicet decimo septimo Apocalypseos, quod clavem quasi continet totius hujus compaginis Vaticiniorum. In hoc loco opportuno & congeneri extat planè *Epocha* eorum Visorum (*Medialium* scilicet) quæ certâ temporis mensurâ definiuntur; nec id solum, sed & *utilis* admodum & quæ *rerum prædicendarum naturæ* maximè *convenit*. *Utilis* quidem, cum ea tempora denotet quibus Ecclesia incipit in Ritus Idololatricos Paganicosq; apostatare, de quibus temporibus moneri Christianorum magis intererat, quàm à quo anno *Antemediales* Visiones ineant. Magisq; consentaneum erat eis Visionibus Epocham præfigi quarum tempus apertis memorationibus definitum est, cujusmodi sunt *Mediales*, quàm eis quarum duratio numeratione aut nulla aut admodum obscura significatur. Ejusmodi autem sunt Visiones *Antemediales*.

3. *Epocham* verò hanc quam innuimus *rerum prædicendarum naturæ maximè congruere* dico, propterea quod satis laxam habet latitudinem, ut & res ipsa, exordium utiq; dictæ Apostasiæ, quod per hanc *Epocham* indicatur. Neq; enim uno anno patefacta est hæc Apostasia, sed paulatim serpsit, emersitq;, nempe intra spacium quo *decem Reges regna sua accipiunt*. Atq; illud ipsum spatium est hæc Epocha in Apocalypsi satis apertè significata. Cap. 17. v. 12. *Et decem cornua quæ vidisti decem Reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam Reges unam horam accipiunt cum Bestia*, i.e. Circa eadem tempora quibus Imperium Romanum in decem Regna dividitur repullulascit etiam in eo sub novis Nominibus pristina Idololatria Paganica, itaq; fit *imago Bestiæ*, sive *Bestia quæ erat non est & tamen est*. Cap. 13. 14. Cap. 17. 8.

4. Acceptio autem non dicam, sed captatio horum Regnorum incipit ab Anno 365, anno illo ominoso & mirabili ob ingentem illum terræ motum quo aquæ marinæ tanta in terram mole inundabant, ut naves ædium culminibus inhærentes relinquerint. Quo prodigio Barbarorum in Romanum Imperium statim inundantium significabatur Irruptio. Acceptio verò Regnorum in Annum 455. definit, ita ut totum hujus Epochæ spacium nonaginta ferè annos compleat. Hæc certè notabilis est hujus Epochæ Apocalypticæ laxitas. (Vide Josephi Medi Apostasiam novissimorum Temporum. Part. 1. cap. 14.) Quæ & alteri difficultati lucem est allatura. Interea loci non abs re erit notare etiam eos qui nullam in Apocalypticis peritiam affectant aut profitentur, unanimiter ferè statuere Relapsum Ecclesiæ in ritus Idololatricos annis circiter 400. post natum Christum contigisse.

5. Qualem Epocham, quibusq; eam Visionibus Spiritui Sancto visum sit præfigere, satis jam liquet. Restat ut videamus, quænam sit vera ac Authentica harum Visionum (*Medialium* scilicet) à sua communi Epochâ per partes temporis dimetiendarum ratio. Nempe, an spatium durationis mensurandum sit per *partes septimas*, quas *Tempus Tempora* & *dimidium Temporis*, & *tres Dies* & *dimidium* innuere videntur, an verò per partes *milleſimas ducenteſimas ſexageſimas*, quas 1260. dies innuunt, an deniq;

deniq; per *quadrageſimas ſecundas*, quas Menſes 42. indigitant. Quantum ad me ego nullus equidem dubito, quin per primas numerandum ſit, *parſq;* durationis *ſeptima* ſit menſura vera & Authentica per quam ſingularum *Viſionum Medialium* duratio ſit metienda. Quod ſic ſtatuo ob has Rationes ſequentes.

6. Primò, cum *ſemi-tempus* pars ſit ſeptima Temporis temporum & dimidii temporis, palam eſt primam & antiquiſſimam menſuram hujus ſpatii Viſionum *Medialium* apud *Danielem* eſſe *partem ſeptimam*. Quòd autem idem tempus ſolvitur in partes *quadrageſimas ſecundas*, & in partes *milleſimas ducenteſimas ſexageſimas* id fieri videtur ornatûs tantummodo gratiâ, ut & per menſes & dies numerari poſſit, & ut Tempus & Tempora & Dimidium Temporis tria omnino Tempora & dimidium continere *plenius* poſſit conſtare. Vide Synopſin Propheticam lib. 1. Cap. 4. Sect. 11.

Deinde per *ſeptimas* has partes, rejectis *milleſimis ducenteſimis ſexageſimis*, & *quadrageſimis ſecundis*, ut quid in reliquis fieri oportet nos doceat, datâ operâ videtur Spiritus Sanctus duorum Teſtium Mortem Luctumq; numerare, dum ait occiſos Teſtes, poſt tres dies & dimidium (ubi dies idem quod tempus eſt) i.e. poſt *ſeptem ſemi-dies* vel *ſeptem ſemi-tempora*, reſurrexiſſe. Dico ſic formatam eſſe eam Teſtium Viſionem, ut Numeratio temporis eorum tandem fieri poſſit per *partes ſeptimas* & ſecundum eum ſenſum terminari. Quod igitur perinde verum eſt de reliquis Synchronis Medialibus. Numerationem verò per partes *Milleſimas ducenteſimas ſexageſimas* ſola affectat humana curioſitas; Minimè verò eam ſuggerit Veracitas Divina, quæ utilia non curioſa hominibus ſolet impertire.

Deniq; valdè ineptum videtur atq; abſonum, cùm ipſa Epocha horum Synchronorum *tantam* habeat *latitudinem* & *tam laxam*, ut ipſum Intervallum ab Epocha deductum per partes tam *minutas* menſuretur; Epocha enim quanquam minor parte, per quam totum Intervallum menſuramus, eſſe poteſt, nunquam tamen poteſt eſſe major, & tamen duplo major erit & amplius, ſi annorum Menſibus, nonagecuplò vel minimùm ſexagecuplò, ſi annis ſpacium metiamur. Et niſi annis metiri licuerit, vix quiſquam, credo, de menſibus contenderit, ſed facilè recurret ad *ſemi-tempora*. *Semitempore* verò vel *Semidie* verâ & Authenticâ menſurâ dicti ſpatii conſtituto, ut manifeſtum eſt Reſurrectionem Teſtium jam præteriiſſe, nempe poſt *ſeptimum Semidiem currentem*; ita poſt *ſeptimum excurſum*, & intrà, *currentem octavum* (qui ab extrema parte dictæ Epochæ ordiendo, ad milleſimum octingenteſimum trigeſimum ferè annum excurrit) res quintæ Phialæ à *Joſepho Medo* deſcriptæ ſi contigerint, *Deuteropleroſis* eſſe poterit *Reſurrectionis Teſtium*; quanquam prima, maximéq; propria illius Viſionis Impletio, & quæ Effuſionem Phialarum antecedit, jam præteriit, nunquam denuò, propter Phialarum Effuſionem integro diſtinctóq; ordine nunquam rurſus effundendarum, repetenda.

7. Atq; hæc breviter de *menſura numerandæ Durationis* Synchronorum *Medialium*, ac principali unicáq; Apocalypticarum Viſionum *Epocha* à Spiritu Sancto notata, totoq; adeò ordine Viſionum Synchroniſtico, qui multùm memoriam adjuvabit.

Cæterùm, addam prætereà *Verſiculos* aliquot, quo certius ac facilius hunc Viſionum Ordinem memoriæ infigas, paucos quidem eos, ut qui Novenarium non accedunt, ſed huic rei ut ſpero apprimè utiles. *Monoſtichia* duo, duo *Diſticha*, *Triſtichum* autem unum.

Monoſtichium Septem Eccleſiarum ſeriem continens.

1. *Eph.* 2. *Smyr.* 3. *Per.* 4. *Thya.* 5. *Sar.* 6. *Philadelphia*, 7. *Laodicea.*

Eccleſiam *Epheſinam*, *Smyrnæam*, *Pergamenſem*, *Thyatirenſem*, *Sardenſem*, *Philadelphienſem*, & *Laodicenſem*, quæ ſeptem Intervalla totum tempus Apocalypticum, complent, ſatis apertè hoc *Monoſtichion* indicat.

8. *Filum* autem *illud principale Apocalypſeos* quod idem tempus percurrit, ſeriémq; Viſorum omnium *Libri Sigillati* ſuſtinet, duo *Diſticha* unumq; *Triſtichum* delineant.

Diſtichum prius ſex prima Sigilla continens.

1. *Albo eſt Arcus Equo.* 2. *Rufo Enſis.* 3. *Libra Nigello.*
4. *Pallenti Mors.* 5. *Ara Animis.* 6. *Concuſſio Mundo.*

Primi Sigilli Viſum eſt *Equus Albus* cujus ſeſſori arcus in manu eſt &c. Secundi, *Equus rufus* cujus Seſſor Enſem habet magnum &c. Tertii, *Equus niger* cum Seſſore manu

manu ſtateram tenente &c. Quarti, *Equus pallidus* cujus Seſſor eſt Mors, ejuſq; Comes Infernus. Quinti, *Animæ interfectorum* ob Teſtimonium Jeſu ſub Altari vindictam petentium, Sexti Σεισμὸς μέγας *ingens Mundi motus* ita ut Sol tenebreſceret, Stellæ in terram caderent, Monteſq; dimoverentur. Hæc ſunt ſex prima Sigilla hoc Diſticho contenta. Septimum verò facilè memineris ſeptem eſſe Tubas, quarum ſex primæ hoc diſticho continentur.

Diſtichum poſterius ſex primas Tubas continens.

1. *Grando*, 2. *Mons Ardens*, 3. *Lampaſq; Abſynthina*, 4. *Cœli Tertia pars percuſſa*, 5. *Locuſtæ*, *Eques Euphratæus.*

Primæ Tubæ Viſum eſt *Grando* & Ignis mixta cum ſanguine. Secundæ *Mons magnus ardens* in Mare miſſus &c. Tertiæ, *Stella ardens* ut *Lampas* in fluvios lapſa, cui nomen *Abſynthium* &c. Quartæ, *Tertia pars Solis, Lunæ, Stellarumq; percuſſa* &c. Quintæ, *Ingens agmen Locuſtarum* copiosè deſcriptum Apoc. 9. cum Caudis Scorpionum, & Rege cui Nomen Abaddon. Sextæ, *Innumerus Equitum ab Euphrate Exercitus*, quorum mirabilis locupleſq; eodem capite eſt deſcriptio. Hæ ſunt ſex primæ Tubæ, quas hoc Diſtichon complectitur. Septimam verò ſeptem Tonitrua continere facile recordaberis.

9. Quorum Antiſynchrona, quæ brevitatis causâ, ſeptem Tonitrua etiam appellare poteris, hoc, ſi lubet, Triſticho comprehendantur.

Triſtichon ſeptem Tonitrua complectens.

1. *Poſt Phialas*, 2. *Urbs de Cœlo*, 3. *Millenneq; Regnum*, 4. *Vinclis exutus Satanas*, 5. *Gogi atq; Magogi Obſidium*, 6. *Chriſti Interventus*, 7. *Præmia Pœnæ.*

Primi Tonitrui Viſum ſunt *ſeptem Phialæ*, quarum ſex primas altero *Monoſtichio* mox recenſebimus. Secundi, *Nova Hieroſolyma deſcendens à Deo de Cœlo.* Tertii, *Millenne Chriſti Imperium* integrum vegetumq; Apoc. 20. memoratum. Quarti, *Solutio Satanæ* è carcere ſuo, ibid. Quinti, *numeroſus Gogi & Magogi exercitus* caſtra Sanctorum & dilectam Civitatem circumiens, ibid. Sexti, *Chriſti adventus ad judicium*, ibid. Septimi, *Hominum impiorum* Dæmonumq; in *ſtagno ſulphureo*, quæ eſt mors ſecunda, *perditio*, conſummataq; Sanctorum Salus.

10. Solus jam reſtat Ordo Phialarum, quas primum *Tonitruum* continet, quarumq; ſex primas hoc *Monoſtichium.*

Monoſtichium alterum, quo ſex primæ Phialæ continentur.

1. *Terra*, 2. *Mare*, 3. *Fluvii*, 4. *Sol*, 5. *& Thronus*, 6. *atq; Euphrates.*

Hæc ſunt ſex primarum Phialarum Objecta. Prima enim Phiala in *terram* effuſa *ulcus* parit. Secunda in *Mare*, *cruorem* facit tanquam mortui. Tertia in *Fluvios* immiſſa eos vertit in *ſanguinem.* Quarta in *Solem* efficit ut igni homines urat. Quinta in *Thronum Beſtiæ*, ut regnum ejus obtenebreſcat. Sexta in *Euphratem*, ut exſiccatâ aquâ ejus, via præparetur Regibus ab Oriente. Septimæ verò Phialæ objectum Aërem eſſe (in quem eâ effusâ, maximùs poſt homines natos terræ-motus contingit, Grandoq; Talentaria) abſq; hoc artificio memoria tenere non gravaberis.

11. Interea loci ſatìs te percipere ſpero *principalis illius Fili Apocalyptici Viſa* eorumq; ordinem, ſeptem octove verſiculorum ope animo firmiter infigi poſſe. Quibus reliqua Viſa facili negotio *ordinatim* adhærebunt propter ipſam rerum *cognationem* aut *oppoſitionem* apertam. Viſa enim *Antemedialia*, ſex primis Sigillis Synchrona, & Eccleſiæ *Apoſtaſian* præcedentia, cum puriorem illius ſtatum repræſentent, facilè tibi occurret ea eſſe, *Atrium interius Symmetrum*, *Mulierem Sole amictam*, *ſtelliſq; duodecim coronatam*, cumq; tam crudeliter perſecutionibus Paganicis impugnata eſſet, *Prælium deniq; Michaëlis cum Dracone.*

12. Tempus verò ſex primarum Tubarum cum ſit Tempus *Apoſtatantis* Eccleſiæ, quo tamen tempore *vera Eccleſia* nunquam deſinebat eſſe, facilè Viſa ipſis Synchrona divides in ea quæ aut partem Eccleſiæ corruptam ſive Idololatricam, aut quæ Eccleſiam mixtam vel quatenus mixtam, aut quæ incorruptam partem & ſinceram repræſentant.

præſentant. Primi generis ſunt hæc tria, *Meretrix Babylonica*, *Beſtia bicornis* quæ & *Pſeudopropheta* & *Beſtia Decacornis Inſtaurata*. Secundi generis duo, *Atrium exterius* ſive *Civitas Sancta gentibus calcata*, & *Mulier Eremicola*. Tertii hæc tria perfecta Synchrona. *Cœtus Iſraëliticus*, *Cœtus Virgineus*, *Duo Teſtes* ſive *lugubriter Prophetantes* ſive *Occiſi*. Imperfecta verò duo, *Viſio trium Angelorum*, & *Viſio Angeli Threnodi Babylonici*.

13. Tempus deniq; *ſeptem Tonitruorum* quanquam magis varium ſit, ſingulorum tamen Synchrona ut quorundam conjunctorum optima ratione cum ipſis cohærent. Ut Tonitrui primi quod ſeptem Phialas continet (quæ plenario Beſtiæ exitio inſerviunt) duo Synchrona perfecta viz. *Doxologia Seniorum & Phialarum compendium*, & *Deuteropleroſis trium Angelorum* manifeſta aut cognatione aut Identitate cum *primo illo Tonitruo* cohærent. Ita imperfecta tria. 1. *Angelus Threnodus Babylonicus*, qui cum ſecundo trium Angelorum incipit. 2. *Meſſis & Torculor.* 3. Et *Præparatio Sponſæ* & *Prælium Seſſoris Equi albi* quæ cum Phiala ſexta ineunt. Hæc omnia optimè cohærent cum effuſione Phialarum, quæ Beſtiam penitus perdunt. Ut *Apprehenſio Satanæ* cum *Deſcenſione Novæ Hieroſolymæ*, quod eſt ſecundum Tonitruum. *Satanæq; Incarceratio* cum *Millenni Chriſti Imperio* quod eſt tertium Tonitruum. Et *Turba Palmifera* cum ſecundo & tertio ſimul. Quartum, quintum & ſextum Synchrona non habent Singula, cum tertiò conjuncta habent duo. *Durationem ſcilicet Novæ Hieroſolymæ conſtitutæ*, & *Impiæ & Idololatricæ Turbæ Excluſionem.* Ultimum deniq; Tonitruum unicum habet Synchronum, *Conſummatam Sanctorum Salutem*, ſive in Cœlum Remigrationem, quod ex oppoſita ratione facile cum illo connecti intelligitur.

14. Qui memoratos verſiculos animo firmiter infixerit & Synchronorum naturas aut cognatas aut oppoſitas vel paululùm conſideraverit, equidem vix dici poteſt quam nullo cum negotio Univerſas Viſiones Apocalypticas ordinatim ac fideliter memoriâ retenturus ſit, quantaq; cum voluptate ſenſum earum ſit percepturus in eiſq; verſaturus abſq; omni onere ac tædio. Quod ex eo ſolo plerumq; oriri ſolet, quod hic liber Apocalypticus ad inſtar ſylvæ videatur inviæ & Labyrinthææ, congerieſve confuſa & perplexa Viſionum ſine omni ordine aut ratione congeſtarum, cum tamen revera compages ſit tam ordinata ut nihil in omnibus Artibus aut Scientiis magis exactum inveniendum ſit magiſve perſpicuum & luculentum & de quo certius judicium ferri poſſit quantum ad ſummam rerum, cujuſve memoria fælicius aut jucundius retineri. Quod eo conſilio dico, ut omnes bonos ad hoc genus ſtudii extimulem, ut Mirabilia Divinæ Providentiæ mecum contemplari poſſint, pariterque ei qui Throno inſidet gratias agere atq; Agno qui regnat in ſecula ſeculorum.

CAP. VII.

Neceſſariæ Intelligibilitatis Vaticiniorum Apocalypticorum ex rebus notiſſimis & apud omnes in confeſſo aut certis in ſe claréq; demonſtrabilibus luculenta in genere demonſtratio.

1. ATq; hîc meritò opere hoc *Synchroniſtico* mihi defunctus viderer niſi quod opportunum valde multumq; è re noſtra fore cenſeam, per *Tabulas* has *Synchroniſticas* vafris quorundam Tergiverſationibus Hypocriticiſq; ſuffugiis obviare; queritantium ſcilicet Vaticinia Apocalyptica ita invia eſſe & obſcura, ut nemini operæ pretium eſſe poſſit eis intelligendis laborem inſumere, ſanniſq; & deriſionibus (ut eſt res ſupercilioſa faſtuq; plena affectata Ignorantia) aliorum in hoc genere ſtudia excipientium. Ego verò ut morbum hunc curem aut ſaltem maleolentem ejus odorem naſutiorum naribus offundam, quo craſſam hujuſmodi hominum hypocriſin perverſamq; vafritiem percipiant, etiam *neceſſariam* quandam *Intelligibilitatem*, hoc eſt, non *incertam* & *precariam*, ſed *apertam* & *inevitabilem*, qualem quis vel invitus agnoſcere cogatur Vaticiniis Apocalypticis ineſſe, è rebus notiſſimis & apud omnes in confeſſo aut certis in ſe claréq; demonſtrabilibus perſpicuè luculentéq; demonſtrabo.

2. Notiſſima autem hæc cum jure poſtulari poſſint, (ut quæ veriſſima ſunt)

debeantq; concedi, *Postulata*, brevitatis causâ, à Mathematicis nomine mutuato appellabimus.

Postulatum. 1.

Quorum primum est, Tempus ab initio Ecclesiæ Christianæ ad finem usq; Mundi dividi posse in tres partes, ita ut prima pars finiatur circa Annum à nato Christo quadringentesimum. Secunda pars extendatur ad Annum ab eo tempore circiter millesimum ducentesimum sexagesimum. Tertia, illinc ad finem Mundi Diemve novissimum.

Postulatum. 2.

Secundum est, Mediam hanc partem 1260. annis consistentem subdividi posse in partes septem æquales, viz. in tres *annos annorum* & dimidium annorum annum, i. e. in annorum *semiannos* septem, vel in annorum *semestria* septem, quæ 42. menses annorum constituunt; ut certum quoddam temporis spacium apud Danielem dividitur in *Tempus Tempora* & *Dimidium Temporis*, i. e. in *tres annos* & *dimidium*, in quo omnes Interpretes consentiunt. De annis autem simplicibus non intelligendum esse sed de annis annorum abunde demonstravimus Myster. Piet. lib. 5. cap. 15. Est igitur *Annorum Semestre* vel *Semiannus*, vel *Semi-tempus* spacium annos 180 continens, ut *Olympias* annos quatuor, *Lustrum* quinq;, *Indictio* quindecim, *Seculum* centum.

Postulatum. 3.

Tertium est, per *primam* hujus Temporis tripartiti *partem*, nempe per tempora ab initio Ecclesiæ ad annum fere quadringentesimum, Ecclesiam ritibus Idololatricis nondum contaminatam fuisse sed statu puro fere ac Apostolico mansisse, saltem quantum ad atroces ullas ac enormes deviationes à mensura Apostolica Deiq; verbo, sed admodum interim enixè allaborasse ut id tandem eveniret, quod Christus, cum in vivis erat, propheticè prædixerat. *Ne formidate, parvum Ovile, nam visum est Patri vestro vobis dare regnum.* Quod tum primum factum est cum *Constantinus Magnus* conversus esset ad fidem Christianam, quo & Imperium Romanum Christianum evasit. Hoc autem *instituto* & *consilio* quasi *gravida* erat Ecclesia Christiana, nempe ut Christianam fidem per totum Imperium Romanum propagarent. Quam ob causam omnibus modis oppugnabantur à Diabolo & sævissimis Persecutionibus, Incarcerationibus, Cruciatibus & crudelissimis mortis generibus affligebantur. Quæ ob spem victoriæ præmiiq;, invictâ patientiâ tolerabant. Hic hujus temporis erat status, intra quod *Constantini Magni* contigit Conversio. Quibus de rebus nostrove earum narrandarum modo an naturalis sit & appositus nulla subesse potest dubitatio.

Postulatum. 4.

Quartum est, Circa initium *partis mediæ* Temporis tripartiti, dum Imperium Romanum in multa regna & principatus propter Barbarorum irruptiones frangebatur, incepisse Ecclesiam Ritus Idololatricos fovere eaq; profiteri atq; agere, quæ *Divino verbo neutiquam quadrabant*, atq; in his Paganicis superstitionibus eo usq; tandem processisse ut præter Invocationem Sanctorum, Imaginum etiam cultum, & adorationem Eucharistiæ stabilirent, varioq; ritus Paganicos ita imitarentur, ut antiquus *Paganismus* rursus in Imperium Romanum introductus videretur & deturpata Christianitas *veteris Ethnicismi* speciem referre: Dum *viri pii* & *doctrinæ Apostolicæ tenaces* miserum hunc Ecclesiæ casum *lugebant*, *omnigenaq;* ærumnas & calamitates mortemq; adeo ipsam (alii immanissimis cædibus ac Lanienis, Alii vivicomburiis) ob testimonium suum adversus has corruptiones & impietates invicto animo patiebantur, Potestate utiq; Sacerdotali sive Ecclesiastica turpissimos hos ritus sub *Infallibilitatis* prætextu, legibus stabiliente, & *civilem instigante potestatem* ad severiter animadvertendum in eos qui eosdem nolint observare; Deo autem interea loci partim ob antiquas partim ob novas Idololatrias malorum Iliadem in Imperium Romanum immittente.

Nam ingens facta est & repetita Barbarorum in Imperium Romanum irruptio ab Anno 395 ad annum 406, qui ferro & igne Romanum Orbem immaniter vastabant ac populabantur. Anno verò 410. ab *Alarico Gothorum* Rege *Roma* capta est spoliata & incensa, iterumq; à *Genserico Vandalo* circa Annum 455. Quin & mox Occidentalis Cæsareatus extinctus est in *Augustulo*, Civitasq; postea Romana, cum sub

ſub *Regibus Oſtrogothicis* Conſulatu, Senatu, aliiſq; ſolitis Romanis Magiſtratibus ornata floruiſſet ſtatim à bello per *Beliſarium Narſetemq;* contra *Oſtrogothos* geſto finitoq;, in ignobilem Ducatum, illa quæ modo *Italiæ* Regina erat, depreſſa eſt, *Ravennæq;* ſub *Exarchatu*, facta tributaria.

Sed ut majora adhuc mala in Imperium Romanum ingruebant. Primùm enim *Saraceni*, *Turcæ* deinde, utriq; *Idolorum hoſtes* infenſiſſimi innumeris copiis in Orbem *Pagano-Chriſtianum* & Idololatricum, ipſi interim falſæ & impuræ Religionis propagatores, tanquam flagella à Deo immiſſa, irruebant. Prior illa Plaga ab Anno 830. ad Annum 980. & porro, *Romano* Imperio incubuit. Poſterior ab anno fere 1300. modo notabiliori ingruens ad captam *Conſtantinopolin* extenditur & ultrà. Diræ profectò hæ plagæ erant in Eccleſias Orientales.

Sed intra hanc mediam ſtadii Apocalyptici partem in *ſeptimo* ſcilicet *ſemi-tempore* ſive *Annorum Semeſtri ſeptimo* notabilis clades accidit Eccleſiæ etiam *Occidentali*, ſive *Romanæ*, multis Regnis populiſq; communionem ejus repudiantibus per factam haud ita pridem Reformationem; adeo ut ipſi *Pontificii* manum Dei juſtam ea in re agnoſcerent, ut videre eſt in Hiſtoria *Concilii Tridentini*.

Inter magnas autem has rerum mutationes Providentiam Divinam aut dormiviſſe, aut vacillaſſe, neminem ſpero ita impudentem fore ut affirmet; ſed incolumitati ac ſaluti ſuorum, occultis ſaltem aliquibus viis, fideliter proſpexiſſe: quin & apertè aliquando id feciſſe, magnificè gloriatur S. *Auguſtinus*; ipſoſq; etiam Paganos, ementito nomine Chriſtiano, contra ferocitatem ac violentiam Barbarorum ſe muniviſſe.

Et poſtremò, in hac adulteratâ & Idololatrica Eccleſia veram Chriſti Eccleſiam latuiſſe, ut ſeptem olim millia *Iſraëlitarum* (qui *Baalim* nec genibus accidebant nec oribus oſculabantur) in turba Iſraëlis Idololatrica, extra omnem eſt controverſiam. Huncq; fere aut ſtatum fuiſſe mediæ hujus partis cuniculi Apocalyptici, aut, me naturali miniméq; coacto ſermonis genere eundem deſcripſiſſe, nemo qui vel primoribus labiis Hiſtoriam deguſtaverit poteſt inficiari.

Poſtulatum. 5.

Pars verò *tertia* & *ultima* cum tota ferè futura ſit, brevius abſolvetur. Iniviſſe verò, cum magna *Reformatorum Lætitia* gratiarumq; actione Deo, ob excuſſum *Romani* Pontificis jugum pluſquam *Ægyptiacum* nemo poteſt dubitare. Pontificiſve manèipia animo jam exulceratiſſimo factos eſſe adverſus proſperitatem Reformatorum, omniaq; miſcere voluiſſe bello & ſeditionibus, conatibus verò ſuis eos excidiſſe manifeſtum eſt. Multaq; Regna ac populos per aliquàm multos jam annos in Fide reformata ſtetiſſe ſtabilitos. Pluresq; *Pontificis* Emiſſarios ob perfidiam propoſitaq; nefaria adverſus Principes reformatos meritas pœnas luiſſe, totoſq; adeo exercitus pontificiis partibus faventes, aliquando fuiſſe fuſos.

Quin &, quod dolendum eſt, quanquam Eccleſiæ reformatæ à ritibus Idololatricis pulchrè ſe repurgaverint, refrixiſſe tamen apud ipſos priſtinum Zelum & charitatem, pluſq; cumulandis opibus quam regno Chriſti amplificando intentos eſſe, & de inutilibus opinionibus quam de vita immaculata magis ſolicitos. Quibus rebus fit, ut iræ Divinæ obnoxii ſint, magnaſq; calamitates expectare debeant, niſi reſipiſcant. Teſtimonia tamen eorum adverſus Idololatrias Pontificias in Cœlo rata eſſe certiſſimum eſt, ſtatumq; Eccleſiæ in terris purum tandem fore ac glorioſum, ex multis è veteri Teſtamento Vaticiniis clariſſimè conſtat. Quod & *Ligatio* & *Incarceratio Satanæ* per mille annos, quam adhuc futuram eſſe certiſſimis demonſtrationibus evinci poteſt, apertè ſupponit, ut & abolitionem Poteſtatis Pontificiæ Idololatricæ. *Politiâ* verò illâ *Idololatricâ* ſolutâ, *Novam Politiam* æquiſſimis Legibus, ſummeq; Chriſtianis conſiſtentem, formatum iri per *Concilium* aliquod verè *Oecumenicum*, valde profecto eſt conſentaneum. Quas per mille ſaltem annos ſtrictè obſervandas Divina apertè indicant oracula. Poſtea verò ſtatum Eccleſiæ, ut ſunt res humanæ, mutationibus obnoxiæ in pejus inclinaturum eſſe, nec tamen iterum in priſtinas ſordes Idololatricas relapſurum; ſed ne in infinitum earundem rerum fiat repetitio, Chriſtum anteà ad Judicium venientem, præſenti rerum Scenæ finem eſſe impoſiturum, more etiam humano loquendo, admodum veriſimile eſt, ex Divinis autem Oraculis certiſſimum. Atq; hæc ſtatus Eccleſiæ per partem ſtadii Apocalyptici tertiam ſive ultimam brevis eſto deſcriptio.

Postulatum. 6.

Sextum est, Librum Apocalypseos, cum incipiat cum Visionibus quæ ad res Ecclesiæ primitivæ spectant, ut omnes fatentur, & istiusmodi etiam Visiones exhibeat quæ statùm Ecclesiæ in terris glorioſissimum adventumq; Christi ad judicium præfigurant, (quæ ad primam & ultimam Stadii Apocalyptici partem referuntur) omninò consentaneum esse Visiones etiam continere quæ spectant ad mediam, adeoq; librum esse qui Visiones complectitur, quæ res *saltem Ecclesiæ* à principio ad finem usq; sine ullis hiatibus aut lacunis repræsentant.

Postulatum. 7.

Septimum & ultimum est, Eas Vaticiniorum Interpretationes quæ ex analogia *styli Prophetici* sensuque *Schematum* & *Iconismorum Propheticorum* usitato & approbato fiunt, Visionibus ad res gestas & tempora, nulla vi aut coactione, applicatis, Intelligibiles saltem censeri debere, quidni dicam & veras?

Generalis Tabulæ Perlustratio.

3. His sic præmissis, *Tabulas* Visionum Apocalypticarum *Synchronisticas* singulas jam breviter perlustremus, ut videamus quàm *necessaria* Visionibus singulis insit *Intelligibilitas.*

Et certè dum primam sive *generalem Visionum Apocalypticarum Tabulam* contemplamur, videmus planè nihil occurrere nisi quod ex *Postulatis* primo secundo & sexto perquam facilè intelligitur; Tripartitio scilicet totius temporis Apocalyptici & variarum Visionum à principio usq; ad finem continuatio. *Tripartitionis* partium singularum *Synchrona* in particularibus Tabulis considerabimus.

Visorum Antemedialium *Tabulæ Perlustratio.*

4. Ut primò in Visorum *Antemedialium* Tabula. Quæ si cum tertio Postulato comparemus, quod nil nisi res indubitatas in se continet, continuò deprehendemus *Mulierem sole amictam stellisq; duodecim coronatam*, Ecclesiam significare Christo soli, qui sol est justitiæ, ac duodecim Apostolis addictam, eorumq; doctrinæ adhærentem. Quod autem *parturiens* figuratur, immò *masculum paritura*, qui ad Dei thronum attollendus sit, id innuit, eam maximis laboribus & sævissimis tolerandis doloribus Persecutionum eniti, ut Imperium aliquando fiat Christianum, adeoq; tandem ut *Imperatores* habeat *Christianos.* Quod primùm contigit in *Constantino Magno*, egregio Ecclesiæ *filio masculo* & ad *Thronum Dei*, id est, *Imperatorium* sublato. *Puritas* autem *Ecclesiæ*, eis temporibus, significatur etiam per *Atrium interius Symmetrum*, quippe cujus Fidei mensura erat *Verbum Dei*, Christiq; Doctrina ac Apostolorum. Nec ullis *Paganicis* superstitionibus & *Idololatricis* adhuc erat contaminata, quod in *Atrio exteriori* fit, quippe à *Gentibus conculcato*, hoc est, per *Idololatricum* quendam *Gentilismum* conspurcato. *Labores* autem & *Persecutiones* Ecclesiæ, & conflictus cum *Homicida* Diabolo ejusq; assecla nempe Paganis, figurantur in *Prælium Michaëlis* cum *Dracone*, qua de re nemo, quod sciam, dubitat, minusq; dubitabit, si *Cabbalistici* illius Aphorismi me minerit. *Non humiliatur Militia Terrestris in terra, nisi prius humilietur militia Cœlestis in Cœlo.*

Gaulmin. in Lib. de Vita & Morte Mosis Notar. lib. 1.

Quò igitur collineant *Synchrona* hæc tria *Libri aperti Antemedialia*, facile cernitur; sed & eodem tendunt Visa quædam *Libri Sigillati. Equi* enim *albi Sessor* cum *arcu* in manu, cui data est *corona*, puta *Imperatoria*, nempe sub *victoriæ conditione*, idem innuit quod *mulier paritura Regem masculum.*

Hoc etenim est *quò tendit & in quod dirigit arcum*, *Metamq;* plenè *attingit* in *Sigillo sexto.* Ingens enim illa *Mundi Concussio*, stellarumq; casus, rerum Paganicarum mutationem significat, Victoriamq; *Constantini* adversus Satanæ Vexilleferos, quod nemo non fatetur. *Clamor* autem ille *animarum sub Altari* pro Vindicta, Sigillo quinto, persecutionem illam longè omnium acerbissimam sub *Diocletiano* & deinceps, & imminentem Dei ultionem proximo nempe Sigillo futuram. Hæc tam clara sunt ut ferè pigeat notare, sed priorum trium Synchronorum sensum egregiè confirmant, ob rerum affinitatem.

Quod

VISORVM ANTEMEDIALIVM TABVLA.

Quod deniq; faciunt *Epheſinæ* & *Smyrnææ* Eccleſiæ & res & nomina. *Epheſus* enim quod ad ἵεσις alludit, ſupra dictum *ſcopum* ac *deſiderium* videtur ſubindicare; *Smyrna* verò *amaritudinem*, *perſecutionum* ſcilicet *acerbitatem*, notat, quas fideles Chriſtiani *Antemediali* hoc tempore tolerabant. Quin & *Coronæ* fit mentio, ad Eccleſiam *Smyrnæam*, & *decem* certè Perſecutionum. *Afflictionem habebitis dierum decem*, *Eſto fidelis uſq; ad mortem & dabo tibi coronam vitæ*, id eſt, *Coronam Imperatoriam*, Imperio Romano ad Chriſtianitatem converſo, quo futuri eſtis *ſecuri à Perſecutionibus* Paganicis. *Pergami* etiam *pars*, quæ *exaltationem* ſignificat, cum *Sigillo ſexto*, ubi *filius Eccleſiæ maſculus* ad *Dei ſolium attollitur*, contemporat. Si hoc non intelligibile eſt, quid obſecro eſt intelligibile? Breviter enim videmus, omnia Synchrona hujus primi Intervalli Stadii *Apocalyptici*, miro conſenſu inter ſe convenire, & rebus illius temporis accuratiſſimè congruere, *Puritati* ſcilicet Eccleſiæ, *Perſecutionibus* & *Victoriæ*. De veritate hujus Interpretationis, cum res ipſorum minùs lædat, ne Pontificios quidem ipſos dubitaturos eſſe confido. Apoc. 2. 10.

Viſorum Medialium *Tabulæ Perluſtratio.*

5. *Medialium* Viſorum Tabulam jam conſideremus, & Synchronorum inter ſe & cum rebus illius Intervalli congruentiam. Primò, per Poſtulatum quartum conſtat, Eccleſiam

Ecclesiam ab initio hujus Intervalli *Idololatricam* esse factam, i. e. Imperium Romanum ad Christianitatem conversum, ritus denuò resumpsisse Idololatricos, & *Gentilismo* se denuò contaminasse. Quod igitur *Atrium exterius* à gentibus conculcatum planè denotat. Synchr. 1. Deinde, Potestatem *Ecclesiasticam* sive *Sacerdotalem*, sub *Infallibilitatis* prætextu fœdos errores introduxisse, Religionemq; *Ethnicam* adeo *ad vivum* in ritibus suis *expressisse*, ut Imperium Romanum planè Christiano-Paganicum, sive *Bestia instaurata* videretur; i. e. *Imago Veteris Idololatrici Imperii*, quamvis non idem ipsum Imperium, & tamen idem cum sit tam *turpiter Idololatricum* & eisdem ferè modis licet non eisdem nominibus quibus antea. Quæ res plane significantur per *Pseudoprophetam* qui format *Imaginem Bestiæ* Synchr. 6. & per *Meretricem* quæ insidet *Bestiæ, quæ erat, non est, & tamen est.* Synchr. 8. Tertiò, Querelas piorum, ipsorumq; oppressiones, & Afflictiones miseraq; mortis genera, hæc facta esse per malignas instigationes *Idololatrici Sacerdotii* apertè significatur per Synchrona, 2, 3, 6, & 8. per Visiones *Testium Lugentium* & *Occisorum*, per *Meretricem ebriam sanguine Martyrum*, per *Bestiam bicornem quæ facit ut qui Imaginem Bestiæ nolunt adorare occidantur. Tres* etiam *Angeli* & *Angelus Threnodus* contra Idololatriam hujus Intervalli testimonium perhibent & Bestiæ ruinam comminantur. Quartò, veram Ecclesiam Christi in hac fœda Apostasia non periisse, innuunt Synchrona 2, 3, 4, 7. nempe *duo Testes saccis amicti* & *Politicè* mortui. *Mulier in deserto*, & *Cœtus Virgineus. Tres* etiam *Angeli* & *Angelus Threnodus.*

VISORVM MEDIALIVM TABVLA.



Intervallum

Intervallum autem hoc ſeptem *Semidierum* vel *ſemitemporum* Idololatricum & Apoſtaticum *incepiſſe* circa ea tempora quibus Imperium Romanum in multa Regna frangebatur manifeſtum ex eo eſt, quod initium *Beſtiæ quæ bajulat Meretricem* quæq; ipſa dicitur plena *nominibus Blaſphemiæ*, i. e. *Idololatriæ* idem ponitur quod *decem Regum* Apoc. 17. 12. *Idololatricum* autem eſſe multis Iconiſmis manifeſtò declaratur, nempe quod Imperium *Imago ſit prioris Beſtiæ Idololatricæ* Cap. 13. quod *Beſtia* plena ſit *nominibus Blaſphemiæ*, quod regatur à *Meretrice quæ Terræ Incolas ſuæ ſcortationis vino inebriat.* Cap. 17. Equidem non poſſunt eſſe clariores Idololatriæ Iconiſmi quam iſti ſunt.

Quin & res quintæ ſextæq; Tubæ huc conſonant, cum enim *Grando* Barbarorum irruptionem in Imperium Romanum tam bellè figuret, *Mons ardens in Mare projectus* Romam captam & incenſam, *Stella Abſynthium dicta* amarulentum Cæſareatus Occidentalis occaſum, ſive exitum. *Cæli percuſſio* Romæ antiquis ſuis Magiſtratibus orbationem, Conſulatu, Senatu reliquiſq; minime dubium eſſe poteſt quin *Locuſtæ Saracenos*, *Turcas* verò *Equites Euphratæi* ſignificent, cum Imagines utriuſq; cum Ingenio moribus factiſq; iſtarum Gentium tam aptè etiam congruant. Divinam verò interim vindictam cæco impetu non ferri *cætus Servorum Dei illius Signaculo munitus* apertè docet.

Quam immanes autem Plagæ hæ Orbi erant Chriſtiano, notiſſimum eſt. Cauſa verò ob quam Deus has plagas inflixerit planè declaratur. Apoc. 9. 20. *Et reliqui hominum qui his plagis occiſi non ſunt non deſtiterunt à ſuis Actionibus ne Dæmonia venerarentur & ſimulachra aurea*, argentea ærea, &c. Quinta igitur ſaltem ſextaq; Tubæ *Idololatriam* etiam hujus Intervalli innuunt. Nam δαιμόνια ſive δαίμονες, Animas ſeparatas bonas pariter atq; malas ſignificare Criticum neminem latet, uti nec eum latere oportet, ſtylum Apocalypticum *obliquo* potius & *figurato* Sermone gaudere quam *directo* & aperto. Verſus autem viceſimus primus *Homicidia* etiam notat i. e. ſæviſſimas perſecutiones in eos qui Idololatriam cum ipſis noluerint committere.

Quin & conditio Eccleſiæ *Pergamenſis* & *Thyatirenſis* idem confirmat. Etenim quanquam in Epiſtolis ad Eccleſiam *Epheſinam* & *Smyrnæam* Idololatriæ nulla fit mentio tanquam ſi Eccleſia eo morbo tunc temporis infecta eſſet, in Epiſtolis tamen ad *Pergamenſem* & *Thyatirenſem* Chriſtus manifeſtò conqueritur de *eſu Idolothytorum*, *mortemq;* *Martyris Antipæ* & *Jezebelem Propheticidam* commemorat, ut taceam ipſam vocem *Thyatira* ad θυατήρια ſive *Martyrum Vivicomburia* alludere. Tam homogenea ſunt medii hujus Intervalli temporis Apocalyptici Synchrona tamq; apertè *Idololatriam Eccleſiæ Sanctorumq; perſecutiones* ubiq; figurant.

Cum autem hoc ipſum Intervallum Eccleſiæ propter *Sanctorum Invocationem*, *Imaginum cultum* & *Euchariſtiæ adorationem* per Poſtulatum quartum, Idololatricum ſit (omnes enim iſtos ritus reverà Idololatricos eſſe in *Antidoto adverſus Idololatriam*, ejuſq; *Appendice* luculentè demonſtravimus) & *Homicidii reum* ob ſæviſſimas perſecutiones adverſus Chriſti *cætum Virgineum*, qui Idololatriam nolunt committere, criminaq; hæc tam clarè Iconiſmis Propheticis repræſententur, quomodo fieri poteſt quin omnes hæ Viſiones *Mediales* perſpicuæ ſint admodum & intelligibiles?

Reſtat ſolummodò ut notabilem illam cladem Romanæ Eccleſiæ, quæ intra hoc medium Intervallum contigit per *Reſurrectionem Teſtium ſeptimo ſemidie reſuſcitatorum* ſignificari moneamus. Evenit enim poſt *ſemidiem ſeptimum* inchoatum nobilis hæc & nunquam obliviſcenda *Reformatio*, qua *Teſtes* tam *Eccleſiaſtici* quam *Civiles*, modo *Politicè* mortui *revixerunt*, in pedes ſteterunt, & *aſcenderunt in Cælos*, hoc eſt, ad honores muneraq; tam *Civilia* quam *Eccleſiaſtica* ſubvecti ſunt, integris Regnis Romanam Communionem deſerentibus, quod per *magnum Terræ motum* (c. 11. 13.) præfiguratur, quo tot Populi abrupti ſunt ab Eccleſia Romana & ad Religionem puram & Evangelicam converſi. Reliqui verò gloriam dederunt Deo judiciaq; ejus juſta eſſe agnoverunt. Atq; hîc ſanè *Integralitas* & *Plenitudo Regni Beſtiæ* à decem Regibus ante hac minimè acciſi finitur, in hoc Annorum ſemeſtri ſeptimo. Synchr. 5. Vide Apoc. c. 17. v. 17. Quàm pulchrè omnia hæc *Synchrona Medialia* cum medio curriculi Apocalyptici ſpacio conveniunt ſatis videmus. Perluſtremus jam breviter Viſa *Poſtmedialia*.

Viſorum Poſtmedialium *Tabulæ Perluſtratio.*

6. In Tabula igitur *Viſorum Poſtmedialium*, ſi comparentur cum eis rebus quæ Poſtulatum quintum continet. *Lætitiæ Reformatarum Eccleſiarum* de Pontificis jugo excuſſo apertè reſpondet *Canticum Moſis ſervi Dei* c. 15. & *Doxologia ſeniorum*

rum c. 11. 16. Immò ipsa Notatio Nominis *Sardis* huc consonat, quod Periti linguarum Orientalium *Canticum Lætitiæ* significare autumant. Deinde Effusio *Phialæ primæ* quæ homines characterem Bestiæ habentes tetris *ulceribus* afficit, *exulceratos animos* mancipiorum Pontificis & inquietos, novasq; res adversus Ecclesias reformatas sed inauspicatò & cum suo damno molientes ad vivum repræsentat. Effusio verò *Phialæ secundæ* quâ Mare factum est *cruor* qualis solet esse mortuorum satis apertè significat confirmatum Ecclesiarum reformatarum statum, ab Ecclesiâ Romanâ penitus revulsarum, & quantum ad res ejus prorsus *mortuarum*, omnemq; in hoc Mari, nempe in Regnis & Ditionibus Reformatorum, piscandi spem omnino esse extinctam, Effusio deniq; *tertiæ Phialæ* qua *fluvii* facti sunt *sanguis cædem Emissariorum* Pontificis justorumve Exercituum in Reformatorum regna immissorum satis apertè significat. Cæteras Phialas Phialarumq; Synchrona in Phialarum Tabula considerabimus.

VISORVM POSTMEDIALIVM TABVLA.



Quod verò ad vitia maculasq; attinet Ecclesiarum reformatarum quibus Divinæ iræ se reddunt obnoxios, fateor nihil eâ de re in Vaticiniis libri aperti clarè indicari. Sed cum status Phialarum *status* videatur *conflictûs* inter partem Reformatam & Pontificiam, Templumq; dicatur *fumo impleri* dum Phialæ effunduntur, status certè hic *obscurus & involutus* optimè consistit cum *imperfectione* statûs Ecclesiarum Reformatarum, *vitiisq;* ob quæ Divinæ vindictæ fiunt obnoxiæ. In Epistola verò ad Ecclesiam

ſiam *Sardenſem* apertè notatur *Imperfectio* hæc & *Vitioſitas*, & *Comminatio* adjungitur niſi reſipiſcant, quod eos maturè facturos animitùs opto ſperoq;.

Statum verò Eccleſiæ *purum* tandem & *glorioſum* fore in terris plane ſignificatur per *Deſcenſionem Novæ Hieroſolymæ de Cœlo*, per *Millenne Regnum Chriſti* in terris, *Satanâ* interim non ſolùm *apprehenſo & ligato*, ſed & in *Abyſſum incarcerato*, foribus in eum obſeratis per mille annos obſignatiſve. Cui conſonat etiam *Philadelphia*, quæ *fraternum Amorem* ſignificat; Epiſtolaq; ad eam Eccleſiam ſummas illius laudes tanquam Eccleſiæ perfectiſſimæ & immaculatiſſimæ continet. Poteſtatem verò *Pontificiam Idololatricam* ante abolitum iri *ſeptem Phialæ*, plagæ noviſſimæ, in *Beſtiam* infundendæ infligendæve ſatis indicant, quin & ex natura rei fœlicia illa tempora eas præcedere oportere manifeſtum eſt.

Poſtea verò ſtatum Eccleſiæ in pejus inclinaturum eſſe, *ſolutio Satanæ ſanctæq; Civitatis obſidium* haud obſcurè innuunt: ut & *Laodicea*, cujus Eccleſiæ ſtatus quam tepidus tandem ſit, quamq; *Philadelphianæ* diſſimilis, quantum ad internum Amoris zelum vigoremq;, in Epiſtola ad eam Eccleſiam ſatis copiosè oſtenditur. De Chriſti verò adventu ad Judicium Terræq; conflagratione ne minima quidem eſt obſcuritas.

Septem Phialarum *Tabulæ Perluſtratio.*

7. Supereſt ut Tabulam *ſeptem Phialarum* breviter jam contemplemur. Partem autem eam quæ res præteritas ſpectat jam attigimus. Reliquæ ſunt quatuor Phialæ poſtremæ, quarum Interpretationes & intelligibiles & probabiles dari poſſe ſtyli Prophetici proprietas facile te docebit. Qualis Iconiſmus *Sol* ſit ex *Alphabeto Prophetico* prompte intelligitur, nec ad unum ſolummodo aſtringi, ex Figura illa Prophetica quæ *Henopœia* appellatur. Quartæ igitur Phialæ effuſio in *ſolem* ſignificat aliquam mutationem factum iri in uno aliquo magno Principe aut pluribus, quæ ingens damnum illatura ſit *Papatui*: dicuntur autem homines uri propter τὸ πρεπὸν *ſolis* (nempe quod is eâ ſolâ ratione nocere ſolet) & in eas anguſtias redigi, ut ad *blaſphemias*, i. e. *Idololatricas* ſuas preces, ſed fruſtra, ſe recepturi ſint, uti ingeniosè exponit illam phraſin *Abrahamus Peganius*. *Quintæ* verò *Phialæ* effuſio in *Thronum Beſtiæ*, *Romanam Urbem* (de bicorni enim Beſtia agitur) funeſtâ aliquâ calamitate afflictum iri apertè ſignificat. Urbs enim ſepticollis Thronus ſive ſedes Meretricis eſt. C. 17. 9.

Jam verò *ſextæ Phialæ* effuſio in *Euphratem*, cum tam manifeſtum ſit per *Equites Euphratæos Turcas* ſignificari, admodum profectò conſentaneum eſt ut aliquam mutationem, quæ in magnam jacturam & terrorem Pontificiis ceſſura ſit, in *Imperio Turcico* futuram notet; rebus *Turcarum* ſic conſtitutis ut via præparetur *Principibus Orientis* ad fidem Chriſtianam puram & Apoſtolicam aut converſis aut convertendis, inter quos & *Judæos* fore valde eſt probabile. Per *Meſſem* verò & *Sponſam præparatam*, quæ huic *Sextæ Phialæ* contemporant, eandem, quam & ipſa ſignificat, rem ſignificari autumo.

Effuſionem verò *Phialæ ſeptimæ* in *Aërem*, quam tam immanis *Terræ-motus* comitatur, *magnamq; Civitatem in tres partes diviſam grandinemq; de Cœlo Talentariam* ſic intelligo in genere; Immenſas utiq; fore in omnibus falſis Religionibus rerum mutationes (*Aër* enim Diaboli Regio eſt, quippe cujus ille dicitur Princeps;) *Magnam* verò *Civitatem* omnium fere populorum univerſitatem ſignificare. *Tripartitionem* verò diſtinctionem in eos qui *Infideles* ſunt militantq; ſub *Dracone*, in *Pſeudocatholicos* qui militant ſub *Beſtia* & *Pſeudopropheta*, & in *verè Evangelicos* qui doctrinæ *Apoſtolicæ* adhærent. Populos verò *Infideles* appellari *Civitates gentium*, eoſq; verorum *Evangelicorum Boanergium voce* attonitos & convictos *cadere*, i. e. reſiſtere non poſſe quin veritati cedant. *Refractarios* verò *Pſeudocatholicos*, *Babylonis* nomine notatos, *Talentariæ grandinis* caſu decorticari ut arbores Tempeſtate grandinosâ, omniq; poteſtate exui, ita ut Poteſtas Pontificia funditus pereat. Pauca hæc notaſſe ſatis ſit. Reliqua *Phialæ ſeptimæ* facilius intelliguntur, obiter notando *Iconiſmorum* eſſe *Metallaxin*, *magnumq; exercitum* in *Civitatem magnam* mutari, nec *Civitatis diviſionem* in tres partes per *Terræ motum* fieri, ſed per *Lemmatoſynechian*.

SEPTEM PHIALARVM
TABVLA.



Septimæ autem hujus Phialæ interpretationem confirmat ejus Synchronon, *Prælium* scilicet *Sessoris Equi Albi.* Quod planè *Prælium* est *Sermonis Dei* qui bellum gerit cum *Regibus Terræ eorumq; exercitibus*, qui sunt *Civitates gentium*, & cum *Bestia* quîcum est *Pseudopropheta*, qui ambo non convertuntur sed capiuntur & vivi conjiciuntur in stagnum ardens sulphure. Potestas utiq; eorum *Idololatrica* penitus aboletur. Reliqui verò, id est, Exercitus Regum terræ, *Infidelium* scilicet, occiduntur *gladio Sermonis Dei* (Apoc. c. 19. 21.) id est *convertuntur*, ut *Civitates gentium* antè *cadere Boanergium voce* dictæ sunt. Cum autem *Equi albi Sessor* dicatur *Torcular iræ Divinæ calcare* (c. 19. 15.) Capite verò 14. v. 20. *ex Torculari sanguis manare usq; ad equorum frænos*, nullus dubito, quin eadem res utrobiq; significetur, ingens utiq; Evangelicæ veritatis in *Judæos* & *Infideles* Victoria.

Id solum jam supereſt, ut *trium Angelorum* & *Angeli Threnodi Babylonici Deuteroploroſes* (nam de Phialarum compendio eadem ratio est quæ de ipsis Phialis) leviter attingamus. Per primum igitur Angelum intelligo seriem *Doctorum Evangelicorum* unius Dei cultum contra *Idololatriam Pontificiam* cum zelo & scientia acriter urgentium, à prima Phiala ad initium sextæ pertingentem. Secundum verò Angelum, hoc sensu intellectum, sextæ Phialæ contemporaneum facio, qui ob propinquitatem casus *Babylonici* eam quasi jam cecidisse pronunciat. Eò enim res Phialæ sextæ summopere & efficaciter spectant. *Tertius* verò *Angelus septimæ Tubæ* contemporaneus ejusmodi

ejuſmodi Doctores innuit, qui ſummo zelo & vehementia omni populo inculcant iram Divinam in eos qui characterem Beſtiæ accipiunt, partibuſq; Pontificiis ſe addicunt, & in hoc ſeculo effuſum iri & in æternum. Angelum verò *Threnodum Babylonicum* eadem fere nunciare puto quæ ſecundus Angelus, ſed *Threnodiam ſuam* extendere uſq; ad finem Phialæ ſeptimæ.

8. Atq; hæc breviter dicta ſint & in genere, quibus *Intelligibilitas* Vaticiniorum Apocalypticorum demonſtretur. Quod facile ſit ex *Poſtulato ſeptimo*, & recurſu ad *Iconiſmorum Propheticorum Alphabetum*, quem perpetuò, ubi opus eſt, fieri ſuppono, uti etiam ad *Schemata Prophetica*, quorum utrorumq; uſum & exempla in *Synopſi Prophetica* propono & explico.

Et certè quantum ad *Medialia* & *Ante-medialia* Vaticinia & quotquot à *Poſt-medialibus* impleta ſunt, ipſa *congruentia* Apocalypticorum Vaticiniorum cum *Eventis ſtyloq; Prophetico* ſatis fidem facit ea, & eo ordine diſponi debere, & valdè *intelligibilia* eſſe. Sed & *neceſſitatem* ineſſe huic *Intelligibilitati*, quandamq; quaſi *inevitabilitatem*, *Synchroniſmorum certitudo* ex initis Viſionum characteribus demonſtrata, apertaq; *Epochæ* Viſorum Medialium (cap. 17.) ſucceſſioniſq; Capitum Beſtiæ indicatio porrò evincunt. Quibus enim obſecro de rebus, præterquam eis quas indicavimus, per totum terrarum orbem eo temporis Intervallo poſſunt illa viſa *Medialia* intelligi? Quæ *Meretrix Babylon*? quæ *Beſtia bicornis* præter eam ipſam quam innuimus? Poteſtatem ſcilicet Sacerdotalem, præſertim Romanam, terræ Incolas ſcortationis ſuæ vino inebriantem. Quin & ipſe Spiritus Sanctus *Meretricem hanc* ſuper ſeptem *Romæ* montes ſedere apertè docet, atq; eo ipſo Eccleſiam illam, (ſuffugia quærant, quam volunt, argutiſſima,) planè eſſe *Idololatricam*. Quod & verum eſſe manifeſtiſſima ratio demonſtrat. Nec tamen poteſt non mirificè oblectare pios, dum humanas ratiocinationes vident divino ſuffragio tam clarè comprobatas.

9. Quod eos verò attinet qui hæc ſtudia tanto contemptu excipiunt ac faſtidio, propterea quod nihil certi in eis ſtatui poſſe exiſtiment, ſed omnia vaga eſſe, obſcura & lubrica, querelam hanc certum eſt nullo niti fundamento, niſi quod aut fato quodam, aut ſuâ culpâ, animo ſint ab hujuſmodi ſtudiis averſo, dum mentes tamen eorum aliis fortean non magis certis Notionibus, longéq; minus utilibus refertæ turgent. Eos verò qui ſuâ intereſſe putant Vaticinia Apocalyptica nunquam poſſe intelligi, ſi fingunt quod optant, minus quidem demiror. Interea loci, quicquid ſit, nimis quàm manifeſtum eſt viros quamplurimos eoſq; doctos fateri ſe hæc non intelligere, nec ſperare ſe unquam intellecturos. Quæ quidem dum conſidero, ad eorum ferè accedo ſententiam, qui harum rerum intelligentiam non tam celſitudini cuidam ingenii, copiæve ſcientiarum, quam Divinæ gratiæ tribuunt. Atq; equidem omnino ſic ſentio, non tam mentem requiri multis artibus & ſcientiis excultam, mundanâq; munitam prudentiâ, quàm animum ſincerum, ac præjudiciis liberum, Intellectumq; humilem, ſimplicem, ac planè Infantilem, qualem deſcribit in ſua Doxologia beatus Servator. *Ago tibi gratias, Pater, Cœli Terræq; Domine, qui hæc ſapientes peritoſq; celaveris, & patefeceris Infantibus. Ita Pater, quoniam ſic tibi placitum eſt.*

Magni Myſterii Pietatis

EXPLANATIO,

SIVE

Vera ac fidelis REPRÆSENTATIO

ÆTERNI EVANGELII

Domini ac Servatoris noſtri

JESU CHRISTI,

Dei Filii, Unigeniti, Hominúmq; Principis ac Angelorum.

Per *H. M.* D. D.

---

1 Tim. 3. 16.

Et ſine Controverſia magnum eſt pietatis Myſterium: Deus conſpicuus factus eſt in carne, juſtificatus eſt in ſpiritu, conſpectus eſt ab Angelis, prædicatus eſt gentibus, fides illi habita eſt in mundo, ſurſum receptus eſt in gloriam.

Act. 1. 10, 11.

Et cùm eſſent intentis in Cœlum oculis, eo proficiſcente, ecce, viri duo adſtiterunt illis albo veſtitu.

Qui & dixerunt, viri Galilæi, *quid ſtatis intuentes in Cœlum? Hic Jeſus qui ſurſùm receptus eſt à vobis in Cœlum, ita veniet, quemadmodum conſpexiſtis eum proficiſcentem in Cœlum.*

Gal. 1. 8.

Etiamſi Angelus à Cœlo aliud atq; hoc Evangelium prædicaverit, Anathema eſto.

LONDINI,

Typis *J. Macock*, Impenſis *Johan. Martyn* ſub Signo Campanæ, & *Gualteri Kettilby* ſub Signo Capitis Epiſcopi in Divi *Pauli* Cœmeterio.

MDC LXXIV.

MAGNI MYSTERII PIETATIS EXPLANATIO.

LIB. I.

CAP. I.

1. *Quatuor præcipuæ* Myſterii *proprietates.* 2. *Prima proprietas,* Obſcuritas. 3. *Secunda,* Intelligibilitas. 4. *Tertia,* Veritas. 5. *Quarta,* Utilitas. 6. *Naturæ* Myſterii *aliquanto plenior Deſcriptio.* 7. *Totius Tractatûs Diſtributio.*

1. MYſterium unumquodq; legitimum his quatuor ſaltem gaudet Proprietatibus. Eſt enim pars ſcientiæ, Primò competenter *Obſcura*, recondita & abſtruſa; hoc eſt, Non eſt eò uſq; abdita difficilíſq; explicatu, quin, in Secundo loco, ſit ad modum debitum *Intelligibilis.* Tertiò, Non eſt ſolùm *Intelligibilis*, hoc eſt, iſtiuſmodi quam quis mente complecti poſſit ſine ulla rerum repugnantia, ſed *certò evidentérq; Vera.* Quartò & ultimò, Non eſt aliena aliqua inaníſq; ſpeculatio, ſed *Veritas* admodum *fructuoſa* & *utilis*: bene adjici etiam poteſt, ad *finem aliquem Religioſum.*

2. *Obſcuritas* autem hæc abſtruſáq; ejus ratio Myſterium reddit non ſolùm *auguſtum* magìs ac *venerabile* eis hominibus quibuſcum communicatur, ſed illud etiam abſcondit ab eorum oculis qui indigni ſunt qui ejus participes fiant. Unde quidam *Critici Myſterium* derivârunt à voce *Hebraica* מסתר quæ eſt à סתר *abſcondere.* In quo quidem quoad ſenſum bellè collineatur. Alii verò, majori cum peritia rerum Grammaticarum, agnoſcunt μυστήριον eſſe Græcum vocabulum nativum, indidémq; illius rationem petunt, nempe à μύειν, παρὰ τὸ μύειν τὸ στόμα, quoniam ii quibuſcum communicatur *ſilentium tenere* obligantur, nec illud indignis & inidoneis hominibus impertiri. Et ad hunc ſenſum *Chryſoſtomus* Myſterium interpretatur, τὸ ἀπόῤῥητον καὶ θαυμαστὸν καὶ ἀγνούμενον, *Materiam mirabilem, incognitam, nec facilè temerève cum aliis communicandam.*

3. Nec certè omnino communicari poſſet ſi nullo pacto poſſet intelligi. Quamobrem *Intelligibilitas* hoc inſuper Myſterio requiſitum adjicit, quòd indè ſit *communicabile* eis qui ritè præparati ſunt ad illud recipiendum. Quamobrem Etymologiarum Magiſtri hanc etiam rationem vocis μυστήριον reddiderunt, quòd ſit ſcilicet, à μύειν, quod eſt *docere* & *erudire* hominem in rebus ſacris, quouſq; ille idoneus ſit ad audiendum. Atq; hinc etiam fit μύστης *myſta*, Scholaris vel Inceptor in Divinis Myſteriis, talis qui non niſi leviter tinctus vel imbutus eſt cognitione hujuſmodi rerum ſacrarum.

4. Cæterùm poſtea clarior homini obvenit manifeſtatio, pleniórq; ſatisfactio; túncq; qui modò μύστης erat, jam ἐπόπτης evadit ſive ὁρῳφῶ, cùm magìs firmiter nunc perſuaſus

perſuaſus ſit de illa *Veritate* quam non niſi obſcurè antea perceperat. A qua claritate rei repreſentatæ ac certitudine neceſſariò oritur plenus libérq; mentis *Aſſenſus* abſq; omni addubitatione vel hæſitantia; cùm vulgatum illud verbum opportunè hîc expleatur, *Viſionem eſſe quæ firmam rei facit fidem.*

5. Verùm ut nè arida ac jejuna *fides* ſit ſine omni affectu ac complacentia in illius objecto, idcirco etiam addidimus, Myſterium hoc non ſolùm certò *verum* eſſe, ſed & apprimè *fructuoſum* & *utile*; quod tametſi vox μυστήριον ipſa non innuat, eſt tamen aliud in eadem lingua ejuſdémq; ſenſûs vocabulum quod apertè id indicat. Eſt autem τελεῖω, i. e. *In ſacris Myſteriis initiatio*; cujus *utilitatem Platonicus* quidam,nec ſine verbali alluſione, perquam optimè deſcribit ad hunc modum. Σκοπὸς τῶν τελετῶν ἐστιν εἰς τέλος ἀναγαγεῖν τὰς ψυχὰς ἐκεῖνο, ἀφ᾽ ἧς τὴν πρώτην ἐποιήσαντο κάθοδον, ὡς ἀπ᾽ ἀρχῆς. Quæ ſententia ſi transferre eam velimus in linguam magìs familiarem, ſic ſonat. *Quòd ſcopus utiq; finiſq; omnium Myſteriorum religioſorum eſt reſtitutio lapſi hominis ad priſtinam beatitudinis conditionem,reductióq; illius ad ſublimem illam ſtationem quam ille tunc primùm deſeruit, quando propriam ſuam voluntatem, voluptatémq; vitæ Animalis voluntati Dei præferebat, vitæq; illi ac ſenſui qui revera eſt divinus.*

6. Quamobrem, nè nimium diu in limine hæreamus, breviter & in genere concludimus, Myſterium eſſe partem Divinæ ſcientiæ mediocriter ſaltem *Abſtruſam*, ex quo ſit *Venerabilior*, & *Intelligibilem* ut fiat *Communicabilis*, & *Veram* ac certam ut *firmum* pariat *Aſſenſum*, & admodum deniq; *Utilem* & efficacem ad perficiendas hominum animas, eáſq; reſtituendas ad eam fœlicitatem ex qua olim exciderunt; ut *Utilitas* rei quæ tam propè eos tangit æquè poſſit *affectus* eorum ſibi attrahere atq; veritatis evidentia illigare ipſorum intellectus, atq; ità totus homo ferri in fervidum amplexum earum rerum quæ ipſi exhibentur per religionis ſuæ cognitionem.

7. Quæ generaliori hoc modo propoſuimus, magis particulatim jam tractabimus, pleniúſq; proſequemur quatuor eas primarias Proprietates in *magno illo Pietatis Myſterio* quam *Chriſtianitatem* appellamus, Tractatum diſtribuendo in quatuor has partes Principales. Quarum Prima pauliſper *Obſcuritati* noſtræ Religionis inſiſtet, Secunda ejus *Intelligibilitati*, Tertia *veritatis Certitudini*, Quarta ingenti illius *Utilitati*. Quibus tandem addemus quas conſiderationes maximè opportunas fore judicabimus de ſecundariis Proprietatibus quæ ex his primariis oriuntur.

CAP. II.

Chriſtianitatis Myſterio convenire, ut ſit mediocriter ſaltem obſcurum *ad excludendos ventri mundoq; deditos. 2. Quemadmodum & ad eludendos conatus inobſequentis eruditionis & induſtriæ. 3. Et ad oblectandos & perficiendos homines pios verbóq; Dei obedientes. 4. Gratificationes inſignes quæ Animabus ſpeculationi deditis ex* obſcuritate *Scripturarum obveniunt.*

1. NON mediocrem quidem eſſe *Obſcuritatem* in Chriſtiana Religione facilè evincitur tum è cauſis tum ex effectis hujus *Obſcuritatis*. Nam præterquam quòd ex communi Myſterii natura Chriſtianitas debet competenter *obſcura* eſſe & abſtruſa,ut indè *venerabilior* fiat & ab omni contemptu remotior; non poſſumus non videre quàm ſpecialis præterea in re ipſa congruitas ſit, ut tam ſanctum támq; immenſi momenti Myſterium, quàm eſt Religio noſtra, abſtruſum ſit & obſcurum. Divina enim illa Sapientia, quæ omnia juſtè ordinat, pretioſas illas veritates modo adeò expoſito & obvio communicare non debet, ut indigni æq; facilè ac digni ipſas percipere poſſint;ſed leves homines & voluptatibus mundóve deditos negligere, permittens unicuiq; merces ſecum domum reportare,pro ratione precii quod in communi foro perſolvere voluit:Cúmq; tantam valeant operam inſumere rebus vilibus & leviculi momenti, non oportet profectò eam ſe abſtinere à plectendo hos contemptores Margaritæ tam inæſtimabilis, æternâ illius jacturâ. Quàm enim manifeſta Hypocriſis eſt ſi quis ſe liberatum putet à Pietatis ſtudio, per querelas ſuas de difficultatibus illius Myſterii & ambiguitatibus, cùm tamen nè decimam quidem partem laboris ac ſtudii quod in res vulgares viléſq; hujus mundi impendere ſolet, in ipſum unquam hactenus impenderit?

2. Atq;

2. Atq; certè hoc pacto tum levi ac dissoluto *Voluptuario*, tum etiam *Mundano* nimis anxio ac solicito merita rependitur gratia; sed nec iis solis, *Obscuritas* enim hujus Mysterii de quo loquimur talis est ut universa Naturæ ac Geometriæ scientia ad profunditatem illius nunquam penetrare possit, ejúsve præstantiam sapere, nec omnimoda Linguarum peritia rectè illud interpretari, nisi verus ille Interpres magnúsq; *Mystagogus*, ipsius utiq; Dei Spiritus, dignetur illud nobis aperire, ipsúmq; mentibus nostris ità penitùs insinuare ut fidem gignat in nostris cordibus, adeò ut corda nostra nihil hæsitent dum externâ voce veritatem illius profitemur. Nam quod *ipsam literam* sacrorum Oraculorum attinet, Deus per ipsam non tam manifestò mentem suam exposuit, ut videri possit, baculum, quod dicitur, è manu propria cessisse, sed etiamnum humilem dirigit cordísq; simplicis hominem, dum scrutatorem superbum in hoc obscuro Veritatis campo inextricabilibus erroribus patitur defatigari. Quamobrem *immorigera* tum *Eruditio* tum *Industria* arcentur à plena certáq; hujus Divini Mysterii cognitione, æquè ac animus *Mundanus* ac *Voluptuarius*. Quemadmodum & beatus noster Servator pronunciavit in pia illa Doxologia, *Confiteor tibi, Pater, Domine Cœli & Terræ quòd absconderis hæc à sapientibus & intelligentibus, & ea detexeris infantibus. Etiam Pater, quia ità placuit tibi.*

3. Nec *impii* solummodò frustrà sunt per hujus sacri Mysterii *Obscuritatem*, sed magna profectò gratificatio fit *piis*. Etenim animus humanus cùm ex sua natura rebus cognoscendis ità deditus sit, cúmq; Intelligentia una sit è præcipuis illius facultatibus, non potest non esse ipsi valde oblectabile & jucundum nobilissimas mentis dotes in Divinissima Objecta collocare, admodúmq; congruum & decorum ut ejusmodi exercitiis consecrarentur. Ut taceam, præsentem de veritate addubitationem, sanctas animas magìs adhuc pias & à Deo pendentes facere, solo utiq; illo tuto ad veritatem fidelíq; Duce. Ex quo fit ut tantum nos abesse oporteat ab obmurmurando contra Divinam Providentiam, propter sacrarum Scripturarum Obscuritatem & ambiguitatem, ut eò magìs ob id mirari debeamus illius sapientiam, cùm tot támq; graves causas detexerimus cur divina Oracula debeant esse *Obscura*. Quippe quòd impios & prophanos homines procul hinc arcet & excludit, debitam Mysterii Reverentiam tuetur, & condignis deniq; Mystis multùm prodest magnoperéq; gratificatur.

4. Etenim, quid obsecro majorem in modum Homini gratificari potest (cujus ipsa natura *Ratio* est, Privilegiúmq; proprium *Sermo*) quàm ex Artium, Linguarúmq; peritia, per mentis sagacitatem, sedulámq; comparationem unius loci Sacrarum Paginarum cum altero, elaboratè eruere aut saltem clariorem reddere Divinam aliquam veritatem è Scripturis ad inopinatam suiipsius oblectationem generalémq; utilitatem Ecclesiæ? Quandoquidem charissima ejus Animæ facultas, summáq; naturæ suæ gloria plenissimo hìc agunt jure, & in tam laudabilem finem, ut non opus sit limitibus, sed infinitum esse possit gaudium & exultatio, cùm in eo cor triumphet in quo modus non facilè exceditur, in honore scilicet Dei, Bonóq; illius populi publico. Quæ omnes Animæ gratulationes in prosperis suis Divinarum veritatum prosecutionibus omnino perderentur, vel præverterentur, si in sacris Scripturis omnia tam plenè planéq; ac methodicè descripta essent ut Lectio nostra & Intellectio pari ubiq; passu procederent. Quam ob rem ut mens humana spirituali quasi quadam Agriculturâ condignè exerceretur & occuparetur, Deus Scripturam non fecit tanquam Hortum humano artificio excultum, ubi Ambulacra plana sunt & regularia, Arbores secundùm genera separatæ, & ordinatim sitæ, Fructus maturi, Herbæq; efflorescentes, omniáq; plenè visui nostro expositæ; sed potiùs tanquam Agrum rudem & incultum, ubi certè habeamus Solum abditáq; rerum pretiosarum semina, nihil tamen ad ullam Pulchritudinem, Ordinem, Perfectionem vel maturitatem absq; propria nostra industria perduci possit; nec sanè cum ea, nisi ros illius Gratiæ super eam descendat, absq; cujus benedictione spiritualis hæc cultura nihilo meliùs successura est quàm Agricolarum labor sine sole & pluvia.

CAP. III.

1. Obscuritas *Christiani Mysterii ab effectis probata, qualia sunt* Judæorum *Rejectio* Messiæ *sui.* 2. *Sectarum multitudo inter Christianos.* 3. *Opinionum earum differentiæ de* Trinitate. 4. *De* Creatione. 5. *De* Anima humana. 6. *De* Persona Christi. 7. *Et de* natura Angelorum.

1. HActenus Christiani Mysterii *Obscuritatem* arguimus ab illius causis, quibus evicimus oportere illud esse obscurum, ac proinde quòd ità esse valde sit verisimile. Verùm illius effecta adeò manifesta sunt ut si vel breviter ea indigitemus, necessariò extra omnem controversiam positum erit reverà sic esse.

Exempla jam pauca proferamus in medium. Cur *Judæi* nondum conversi sunt? vel potiùs quid est quòd primitùs *Messiam* suum repudiârint, nisi quòd Scripturarum Prophetiæ adeò obscuræ erant ut falsam de eo notionem præconcepissent, déq; illius conditione in qua esset appariturus? Expectabant enim illum tanquam potentem Principem futurum, qui regnum restituturus esset Israëli, Victoriámq;, Pacem, Prosperitatem, ac Dominium, super gentem Judaicam suâ operâ accumulaturus. Cui opinioni, credo, *Mosaicæ* Oeconomiæ vilitas, sub qua vixerunt, (quæ perpetuò ipsis proponebat mundana commoda tanquam Obedientiæ suæ præmia) illos illigaverat. Promissa enim illa cùm aut figurativa essent & Allegorica, aut miscerent aliquid de statu secundi adventûs Messiæ cum primo, cúmq; avidus eorum oculus omnino fixus esset in id quod secularem fœlicitatem maximè promittere videbatur, nullum alium sensum præter eum ipsum in scriptis illis Ænigmaticis illi profectò observare potuerant. Quæ tamen satìs clara erant omnibus quos Deus ad eorum Intelligentiam præparârat, quíq; ad electionem Gratiæ pertinebant. Potuit verò, si ità sapientiæ illius visum fuisset, omnia tam manifesta facere, ut nihil opus foret hodie Judæorum vocationem expectare, sed longè antehac in unum nobiscum corpus coaluissent. Verùm ipsorum rejectio in majorem nobis cedit Veritatis Religionis nostræ confirmationem & certitudinem, cùm eam vel ex eis ipsis monumentis demonstrare possimus quæ ab apertis nostris Inimicis custodiuntur. Et prætereà, nemo majori cum Ratione requirere potest ut totus Israël simul confluxurus fuisset ad Christum quamprimùm apparuit, quàm ut secundus Adventus conjungendus fuisset cum primo, primúsq; retro reducendus ad seculum post lapsum Adami proximum; nec id certè meliori jure, quàm ut Autumnus in Æstatem & utriq; in Ver tanquam in unum cumulum conjicerentur. Consilia Dei simul sunt ac semel, sed ipsorum completiones lentè matureścunt debitóq; ordine & tempore.

2. Cæterùm, tametsi *Judæos* missos faceremus, nósq; contineremus intra eorum limites qui aut sunt aut haberi volunt *Christiani*; eorum certè opiniones ac Sectæ & fuerunt & etiamnum sunt tam numerosæ, ut vel ipsa memoratio tam manifestæ Veritatis sufficere possit ad evincendam *Obscuritatem* illorum Oraculorum ad quæ omnes provocant. Exempla producam solummodò in rebus majoris momenti, quod satìs certum pignus erit innumerabilium dissensionum in minoribus.

3. Quamobrem, ut nihil dicam de Mysterio illo maximè arduo *Trinitatis* in divino Numine, (ubi difficilis illius Problematis Speculatores curiosi primò dividuntur in *Trinitarios* & *Anti-Trinitarios*, deinde *Trinitarii* in *Heterusianos*, *Homusianos*, & *Homœusianos*,) videbimus eos profectò dissentientes, non solùm in Personarum distinctione sed & in ipsa Divina Essentia. Dum Alii affirmant Deum esse infinitum, alii finitum, Quidam Spiritum, alii Corpus, Tertii non solùm Corpus sed & figurâ humanâ præditum. De qua Opinione *Anthropomorphitæ Ægyptii* tanto cum zelo & confidentia contenderunt ut Episcopum *Alexandrinum*, præ mortis metu, ad subscribendum huic ipsorum tam crassæ imaginationi cogerent.

4. Rursus de *Creatione Mundi*, Alii affirmant Deum fecisse ex materia sibi coæterna nec ab ipso dependenti; Alii ex nihilo eum creâsse; Alii non fecisse omnino, sed factum esse ut quidam statuunt ab Angelis, ut alii à Diabolo.

5. De *Anima humana*, Quidam asserunt, quòd subsistit agítq; antequam veniat in corpus; Alii in corpore solo; Alii nec in eo, ut qui reverà tenent Animam non esse, sed ipsum corpus per seipsum omnia peragere. Quod quidam tenent aliquando resurrecturum esse, Alii nunquam, sed totum Christianitatis Mysterium in hac vita perfici.

6. De

6. De *Chriſto*, quidam arbitrabantur eum ſolum Deum eſſe in humana ſpecie ſe exhibentem; Alii hominem ſolum, Alii utrumq;, Alii neutrum.

7. De *Angelis*, quidam affirmant eos corpora eſſe Ignea vel Aërea, alii Spiritus puros, alii Spiritus corporibus Aëreis vel Igneis indutos; Alii quòd nihil horum ſint, ſed *momentaneæ ex Deo Emanationes*; alii deniq; quòd ſint nihil aliud quàm *Divinæ quædam Imaginationes* in hominum mentibus. Quod nullo pacto admitti poteſt, niſi quis fortè ferre poſſit ſanctum Patriarcham *Abrahamum* eò uſq; per ætatem delirâſſe, ut tenero opimóq; vitulo, tribúſq; panibus ſubcineritiis tres divinas Imaginationes exciperet, quæ ipſum in tabernaculo ſuo inviſerant. Cæterùm pro certiſſimo habendum eſt, tam levia ac enormia gloſſemata quàm hæc ſunt nihil aliud arguere poſſe, quàm obliquam in ipſum Textum, omnémq; omnino Religionem, contumeliam, interpretémq; Chriſtianum non eſſe, ſed aut Atheum aut ſaltem Infidelem. Quamobrem ut hujuſmodi animas temerarias polluti perverſiq; ſui Ingenii dictatis relinquamus, conſiderabimus potiùs pauculas quaſdam ſed maximi momenti difficultates, in quibus quidam homines aliàs, intra ſuam profectò Sphæram, ſatìs intelligentes, ſatíſq; ſtrenui Autoritatis ſacrarum Scripturarum aſſertores, à reliquis pleriſq; Chriſtianis diſſentiunt.

Prima difficultas eſt, *De Trinitate Perſonarum in Unitate Deitatis.*
Secunda, *De Divinitate Chriſti.*
Tertia & ultima, *De ſtatu Animæ poſt mortem.*

Quæ quidem Theoremata quamvìs ſint, fateor, ſubtilis ſpeculationis, videntur tamen tam neceſſaria & eſſentialia, duo priora præſertim, Religioni Chriſtianæ, ut è re fore putaverim ea ſiccâ mentione non præterire, nec ſanè multa dicere in tam profunda plenáq; Myſterii materia.

CAP. IV.

1. Trinitatem *è Schola* Platonis *non eſſe introductam per Patres in Eccleſiam.* 2. Platonicæ Trinitatis *deſcriptio*, differentiæq; *Hypoſtaſeôn.* 3. *Deſcriptio* Unitatis *earum.* 4. *Cúrq; omnes tenentur debitum Adorationis Objectum.* 5. *Irrefutabilis Rationabilitas* Trinitatis Platonicæ, *quam tamen declinabant Patres, planè demonſtrat Trinitatem è ſchola* Platonis *non fuiſſe introductam in Eccleſiam.* 6. *Quod porrò evincitur ex conſenſu notionis* Platonicæ Trinitatis *cum verbis phraſiq;* Scripturæ. 7. *Si Chriſtiana Trinitas è* Platonis *Schola petita fuiſſet, non tamen ſequi, quòd Myſterium ſit Paganicum.* 8, 9, 10. Trinitatem *eſſe, multis probatur ſacræ Scripturæ Teſtimoniis.*

1. JAM verò quod primum attinet; *Trinitas*, inquiunt illi, in genere contra ipſam objectantes, nihil aliud eſt, niſi Paganicum quoddam atq; Ethnicum figmentum è Philoſophia *Pythagoræ* aut *Platonis* accerſitum, & doctrinæ Eccleſiæ per antiquos Patres inſertum, quorum pleriq; erant *Platonici.* Ad quod reſpondeo; Quòd non eſt omnino veriſimile, Patres à ſchola *Platonis* Trinitatis Myſterium mutuatos eſſe, quemadmodum facilè intelligetur poſtquam, quantùm præſenti Inſtituto inſerviturum ſit, *Platonicæ Triados* doctrinam explicaverîmus. Quæ breviter ſic eſt.

2. Tres ſunt, inquiunt illi, Hypoſtaſes in Deitate, verbi gratia, Τἀγαθὸν, νοῦς, ψυχὴ, hoc eſt, *Bonum*, ſive *prima & quæ ipſa ex ſe exiſtit Bonitas*; *Intellectus*, ſive *Mens æterna*, & *Anima* deniq; ſive *Spiritus.* Suum verò Τἀγαθὸν, appellant etiam *Platonici* Τὸ ἕν. Omniáq; tria ad hunc modum diſtinguunt.

Τἀγαθὸν	Τὸ πρῶτον ἕν
Νοῦς	Ἓν πάντα
Ψυχὴ	Ἓν καὶ πάντα.
Bonum.	*Primum Unum.*
Intellectus.	*Unum Omnia.*
Anima.	*Unum & Omnia.*

Si intelligentiam hîc noſtram paululùm ſublevare velimus Imaginationis adminiculo, *Primum* poſſimus comparare cum ſimplici puróq; Lumine; *Secundum* cum

lumine in colores variegato, quemadmodum fit in Iride; *Tertium* cum illis Luminis Radiis (totum enim lumen est) qui recipiunt & deferunt hos colores ad terram usq; , cósq; imprimunt & reflectunt ab immoto aliquo stagno aquæve conceptaculo. Rursus, prima Hypostasis est καθ' ὐσίαν τἀγαθὸν, καθ' αἰτίαν νοῦς. *Essentialiter Bonum, Causaliter Intellectus.* Secunda est καθ' ὐσίαν νοῦς, καθ' αἰτίαν ψυχὴ, καὶα μέθεξιν τἀγαθόν. *Essentialiter Intellectus, Causaliter Anima, Participativè Bonum.* Tertia est καθ' ὐσίαν ψυχὴ, hoc est, Ἕξως ϗ δημιυργία, καθ' αἰτίαν ὕλη ϗ κόσμος, ϗ μέθεξιν νοῦς ϗ τἀγαθόν. *Essentialiter Anima*, hoc est, *Amor* & *Operatio*, *Causaliter Materia & Mundus*, *Participativè Bonum & Intellectus.*

3. Nunc verò quantùm ad *unitatem* trium Hypostaseôn, illius perfectionem optimè per gradus intelligemus. Ut, primò, quòd vita propria atq; energia, si ità fas sit loqui, uniuscujusq; Hypostaseôs intra seipsam non coërcetur, sed ad instar vocis alicujus soníq; audibilis in silenti nocte, per universàm Deitatem perpetuò resonat, vel quemadmodum fit in Cantico trium Partium dum canitur, Cantatores singuli totâ fruuntur Harmoniâ.

Verùm hoc, fateor, propiùs ad imaginem accedit *Communitatis* quàm *Unitatis.* Ac proinde gradum alterum faciamus, affirmemúsq; , Quemadmodum Corpus & Anima concipiuntur unum hominem constituere, & Corpus hoc individuum individuáq; hæc Anima constituere hunc individuum hominem; ità & tres Hypostases concipi posse unam individuam constituere Deitatem, cùm & ipsarum unitas mutuáq; suiipsarum actuatio infinitis vicibus perfectior sit quàm in ulla re alia quacunq; fingi potest. Quódq; quemadmodum motiones Corporis ab humana Anima percipiuntur, Animæq; humanæ impressiones in corpus ab ipso itidem perciperentur, si ullam haberet in seipso percipiendi facultatem; ità ex arctissima hac & ineffabili trium Hypostaseôn unitate mutuáq; Actuatione singulæ ipsarum peculiares Energiæ ab omnibus invicem perfectè percipiuntur. Vitáq; Primæ modis adeò infinitis & ineffabilibus Secundæ gratificatur & utrarumq; Tertiæ ex immutabili necessitate naturæ & congruitate, ut manifestum sit eas non nisi unam habere posse voluntatem, quod est Cor ipsum, Centrum sive Radix Deitatis, puta, *Æterna & ex seipsa genita Bonitas.*

Tertiò verò & ultimò, Hæ tres Hypostases non solùm *unæ* sunt ex *unitate* hac mutuæ *Actuationis* quæ *separabilitatis realis* capax videri potest, sed est etiam *realis* quædam in ipsis *Unitas* atq; *Identitas*, cùm distinctio inter ipsas, quemadmodum loquitur *Tatianus*, ϗ μεσισμὸν sit ὃ καθ' ἀποκοπὴν, ad instar Radiorum Solarium ratione Solis; vel si malles, ut se res habet in Centro, Radiis & superficie Globi, quem repugnat concipi absq; ipsis, vel in facultatibus Animæ respectu Animæ ipsius, quæ ab ipsa æquè inseparabiles sunt quàm ipsa est à seipsa.

Cum igitur omnium Unitas, Emanatióq; Secundæ & Tertiæ è Prima adeò naturalis sit, necessaria & inevitabilis (Prima enim sine Secunda non magìs esse potest, nec Secunda sine Tertia, quàm Sol absq; suis radiis Animáve absq; suis facultatibus) nullus restat scrupulus, inquiunt illi, quin hoc rectè appellare possimus *Divinum Numen* sive *Deitatem*, cùm Secunda Tertiáq; è Prima Radice tam inevitabiliter emergunt & ab ipsa adeò sint inseparabiles. Ac proinde nihil hîc est quod propriè creatura dici potest, quandoquidem Creatio *libera* est actio & *in tempore*, Emanatio hæc *necessaria* & *æterna.* Quodsi creatura non sit, quid obsecro esse potest nisi Deus?

4. Cúmq; ex his tribus omnia sint quæ facta sunt, ínq; earum manibus rerum omnium sint Gubernacula, nihil minus quàm *divina adoratio* ipsis de jure competere potest. Quanquam enim aliqualis esse possit excellentiæ earum submissio vel diminutio in ipsarum descensu à prima, tamen cùm omnes rectè habeantur Creatores nostri & Gubernatores, nullam quidem ex ipsis oportet Divino cultu excidere.

5. Hoc summarium est compendiosissimum doctrinæ *Platonicorum* de *Trinitate divini Numinis.* Quæ quidem, quemadmodum in seipsa satìs rationi consona videtur, ità nec obnoxia audaculis illis cavillationibus quas nimis temeraria Ingenia contra sacrum *Trinitatis* Mysterium expromunt; Urgentes contra distinctionem Personarum sine Essentiarum differentia, illas non nisi tres *Logicas* notiones esse uni *singulari* ac *individuæ* naturæ attributas; Contráq; tres Essentias ejusdem naturæ, videri eas superfluam quandam esse ac gratuitam ejusdem rei Repetitionem, ingénsq; illud chasma Deum inter mundúmq; creatum æquè hiulcum hoc pacto esse atq; antea; Omninóq; concipi non posse quin cùm ultima Hypostasis ejusdem prorsus naturæ sit cum prima, ipsa etiam esset prolifica & sic in infinitum: Quòd necesse sit ut hi tres omnes Dii sint, si quisquam ex ipsis sit Deus, cùm ejusdem prorsus generis sint omnes, contrà quàm in *Platonica* Triade fit ubi prima sola Hypostasis est αὐτόθεος,

quem-

quemadmodum quidam ausi sunt etiam affirmare de Trinitate Christiana. Nunc igitur dico, cùm omnia tam facilia támq; irreprehensibilia sint, in speculatione hujus Mysterii *Platonicâ*, videtur profectò planè impossibile, si antiqui Patres hanc *Trinitatis* Notionem à *Platonicis* mutuati fuissent, quin eam insuper juxta hunc faciliorem modum magísq; plausibilem voluissent explicare.

6. Verùm objicies, Quòd, tametsi hoc genus explicatio videri potest in se rationi magìs consona, possit tamen fortean non tam aptè Scripturarum locis quadrare, indéq; fieri quòd Patres, quamvìs Mysterium in genere à *Platone* accepissent, particulatim tamen illud ad mentem *Platonicorum* non explicuerint. Verùm enimverò non hoc solùm certum est, nullum esse Scripturæ locum qui cum suprà descripto Mysterio digladiatur, sed etiam multos esse qui magna cum probabilitate pro eo produci possint. Manifestum enim est, quòd, quemadmodum Secunda Hypostasis in *Platonismo* vocatur, Νοῦς, Σοφία, & Λόγος, ità etiam in *Christianitate* appellatur Λόγος & Σοφία, tanquam si *Sapientia* & *Intellectus* illius utrobiq; character proprius agnosceretur. Possent etiam satìs verisimiliter in sensum suum trahere id quod Christus loquitur Johan. 14. 28. *Pater major est quàm ego.* Quódq; de Spiritu profert cap. 16. 14. *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet quod renunciabit vobis.* Quamobrem, dico, cùm Patres ex omni parte tam blandè invitarentur ad introducendam *Platonicam* Trinitatis notionem in Ecclesiam, quòd proculdubio, si ipsi *Platonici* fuissent Mysteriúmq; ex ista schola accersivissent, facere non potuissent quin eam in Ecclesiam introduxissent.

7. Secundò, Concedamus antiquos Patres *Platonicos* fuisse, Mysteriúmq; Trinitatis indè in Ecclesiam Christianam introduxisse; non tamen continuò sequitur quòd sit propterea *Paganicum Ethnicúmve* Mysterium, cùm *Pythagoras* & *Plato* illud non acceperint à *Paganis* vel *Ethnicis*, sed à doctis *Hebræorum*, quemadmodum multi Autores asserunt, ipsósq; *Hebræos* à longa temporum serie recepisse tanquam divinam Traditionem; talísq; *Platonismus* agnoscitur apud *Iamblicum* qui ipsum appellat φιλοσοφίαν διοπαρέδοτον. Et proculdubiò nisi magna aliqua ratio subfuisset, homines tantæ & tam profundæ scientiæ quantæ erant *Pythagoras*, *Plato*, *Plotinus* aliíq;, propagando illi mysterio & enucleando nunquam tantum operæ impendissent.

8. Tertiò & ultimò, Dico non solùm impium esse sed & vanum & ineptum Paganismi titulo dedecorare illud Mysterium, quod tam apertè eis qui nullo laborant præjudicio, descriptum expositúmq; est in sacris Scripturis. Nam ipsa forma Baptismi præscripta à Servatore satìs evidenter denotat tres divinas Hypostases. De *Patre* nulla est controversia. De Divinitate *Filii* plenìùs differemus in secunda difficultate quam proposuimus. Quòd *Spiritus* non est mera Potentia, Proprietas vel Attributum Dei, sed Hypostasis, quidam, qui satìs immunis est omni Ecclesiarum Traditionúmq; servitute, & (quemadmodum ipse autumat) admodum strictus fidúsq; sacræ Scripturæ assectator, satìs apertè agnoscit, dum eum facit Angelum aliquem creatum, qui titulum Sancti Spiritûs gerit, diviníq; illis omnibus fungitur muneribus quæ sancto Spiritui attribuuntur.

Sed non opus est ut per cujusquam errorem veritatem tueamur, cùm ad seipsam sustentandam ipsa sibi sufficiat, ac proinde nullis aliis auxiliis utemur quàm quæ ipsa Scriptura nobis offert. Atq; hîc Baptismi forma aliquid argumenti nobis suppeditat quo evincamus, Spiritum Sanctum non esse *Attributum* sed *Hypostasin*. Etenim cùm Βαπτίζειν εἰς τὸ ὄνομα sit, seipsum tradere Disciplinæ, Regimini & Autoritati hujus vel illius *Personæ*, sensus maximè naturalis & incoactus esset, concipere *omnes tres* commemoratos in forma esse *Personas*, cùm tam manifestò nobis constet de duobus quòd sint.

Cæterùm alia sunt Scripturæ loca quæ rem clariorem reddent. Rom. 15. 13. *Utinam verò Deus spei impleat vos omni gaudio & pace credendo, ut spe abundetis* ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου *per potentiam Spiritûs sancti.* Nunc igitur si Spiritus sanctus mera Potentia esset non Persona, quàm ridicula hæc esset Tautologia? Sensus enim esset, *per potentiam sanctæ Potentiæ.* Rursus, Johan. 16. 13. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, &c. Ἐκεῖνος & τὸ πνεῦμα conjuncta pessimam faciunt Syntaxin, nisi *Personalitas* sit in sancto Spiritu, quod ex eo quod sequitur admodum est evidens. *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunq; audierit loquetur.* Accipere ab uno ídq; cum aliis communicare per modum audiendi & loquendi, cuinam illud competere potest præterquam *Personæ* vel *Hypostasi?* Huc etiam adjicere potes quod occurrit Marc. 13. 11. *Quicquid datum fuerit vobis illo momento, id loquimini; non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus Sanctus.*

Nunc verò quòd hæc Hypostasis non sit Angelus creatus inter alia argumenta ipsa

ipsa Christi conceptio videtur nobis demonstrare, cùm multò magìs congruum sit ut ille qui olim aquis incubabat, creavítq; mundum, sanctum illum Fœtum formaret in matrice Virginis, quàm ut Angelus quisquam creatus animum ad hoc opus appelleret. Etenim hoc pacto Christus non fuisset *filius Dei* sed *Angeli* quantùm ad nativitatem suam in Tempore.

9. Præterea, unus hic individuus spiritus repræsentatur in Scriptura tanquam ubíq; paratus ad sanctificandum, ad regenerandum, ad varia dona gratiásq; Ecclesiæ distribuendum; per Prophetarum ora dicitur locutus, & καρδιογνώστης θῦ esse sive intimorum cordis perscrutator. Baptismus etiam & benedictiones ipsius nomine impertiuntur. Ipsum deniq; in rebus dubiis attestamur, quæ divini cultûs pars est. Quæ omnia rectiùs de eo intelliguntur quem propriè *Dei spiritum* appellamus, quàm de ullo particulari *Angelo creato.*

10. Unum solummodò locum superaddam, qui rem extrà dubium positurus est eis qui de ipso Textu nihil dubitant. 1 Johan. 5. 7. *Nam tres sunt qui testificantur in Cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.* Ecquid scribi potest manifestius ad probandam Divini Numinis *Tri-unitatem*? Quantùm verò ad eos qui suspicantur sententiam supposititiam esse, equidem mihi illud negotium non facessam ut opinionem illorum refellam, cùm id pensi à nupero quodam Interprete tanto cum judicio & soliditate jam absolutum sit, ut nihil præter præjudicium & pertinaciam efficere possit ut quisquam non convictus à tam clara demonstratione decedat. Quamobrem cum de veritate hujus primi Articuli circa divini Numinis *Tri-unitatem* satìs certi simus, pergamus nunc ad proximum qui est de *Christi Divinitate.*

CAP. V.

1. *Quòd genuinus sensus Capitis primi Johannis* Divinitati Christi *evidens perhibet testimonium.* 2. *Pressio magìs particularis circumstantiarum illius capitis in eum finem.* 3. Johannem *usum esse voce* λόγος *in sensu* Judaico *vel* Cabbalistico. 4. Trinitas, Christíq; Divinitas *probatæ à divino cultu ipsi debito, & ex eo quòd sacrificium pro peccato factum sit.* 5. *Quòd negare* Trinitatem & Divinitatem Christi, *vel unionem nostram cum Deitate ejusdem generis facere cum illa Christi, est Christianitatem subvertere.* 6. *Inutilitas & protervitas fictæ & affectatæ* Deificationis *Enthusiastarum; quámq; pernicioſa illa sit Religioni Christianæ.* 7. *Providentia Dei in præparando gentes per* Platonismum *ad faciliorem receptionem* Christianitatis.

1. QUòd Christus non sit ψιλὸς ἄνθρωπος sive *mera Creatura*, sed divina Hypostasis, aut *verè*, *realiter* & *Physicè* (non *Allegoricè* & *Moraliter*) cum illa divina Hypostasi conjunctus qui λόγος appellatur, si homines nollent obfirmatas suas præconceptiones secum adducere, sed facilem nativúmq; sensum Textûs auscultare, initium certè Evangelii S. *Johannis* huic controversiæ statim finem imponeret. Appello enim quemlibet, suppositò quòd unio humanæ naturæ Christi cum λόγῳ vera sit, quonam ea aptiori, significantiori, magísve rem ipsam condecenti modo exprimi potuisset quàm jam expressa est in ipso prædicti Evangelii principio. Quamobrem in alios sensus illud interpretari, nihil aliud est quàm seipsos deludere, ipsáq; Scripturâ abuti, dum animi ipsorum tam fœdis præoccupantur præjudiciis. Cujus violentiæ, quam in sacras paginas adhibent, ipsi tam facilè sibi conscii esse non possunt, cùm plenum se jus nactos esse putent distorquendi ipsas in quamlibet partem potiùs quàm ut eas in eo situ jacere sinant quo tam manifestò digitum intendunt in hujusmodi Mysterium quod hi impossibile esse arbitrantur apertéq; sibiipsi repugnare. Ità enim temeraria ipsorum cæcáq; ratiocinatio prædeterminavit, & de *Trinitate*, & de *Divinitate Christi.* Eis verò qui nulli parti addicti sunt hic Textus eam habet in se evidentiam, ut non possit non abunde fidem eorum confirmare.

2. Cur enim omitteret *Evangelista* modum & circumstantias *Nativitatis* Christi, *quatenus homo est*, nisi quòd intentus esset *æternæ ipsius generationi* narrandæ, *quatenus est Deus?* Cúrve eum non appellaret eo nomine quod ipsi datum erat in sua circumcisione, vel nomine *Christi* sive *Messiæ*, qui persona erat quæ expectabatur *in tempore*, nisi quòd cogitationes ejus retrò ferebantur *ad id ipsius quod ab omni erat*

erat Æternitate? Neq; profectò concipi poteſt quòd hîc nuncuparetur λόγ☉ vice *Jeſu* vel *Chriſti*, niſi magnum aliquod ſubeſſet Myſterium à doctis ope *Judaicorum* Interpretum detegendum, qui ſæpenumerò loquuntur de verbo Domini tanquam de *Hypoſtaſi* à Deo diſtinguenda, ſed tali tamen per quam Adamum creavit reliquáſq; creaturas. Et quod me attinet, equidem nullus dubito quin Philoſophi *Græci*, utì *Pythagoras* & *Plato*, non ſolùm ſuum λόγον nacti ſint, ſed & totum ſuum Trinitatis Myſterium è Divinis Traditionibus apud *Judæos*. *Philo Judæus* frequenter de hoc principio in Deitate loquitur, λόγον θεῦ ipſum appellitans vel τὸν θεῖον λόγον· aliquoties θεὸν, aliàs πρωτόγονον θεῦ υἱόν· mundiq; creationem illi attribuit, quemadmodum & ſanationem morborum animi & purgationem Animarum à peccatis: adeò ut hic Author optimus eſſe poſſit Commentator in primum hoc caput *Johannis*.

3. Quamobrem cùm ſit hæc λόγ☉ notio apud *Judæos*, cui Mundi creationem & gubernationem attribuebant; cùm idem & hîc fiat, quid veriſimilius eſſe poteſt quàm quòd *Johannes* eum ipſum λόγον indigitet qui eſt *Creator* & *Gubernator* omnium? Quod vel ipſa Phraſis rerúmq; ordo porrò confirmant. Nam proculdubio hoc ἐν ἀρχῇ in *Evangelio* idem eſt quod illud ἀπ' ἀρχῆς in prima *Epiſtola Johannis*. Et quid ἀπ' ἀρχῆς ſignificet eadem Epiſtola explicabit, cap. 2. 14. *Scripſi vobis, Patres,* ὅτι ἐγνώκατε τὸν ἀπ' ἀρχῆς, *quoniam nôſtis eum qui eſt æternus.* Chriſtúſq; per Prophetam *Iſaiam* appellatur אבי עד *Pater æternus.* Hic enim ſenſus eſt maximè proprius vocis עד, quemadmodum apparet ex Iſaiæ 57. 15. *Hoc dicit excelſus & ſublimis* שכן עד *habitans æternitatem.* Neq; incongruum eſt ut idem ipſe *Dei Filius* ſit & *Pater ac Gubernator* omnium creaturarum. Propheta *Michæas*, cap. 5. de Chriſto vaticinans, eum ad hunc modum deſcribit, καὶ αἱ ἔξοδοι αὐτῦ ἀπ' ἀρχῆς ἐξ ἡμερῶν αἰῶν☉, *Emanationes ejus à principio, à diebus Æternitatis.* Quod cum eo optimè convenit quod Chriſtus profitetur de ſeipſo, Johan. 8. πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθ ἐγὼ εἰμι. Nam ſi ante *Abrahamum* erat, nulla eſſe poteſt queſtio quin ante omnia etiam fuerit; nec niſi optimo jure id ipſi attribuendum ſit quod apud Pſalmiſtam occurrit, πρὶν τὰ ὄρη γενηθῆναι σὺ εἶ, *Priuſquam montes fierent aut formaretur Terra & Orbis, à ſeculo & uſq; in ſeculum tu es Deus.* Johan. 8. 58.

Jam verò quantùm ad rerum ordinem, poſtquam Evangeliſta bis aſſeruerat quòd λόγ☉ erat in Principio, ut nemo errare poſſit putaréq; illud intelligendum eſſe de *principio Miniſterii*, quatenus erat *Meſſias*, enarrat porrò juxta doctrinam *Judæorum*, quòd *omnia per eum creata ſunt*; & verſu decimo, ut nullum relinquatur ſubterfugium, aſſerit inſuper *quòd etiam ille ipſe Mundus qui per eum creatus erat, ipſum non noverit*; quod excludit prorſus omnes morales & myſticas interpretationes, planéq; oſtendit ipſos homines impios, quanquam ipſorum impietas non ſit, ejus eſſe creationem & conſequenter univerſum mundum prætereá. Authórq; ad Hebræos novum hujus veritatis Teſtem ſe adjungit, illud Pſalmiſtæ citans de Filio Dei, *Tu initio, Domine, terram fundâſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli.*

4. Cæterùm aliud adhuc ſupereſt Divinitatis Chriſti Argumentum quod nihil attinet probare, quum ipſum adverſarii ſponte concedant. Eſtq; *cultus divinus* Chriſto debitus, quem ego ſanè nemini deberi arbitror præterquam ſoli Deo. Colere enim eum qui non eſt Deus, eſt in antiquos Paganorum ritus relabi, qui hominum cultores erant & mortuorum ſacrificia comedebant. Nam *Jupiter*, *Belus*, *Bacchus*, *Vulcanus*, *Mercurius*, *Oſiris* & *Iſis*, reliquíq; Paganorum Dii quid erant niſi mori homines quorum beneficentiæ præclaráq; facinora Divinos honores poſt mortem à ſuperſtitioſa poſteritate extorſerunt? Quamobrem Chriſtus non debet eſſe merus homo ſed Deus, hoc eſt, *realiter* & *Phyſicè* uniri debet cum ipſa *Deitate*, quam ipſi oportet præſentem eſſe non per modum nudæ *Aſſiſtentiæ*, ſed per modum *Informationis*, ut, *quemadmodum corpus & Anima unus homo eſt, ità Deus & homo unus ſit Chriſtus.* Verùm ſi nulla eſſet *Trinitas*, ſed una ſola *Hypoſtaſis* in *Deitate* ac *humanitate* Chriſti ad hunc modum conjunctis, quomodo ſacrificium fieri poſſit pro peccato, cùm nemo eſſet præter ſeipſum cui poſſit offerri? Aut quomodo ab alio mitti poſſit, cùm nemo alius ſit qui eum mittat? Nec Filius Dei è ſinu Patris dici poſſit pati, ſed ille ipſe qui iratus eſt ſacrificium fieri ad propitiandum ſeipſum. Quæ quidem res admodum abſurdæ ſunt & incongruæ.

Sed objicies, quòd Abſurditas hæc etiamnum manet in ſecunda Hypoſtaſi. Etenim annon illi peccatum æquè contrariatur ac Primæ & Tertiæ, & conſequenter annon illa etiam eſt æquè irata? Ac proinde cùm illa paſſa ſit in natura noſtra, manifeſtum eſt eum mactatum fuiſſe ad propitiandum ſeipſum. In qua difficultate ſolvenda, lubens profectò admittam omnes tres Hypoſtaſes æquè peccato iratas fuiſſe, eáſq; ſimiliter pari commotas miſericordiâ erga peccatores. Qui miſericors affectus

erga

erga genus humanum in Deitate erat ante incarnationem & mortem Christi. Sed Declaratio formalis, visibilísq; Consignatio hujus Reconciliationis facta est per *Jesum Christum*, juxta rationem quâ revelatur in Evangelio; cujus transactiones rerúmq; ministrationes nostrâ gratiâ susceptæ nihil aliud sunt quàm *suavis quædam divinæ sapientiæ condescensio blandáq; suiipsius demissio & attemperatio in hoc Mysterio ad humanæ naturæ facultates proprietatésq*, ut accommodo hoc artificio lucrifaciat nos firmitérq; devinciat ad amorem & obedientiam. Atq; ea propter, cùm omnes tres Hypostases pariter irascerentur peccato, paritérq; proclives essent ad condonandum peccatori, illæ conjunctim talem Rationem declarandæ hujus condonationis adinvenerunt, quæ & suam maximam displicentiam atq; odium contra peccatum ostendere posset, simúlq; summâ vi agere in ipsum peccatorem ad permovendos illius affectus ad sincerum dolorem ac pœnitentiam. Quamobrem divina Commachinatio hæc erat; Ut æternus utiq; Dei Filius esset incarnandus, & ad demonstrandum Dei odium contra peccatum mactandus faciendúsq; sacrificium expiatorium pro peccatis totius Mundi. Quo nullum quidem præstantius machinamentum excogitari potest ad permovendos hominum animos ad abhorrendum peccatum & ad amandum illius legem qui ità redemit nos, & per proprium sanguinem in gratiam nos reconciliavit cum suo Patre. Ad quem, (cùm sit, ut ità dicam, Deitatis caput rerúmq; aliarum omnium, habeátq; ex paterno jure primam potestatem puniendi & condonandi peccata) Pacificatio hæc ex ipsa rei natura quàm aptissimè dirigitur. Nam unum idémq; est atq; si Pater-familias Gentísve Princeps, quamvìs ipsi in animo sit veniam indulgere alicui reo, tamen nè nimis pronus videretur ad misericordiam, itáq; subditos ad rebellionem animare, consilium iniret cum maximo natu filio, ut ille apud ipsum sit admodum vehemens intercessor, in gratiam rei, quanquam ipsi filio non minùs displicet crimen illius pro quo intercedit, quàm suo displicet Patri. Eadem prorsus ratio est de Intercessione *Christi* apud æternum Patrem, nisi quòd erat majori cum animi ardore & agone, (etiam ad mortem usq;) momentíq; longè majoris. Cæterùm ut talis Intercessio & Pacificatio conflari posset è solitaria scena unius Personæ, planè est impossibile.

5. Quamobrem *Divinitatis Christi* Negatio, vel *Trinitatis* videtur planè Religionis Christianæ subversio: Neq; ea solùm, sed & *Fanatica illa* Species *Protervitatis* ac *Superbiæ* in aliquibus *Enthusiastis* qui *suam unionem* cum Deo ejusdem generis esse volunt cujus est *illa Christi*. Hoc enim pacto verè essent Deus, divináq; Adoratio ipsis competeret. Sin minùs, indicium est eos non esse Deum, ac proinde nec ipsum Christum esse. Quorum utrumlibet Religionem nostram confundit & destruit. Cæterùm si roges quænam differentia sit inter Christi unionem nostrámq; cum Divinitate, illud paulò suprà innui. In una Divinitas est *Forma informans*, in altera *Forma assistens* solummodò: In una est tanquam *lux* in corpore *lucido*, in altera tanquam *lumen* in corpore *pellucido*. Divinitas in Christo est tanquam lux in Sole, Divinitas in ejus membris tanquam lumen solis in Aëre.

6. Atq; hâc distinctione debitáq; distantiâ servatâ, quam quidem protervi altéq; inflati *Enthusiastæ* non observant, relinquitur ipsis adhuc satìs spacii satísq; animationis quâ contendant, ut ad minimum tam boni sint quàm præ se ferunt, longéq; meliores, (sat scio) quàm reverà sunt; cùm utplurimùm nulla alia inveniatur differentia hos inter maximéq; vulgares Christianos, quàm quòd ipsorum linguæ majori verborum tumore sermonísq; æstu exturgescant, mentésq; pluribus vanis imaginationibus, enormibúsq; deliriis impleantur; cùm alteri è contrà modestè loquantur conformitérq; Apostolicæ fidei, & minori cum strepitu honestiùs vivant. Cæterùm cùm nulla minor unio cum Deo quàm *Realis* & *Physica* Deificatio sufficiat ad bonos eos reddendos, indicium est eos, homines esse pessimos, superbiámq; communi sensu ac ratione ipsorum intellectus spoliâsse. Annon enim ille Spiritus qui creavit formavitve omnia satìs potens est ad reformandas reducendásq; mentes nostras ad perfectissimum gradum *Humilitatis*, *suiipsius Abnegationis*, *Dependentiæ à Deo*, *Amoris Proximi*, *Obedientiæ erga Magistratum*, *Fidei*, *Temperantiæ & Sanctitatis* absq; ulla majori *Hypostatica* Unione nobiscum, quàm cum ipsa Terra, Mari, Sole, Luna, & Astris reliquísq; naturalibus partibus Creationis, quas tamen ille omnes formavit regítq;? Quamobrem concludimus, quòd, *Asserere Unionem veri cujusvis Christiani cum Deo ejusdem esse generis cum illa Christi, dogma est temerarium, inutile, nulláq; ratione nixum, sed istiusmodi quod repugnat Christianæ Religioni eámq; funditus subvertit.*

Vide plura super hac re lib. 3. c. 1. sect. 6. & c. 2.

7. Vidimus quàm necessaria & essentialis Christianitati sit hæc doctrina *Divinitatis Christi*, & consequenter *Trinitatis* sine qua illa altera rectè concipi non potest.

Ac

Ac proindè non ſolùm frivolas illas cavillationes & contumelias, quæ ſacro huic Myſterio infamem Paganiſmi notam inurere volunt, culpamus & averſamur; ſed etiam ſummopere magnificamus ſubmiſſéq; adoramus Divinam Providentiam, quòd hæc Veritas tamdiu viva conſervaretur támq; ſedulò expoliretur ab eis Paganis qui præcipuum illius uſum ignorabant, & in quem finem Doctrina illa tradita eſſet antiquis Patriarchis, Prophetis ſanctíſq; antecedentium ſeculorum ſapientibus, ſive in *Ægypto* ſive in *Judæa*, unde *Pythagoras* & *Plato* eam acceperunt, præparabántq; eas Mundi Regiones, ubi ipſorum Philoſophia locum aliquem habebat, ad faciliorem receptionem Chriſtianitatis. Sed curſim hoc alibi etiam attigimus.

CAP. VI.

1. *Opinionis* Pſychopannychitarum *periculum & Inconſolabilitas.* 2. *Quæ urgent è* 1 *Cor.* 15. *in medium poſita.* 3. *Ad Reſponſionem Paratus ac Præmunitio nos* primò *monens de natura* Styli Prophetici. 4. Secundò, *de vagula tremuláve inſpiratarum Mentium vibratione.* 5. Tertiò, *de Ambiguitate vocum in ſcriptura, & particulatim de vocibus* ἀνάστασις & ἔγερσις. 6. Quartò & ultimò, *de conditione* Corinthiorum *qui nullum præmium poſt hanc vitam fore jam crediderant.* 7. *Reſponſio ex ultimo & penultimo* Prolemmate. 8. *Ex primo ulterior Reſponſio.* 9. *Quemadmodum & è ſecundo & tertio, ubi ipſorum Objectioni, è verſ.* 32. *plenè ſatisfit.* 10. *Reſpondetur argumento è Servatoris Citatione ducto adversùs Sadducæos*, Ego ſum Deus Abrahami, &c.

1. PRogredimur nunc ad tertiam & ultimam difficultatem *de ſtatu Animarum ſeparatarum*, quas *non dormire* aſſerimus, hoc eſt, non carere omni operatione ac ſenſu vel gaudii vel pœnæ, ſed cognitionem habere perceptionémq; ſuæ conditionis ſive bona ſit, ſive mala. Quem Articulum æquè certò verum autumo atq; priores duas, quanquam non uſq; adeò indiſpenſabilem; & quamvis ad ſalutem neceſſarius non ſit, maximopere tamen expedire ut teneatur. Quandoquidem non poteſt non frigidam ſuffundere zelo noſtro ac fervori in Religione dum nobiſcum reputamus fore, ut in fine vitæ magnum illud & exoptatum præmium in multos centenos ſi non aliquot millenos annos differendum ſit & protelandum, *per longum ſub ſepulchri aggeribus ſtupidúmq; ac inconſolabilem Animæ ſomnum.*

Præterea, ſi tali hebetudini ac ſubſidentiæ Animi indulgeamus, ut contenti ſimus in tam longum tempus vitæ functiones intermittere altúmq; dormire, hoc certè tandem efficere poteſt ut anima in tam ſtupidam deprimatur diffidentiam, ut non creditura ſit ſe unquam eſſe evigilaturam; ſed Myſterium Chriſtianitatis intra anguſtos hujus vitæ limites concludi, quemadmodum *David Georgius* aliíq; *Enthuſiaſtæ* crediderunt, quibus *pluralitas uxorum* multò magìs placebat quàm ullus fidei articulus qui tales promittebat voluptates quæ in carne carpi non poſſint.

2. Verùm nobis hîc res non eſt cum hominibus hujuſmodi vanis ac Fanaticis, ſed cum *maximè devotis ſevérioris Rationis filiis*, qui dictare non prætendunt ſed demonſtrare è Scriptura *Animæ obdormitionem*; confidenter ſuggerentes, quò faciliùs homines in ſuam trahant ſententiam, contrariam opinionem non eſſe *Chriſtianam* ſed *Paganicam*, derivatam à Philoſophia *Platonis* (quam Græci Patres imbiberant) & indè introductam in Eccleſiam Chriſti. Ad quorum primum reſpondeo, quòd demonſtrationes Adverſariorum noſtrorum pro Animæ obdormitione nihil ſunt præterquam propriæ ipſorum imaginationes & inſomnia ſuper Textum ſacrum perperàm intellectum. Eſt certè præter inſtitutum noſtrum diu huic argumento inſiſtere. Dabo tantummodò ſpecimen infirmitatis reliquarum ipſorum rationum proponendo & refellendo eas quæ videntur omnium firmiſſimæ. Præcipua eorum demonſtratio petitur è perpetuo tenore 15 Capitis primæ ad *Corinthios*, ſed magìs particulatim è verſu 32. *Si ſecundùm hominem adversùs beſtias pugnavi Epheſi, quæ mihi utilitas ſi mortui non excitantur?* Hinc pro certiſſimo concludi putant, animam ante Reſurrectionem corporis nullius rei fruitionem habere, quippe quòd alioquin ipſa recordatio earum rerum quas paſſus eſt Paulus pro Chriſto ſolatio ipſi eſſe potuiſſet poſtquam è corpore exiverat.

3. Sed ut huic difficultati copioſiùs ſatisfiat, præmittamus quædam ad viam præ-

Prolemma primum. muniendam. Ut primò, *Sermonis Schemata apud Prophetas hominéſq; divino Numine afflatos* utplurimum eſſe hujuſmodi, quæ *ſenſum maximè percellant fortiſſiméq; feriant imaginationem*, dum res deſcribunt repræſentationibus ſive imaginibus quàm maximè fieri poteſt *ſenſibilibus*, *palpabilibus*, & *particularibus*. Juxta quam figuram Reſurrectio generalis illuſtratur excitatione hominum è pulvere terræ, eorúmq; exitu è Sepulchris ; cùm tamen multa eorum millia ſepulturâ caruerint, oſſibus eorum in ſuperficie terræ putreſcentibus; aliáq; millia multa nulla alia ſepulchra præter aquarum voragines piſciúmq; ventres invenerint.

Prolemma ſecundum. 4. Secundò, Scriptores ſacros animi ſui conceptus ſcribere non ſolere tam ſtrictâ ac ſcholaſticâ Methodo ut accuratè ſemper ac preciſè ad unum titulum reſpiciant ; ſed liberâ quadam imaginationis vibratione nunc hoc nunc illud tangere, prout moventur & actuantur ab illo Spiritu qui plus mentibus ipſorum unâ vice ſuggerit quàm lingua eorum otium habet & facultatem ordinatè & diſtinctè eloquendi ; acrioríq; cum attentione occupari in evincendo præcipuum maximéq; utilem ſcopum ſui Sermonis quàm in ſatisfaciendo curioſitatibus hominum circa minutiores minúſq; neceſſarias rerum circumſtantias.

Prolemma tertium. 5. Tertiò, Multas voces in Scriptura laxum habere & ambiguum ſenſum, & propterea intelligendas eſſe prout loci circumſtantiæ rerúmq; veriſimilitudo determinaverint. Atq; hæc ipſa vocabula ἀνάϛασις & ἔγερϛις hujus generis eſſe ; Ut quæ aliquando ſignificant *reſuſcitationem corporis* è ſepulchro, aliquando *Vivificationem* ſolummodò corporis, ſive alicujus ad vitam revocationem. Aliàs verò ἀνάϛασις unum idémq; eſt quod Judæorum תחיה, quemadmodum obſervat *Grotius*, quod nihil aliud ſignificat niſi *vitam æternam*, ſive *beatam Immortalitatem*. Alii ſignificationem ulteriùs extendunt idémq; faciunt ἀνάϛασιν & ἔγερϛιν, quod eſt διατήρησις, hoc eſt, *exiſtentiæ conſervationem*. Et certè cùm mors tam periculoſus videatur tranſitus, in eóq; verſemur diſcrimine, nè in *Lethæum* ſomnum aut in puram putam *Non-ſubſiſtentiam* illabamur, Divina conſervatio, cùm novum quaſi vitæ ſtatum inchoemus, non ineptè hic appellatur ἀνάϛασις, ut quæ *novam* quodammodo nobis donat *ſubſiſtentiam*, in pedes rurſus nos erigens; ἔγερϛις verò, ut quæ nos *vigiles* præſtat & immunes periculo æternùm obdormiſcendi, omnéſq; amittendi vitæ functiones. Quem ſenſum vocabuli nuperus Interpres dextrè confirmat comparando ἐξήγειρά σε, Rom.9.17.cum העמדתיך Exo.9.16.quod Septuaginta reddunt διετηρήθης.Ratio modúſve cujus διαλησήσεως ſive conſervationis perquàm aptiſſimè ſignificatur voce ἔγερϛις, quæ impulſùm concuſſúmve innuere poteſt, talem utiq; quo utimur ad prævertendum vel fugandum Syncopen, Animíve deliquium. Eſtq; Deus magnus ille Author vitæ atq; morûs ; quemadmodum loquitur Apoſtolus.

Prolemma ultimum. 6. Quartò & ultimò, *Corinthii* cùm populus eſſent inſigniter voluptatibus carnis dediti, nullam eſſe quæſtionem quin loci Illecebræ aliqua etiam è membris Eccleſiæ *Corinthiacæ* ſeduxiſſent, ipſáq; itidem feciſſent κοιμθιάζειν. Jam verò cùm nihil ſit quod æquè extinguit omnem ſpem ac præſagium vitæ futuræ quàm ſenſuales carnaleſq; voluptates, admodum veriſimile eſt hæc membra corrupta, ex propriis animi ſenſibus, Fide excidiſſe quantùm ad Articulum de præmiis expectandis poſt hanc vitam, itáq; cum *Hymenæo* & *Phileto* vel cum *David-Georgianis* hujúſq; ſeculi *Nicolaitis* genuinum ſenſum Reſurrectionis ſive beatæ Immortalitatis in Interpretationes aëreas ac Myſticas perverſo ſtudio extenuâſſe ; quo prætextu oſtentare ſe poſſent tanquam Chriſtianos reliquis magìs ſpirituales & intelligentes, & tamen interim minori cum timore morſúve conſcientiæ quàm reliquos, omnigenam licentiam ſibi indulgere, libertatémq; fruendi illecebroſiſſimâ quaq; hujus mortalis vitæ voluptate.

7. Quamobrem præſenti Argumento reſpondeo in genere, ex hoc ultimo proximéq; præcedenti *Prolemmate*, Quòd ſcopus Apoſtoli in hoc 15. capite ad Corinthios eſt demonſtrare quòd vita ſit poſt mortem corporis beatáq; Immortalitas omnibus in Chriſtum credentibus expectanda. Cujus rei certiſſimum pignus dedit Deus excitando Chriſti corpus è Sepulchro, vivúmq; eum exhibendo diſcipulis ſuis. Quod ſignum quidem eſt quod rem perquam commodè repræſentat & obumbrat. Cùm beata Immortalitas in eo præcipuè conſiſtat, quòd *corporibus cæleſtibus*, æthereis ac Paradiſiacis veſtiendi tandem ſumus per Chriſtum, quæ ipſe omnibus ſuis donabit noviſſimo die.

8. E primo reſpondeo, Quòd tametſi ſanctus *Paulus* tali Phraſi utitur quæ Imaginationem in terram defigit ſolummodò ibíq; detinet, quemadmodum patet ex ſimilitudine ſeminis quam adhibet, humo conditi ibíq; putreſcentis (neq; enim homines in aquas fementem faciunt ;) tamen in quocunq; elemento animæ corporáve Sanctorum

ctorum inventæ fuerint ſive Terra, ſive Aqua, ſeu deniq; Aëre; Immo verò quamvis concederemus, cum quibuſdam, multas ſanctorum hominum Animas in Aëreis vivere vehiculis eo temporis intervallo quod inter ipſorum mortem diémq; judicii intercedit, tamen nullum majus iſtis indè accidet incommodum, quàm vel eis ipſis qui tunc vivi reperientur in carne. Neutri enim excludentur à fruitione corporum ſuorum glorificatorum.

9. E ſecundo tertióq; reſpondeo, Facile fieri poſſe ut Sanctus *Paulus* tres animi conceptus haberet, cùm de hoc Myſterio ſcripſit, alternis vibrationibus recurrentes. Unum ſcilicet magis ſimplicem & generalem de vita & ſubſiſtentia Animæ terreno hoc corpore exutæ; Alterum magis ſpecialem de beata Immortalitate: Tertium deniq; maximè omnium determinatum qui rationem & modum exhibebat hujus Beatitudinis, in eo utiq; eam conſiſtere, quòd corporibus glorificatis tandem veſtiendi ſimus. Atq; ex hoc generali Reſponſo etiam alterum magis particulare dirigam in verſum 32. hujus capitis. Ubi εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται vel ſic exponi poteſt, *Si animæ juſtorum defunctorum cœleſtia ſua ac glorificata corpora non ſint habituri:* (nam tametſi concederetur eas vivere interim ageréq; in vehiculis aëreis, tamen cùm ille ſtatus ac Regio, quemadmodum & Terra, communis ſit malis juxtà ac bonis, nullum hoc pacto obtenturi eſſent peculiare præmium ob eos labores ac ærumnas quas in hac vita ſubiiſſent:) Vel ſaltem ſic, (qui ſenſus eſt longè tutiſſimus,) nempe ut intelligatur in genere *de vita ac ſubſiſtentia Animæ poſt exitum ſuum è corpore*, juxta ultimam ſignificationem vocis ἔγερσις in Prolemmate tertio. Atq; ità vis argumenti *Pſychopannychitarum* maximè præcipui penitus enervatur.

10. Sed & alia Scripturæ loca ſunt quæ ad idem propoſitum perperàm applicant. Ut reſponſum Servatoris ad *Sadducæorum* quæſtionem de reſurrectione, *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob. Deus non eſt Deus mortuorum ſed viventium.* Hinc Adverſarii noſtri concludere volunt, Animas defunctorum non vivere. Quippe quòd ſi viverent, Servatoris argumentum invalidum eſſet pro Reſurrectione mortuorum. Nam ſi Abrahami Spiritus etiamnùm vivus eſſet, Deus illius Deus eſſe poſſet, quamvis corpus ejus nunquam reſurgeret. Sed huic difficultati facilè ſatisfit ex ſecundo Prolemmate, cùm per id, Prolemmáq; tertium reſurrectio hìc intelligi poſſit de *vita futura* ſulummodó. Cúmq; opinio *Sadducæorum* eſſet quòd nec Angelus ſit, nec Spiritus, nec ulla vita futura, beatus Servator non tam accuratè præciſéq; reſponſionem reſtringit ad particularem illam circumſtantiam beatæ Immortalitatis, quæ conſiſtit in fruitione glorificatorum corporum; ſed magis laxè reſpondet de ſubſiſtentia Animarum hominum defunctorum, quòd & ſunt & vivunt, quódq; propterea ſunt *Spiritus* in rerum natura. Atq; ſic admodum ſcitè dextréq; refellit univerſam doctrinam *Sadducæorum* hâc ſententiâ è *Pentateucho* eorum citatâ peritéq; ad præſentem quæſtionem applicatâ.

CAP. VII.

1. *Reſponſum generale ad ea Scripturæ loca quæ nullius rei fruitionem fore innuunt, ante Reſurrectionem.* 2. *Reſponſum particulare ex* Hugone Grotio *ad id quod occurrit 2 Cor. Cap. quinto.* 3. *Paratus ad Reſponſionem quam ipſe author molitur, per explicationem Græcæ vocis* ἐπενδύσασθαι. 4. *Illius Paraphraſis in ſex primos verſus prædicti capitis.* 5. *Hujus Paraphraſeos ulterior confirmatio.* 6. *Imbecillitas Argumentorum* Pſychopannychitarum *notata.*

1. TErtia ultimáq; ratio probandi animæ obdormitionem ſumitur ex hujuſmodi Scripturæ locis quæ videntur horam mortis immediatè cum die Reſurrectionis conjungere. Ut in 2 Cor. 5. ubi Apoſtolus videtur innuere, quòd nihil temporis intercedat inter ſolutionem hujus noſtri terreni Tabernaculi & indutionem cœleſtis, quæ cùm non ſit ante diem Judicii, indicium eſt animam ante illum diem in nulla alia eſſe conditione quàm obdormitionis ac ſomni. Et ſimiliter ſe res habet 2 Tim. Cap. 1. & Cap. 4. In priori loco loquitur *de Depoſito quod Deo concredidit uſq; ad illum Diem*; orátq; ut *Oneſiphorus* gratiam inveniat *in illo die*: In poſteriori verò agit de *corona Juſtitiæ quam Dominus juſtus ille Judex daturus eſt ipſi die illo*; tanquam omnia differenda eſſent uſq; ad illud tempus. In meo verò Judicio admodum *Cap. 1. v. 12. Cap. 4. v. 8.*

admodum infirma eſt hæc argumentandi Ratio; nempe, ex eo quòd ſanctorum Animæ magnum illud præmium non recipiunt ante diem judicii, eas idcirco concludere nihil interim recipere omnino, immò verò pejori eſſe conditione quàm erant in hac vita, ut quæ jam nullum habent ſenſum, nec ipſæ ſibi conſciæ ſunt quòd exiſtant. Eorum certè opinio multo hac tolerabilior mihi videtur, qui tametſi eas extemplò ad cœlum uſq; in currus ſuos æthereos non tollant, permittunt tamen ipſas ad minorem à terra diſtantiam aëreis ſuis vehiculis moveri vitæq; muneribus fungi. Sed cùm dies ille noviſſimus, dies ſit tam immenſæ Pompæ ac Apparatûs támq; tremendæ Gloriæ ac Majeſtatis, minimè mirum haberi debet ſi Apoſtolus tam frequenter hujus temporis mentionem faciat ad fortiùs movendos hominum animos, dum intermedium interea ſpacium alto præterit ſilentio: Nam hac ratione tanquam magìs propinquum exhibetur, ut fit in objectis visûs, quæ è longinquo ſita, multò propiùs abeſſe videntur oculo, rebus omnibus intermediis, quæ in viſum cadunt, ſepoſitis ac remotis.

2. Jam verò quantùm ad ſecundam ad Corinthios, Cap. 5. Duæ ſunt viæ ſolvendi illam difficultatem. Una eſt *Hugonis Grotii*, in qua & è noſtris Interpretibus nuperus quidam íſq; doctus inſiſtit, interpretans (atq; equidem ſcitè) verſum Tertium, (Εἴγε καὶ ἐνδυσάμενοι, οὐ γυμνοὶ ἐυρεθησόμεθα) ad hunc modum: *Si modò inventi fuerimus in numero eorum qui etiamnum terrenis hiſce corporibus veſtiti erunt, non ipſis per mortem ſpoliati.* Quam interpretationem ipſa præcedens vox ἐπενδύσασθαι multò adhuc facit probabiliorem, quemadmodum & ſubſequens illa Phraſis ἵνα καταποθῇ τὸ θνητὸν quâ utitur Apoſtolus in conſimili loco. Hæc Expoſitio omnem prorſus tollit vim Argumenti *Pſychopannychitarum* ab hoc Textu deſumpti: Etenim cùm Apoſtolus videatur loqui tanquam ſi continuò poſt ſolutionem hujus Terreni, Cœleſti ſtatim Tabernaculo eſſent veſtiendi, (quod præcipuè colligitur è verſibus ſecundo & quarto) id tantùm ex hac Hypotheſi dicitur, quòd adventus Domini fieri poſſet etiam dum illi adhuc carne veſtiebantur.

3. Cæterùm cùm hæc interpretatio videri poſſit ſapientiæ Apoſtoli nimiùm derogare, quaſi ſententiâ pendulâ eſſet & incertâ an dies Judicii ſuâ ætate poſſet contingere, quod quidam homines nullo pacto ferre poterunt; alteram proponam, ut penès ipſos ſit optio utram malint amplecti. Videtur ſanè illa prior ſpecialem habere præcellentiam in proprio ſenſu duorum iſtorum vocabulorum ἐνδύσασθαι & ἐπενδύσασθαι; & ſi hìc rectè apud nos res ſucceſſerit, nullus dubito quin reliqua abſq; omni obſtaculo ſim expediturus. Hoc igitur primò præmittendum eſt de ſenſu duorum iſtorum vocabulorum, Quòd quemadmodum δύσασθαι ſignificat ſimpliciter *veſtimentum induere*, ità ἐνδύσασθαι aptè ſignificare poteſt *interius aliquod induere veſtimentum.* Nam ἐν facilè poteſt ſignificare *intrà*, in compoſitione, quemadmodum facit *In* vox latina, in *Inducula*, *Induſium*, *Interula*; quæ omnia veſtimentum aliquod interius ſignificant: duóq; priora utplurimum derivantur ab ἐνδύειν vel ἐνδύσασθαι in propria hac vocabuli ſignificatione. Et quemadmodum ἐνδύσασθαι ſignificare poteſt, *interius veſtimentum induere*, ità ἐπενδύσασθαι poteſt etiam ſignificare, *additionem veſtimenti interioris ad veſtimentum exterius.* Ità enim ſignificabit ἐπὶ in compoſitione, tanquam ſi ſenſus eſſet ἐπιθῆναι πρὸς τὸ δύσασθαι τὸ ἐνδύσασθαι. Non contentos eſſe exterius ſolummodò veſtimentum geſtare, ſed & interius aliquod porrò induere, quemadmodum in hyeme ſemi-induſium addimus vel ſubuculam. Quòd ſi hic *Criticiſmus* videatur nimis elaboratus, eſto ἐνδύσασθαι idem quod δύσασθαι, & ἐπενδύσασθαι idem quod futurum foret ἐπιδύσασθαι. Quod tum in genere ſolummodò ſignificaret ulterioris veſtitûs additamentum, ſive intrà ſive extrà, ſed quod exponendum eſſet pro rerum circumſtantiis.

4. Hoc modo ad propoſitum præmuniti brevem tandem inſtituemus Paraphraſin in ſex illos primos verſus Cap. 5. ſecundæ ad Corinthios (quos contra nos urgent) ad hunc putà modum.

2 Cor. c. 5. 1. *Scimus enim, ſi terreſtre hoc corpus noſtrum ac mortale diſſolutum eſſet, cæleſte nos continuò habituros, cujus Author ac fabricator eſt Deus.*

2. *Eſtq; ob hanc ipſam cauſam quòd adeò ſuſpiramus vehementérq; expetimus veſtiri cæleſti noſtro corpore intra hoc terreſtre.*

3. *Nempe ut ſic veſtiti, quando exuimus terreſtre noſtrum corpus nudi non inveniamur, nec relinquantur animæ noſtræ ad fluitandum in crudo Aëre.*

4. *Etenim nos qui ſumus in his terrenis corporibus vehementer ſuſpiramus tanquam onerati; nec tamen ità quaſi cuperemus omni omnino corpore ſpoliari, aut quòd vellemus ilico, antequam Deo viſum fuerit, his terrenis corporibus liberari; ſed ut intrà habeamus veſtitum magìs ſpiritualem & cæleſtem, ut mortalitas abſorbeatur à vita.*

5. Neq;

5. *Neq; ad hunc ſtatum pervenimus propriis noſtris viribus, ſed Deus eſt qui in nos agit,* (quod modò dixi) *in corpus juxtà ac Animam, formátq; nos in hanc conditionem per operationem ſancti ſui Spiritûs quem dedit nobis tanquam pignus æternæ illius Beatitudinis quam expectamus.*

6. *Ac proinde nos ſemper bono animo ſumus, nullâ unquam prorſus re dejecti. Etenim ſive manemus in terreno hoc corpore, eſt certè tolerabile, cùm noſtrum uſitatum ſit & naturale domicilium; ſive eximus ex eo, quod magis eſt optabile, id utiq; tunc continget quod magnam nobis creabit voluptatem, cùm profecturi tunc ſimus ad Dominum, interno noſtro homine tam commodè veſtito ad iter & accincto.*

5. Quòd hic genuinus ſenſus ſit horum verſuum verſus capitis proximè præcedentis decimus ſextus porrò confirmabit, ubi Apoſtolus ait, *Quòd etiamſi externus noſter homo corrumpitur, internus tamen renovatur indies*; hoc eſt, Quanquam *terreſtre* illius corpus ſit in langueſcenti conditione & ad interitum vergenti, *ſpirituale* tamen ac *cæleſte* novas acquirit vires, & magis magíſq; indies efflореſcit. Jam verò cùm Reſurrectio & cœleſtis corporis acquiſitio eadem res ſit, eſſet certè pretium operæ inquirere in mentem Apoſtoli, Philip. 3. v. 11. ubi indefeſſos ſuos profitetur labores & conatus ad aſſequendam Reſurrectionem mortuorum. Quo in loco ſtatim ſequitur, *Non quòd jam acceperim aut jam perfectus ſim.* Nam ſi hoc internum ac ſpirituale corpus non innueret terreſtri involutum, nihil opus erat ut diceret Philippenſibus ſe illud nondum accepiſſe vel aſſecutum eſſe. Sed præſenti difficultati ſatis antea factum eſt quàm ad hunc locum devenimus.

6. Vidimus jam quàm imbecilli demonſtratores ſint *Pſychopannychitæ* contra vitam & operationem Animæ hoc terreſtri corpore exutæ in appellationibus ſuis ad ſacras Scripturas. Videbimus nunc quàm improbabilis ſit eorum calumnia in hanc opinionem quaſi inventio eſſet Paganica, derivata omnino, prout illi aiunt, è Schola *Pythagoræ* & *Platonis*, & indè in Eccleſiam introducta.

CAP. VIII.

1. *Opinionem de vita animæ ejúſq; operatione immediatè poſt mortem, non petitam eſſe à* Platone *per Patres, ut qui præexiſtentiam ejus omiſerunt, opinionem ſanè in ſe admodum probabilem.* 2. *Talémq; quæ valde veriſimilis videtur è multis Scripturæ locis; ut ex eis quæ producuntur à* Menaſſa Ben Iſraël *è* Deuteronomio, Jeremia, *&* Jobo. 3. *Et porrò ex eo quòd Deus requievit die ſeptimo.* 4. *Quòd Patrum proclivitas ad ſentiendum illum Angelum qui toties Patriarchis apparuit, Chriſtum eſſe, ulterior eſſe potuit invitatio ad hanc fidem.* 5. *Alia loca è novo Teſtamento quæ videntur innuere præexiſtentiam animæ Chriſti.* 6. *Plura ejuſdem generis è S. Johanne.* 7. *Vis aliqua ſuperaddita ultimis argumentationibus ex opinione* Socinianorum. 8. *Quòd Servator admiſit aut ſaltem non improbavit opinionem* præexiſtentiæ. 9. *Scopus præcipuus præcedentium locorum è Scripturis citatorum, viz. quòd vita Animæ ejúſq; operatio poſt mortem non eſt è* Platone *opinio Paganica, ſed Chriſtiana veritas quæ evinci poteſt è Scripturis.*

1. VErùm minimè difficile fore arbitror demonſtrare quòd impoſſibile ſit ut perverſa hæc eorum ſententia ſit vera. Nam ſi antiqui Patres, ex eo quòd adeò verſati ſint in ſcriptis *Platonis* opinionem hanc de vita Animæ ejúſq; poſt mortem ſubſiſtentia, in Chriſtianam Religionem introduxiſſent, præexiſtentiam certè illius (quæ tam explicita celebríſq; *Platonicorum* eſt doctrina) nullo pacto omittere potuiſſent; præſertim cùm illud dogma clavis ſit quibuſdam Providentiæ Myſteriis quæ nulla alia tam dextrè poteſt reſerare, cúmq; in ſe adeò Rationi ſit conſona, nihílq; ullius momenti contra eam poſſit produci. Etenim annon manifeſtum eſt, Animam, cùm ſit indiviſibilis & immaterialis ſubſtantia, non poſſe generari? Nunc verò ſi à Deo creatur in omni efficaci actu libidinis, præterquam quòd in genere durum eſt ut Deus immaculatas Animas in polluta corpora præcipitet, planè abominandum præterea videtur ut per ſuam tam ſpecialem actionem, quàm eſt creatio, ſanctam ſuam Majeſtatem Adulteriis, Inceſtibus & execrandis hominum concubitibus cum Brutis Animalibus cenſendus eſſet immiſcere. De hoc plura vide in Tractatu meo de Animæ Immortalitate, lib. 2. cap. 12. & 13.

Sed

Sed inſtabunt porrò dicéntque, Non ipſam Irrationabilitatem opinionis eſſe ſed ejus cum ſacris Paginis diſcrepantiam ad eámq; normam inflexibilitatem quæ coëgit eos præexiſtentiam Animæ miſſàm facere, cùm tamen interim vitam, operationémq; cum ejus poſt mortem ſubſiſtentia mordicùs retinebant.

2. Cæterùm proculdubio non difficilis illis futura fuiſſet provincia etiam ex ipſis ſacris Scripturis cauſam ſuam probabilem reddere. Cui propoſito & *Judæi* nonnihil contribuere potuiſſent è veteri Teſtamento. *Menaſſeh Ben Iſraël* multa loca citat in hanc ſententiam: ut Deuteronom. 29. 14, 15. ibi ſubinſinuans cùm Deus fœdus feriret & cum præſentibus & cum abſentibus, poſterorum *Judæorum* Animas tunc fuiſſe in rerum natura, quantumvìs non illic præſentes in legis promulgatione. Nam Paciſcentium diviſio in abſentes & præſentes naturaliter innuit utroſq; eſſe, quamvìs hi hîc ſint, alii verò aliis in locis. Hic Textus ſeriò urgetur à pleriſq; Judæis ad confirmandam πεσύπαξιν animarum, quemadmodum notavit *Grotius* in ipſum locum. Item *Jerem.* 1. verſ. 5. prædictus Rabbinus reddit, *Antequam formâſſem te in ventre indidi tibi ſapientiam*, legendo, ידעתיך in *Piel* non in *Cal.* Addemus & tertium locum, *Job.* 38. 19, 21. *Nôſti te jam tum natum fuiſſe, numerúmq; dierum tuorum* eſſe multum? *Tum*, viz. *ab initio Creationis*, vel quando lux creata erat (intellectualium ſive immaterialium rerum Symbolum.) *Septuaginta* etiam apertè reddunt ad eum ſenſum. Οἶδα ὅτι τότε γεγέννησαι, ἀριθμὸς δὲ ἐτῶν σε πολύς. *Ego novi quòd tum natus eras, quódq; numerus annorum tuorum eſt multus.* Author libri Sapientiæ (qui tametſi non ſit Canonicus eſt tamen Scriptor admodum venerabilis) ſatìs articulatè eloquitur ſuper hac re, cap. 8. v. 19, 20. ubi agit de anima *Salomonis. Eram autem puer eximiâ ingenii indole præditus, bonámq; animam ſortitus. Vel potius cùm eſſem bonus in corpus introivi impollutum.*

3. Allegare præterea potuiſſent, quàm malè conſiſtat hæc quotidiana Animarum Creatio cum quiete illa quam Deus die ſeptimo celebravit, ut qui tunc creditur totum Creationis opus finiviſſe.

4. Porrò cùm ea eſſet proclivitas in antiquis Patribus, ad credendum in iſtis Angelorum apparitionibus quæ Patriarchis olim contigerunt, ipſum Chriſtum ſæpenumerò fuiſſe qui apparuit, hoc etiam ipſos invitare inſuper potuiſſet ad retinendam doctrinam de *præexiſtentia Animarum*, ut opinio de Chriſto tunc apparente magìs integra eſſe poſſet & determinata; quemadmodum & futura eſſet apud illos qui tenent *Melchiſedecum*, qui *Abrahamo* benedixit, fuiſſe Chriſtum. Quam opinionem *Cunæus* tanquam veram amplectitur. Nec poteſt *Calvinus* eam tanquam à veritate alienam rejicere, modò ſuis ipſius verbis ſtare velit, quæ occurrunt in Lectionibus in *Danielem*; quæ hæc ſunt: *In eo nihil eſt abſurdi quòd Chriſtus aliquam ſpeciem humanæ naturæ exhiberet antequam manifeſtatus erat in carne.* Quódq; Angelus qui ducebat Iſraëlitas in terram Canaan Chriſtus erat, videtur planè aſſeri 1 Cor. cap. 10. v. 9. *Neq; tentemus Chriſtum ſicut quidam eorum tentârunt & à ſerpentibus perierunt.* Chriſtus verò non nudus Deus eſt, ſed complexum quid ex humana natura & divina. Perpende etiam Hebr. 11. 26. Quæ quidem loca inſinuare videntur quòd anima Meſſiæ ſancti ſeminis jam olim erat Patronus ac Protector, ſpecialémq; relationem habebat ad Judæos præter cæteras omnes nationes. Ac proinde quando veniebat in mundum (i. e. naſcebatur, educabatur & verſabatur inter Judæos) eò magìs propriè dici poterat venire ad ſuos, quanquam ſui eum non agnoverunt nedum acceperunt. *Johan. c. 1.*

Atq; profectò Animam *Meſſiæ* in rerum natura fuiſſe antequam noſtram carnem ſumpſerat, ſenſus maximè facilis ac naturalis illius loci (1 Johan. 4. 2.) videtur etiam inferre: Πᾶν πνεῦμα ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστιν. Videtur hîc S. Johannes *Cabbaliſtam* agere, quemadmodum in multis locis Apocalypſeos, hoc eſt, in lingua loqui doctorum è Judæis; ſenſus enim genuinus eſt, *Quicunq; ſpiritus profitetur Jeſum eſſe Meſſiam profectum in carnem ſive in corpus terreſtre, ex Deo eſt*; Quod ſupponit eum fuiſſe antequam in illud venerat, vel huc è cœlo profectus erat. Quæ *Judæorum* doctrina eſt & adeò accuratè ad eorum ſenſum enarrata, ut nec ipſi eam exprimere potuiſſent locutione magìs naturali & emphaticâ. Ac proinde prout ipſi illi Patres ſuggerere poterant, res præternaturalis ac violenta eſſet ullum alium ſenſum huic Textui imponere.

5. Rurſus, cùm optimè fieri poſſit, ut ille, etiam ante generationem hominum & terrarum Orbis inhabitationem, *Meſſias* eſſet electus, (ut ità loquar) & unitus inſuper cum Divino λόγῳ, cœleſtiq; gloriâ ac pulchritudine reſplendens inter Angelos in Cœlo; Hæc Hypotheſis rationem reddet admodum facilem & genuinam multorum locorum novi Teſtamenti quæ aliter valde obſcura videntur. Quemadmodum

admodum illud Philip. 2. v. 6, 7, 8. Multorum enim mentes excruciavit, quì fieri poſſit, ut ex eo quòd homo fiat, ſuiipſius exinanitio in æternum & *immutabilem Deum* cadat. Ad quod tamen Textus digitum videtur intendere. Poteſt autem admodum propriè competere Animæ Meſſiæ, qui etiam verè Deus erat per unionem Phyſicam cum Deitate. Similiter Johan. 17. v. 4, 5. *Ego te glorificavi in terra, opus conſummavi quod dediſti mihi, ut facerem. Nunc igitur glorifica me tu Pater eâ gloriâ quam habui apud te priuſquam hic mundus exiſteret*, hoc eſt, Redue me, Pater, rurſus ad teipſum ut eâ gloriâ iterum fruar quam apud te habui in cœlis, antequam homines nati eſſent, atq; hic terrarum orbis formatus. Hic eſt genuinus ſenſus horum duorum verſuum. Nam quòd hoc intelligendum eſt de *Humanitate* Chriſti, adeò uſq; perſuaſus eſt *Grotius*, ut indè ille coactus ſit reddere, ἣ ἔμελον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, *quam habiturus eram*, vel *ad quam deſtinatus eram*, antequam Mundus exiſteret. Sed præſens hæc interpretatio nihil opus habet tali diſtortione ac vi verbis factâ, ſed valde naturalis eſt & ſpontanea.

6. Poſtremò, Johan. 6. 38. *Quia deſcendi è Cœlo ut faciam non voluntatem meam ſed voluntatem ejus qui miſit me.* Et cap. 3. 31. *Qui è Cœlo venit, ſupra omnes eſt.* Et adhuc explicatiùs, cap. 16. 28. *Exivi à Patre & veni in Mundum, & iterum relinquo mundum & proficiſcor ad Patrem.* Sed omnium explicatiſſimè, cap. 3. 13. *Nullus enim aſcendit in Cœlum niſi qui deſcendit è Cœlo, nempe filius hominis qui eſt in Cœlo*, i. e. Cujus mens & converſatio ibi eſt, quamvis perſonalis ejus ac viſibilis præſentia ſit ſuper terram, quemadmodum & *Grotius* interpretatur hæc ultima verba. Quibus omnibus addere poteris Johan. 6. 62. *Quid ſi igitur ſpectaveritis Filium hominis aſcendentem eò ubi erat priùs?*

7. Hæ ſcripturæ quas citavimus tam validè premunt vergúntq; versùs deſcenſionem è Cœlo localem æquè ac aſcenſionem in Cœlum, ut quidam indè exiſtimaverint Chriſtum præter aſcenſum ejus poſt Reſurrectionem, corporaliter raptum fuiſſe in Cœlum mandatáq; à Deo ibi accepiſſe, indéq; poſtea miſſum fuiſſe ad prædicandum Evangelium. Sed proculdubio tam notabilis res per Chriſtum in carne tranſacta nunquam prætermiſſa fuiſſet à cæteris tribus Evangeliſtis, nec tam obſcurè per hunc levitérq; ſubindicata.

8. Verùm, cùm hic Evangeliſta altiùs volaret, quàm ut coërceri poſſet intra fines illius temporis quod poſt Chriſti incarnationem occurrit, admodum facile factu fuiſſet Patribus, præexiſtentiæ patrocinium ſuſcipere deſcensûſq; Animæ Meſſiæ in terreſtre corpus, ſententiámq; magna cum probabilitate defendere ex eis Scripturæ locis quæ citavimus. Et, ut nihil deeſſet ad cauſæ evictionem, potuiſſent porrò addere, hanc de præexiſtentia Animæ opinionem ſaltem non reprehenſam fuiſſe à Servatorè, ſi non eſſet ab ipſo probata; quemadmodum apparet ex Johan. c. 9. ubi rogatus à diſcipulis utrùm cœcus ille an Parentes peccaverint, ut cœcus naſceretur, (quæ quæſtio planè ſupponit præexiſtentiam ante hanc vitam) videtur quidem admittere, certiſſimum eſt eum non reprehendere, hanc Hypotheſin. Non certè magis quàm Marc. 8. 27, 28. vel Matth. 16. 14. ubi cùm diſcipuli ipſi dicerent quòd quidam eum *Eliam* eſſe putarent, alii *Jeremiam* aut certè unum aliquem è veteribus Prophetis; iterum ille admittit aut ſaltem non contradicit opinioni Judæorum de præexiſtentia vel tranſmigratione Animarum (quemadmodum & ipſe *Grotius* agnoſcit illud de *Jeremia* ad παλιγγενεσίαν referri) ſed pergit ad rogandum eos quemnam ipſi eum eſſe exiſtimarent.

9. Concludo itaque, cùm argumenta ſint adeò plauſibilia ad probandam Animæ præexiſtentiam non è ratione ſola ſed & ex ipſis Scripturis petenda, ſi antiqui Patres è ſchola *Platonis*, Ethnicâ hac ac Paganicâ opinione (ut adverſarii eam amant appellare) *de capacitate Animæ ad agendum vivendúmq; poſt mortem corporis*, imbuti fuiſſent, impoſſibile fuiſſe ut poſteriorem illam partem omitterent de præexiſtentis Animæ vita antequam in corpus deſcendat; quæ ipſiſſima res eſt ad quam omnia ea quæ hactenus dixi collineabant. Nam hinc clarè conſtat priorem illam partem non eſſe inventionem Paganicam.

CAP.

CAP. IX.

1. *Argumenta è Scriptura quòd anima non dormiat post mortem, ut* 1 Petr. 3. *cum ejus explicatione.* 2. *Authoris Paraphrasis cum Interpretatione* Calvini *comparata.* 3. *Nihil opus fuisse* Calvino *ut Apostolum* solœcismum *committere supponeret.* 4. *Duæ viæ ità interpretandi Apostolum ut &* solœcismus *Grammaticus &* Purgatorium *evitentur.* 5. *Secunda via interpretandi.* 6. *Secundum argumentum è Scriptura.* 7. *Tertium ejusdem generis cum priori.* 8. *Explicatio illius presſáq; applicatio.* 9. *Locus quartus.* 10. *Quintus ex* 12 *ad Hebræos, ubi Deus* Pater *appellatur* Spirituum. 11. *Sextum Testimonium è verbis Servatoris,* Matth. 20. 28.

1. CÆterùm ut utilis hæc & lætabilis doctrina de vita Animæ ejúsq; subsistentia post hujus corporis naufragium firmiùs stabiliatur, superaddam ulteriùs manifestissima quæque, quæ in Scripturis occurrunt, illius rei argumenta. (Nam quantùm ad ea quæ à Ratione petuntur, remittam vos iterum ad supradictum Tractatum lib. 2. cap. 16, 17 & 18.)

Est autem illud è 1 Petr. 3. v. 18, 19, 20. meo quidem judicio non infimæ notæ testimonium, si præjudicium & violentia à genuino sensu non distorqueat, quem hunc esse quivis facilè deprehendere potest: *Nam & Christus semel pro peccatis passus est, justus pro injustis, ut nos ad Deum adducat; mortificatus quidem vel interfectus quoad corpus sive carnem, vivus tamen & incolumis quoad animum sive spiritum; per quem etiam ad animas separatas sive spiritus in carcere profectus prædicavit, qui immorigeri olim erant, nempe in diebus* Noæ.

2. Solidus ille Scripturarum Interpres *Johannes Calvinus* locum in genere exponit juxta hanc Paraphrasin, hoc solo excepto, quòd pro *vivus quantùm ad animam vel spiritum,* ille legit, *spiritu vivificatus,* per spiritum innuens spiritum Dei. Sed manifestum est, *Antithesin* eo modo magis aptam esse & accuratam quo nos locum exposuimus. Et ζωοποιεῖσθαι æquè rectè redditur *vivum esse* ac *vivificari:* quemadmodum σεμνοποιεῖσθαι non significat *gravem fieri,* sed *gravem* vel *modestum esse.* Præterea tum ζωοποιέω tum ζωογονέω apud *Septuaginta* Interpretes, significant non solùm *vivificare* vel *resuscitare mortuum,* sed *vivum servare,* ad quem sensum nos exposuimus ζωοποιηθείς.

Est etiam aliud leve discrimen inter nos, quòd ille mallet φυλακὴν translatum iri, *speculam* sive *turriculam,* ubi excubias agunt, quàm *Carcerem.* Quod nos facilè admittere possumus, qui hunc locum contra obdormitionem Animæ post mortem proferimus. Cùm verò ipse agnoscat alterum sensum bonum esse, nos à communi Translatione nihil variavimus. Maxima discrepantia est quòd illè ἀπειθήσασιν poni opinatur pro ἀπειθούντων, *Dativum* pro *Genitivo* absoluto, sed nos eum hîc relinquimus ad componendam istam litem cum Grammaticis. Manifestò interim apparet quòd pius doctúsq; Interpres multo tolerabilius putabat admittere Apostolum falsam scripsisse Syntaxin quàm doctrinam corruptam, cùm stulta illa Pontificiorum opinio de Purgatorio pejor in Religione Solœcismus sit quàm in *Græco* Sermone *Latinismus,* casúsve incongrui positio in *Grammatica.*

3. Hoc verò cùm nimis laxum sit principium & quod nullo modo satisfacturum sit Adversariis, supponere utiq; sacros Scriptores σολοικίζειν in sermone quoties verborum sensus nobis non arridet, consultius ipsi fuisset aliam aliquam viam tentâsse magis laudabilem ad liberandum nos à periculo Purgatorii. Et quantum ego video, duæ quidem sunt quarum utralibet nos satis præmunitura sit contra incursus Pontificiorum.

4. Prima sit, observando quandam sensûs latitudinem in vocabulo ἀπειθῆσαι. Nam ut *Aristoteles* notat in *Metaphysicis* lib. 4. cap. 12. particula [α] in compositione non significat solùm privationem perfectam, sed etiam τὸ φαύλως ἔχειν ἢ τὸ μικρὸν, unde optimè interpretari possumus ἀπειθήσασί ποτε, *qui olim non tam obedientes credentésve fuerunt quàm eos fuisse oportebat;* quíq; tam mali fuerunt, ut justè punirentur in corporibus, inq; diluvio perirent; & tamen ità boni, ut altiorem tandem vitæ æternæ gradum consecuturi essent per prædicationem Christi apud mortuos. Quemadmodum & iterum insinuatur in subsequenti capite hujus Epistolæ vers. 6. Quamobrem supponentes duos tantummodò status, unum scilicet *Inferni, Paradisi* alterum, dicimus quòd illi ἀπειθήσαντες, in gradu infimo erant Paradisi, in quo custodiebantur

bantur tanquam in inferiori aliqua Manſione quæ ipſis erat quoddam quaſi carceris genus arctæq; cuſtodiæ (dum animi ad altiora tam vehementer aſpirabant) uſq; dum magna illa facta eſſet acceſſio ipſorum fœlicitati per Chriſti adventum concionémq; quam apud illos habuit. Atq; hic eſt ille ipſe ſenſus ad quem *Calvinus* collineat in expoſitione ſua ſuper hunc locum.

5. Sed & adhuc reſtat altera Interpretatio quam ſecundo loco proponemus, quæq; nos æquè certò à Purgatorii periculo liberabit quàm illa prior, nec ullam immutationem requirit in præcedenti Paraphraſi. Admittemus igitur has immorigeras Animas fuiſſe in Inferno, non quidem in infima Regione, ſed in tolerabilioribus ejus partibus: Nec tamen omnino indè ſequitur, ex eo quòd Chriſtus in ſpiritu ſe illis tum exhibens prædicabat ipſis, eóſq; præparabat per lætum Evangelii nuncium ad futuram gloriam, abduxítq; eos ſecum poſtea in triumpho in Cœlum, tanquam opimum ſpolium è Diaboli faucibus ereptum, quòd etiamnum ulla ſit ex Inferno Redemptio, multóq; adhuc minùs quòd ullum ſit Purgatorium. Hoc enim ſolummodò ſpectabat Animas eorum qui ſubitò è medio ſublati erant in Diluvio, ſolennémq; crucifixionis Servatoris pompam, ejúſq; aſcenſionis, qui etiam in media morte Mortis Principem ſubruit & devicit, & in Aſcenſione ſua magno cum Triumpho has Paſſionis ſuæ Primitias ſecum reportavit, eáſq; Patri obtulit in altiſſimis Cœlis. Verùm ex hoc etiamnum expectare ut continuetur quotidiana vel annua liberatio ex Inferno vel Purgatorio æquè ſine cauſa concluderetur, atq; ſi ex eo quòd in celeberrima Principis alicujus Coronatione omnes carcerum fores confeſtim reſerarentur in aliqua Civitate, facinoroſi homines ac malefici indè inferrent, eas per totum illius imperium ſimiliter patentes fore.

Atq; ſic videmus quàm tutus etiam, facilis hic obviúſq; hujus loci ſenſus ſit, quem è re fore judicavi è doctiorum curioſiorúmq; Interpretum excarnificatione eripere, ut liberum ſuum ſuffragium conferre poſſit ad confirmationem tam utilis Articuli quàm qui præ manibus eſt. Nam ſi Chriſtus mortuis prædicavit, manifeſtum eſt illos in concione quæ tanti eis futura erat momenti, non indormiviſſe.

6. Rurſus, 2 Cor. 5. v. 8. *Confidimus autem & probamus potiùs migrare è corpore & ad Dominum ire habitatum.* Hìc ἐκδημῆσαι ἐκ τῦ σώματος planè innuit migrationem è mortali hoc corpore non illius mutationem in corpus immortale. Ac proinde tutò concludere poſſumus quòd alacritas hæc & promptitudo Apoſtoli ad moriendum ſupponit fruitionem præſentiæ Chriſti poſt mortem ante generalis Reſurrectionis diem. Alioqui, cur eſt ut cuperet mori magìs quàm vivere, niſi quòd expectaret fidem viſu ſtatim perfectum iri, quemadmodum ſubindicare videtur verſu præcedenti. Verùm abſq; controverſia melior eſt illa quæ per ſolam fidem eſt fruitio quàm nulla; quod tamen neceſſe eſt contingere ſi Anima operari non poteſt extra corpus.

7. Huic conſimilis probatio ulteriórq; veritatis confirmatio eſt illud ad Philip. c. 1. v. 21, 22, 23, 24. ubi Apoſtolus iterum profeſſus fortitudinem ſuam ac animi promptitudinem ad magnificandum Chriſtum in corpore tum per vitam tum per mortem, eodem ferè argumento utitur quo antea. *Mihi enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Et certè in carne ſi vixero, erit mihi operæ pretium. Quid verò eligam ignoro. Coarctor enim utrinque, deſiderans migrare & eſſe cum Chriſto: nam id longè optimum eſt. Sed permanere in carne magìs neceſſarium eſt propter vos.*

8. Genuinus cujus loci ſenſus citra controverſiam hic eſt: Quòd quamdiu victurus eſſet, vita ejus Chriſti vitæ conſimilis futura erat, innocens ſcilicet, ſed multis fortunæ aſperitatibus & afflictionibus circumſepta, cùm repetita Domini Jeſu ſtigmata in corpore ſuo ipſi portanda eſſent; quodſi trucidandus eſſet, tunc ſemel unóq; ictu veritatem ſanguine ſuo ac Martyrio conſignaret, nec ſolummodò omnes futuras moleſtias evitaret (in quibus tamen ferendis Amor Chriſti ejúſq; opitulatio & ſpes ſplendida æterni præmii ſemper eum ſuſtentabat) ſed quod maximum illius lucrum futurum erat atq; commodum ad fruitionem ejus præſentiæ perveniret, ad quam tam immenſo rapiebatur deſiderio. Quodſi eſſe cum Chriſto eſſet in ſinu ejus obdormiſcere, & nè conſcium quidem eſſe illius præſentiæ apud quem eſt, impoſſibile eſſet ut Apoſtoli affectus tanto impetu ferrentur in eum ſtatum, vel ut judicium ejus determinaret πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον εἶναι, tam multò præſtare ut ſic eſſet; præſertim cùm mora illius in carne tam neceſſaria eſſet *Philippenſibus*, reliquíſq; Eccleſiis; cúmq; ea quæ jam paſſus erat & paſſurus in hac vita non minùs illuſtre teſtimonium perhibitura eſſent veritati quàm mors ipſa.

9. Quartò, Illas S. Petri loquendi formulas quæ occurrunt 2 Petr. 1. 13. *Juſtum enim arbitror quamdiu ſum in hoc Tabernaculo excitare vos per commonefactionem;*

Quum ſciam brevi futurum ut deponam hoc Tabernaculum meum, &c. atq; itidem verſ. 15. μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον eódem alludere valdè eſt veriſimile ; quaſi anima exiret è *corpore* tanquam è *Tabernaculo*. Omnes hæ locutiones mihi equidem videntur manifeſtò indicare quòd non ſit ulla adeò neceſſaria unio Corpus inter atq; Animam quin extra illud atq; intra æquè liberè poſſit operari. Quemadmodum homines nihilo magis ſtupidi, ſomniculoſi, & inſenſiles, veſtes exuendo, evadunt, vel domibus exeundo, ſed potiùs magis expergefacti, agiles, & in ſenſationem magis excitati & erecti.

10. Quintò, Hebr. 12. Ibi Deus appellatur *Pater ſpirituum, correctior ac caſtigator Animarum*, quatenus diſtinguuntur à carne & corporibus. Et poſtea, verſ. 22. Apoſtolus longè nos evehens ſupra conſiderationem corporeæ noſtræ conditionis adducit nos tandem, *ad montem Myſticum Sion, Civitatem Dei vivi, ad cœleſtem Jeruſalem & Myriadas Angelorum, ad conventum & concionem Primogenitorum qui conſcripti ſunt in Cœlis & judicem univerſorum Deum & Spiritus juſtorum perfectorum.* Nunc igitur rogo, quænam perfectio eſſe poſſit in ſpiritibus horum hominum juſtorum, ſi ſtupido & inſenſili obruantur ſomno, quámq; diſſentanea ac incongrua repræſentatio ſit confertiſſimi hujus Theatri in Cœlis è *Sanctis Angeliſq;* conſtituti, ſi tanta ipſorum pars quanta eſt piorum hominum defunctorum animæ, ſomniculosè nutantes reperirentur in frequenti hoc conventu, vel potiùs pluſquam Lethæo ſomno conſopiti ? Quod ſanè ut in ſe valde abſonum eſt, ità profectò repugnat omnino magnificentiæ repræſentationis quam Author in hoc loco mihi videtur moliri.

11. Sextò, Matth. 10. 26. Vita animæ à corpore ſeparatæ manifeſtò ibi aſſeritur à Servatore noſtro. *Et nè timete vobis ab eis qui trucidant corpus, animam autem non poſſunt trucidare : ſed timete potiùs eum qui poteſt & Animam & corpus perdere in Gehenna :* i. e. Qui poteſt ſi velit vitam perdere vel extinguere tam corporis quàm Animæ in Igni infernali, juxta opinionem quorundam quorum ſententiam protuli in *Tractatu de Animæ Immortalitate* lib. 3. cap. 18. vel miſerè punire & affligere tam corpus quàm Animam in Inferno, cujus cruciatus morte ipsâ ſunt pejores. Nam ut ἀπολέσῃς & *Perire* ſignificant *admodum miſerum* eſſe, ità ἀπολέσαι & *Perdere* facilè ſignificare poſſunt *valde miſerum reddere.* Jam verò quantùm ad priorem partem verſûs [Animam autem non poſſunt trucidare] manifeſtum eſt quòd poſſint ſi anima vivere non poſſet à corpore ſeparata. Nam trucidare corpus quid aliud eſt quàm ipſum vitâ privare? Quamobrem, ſi Anima per mortem corporis vitâ privetur, manifeſtum eſt quòd & illa occidi vel trucidari poſſit. Quod adverſatur Servatoris aſſertioni.

CAP. X.

1. *Argumentum inſigne à ſtatu Animæ Chriſti atq; Latronis poſt mortem.* 2. Grotii *explicatio Promiſſi Chriſti Latroni facti.* 3. *Significatio* τῷ καταβαίνειν εἰς ἅδ. 4. *Quomodo Chriſtus cum Latrone potuerint eſſe &* ἐν ἅδῃ *& in Paradiſo ſimul.* 5. *Quòd Parabolæ* Divitis *ac* Lazari, *&* Diſpenſatoris *injuſti ſupponunt animam immediatè poſt mortem vitâ ac ſenſu frui.*

1. REſtat adhuc & aliud, ídq; inſigne argumentum è Scripturis petitum. Animæ Servatoris Latroníſq; cum eo crucifixi immediatè poſt mortem corporis vivebant & ſubſiſtebant. Quemadmodum apparet è Luc. c. 23. v. 42, 43. *Dixítque, Jeſu Domine, memento mei quum veneris in regnum tuum. Tum dixit ei Jeſus, Amen, dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Quaſi ſic reſponderet, Tu quidem à me petis, ut ſim tui memor cùm in regnum meum venero, ſed in tam longum tempus ego te non differam, noli modò diffidere de inopinatæ bonitatis erga te meæ copia. Pro certo enim tibi dico, quòd hoc ipſo die mecum eris in Paradiſo. Néq; ulla relinquitur evaſio qua Interpretatio hæc eludatur. Cùm *Syrus* Interpres ut notat *Grotius*, punctum interponat inter [dico tibi] & [hodie] Græcáq; omnia exemplaria, prout affirmat *Beza*, σήμερον jungant cum ἔσῃ, unúmq; ex ipſis habeat ὅτι inter λέγω σοὶ & σήμερον interſertum, ità ut omnis locus intercipiatur ſubterfugiis.

2. *Grotius* hunc locum admodum ingeniosè interpretatur, ubi ſupponit Chriſtum, Latronem, cùm *Judæus* eſſet, juxta Hebræorum doctrinam alloqui, qui ſtatum

ſtatum piè defunctorum appellârunt גן עדן *Hortum voluptatis* vel *Paradiſum*. In quo tametſi non fruebantur conſummatâ illâ Beatitudine quam in die Reſurrectionis expectabant; perfundebantur tamen interim magno quidem gaudio & ſolatio, tanto ſanè ut nemo putaretur eò pervenire poſt mortem niſi qui animam haberet bene purificatam antequam è corpore exiret. Hujuſmodi autem animas comparat τοῖς πνεύμασι δικαίων τελειωμένων, *ſpiritibus juſtorum perfectorum*, quorum mentio ſuprà facta eſt ex Authore ad *Hebræos*, Cap. 12. Ac proinde ſatis gravis cauſa erat, inquit ille, ut Servator diceret latroni, [hodie] hoc modo ipſi notum faciens, quòd in longius tempus non eſſet differendus, juxta ſuorum Rabbinorum doctrinam, tametſi vitam facinoroſam degiſſet, ſed ex hac ſua ſincera pœnitentia ſtatim cum Chriſto in Paradiſo ipſi eſſet intrandum, etiam intra eum ipſum diem quo cum allocutus eſt Chriſtus.

3. Neq; nobis opus eſt cum S. *Auguſtino* multùm inſudare illi articulo Symboli Apoſtolici, καλέβη εἰς ἅδου, ità explicando ut conſentire poſſit cum Chriſti præſentia in Paradiſo per ſpacium illud quod inter mortem ejus reſurrectionémq; interceſſit. Nam ἅδης in genere, quemadmodum hic Interpres evincit, nihil aliud ſignificat præterquàm inviſibilem Animarum ſtatum à corpore ſeparatarum: neq; ipſum reſtringit vox κατέβη ad deſcenſum in Infernum. Nam quantùm ad hanc Phraſin, καταβαίνειν εἰς ἅδου, quoniam dicitur de tota Chriſti perſona, quemadmodum & de aliorum qui in ſtatum mortuorum intrant, per defixionem Imaginationis in illud quod maximè craſſum eſt & ſenſibile, viz. in deſcenſum corporis in Sepulchrum, facilè adducimur ad utendum eâ, tametſi ſignificare volumus receſſum totius perſonæ tam animæ quàm corporis è numero viventium: Quemadmodum *Jacob* facit Geneſ. 37. 35. ὅτι καταβήσομαι πρὸς τὸν υἱόν μου πενθῶν εἰς ἅδου· cùm tamen filius ejus non eſſet ſepultus, ſed à feris diſcerptus & devoratus, utì ille exiſtimabat. Quamobrem ſenſus eſt, Dum corpus meum deſcendit in ſepulchrum, animâ tamen meâ ad filium meum proficiſcar in regionem mortuorum.

4. Rurſus, quanquam καταβαίνειν utplurimum ſignificat deſcendere vel ire deorſum, ſignificat tamen aliquando ſimpliciter ab aſpectu hominum evaneſcere; ſæpeſæpiùs verò, prout fit in aliis vocabulis, ità in hoc, χρ nullam omnino habet ſignificationem, ſed καταβαίνειν idem prorſus eſt quod βαίνειν. Cujus infinita ferè exempla facile eſſet producere apud Septuaginta Interpretes, niſi quòd ſupervacaneum fore exiſtimo. Quamobrem καλέβη εἰς ἅδου aptè reddi poteſt (non quidem, *deſcendit in Infernum*, ſed) *in regionem ivit animarum ſeparatarum*, ſive ſpirituum hominum hac vitâ defunctorum. Quódq; ἅδης generalem hunc habet ſenſum *Grotius* planè evincit, non ſolùm ab illo ſuprà citato loco Geneſeos, ſed ex uſu vocabuli apud multos Authores Græcos, veluti *Diphilum*, *Sophoclem*, *Diodorum Siculum*, *Joſephum*, *Platonem*, & alios. Illud *Plutarchi* valde notabile eſt ubi exponit verſum illum *Homeri*.

Ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη ἀϊδόσδε βεβήκει.

Ἀϊδόσδε] hoc eſt, inquit ille, εἰς τὸν ἀειδῆ καὶ ἀόρατον, εἴτε ἀέρα θείη τις εἴτε ὑπόγειον τόπον, *In obſcurum & inviſibilem, ſive Aërem quis ſtatuat, ſive aliquem ſubterraneum locum.* Idémq; Author alibi, τὸ ἀειδὲς καὶ ἀχρωτον τῆς ἀέρος ἅδης ἐπίκλησιν ἔχειν. Per id ipſum innuens Aërem eſſe inviſibilem illam Regionem mortuorum in quam expirantium hominum ſpiritus proficiſcuntur. Et in confeſſo eſt apud omnes, cùm cætera elementa, ignis, aqua ac terra viſibilia ſint, Aërem tamen & Ætherem prorſus eſſe inviſibilem. Ac proinde ἅδης optimè in ſe complecti poteſt tum *Infernum* tum *Paradiſum*. Unde & manifeſtum eſt Chriſtum eodem tempore & ἐν ἅδου & in Paradiſo eſſe potuiſſe quemadmodum quiſpiam poteſt eſſe in *Anglia* & *Londini* ſimul. Et promiſſum ejus latroni de celeri ac immediata fruitione illius beatitudinis fuit quaſi quædam ad univerſum mundum à Cruce Proclamatio, quòd humanæ Animæ vivunt ac ſubſiſtunt extra hæc terreſtria corpora. Quod porrò demonſtravit ſuum reſumendo corpus & aſcendendo cum eo in cœlum in conſpectu diſcipulorum ſuorum.

5. Quam veritatem mihi planè videtur ſupponere etiam in Parabola *Divitis* & *Lazari* & injuſti *Diſpenſatoris*. Nam ex eo quòd Dives ab *Abrahamo* petit ut *Lazarum* mitteret ad fratres ejus ad certiores eos faciendos de miſera ſua conditione, quanto nimirum teneretur dolore ac cruciatu; Manifeſtò ſupponitur quòd animæ impiorum vexantur & cruciantur etiam ante diem Judicii, immò verò immediatè poſt ipſorum mortem. Quódq; piorum animæ continuò poſt earum exitum ex hac vita, æternis fruuntur gaudiis, quemadmodum declaratur per tranſportationem Animæ *Lazari* in ſinum *Abrahami* & per Servatoris applicationem Parabolæ injuſti Di-

ſpenſatoris, dum nos indè hortatur ut bona noſtra temporalia liberaliter cum pauperibus communicemus, ut quum vita hæc ejúſq; voluptates defecerint ad ſempiterna admittamur gaudia.

Sed non opus erat ut eis locis inſiſteremus quæ magìs obnoxia ſunt cavillationibus & ſubterfugiis lubricorum noſtrorum Adverſariorum, cùm tot támq; clara & irrefragabilia Scripturæ Teſtimonia pro præſentis veritatis confirmatione jam protulerimus. E quibus manifeſtò conſtare poteſt, non Paganiſmum eſſe ſed ſolidam & inculpabilem Chriſtianitatem aſſerere, Quòd animæ defunctorum non dormiunt, ſed vivunt, intelligunt, vidéntque, ac percipiunt, quali poſt mortem conditione collocentur, ſive bona illa ſit ſive mala.

MAGNI

MAGNI MYSTERII PIETATIS EXPLANATIO.

LIB. II.

CAP. I.

1. *Pergit ad partem Chriſtianitatis magis intelligibilem, ad cujus clariorem intelligentiam Propoſitiones quædam præparatoriæ ponendæ ſunt.* 2. *Vti primò,* Quòd Deus eſt. 3. *Brevis illius Aſſertionis Ratio ex ejus Idæa petita.* 4. *Confirmatio ulterior ex ordinaria illius concatenatione cum rationibus reddendis cæterarum rerum omnium. Ut primò, exiſtentiæ disjunctarum mutuòq; independentium particularum materiæ.*

1. EXegi tandem Itineris noſtri partem maximè tenebricoſam & dubiam, quáſq; potui rationes, de rebus in Chriſtianitate maximè obſcuris & abſtruſis, in medium protuli. Incipimus nunc intrare in Regionem magis luminoſam & amæniorem, faciliorémq; veritatis proſpectum, illuceſcente nobis jam die, Auroræq; ſplendore montium cacumina deaurante; unde ulteriorem jam clarè proſpicimus pleniorémq; *magni* illius *Myſterii* in quod inquirimus, Revelationem: Quam Dei Spiritus in manifeſtis ſacræ Scripturæ monumentis ità ratificabit & confirmabit, ut apud eos qui acumine pollent & judicio, eam credam in poſterum extra omnem controverſiam collocatum iri, quantum ad Myſterii attinet *veritatem.* Verùm intereà loci contemplanda nobis eſt *Rationabilitas* illius & *Intelligibilitas* è præcipuis quibuſdam maximéq; confeſſis Aphoriſmis Rationis liberæ ac Philoſophiæ; qui intellectus noſtros in præſenti hac veritatis proſecutione non minùs oblectabunt & demulcebunt, quàm jucundæ Radiorum Solarium reflexiones à montium ſummitatibus reverberatorum ante-lucani viatoris oculos demulcent. Nos verò recenſebimus tantummodo, non multùm inſiſtemus probationi harum concluſionum, utpote quæ ejuſmodi ſunt, quæ aut jam plenè & irrefragabiliter à nobis demonſtratæ ſunt in aliis noſtris ſcriptis (vide Tractatum *de Animæ Immortalitate* & *Antidotum adversùs Atheiſmum*) aut adeò in ſe evidentes ſunt, ut ſimplex ipſarum perceptio demonſtrationis vicem poſſit explere.

2. Prima earum ac præcipua eſt, *Quòd Deus exiſtit,* i. e. *Ens infinitâ Sapientiâ, Bonitate & Potentiâ præditum.* Quod materiam corpúſve eſſe non poſſe manifeſtum eſt, vel in maximam, quam Imaginatio aſſequi poteſt, tenuitatem comminutum. Ac proinde neceſſe eſſe ut ſit Spiritus, omnipræſens, pervadens & penetrans omnia. Quæ concluſio naturalibus animæ noſtræ facultatibus adeò conſentanea eſt, ſi modò nobis ſemel cum ipſis major eſſet uſus & familiaritas (quidam enim homines optimæ ſuiipſorum partis notitiâ planè exciderunt) ut aliud quodvis vel contra vel citra hanc ſententiam admodum inadæquatè, perversè, duritérq; in cogitationibus noſtris jacere perciperemus.

3. Nam cùm impoſſibile ſit, quin aliquid *à ſe* exiſtat, Annon Rationi longè magis

magis conſonum eſt, ut illud *à ſe* ſit cujus ipſa natura & Idæa idem indicat implicátque, quàm ut non ſolùm hoc non ſit omnino, ſed ut aliquid *à ſe* exiſtat cujus tamen natura nihil tale infert vel involvit. Quamobrem ea facillima eſt & facultatum noſtrarum dictatis maximè congrua Philoſophandi ratio, quæ Dei exiſtentiam admittit. Hoc enim inſtructi Principio rationem poſſumus reddere præcipuorum objectorum quæ ſub contemplationem noſtram cadunt. Nam ſiquis auſit aſſerere quòd materia *à ſe* exiſtit, ejus aſſertio omni caret fundamento, nec ullam illius rationem reddere poteſt, cùm nihil tale contineatur in ejus Idæa. Quodſi aſſerat Deum exiſtere, rogétq; eum quiſpiam quomodo id fiat? in promptu reſponſio eſt, ipſam utiq; Idæam Dei talem ejus naturam repræſentare quæ non poſſit non eſſe. Etenim Idæa abſolutiſſimæ & perfectiſſimæ Eſſentiæ non poteſt mentibus noſtris talem eam non repræſentare quæ maximè abſolutam ac perfectam ἕξιν habeat ſive habitudinem ad exiſtentiam. Unde continuò ſequitur, ſi propriis noſtris facultatibus fidem habere velimus, Deum reverà exiſtere. Alioqui, cùm facultates noſtræ nos doceant neceſſariam exiſtentiam ipſi competere, nos tamen interim affirmaremus eam ipſi non competere (quod manifeſtò verum eſt ſi omnino non exiſtit) quæ eſt craſſiſſima apertiſſimáq; contradictio.

4. Quanta verò eſſet ea in quovis homine vecordia & inſania, negare libera ſuæ rationis dictata in re non ſolùm adeò in ſe manifeſta ſed ità utili inſuper & jucunda in contemplatione operum Naturæ illiúſq; materiæ corporeæ ex qua facta ſunt? Nam quantùm ad exiſtentiam ipſius ſubſtantiæ materiæ hærere multùm non poſſumus in inveſtiganda illius cauſa, quamvis exiſtentiæ ſuæ rationem nullam in ſua Idæa contineat. Etenim tametſi unaquæq; ipſius particula à reliquis independens ſit & ſeparabilis, ac proinde magna penuria Materiæ potuiſſet eſſe in Univerſo nimiáve illius copia; neutrum tamen horum accidit. Sed quî factum ſit ut tantum omnino materiæ taliſq; qualis eſt producta fuerit, veram jam invenimus ſufficientémq; cauſam, Omnipotentem ſcilicet Deitatem, quæ quidlibet efficere poteſt quod nullam implicat contradictionem. Atq; hujuſmodi eſt materiæ productio ejúſq; emiſſio in exiſtentiam.

CAP. II.

1. *Quòd peritæ operum Naturæ formationes exiſtentiam Dei demonſtrant.* 2. *Quódq; illæ agnitionem* generalis Providentiæ *etiam ab irreligioſis* Phyſiologis *extorſerunt.* 3. *Eſſe etiam particularem Providentiam ſive inſpectionem Dei in unamquamq; perſonam* individuam: *Quæ eſt ſecunda noſtra aſſertio.*

1. VErùm progredimur jam ad illud quod eximium magìs eſt atq; admirabile, ad *Formationem* ſcilicet *materiæ* in tam varias rerum viventium formas, in quibus tam excellens accuratáq; ſapientia ac peritia detegitur, ut prorſus ſit impoſſibile ut merus materiæ motus abſq; aliquo intellectuali moderatore unquam eam reducat ad tam perfectam pulchritudinem atq; ordinem. Appellare verò primam harum rerum omnium cauſam *Naturam* potiùs quàm *Deum*, eſt aut imperitè, aut perversè lepidéve ſermocinari. Nam ſi *Naturam* faciunt principium cæcum omníq; ſcientiâ deſtitutum & perceptione, quomodo illa tam conſtanter tueri poteſt perfectam illam rationem atq; artificium quod in corporibus omnium Animalium obſervamus? Quodſi in ipſa admittere volunt cognitionem ac peritiam, eſt certè non niſi frivola & moroſa controverſia, utrùm nempe primum rerum omnium Principium *Deus* habendus ſit an *Dea*, *Deitáſve* an *Natura* appellanda. Illi verò facilè intelligere poſſunt qui non datâ operâ cæcutiunt, eum eſſe ordinem rerúmq; conſtructionem in operibus Naturæ, ut prima ipſorum origo non poſſit non eſſe *Intellectualis* ſive *Rationalis*, *omniáq; ad finem optimum, maximámque, quæ fieri poteſt, utilitatem ac fœlicitatem Creationis dirigi.* Adeò ut quas in Idæa Dei invenimus Perfectiones, hoc eſt, infinitam *ſapientiam* & *bonitatem*, eaſdem etiam inveniamus à Naturæ objectis nobis reflexas, poſſimúſq; indè ſumma cum religione ac voluptate & confirmare innatam illam notionem quam habemus de Deo, mentéſq; pariter noſtras ab inextricabilibus erroribus laboribúſq; liberare, dum acquieſcimus tam plenæ ſufficientíq; cauſæ earum rerum quæ tam exquiſito artificio fabrefactæ nobis ante oculos indies occurrunt in Univerſo.

2. Atq;

2. Atq; profectò ſpeciebus rerum tam pulchrè proſpectum eſt & accuratè, ut agnitionem extorſerit *generalis providentiæ* etiam eis hominibus, quorum ſi intellectuales facultates permiſiſſent, vita certè ipſorum atq; mores vix ipſos ſuſtinuiſſent à ſubſidendo dilabendóve in fœdiſſimos ſtupidiſſimóſq; Atheiſmi gradus. Verùm cùm res viderent in Natura formatas ità ut ſunt, non potuerunt diffiteri quin originem ſuam duxiſſent à Principio *Intellectuali*, qui Deus eſt, aſſignantes quidem ipſi ineffabilem quandam Beatitudinem in contemplando ſeipſum ſuámq; ſapientiam in formando mundum variáq; in eo creaturarum genera; ſed fingentes interim eum tam fataliter ſedi ſuæ affixum, ut inclinare ſe non poſſit vel eò uſq; demittere ut ſingularium hominum ſive Individuorum vitam moréſve notet vel obſervet, manúmve porrigat aut ad remunerandum eos aut ad puniendum. Quæ quidem opinio videtur vel ex craſſa deploratáq; ignorantia rationis multorum infortuniorum quæ particularibus creaturis in hoc mundo obveniunt, vel ex tenero quodam rerum ſuarum ſenſu ac proſpicientia oriri; utpote qui ſibi valdè prætiment ab ullo alio Deo quàm quem ſibi polliceri poſſunt nihil acturum eſſe ſupra vel contra ordinarium cognitúmq; Naturæ curſum. Quam Hypotheſin illi certiſſimum pignus fore autumant futuræ Impunitatis.

3. Mihi verò videtur planè impoſſibile, ut Ens tam excellens omnibúſq; numeris abſolutum quàm eſt ipſa Deitas, ignoret quicquam quod ſciri non repugnet. Ac proinde ſecunda noſtra Aſſertio erit, *Quòd particularis exquiſitáq; Providentia eſt, ad unamquamq; rem individuam in mundo perſonámq; pertingens.* Cùm æquè facile ſit Deo *omnia pervidere* atq; *unum* quodvis ſingulare, quippe cujus *perceptio infinita* eſt, & quæ propterea nec diſtrahi poteſt nec defatigari. Jam verò cum & *Bonitas* ejus & *Potentia* non minùs ſint immenſæ, neceſſariò ſequitur, nihil eſſe quod vel viliſſimæ creaturæ accidit in tota Creatione, quin *Divinæ Bonitati* congruerit id ipſum vel efficere vel ſaltem permittere. Quanquam enim in præſens durum videri poteſt illi particulari creaturæ, poteſt tamen tandem in majorem illius cedere utilitatem, vel exiſtimari, ad minimum, aliquid conferre ad *Bonum univerſi*, quemadmodum *Marcus Aurelius Antoninus* magno cum judicio ſubinde nos monet in ſuis *Meditationibus*; levémq; eum Philoſophum & ſuperficiarium judico, qui hanc cauſam tueri non poteſt contra univerſas Atheorum ſuſpiciones & cavillas.

CAP. III.

1. *Aſſertio tertia*, Quòd ſunt Spiritus ſive ſubſtantiæ immateriales Particulares, *& de ipſorum generibus.* 2. *Ipſorum exiſtentiæ demonſtratio, & præſertim eorum qui latiori ſenſu* Animæ *appellantur.* 3. *Differentia inter* Animas *vel* Spiritus hominum *&* Angelorum; *quódq; Idololatria Paganica Sagarúmq; Ceremoniæ probant Dæmonum exiſtentiam:* 4. *Ut & Dæmonum exiſtentia exiſtentiam bonorum Angelorum.*

1. TErtia mea aſſertio eſt, *Quòd ſunt Spiritus, ſive ſubſtantiæ immateriales particulares.* Quæ quidem veritas facilè eluceſcit, ex eo quod jam adeò firmiter demonſtratum eſt. Nempe quòd eſt *unus omnipotens, omniſcius & infinitè benignus Spiritus qui appellatur Deus*; qui cùm agat juxta ſuam propriam naturam, dubitare non poſſumus quin creaverit innumerabiles Spirituum multitudines ad ſeipſis fruendum ſuóq; Creatore. Qui ſunt aut *purè immateriales* nullam habentes communionem cum materia, quos *Græci* iterum dividunt in Νόας & Ἑνάδας, in *Mentes, Intellectúſve* puros, & *Unitates*: aut ſunt tales (quamvìs ſecundùm ipſam eſſentiam vel ſubſtantiam ſint immateriales) qui *vitaliter* cum *materia* uniri poſſint ab ipſáq; affici. *Hos Spiritus*, ob defectum aptioris nominis, *Animas* appellamus, (noto vocabulo ad majorem ſenſûs latitudinem abutentes, cum bona *Criticorum* venia) quippe quòd omnes materiam vitaliter actuant, ſive *Ætherea* ſit ſive *Aërea*, ſive deniq; *Terreſtris*. Utrùm verò ſit & *media Spirituum ſpecies* inter *Animas* & *Intellectus puros*, meritò quis dubitare poteſt; tales utiq; qui differunt ab *Intellectu* ex eo quòd immediatam habeant potentiam movendi materiam, & ab *Animabus* quòd cum materia vitaliter non jungantur ſed agant ſolummodo ut *Formæ aſſiſtentes*, quales *Ariſtotelici* ſuas Orbium motrices fingunt *Intelligentias*.

2. Quantùm ad exiſtentiam trium priorum ordinum, argumentum illius jam indicavimus

dicavimus non contemnendum, quod & omnes ſpirituum ordines indifferenter attingit. Ultimus verò ordo non cadit ſolummodò ſub cognitionem Rationis magìs abſtractæ, ſed & ſub ipſam experientiam. Nam quòd ſit ſpiritus in humano corpore nobis evidens eſt, quoniam invenimus tales in nobis operationes, quæ, ſi eas preſſiùs conſideratiúſq; examinemus, materiæ competere non poſſunt. Hic ſpiritus qui ità agit in nobis *Anima* nuncupatur. Quòd verò Principium aliquod huic conſimile & Analogum ſit in Aëreis vel Æthereis *Geniis*, actiones conditionéſq; quorundam ex ipſis fidem faciunt. Nam ſi eorum natura talis non eſſet qualem nos deſcripſimus, hoc eſt, ſi non inhabitarent vitalitérq; actuarent vehicula corporea, quî fieri potuit ut peccarent unquam eſſéntve lapſi? Non fit enim niſi ex conjunctione horum duorum Principiorum *Spiritûs* & *vehiculi* ut unquam introduci poſſet ulla interna Tentatio, Diſtractio, vel Confuſio in ullis ordinibus *Geniorum* vel *Angelorum*. Subſtantiæ verò puræ, ſimplices & abſtractæ videntur prorſus impoſſibiles ac proinde impeccabiles. Quamobrem admodum probabile eſt, omnes Angelos lapſos quos vulgò *Dæmonas* vocamus, eſſe ex quarto ordine Spirituum quos modo deſcripſimus.

Vide Tractatum de animæ Immortalitate, lib. 2. c. 2. 4, 5, 6.

3. Qui *Spiritus Geniorum* ſive lapſorum ſive nondum lapſorum inſigniter differunt ab his *hominum ſpiritibus*, in eo quòd non ſunt capaces informandi humanum vel terreſtre corpus, ac proinde ſupra ipſos ſe gerunt efferúntq; tanquam ſuperioris Ordinis Eſſentiæ; præq; faſtu ac contemptu uſq; à primo ſuo lapſu aut vi aut fraude miſerum abjectúmq; humanum genus variis illaqueârunt ſuperſtitionibus cultibúſq; Idololatricis ſibi præſtandis. Quod tamen efficere non potuiſſent niſi ipſi homines perinde ac illi lapſi fuiſſent. Quamobrem ſuperſtitiones Paganicæ Sagarúmq; Hiſtoriæ evincere poſſunt Dæmonas eſſe, talíſq; eſſe naturæ, qualem nos indicavimus.

4. Et credo ſanè, hoc probato, neminem dubitaturum quin ſint etiam boni Angeli qui præliari poſſint contra malos eíſq; moderari. Deus enim non ſinet magnum hujus univerſi *Automaton* adeò imperfectum eſſe, ut ipſe cogendus ſit perpetuò pedem efferre ſéq; eis rebus ingerere quas nobilior aliqua Creationis Pars præſtare poſſit, nec ea inter ſe committet quæ toto genere differunt. Præterea illi Philoſophi qui maximo cum judicio de his rebus ſcripſerunt, non facilè concludunt, ullas alias eſſentias intellectuales creatas eſſe quàm quæ capaces ſint unionis vitalis cum aliquo ſaltem vehiculo. Quod ſi verum eſſet cauſæ noſtræ nihil officeret, cùm admiſſio trium priorum ordinum nihil faciat ad noſtrum propoſitùm. Deniq; improbabile eſt, cùm lapſus Angelorum à libero profectus ſit principio, quin quemadmodum quidam ceciderunt, ità alii ſtationem ſervaverint, ſempérq; proinde fuerint, ab eo uſq; tempore quo illi lapſi ſunt, & *boni* & *mali* Angeli in mundo, eo nempe ſenſu quo ego explicavi naturam Angelorum vel Geniorum ſive bonorum ſive malorum.

CAP. IV.

1. *Aſſertio quarta*, Angelorum lapſum ex eo factum eſſe quòd Animali vitæ ſe totos dederint, deſeruerintq; Divinam. 2. *Quinta*, Hunc lapſum eorum puriſſima ipſorum vehicula mutâſſe in vehicula magìs craſſa & faculenta. 3. *Sexta*, Vehiculorum mutationem Vitæ extinctionem non fuiſſe. 4. *Septima*, Animas humanas immortales eſſe, ageréq; & vivere poſt mortem. *Cui rei fidem facit lapſorum Angelorum actuoſitas.* 5. *Intimiq; Organi Perceptionis Homogeneitas.* 6. *Scopus finiſq; externorum organorum ſenſûs in hoc terreſtri corpore.* 7. *Poteſtas Animæ ad organizandum ſuum vehiculum.* 8. *Et Perfectio deniq; divinæ Providentiæ.*

1. ADdimus quartò, Angelos hos ante lapſum duplex vitæ principium in ſe habuiſſe, *Divinum* unum, alterum *Animale*; eorúmq; lapſum in hoc conſiſtere, quòd deſiſtentes ab obſequio erga *Divinam vitam*, *Animali vitæ* totos ſe addicerent abſq; modo ac menſura.

2. Quintò, *Quòd hæc rebellio effectum habuit in ipſa eorum vehicula, mutavitq; pura eorum ac Ætherea corpora in magìs fæculenta ac terreſtria*; (intelligendo *terreſtria* in tam lato ſenſu quàm facit *Carteſius*, qui totam *Atmoſphæram* complectitur.) Amiſerunt igitur Manſiones illas magìs ſplendidas pro obſcuro hoc ac caliginoſo Aëre ubi vagantur, habéntq; nunc in pollutis ſuis vehiculis minus Cœli quàm

vel

vel infima Animarum regeneratarum quæ hæc terrestria Tabernacula incolunt. Idq; ex Propheta de ipsis verissimum est, *Occidisse utiq; ipsis solem in meridie.*

3. Sextò, *Corruptionem Perditionémve horum vehiculorum æthereorum ipsis vitæ extinctionem non fuisse, sed exclusionem tantummodò à vita ac voluptatibus supremi Paradisi quibus fruebantur in cœlestibus illis vehiculis.* Etenim quòd etiamnum vivunt, moventur & agunt, ex eo manifestum est quòd totus terrarum Orbis famâ reboat ipsorum flagitiorum ac facinorum.

4. Septimò, Quòd *Animæ humanæ, quæ æquè immortales sunt* (cùm sint Spiritus) *ac illæ lapsorum Angelorum, vitâ non privantur post mortem hujus corporis.* Nam quemadmodum Animæ lapsorum Angelorum à tenuiori ad densius crassiúsve descenderunt, absq; sensûs vitæq; jactura; ità animæ nostræ ascendunt à crassioribus ad puriores & tenuieres habitationes, cum pari si non majori securitate agendi & vivendi post mortem corporis.

5. Quod faciliùs credemus, si consideremus, quàm contemptibilis vilísq; res sit Organum illud quod ultimum maximéq; immediatum instrumentum est deferendi ad animam quicquid in exteriori hoc Mundo percipimus (& quod maximopere notandum est) in quo solo Anima ullùm omnino habet sensum sive perceptionem earum rerum quæ ad illius Notitiam appellunt. Quod (si non sit *Animales Spiritus* intra cerebrum) fieri posse fateor cum *Cartesio*, ut sit *Conarium*, quo nec Aqua, nec Aër, nec Æther, nec ullum aliud elementum videtur esse magis simplex & homogeneum. Adeò ut aptitudo & commoditas non videatur in natura organi sita esse, sed in eo quòd anima per eas leges quibus in corpus introducta est, *Centrum suæ perceptionis* ibi collocavit. *Vide Tractatum de Immortalitate Animæ, lib. 2. c. 7. Sect 16, 17, & cap. 8. per totum.*

6. Quod minutum *Centri perceptionis* Animæ Tabernaculum, cùm tam crassæ sit consistentiæ, (quâ minùs *passibile* sit & *alterabile*,) valde conveniebat, ut fabrica esset tam accurata externorum Organorum Oculi, Auris, Nasi aliarúmq; Partium ad corroborandum istos motus & impressiones quas transmittunt; ità ut satis fortiter ferire possint *Conarium*, aut saltem per Organa perrumpere & penetrare usq; ad *Animales Spiritus* in cerebro, supponendo eos intimum maximéq; immediatum *Organum perceptionis.* Quòd verò Conformatio externorum Organorum sensûs talis sit ut mirandum in modum adaptata sint ad dictum finem, adeò in confesso est apud *Anatomicos*, ut nihil opus sit illius insistere probationi: Quemadmodum & apud *Medicos*, nullum ex organis externis sensum ullum in se habere vel perceptionem, non magis sanè quàm *Otacusticon* aliquod aut vitrum *Dioptricum.* Unde manifesto apparet quàm parùm Rationis habeat illorum desperatio qui opinantur, postquam anima exuta est organico suo corpore, eam nullius rei sensum habere posse vel perceptionem. Accurata enim illa Organizatio ad nihil aliud tendit, nisi ad attemperandum vel adæquandum vim motûs crassitudini consistentiæ Conarii, difficultatiq; eò transeundi per nervos. Cujus igitur Organicæ Conformationis nullus potest esse usus in anima à corpore separata, cùm *Perceptionis centrum* quasi nudum collocetur in *tenero* magis & *passibili* elemento, qualis est Aër, Æther & similia. Adeò ut maximum omnium futurum sit miraculum, si anima post mortem obdormiverit, cùm minimo quovis momento impelli possit & excitari.

7. Pretereà, non est à ratione alienum statuere, & ipsam & alios spiritus, quamvis nulla habeant Organa fixa & à Natura formata, posse tamen ad magis distinctam plenámq; Objectorum perceptionem, elementum in quo sunt, in temporariam *Organizationem* compingere, ídq; pari cum facilitate & celeritare atq; nos pupillam dilatamus & contrahimus, humorémq; Crystallinum in oculo reducimus vel promovemus.

8. Et nè Animarum humanarum naturam solùm spectare videamur sed & voluntatem Dei ejúsq; Propositum, nemo unquam adhuc nomen suum inter Philosophos professus est qui Immortalitatem Animæ negavit eo sensu quo ego pro ea contendo, quin particularem providentiam priùs negaverit. Quam tamen ego impossibile puto ut quisquam neget, modò diligenter & sine partium studio in rem ipsam velit inquirere. Ac proinde septima hæc Assertio optimo jure retineri potest, nempe, *Quòd Animæ humanæ immortales sunt, quódq; agunt vivúntq; post mortem.* Quo de Argumento recentiùs pleniúsq; scripsi in Tractatu de Animæ Immortalitate ad quem remittendus est lector. *Lib. 2. Cap. 17, 18.*

CAP. V.

1. *Octava Assertio*, Politiam esse inter Angelos Animásq; separatas tam bonas quàm malas; Duóq; proinde distincta *Regna*, unum *Lucis*, alterum *Tenebrarum*. 2. *Perpetuásq; inter ipsa inimicitias & bella.* 3. *Nona*, Infinita esse examina Spirituum Atheorum tum Aëreorum tum Terrestrium in perfectam ignorantiam atq; odium omnis veræ Religionis demersorum.

1. OCtava Assertio est, *Unumquemq; Angelum sive bonum sive malum æquè verè personam esse ac hominem quemlibet, cùm & vitâ, sensu, & intellectu, sit præditus.* Ac proinde omnes similiter *capaces esse Gaudii & Doloris*, & propterea *legibus coërcibiles.* Cúmq; opitulationes mutuæ illud adipisci possint quod nequit solitudo, necesse porrò est ut sint *Sociabiles*, & in corpora Politica redigantur, legibúsq; pareant, aut ob spem præmii, aut ob pœnæ metum. Ex integra igitur Naturæ Angelicæ massa (accensendo etiam huc, juxta sententiam *Philonis*, Humanas Animas in quibuscunq; inveniantur vehiculis) oriuntur, post ipsorum lapsum, *duo distincta Regna*, unum *Tenebrarum*, (cujus leges non ultrà quàm ad res *Animalis vitæ* pertingunt) alterum *Lucis*, quod est *verum Dei regnum.* Atq; hic *vita Animalis* subjicitur debitúmq; præstat obsequium, dum *Divina* imperat exercétq; dominatum; Quemadmodum *Divina vita* in altero regno sub pedibus conculcatur, soláq; *Animalis* dominatur rerúmq; potitur.

2. Jam verò, cùm vita intima, primáq; Origo motûs in utroq; regno adeò contraria sit, manifestò sequitur, quòd perpetuæ futuræ sint inter hæc duo regna inimicitiæ & bella usq; dum pars altera plenam nacta sit victoriam. Quod & adhuc faciliùs concipiemus, si admittamus quod & rationi maximè consonum est. *Regnum* utiq; *lucis* à cœlo usq; ad terram pertingere; hoc est, Quemadmodum in eadem Terræ superficie Animalia inveniuntur, ferocia ac mansueta, innocua & venenosa, hominésq; boni ac mali, pii & impii; ità etiam in eisdem Aëris Regionibus, utriusq; generis Spiritus vagari, bonos cum malis, *Regni tenebrarum* subditos, cum subditis *Regni Lucis*. Huic Aëreorum Angelorum Ordini Philosophi veteres Animas adnumerabant hominum defunctorum, tam proborum quàm improborum, nisi ad extraordinarium quendam planéq; Heroicum puritatis ac perfectionis gradum pervenissent; tum enim opinabantur eas ad regiones illas magis sublimes & Æthereas attolli.

3. Nonò, *Infinita esse Spirituum Atheorum agmina vel examina tam Aërea quàm Terrestria ad Tenebrarum Regnum pertinentia, quæ aut absolutè Deum esse negant aut saltem particularem providentiam.* Divinámq; vitam tanquam fastidiosam quandam intestámq; Imaginationem omníq; præterea præmio destitutam considerant. Et si quam homini in hac vita voluptatem conciliat, eodem numero eam habent quo illas quæ hominibus mente captis & Melancholiâ laborantibus contingunt, quorum Imaginatio multas, quod dicitur, stultorum Paradisos ipsis creat, quibus se oblectent. Idémque, inquiunt illi, facit Religiosa hæc Insania eis qui ipsâ tenentur, cùm nec ullum objectum reale habeat, nec fructum alium præterquam quo Imaginatio falsa superstitiosas ipsorum mentes illudat. Et tametsi hi Rebellatores, rerum naturalium, Mathematicarúmq; subtilitatum satìs gnari esse possint, & in omnimoda astutia scientiáq; Politica versatissimi; tamen cùm omnis rerum divinarum gustus & cupiditas in ipsis penitus extincti sint aut consopiti, neq; ipsi quidem excogitare quicquam possunt nec ullas approbare rationes ab aliis excogitatas ipsísq; oblatas, quibus ab eo statu Rebellionis & tenebrarum, in quo siti sunt, ad verum Dei vivi cultum revocari valeant. Immò verò probabile est eos præ duritie cordis eò audaciæ confidentiæq; prorupisse, ut se satìs instructos viribus esse autument ad confligendum cum potestatibus *Regni Lucis*, summámq; rerum glorientur penès ipsos olim fuisse & etiamnum ad ipsos jure pertinere, & aliquando in ipsorum manus esse relapsuram; suum Principem jactantes fratrem esse natu majorem, sed in has rerum angustias dejectum per invidiam minoris. Quod furiosum olim erat commentum *Euchitarum*, *Ophitarum*, vel *Satanianorum*.

CAP.

CAP. VI.

1. *Aſſertio decima*, Quòd ruina erit *Regni Tenebricoſi* conſummatiſſima, ídq; modo quodam ſupernaturali, & in ipſas externas eorum perſonas. 2. *Undecima*, Gentem humanam initium habuiſſe & finem aliquando eſſe habituram. 3. *Quod & Terrarum Orbis Conflagratio teſtificatur.*

1. TUM verò, loco decimo, Admodum rarum eſt & inuſitatum ut tam obſtinata & irreconciliabilis oppoſitio, quàm quæ reperitur inter duo illa regna de quibus loquimur, non finiatur tandem inſigni aliquâ clade, alterutrâ parte plenam reportante victoriam. Sed præterea jus perſpicuum atq; æquitas illius cauſæ quam Poteſtates *Regni Lucis* defendunt, non ſolùm hoc, apud eum qui ſedet Judex, obtinebunt, ut finis tandem ſuis laboribus & conflictationibus imponatur; ſed & ab eorum parte certiſſimus ſtabit ſucceſſus, ídq; non ſolùm in ſenſu quodam tacito, Myſtico & Allegorico, (cujus hi Spiritus Athei nullum habituri ſunt ſenſum vel perceptionem, ut qui omnia reſoluturi ſunt in *Naturam, rerum Politicarum peritiam, bonámve fortunam*, fortaſſis in aliquas *extraordinarias Stellarum virtutes* & influentias quæ aureum iterum ſeculum in Scenam introducant; Tam parùm poterit Juſtitiæ Regnum in terris homines inſigniter impios & obduratos convincere) ſed per præpotentem quandam miraculíſq; plenam *Pompam* ac *Comparentiam*, quâ in ipſis externis ſenſibus confundentur conſternabuntúrque, cùm nihil aliud jam reliquum ſit in quod Divina Providentia operetur, quippe quòd divina vita, ſenſúſq; Conſcientiæ jamdiu in ipſis extincti ſint, ratióq; ipſorum penitus conſopita, quantum veram Dei cognitionem ſpectat, & univerſa Religionis officia.

2. Undecimo, *Generationes hominum initium habuerunt & finem aliquando ſunt habituræ.* Quòd initium habuerunt communi omnium Philoſophorum, Poetarum, & Hiſtoricorum conſenſu comprobatur. *Ariſtotelici* quidam diſſentiunt, ſed ob rationes tam infirmas, ut operæ pretium minimè fore judicem ipſos confutare. *Carteſius* verò ipſiúſq; Philoſophia huic opinioni adeò favet ut neceſſariò ipſam inferat. Prætereà, *Naturæ Hiſtoria* idem videtur confirmare ex eo quòd Tellus jam non tam perfecta pariat Animalia quàm primitus produxerat. Quemadmodum notat *Lucretius* lib. 2. de *Rerum Natura.*

Jámq; adeò fracta eſt Ætas; effœtáq; Tellus
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Secta, deditq; ferarum ingentia corpora partu.

Quod quemadmodum certiſſimum eſt ſignum Ætatis jam affectæ in Tellure, ità etiam Juventutis illius primíq; ortûs argumentum eſt perſpicuum.

5. Cæterùm, præter Philoſophicum illud axioma, *Quicquid oritur moritur*, Quòd generatio tandem ceſſabit ſuper Terram antiqua illa *Conflragrationis Mundi* fama ulterius perhibet Teſtimonium. De quo funeſto fato *Sibyllæ* jam olim cecinerunt, idémq; *Pythagoras* & *Heraclitus* ſunt teſtificati, quos etiam *Ovidius* ſecutus eſt: & *Stoici* itidem, (homines ſanè qui ſatìs tardi ſunt ad credendum res miras magnáſve è parvis levibúſve argumentis,) in ſuam hoc aſſumpſerunt Philoſophiam; addentes porrò, humanas Animas ad illud uſq; tempus ſubſtituras eſſe, ſed in extrema hac conflagratione tandem perituras. Alii magìs benignum hujus ignis uſum fore præſagiunt, ut qui putant per eum purgandam eſſe Terram magíſq; fertilem reddendam, eóq; modo præparandam eſſe ad fœliciorem habitationem; tanquam ſi divina *Nemeſis* admodum amicum aliquod conſilium in gratiam totius Creationis foveret, etiam tum cùm maximè crudelis & ſevera videtur contra aliquam illius partem; nec in hoc Juſtitiæ ſolummodò actum exerceret, ſed & peritæ Agriculturæ, exurendo ſcilicet ſterile ſolum cum omnibus in eo reptantibus Animalculis, ut Ager indè fiat fertilior; juxta illud *Virgilii* in *Georgicis.*

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit Agros,
Atq; levem ſtipulam crepitantibus urere flammis:
Sive indè occultas vires ac pabula terræ

Pinguia concipiunt; sive illis omne per ignem
Excoquitur vitium atq; exudat inutilis humor.

Sed tam immane facinus prohibeat Deus, ut mortalis quisquam eò usq; audeat & desipiat, ut profiteatur se intelligere tam profundum Providentiæ Mysterium.

Summa quò ego collineo hæc est: Opinionem esse non *Christianorum* tantummodò sed & *Ethnicorum Judæorúmque*, fore tandem totius terrarum Orbis conflagrationem finémq; impositum iri præsenti huic rerum Scenæ. Quod dogma maximo mihi futurum est usui in defendenda nostra Religione contra utrosque.

CAP. VII.

1. *Assertio duodecima*, Quòd visibilis erit & supernaturalis liberatio filiorum *Regni Lucis* in mundi Conflagratione. 2. *Ratio Assertionis.* 3. *Assertio decima tertia*, Quòd novissima vindicta ac liberatio sic instituentur quemadmodum maximè conducet ad Triumphum *Divinæ vitæ* super *Animalem.* 4. *Unde maximè consentaneum est ut* Regni Lucis *Princeps* Anima *potiùs esset* humana *quàm* Angelus. 5. *Assertio ultima, quæ & prioris consectarium est, brevisq; generalis naturæ Christianitatis Descriptio.*

1. DUodecima Assertio est, *Non solùm fore sensibilem ac palpabilem cladem & subversionem Regni Tenebrarum*, (talem utiq; quam ipsi maximo cum suo malo persentiscent, horrendo destructionis turbine circa capita ipsorum circumstrepente, & manifestâ Dei Irâ erumpente & involante in externas eorum personas) *sed conspicuam etiam liberationem alterius Regni ex hac tempestate ignea & sulphurea*, è perferoci Dei furore, & è fremitibus atq; exæstuationibus Naturæ contra Impios accensæ & extimulatæ. Quis enim animo concipere potest horrorem, fœtorem, & confusionem, flammarum ignis crepitationem, sonora illa murmura ac mugitus conturbati maris, æstuantis fumorúmq; globos emittentis ad modum aquæ in ingenti bullientis Lebete, terribiles ululatus dirósq; gemitus Spirituum illorum rebellium, qui præter generalem eorum omnium deletionem quibus anteà oblectabantur, ineffabilibus insuper corporis cruciatibus prementur cum incogitabili animi vexatione conjunctis, dum *Amor suiipsius* (quod intimum ipsum est *Animalis vitæ* centrum) ipsam Inferni Abyssum se præstat, ut qui summa cum indignatione & vindicta contra seipsum efferveseit & accenditur, eò quòd, cùm tam multæ occasiones se obtulerint fundamenta jaciendi melioris conditionis, tam miserè tamen prospexisset propriæ saluti & fœlicitati; convictus tandem, quòd specialis providentia bonorum hominum rebus invigilet, quódq; Justitia æternum reportatura sit præmium. Nam in illo die renovabunt vires suas pii omnes ac fideles, evehentúrq; longè ultra ictum horrendi illius fati, hoc est, ascendent sursum in æthereis illis vehiculis curriculisve cœlestibus, (de quibus & veteres loquuntur Philosophi) atq; ità intrabunt in Immortalitatem ac quietem æternam.

2. Quodsi non esset visibilis hæc *Potestatum Regni Lucis* liberatio, adversi regni Potestates, quantumcunq; paterentur, id omne cæcæ & inevitabili Fortunæ imputarent, æquè ac Terræ motus ac Inundationes partiales, particularésq; conflagrationes, quæ oppida olim ac Regiones destruxerunt, ac proinde malam suam conditionem, gravem quidem calamitatem existimarent, pœnam verò vel supplicium nullo modo. Quod probabilius videbitur si consideremus quòd ipsi *Epicurei* atq; *Athei* finalem mundi destructionem aliquando fore agnoscunt; quemadmodum notari potest apud *Lucretium*, qui de Terra, Mari, ac Cœlo sic præcinit & præsagit.

Tres species tam dissimiles, tria talia Texta
Una dies dabit exitio; multósq; per annos
Sustentata ruet moles & machina Mundi.

3. Decima tertia Assertio est, Quòd hæc palpabilis & visibilis differentia, quam Providentia Divina bonos inter atq; malos interponet, ità instituetur vel ità jam instituta est, ut *non solùm manifesta sit futura Atheorum & Epicureorum convictio & confutatio,*

confutatio, atq; indubitata revelatio exiſtentiæ Dei ejúſq; in Mundum Imperii ac Principatûs, *ſed & ſpeciali modo dirigetur ad illuſtrandum augendúmq; honorem ac Triumphum* Divinæ vitæ ſuper *Animalem*. Quæ per tot dolores, afflictiones, & tentationes, per tot impiorum contumelias ac dicteria, crudeléſq; ac barbaras perſecutiones, tandem cum omibus illis qui ipſi adhæſerint, in thronum attolletur collocabitúrq; æternæ Pacis ac Gloriæ.

4. Atq; ut hoc majori cum arte fiat, illa Sapientia quæ optimum ad modum cuncta diſponit, omnia illa declinanda cenſuit quæ *Animali vitæ* adeò pulchra ac pretioſa videntur; Cujuſmodi ſunt externa hujus mundi Pompa ac Poteſtas, Ordinis ſublimitas, eximia ac ſingularis rerum naturalium Peritia, Pulchritudo, Nobilitas, Robur corporis, & alia quæcunq; quibus *vita Animalis*, ſeparatim à *Divina*, ſe oblectat, quæ per ſeipſam poteſt præſtare. Omnia hæc, inquam, prætereunda erant in delectu illius perſonæ cujus auſpiciis magnæ illæ victoriæ contra *Regnum Tenebrarum* erant patrandæ. Quemadmodum ſcriptum eſt, *Non in fortitudine Equi voluntatem habet nec in tibiis viri delectatur. Diligit Jehovah timentes ipſum, ſperantes in miſericordia ejus.* Quod illuſtrationis ſolummodò gratiâ profero. Eſt enim in ſe manifeſtò verum, Deum ſuam propriam gloriam, hoc eſt *vitam divinam* ſive ſuiipſius Imaginem in creaturis ſuis elucentem, omni naturali perfectioni præferre. Ità igitur rem geri oportebat in electione Principis *Poteſtatum Regni Lucis*, quemadmodum fieri poteſt apud Regem aliquem, qui generali Nobilium luxuriâ, rebellione ac perfidiâ ad iram provocatus, ut oſtendat quàm parvi ipſorum ordinis altitudinem præ vera virtute æſtimet, unum ex infimis Plebeis eligat, ſingulari tamen prudentiâ, fide ac fortitudine præditum, eúmq; à ſe proximum honore ac poteſtate in regno adminiſtrando collocet. Ad eundem planè modum Omnipotens, prætermiſſis ſuperiorum ordinum Angelis, ut magna illius de *Divina vita* exiſtimatio clariùs appareret, magíſq; fieret conſpicua, delectum faciendum cenſuit ex ordine Animarum humanarum & in unam aliquam ex ipſis imperium eſſe conferendum, quæ illi muneri à mundo condito deſtinata inſignes victorias reportatura ſit contra *Regnum Tenebrarum* & redemptura tandem omnes quos Diabolus captivatos tenuerint, in glorioſam libertatem filiorum Dei. Pſalm. 147. 10, 11.

5. Poſtremò igitur (ut tandem præparatorias noſtras Aſſertiones finiamus) *præcipuum Chriſtianitatis Myſterium in hoc conſiſtit*, quòd ſit ſapientiſſimum Providentiæ Inventum poſt hominum lapſum atq; Angelorum, ad contundendum ſuperbiam, & ad eludendum fruſtrandúmq; omnes technas ac molitiones Diaboli & ſociorum ejus, & ad reducendum omnes pœnitentes animas ac regeneratas ad eam gloriam ac beatitudinem cujus jus perdiderint olim ejúſq; fruitione exciderint. Vel, ſi malles, breviter, magíſque, fortean, ſignificanter, ſic; *Chriſtianitas eſt illa divinæ Sapientiæ ac Providentiæ periodus in qua* Animali vitæ *inſigniter inſultatur & triumphatur per* Divinam.

CAP. VIII.

1. *Qui nè ſpeculativus quidem Chriſtianus eſt indicium eſſe communi eum ſenſu carere ac ratione.* 2. *Naturam* Divinæ *atq;* Animalis vitæ *ſtatúmq; mundi ante & in adventu Servatoris priùs inquirendum eſſe quàm progrediamur.* 3. *Cur Deus non ſtatim* Divinam vitam *ad eam attollat gloriam quæ ei deberi videtur.* 4. *Primum Reſponſum.* 5. *Secundum Reſponſum.* 6. *Tertium Reſponſum.* 7. *Quartum & ultimum Reſponſum.*

1. EJuſmodi jam Concluſiones poſuimus aut ex ſe adeò evidentes, aut Ratione demonſtrabiles, aut deniq; ſapientiſſimorum qui unquam extiterunt virorum (etiam eorum quorum nihil intererat ut Chriſtianitas vera eſſet) autoritate adeò comprobatas, ut, cùm maximæ ejus difficultates in has facillimè reſolvantur, manifeſtò appariturum ſit, non ſolùm ineptitudinem quandam eſſe ad omnem omnino Religionem, ſed & communis ſenſûs laudabiliúmq; hominis facultatum defectum, quo impediatur quiſpiam nè *ſpeculativus* ſaltem Chriſtianus evadat.

2. Duo jam tantummodò ſuperſunt quæ ad ulteriorem præparationem nobis ante oculos ſunt proponenda, antequam ad particularem diſtinctarum Chriſtianitatis partium

tium ad antecedentia Theoremata applicationem progrediamur, Unum eſt de *Animali vita* ac *Divina*, alterum *de conditione Mundi & antea & in eis temporibus quibus* Princeps Regni Lucis *magnum illud incœptum aggreſſus eſt redimendi hominem lapſum è ſervitute Diaboli.*

3. De primo nonnulli forſan proclives erunt ad quærendum, Quid ſit hæc *Animalis vita* & quidnam *Divina*, ut hæc de illa tanta cum pompa ac ſplendore triumphare debeat? Et quî fit, ſi una adeò longè majoris pretii ſit apud Deum quàm altera, ut non ſtatim illam ſine tam longis exorſis ac laborioſis ambagibus in thronum attollat, ipſi debitum ſuum honorem donans ſine mora, & errantibus lapſíſq; Animabus fœlicitatem illam cujus ſunt capaces, abſq; tanta & tam faſtidioſa moleſtia?

Cujus poſterioris quæſtionis, vel potiùs audacis & imperitæ Expoſtulationis ruſticitas & inurbanitas proritat me, præter leges Methodi, ad eam expediendam anteriorem: præſertim cùm nihil ad reſponſionem requiratur præterquam quod in ipſa expoſtulatione ſupponitur, nempe quòd *Divina vita* longè præſtantior ſit ac pretioſior quàm *vita Animalis.*

4. Verùm, quàm maximæ ſit præſtantiæ hæc *Divina vita*, ſi rectè tamen eam intelligamus, illud ex ipſa quo nos privamur, nihil eſt per ſeipſum niſi ſublimis quædam ac nobilis mentium noſtrarum modificatio quâ ineffabiliter boni beatíq; evadimus, capacéſq; fruendi Deo, ſummo, quod concipi poteſt, Bono. *Divina* verò *vita* in ipſo Deo eſt impaſſibilis, nec turbari quoquam modo poteſt nec diminui, nec ullâ ratione incommodari: Eáq; vita in nobis, Divina nimirum illa animarum noſtrarum modificatio, quando in nobis non eſt, non eſt omnino, ac proinde cùm non ſit, nullam ſubit calamitatem, nec certè quando eſt in nobis, ullum ſentit aut dolorem aut voluptatem, ullámve gratificationem aut diſplicentiam. Eſt enim ipſa anima quæ ſentit omnia, eáq; eſt quæ percipit hunc *Divinum ſenſum atq; vitam.* Nullus verò ſenſus percipit ſeipſum, alioqui tot eſſent perſonæ quot ſunt ſenſus. Quamobrem ipſa *Divina vita* non læditur, non perturbatur, nec torquetur ullâ impatientiâ vel expectatione illius honoris ac Triumphi qui ipſi deſtinatur.

5. Secundò, Ille ſtatus ad quem beatorum Animæ tandem perveniunt, quæ eſt *Divinæ vitæ* coronatio cum Immortalitate & Gloria, eſt certè conditio tam præſtans & excellens ut valde juſtum ſit & conſentaneum ut nullum liberum Agens unquam eò perveniat niſi per competentem menſuram tribulationum & miſeriarum quibus exploretur ſinceritas illius affectûs quem debet tam pulchro ac amabili objecto. Et tametſi viæ Providentiæ ſint aliquantùm laborioſæ ac moleſtæ, quibus animas hominum ad hunc quietis portum ac tranquillitatis reducit; tamen cùm tam certò & tam eximiè remunerandi tandem ſimus, niſi noſtri ipſorum Amor nos occæcat, facere non poſſumus quin fateamur quòd totius rei progreſſus admodum congruus eſſet & decorus, quódq; res ità geſtæ ſint quemadmodum eas geſtas eſſe oportebat, prout notat *Ariſtoteles* de Hiſtoria Poëtica, ubi laboribus & calamitatibus exercitata virtus ſemper tandem victoriam conſequitur ac gloriam. Quamobrem Philoſophus *Epicorum* Poëtarum lectionem *Hiſtoriographorum* lectioni præfert, propterea quòd Poëtæ *Epici* res ità deſcribunt quemadmodum eas fieri oportet, Hiſtoriographi verò quemadmodum factæ ſunt, quæ ſæpenumero videntur non tam rectè factæ eſſe quàm oportuit. Sed ſtulti & Infantes, juxta vulgatum Proverbium, rerum dum moventur & perficiuntur, inidonei ſunt ſpectatores, neſciunt enim quò tendant. Nec mirum eſt ſi mundus ſtupidus ac imperitus in contemplanda Providentia multùm animo conſternetur uſq; dum magnus ille *Drammatiſta* Omnipotens Deus periodum perduxerit, prope ultimam rerum *Cataſtrophen.* Tunc enim pro certo cœlum terráq; reboabit hac acclamatione ſive *Plaudite, Verè eſt fructus juſto, utiq; eſt Deus judicans in terra.*

Eſt autem moroſi & impatientis animi, quod nec expectare nec approbare velimus in pleno Providentiæ curſu illam Methodum, quam accuratiſſima maximíq; judicii Ingenia in magnam ſanè facultatum noſtrarum gratificationem etiam in Hiſtoria ficta adhibuerunt; tanquam ſi humana Inventio Sapientiâ Divinâ juſtior & perfectior eſſe poſſit. Quamobrem, iterum affirmo, Quòd *patiens ac perſeverans Virtus currum ſuum Triumphalem tandem conſcendet, & per amplum hujus mundi Theatrum vehetur cum ſplendidiſſima pompa ac gloria.*

6. Tertio, Non ſolùm condignum tantæ remunerationi pretium per longam hanc explorationem & probationem adſcribitur, ſed & *peculiares quædam virtutes* admodum nobiles ac laudabiles per eam *exercentur*, quæ abſq; hac occaſione æternùm potuiſſent obdormiſcere. Cujuſmodi ſunt *Heroica fortitudo, Patientia invicta,* ſedula

ſedula *vigilánſq;* *Prudentia*, prompta & ſubtilis *Inventio*, & perſpicua ſolidáq; Rationis diſquiſitio ac directio contra perverſas ſuggeſtiones, apertioréſve declarationes *Sophiſtarum Regni Tenebricoſi.* Præterea in magis ſenſibili ſchola ſumus profundæ *Humilitatis* ac ſubjectionis noſtræ voluntatis voluntati Divinæ in rebus omnibus, opportunitatémq; habemus in nos conjectam tantarum probationum obſequii noſtri in temporibus *Sterilitatis* & *Deſertionis*, ut ipſa *Fidelitatis* noſtræ recordatio non poſſit non efficere ut longè nos indè chariores Deo factos deprehendamus, & ut ineffabile in animis noſtris excitetur gaudium & ſolatium, quòd hujuſmodi occaſiones habuerimus oſtendendi fidelitatem noſtram ac conſtantiam erga eum quem anima noſtra tantoperè amat. Quamobrem ex eo quòd res tam lentè ac gradatim progrediantur, naturalis quædam videtur noſtræ Beatitudini fieri acceſſio. Id verò à Deo expectare ut unâ vice animam in eum ſtatum compellat, in quem adeò naturaliter tempore ſuccedente matureſcere debet, perinde eſt atq; expetere ut Tempeſtates anni una in alteram in unum cumulum præcipites conjiciantur, utq; nec gemmæ ſint nec flores, (quanquam & illi peculiarem ſuum uſum habent, & pulchritudinem, atq; fragrantiam) ſed ut toto anno Autumnus ſit, quemadmodum in conſimili cauſa ſuprà reſpondimus. Sed *Divina Sapientia Bonitatis* ſuæ *optima* eſt *diſpenſatrix*, quæ ad omnes Naturæ facultates exercendas *Monſtra* pariter ac *Hercules* in Mundum introducit, ut fortitudo aptum in quo vires ſuas experiatur, adinveniat Objectum. Ac profectò niſi ipſum tenebrarum Regnum aliquo modo utile eſſet & aliquale præpotenti *Divinæ Sapientiæ* ac Bonitatis *Principatui* præſtaret *Homagium*, equidem auſim pronunciare, quòd nè uno quidem momento ſubſtiturum eſſet, ſed ſtatim foret è rerum univerſitate exterminandum.

7. Quartò & ultimò, Cùm nihil præter noſmetipſos quicquam damni capiat, (ſi modò nos damni quicquam capiamus) ex hac Beatitudinis noſtræ dilatione, quemadmodum jam demonſtravimus, cúmq; nos lapſi ſimus & à Deo noſtro defecerimus, omnino juſtum eſt ut ob id ipſum pœnam non mediocrem ſubeamus, ut Divinæ illius perfectionis, quæ à nobis recuperanda eſt, honor non lædatur minuatúrve tam vili ſordidáq; proſtitutione & tam facili ſubitáq; reditione in gratiam. Quanquam enim Deus per filium ſuum reconciliatur nobis ſemel, illud tamen nos non eximit à ſubeundo debitam pœnarum ſeriem antequam integrum Reconciliationis noſtræ fructum poſſideamus. Neq; nova eſt hæc doctrina ſed talis quam ipſi Apoſtoli docuerunt, nempe, *quòd per multas tribulationes & afflictiones nobis intrandum ſit in regnum cœlorum.* Et, *Quem diligit Dominus caſtigat & flagellat quemcunq; filium recipit.* Quamobrem nulla erit recuperatio priſtinæ noſtræ fœlicitatis nec ulla efficax reditio in gratiam cum Deo niſi per conſtantem & durabilem methodum diſciplinæ & probationis. Adeò ut ſufficientem cauſam videamus cur Providentia omnem illam Beatitudinem Fidelium cujus tandem participes futuri ſint, ſemel non adducat, ſed per aliquos anfractus & ambages (quemadmodum Expoſtulator temerè ipſas appellitat) eos circumducat, antequam omnia finita ſint & completa.

CAP. IX.

1. *Quid ſit* vita Animalis *in genere, quódq; bona ſit in ſeipſa.* 2. *Amor ſuiipſius* Paſſionum Animalium *radix, quódq; ipſe per ſe utilis ſit & innocuus in Creaturis.* 3. *Ut & ipſius Partes.* 4. *Nobiliores* Animales Proprietates *in Brutis, ut ſenſus Gloriæ,* σοφγὴ *& Aſtutia.* 5. Politicum *Regimen inter Apes.* 6. *Inter Grues & Cervos.* 7. *Et inter Elephantos.* 8. *Concluſio, Quòd ſapientia* Politica *cum omnibus ſuis ramulis* Vitæ Animalis *pars ſit.*

1. JAM verò ut redeamus ad id de quo in primo loco agere debuimus, *Animalem vitam* intelligo & *Divinam*, & ut declaremus quid ſint, non ratione quidem ſpinoſâ ac Philoſophicâ ſed quantùm ad uſus vitæ illiúſq; Gubernationem inſerviat; dicimus primò in genere: *Animalem vitam* illam eſſe quæ in Brutis æquè cernitur atq; in Hominibus, quæq; ſummatim conſiſtit in exercitio ſenſuum omniúmq; earum Paſſionum quas natura ipſis inſevit, ſive ad bonum uniuſcujuſq; particulare, ſive ad ſpeciei conſervationem. Quod meliùs intelligetur, ſi in aliquibus inſtemus, in quibus ut in reliquis Sapientiæ Divinæ in Natura veſtigia facilè deteguntur.

guntur. Unde pariter apparebit, nullum malum bonúmve ſimpliciter eſſe in *Animali vita*, ſed uſum indebitum, immoderatámq; Animi oblectationem in hujuſmodi motionibus ſolùm eſſe Peccatum. Quod manifeſtum eſt in externis ſenſibus. Sed nos præcipuè, quanquam breviter, conſiderabimus *Paſſiones* brutorum Animalium.

2. Radix generalis harum omnium proculdubio eſt *Amor ſuiipſius*, qui quamvis peſſimè ſonet (ſicut ſanè debet in ſequiorem partem acceptus) apud homines, eſt tamen legitima & perquam neceſſaria vitæ proprietas in quolibet bruto Animali. Illa enim cum non ſint prædita laxioribus illis & liberioribus Intellectûs Rationiſq; facultatibus, ſi intenſus ille amor quem unumquodq; erga ſeipſum gerit directus fuiſſet æqualiter in reliquas creaturas, qualis indè perplexitas animiq; diſtractio oriretur in ſingulis Animalibus, cùm ſolicitudo atq; cura ipſis ità reduplicaretur ab externis conſiderationibus reſpectúq; aliorum, ut unumquodq; compelleretur ſuas res negligere, immemórq; eſſe ſecuritatis propriæ ac fœlicitatis; aut ſaltem minùs capax redderetur ei proſpiciendi, ex eo, quòd animadverſio ipſorum alibi defixa eſſet & in eas creaturas quibus propter diſtantiam loci & ſimilia incommoda, opportunè ſuccurrere nullo pacto poſſent. Atq; ſic eorum affectus æquè infructuoſi aliis reperirentur, atq; inutiles ſibiipſis, dum eò non diriguntur nec ibi concentrantur ubi plurimum boni præſtare poterunt, nempe in ſemetipſis. Quibus tamen ad opitulandum ſemper maximè inſtructa ſunt & parata, utpote quæ ſibi præſtò ſunt maximè ſuiſq; caſibus præſentiſſima. Quamobrem juſtiſſimis de cauſis fit, quòd unumquodq; Animal fortiſſimum erga ſeipſum Amorem gerit, quippe quòd ſuis rebus faciliùs proſpicere poteſt quàm alienis, aut quàm ab aliis ipſius poteſt proſpici & auxilium ferri.

Nec tam præſentes alibi cognoſcere Divos.

Quamobrem nulla eſt vitioſitas in *Amore ſuiipſius* quatenus eſt merus *animalis affectus*, ſed eſt legitimum Vitæ Principium à Deo Naturæ inſitum ad Bonum commodúmq; Creaturæ.

3. Cúmq; *Radici* nullum ſubſit venenum, *Rami* in ſeipſis puri ſunt & innocui. Qui quidem *Rami* ſunt omnes *paſſiones Animales*, cujuſmodi ſunt *Ira*, *Timor*, *Dolor*, *Gaudium*, omnes neceſſariæ corporis Cupiditates, quæ ad ejus conſervationem tendunt, quales ſunt *Fames* & *Sitis* & *dormiendi appetitus*. Nec ſanè hic ſubſiſtit *Amoris ſuiipſius* effectus & influentia, in proſpiciendo utiq; *Individuis*, ſed ſapientia illa quæ in Natura operatur ità res comparavit, ut hæ brutæ Creaturæ quando *propriam ſuam voluptatem* atq; oblectationem maximè quærunt, facimus tunc edant *Univerſo* quidem omnium *utiliſſimum*, utpote quod conſervationi inſervit earum *Specierum* Animalium quæ adeo perfectæ ſunt, ut durare in mundo non poſſint abſq; hoc genere propagationis quæ ſit per unionem *Maris* ac *Fœminæ*.

Non eſt inſtituti noſtri accuratam inire enumerationem *Animalium Affectuum*, multóq; minùs eorum uſum declarare, in quo Divina Providentia æquè manifeſtò apparet atq; in Anatomica Partium corporis diſſectione; ac proinde Teſtimonium perhibet, omnes in ſuo genere bonos eſſe, utpote qui in Naturam Animalem inſiti ſunt per tam ſapientem & benignum Artificem.

4. Nos ſolummodò mentionem faciemus paucarum è nobilioribus Paſſionibus quæ obſervantur in aliquibus Brutis: Quales ſunt, *Gloriæ Laudiſq;* *ſenſus*, *Affectus naturalis erga fœtus*, quem Græci στοργὴν appellant, *Aſtutiæ uſus* & ſubtilitatis in conſulendo propriæ ſaluti, *Realis eorum atq; efficax ratio Politica* quâ bono publico proſpiciunt, & obſcura deniq; quorundam actuum *Religionis Imitatio*. Nullas prolixas excurſiones faciemus ſuper his capitibus quæ propoſuimus, nominabimus tantummodò quædam Animalia tanquam obſides illius veritatis quam innuimus. Exempli causâ, *Laudis* ineſſe *ſenſum* brutis, & *gloriæ* ac victoriæ manifeſtum eſt in *Pavonibus*, *Elephantis*, *Equis* & in *Gallis Gallinaceis* generoſis ac pugnacibus. *Naturalem* ipſis ineſſe *affectionem* erga fœtus omnia ferè Animalia teſtificantur; *Reciprocæ* verò *affectionis* pullorum erga eos qui ipſos pepererunt, exemplum eminentiſſimum eſt in *Ciconia*, unde ἀντιπελαργῶν eſt pii filii officium præſtare erga grandævum Parentem. Eſt & aliud *Gratitudinis* genus valde conſpicuum in aliis Animalibus, in *Canibus* præſertim, qui in defendendo vitam Dominorum ſæpenumero periculo expoſuerunt ſuam, & tam altum ex eorum morte conceperunt dolorem ut ſpontaneâ fame contabuerint, mortémq; voluntariam hoc pacto ipſi ſibi tandem conſciverint. Adeò ut hæc ipſa bruta ad *perfectionem* illam *Phariſaicam* perveniſſe videantur quæ ulteriùs non pertingit quàm ad *amorem Amicorum*, & ad benefaciendum eis qui ipſis benefecerint. Quantùm ad *Aſtutiam* peritiámq; ſibi proſpiciendi & ſartam tectam conſervandi

conſervandi propriam ſuam cuticulam, quamvìs inſtare poſſimus in multis aliis, ero tamen contentus mentione unius tantummodò Animalis ob dolos & verſutias admodum celebris, Vulpem intelligo.

5. Quantúmq; ad *ordinem Politicum* atq; Regimen, illius perfectio in *Apum Republica* non ſolùm apud magnos Phyſiologos notatur, ſed vulgariter nota eſt etiam cuilibet Ruſtico qui alvearia habet in ſuo horto. Ubi obſervare poteſt quomodo una aliqua Apis bombitatione ſuâ tanquam tubæ clangore reliquas ad opus excitat, quàm ſcitè aptéq; tota ſocietas diverſa mellificationis ſuæ munera inter ſe diſtribuit, quàm ſeveri Fucorum ſunt punitores, ejicientes ipſos ex alvearibus. Quàm fideles ac morigeræ ſunt *Regi ſuo* vel *Duci*, moventes ſe prout ille ſe movet, & ſuſtinentes eum corpuſculis ſuis quoties defeſſus eſt volando. Quàm peritè ſibi cavent nè ventorum violentiâ à ſe invicem diſſipentur, arripiendo ſcilicet minuta lapidum fragmina in pedes quibus levia eorum corpora ſaburrentur magíſq; ſtabilia fiant. Quod etiam memoriæ proditum eſt de *Gruibus*, quamvìs in quem finem magna ſit inter doctos diſſenſio; quibuſdam affirmantibus hos lapides unguibus eos geſtare ad explorandum *aqua* ſit an *arida* ſupra quam volant, quaſi diſtinctione ſonitûs demiſſorum lapidum utra ſit facilè internoſcant. Ego verò faciliùs dijudicatum iri exiſtimem per viſum, ac propterea in eam pronior ſum ſententiam quòd hi lapides eidem inſerviunt uſui cui Apum lapides inſerviunt.

6. Quod verò magìs *Politicum* in *Gruibus* videtur, hoc eſt, nempe quòd *unum* habent *Præfectum* ſive *Ducem*, qui dum ſuper terram quietem capiunt, toti agmini invigilat, lapidem in pede tenens, ut ſi fortè ſomnus oculis ejus obrepat, lapſus lapidis eum poſſit exſuſcitare. Reliqui interim dormiunt capitibus ſub alis repoſitis. Si quid verò periculi immineat, præfectus clamore ſignum dat, atq; ſic omnes ſimul avolant. Hanc præfecturam ſive præeundi officium per vices ſuſcipiunt tam in aëre quàm in terra, & ille qui jam primam aciem ducit, roſtróq; primus aërem findit, ſtato mox tempore ad agminis tergum ſe recipit. Quod etiam non ſine admiratione notari ſolet de Tranſitu *Cervorum Siculorum* per illud fretum *Siciliam* inter & *Calabriam* ſitum, novorum Paſcuorum inveſtigandi gratiâ ſingulis ferè æſtatibus repetito; Qui ſequitur, caput imponit clunibus illius qui proximè antecedit; Ille igitur qui jam univerſis præit, mox in tergum totius agminis ſe recipit, ut primùm ſe ſenſerit defatigatum, & in ultimi clunes caput ſuum reponit. Hoc faciunt per vices, atq; ità cornuum pondus non magno ſanè impedimento eſt ipſorum transfretationi.

7. Illud etiam admodum *Politicum* eſt quod *Apollonius* in itinere ſuo ad *Indos* de *Elephantis* fluvium trajicientibus obſervavit. Minimi primo loco incedebant, itáq; reliqui pro magnitudine ordinem ſervantes ſequebantur, maximis ultimo in loco trajicientibus. Quem ordinem cùm *Damis* ejus diſcipulus & Itineris comes, improbaret tanquam rudem & ineptum, magiſter ejus *Apollonius* veram ei rationem hujus rei expoſuit, enarrans illi, in fuga fuiſſe à venatoribus actos, cúmq; jam recederent, oportere fortiſſimos quoſq; juxta diſciplinam militarem ultimos incedere. Præterea ſi maximi primo loco ambulâſſent, ipſorum corporum pondus viam profundiorem facturum fuiſſe magíſq; difficilem & incommodam minimis ſubſecuturis.

8. Quamobrem manifeſtum eſt, ſapientiam *Politicam Animalis vitæ* partem eſſe, omnéſq; illas virtutes quæ ſub ipſa comprehenduntur, cujuſmodi ſunt *Juſtitia Politica*, *Temperantia*, *Fortitudo*, *Senſúſq; amicitiæ* ac *gloriæ*, cum multis aliis affectibus qui in *Politico genio* continentur atq; deprehenduntur in multis aliis brutis æquè ac in Elephantis reperiri. Sed non licet nimiùm expatiari.

CAP. X.

1. *Esse juxta* Plinium, *Religionem etiam quandam in brutis; ut in* Cercopitheco. 2. *In* Elephanto. 3. *Confutatio opinionis* Plinii. 4. *Passionem quandam esse posse in Cercopithecis & Elephantis è Solis Lunæve aspectu, consimilem illi Venerationis affectui in homine; Idololatriámq; proprium fructum esse* vitæ Animalis. 5. *Hujus rei detectio ex consuetudine* Indorum. 6. *Quorum Idololatria in cultu Solis & Lunæ originem duxit ab illa* animali Passione. 7. *Nihil mali esse in ipsa passione nisi nos in Insensibilitatem quandam primæ invisibilis causæ demergat.*

1. ULtima affectio quam nominavimus erat *Religio*, vel potiùs quædam quasi umbra illius. *Ægyptii* ortum Lunæ sub Imagine *Cynocephali* repræsentant, qui talem habet cum illo Planeta consensum ut in Interluniis hoc Animal visum perdat cæcúmq; permaneat usq; dum Luna lumen suum recuperaverit. Fluxus etiam menstruus Fœminæ semper contingit in coitu Lunæ cum Sole. Unde *Ægyptii* Sacerdotes custodiebant hæc animalia in Templis suis ad accuratiorem observationem cursûs Lunæ, ipsáq; Hieroglyphica constituerunt, quibus ortus Lunæ significetur; pingentes utiq; *Cercopithecum* hac positurâ, stantem scilicet in posteriores pedes erectum, pedésq; anteriores Cœlum versùs tollentem, cum rostro ad Lunam directo. *Pliniúsq;* planè affirmat eum novam lunam exultatione adorare. Quod tamen fateor me non majorem Adorationis actum existimare, quàm adulationes blandásq; assultationes canis ad reditum sui domini, multifariásve illas incurvationes corporísq; ad pedes ejus prostrationes. Unde *Critici* conantur rationem reddere Græci vocabuli προσκύνησις, quod *Adorationem* significat.

2. Idem author, inter alias *Elephanti* proprietates hanc etiam connumerat; *Religionem* scilicet, syderum solísq; ac lunæ venerationem. Asserítque, in *Mauritania* singulis noviluniis postquam luna cœperit elucere, Elephantes ad fluvium *Amilum* se recipere, ubi post solennem purificationem aquæq; consperſionem, salutato demum sydere in silvas iterum revertuntur.

3. Quòd duo magna illa mundi luminaria præpotentem habeant in corpora sublunaria influentiam, admodum est manifestum, quódq; peculiariter in quædam agunt præ aliis, & tamen absq; omni suspicione Religionis in his in quæ sic agunt. Quænam enim Religio esse potest in *Heliotropio* quod caput suum cum cursu Solis eum ad modum circumtorquet? Qualísve est illa adeò antelucana devotio in Gallo, quem tamen *Proclus* fingit, Hymnos suos matutinos *Apollini* sive Soli, quum primùm radios illius senserit, summo diluculo cantare? Et quænam est deniq; devotio illa vespertina in corvis cornicibúsve quos observare possumus summitatibus arborum procerarum insidere, rostris ad solis occasum conversis? Generalis illa vita atq; motus in mundo habet, (quod dixi) particularem suum affectum pro natura Animalis in quod incidit. Atq; ità lunæ præsentia, quæ tanta cum exultatione à *Cercopitheco* recipitur, cum tam solenni Religionis specie ab *Elephanto*, à *Cane* tamen diu & prolixè adlatratur; quemadmodum & Sol atrocissimis incessitur maledictis à quodam *Libyæ* populo ob immoderatum suum calorem. Nemo tamen est, opinor, nisi admodum levi ac temerario ingenio, qui conceſſurus sit hoc genus *Simiarum* atq; *Elephantum* actionibus ac gestibus suis *Lunam* magis adorare, quàm *Canem* suis latratibus ei convitiari vel blasphemare.

4. Veruntamen non negabo quin in Simiis & Elephantis & in aliis hujusmodi brutis Animalibus quæ ad humanam perfectionem propiùs accedunt, fieri possit ut aspectus Solis & Lunæ excitet aliquando novum quoddam & insolitum sensationis vel impressionis genus; confusum aliquod & attonitum phantasma, ex amore, metu, & admiratione conflatum, maximè affine illius Passionis quam in nobismetipsis *Venerationem* nuncupamus. Tantam utiq; vim habent notabiliora Naturæ objecta in infirmos *sensus animales*. Ac proinde quamvis Religio non sit, Idololatria tamen facilè esse potest genuinus *Vitæ Animalis* fructus, prout satis aptè dextréq; detegitur in cultu *Solis* & *Lunæ*.

5. Etenim quod *Cercopitheci* atq; *Elephanti* illi in *Mauritania* faciunt, idem fit ab Idololatris in duabus *Indiæ Orientalis* insulis, *Tidor* & *Ternate* appellatis, ubi Hymnos canunt orienti *Soli*, noctúq; *Lunam* invocant incrementi liberorum gratiâ, pecorúmq; & fructuum terræ, opinantes hæc duo luminaria maxima esse mundi Numina,

mina, Solémq; marem eſſe, Lunam fœminam, atq; hos duos peperiſſe *Stellas*, quas etiam tanquam quoſdam minorum Gentium Deos æſtimant.

6. Quòd inveſtigârunt cauſâm aliquam primam à qua Ordo, Oeconomia ac Regimen mundi dependerent ſuperiorum animæ facultatum ſagacitati acceptum eſt referendum. Quòd verò *Solem* cum *Luna* primam illam cauſam tam ineptè conſtituerunt, id factum eſt ex *bruta admiratione* craſſáq; ſtupefactione *ſenſuum animalium.* Quæ *animalis propenſio* horúmq; objectorum vis & attractio ad vivum depinguntur apud *Jobum. Si vidi Solem quando ſplendebat & Lunam cum claritate incedentem: Et ſeduxit ſe in abſcondito cor meum & oſculata eſt manus mea os meum. Etiam hoc fuiſſet iniquitas judicata, quia abnegâſſem Deum altiſſimum.* Quamobrem, utì ſuprà dixi, quanquam *Religio* non eſt, *Idololatria* tamen rectè judicatur fructus hujus *Paſſionis animalis*, quæ eſt veneratio Objectorum glorioſorum inſolitámq; admirationem Spectatori incutientium. *Cap.* 31. 26, 27, 28.

7. Non quòd quicquam ſubſit incommodi, ſi admodum ſenſibiliter percellamur illuſtriſſimis Naturæ Phænomenis, ſed quòd minimè deceat eò uſq; in ipſa demergi, eíſve adhæreſcere, ut ulteriùs non progrediamur, nec perveniamus ad *Illius* cognitionem qui *Inviſibilis* eſt, nec externis corporis oculis unquam cerni poteſt. Alioqui tantum abeſt ut admiratio animíq; emotio ex aſpectu nobiliorum in Mundo Objectorum quicquam mali in ſe habeat, ut uſitata ſit potiùs proprietas Philoſophici Ingenii ac Religioſi, magnámq; ſecum adducat tum voluptatem tum utilitatem. Eſtq; proculdubio aliquis uſus & commodum in omnibus *animalibus affectionibus*; ac proinde ſi quas ex ipſis relinquamus, niſi fiat nobilioris alicujus boni adipiſcendi gratiâ, nos ſtatim eo ipſo magìs mutilos & imperfectos reddimus.

CAP. XI.

1. *De* vita media *cujus radix eſt ratio, & quid ipſa* Ratio *ſit.* 2. *Præcipuæ hujus* mediæ vitæ *partes.* 3. *Quòd* vita media *operatur, ſecundùm eam vitam cui immergitur, ſive* Animalis *ſit ſive* Divina. 4. *Illius gnavitas quando in* Animalem vitam *immergitur circa res & contra & citra Religionem.* 5. *Quouſq; ea progredi poteſt in actionibus religioſis.*

1. *Animalis vitæ* naturam ſatìs jam illuſtravimus; Antequam ad *divinam* pergamus, operæ erit pretium pauliſper conſiderare *mediam* quandam vitam, vel facultatem Animæ humanæ, *Divinam* inter atq; *Animalem* poſitam. Cui ſi fas eſt nomen imponere è generali principio communíq; illius Radice, rectè eam poſſumus appellare *Rationem. Quæ potentia quædam ſive facultas Animæ eſt, quæ aut ab innatis ſuis Ideis communibúſq; notionibus, aut ex certitudine ſuorum ſenſuum, aut è narratione ac traditione aliorum, convolutum cognitionis glomum ſibi ulteriùs quaſi retexit vel deglomerat, intellectualem ſuæ lucis orbem in majus ſpacium extendens, detegendo diſcernendóq; arctas illas connexiones ac cohærentias conceptuum quos ipſa apud ſe de rebus efformatos invenit, atq; ità inferendo unum ex alio multifarias deducit concluſiones tum ad ſpeculationis voluptatem tum ad neceſſitates uſúſq; vitæ.*

2. Ab hac ſingulari facultate, communíve radice ſcientiæ amplificandæ, multi quidem rami germinant, nos verò quoſdam tantummodò è præcipuis nominabimus. Quales ſunt, *Rerum Naturalium peritia, Arithmetica* & *Geometria, Facultas loquendi*, ſive ſimpliciter *Grammaticè*, ſive etiam *Rhetoricè*, *Educatio civilis*, & *promptitudo diſſerendi juxta modum quendam exteriorem in rebus Religionis.*

3. Hæc brevis eſt *vitæ mediæ* deſcriptio, quæ neq; *Animalis* eſt nec *Divina*, ſed reverà eſt (quod Aſtrologi de Planeta *Mercurio* nugatoriè imaginantúr) talis quale illud eſt cum quo conjungitur, ſeu bonum ſive malum ſit, ſeu *Divinum* ſive *Animale.*

4. Nam ſi Ratio in *vitam Animalem* abſorpta ſit non ceſſat ibi operari, ſed omnes illius operationes eâ vitâ tinguntur in quam eſt immerſa; Adeò ut admodum diligens futura ſit, aut in inveniendis concinnandíſq; ſcitis aliquibus rationibus acquirendi divitias, aut in jocoſis aliquibus technis ad adipiſcendas voluptates, aut in conſiliis ineundis ad ſatisfaciendum ambitioni, aut deniq; ut tota ſit occupata in

quærendo victu, parandóve quæ ad vitam ſint neceſſaria. Nec nudæ actionis limitibus coërceri ſe ſinit, ſed ſecundùm cujuſq; genium, ſeipſam prodit in facultate ſermonis atq; Eloquentiæ: Quoſdam idoneos reddens ad ſcribendum Tractatus Politicos, mirâ rerum humanarum peritiâ confertos; Alios excitans ad ſpinoſas concluſiones efformandas deducendáſve in rebus Religionis; Alios deniq; extimulans ad excogitandum quàm plurimas poſſunt Cavillationes contra Religionem ſub qua nati ſunt, immò verò contra univerſam Pietatis Profeſſionem, & ad omni opere enitendum quo fiat ut fides in Deum ejúſq; providentiam pro re ſtolida ac ridicula apud homines æſtimetur. Aliquando ſociam ſibi aſciſcit *Poëticam* ut potentioribus illecebris hominum mentes teneat in legendo conceptus ſuos quos illa cum ipſis communicat. Hinc tot triſtia animúmq; in dulcem quendam dolorem colliquefacientia Elegia, in inopinatam mortem pulcherrimæ alicujus Fœminæ; Tot triumphalia Carmina ſuper crudelibus barbaríſq; victoriis ſanguinolento Marte acquiſitis; Tot impuræ Cantilenæ ad putidiſſimam illam Deam, terreſtrem *Venerem*; Tot deniq; temulentæ cantiunculæ ad exſtimulandos homines ad enormem *Bacchi* uſum à bibacibus Poëtis eructatæ.

5. Nec tamen hoc totum eſt quod *Ratio* præſtare poteſt atq; *Imaginatio*, dum *Animalis* tantummodò *vitæ* afflatu atq; inſtinctu aguntur (modò paululum accedat Educationis aptáq; corporis temperies;) ſed operam inſuper dabunt componendis ſacris *Hymnis* in honorem *Sanctorum*, *Beatæ Virginis* præſertim, etiam ipſius *Chriſti* & ſanctæ & individuæ *Trinitatis*; deſcribendis porrò Paradiſi voluptatibus & divitiis, quanquam ipſi illic nunquam adhuc fuerunt, nec fortè ibi unquam ſunt futuri. Et ſi hæc leviora videri poſſunt, utpote *Poëtica*, de eis etiam quæ magìs realia apparent & ſolida, quæq; proſaicâ Oratione, & cum gravitate magìs compoſitâ peraguntur, ardentes intelligo prolixáſq; preces, conciones longas & fervidas, multo zelo atq; eloquentiâ armatas ornatáſque, de his etiam pronunciandum eſt quòd & oriri poſſunt & ſæpenumero oriuntur à nullo altiori principio quàm nos deſcripſimus, quódq; effectus eſſe poſſunt earum facultatum quæ in homine *purè Naturali* inveniuntur.

CAP. XII.

1. *Inſignis aberratio, ac hebes jacénſq; guſtus* Hominis *purè* Animalis *in rebus ad* Divinam vitam *ſpectantibus*; *Quódq;* radix *hujus vitæ eſt* Fides *in Deum cum obedientia conjuncta.* 2. *Tres rami ab hac radice*, Humilitas, Charitas, Puritas, *& cur vocentur* Divinæ. 3. *Deſcriptio* Humilitatis. 4. *Deſcriptio* Charitatis, *& quomodo civilis Juſtitia, Probitáſq; moralis eminenter in ea contineantur.* 5. *Deſcriptio* Puritatis, *quomodóq; eminenter in ſe contineat quicquid Moralis* Temperantia *&* Fortitudo *præ ſe ferunt.* 6. *Veriſſimæ* Fortitudinis *Deſcriptio.* 7. *Et quàm eximium ejus exemplum erat Servator.* 8. *Stupendæ fortitudinis Servatoris ulterior repræſentatio.* 9. *Moralem etiam Prudentiam neceſſariò comprehendi in* vita divina. 10. Divinam vitam *optimam eſſe clavem ad reſerandum Chriſtianitatis Myſterium, ſed illius præſtantiam concipi non poſſe niſi ab eis qui illius ſiunt Participes.*

1. ET nunc certè *Animalem vitam* ad tam altum gradum evexímus addendo ipſi hanc *Mediam Naturam*, ut cuipiam forſan mirari ſubeat in qua tandem re delectum ſim facturus, quæ pretioſior videri poſſit aut optabilior, niſi fortè in aliqua *Miraculorum editrice Fide*, quâ Dæmonas poſſimus ejicere, & montibus mandare ut removeantur & deportentur in medium mare. Tantum verò abeſt ut tale aliquod privilegium reperiatur in quo naturalis hominis Spiritûs tumor atq; faſtus ſe ſit oblectaturus, ut è contrà magìs verendum ſit nè, poſtquam *hanc vitam* deſcripſerim, ille nullum omnino ipſius guſtum ſit habiturus víxq; intellecturus ſit quid velim: Et ſi intellexerit, eam tamen conſiderabit tanquam aridam & inſipidam notionem abſq; omni fructu & voluptate. Verùm utcunq; res ſucceſſerit, ipſam tamen ei declarabo quàm perſpicuè potero, & ut nihil ſit defuturum, *radicem* illius primo in loco curſim brevitérq; tangam. *Quæ eſt fides obedientialis firmáq; fiducia in vero Deo Creatore atq; Origine Rerum omnium.* Ab hac fide Angeli Apoſtatæ lapſúmq;

lapſúmq; genus humanum deſciverunt. Anima verò *Meſſiæ* ſemper erecta ſtetit, per profundiſſimas vadans tentationes quibus humana natura onerari poteſt vel impeti.

2. Sed *Sancta* hæc ac *Divina vita* eis qui oculos ad videndum habent, maximè erit perceptibilis in ſuis Ramulis, quanquam & illi etiam *Animali homini* appariturí ſunt admodum marcidi & contemptibiles. Sunt autem hi rami numero tres, quorum nomina quantumvìs trivialia & vulgaria, rectè tamen intellecta talem ſenſum ſecum important ut nihil majoris momenti pronunciari poſſit aut *hominum* linguis aut *Seraphinorum.* Sunt autem breviter hi ipſi, *Charitas*, *Humilitas*, & *Puritas*; Quæ ubicunq; inveniuntur, certa & infallibilia ſigna ſunt & indicia aut *Angeli nondum lapſi* aut *Animæ regeneratæ.*

Has *Divinas* appellamus *Virtutes*, non tam quòd ſacra *æternæ Deitatis* attributa aliqualiter imitantur, quàm quòd propriæ ſunt iſtiuſmodi Creaturæ cui ſuam Naturam impertit in quantum capax eſt, ſive Creatura illa *Homo* ſit ſive *Angelus*, atq; ſic evadat aut θεάνθρωπος aut θεοδαίμων, hoc eſt, θεάγγελος. Hujuſmodi enim Creatura (& *Chriſtus* hujuſmodi creatura erat gradu qui concipi poteſt maximo) conſpicuas in ſe habet has tres *Divinas* Virtutes, *Humilitatem* ſcilicet, *Charitatem* & *Puritatem.*

3. Per *Humilitatem* intelligo talem Spiritum ſive proprietatem per Divinam Gratiam nobis vel alii cuivis intellectuali Creaturæ inſitam, per quam intimo ſenſu & affectu, quicquid habemus, ſumus, aut agere poſſumus, Deo attribuimus Authori & Donatori omnis boni & perfecti muneris. Hic eſt ſummus ſanctitatis gradus & veriſſimum acceptiſſimúmq; Sacrificium quod offerre poſſumus Deo, nempe tam liberè ac medullitùs agnoſcere quòd quicquid habemus, ab eo prorſus profectum ſit. Unde fit ut nihil omnino nobiſmetipſis arrogemus nec cum contemptu aliis dominemur. In hac gratia comprehenditur ingenua quædam gratitudo (quod eſt liberrimum nobiliſſimúmq; Juſtitiæ Genus) hoc eſt, Plena abrenunciatio omnis à ſe dependentiæ, firmáq; ac profunda ſuiipſius ſubmiſſio Divinæ voluntati in omnibus, & diſplicentia aut ſaltem Inſenſibilitas ad hominum plauſus omnémq; Mundanam gloriam.

4. Per *Charitatem* intelligo amorem quendam Intellectualem per quem *Divinas perfectiones* deperimus. Quales ſunt illius *Bonitas*, *Æquitas*, *Benignitas*, etiam *Sapientia* ejus, *Juſtitia* & *Potentia*, quatenus benevolè gratioſéq; actuantur & modificantur ſupradictis Attributis. Aſſeróq; inſuper, verè transformari in has *Divinas perfectiones*, quantum cum humana Natura communicari poſſunt, & ex ſincero ipſarum ſenſu in nobis ipſis amare & admirari Deum in quo modis adeò infinitis & immenſis inveniuntur, veriſſimam ſummámq; illius Adorationem eſſe; & acceptiſſimam tandem Divini Nominis celebrationem maximámq; glorificationem quam humanæ Animæ præſtare poſſunt ſuo Creatori. Sed per hanc transformationem Animarum noſtrarum in Divinam Imaginem Intellectualis amoris, mentes noſtræ non ſolùm attolluntur Deum versùs Religionis ardoribus ac Devotionibus, ſed deſcendunt etiam pleno liberóq; flumine tenerrimorum affectuum erga ſocias creaturas, dum gratulamur ipſis ſuum bonum tanquam ſi noſtrum proprium eſſet, nóſq; calamitatum perinde miſeret ac ſi nos ipſi pateremur, ac pro viribus deniq; peritiáq; fœlicitatem earum promovere conamur, miſeriam verò quàm longè poſſumus, ab ipſis propellere. Atq; hoc eminenter in ſe complectitur quicquid aut *Juſtitia Civilis* aut *Moralis Probitas* ſibi proponere videtur. Quomodo enim eos injuriâ afficere poſſumus, pro quorum proſperitate ac incolumitate non tæderet nos mori?

5. Per *Puritatem* intelligo debitam moderationem ac Regimen ſuper omnia gaudia & voluptates carnis, dum tam ſtrictis loris vigilíq; oculo in doloſa illius invitamenta & illecebras intenti ſumus, & tam firmâ fide ſinceróq; affectu in cœleſtem illam Pulchritudinis Ideam in mentibus noſtris erectam defixi, ut nec dolores corporis nec *Animalis vitæ* voluptates unquam nos deprimere ſinamus infra Spiritualem noſtram Beatitudinem, omniáq; illa oblectamenta quæ *Vitæ illi* quæ reverà *Divina* eſt competunt. Atq; in hoc manifeſtò continetur quicquid *Moralis Temperantia* præ ſe fert vel *Fortitudo.* Nam ille vulgò ſatìs temperans habetur qui cerebrum à craſſa ſtupiditate corpúſq; à morbis ſalvum & incolume ſervare poteſt. Verùm hæc *puritas* ipſam *Divinam vitam* reſpicit, requirítq; talem moderationem in omnibus rebus quæ carnem ſpectant, ut corpora noſtra ſemper manere poſſint Templa impolluta idoneáq; habitacula quibus Dei Spiritus inhabitet, inibíq; operetur ſive per viam Illuminationis, ſive Sanctificationis & Animationis

mationis Inſtinctúſve ad interiora ſanctitatis munera. Et quantùm ad *Fortitudinem* manifeſtum eſt, cùm hæc Animæ Puritas mortificaverit prorſus penitúſq; edomuerit omnes enormes cupiditates voluptatéſq; corporis, quòd Mors longè minùs formidabilis, ut & hæc mortalis vita multò minoris momenti nobis poſtea videbitur.

6. Sed *Fortitudo* omnium longè maxima eſt quando *Amor* ipsâ morte fortior invenitur, etiam in penetrantiſſimo acerbiſſimóq; illius ſenſu. Cúmq; non tam imbecillitas inſenſibilitáſq; corporis, nec etiam *plenus impetus ac furioſus ardor, ac tempeſtas naturalium Spirituum*, dolorem mortémq; tolerabiliores reddunt, ſed ipſius animæ *nuda fortitudo ac conſtantia* id efficit, animata tantummodò & armata inextinguibili amore *Divinæ vitæ* & propoſito inflexibili omnia peragendi quæ ab illo principio ipſi imponantur.

7. Exemplum hujus *Fortitudinis* admirabile eſt in beato Servatore ; tantúmq; tranſcendit fortitudinem illam vulgò cognitam, & Poëtarum Hiſtoricorúmq; calamis ubiq; celebratam, quantum illorum Heroum fortitudo excedit agreſtem ferocitatem & audaciam Urſorum, Luporum & Leonum. Nam quòd quis audeat in arenam cum Morte deſcendere, quando igni æſtúq; agitatorum Spirituum totus exardet, non multùm abludit ab imagine eorum præliorum quæ inter pocula contingunt, ubi, ex eo quòd ſanguis eorum per nimiam vini ingurgitationem incaluerit, duellatores non perſentiſcunt lethalia illa vulnera quæ corporibus invicem infligunt. Pugnare verò frigente adhuc animo, nec dum præ ira exardeſcente, illa demum vera fortitudo eſt ; eóq; major quo Incœpti Occaſio nobilior reperitur, minúſq; furoris & paſſionis partibus inerat, quando primùm inter eos convenit de pugna diéque. Alioqui animas mactant temerario choleræ Paroxyſmo, aut ſaltem immani illi Tyranno, qui ipſis dominatur, *Superbiæ*, quam, ut illi honeſtiorem rei colorem ſuperinducant, *Honoris ſenſum* appellitant ; abſq; quo ſi eſſet, meliori poſtea inito conſilio, ipſi ſibi facilè gratiam facerent & laboris & periculi pugnæ.

8. Cæterùm ut loquamur de fortitudine magìs legitima & laudabili, quod eſt cum hoſte congredi in aperto campo, ubi animi eorum ità accenduntur & inflammantur Tympanorum ſtrepitu & clangore Tubarum (quæ certè poſſint hominem vel mediocris Spiritûs uſq; ad inſaniam ferè efferare) æſtimatur tamen facinus admodum forte ac honorificum, ſi quis in hoc turbine ac tumultu Spirituum ſuorum gladium ſuum occiſorum ſanguine ſaginat, hoſtémq; ex omni parte demetit mactátq; tanquam victimam Patriæ atq; Amicis, uxorem intelligo & liberos reliquóſq; ipſi ſanguine vel affinitate conjunctos. Quod tamen factum meritò comparari poteſt animoſitati ac furori Luporum ac Tigridum quæ ſatìs ferociter defendunt fœtus ſuos per innatam ſuam audaciam atq; confidentiam abſq; ullo externo adminiculo & artificio quibus ipſorum animi accendantur. Verùm fortitudo & ſtrenuitas ſemper benedicti noſtri Principis ac Servatoris cum nulla re conferri poteſt, utpote quæ omnia tranſcendit quæ excogitari poſſunt vel nominari. Quænam enim comparatio inſtitui poteſt inter eam animoſitatem quæ inſpiratur à belli pompa, vel certaminis ſingularis, ab æſtu & ardore naturalium Spirituum, à furore & odio adversùs inimicum, vel erga amicum amore, & talem fortitudinem, quæ omnibus *Animalis vitæ* commodis deſtituta, immo verò maximis illius incommodis onerata, ut penetrantiſſimo mortis ſenſu, Timore, Agoniâ, & Horrore, perſiſtit tamen nihilominùs, & ex humili ſui ſubmiſſione Voluntati Divinæ, tenerrimóq; affectu erga amabilem illam *Divinæ vitæ* Imaginem per omnia dura perrumpit cum infracta conſtantia, ídq; (quod certè commemorari non poteſt abſq; ſumma admiratione animíq; ſtupore) non ad redimendum vindicandúmve malè tractatum Amicum, ſed ad ſervandum liberandúmq; Inimicum malevolum?

9. Vidimus jam quàm eminenti modo, *Juſtitia*, *Temperantia* & *Fortitudo* in *Divina vita* comprehenduntur, quæ *vitam mediam* ſibi aſciſcens ſive facultates Rationales, neceſſariò etiam in anima firmiſſima jaciet veriſſimáq; *Prudentiæ* fundamenta. Hæc enim *Divina vita* & lux eſt & purificatio Oculi mentis, unde Ratio evadit verè illuminata in rebus omnibus *Divinis* ac *Moralibus*. Quod Myſterium quamvìs ſatis pro rei dignitate declarari non poſſit, breviora tamen quædam intimamina obſidum vices explere poterunt illius veritatis. Exempli causâ ; Ex eo quòd ſuperbiam amovet, ſuiipſius quæſitionem & intemperantiam, manifeſtum eſt, quanti ſit momenti *Divina vita* ad regenda ac moderanda judicia noſtra & intellectus in rebus univerſis.

Vide plura ſuper hac re lib. 8. c. 13.

10. Omni

10. Omni quo poteram opere anniſus ſum clarè ante hominum oculos exponere præſtantiam illius vitæ quam nuncupamus ***Divinam.*** Sed impoſſibile eſt ut verbis deferatur in eam animam quæ non aliqualem illius ſenſum experientiámq; jam antea habuerit. Quam certè ſi habeat, clavis illi erit ad reſerandum Chriſtianitatis Myſterium optima quæ inveniri poteſt; atq; in hoc lumine clarè perſpiciet quàm decora res ſit atq; juſta, ut hæc vita quæ reliquas omnes tam immenſis intervallis antecedit atq; ſuperat, tandem poſt longas tentationes & conflictus de omnibus triumphet. Quódq; in hunc finem Jeſus Chriſtus deberet venire in mundum, qui eſt author & conſummator hujus nobiliſſimi maximéq; Heroici Incœpti.

MAGNI

MAGNI MYSTERII PIETATIS EXPLANATIO.

LIB. III.

CAP. I.

1. *Lapsum animæ à* Divina vita, *suiq; immersionem in materiam accelerare partum* Cain *in* Eva *Mystica è Paradiso expulsa.* 2. *Quòd maximè fundamentalis error animæ lapsæ sit partus* Cain, *quódq; indè etiam oriundus sit* Abel *in Mysterio, Paganicæ Idololatriæ* vanitas. 3. Polytheismi & Atheismi *crimen in Paganos omnes à* Salomone *intentatum: Et quantoperè conveniat ut eorum audiatur defensio ad melius intelligendum Mundi statum ante adventum Christi.* 4. *Defensio ipsorum, Quòd non nisi unum Deum colunt, nempe* Solem, *scitè à* Macrobio *tractata.* 5. Brachmanes Indiæ *Solis cultores. Exceptio* Apollonii *apud ipsos & de falsa illius vanáq;* Pythagorismi *affectatione.* 6. *Ignorantia* Indorum *Magorum Dæmoniúmq; qui eos erudiebant.* 7. *Concessio, quòd illi reliquiq; Pagani cultum terminarent in unum supremum Numen quod ipsi* Solem *esse existimabant.*

1. ROstquam satìs clarè jam, utì sperò, *Divinæ vitæ* naturam illustravimus exposuimúsq; omnibus (qui idonei ea de re sunt judices) ut & naturam *vitæ animalis*; faciliùs nunc pleniúsq; intelligemus in quo consistat *Defectio* tum rebellium Angelorum tum hominis lapsi. In eo enim consistebat, quòd reliquerunt Divinæ vitæ legem, séq; totos dederunt *vitæ Animali*, perbacchantes in ea omnimodísq; voluptatibus indulgentes sine modo & mensura. Cujus effrænatæ libertatis hoc videtur calamitosum esse effectum, quòd Anima hominis tandem penitus oblita sit sui Creatoris, depressa prorsus & immersa in infimas hujus mundi corporei sordes atq; fæces. Illa enim in ipso facultas, quæ Gaudii corporei capax est (quæ est *Eva Mystica*) adeò ferox & effrænis evasit, ut nobiliores illos ac delicatiores animi sensus exederet prorsus planéq; extingueret, atq; adeò intimè hominem amore & dependentiâ cum materia conjungeret, ut postquam anima ejus Deum deseruerat verum illius Dominum ac maritum, crassæ huic fabricæ Corporeæ (externum intelligo ac sensibile universum) per vivam quandam adhæsionem tam arctè se agglutinaret, ut in hac intima ardentissimáq; conjunctione, id, in Mysterio, præstiterit, quod, in litera, legitur de *Eva* postquam expulsa erat è Paradiso. *Peperit primogenitum suum Cain.* Cujus partus in sensu Mystico nihil aliud est quàm falsa illa opinio, quam ratio Nominis subindicat. קניתי איש את יהוה *Possedi virum sive maritum qui est ipse Jehovah*, juxta facillimum maximéq; naturalem sensum Particulæ את.

Vide Cabbalam Philosophicam in Genesin, cap. 2 & 3.

2. Hic igitur primus est maximéq; fundamentalis error humani Generis lapsi, quòd *Corpus* sive *Materiam* solum illum verúmq; *Jehovam* faciunt, solam illam verámq; *essentiam* primámq; *substantiam* unde omnia sunt, agnoscúntq; *nullum Deum* præter *mundum hunc visibilem & sensibilem.* Ac proinde hic non subsistunt sed naturaliter progrediuntur

progrediuntur porrò ad partum *Abel*, quod *Joſephus* interpretatur ἀϑυμίαν *dolorem*. Cui proculdubiò Anima humana in hac conditione valde eſt obnoxia, ſed vocabulum æquè aptè poteſt ſignificare *vanitatem*, & utplurimum ſignificat; Quod optimè quadrat ad illud Apoſtoli de Paganis eorúmq; Religione, quòd *vani facti ſunt in Ratiocinationibus ſuis*. Atq; ità id evenit de quo Author pii illius libri qui inſcribitur *Sapientia Salomonis* tam Tragicè conqueritur.

3. *Etenim* vani *ſunt omnes homines natura, in quibus ineſt ignoratio Dei, & qui ex iis, quæ ſpectantur bonis, eum qui eſt* (τὸν ὄντα, *Jehovam*) *non potuerunt intelligere; nec ex operibus conſideratis ipſum opificem agnoverunt: ſed aut Ignem aut Ventum, aut celerem Aërem, aut Aſtrorum orbem, aut violentam Aquam, aut Lumina cœli rectores Mundi Deos eſſe putaverunt.*

Hæc accuſatio admodum preſsè urgetur in univerſum Paganiſmum. At verò æquum eſt ut paululum ſpacii ipſis permittatur quo ſeipſos defendant, ut veritas ex eo opportuniùs detegatur firmiúſq; ſtabiliatur, & naturalis humani generis ſtatus ante adventum Chriſti in Mundum, pleniùs intelligatur, quæ res ipſa eſt quæ jam eſt præ manibus, ultimúmq; argumentorum quæ per modum præparationis ad præcipuum noſtrum Inſtitutum propoſuimus.

Crimen quod ipſis hîc intentatur eſt *Polytheiſmus*, quod neceſſariò *Atheiſmum* in ſe concludit. Nam uno plures Deos aſſerere, eſt aſſerere nullum. Quamobrem cùm Pagani *Polythei* ſint in Profeſſione, per indubitabilem conſequentiam etiam *Athei* deprehenduntur.

4. Verùm hîc quidam ex eis talem pro ſeipſis Apologiam inſtituunt, affirmant utique, quòd illi agnoſcunt unicum ſupremum Numen, ſolem ſcilicet. Quódq; diverſi illi cultus qui Diis exhibebantur, ad hunc unum dirigebantur, quanquam ſub diverſis nominibus propter diverſas influentias & virtutes quas in ipſo obſervabant. Hæc eſt ipſiſſima *Macrobii* defenſio, quam ille ſub perſonam *Vettii Prætextati*, admodum ſcitè ac peritè tractat; à proprietatibus nempe Naturæ, vel à Nominum alluſionibus, vel à ſimilitudine Statuarum & Imaginum, vel à Ceremoniarum conformitate, vel deniq; ex Oraculorum teſtimoniis, non minùs ſexdecim Paganorum numina (quæ vulgò videbantur diſtincta) ad hoc unum *Solis* reducens, nempe *Apollinem*, *Bacchum*, *Martem*, *Mercurium*, *Æſculapium* & *Salutem*, *Herculem*, *Iſidem*, *Serapidem*, *Adonidem*, *Attinem*, *Oſiridem*, *Horum*, *Nemeſin*, *Panem*, *Jovem*, *Saturnum*. Nec dubito quin ſimilibus contorſiunculis anfractuoſiſq; Ingenii & Imaginationis flexuris reliquorum Deorum cultus ad ejuſdem Numinis cultum reducere potuiſſet, cùm & in ipſo limine ſermonis hujuſmodi ominis verbum ex Antiquorum oribus deſumptum illi exciderit, nempe Ἓν τὸ πᾶν· quod ſi diligenter excutiatur non poteſt non demonſtratum dare, Paganorum cultum terminatum fuiſſe in unum ſupremum Objectum; Quem *Macrobius* quidem vult eſſe ſolem. Concludítq; omnia in pleniorem hujus ſententiæ confirmationem, duplici Citatione; Una eſt brevis Invocationis ab Ethnicis Theologis uſurpatæ, cujus forma ſic eſt: Ἥλιε παντοκράτορ, κόσμου πνεῦμα, κόσμου δύναμις, κόσμου φῶς, i. e. *O Sol omnipotens, mundi Spiritus, mundi Vis, mundi Lux*; Altera eſt ex Hymnis *Orphaicis*.

Κέκλυθι τηλεπόρου δίνης ἑλικαυγέα κύκλον
Οὐρανίαις τροφάλιγξι περίδρομον αἰὲν ἑλίσσων
Ἄγλαε Ζεῦ, Διόνυσε, πάτερ πόντου, πάτερ αἰθήρ,
Ἥλιε παγγενέτορ, παναώλε, χρυσοφεγγές.

Audi qui longè vagantis vorticis volutantem lumina Circulum
Cœleſtibus axibus circumcurrentem perpetuò rotas
Illuſtris Jupiter, Dionyſi, Pater maris, Pater terræ,
Sol omnium Genitor, omniformis, ſplendore aureo reſulgens.

In quibus verſibus Generatio & Regimen rerum omnium attribuuntur Soli, qui (ut magìs conſentaneum videri poſſit) agnoſcitur ſenſum habere & Intellectum, quemadmodum videre eſt apud eundem Autorem, *Saturnal.* lib. 1. cap. 23. Quod etiam aſſeritur cap. 18. ubi probat *Bacchum* & *Solem* eundem eſſe. Hanc enim rationem Nominis Διόνυσος reddit, quòd ſit quaſi Διὸς νῦς *mens Jovis*, intelligendo per *Jovem* Ζῆνα φυσικὸν, *Jovem naturalem*, qui eſt Aër vel liquida pars Univerſi, quemadmodum *Theon* explicat in Scholiis ſuis in *Aratum*. Atq; hîc *Macrobius* aſſerit, quòd *Jupiter* ſignificat cœlum. *Phyſici Solem, mundi mentem dixerunt: Mundus autem vocatur Cœlum, quod appellant* Jovem.

5. Quòd *Sol* vero ſupremum Numen ſit Ethnicorum, ulteriùs evinci poteſt è Ceremoniis & cultu quem *Indorum Brachmanes* ipſi præſtabant, qui & Sacerdotes *Solis* nuncupabantur, quos utiq; *Apollonius Tyaneus*, induſtrius ille Paganiſmi inſtaurator, tantis effert laudibus, tantóq; Magis Babyloniis præfert, & *Ægyptiis Gymnoſophiſtis*, omnibúſq; omnino per totum terrarum Orbem ſapientibus. Cæterùm circumſtantiæ ejus apud ipſos Exceptionis & Hoſpitii, prout rem narrat *Philoſtratus*, argumento eſt eos ſolummodò inſigniores fuiſſe Magos & Præſtigiatores quàm in reliquo terrarum Orbe inveniebantur, non reverà ſapientiores, quemadmodum nobis, qui verum Deum colimus, neceſſariò eſt concludendum. Quid enim aliud colligere poſſumus à nigro illo aduſtóq; Aſſecla, cum Anchora aurea in manu, Cunuláq; corniculata è fronte ejus explendeſcente, qui *Damidi* & *Apollonio* dum in via erant obvium profectus eſt, inſtitutúmq; eorum per modum Divinationis ipſis prædixit, eóſq; poſtea duxit ad Magos? Quid ab illo monte perpetuò fumante, continuíſq; nubibus craſsíſve nebulis circumcincto & involuto, adeò ut hi Sophi nullo pacto inveniri poſſent abſq; ope nigelli alicujus hujuſmodi viæ ducis, ab ipſiſmet miſſi, nec habitatio eorum à quoquam intrari, quamvìs nec foſſæ eſſent nec milites quibus propelleretur? Quid à modo receptionis hujus præfervidi Græci qui tantum terrarum orbis partem peragravit ut eos inveſtigaret? Quem convivio acceperunt ubi Vinum ac Bellaria ad menſam deferebantur abſq; ullius mortalis manuum ope? Quid ab ipſorum Hymnis ac Phreneticis ſaltationibus in circulum quibus Divinum Soli cultum præſtabant, humum virgâ ferientes, qua terra ad inſtar fluctuum maris ſub ipſorum pedibus undaret dum ad hunc modum ſaltabant, cantabántq; Hymnos matutinos putatitio ſuo Numini apparenti ſupra Horizontem? Quid inquam aliud colligi poteſt ab iſtis univerſis, quàm conventiculum fuiſſe Magorum ac Præſtigiatorum? Quanquam negare nolo quin eſſe poſſent Sacerdotes, omnium quidem conſummatiſſimi, de quibus Paganiſmus eis temporibus gloriari poterat. *Apollonii*q; maximè idonei præceptores, cujus propoſitum fuit ſumma cum cura & diligentia ritus Paganicos inſtaurare, atq; eo pacto Chriſtianitatis incrementis obſiſtere.

Atq; proculdubio Diabolus Paganiſmum quàm exoptabilem poterat atq; amabilem reddidit per inſignia illa ornamenta Ingenii atq; morum aliarúmq; mirabilium perfectionum quæ reperiebantur in illo Homine. Sed cultus ille quem Soli præſtitit quanquam eum demonſtrat ſatìs peritum atq; Orthodoxum *Hierophantam* in ſuperſtitione Paganica, Ignorantia tamen ejus in rebus Philoſophicis manifeſtum eſt argumentum eum non fuiſſe genuinum *Pythagoreum*, ſed eo nomine ac Profeſſione aſtutè abuſum eſſe ad inſtitutum ſuum Paganicum fœliciùs promovendum.

6. Equidem Dæmones illi quibuſcum *Apollonio Indorúmq;* *Magis* tanta erat familiaritas, aut admodum invidi mihi fuiſſe videntur, aut valde ignari, vel ſaltem *Philoſtratus*, qui eorum Hiſtoriam ſcripſit. Nam in aperiendis ſuis Myſteriis, talia eorum oribus excidunt, quæ planè repugnant partibus maximè Eſſentialibus Philoſophiæ *Pythagoricæ* ipſiúſq; adeò veritatis. Sed quantùm ad hanc Opinionem quòd Sol ſupremum Numen ſit, cùm hi Spiritus lapſi æquè illius beneficio utantur atq; nos mortales (quemadmodum & *Homerus* videtur indigitare.

Ὄρνυθ' ἵν' Ἀθανάτοισι φόως φέρῃ ἠδὲ Βροτοῖσι.

Oriebatur ut Immortalibus lucem ferat & Mortalibus)

cúmq; in tam abjectum gradum à Deo vero defecerint, non eſt veri diſſimile quin & ipſi hoc objectum cultûs ſui faciant, utpote, cujus ope, Bono maximè ſenſibili ſe frui ſentiunt, & ab extremis illis tenebris quas triſte rerum Fatum tandem ipſis ſuperinducturum eſt, conſervari.

7. Quibus omnibus bene penſiculatis tutò concedere poſſimus id cui probando *Macrobius* adeò allaborat. Quòd utiq; cultus Ethnicorum terminatus ſit in unum ſupremum Numen quem peritiores *Myſtagogi Solem* eſſe ſtatuerunt, & ab Oraculo *Clario* edocti erant eum appellare *Jao*, tanquam ſi verus ille eſſet *Jehovah*.

CAP.

CAP. II.

1. *Supradictam Conceſſionem nihil facere ad cauſam* Paganorum *cùm plures uno ſint Soles.* 2. *Non ſolùm* Unitatem *ſed nec reliqua Divina Attributa cadere in Solem.* 3. *Opinionis* Cardani, *qui intelligentiam luci Solis attribuit, confutatio.* 4. *Aliud genus defenſionis Paganiſmi quæ prætendit,* Ethnicos *unum Deum coluiſſe cui nullum indiderant nomen.* 5. *Detectio ex ſua ipſorum Religione, Deum hunc innominatum non eſſe Deum verum ſed Mundum materialem.*

1. CÆterùm facilè demonſtratur nihil ad eorum cauſam facere hanc Conceſſionem. Etenim quamvis in *unitate* hujus numinis maximè ſibi placeant ac triumphent, ut qui putant unicum in mundo eſſe Solem; quemadmodum vox Latina *Sol*, & Græca * Ἀπόλλων ſubindicant (immò verò *Macrobius* hanc notionem adeò deperit, ut contendat *Apollinem Delphicum* non ſic appellari à loco cultûs ſui ſed à ἅπλοῦς voce Græcâ antiquâ quæ ſignificat *unus*, unde & ἀπλοῦς dirivetur quaſi jam *non unus*) nobilis tamen atq; ingenuus Philoſophiæ Genius non abducetur captivus araneis hiſce vinculis Superſtitionis & Criticiſmi in verbis. Ac proinde rerum naturalium peritiores audacter tot indigitant *Soles* quot cernuntur in Firmamento *Stellæ fixæ*, quemadmodum cum omnium admiratione clarè demonſtratur in illa nunquam ſatis laudata Philoſophia *Renati Deſcartes*. Quâ quidem, ſi rectè plenéq; intelligatur, inveniri non poteſt firmius propugnaculum contra & *Paganiſmi* ſtoliditatem, & Prophanitatem *Atheiſmi*. * *Vide lib.* 5. *cap.* 16 *ſect.* 5.

2. Sed non ſolùm obvium hoc *unitatis* attributum huic Paganicæ Deitati deeſt, ſed multa alia prætereà, quæ tamen neceſſariò includuntur in notione Dei. Cujuſmodi ſunt *Spiritualitas*, *Immenſitas*, *Omnipotentia*, *Omniſcientia* & ſimilia. Nam radiorum ejus reflexio Demonſtrationi eſt *Lucem* eſſe *corpus*, ac proinde niſi omnia corpora lumen eſſent aut ſaltem pellucida, Sol *immenſus* eſſe non poteſt cùm ab excurrendo ulteriùs pet alia corpora prohibeatur. Atq; hinc nec *omnipotens* eſt, nè in ea ipſa quidem quâ maximè excellit proprietate. Neq; enim utrumq; Terræ latus illuminare poteſt ſimul, nec faciem propriam liberare ab importunis illis maculis quæ ad inſtar ſpumæ alicujus vel muccaginis etiam ingratiis Divinæ ſuæ poteſtatis ac Numinis ipſi ſubinde inſident; quemadmodum *Sheinerus* & *Carteſius* diligenter obſervârunt. Tantúmq; abeſt ut ſit *omniſcius*, ut nullam omnino habeat cognitionem, cùm materia vel corpus nullius ſit capax cogitationis, quemadmodum à Schola *Carteſiana* rectè ſtatuitur, & à me plenè demonſtratur in libro *de Immortalitate Animæ*.

3. *Cardanus* verò intelligentiam huic Luminari attribuens ſcribit potiùs ut *Sacerdos Solis* (& certè tum ipſe tum pater ipſius Magiæ ſuſpecti erant) quàm ut *homo Philoſophus*, ac ſolidâ ratione præditus. Sed nè accuſatio videatur incredibilis, propria ipſius verba in medium proferam. *Cúmq; Sol luceat intellectu*, inquit ille, *qui ei eſt tanquam Anima; ſi ab ea ſecedere poſſet intellectus, nona liter luceret Sol quàm Terra.*

In quo planè intellectum & lumen viſibile idem facit. Quod ſi eſſet, ſequeretur tamen nihilominus Solem nihil cernere poſſe in tenebris, ac proinde eum non eſſe *omniſcium*: Cicindelámq; ac Candelam junceam magis idoneas teſtes eſſe eorum quæ noctu peraguntur quàm Sol eſſe poteſt. Nam ſi lux viſibilis & Intellectus idem ſint, quælibet recèns accenſa Lampas vel Teda ſtatim fiet Intelligentia. Adeò vana eſt hæc Hypotheſis, quòd *Sol ſit ſupremum mundi Numen.*

4. Sunt autem aliud genus Patroni Paganicæ ſuperſtitionis, qui defenſionem cautiùs inſtituunt, affirmantes tantùm in genere, Quòd illi varii ritus qui adhibebantur in colendis particularibus Numinibus, dirigebantur ad unam ſupremam cauſam rerum omnium, quamvis pro ea quæ ſunt prudentia non ſint auſi eam nominare. In cujus rei argumentum afferunt, Primò, Quando invocabant aliquod particulare Numen quod ipſis opportunum erat eo tempore invocare, Sacerdotes poſtea Invocationem univerſarum Deitatum in genere addidiſſe, quemadmodum *Servius* notat in illud *Virgilii*.

Diiq; Deæq; omnes ſtudium quibus arva tueri.

Secundò, Quòd omnes Dii erant σύμβωμοι, hoc eſt, Altaria eis erant extructa & conſecrata univerſis in genere, cum hujuſmodi Inſcriptionibus,

DIS DEABUSQUE OMNIBUS.
&
DIBUS DEABUSQUE OMNIBUS.

& ſimilia.

Tertiò, Quòd omnes unum commune Feſtum habebant, quod vocabatur θεοξενία vel potiùs θεοξυνία, quemadmodum notat *Seldenus.*

Poſtremò, *Ægyptii* cùm eſſent populus ob *Polytheiſmum* magìs infamis aç Religionum varietatem quàm ulla alia gens ſub Cœlo, Sacerdotes tamen eorum obſervabantur Ceremoniarum ſuarum quoddam compendium facere in cultu certarum quarundam Sphærarum vel Globorum, quorum unus erat in unoquoq; Templo, ſed ſecretò cuſtoditus, & clam oculis vulgi. Quippe quòd Sacerdotes cognitionem unitatis Objecti ſuorum cultuum tanquam Arcanum ad ſeipſos ſolos pertinens reſervabant.

5. Sed quòd unum hoc cultûs objectum non erat *Deus verus* ſed *Mundus materialis*, ipſa figura quâ uſi ſunt non obſcurè videtur ſignificare. Et notavi ſuprà Mundum & Jovem in Philoſophia Paganica unam eandémq; rem eſſe. Et *Plutarchus* porrò apertè aſſerit de *Ægyptiis*, Οἱ τὸν πρῶτον θεὸν τῷ παντὶ τὸν αὐτὸν νομίζουσι, *Quòd mundum ſive univerſum idem atq; Deum principem primámve rerum omnium cauſam*, eſſe exiſtimant. Hunc *Ægyptii* colebant ſub nomine *Serapidis*, qui rogatus à *Nicocreonte* Rege *Cypri* quis Deus eſſet, hoc ſciſcitanti oraculum edidit.

Εἰμὶ θεὸς τοιόσδε μαθεῖν εἷον χ' ἐγὼ εἴπω,
Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαστὴρ δὲ θάλασσα,
Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσὶ, τὰ δ' ὦτα ἐν αἰθέι κεῖται,
Ὄμμά τε τηλαυγὲς λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Talis ſum Deus intelligendus qualem ego dico,
Cœleſtis mundus caput eſt, venter verò mare,
Terra mei pedes ſunt, aures autem in æthere jacent,
Oculúſq; cuncta eminens luſtrans eſt ſplendida lux Solis.

Ex qua Hypotheſi facillimè intelligitur quænam mens ſit Ænigmaticæ illius Inſcriptionis in Templo *Sais* urbis in Ægypto. Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν. *Ego ſum omne id quod erat, eſt, aut futurum eſt, & nemo mortalis unquam adhuc meum peplum ſubduxit.* Venerandum profectò Ænigma, cui nè unum quidem granum veritatis ſubeſt, niſi nihil ſit in rerum Univerſitate præter *materiam modificatam.* Verùm hoc modo Mundum Deum facere, eſt reverà agnoſcere eſſe omnino nullum. Ac proinde hoc genus *Monotheiſmi* Paganorum æquè craſſus eſt *Atheiſmus* ac eorum *Polytheiſmus* ſuprà probatus eſt.

CAP. III.

1. *Ultimi Paganicæ Superſtitionis Patroni, qui agnoſcunt Deum* mentem *eſſe æternam à materia diſtinctam, réſq; omnes* Manifeſtationes *eſſe* Attributorum *illius.* 2. Manifeſtationes *ejus in* mundo externo. 3. Manifeſtationes *intra nos, putà in* Paſſionibus. 4. *Nobiliores ejus* Emanationes *& communicationes cum* interna mente: *quódq; Pagani veteres* Nomina Perſonalia *affixerunt hiſce diverſis virtutibus ac* Manifeſtationibus. 5. *Ratio cur has diſtinctas virtutes ſive potentias totidem Deos Deáſve conſtituerint.* 6. *Ratio cur coluerint* Genios *&* Heroas.

1. ULtimum optimúmq; genus Patronorum Paganiſmi illi ſunt qui profitentur unam æternam Spiritualem & Intellectualem Eſſentiam Gubernatricem & Moderatricem rerum omnium, Qualem *Plutarchus* Sacerdos Paganus definit Deum. Νῦς οὖν ὁ θεὸς χωρισὸν ἀσώματος, τύπῳ, τὸ ἀμιγὲς πάσης ὕλης μηδενὶ παθητῷ συμπεπλεγμένον. *Deus igitur Mens eſt ſive Intellectus, Forma vel eſſentia abſtracta,* hoc eſt, *omni prorſus Materiâ*

teriâ immunis, & cum nulla re paſſibili connexilis. Quem ille ſic deſcribit ad mentem *Socratis*, *Platonis* & ſuiipſius. Subtiliſſimi igitur ingenioſiſſimíq; Paganorum defendunt ſe ad hunc modum.

Agnoſcimus, inquiunt illi, unam eſſe æternam Deitatem, infinitè ſanctam & benignam, omniſciam, omnipotentem, primam cauſam & originem rerum omnium in mundo, tum immaterialium tum materialium, nihílq; omnino eſſe in mundo quod non ſit *Manifeſtatio* præſentiæ & Attributorum hujus unius Deitatis. Nóſq; propterea conſiderare vaſtam hujus latè patentis Univerſi Capacitatem tanquam auguſtiſſimum ſanctiſſimúmq; quoddam Templum hujus divinæ Majeſtatis, quæ unamquamq; illius partem implet & poſſidet. Quandoquidem quælibet apparentiæ ad externos noſtros ſenſus, quilibet motus & excitationes intra propria noſtra corpora, quælibet in mentes noſtras impreſſiones, nihil aliud ſunt niſi tot *Manifeſtationes* aut Sapientiæ, Bonitatis, Potentiæ & Juſtitiæ, aut ſaltem Iræ & Indignationis hujus unius Dei ad cujus patefactiones ſive apparentias, ubicunq; emicuerint, nos parati ſumus ſubmiſſiſſimè adorare.

2. Sive igitur oculi noſtri rutilantiori illo Solis ſplendore percelluntur, ſive magìs placidam mitémq; Lunæ contuemur pulchritudinem, ſcintillantiúmve ſtellarum Lucis ſincerioris contemplatione occupamur; ſive recreamur leniſſimis ſuaviſſimíſq; refrigerantium Aurarum ſpirationibus, aut attoniti ſubſiſtimus ad Cataractæ magni alicujus fluvii horrendum murmur, aùt altitudinem miramur inſuperabilis alicujus inacceſſibilíſq; rupis montíſve, aut jucundo quodam horrore & titillanti frigore totum corpus percurrente ſilentem aliquam ſylvam ſacrúmve & umbroſum Nemus contemplamur; ſive Cœli facies arrideat nobis hilari Cæruleo renidens, ſive vultu magìs torvo ac minaci nos intueatur, caliginoſis piceíſq; nubibus fulmen & tonitru in terram intentantibus; ſive Aër frigidus ſit, vegetus & ſalubris, ſive præfocanter calidus, contagioſus & Peſtiferus, adeò ut dum hiantiori ore auras vitales captamus, ſubitam & inevitabilem mortem haurire cogamur; ſive deniq; terra firma ſtet ac immobilis artíq; faveat & induſtriæ Opificis, ſive ipſis ædificiorum noſtrorum fundamentis propter magnas Soli concuſſationes nutationéſq; à terræ motibus, quos & horrendi ab infrà mugitus terribiliáq; murmura comitantur, ruinam minitetur; Quicunq; caſus notabiles nobis accidunt ſive in bonum ſive in malum, hi ſunt illi *Joves* & *Vejoves* quos nos colimus, qui certè nobis non multi ſunt ſed unus Deus, qui ſolus poteſtatem habet ſalutis ac mortis, ac proinde à quacunq; parte hujus magnifici illius Templi, *Univerſi* ſcilicet, vocem ſuam emiſerit, corda noſtra pariter atq; oculi ſtatim eò diriguntur cum Timore, Amore ac Veneratione.

3. Nec ſanè hîc ſubſiſtit noſtra devotio, vel potiùs huc ſolummodo ad extrà vagatur, ſed & notabiliores illas alterationes & commotiones quas intra noſmetipſos invenimus *illi* etiam attribuimus, cujus *Spiritus*, *Vita*, ac *Poteſtas* implet omnia. Ac proinde eas ipſas *Amoris* paſſiones atq; *Iræ*, à quorum priori pendet omnis illa naturalis dulcedo affectionis quæ invenitur aut in hominum amicitiis aut in amoribus fœminarum, quemadmodum à poſteriori magnus ille ſplendor pompáq; Belli: Has cum reliquis animæ paſſionibus tanquam *Manifeſtationes* quaſdam illius præſentiæ conſideramus qui ubiq; operatur in noſtrum aut *ſolatium* aut *pœnam* aut *exploprationem.*

4. Nec præterire poſſumus nobiliores illius communicationes cœleſtéſq; emanationes in mentes noſtras: Quales ſunt *Sapientia*, *Juſtitia*, *Ordo Politicus*, & id genus reliqua. Quæ omnia cum prioribus illis & aliis innumerabilibus, quæ brevitatis causâ miſſa facimus, Religio Majorum noſtrorum in Deorum Dearúmq; *perſonas* formavit, Sapientiam vocantes *Minervam*, Juſtitiam *Dicen* vel *Themin*, Ordinem Politicum, *Eunomiam.* Ad amorem referebantur *Cupido* ac *Venus*, ad Iram *Mars* & *Eumenides.* Illa vis quæ terram quatit, dicitur *Enoſichthon.* Mare *Neptunum* appellant, Aërem *Junonem*, Solem *Apollinem*, Lunam *Dianam*, Tellurem *Veſtam*, Frumentum *Cererem*, Vinum *Bacchum*, & ſic de reliquis.

5. Cujus profectò nulla alia Ratio reddi poteſt quàm quòd antiqui ſuperſtitionis Paganicæ Autores vel Inventores adeò Enthuſiaſticè afficiebantur ſingularum *divinarum virtutum* ſive *manifeſtationum* in mundo contemplatione, ut cum admiratione ſecum reputantes quàm magni unaquæq; earum ſigillatim conſiderata ſit momenti, ſingulis ſeparatim immorandum decreverint in religioſis ſuis cogitationibus & meditationibus, excellentiáſq; Divinas non confundendas eſſe ac obſcurandas uno generali & promiſcuo cultu, cùm tanti æſtimarent unumquodq; Dei attributum ut per ſe ſolum ſufficere putarent ad conſtituendam Deitatem. Ac proinde intellexerunt per *perſonales* has appellationes ſive maſculinas ſive fœmininas (Deus enim, inquiunt

inquiunt illi, eſt ἀρρενόθηλυς) unam & eandem Deitatem ſub hac vel illa ſuiipſius manifeſtatione in mundo, juxta quam nomen proprium ipſi tribuebant, tanquam ſi nova eſſet diverſâve *perſonâ*; cùm tamen apud ipſum res non aliter ſe habeat, quàm in appellationibus Oceani, qui nomen mutat pro mutatione Regionum quas alluit.

Εἷς μὲν ἐὼν πολλῇσι δ' ἐπωνυμίῃσιν ἀρηρώς,

quemadmodum *Dionyſius* notat in *Geographico* ſuo Poëmate.

6. »Et ſi rationem etiam habuerunt Religioſi cultûs *Geniorum* vel *Spirituum*, ſive iſtiuſmodi quorum apparitio adeò horrida erat & terrifica ut ingentem pavorem hominibus incuterent, ſeu talium quorum benigniorem aſpectum comitabatur jucunda quædam admiratio & gaudium, hos illi conſiderârant tanquam aliquas eminentiores manifeſtationes illius unius æterniq; Numinis quod per omnia percurrit, Vitam omnibus & Eſſentiam ſuppeditans, quem idcirco appellabant Ζῆνα vel Δία, i. e. *Jovem*; Quem triplicem faciunt *Cœleſtem*, *Marinum* & *Infernalem*; duos poſteriores eorum vocantes, alterum *Neptunum*, alterum *Plutonem*. Cùm tamen ſit *unus æternus Spiritus*, inquiunt illi, quem in his tribus veneramur, quorum regnum & dominium eſt ſuper omnia, quamvis illius adminiſtratio differat pro natura ac merito illorum qui gubernantur. Eadémq; afferri poſſunt ad defenſionem illius cultûs quem defunctis *Heroibus* præſtamus, per quorum nobiles perſonas defæcatioréſq; Spiritus *Divinæ excellentiæ* illuſtriùs ſolito tranſluxêre. Nam reverà non tam eos colimus quàm Deum per ipſos tranſlucentem, ut is qui ſe incurvat Solem versùs vel Lunam per vitrum Feneſtræ lucentem, adorationem ſuam non deſtinat animóve intendit vitro ſed cœleſtibus illis Luminaribus. Nec nos corpora incurvamus versùs illa Luminaria ſed Deum versùs, qui per omnia ſe nobis exhibet præſentem.

CAP. IV.

1. *Ethnicorum* Feſta, Templa, & Imagines. 2. *Eorum Apologia pro Imaginibus.* 3. *Significantia Imaginum* Jovis & Æoli; 4. *Etiam* Cereris, 5. *Atq;* Apollinis. 6. *Paganorum defenſio à* ſignificantia Imaginum, *earum uſum non magis Idololatricam eſſe quàm librorum in omnibus Religionibus; fuiſſe verò in uſu etiam in Gente* Judaica. 7. *Reſponſum Paganorum ad eos qui dicunt, impoſſibile eſſe ut Deus per externam Imaginem repræſentetur.* 8. *Ethnicis invidendum non eſſe ſi quid fortè ſolidi ſubſit eorum Apologiæ; & quare.*

1. JAM verò pro variis apparentiis hujus unius Deitatis quæ ſeipſam ubiq; exerit, Majores noſtri varios Religioſos ritus & ceremonias inſtituebant. Multa *Feſtorum* & *Sacrificiorum* genera decernebant, *Templa* ædificabant, extruebant *Altaria* cum variis Inſcriptionibus, *Imagines* erigebant proprias, & hujus vel illius *Divinæ Virtutis* apprimè ſignificativas, quæ ſtatis temporibus locíſq; ab ipſis erat colenda. Quibus religioſis conſuetudinibus ſub quibus eramus nati, noſmetipſos ſubjecimus, nec eo, quantùm quidem nos opinamur, obnoxios fecimus ulli juſtæ ſuſpicioni aut imputationi Idololatriæ.

2. Neq; enim nos coluimus iſtas Imagines quæ ſic erectæ erant, non ſanè magis quàm aliæ Gentes Sacra Legis ſuæ vel Religionis Volumina colunt, quoties vel ex ipſis orant, vel ea prælecta audiunt, vel deniq; eis in juramentis exigendis utuntur. Nam Religio illa quæ præſtatur non præſtatur libro, ſed illi cujus liber ille eſſe dicitur, illi quem orant, & per quem jurant. Atq; iſtæ Imagines nobis vices præſtant illorum ſacrorum librorum apud alios, cùm admodum ſcitè exprimant circumſtantias exertionis illius *Divinæ Virtutis* quam nos ſtato aliquo tempore adoramus. Ut videre eſt in Imaginibus *Jovis*, *Æoli*, *Cereris*, *Apollinis* & reliquorum.

3. *Jupiter* enim, qui apud ipſos Deus erat Tonitrui, ut ſceptrum Regium in ſiniſtra geſtabat, ità dextra fulmine onerabatur, juxta illud Poëtæ.

——— Cui dextra triſulcis
Ignibus armata eſt.

Æolus ventorum Deus ſtabat ad os Antri, veſtimento lineo cinctus, Fabri ferrarii follibus

follibus pedibus ejus ſubjectis. Ad dextram ſtabat *Juno* nube tecta, coronam ipſius capiti imponens, ut quæ regnum ſuum illi dederat. Ad ſiniſtram ſtabat Nympha, umbilico tenus in aquam immerſa, quam *Juno* ipſi in uxorem addixerat. Quæ Imago eſt repræſentatio ſignificantiſſima Naturæ & cauſarum Ventorum, atq; adeò facilè intelligenda, modò notemus per *Junonem* Aërem ſignificari, ut nihil opus ſit ulteriori explicatione.

4. *Ceres* effingebatur ad ſimilitudinem Fœminæ ruſticæ, bovi inſidentis & habentis in dextra vomerem ſeminúmq; calathum à cubito pendentem, in ſiniſtra falculam & flagellum. *Juno* Aëris nubiúmq; Dea ab uno erat latere, *Apollo* ſive Sol ab altero, ad ſignificandum, niſi calor Solis pluviæq; tempeſtivæ laboribus Agricolæ ſubveniant, nihil germinaturum.

5. Figura *Apollinis* ſive Solis ſic erat. Imago ejus juvenilem habebat vultum, dextrâ pharetram tenebat Sagittis gravidam Arcúmque, ſiniſtrâ Lyram. Sub pedibus erat monſtrum terribile in forma Serpentis tria habentis capita, viz. Lupi, Leonis, & adblandientis Canis. In capitis vertice aureus erat Tripos, & circa tempora duodecim gemmarum corona. Cujus quidem ſimulachri ſignificatio, quanquam primo aſpectu abſtruſa videri poteſt, tamen ſi pauliſper rem perpendas, aptè admodum repræſentat naturam *Solis*, *temporiſq;* quod dependet à Sole, & *Cognitionis* quæ dependet à tempore. *Arcus* & *Sagittæ* nihil aliud ſignificant niſi radiorum jactus à tam longinqua diſtantia. Unde appellatur ἑκηβόλος Ἀπόλλων apud Poëtas. *Vultúſq;* *juvenilis* nihil aliud præterquam indeficientem illius vigorem, quem ætas non omnino minuit. *Lyra* ejus ſignificat Planetarum circa eum Choreas, acſi in medio eorum ſedens fidibus caneret, aut ſaltem juxta alteram Hypotheſin, tanquam ſi ipſe chorum duceret Lyram digitis increpans, reliquíq; Planetæ ipſum ſequerentur. *Duodecim gemmæ* ſignificant duodecim ſigna Zodiaci quibus circumcingitur. *Triceps Draco* Tempus denotat in triplici ſua Ratione, Præteriti, Præſentis, & Futuri. Tempore *præterito*, quemadmodum notat *Macrobius*, adinſtar rapacis Lupi, rerum memoriam devorante; *præſenti*, ob actum inſtantem valido fervidóq; exiſtente, ut Leo; & *futuro*, ad imaginem blandientis Canis, jucundâ ſanè quantumvis incertâ ſpe animos noſtros demulcente. Et *Tripos* deniq; aureus triplex Objectum deſignat Scientiæ quam tempus ſapientibus affert, qualem *Homerus Calcantem* deſcribit *Apollinis* Sacerdotem.

Οἱ ἤδη τάτ' ἐόντα, τάτ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

Qui novit præſentia, futura & præterita.

Adeò ut manifeſtum ſit, quàm maximè videatur enormis & alienus harum Imaginum uſus, quòd idem tamen erat earum qui eſt ille librorum. Ut quæ animos noſtros excitabant (& fortaſſis cum majori acceſſione Religionis & admirationis) in ſenſum & conſiderationem illius *Divinæ Virtutis* quæ à nobis erat colenda vel adoranda.

6. Quamobrem admodum injuſta eſt illa criminatio quæ nos inſimulare velit Idololatriæ propriè ſic dictæ, tanquam ſi ipſa Idola coleremus. Nam quantùm ad nudum Imaginum uſum in divino cultu (cùm ſit ea in ipſis quam adduximus utilitas) nihil profectò dubitamus quin in ſe licitus ſit, ubi nullum eſt Dei præceptum quod eum prohibeat. Atq; certè ubi præceptum illius ſuper hac re eſt expreſſiſſimum, ut in Gente *Judaica*, notiſſimum tamen eſt apud omnes, quòd & illic etiam erat religioſus uſus Imaginum, quemadmodum patet in Cherubinis qui Propitiatorium tegebant, & in Serpente æneo quem eos ſpectare oportebat in deſerto, nam per ipſum exerebat Omnipotens Salutiferam ſuam virtutem in eos qui ſerpentibus igneis puncti eſſent. Hujuſmodi enim effecta à Natura non ſunt, nec ab arte, ſed ab ipſa Religionis efficacia, quemadmodum ipſum vocabulum *Teleſma* manifeſtò indicat. Jam verò videtur quidem nobis res planè incredibilis ut Deus quicquam præcipiat quod in ſe abſolutè malum eſt; ac proinde indubitabile eſt Imaginum uſum in divino cultu in ſe non eſſe malum. *Vide plura lib. 8. c 15.*

7. Neq; illud quod præcipuè & uſitatiſſimè affertur contra uſum Imaginum in cultu Religioſo (viz. Impoſſibile eſſe Deum repræſentare per figuram ullam externam) nobis quidem videtur ullius eſſe momenti. Neq; enim nos concedimus has Imagines deſtinatas eſſe ad Deum figurandum vel repræſentandum, ſed ad ſenſibiliter ſolummodò exhibendum oculis effecta & objecta earum virtutum & attributorum quæ nos in eo adoramus. Et certè ſi concederemus, habemus tamen quo noſmetipſos poſſimus defendere. Nam ſi nobis non utendum eſt Imaginibus in divino cultu, quia

quia illæ naturam Dei non poſſunt ſic exhibere ut ipſe in ſe eſt, ne omnino quidem nobis de ipſo cogitandum eſt, quando eum colimus, cùm illæ cogitationes quas de ipſius Natura ac perſona formamus (quanquam fortaſſe non omni carent veritate) non majorem tamen ſimilitudinem conformitatémve cum illo gerunt quem colimus, quàm Imaginatio hominis cæci à nativitate gerit cum glorioſa Imagine Solis. Sentit profectò jucunda præſentiæ illius effecta in corpus ſuum, ſed oculi ejus nunquam eum viderunt, nec mens ipſius poteſt concipere quàm illuſtris ſit aſpectu.

8. Ad hunc ferè modum, maximè ingenioſum, cautum & ſubtile genus Paganorum ſeipſos defendunt. Neq; nos oportet id ipſis invidere, ſi quid fortè ſolidi firmíve ipſis occurrerit in hac ſua defenſione. Nam Chriſtianitas innatâ ſuâ excellentiâ adeò ſplendet, ut nihil nobis opus ſit alias Religiones deteriores quàm reverà ſunt, fingere, ad augendam illuſtrandámve illius eminentiam. Prætereà, quò tolerabiliorem antiqui Paganiſmi ſtatum fuiſſe detexerimus, eò faciliorem provinciam ſuſtinebimus contra homines profanos & Atheos, quibus ſi concederemus providentiam per tot ſecula penitus neglexiſſe omnes gentes Terræ, excepto parvo illo Judæorum manipulo, illi certè nobis vel invitis indè concluderent, nec ullam ſuper ipſos fuiſſe providentiam, cùm ſit res incredibilis, ut ulla omnino ſit providentia in rebus ſummi momenti, quin latiùs ſe diffundat quàm in tam anguſtam mundi partem, quàm quidam opinantur. Quòd verò Ethnici non adeò in ſolidum deſtituti ſunt omnibus mediis perveniendi ad veram Dei cognitionem Sanctus *Paulus* videtur abunde declarare in Epiſtola ad *Romanos*; quódq; eorum conditio non tam horrificè deſperata erat, videri poteſt fortean inſinuare in mitiori illa loquendi formula quâ uſus eſt in oratione ſua ad *Athenienſes*, ubi ait, *Deum ad tempora eorum Ignorantiæ conniviſſe*. Sed ferè oblitus eram propoſiti, quod non eſt Apologias texere pro Ethnicis, ſed quas illi Idololatriis ſuis excuſationes prætexunt refellere, quod jam faciam, ídq; perquam breviter.

CAP. V.

1. *Reſponſio ad ultimam Paganorum Apologiam, ut primò, Quòd paucos eorum reſpicit.* 2. *Quódq; hi pauci è numero fuerunt potiùs τῶν Σεβομένων quàm meri Pagani.* 3. *Imaginum cultum expreſſim à Deo in lege Moſis eſſe prohibitum.* 4. *Quòd obſcurant potiùs quàm adjuvant Divinarum Virtutum conceptionem.* 5. *Magnum eſſe periculum nè cultum ad Deum directum intercipiant.* 6. *Curioſos & quibus minùs ſatisfactum ſit, ad* Theologiam Polemicam *eſſe remittendos.*

1. PRimò igitur conſiderare debemus, ea ferè omnia quæ allata ſunt ad Paganorum defenſionem, ad admodum paucos eorum ſpectare, cùm maxima eorum pars Idololatræ fuerint in ſenſu craſſiſſimo, quemadmodum manifeſtum eſt è querelis *Davidis*, Pſal. 135. ut etiam ex Epiſtola *Jeremiæ*, aliíſq; locis, quæ ſaltem inſinuant Paganos, non verum Deum ſed Dæmonas ipſos, ſimulachris, utì illi per errorem credebant, illigatos adorâſſe.

2. Secundò, Quæſtio eſt an pauci illi, quales fuerunt *Pythagoras*, *Socrates*, *Plato*, *Plotinus*, *Plutarchus*, aliíq; conſimiles, recenſendi ſint inter Paganos cum propiùs ad naturam acceſſerint & conditionem τῶν Σεβομένων, imbutíq; fuerint cognitione illius unius Æterni Spiritûs qui Creator eſt rerum omnium & Gubernator, quam ſcientiam imbiberunt colloquendo cum Judæis, aut ſaltem colloquendo cum eis qui cum ipſis collocuti fuerant. Quódq; ad illius cognitionem pervenerint ex hujuſmodi arcana Traditione ſive *Cabbala* cum ipſis communicata, ex eo manifeſtum videtur quòd viri hi Sancti inter Ethnicos & Divinorum Myſteriorum periti, docuerunt etiam *Triunitatem* æquè ac *Immaterialitatem* Divini Numinis. Primos eorum intelligo & præcipuos, quales erant *Pythagoras* & *Plato*. Quod Dogma cùm ſupra captum eſſet humanum, & tamen ad Chriſtianitatem adeò utile & accommodatum, argumento mihi eſt evidentiſſimo illud ipſorum propriam non fuiſſe Inventionem, ſed eos illud accepiſſe, aut ab eis qui ipſi homines *Inſpirati* erant, aut ſaltem qui id receperant ab iis qui erant Inſpirati.

3. Tertiò, Ipſa ſimulachrorum fabricatio & incurvatio coram ipſis res eſt expreſſim Dei populo interdicta in ea Religione cujus Deo complacuit ſeipſum Inventorem

torem præſtare & Formatorem. Quod ſatìs evidens eſt ſignum, aliquam ſubeſſe vitioſitatem Idolorum uſui in Divino cultu.

4. Quartò, Allegata illa Imaginum utilitas ad erudiendum populum & ad ipſis ante oculos exponendum naturam illius Divinæ Virtutis quæ ab ipſis ſit adoranda, equidem res eſt quæ in magna verſatur controverſia. Nam cùm præſentia tam mirabilis Objecti coram oculis externum ſenſum adeò fortiter feriat, impeditura eſt potiùs internam operationem animi, quâ magìs puri ac genuini conceptus de Deo formentur, quàm ullam opem ad eos rectè formandos allatura. Et quemadmodum memoria nimis ſæpe perditur ex ſcriptorum chartarúmq; uſu, ità potentia imaginandi ſive concipiendi, quantùm ad res divinas, corrumpi poteſt vel debilitari ex his falſis fulcris & adminiculis externarum Repræſentationum.

5. Quintò & ultimò, Magnum eſt periculum, cujus & ſenſu ad vivum tangi videtur Divina Zelotypia, nè Reges hi Vicarii, ac Repræſentativi Divinæ Majeſtatis, quemadmodum illi hos eſſe volunt, *perfidi* inveniantur erga *ſupremam Poteſtatem*, intercipientes ſibíq; retinentes omnes illas preces & gratiarum actiones, omnes illas immolationes ac ſacrificia quæ à populo offeruntur. Nam imperita multitudo Sacerdotem videns ſacrificantem & univerſum populum preces ſuas effundentem cum oculis in Idolum fixis, loco aliquo edito collocatum, ſculptúmq; in omnia membra, omniáq; vitæ ac ſenſûs organa tanto cum artificio, ut ab aſpectu viva aliqua perſona eſſe videatur; facilè, inquam, inducetur per ingenii ſui infirmitatem imperita multitudo eam reverà talem eſſe opinari, ac proinde adorare eam tanquam vivam & potentem Deitatem, talem utiq; quæ illis poteſt pro libitu ſuo aut prodeſſe aut nocere; prout *Grotius* rectè obſervat ex S. *Auguſtino*.

6. Cæterùm ſi hæc noſtra reſponſio ulterioribus Objectionibus & Replicationibus videbitur obnoxia, diſputaces ad *Scholaſticorum* ſpinas, & *Theologiæ Polemicæ* fidiculas remitto, dum ipſe interim utiliùs occupor in formando iſtiuſmodi accuſationem in univerſum Paganiſnum, tam claram ac evidentem, ut Ingenia inter ipſos omnium ſubtiliſſima & verſutiſſima vim illius nunquam potuerint eludere.

CAP. VI.

1. *Nova & irrefutabilis accuſatio contra Paganiſmum, eos ſcilicet Divinas virtutes non coluiſſe ultrà quàm quod ad* vitam *ſpectabat* animalem, *quemadmodum nobis demonſtrant eorum* Dijoves *&* Vejoves. 2. Jupiter *altitonans*, Averruncus, Robigus, *&* Tempeſtas. 3. *Et jucundum ſpectaculum Dei ſui* Panis; *Quid ſignificetur per ejus* fiſtulam *&* Nymphas *circa eum ſaltantes*. 4. *Quid per opinionem quòd filius erat* Mercurii, *quidq; per adamatam ſuam Nympham* Syringem, *uxorem* Echo, *filiámq;* Iamben. 5. *Interpretatio* cornuum, corporis hiſpidi, faciei rubicundæ, barbæ prolixæ, pedum caprinorum, *&* vultûs ridentis.

1. GRave illud crimen *Atheiſmi*, *Polytheiſmi*, & *Idololatriæ* quod in Ethnicos illatum erat jam audivimus, & quibus artibus ingeniíq; ſubtilitatibus conati ſunt ſeipſos defendere, prætendentes in varietate ſuorum cultuum non eſſe niſi unum æternum Numen quod adorant, pro diverſis utiq; manifeſtationibus *Illius* præſentiæ qui operatur omnia in omnibus. Accuſatio quam ipſis jam intentamus non eſt, fateor, adeò atrox, ſed tamen omni ſpecie deſtituta excuſationis ſive defenſionis, quâ ſe illius immunes eſſe evincere poſſint. Eſt autem breviter hujuſmodi; Quòd tametſi admitteremus eos coluiſſe unum æternum & incorporeum Numen infinitè ſapiens, bonum & potens, eſt tamen manifeſtum, quòd ipſum adorabant in iſtiuſmodi ſolummodò ſui *Manifeſtationibus* quæ ad *Animalem vitam* maximè pertinebant, hoc eſt, in talibus quæ aut maximè horrendæ ac terribiles aut maximè ei gratæ & jucundæ erant. Hinc fit, prout ſuprà monui, quòd ſuos habebant *Vejoves* pariter ac *Dijoves*, qui ambo non niſi unus erat *Apollo* ſive *Sol* qui eſt viſibilis *Dieſpiter* ſive *Lucetius*. Verùm propterea quòd aliquando per præfocantem illum æſtum quem in Aëre producit, peſtem luémq; excitat, celebrabatur etiam ſub titulo *Vejovis*, cujus templum olim videbatur Romæ, ut & ſimulachrum illius, manu ſagittas tenens ad nocendum paratas, quemadmodum videre licet apud *A. Gellium*.

2. Horror etiam tonitrui urgebat eos ad colendum *Jovem* ſub notione vel ti-

tulo ὑψιβρεμέτᾳ vel ἀρχικεραύνῳ, *Jovis altitonantis*, quemadmodum eum appellant *Latini*. Ipſaq; ſacra Scriptura non ſe abſtinet à nuncupando Tonitruum Dei vocem. Supradictus *Criticus* addit huic Ἀπόλλωνι ἀποτροπαίῳ (quemadmodum *Græci* eum vocarent) *Averruncum* & *Rabigum*, quorum poſteriorem ait propitiandum eſſe ad incolumitatem Segetis, priorem ad noſtriipſorum ſalutem & ſecuritatem. Prior verò videtur potiùs Titulus generalis, ad quamlibet Divinam Virtutem pertinens, quæ propitianda eſt ad averruncandum malum, quàm ad unam aliquam particularem Iræ Divinæ in mundo *Manifeſtationem*. Cujuſmodi eſt *Tempeſtas Marina*, quam *Romani* particulare Numen fecerunt poſtquam eorum Conſul *Cornelius Scipio* ex periculo evaſerat.

Te quoq; Tempeſtas meritam delubra fatemur,
Cùm penè eſt Corſis obruta claſſis aquis.

3. Illæ Inſtantiæ quæ ad voluptates ſpectabant & gratificationes *vitæ Animalis* innumeræ ferè ſunt. Aliquas verò in medium proferre oportet ut rectiùs judicemus de reliquis. Et videtur ſanè quòd ipſorum Deus *Pan*, per quem, ut & illius nomen denotat, *Univerſum* intelligebant, admodum jucundum eis erat ſpectaculum, ut patet tum ex illius pictura, tum ex aliis fictionibus quas de eo habebant. Cur enim pingebatur cum *fiſtula in manu*, *ridentiq; vultu*? Cur *Nymphæ* intelligebantur ad muſicos illius ſonos circa eum tripudiare? niſi quòd agnoſcebant omnia in Univerſo ordinata eſſe ſumma cum congruentia & harmonia, adeò ut inhabitatrices illius, hoc eſt, Animæ rerum vivarum omnium, (quæ Nymphæ ſunt quarum hic facta eſt mentio) perculſæ ſingulæ ſenſu illius quod unicuiq; maximè gratum eſt ac jucundum, exultare fingantur ac tripudiare præ gaudio. Mundum verò materialem & viſibilem per *Panem* eos intellexiſſe manifeſtum eſt tum ex eis quæ ſcribunt de illius Nativitate ac Amoribus, tum ex aliis quibuſdam quæ in Imagine illius obſervantur.

4. Dicitur enim eſſe filius *Mercurii* vel *Hermetis*, qui eſt Divinus λόγος. Λόγος Dei ἐνδιάθετος, *Verbum Dei internum*, quemadmodum Mundus eſt λόγος προφορικὸς, *Verbum externum* ſive *Sermo prolatus*. Jam verò cùm *Univerſum* unicum ſit, *Pan* rectè eximitur à turba illa Amaſiarum, quibus Dii alii implicari fingebantur, cùm nemo ſit quam ille amet præterquam reflexionem ſuiipſius à mentibus humanis quæ eum contemplantur. Hæc, quando Natura illius veriſſimè fideliſſiméq; reflectitur, Ordóq; rerum ac Providentiæ fines rectè intelliguntur, eſt adamata ſua Nympha *Syrinx*, quando rudiori quodam modo magíſq; confuſo, uxor illius *Echo*, è qua nata eſt *Iambe* fœmella garrula & ridicularum hiſtoriolarum fabularúmq; anilium plena, ut & ſcommatum & cavillationum perverſarúmq; repræſentationum earum rerum quæ in mundo obſervantur. Per quam filiam *Panis* putatitiam intelligi poſſunt falſæ Philoſophorum Sectæ vanæq; Gentium ſuperſtitiones quarum per omnia ſecula permagna ſemper extitit copia, quæ tametſi ignaris placere poſſint, peritioribus tamen non poſſunt non vanæ aut impiæ videri.

5. Sed ex Imagine ejus maximè manifeſtum eſt quòd *Univerſum* per eum intelligebant. Quid enim ſignificari poterat per *acuta ejus Cornua Cutiſq; hiſpiditatem*, niſi particularum effluvium aut radii ſaltem ab omnibus corporibus excurrentes quæ agunt ad diſtantiam? Quod maximè conſpicuum eſt in luminaribus cœli quæ tam longè à nobis diſſita ſunt, & quæ tamen videmus, quemadmodum & alia viſûs objecta, virtute Pyramidis cujus baſis eſt in ipſo objecto, cuſpis in oculo noſtro. Hæc in genere ſunt *Panis* Cornua; *lucidáq; faciei rubedo* eum in æthere colorem denotat: Ut & *prolixa barba* Solis Lunæq; profuſum lumen; & *veſtitus* è *maculoſa* pelle Pardalis, ſtellas, & terram fortean ac mare, unum Inſulis alterum Floribus variegatum. Quòd verò *partim homo* eſt *partim brutum*, id comprehenſionem ſignificat omnium animalium tum irrationalium tum rationalium. Quòd autem *caprinis pedibus* inſiſtit, ſpecies utiq; rerum ſubſiſtere non poſſe abſq; proclivitate ad libidinem, cujus Caper notiſſimum eſt Symbolum. Quòd deniq; *ridens* pingitur, ſignificat totum mundum rem eſſe ludicram, quemadmodum etiam docet lepidus ille Propheta *Mahometes*, cujus ſuffragio adjungere poſſumus & illud Poëtæ qui vitam humanam ludum facit Comicum:

Σκηνὴ πᾶς ὁ βίος καὶ παίγνιον, ἢ μαθὲ παίζειν
Τὴν σπουδὴν μεταθεὶς, ἢ φέρε πὰς ὀδύνας.

Scena univerſa vita ac luſus eſt, aut diſce ludere
Res ſerias miſſas faciens, aut perfer dolores.

Sed hoc leviter ſuprà tetigimus. Ad particularia Numina jam properamus.

CAP.

CAP. VII.

1. *Ut mundus ſive* Univerſum *colebatur ſub nomine* Panis, *ità & partes illius ſub nominibus* Cœlii, Junonis, Neptuni, Vulcani, Plutonis, Opis, Bacchi, Cereris, *&c.* 2. *Quòd* Nox *etiam Numen factum eſt, cúrq; illi gallum ſacrificabant, cum conſimili ratione aliorum ſacrificiorum.* 3. Manifeſtationes *interiores quæ ad* vitam *ſpectant* Animalem, *ſpeciatim* Iræ *atq;* Amoris, *qui ſunt Paganorum* Mars *&* Venus. 4. Minerva, Mercurius, Eunomia, *&c.* manifeſtationes *ad* vitam mediam *relatæ.* 5. *Religionis* Græcorum *conſenſus cum* Romana *&* Ægyptiaca. 6. *Eorum cultus fluvii* Nili, *&c.* 7. *Quòd Religio reliquarum Gentium Terræ ejuſdem erat naturæ cum* Romana, Græca, *&* Ægyptiaca, *nec ultrà ſe extendebat quàm ad* vitam Animalem. 8. *Quódq; cultus hominum defunctorum eodem innixus eſt fundamento.*

1. QUemadmodum enim univerſale hoc Divinæ Potentiæ ſpecimen, *Mundum* intelligo, Numen unum integrum conſtituerunt, ità & illius partes in tot particularia Numina diviſerunt. Quid enim erat eorum *Uranus* ſive *Cœlius*, niſi Cœlum hoc aſpectabile? Quid *Jupiter* & *Juno* niſi *Aër* & *Nubes? Neptunus* Mare erat; *Vulcanus* (Numen illud claudicans) Ignis; qui dicitur claudicare quòd ſine ligneo tanquam Baculo progredi nequeat, quemadmodum notat *Phornutus*, per baculum pabulum innuens ſine quo nec progredi nec ſuſtentari poteſt. Per *Plutonem* intelligunt partes terræ interiores ex quibus aurum & argentum aliæq; res pretioſæ effodiuntur. Per *Opem* & *Bonam Deam* exteriores partes ſoli in genere quæ neceſſaria vitæ ſuppeditant tum hominibus tum brutis. Huc etiam accenſendi ſunt *Bacchus, Ceres, Pomona, Flora*, & id genus Deitates; ut ad *Cœlium* referenda ſunt Sydera Cœlíve exercitus, & ſpeciatim *Sol* & *Luna*, illuſtriſſima illa Paganorum Numina. Quorum poſterius occurrit ſub nomine *Dianæ*, prius *Apollinis* & fortean *Veſtæ.* Illius enim Templum rotundum erat, Igníſq; perennis & inextinctus in medio Templi cuſtodiebatur à virginibus *Veſtalibus.* Quo denotatur Solem in medio mundi eſſe, & nomine illius Ἑστία (quod eſt ab ἵστημι) eum eſſe immobilem juxta accuratiorem illam Hypotheſin.

2. Nec certè videntur ſolummodò *Cæleſtium luminarium* oblectationem ac voluptatem ſatìs grato ſenſu percepiſſe, ſed & ſolatia & utilitates *Noctis*, tenebricoſæ illius Telluris umbræ, intra cujus nigricantia velaria omnes Animantes membra ſua ad ſomnum ſuaviter componunt. Quamobrem & *Noctem* Deam ſtatuerunt, *Latonam* etiam eam appellantes, ipsíq; gallum ſacrificabant, quemadmodum nos docet *Ovidius* in Libris *Faſtorum*, propterea quòd turbator erat illius quietis ac ſilentii quod *Nox* ægris feſsíſq; mortalibus præſtabat. Ità Canem ſacrificabant *Dianæ* ob importunos illius latratus contra Lunam; Caprum *Baccho* ob arroſas vites, *Cereríq;* Suem ob erutas Segetes. Hujuſmodi occaſiones obviæ infinitam introduxerunt numerum ceremoniarum quas operæ pretium non erit hìc percurrere. Cùm ipſa natura Numinum quæ Pagani coluerunt ſatìs evidens ſit indicium ſcopi ſenſûſq; Religionis ipſorum, eámq; ſe non extendiſſe ultra *vitam Animalem.*

3. Eminentiſſimas *Exteriorum manifeſtationum* Divinæ potentiæ in Mundo recenſuimus, pauca jam exempla proferemus *Interiorum.* Et maximè notabiles, opinor, ſunt eæ duæ naturales paſſiones *Iræ* atq; *Amoris.* Quas poteſtates illi adorant ſub nominibus *Martis* & *Veneris. Scholaſtici* eas appellant *Iraſcibile* & *Concupiſcibile*, ad quæ duo reducunt reliquas animæ Paſſiones. Sed his non eſt immorandum.

4. Sunt etiam aliæ interiores Deitates (ſi fas ſit ità loqui) quales ſunt *Pallas*, ſive *Minerva, Mercurius, Eunomia* & conſimiles. Quæ omnes ultra *mediam*, de qua locutus ſum, *vitam* non pertingunt, fructúſq; ſunt & effectus humanæ rationis ſeipſam exercentis in Naturæ cognitione. Belli diſciplinæ, Juſtitiæq; Politicæ, in peritia artes factitandi & Mercaturæ, in Inventione Litterarum, Muſicæ & Architecturæ, & (ſi ſic placet) in omni Genere Mathematicarum Scientiarum: (cujus exemplum habemus in præcepto Oraculi quod juſſit eos cubum duplicare) quas, cum in nobis eſſe poſſint abſq; omni ſenſu *Divinæ vitæ*, tutò opinor appellare poſſumus perfectiones *Animales* ſive *Naturales.* Nam quantùm ad eum qui in his maximè omnium verſatus ſit, illi tamen nihilominus competere poteſt illud Apoſtoli, *Animalis homo non capit quæ ſunt Spiritûs Dei.*

5. Quòd Romanorum Religio in qua præcipuè hactenus inſtitimus, ultra *vitam Animalem* ſe non extenderet, ſatìs jam manifeſtum eſt; ab ipſis verò *Græci* nihil ferè differebant, quandoquidem Βωμὸς τῶν δώδεκα θεῶν, (*duodecim Deorum Ara*) duodecim ex eis numinibus dedicabatur conſecrabatúrq; quæ ab ipſis Romanis colebantur, quæq; nos jam recenſuimus. Et quantùm ad *Ægyptios* manifeſtum eſt etiam, quòd eorum Religio nihilo erat melior, ſi non pejor, cùm *Serapis* apud ipſos idem ſit qui *Pan* ſive *Univerſum*, juxta conceſſionem proprii ſui Oraculi, *Oſiríſq;* & *Iſis* nihil aliud quàm *Sol* & *Luna*. Numina ſanè quæ vix in ullorum Paganorum cultibus religioſis omittuntur. Equidem verum eſt populum quendam in *Africa* Solem execrari propter immoderatum ſuum calorem; ſed eò fortius eſt argumentum ubi radiorum illius ſolatia ſentiuntur, (& ubi obſecro Gentium non ſentiuntur?) populum rudem æquali cum affectu ei benedixiſſe & adorâſſe.

6. Fluvius *Nilus* magnum erat Numen apud *Ægyptios*, ut & *Ganges* apud *Indos*, cùm utriq; ſolum inundationibus ſuis tam mirificè impinguarent. Divinitatem *Nili* ſuperſtitioſè agnovit etiam vagabundus ille Græculus *Apollonius*, cùm res ſacras faceret intra conſpectum ſtrepitúmq; frementium illius Cataractarum poſtquam *Gymnoſophiſtas* inviſerat. Sed quod ipſos Incolas attinet, minimè mirum eſt eos in Deorum numerum tantum retuliſſe Benefactorem, cùm & eas res colerent quæ ex ejus donis ac beneficiis victitabant. Hujuſmodi enim erant illæ animantes, Aves, Beſtiæ, & Reptilia quibus illi divinum Honorem deferebant; immò verò addere poteris Arbores Herbáſque, Allio Cepâq; non exceptis, quemadmodum omnes in magnam ſanè ipſorum contumeliam ſolent objicere.

7. Quæ de *Roma* diximus, *Græcia*, & *Ægypto*, æquè demonſtrari poſſunt de Religione omnium præterea mundi Partium, ut de *Arabia*, *Perſia*, *India*, *China*, *Tartaria*, *Germania*, *Scythia*, *Guinea*, *Æthiopia*; & in orbe recèns detecto, ut in *Virginia*, *Mexico*, *Peru* & *Braſilia*. Sed res tædii eſſet nec pretium operæ per tam numeroſam Inductionem in una tamdiu oberrare chorda, conſultiúſq; eſt parciùs agere quàm expatiari in re tam copioſa ac confeſſa. Quicunq; illos Scriptores legerit (quorum ſatìs magna eſt copia) qui eum certiorem facere poſſint de hiſce rebus inquirendis, pro certo inveniet, Religionem Ethnicorum non excurriſſe ultra *Animalis vitæ* objecta. Et tametſi ſub variis nominibus vagari poſſint, eſſe tamen eaſdem res ubique, ſcilicet *Iram Amorémq;* ſenſualem, aut ſaltem talia quæ huc inſerviunt, ut *Frumentum* atq; *Vinum*, aliáq; quæ requiruntur ad humanæ vitæ aut neceſſitates aut voluptates. Quibus addas & virtutes illas quæ generalem in iſta habent influentiam, ut *Sol*, *Luna*, *Stellæ*, *Ignis*, *Aqua*, *Aër*, & ſimilia.

8. Hiſce rebus Inanimatis ſuperadjicere porrò poſſimus Perſonas illuſtres, ejuſmodi ſcilicet quas non potuerunt non agnoſcere inſignes ſuos eſſe Benefactores. Quales fuerunt illorum *Legiſlatores*, *Reges* & *belli Duces* qui cum ſucceſſu multa præclara prælia eorum causâ ſuſtinuerint; & primi deniq; *artium Inventores*, ulliúſve utilis fabricæ ad humanæ vitæ commodum. Quamobrem ſubtiliſſimi Paganorum cultûs Patroni, eludant quàm bellè poſſunt *Idololatriæ* crimen vel *Polytheiſmi*, nunquam tamen hanc diluent accuſationem, Quòd eorum Dei-cultus in Paganicis ſuis Ceremoniis nihil aliud erat quàm ſuperſtitioſa poteſtatis illius agnitio, quæ & gratificari valet & gravare ſpiritum hominis merè animalem vel naturalem.

CAP. VIII.

1. Judaiſmum *etiam nihil aliud reſpexiſſe quàm gratificationes* Animalis vitæ, *prout apparet ex illorum* Feſtis. 2. *Quòd tametſi* populus *humili hac conditione tenebatur*, Moſes *tamen Typorum ſuorum ſignificationem novit, illámq; Immortalitatem quæ revelanda erat per Chriſtum.* 3. Sabbata *eorum non ſe extendiſſe ultra res hujus vitæ.* 4. *Nec* Annos Sabbaticos *&* Jubilæos. 5. *Nec* Tubarum *Feſtum.* 6. *Nec* Feſtum Tabernaculorum. 7. *Nec* Pentecoſten. 8. *Nec deniq;* Feſtum Expiationis.

1. ET certè ut abſolutiſſima Religionis Chriſtianæ Tranſcendentia pleniùs intelligatur, non poſſum hîc præterire, *Judaiſmum* cum *Paganiſmo* magnopere conſentire in hac ipſa re qua de jam agimus. Quanquam enim *Judæi* in hoc admodum

dum rectè ſe habebant & Orthodoxè quòd cultum dirigebant ad unum illum ſolúmq; verum Deum qui cœlum fecit & terram, quíq; Author eſt & donator omnis boni muneris, cultúmq; hunc præſtabant abſq; omni Idololatricæ ſuperſtitionis offenſione & ſcandalo: Deus tamen ſub hac *Oeconomia Moſaica* Judæorum populo nihil amplius videtur apertè polliceri quàm præſentia hujus naturalis vitæ commoda & gaudia; nec aliud quicquam comminari quàm illius calamitates & incommoda; ut manifeſtò apparet *Deuteronom.* 28. ubi *Benedictiones* ob obedientiam legi *Moſis* præſtitam, & *Maledictiones* ob inobedientiam fusè & copiosè deſcribuntur.

2. Quæ tamen non ſic dico quin facilè credam *Moſem* ipſum intellexiſſe Myſterium Immortalitatis promiſſúmq; illorum æternorum gaudiorum quæ revelanda erant per Meſſiam in plenitudine temporum, quemadmodum & ſignificationem omnium illorum Typorum qui ad eum ſpectabant. Et *ſucceſſores* porrò *illius* in illa gente, viros puta Sanctos & Prophetas non mediocrem habuiſſe hujus Myſterii cognitionem. Sed hoc eſt quod ego volo, Maximam utiq; partem ſive vulgus *Judæorum* ſub humili hac abjectáq; conditione clauſum fuiſſe & obſeratum, legémq; *Moſaicam* in ſenſu ſuo externo ultra hunc ſcopum non collineâſſe, quemadmodum apparet ex omnibus illorum Feſtis, cùm nè unum quidem ex eis ad quicquam aliud ſpectat, quàm ad fructus atq; commoda hujus præſentis vitæ.

3. Nam quod *Sabbata* attinet, erant ſolummodò Creationis hujus mundi aſpectabilis commemoratio. Quam fidem etiam *Sadducæi* amplectebantur æquè ac alii, quanquam interim negabant, aut Angelum eſſe aut Spiritum, quippe quòd nulla de hujuſmodi rerum Creatione in externa *Moſis* litera facta ſit mentio. Ac proinde Angelorum apparitiones conſiderabant ſolummodò tanquam temporarias quaſdam è Deo Emanationes, quæ continuò ceſſabant, ſimul atq; ille diſpareret.

4. Et quantùm ad *Annum Sabbaticum*, ut & *Annum Jubilæum* qui celebrabatur ad finem ſepties ſeptem annorum, præterquam quòd non ſunt ſine reflexione ſùper creationem mundi qui conſummatus eſt Die ſeptimo, quo & Deus ob id ipſum requievit, illæ prætereà rationes quæ ſuper hac re in textu *Maſaico* recitantur, ultra res hujus præſentis vitæ non pertingunt. Nam quod *Sabbaticum Annum* attinet, præceptum de eo ſic eſt: *Sex annis ſeminabis terram tuam & congregabis fruges ejus. Anno autem ſeptimo dimittes eam & requieſcere facies ut comedant pauperes populi tui, & quicquid reliquum fuerit edant Beſtiæ agri; ità facies in vinea & oliveto tuo.* Et quantùm ad *Jubilæum*, admodum evidens eſt uſum habuiſſe ſecularem, ad manumiſſionem ſervorum & ad reſtitutionem terrarum primis ſuis dominis, qui per neceſſitatem coacti erant eas vendere. Iſta igitur Feſta inſtituta ſunt ratione habitâ Boni ſecularis ſive Politici.

5. *Tubarum* quidem *Feſta* ac *Neomeniæ* videntur ad altiorem uſum aſſurgere, ad convocandum utiq; populum ad legem audiendam. Verùm ſuprà expreſſim notavimus *benedictiones* & *maledictiones* legis eſſe tantummodò temporales. Et quantùm ad *Sacrificia* ſive *Gratiarum actionis* ſive *Propitiationis* omnia referebantur ad bonum malúmq; hujus vitæ quam in carne degimus.

6. *Feſtum Tabernaculorum* inſtitutum eſt in memoriam habitationis filiorum Iſraël in Tabernaculis vel Tentoriis, quando Deus eos eduxerat è terra *Ægypti*: quemadmodum & *Paſcha* Repræſentatio erat magis particularis modi & circumſtantiarum liberationis è manibus *Ægyptiorum*, quemadmodum videre eſt Exod. 12.

7. In *Pentecoſte*, qui eſt Dies quinquageſimus poſt Paſcha, duos *panes Elevationis* offerebant; quemadmodum ſecundo poſt *Paſcha* die *manipulum Spicarum*, Primitias Meſſis ſuæ: adeò ut illæ ſolennitates fructus terræ tantummodò reſpicerent.

8. Et poſtremò quantùm ad *Expiationis Feſtum*, in quo Caper emiſſarius peccata populi cum malis ob ea meritis in deſertum deportabat, cùm hæc mala & calamitates, prout ſæpiùs dixi, in lege *Moſaica* denunciata, non ſint niſi rationis temporalis, manifeſtum eſt hanc particularem Ceremoniam in Religione *Moſis*, quantum literam ſpectat, non extendiſſe ſe ultra voluptates ac miſerias hujus mortalis vitæ. Quandoquidem illud ſoli Chriſto reſervatum eſt, nempe ut ille certiſſimum lætiſſimúmq; nuncium afferret æternorum illorum gaudiorum, quorum in cœlis participes erimus cum illo cujus erat *mortem abolere, & vitam ac immortalitatem in lucem producere per Evangelium*, ut loquitur S. *Paulus*. 2 *Tim.* 1. 20.

CAP.

CAP. IX.

1. Judaiſmi *præſtantia præ* Paganiſmo. 2. *Authores Religionum Ethnicorum quinam erant.* 3. *Quàm naturaliter humanum Genus lapſum, ſub ſuperſtitioſam Tyrannidem cadat Diaboli.* 4. *Manifeſta hujus Tyrannidis effecta in Gentibus* Americanis. 5. *Quòd falſa illa ac enormis Reſignatio in* Trementibus *eos naturaliter exponit Tyrannidi Satanæ.* 6. *Cæcorum impulſuum affectationem præparationem eſſe ad Poſſeſſionem Dæmoniacam, & ad reſtitutionem viliſſimarum ſuperſtitionum Paganiſmi.*

1. QUid igitur dicemus? nullúmne eſt ideò reale diſcrimen *Judaiſmum* inter & *Paganiſmum*? Immò verò magnum. Nam tametſi utriq; in hoc conſentire videntur, quòd neuter eorum quantùm ad ſuum finem ulteriùs pertingat quàm ad gratificationes *Vitæ animalis* (cùm incredibile planè ſit ut eorum animæ, qui eò uſq; demerſi ſunt ut nihil ultra præſentem hunc rerum ſtatum proſpiciant, ad tam altum ſanctificationis gradum emergant, quàm intelligitur per hanc *vitam*, quam nos appellamus, *Divinam:*) *Judaiſmus* tamen præſtantiam habet præ *Paganiſmo* longè maximam. Primò, Quòd abſconditi illi tandémq; detecti Evangelii Theſauri tam accuratè præfigurantur & adumbrantur in Typis *Moſaicis*, ut quivis certus eſſe poſſit quòd per eos præſignificabantur. Secundò, Quòd cultus Dei ſecundùm ritus *Moſis*, magìs purus eſt vacuúſq; omni ſuſpicione Idololatriæ, quod omnino non fit in Religione Ethnicorum, quemadmodum ſatìs ſuprà declaravimus.

2. Poſtremò, Quòd ipſe Deus author ac inſtitutor erat Religionis Judæorum, cùm Ethnicorum ritus inventi ſint & inſtituti aut ab Angelis, quemadmodum quidam volunt, hujuſmodi nempe qui præfecti erant & cuſtodes diſtinctarum Gentium & Regionum (qui ſi boni erant, terrarum Incolæ, ut videtur, ab ipſis deſciverunt primáq; eorum Inſtituta corruperunt tam multis abhinc ſeculis ut cognitio eorum nunquam ad nos pervenerit;) aut ad ſummum à meliori genere Spirituum lapſorum, aut ab hominibus Politicis vafris ac verſutis, aut ab impuris & malignis Dæmonibus. Et certè quouſq; hiſtoria lucem nobis præfert, omnes Religiones Mundi, exceptis illis quas *Moſes* & *Chriſtus* inſtituerunt, meliores non habent Authores quàm qui ſunt trium poſteriorum Generum; quemadmodum facile eſt colligere ex eis quæ jam dicta ſunt; nimiúmq; multas ſuſpicor, inſtitutas fuiſſe ab impuriſſimis è tota Turba lapſa & maligniſſimis.

3. Nam cùm Genus humanum adeò demerſum ſit & à Deo lapſum per tentationem Diaboli, ille ad inſtar Avis rapacis prædam ſequitur, ibíq; venatur ſemper ubi maximè abundant prædæ, ſuper filios hominum alas librans, quos poſtquam ad terram dejecerit, nec ibi eos dimittit, ſed cùm ſemel ipſos apprehenderit atq; occupaverit, quàm diutiſſimè poteſt ſub ſua poteſtate cuſtodit: Cùm id ipſi quaſi ſorte contigerit, ut æquè naturaliter hominibus dominaretur atq; homines improbi circumveniunt & dominantur ſibi invicem; Potentiores utiq; & ſubtiliores imbecillioribus & imperitioribus.

4. Cujus quidem rei Terræ orbis noviter detectus exemplum videtur ampliſſimum, cùm pauci in *America* loci ſint qui non reperti ſunt Serpenti veteri modis quidem craſſis & viſibilibus ſubjecti, utpote quorum Ritus religioſi ac Ceremoniæ æquè diſtorti erant, deformes ac perverſi, magíſq; ſanguinolenti ac crudeles quàm ad quos *Sagæ Magiq;* in noſtris regionibus tenentur. Eſt enim horum Apoſtatarum Spirituum inſtitutum ac propoſitum ut Naturæ legis reliquiæ luminíſq; Rationis in homine penitùs obliterentur, Genuſq; humanum ipſorum in integrum fiant Mancipia, obliviſcantúrq; nobilitatis ſuæ conditionis ac naturæ, & ſubmittant ſe ipſorum cujuſcujuſmodi mandatis, quæ tamen utplurimum talia ſunt quæ nullos niſi mente captos, brutáſve pecudes deceant.

5. Ac proinde periculoſum eſt falſúmq; genus Reſignationis in eis, qui, ut extraordinarii in religione profectûs ſpeciem præ ſe ferant, omnibus humanitatis & Rationis Regulis, ſub prætextu exercitii ſeipſos abnegandi, valedicunt. Nam propriam ſuam ad hunc modum voluntatem procul ablegantes in rebus bonis ac laudabilibus ſpacium, faciunt Diabolo ad intrandum poſſidendúmq; eorum tum animas tum corpora, & ad adigendum eos ad actiones maximè viles ac ſordidas, ad maximè inurbanas & ridiculas, immò verò ad maximè improbas, impiáſq; quibus humana Natura

tura obnoxia eſſe poteſt. Quod nimis verum eſſe ipſa docet experientia in illa Fanatica *Trementium* ſecta, qui ſub obtentu crucifigendi dictata Rationis & Humanitatis & cujuſq; rei ad quam Spiritum ſuum ferri ſentiunt, Dei lampadem in ſeipſis extinguunt: atq; hoc modo in tenebris relicti deridiculum fiunt & ludibrium Satanæ ſive Diaboli, jurati illius humani Generis hoſtis, *Dæmonéſq; Deluſores*, tanquam tot *Ignes fatui*, eos circumducunt in hac cæcarum errationum nocte quam ſuâ ſponte ipſi ſibi ſuperinduxerunt, ex eo quòd noluerint uti illo Talento quod jam eis Deus dederat, ſed à ſeipſis illud abjecerint, tanquam rem pollutam ac profanam.

6. Hoc veriſſimum eſt de multis eorum ex ſuis ipſorum confeſſionibus; Aliáq; his ſimilia manifeſta ſunt in quamplurimis ſive ipſi fateantur ſive non: Sed quicquid illi prætenderint, certiſſimum eſt, Quòd ille Spiritus qui à Scripturis eos abducit, ab uſu Rationis, à communi Humanitate, à ſua Fidelitate erga Chriſtum qui pro ipſis mortuus eſt quémq; Deus exaltavit ſupra omnes omnino Poteſtates ac Principatus ſive inter homines ſive inter Angelos; Ille ſpiritus, inquam, qui ſeducit eos ab officiis adeò inviolabilibus ut hæc ſunt, nullus alius eſt quàm ille ipſe qui hominem ſeduxit in Principio, & nunc rurſus eum reducere tentat ad ſervilem abjectámq; ſubjectionem ſuo imperio, cum penitùs privando omnibus illis tenerioribus Animi ſenſationibus, legitimíſq; Rationis ſuggeſtionibus naturalíſq; Conſcientiæ, laudabilibúſq; educationis ſuæ conſuetudinibus, ut cæcis ſolummodò impulſibus agatur quorum nulla reddenda eſt ratio, ut hoc pacto faciliùs ab ipſo intretur & poſſideatur, rapiatúrq; ad quamlibet turpitudinem ac improbitatem, ad crudelitatem quamlibet & obſcœnitatem abſq; lucta atq; mora; & ut lege Chriſti extinctâ & antiquatâ, turpiſſimæ maximéq; barbaræ Religionis Formæ Gentilium denuò reſtituantur. Nam virulenta illa hujus Sectæ inimicitia atq; odium contra Miniſtros Evangelii non obſcurum eſt argumentum quòd aguntur Invidiâ Diaboli, cujus regnum jam partim cecidit & magìs magíſq; indies cadet per manum Servatoris: Cujus Triumphos ut videamus quàm ſint juſti, non tam levi brachio excutiendus eſt Paganiſmus quàm nos eum hactenus excuſſimus; ſed magìs ſaturis coloribus nobis depingenda eſt belluina ſanguinolentáq; Satanæ Tyrannis ſuper nationes Terræ in execrabilioribus ſuis Ritibus & Ceremoniis, quarum deteſtabilitas demonſtrat nullum eos alium habuiſſe Inſtitutorem quàm ipſum Diabolum.

CAP. X.

1. *Dominium Diaboli uſurpatorium in mundo, quòdq; Chriſtus venit ut eum ejiceret.* 2. *Amplitudo Dominii Diaboli ante adventum Chriſti.* 3. *Gens* Judæorum *lux mundi, & quam influentiam habere poſſent in alias Gentes dum Paganiſmus regnabat.* 4. *Si Hemiſphærium noſtrum quicquam tolerabilius erat* Americano, *id imputandum eſſe Doctrinæ Patriarcharum,* Moſis, *ac Prophetarum.* 5. *Quòd* Judæorum *influentia tam exigua erat ut omnes nationes præter ipſos Idololatræ eſſent, quamplurimæ verò etiam obſcœnas crudeléſq; ſuperſtitiones exercerent.*

1. QUòd regna Terræ ſunt, vel potiùs erant in manu Diaboli, ità ut in quemcunq; ipſi libuiſſet, ea potuerit conferre, magna erat illius apud Servatorem noſtrum Gloriatio, cùm tentabat illum ad procidendum ante ipſius pedes ad eúmq; adorandum. Eſtq; dignum obſervatu, Servatorem Titulum ejus non duxiſſe in controverſiam, quanquam illud ei negabat Homagium. Immò verò videtur agnoviſſe præſentem illius poſſeſſionem ac Dominium in mundum, dum eum illius Principem vocat, quantumvìs uſurpatorem, & talem à quo ipſe ad liberandas gentes venerat. *Nunc redemptio eſt mundi hujus* (ità enim κρίσις ſignificat quemadmodum notavit *Grotius*) *nunc princeps mundi hujus ejicietur foras; & ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipſum.* *Johan.12.31.*

2. Jam verò quàm abſolutum & univerſale ejus Dominium erat ante adventum Chriſti in mundum, facilè intelligemus ſi conſideremus eum unum Hemiſphærium habuiſſe integrum, *Americam* ſcilicet cum Inſulis adjacentibus. Atq; hujus in quo nos degimus, & quod complectitur tres illas magnas Continentes *Europam, Aſiam,* & *Africam* (excepto paululo illo Terræ quod ille hominum manipulus, Dei utiq; populus, poſſidebat) quænam pars illius non erat?

3. Hæc

3. Hæc igitur Fidelium familia per omnia ſecula fuit, quemadmodum Servator loquitur, *lux Mundi*, quanquam nunquam ſanè tam viſibilis ac diffuſa quàm poſt illius adventum. Nec dubitandum eſt, quin viri ſapientes è multis Nationibus collocuti olim cum *Judæis* ſive in *Palæſtina* ſive in *Ægypto* deportarent ſecum aliquid quo meliores reddere poſſent leges ac Ritus earum Regionum in quibus poſtea ad tempus aliquod commorati ſunt. Adeò ut, ſi Tyrannidis Satanæ, aut impuritatis Inſtitutorum ſuorum ac Ceremoniarum nec tot ſint nec tam immania & abominanda in hiſce partibus Mundi quàm in altero Hemiſphærio exempla, nulli quidem tolerabilitati illius Malitiæ atq; Improbitatis imputandum ſit, ſed efficaciæ illius Lucis cujus præſentia ſæpenumerò ac manifeſtatio tam grata & congrua eſt animæ humanæ, ut tametſi educata fuerit & enutrita in vanis ac impuris ſuperſtitionibus, & ſanguinolentis & ferinis Ritibus falſæ barbaræq; Religionis, tamen utprimum forma purior ſit propoſita, confidenter conſentiat cum illa quæ eſt melior, & ſine mora, Potentiæ reſiſtat & *pravæ Conſuetudinis* & *maligni Domini* ſimul.

4. Hoc autem non eò dico quaſi exiſtimem Cognitionem Dei in Antiquis *Patriarchis*, *Moſe* & *Prophetis*, tantam habuiſſe influentiam in Incolas hujus noſtri Hemiſphærii, ut exempla nobis hîc non ſuppetant earum rerum abominabilium quæ inter Nationes occurrebant; ſed ſi videri poſſimus fuiſſe in conditione aliquanto tolerabiliori quàm erant *Americani*, quòd illud imputari non deberet ulli moderationi vel indiligentiæ illius oſoris & contemptoris humani Generis, ſed Divinæ Providentiæ, & Veritatis viribus, cujus lumen ad tantam diſtantiam & poſt tot reflexiones & refractiones non tamen omni carebat effectu.

5. Quanquam profectò nec tantæ erat efficaciæ ut craſſam Idololatriæ ſuperſtitionem populorum finibus uſquam arceret. Verùm multis in locis ea lux adeò in integrum deerat, ut *Beſtialitas*, *Obſcœnitas*, & execrabilis *Crudelitas* additæ eſſent aliis partibus nefariis ſuarum ſuperſtitionum. Infinitum eſſet omnia quæ poſſimus exempla in medium proferre. Quædam verò neceſſe eſt ut producamus tanquam reliquorum obſides; nec refert quo ordine, ſed quâ maximâ poſſimus brevitate, nominando tantummodò eorum abominationes non autem in illis inſiſtendo.

CAP. XI.

1. *Ritus nefarii* Cybeles *Matris Deorum*. 2. *Eorum* Bacchanalia. 3. *De* Priapo, *& cur Aſinum ei ſacrificabant*. 4. Lupercalia *cur per homines nudos celebrata*. 5. Floræ *ſolennia*, 6. *Atq;* Veneris, *quódq; obſcœna ipſa* Venus *erat quam adorabant*. 7. *Quòd ipſorum* Venus Urania *ſive* Regina Cœli *etiam nihil aliud eſt niſi libido terreſtris, quemadmodum apparet ex illius ceremoniis*. 8. *Quòd hæc* Venus *Luna eſſe exiſtimatur. Laſcivæ illius & obſcœnæ Ceremoniæ.*

1. PRima quæ memoriæ occurrit mater eſt Turbæ illius deificatæ, *Cybelen* intelligo, Deorum matrem. Cujus rituum celebratio tantum habuit nequitiæ ac turpitudinis, ut magis ingenuos è Romanis puderet officium illud ſuſtinere. Sacerdotes veſtimentis variegatis induti ſaltationes inhoneſtas ac Mimicas peragebant, capita diſtorquentes admodum deformiter, temporáq; muſica manuum ictu in pectora ad Tympanorum Tibiarum Cymbalorúmq; modulos notantes, molliter ad hunc modum domatim per plateas tripudiabant, mendicantes à populo nummulos in uſum *Cybelis* matris Deorum. Unde appellabantur *Metragyrtæ* æquè ac *Menagyrtæ*. Erant autem tam fœdæ pecudes ſordidiq; potatores, ut nefaria illorum facinora occaſionem dederint vulgato illi Diverbio, *Circulator Cybelcius*, quo intelligebant hominem nequam & omnino diſſolutum ebrietatíq; prorſus ac omnimodæ Turpitudini deditum.

2. *Bacchanalia* nominare non poſſum quin cogitationes veſtræ me antevertant, ubi ut videtur (éſtq; querela gravis illius ſcriptoris *T. Livii*) tametſi Titulus ſolennitatis ad *Bacchum* referatur, finis tamen illius atq; exitus deſinere ſolebat in libidinem promiſcuam atq; *Venerem*; immò verò in violentiam *Martiam* pugnáſq; ac frequentia Homicidia. Nam noctis opportunitates, & virorum fœminarúmq; diverſarum ætatum atq; ordinum confuſa permixtio libidiníſq; per vini intemperantiam incitatio effecerunt ut omnes limites tranſilirent Pudoris ac Modeſtiæ, adeò ut per vim

vim quotquot poſſent vitiarent; & de præda concertantes vulnerarent & occiderent ſe invicem, cùm rugitus & gemitus animas efflantium, ejulatúſq; fœminarum per vim vitiatarum audire non poſſent propter ſtrepitus & tinnitus Tympanorum & Cymbalorum quæ per totum id tempus perſtrepebant. Ità ut videri poſſint Romani æquè ac *Sicyonii* Διόνυσον Χοιροφάλλην coluiſſe. Sed ut illud ſine interpretatione prætereamus.

3. *Priapus*, quàm impurum ille erat Numen! Cujus Imago adeò obſcœna eſt, quemadmodum videre eſt apud Poëtas, ut nullus caſtus Calamus eorum deſcriptiones velit repetere; quamvis ſanè hæc ipſorum delineatio nudum tantummodò ſit teſtimonium veritatis circa abominandum hoc Idolum. Huic impuro Numini aſinum ſacrificabant. Cujus rei rationem *Ovidius* in *Faſtorum* libris ſatis copiosè exponit; ſed hiſtoria adeò laſciva eſt ut ſuffecerit leviter duntaxat & per compendium eam notare.

Deus hic, ut videtur, perditè amabat *Lotidem* Nympham; quam in Gramine (cum reliquis Deabus ruralibus nocte Lunaribus radiis illuſtri) jacentem altúmq; ibi dormientem, furtim ille meditabatur vitiare. Verùm cùm jam proximè aberat à perpetrando facinore, *Sileni* Aſellus tam inconditè rudit ac ſonorè, ut Nympham è ſomno excitaret, Priapúmq; ſuo totum exueret Propoſito, expectatâ voluptate eum prohibens, ſimúlq; per hunc caſum omnium ruralium Numinum deriſioni exponens.

Omnibus ad Lunæ lumina riſus erat.

Ac proinde Pagani Aſinum ſacrificabant *Priapo*, reiterantes utiq; Dei vindictam in hanc Beſtiam, quæ tantum illi intulerat incommodum.

4. Rationem aliquam hujus non diſſimilem idem Paganorum Vates reddit illius diſcurſitationis hominum nudorum in *Lupercalibus*, quæ celebrabantur in honorem, vel potiùs in dedecus, *Panis Lycæi*, *Fauni* vel *Sylvani*. Nihil enim eſt aliud quàm eluſæ & fruſtratæ Libidinis ejus commemoratio. Nam dum *Hercules* cum uxore *Omphale* in lucum ſe recipiebat, formosâ ſanè fœminâ ac pulchrâ ſplendidéq; veſtitâ, hic Deus ruralis fortè fortunâ eam videns libidinis ardore correptus eſt. Diligenter igitur obſervavit ubi eſſent pernoctaturi, furtímq; ac ſine ſtrepitu in illud Antrum ſe noctu ingeſſit in quo illi cubabant. Ubi, cùm *Hercules* & *Omphale* veſtes mutuò commutâſſent, atq; hic in uxoris veſtimentis, uxor verò in illius Pelle Leonina dormiret, id certè Deum libidinoſum in tam infelicem errorem induxit, ut præter pudorem pœnas etiam in corpore contuſo penderet, & ad Antri latera miſerè alliſo, in quæ iratus Heros eum rejecerat, exonerans ſe liberánſq; à tam fœdo & incongruo Lecti ſocio. Atq; hæc ratio eſt cur *Sylvanus* ſuas ceremonias peragi voluit per homines nudos, in deteſtationem utiq; illius fraudis & erroris qui veſtimentis ſubeſſe poſſunt.

Veſte Deus luſus fallentes lumina veſtes
Non amat, & nudos ad ſua ſacra vocat.

Tam laſcivi ſunt Ritus, & tam frivola antiquorum Paganorum Theologia!

5. *Flora* nomen eſt quod caſtius & innocentius ſonat, ſed tamen nec illius ſolennia peragebantur abſq; impudica laſcivia, luſúq; inurbano, cùm improba ſcorta pararentur ad diſcurrendum nuda, ſpectatorum oculos paſcentia obſcœnis geſticulationibus ludicríſq; meretriciis.

6. Dea *Venus* non citiùs nominari poteſt quàm ſuſpecta haberi; ídq; meritó. Nam tametſi *Plato* & *Plotinus* duplicem agnoverunt *Venerem*, unam *Cœleſtem*, alteram *Popularem* ac *Corpoream*, illa tamen diſtinctio in genuino ſuo ſenſu inveniebatur tantummodò inter melioris notæ Philoſophos; populo interim Religionem ſuam versùs inferius illud Numen dirigente, quemadmodum apparet ex Epithetis quæ illius nomini addebant & ex ceremoniis quas ipſi præſtabant. Nam Ἀφροδίτη πορνοβασίη, quam *Argivi*, ἑταίρα, quam *Athenienſes*, & καλλίγλουθος, quam *Syracuſani* colebant, nulla alia poteſtas eſſe poteſt quàm Libidinis Domina vel Præſes, quemadmodum ſenſus impudicorum illorum Epithetorum planè demonſtrat. Atq; illa *Venus* quæ colebatur *Cypri*, quòd ejuſdem erat generis, inter alias Ceremonias Phallus qui oſtendebatur argumentum eſt evidentiſſimum.

7. Erat quidem *Urania* ſive *Venus cœleſtis*; Regina cœli vocatur in Scripturis, *Venus Mylitta* apud Authores prophanos (*Mylitta* ſignificante γονίτειραν, tanquam ſi eſſet à מילדתא) quæ colebatur tum in *Africæ* partibus quibuſdam tum in *Babylonia*; ſed ipſius nominis ratio, quam jam expoſuimus, quemadmodum & natura

Ceremoniarum manifeſtò oſtendunt, eam fuiſſe tantùm popularem illam *Venerem* de qua ſuprà locuti ſumus. Sedebant enim in Templo ejus Fœminæ adoleſcentes in locis per lineas quaſdam filáve diſtinctis, quæ peregrinus quilibet, qui eorum corporum uſum petierat, rumpebat, atq; ità ſeorſim à cæteris abducebat eam cum qua rem habere maximè optaverat, poſteáq; nummum illi dabat pretium operæ conſuetum. Atq; poſt hoc ſuperſtitioſum genus fornicationis permittebatur ipſi nubere cui voluerit. Nobiliores fœminæ reſidebant prope Templum in Vehiculis ad Tentoriorum ſpeciem coopertis. Unde abominatio vocabatur *Succoth Benoth*, ipſáq; Dea, *Benoth*, brevitatis gratiâ. Ex quo *Critici* magna ſanè cum probabilitate deducunt Latinum vocabulum *Venus*.

8. Hæc *Venus*, cujus cultus adeò celebris erat in multis locis, à quibuſdam cenſetur Luna eſſe; ut à *Philochoro*, qui affirmat viros ipſi veſte muliebri indutos ſacrificâſſe, mulieres verò veſte virili. Qui quidem Planeta rectè dicitur *Regina Cœli*; & ſub titulo *Hecates* eſt etiam Maleficarum *Venus*, quemadmodum *Seldenus* notat. *Aſtarte* etiam idem Numen eſt ab impuris Sacerdotibus cultum, viris morum turpium & effœminatorum. Abominanda turpitudo hujus Deæ libidinis ad vivum apud *Euſebium* depingitur in vita *Conſtantini*. Nemus erat & delubrum extra publicam viam ſpurco *Veneris* Dæmoni in parte verticis montis *Libani* in fruticeto poſitum. Erat hîc malitiæ Schola omnibus laſcivis, ubi viri non viri muliebri morbo Dæmonem placabant. Atq; erat prætereà, quemadmodum ille ait, conciliabulum vel conceptaculum omnium improbarum Perſonarum, virorum ac fœminarum libidini & turpitudini deditarum, ubi adulterium committebant, fornicationem & peccatum Sodomiticum cum impunitate. Quippe quòd quemlibet honeſtæ integræq; famæ virum fœminámve pudebat ſe eorum cœtui ingerere.

CAP. XII.

1. *De famoſis eorum* Eleuſiniis, *quàm fœda erant & obſcœna.* 2. *Magnificentia Rituum, magnáq; eorum frequentatio.* 3. *Quòd Fundamentum hujus ſuperſtitionis nihil aliud erat quàm quædam obſcœnitatis ſpecies turpi & ridiculæ* Cereris & Baubûs *Hiſtoriolæ innixa.* 4. *De fœdiſſimis ſuperſtitionibus in* Tartaria, Malabar, Narſinga, *totáq; continente* Americana.

1. QUòd tam nefariorum facinorum perpetratio reperta ſit ſub tam infami Titulo quàm præ ſe ferebat hoc ſpurcum Numen, minùs mirandum meritò videri poteſt: ſed & iſtiuſmodi ſolennia quæ maximam famam aſſecuta ſunt ob ſuam ſanctitatem & Myſteria, à ſordido hoc turpitudinis genere non inveniuntur libera & immunia. In uno exemplo inſtabimus pro omnibus, in ſacris utiq; *Eleuſiniis* in *Cereris* honorem inſtitutis, quam quivis expectaret ſe præbituram honeſtam modeſtámq; è rure Matronam, cùm tamen quædam in illius templo ſpectacula (quàm ſancta illi voluerint ſua haberi Myſteria!) Lupanaris potiùs quàm loci ſancti erant inſignia. Quam ob cauſam, opinor, *Socrates* & *Demonax* noluerunt hiſce ſacris initiari.

2. Veruntamen ſive id deluſorum Dæmonum ope factum ſit ſive Sacerdotum technis atq; fraude, (qui tam inopinatas exhibuerint coruſcationes lucíſq; vibrationes ac tonitrua animos præſentium percellentia, præter alia inexpectata ſpectacula, quæ obtulerint eis qui jam ad ἀνάβλεψιν pervenirent factíq; eſſent ἐποπται,) hæc ſanè ſolennia in tanto indè erant pretio ut aliquando tricies mille hominum frequentiâ celebrarentur. *Claudianus* in *Raptu Proſerpinæ* ſolennitatem horum rituum admodum graphicè deſcribit.

Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri
Sedibus ac clarum diſpergere culmina lumen
Adventum teſtata Dei; jam magnus ab imis
Auditur fremitus terris Templúmq; remugit
Cecropidûm——

3. Sed enim verò magnificæ huic Poëtæ deſcriptioni dejectiſſimum pudorem incutere

cutere debet aculeatum illud antiqui Patris dicterium in hanc fœdam eorum ſuperſtitionem ſtrenuè ac viriliter vibratum. *Tota in Adytis Divinitas, tota ſuſpiria Epoptarum, totum ſignaculum linguæ, ſimulachrum membri virilis revelatur.* Huic *Tertulliani* adjicere poſſumus ex *Theodoreto*, vel potiùs (prout quidam volunt) errorem *Tertulliani* corrigere. Nam exhibebant, inquiunt illi, *Epoptarum* oculis, τὸν κλίνα non τὸν φαλλὸν. Verùm cùm Ἰακχαγωγία pars eſſet hujus ſolennitatis, *Tertulliani* error non eſt tam enormis quàm quidam eum facere volunt, ſed populorum oculi utrorumq; ſpectaculo ſtolidè demulcebantur.

Τὸν κλίνα μὲν ἔχει ἡ Ἔλευσις, inquit *Theodoretus*; *Clemén ſq*; illius rationem reddit, Quippe quòd *Ceres* poſt longos ſuos labores erroréſq; in inveſtigando *Proſerpinam*, cùm feſſa eſſet ac triſtis, ſedebat in hac animi ſolicitudine ſuper lapidem quendam, *Græci* vocant πέτραν ἀγέλαστον, *Ovidius* reddit, *Saxum triſte.*

Hîc primùm gelido ſedit mœſtiſſima ſaxo,
Illud Cecropidæ *nunc quoq; triſte vocant.*

Dea verò cùm in hac miſera ac afflicta eſſet conditione, vetula quædam Ruſtica, inquit *Clemens*, *Baubo* nomine, potum illi obtulit: Verùm Dea, ut quæ tota in mœſtitiam immerſa erat, dum recuſat bibere, ἀπαγέλλεται τὰ αἰδοῖα ἡ Βαυβὼ, πέρπεται δὲ τῇ ὄψει ἡ Δειώ. Et poſteà, ut videtur, majori cum alacritate poculum hauſit.

4. Tam fœda ac impura erat Paganorum Religio omni ex parte! Cujus ceremoniæ ſordidæ nec calamis ſcriptæ nec ſanctorum Patrum oribus prolatæ unquam fuiſſent, niſi quòd neceſſitas ipſorum modeſtiæ vim intuliſſet. Neq; certè ipſe diutiùs vos detinebo in tam fœtulento argumento, quanquam poſſim ulteriùs in hoc luto proficiſci vel potiùs provolvi, enarrans vobis pollutas *Canduæ* conſuetudines in *Tartaria*, ubi ſorores, filias, immo verò proprias uxores peregrinis proſtituunt in honorem cultúmve ſuorum Idolorum. *Calecutiæ* etiam in *Malabare*, ubi rex cum ſummo Sacerdote officiis contendit eúmq; quaſi cogit voluptatum primitias carpere è nova ſua ſponſa. Eſt etiam in ea Civitate Templum Simio dedicatum, Animali notæ ſalacitatis. *Narſingæ* porrò, ubi fœminæ corpore quæſtum faciunt ad nummos corrogandos ad Idolorum ſuorum uſum. Totius deniq; continentis *Americanæ*, ubi præterquam quòd communis eorum libido Veneríſq; uſus nullos novit limites, filias ſuas præterea offerunt Sacerdotibus conſtuprandas, teneros pueros Sodomiticæ turpitudini dedicant, in *Portu veteri* præſertim & *Punæ* in *Peruvia*. Ubi Diabolus eò uſq; prævaluit in hac beſtiali ſuperſtitione (ut refert *Purchaſius* ex *Cieza*) ut pueri conſecrarentur ad miniſtrandum in Templo, quibus ſacrificiorum tempore & ſolennium Feſtorum homines principes ac nobiles abutebantur ad deteſtandam illam Turpitudinem. Et ubiq; ferè in regionibus montanis ſub ſanctitatis ſpecie hoc nefandum vitium Diabolus introduxerat. Nam unumquodq; Templum unum & alterum alebat virum ſi non plures qui muliebri veſtitu ornati incedebant, ab ineunte etiam ætate ſic aſſueti, ut & voce fractâ & effœminatâ loqui alióſq; fœminarum mores in re qualibet imitari, quibuſcum ſub ſanctitatis & Religionis prætextu, eorum Magnates Feſtis Principalibus nefarium illud commercium exercebant. Sed de Paganicæ Religionis fœditate & ſpurcitie ſatìs ſupérq; jam dictum eſt.

CAP. XIII.

1. *Sanguinolenta Satanæ Tyrannis in crudelibus ſuis ſuperſtitionibus. Primorum juvenum* Lacedæmonis *ad Aram* Dianæ *flagellatio.* 2. *Sacrificia* Bellonæ *ſive* Deæ Syriæ *facta cum Sacerdotis ſanguine. Sanguis ægrotorum voto in oblationem deſtinatus in* Cathaia *&* Mangi, *cum aliis nefariis & contemptuoſis Satanæ contumeliis.* 3. *Aliæ faſtuoſæ duræq; tractationes in* Siam *&* Pegu. *Homines ad mortem uſq; compreſſi ſub rotis currûs Idoli in regno* Narſingæ *&* Biſnagar. 4. *Fœdæ ac difficiles peregrinationes in* Zeilan, *cum punctionibus & inciſionibus carnis peregrinatoris.* 5. *Flagellatio, Terræ manducatio, oculorum evulſio in* Nova Hiſpania, *cum diſtortis ſordidiſq; Ceremoniis in* Hiſpaniola. 6. *Intolerabilis ſuperſtitioſarum caſtigationum ſeveritas in* Mexico *&* Peru. 7. *Barbaras has ſordidáſq; conſuetudines Demonſtrationem eſſe odii contemptûſq; Diaboli in Genus Humanum.*

1. CUM ſatis jam vobis ante oculos malam rerum adminiſtrationem Principis hujus mundi in effrænatis impuræ libidinis exorbitationibus expoſuerimus, reliquum eſt ut crudeles illius inſolentias & malignas & contumelioſas tractationes, quibus humanum Genus, ab eo adeò vile habitum, exercuit, conſideremus; quam appellare poſſumus ſanguinolentam Diaboli Tyrannidem in homines. Sunt autem hujus exempla non pauca. Nos verò non omittemus etiam talia quæ citra homicidium ſita ſunt, & tamen manifeſta ſunt argumenta illius Invidiæ & contemptûs quem erga homines concepit. Ut Flagellatio illa primorum Juvenum *Lacedæmonis* ante conſpectum amicorum & conſanguineorum ad Aram *Dianæ*. Quæ conſuetudo erat tam barbara, ut *Theſpeſion* Gymnoſophiſtarum princeps eam Græcis vitio verteret apud magnum illum Paganiſmi inſtauratorem *Apollonium*. Qui certè *Lacedæmonios* aliter purgare non poterat, quàm dicendo, eos illud utiq; elegiſſe, quod futurum erat tolerabilius: Deam enim *Scythicam* humani ſanguinis effuſionem, hominúmve mactationes ad ſuam aram rigidè exegiſſe.

2. Sacrificia *Bellonæ* fieri ſine Sacerdotis ſanguine non ſolebant. Quæ ceremonia præſtabatur à ſuis *Deæ Syriæ* in *Ignium feſtis*. Ubi etiam juvenes furore ſuperſtitioſo correpti, virilia ſibi in honorem Deæ exſecabant, curſitabántq; continuò poſtea per urbem, illud manu tenentes quod à corpore abſciderant, in domum aliquam mox abjecturi, ut hoc pacto ipſos obligare poſſent ad parandum ſibi ſuum muliebrem ornatum ac veſtitum quem ſic meruerant. Ægroti in *Cathaia* & *Mangi* (quemadmodum *Paulus Venetus* commemorat) docebantur vovere proprium ſanguinem in oblationem Idolis ſi valetudinem recuperarent. Et quod minus quidem doloris habuit, ſed plus deſpicientiæ & contemptûs, Sacerdos congregationem dimiſſurus, conſpergere eos ſolebat ſanguine, luto, glebæ fruſtulis, fimóq; vaccino.

3. In *Siam* Religioſi ordines perquàm duris ſubduntur legibus, cùm capitale ſit cum fœmina colloqui, vinúmq; bibere non minus crimen quàm quod lapidatione penſatur. Illa etiam magna eſt populi vilificatio & deſpectus in *Pegu* (prout *Purchaſius* ex *Gaſp. Balbio* refert) qui aquam in qua Sacerdos ſe laverat, bibebant. In Regno *Narſingæ* & *Biſnagar* Idolum eſt ad quod viſendum longas inſtituunt peregrinationes, & quando coram ipſo comparent, vinctis manibus accedunt, vel funibus cervicibus circumjectis, aut cultris brachiis cruribúſve infixis, aut deniq; carnem abſcindunt & in Idoli faciem projiciunt. Idolo verò in ſolennibus Proceſſionibus foras provecto ferventiores illius cultores in via procumbunt, itáq; rotarum currûs compreſſione mortem voluntariam ſibi conſciſcunt, quemadmodum & *Balbius*, & *Odoricus* & *Linſchotenus* ſcribunt. Alia hujus generis exempla addere poſſim, ſed nolo nimiùm in propoſitam Methodum peccare, cùm in præſens de nullis aliis Satanæ crudelitatibus loqui ſtatuerim, quàm quæ citra Homicidium ſunt poſitæ.

4. In *Zeilan* incredibilis tædii peregrinationes ſuſcipiunt. Nam multa centena milliaria emenſi, tandem vadare coguntur per viginti ferè milliaria continua in fætulento cœno, præter ſcanſionem montis multa ſanè milliaria alti, funium adminiculo & uncorum, ac dumorum ruborúmque, quas prenſitare eos oportet, ut aſcendant. Et poſtquam acclivitatem montis ſuperaverint, conſcenderíntq; ejus ſummitatem, oculóſq; Pedis illius impreſſo veſtigio qui antiquus eorum fuit Legiſlator refecerint, pungendo tandem incidendóq; propriam ſuam carnem pœnas conſummant.

5. In

5. In nova *Hiſpania* veniam deprecabantur ab Idolis, flagellando ſeipſos in nudos Humeros, & tollendo terram eámq; comedendo. In *Peru* in humum ante Idola jacebant proſtrati, ferventioribus ex ipſis ab evellendo proprios oculos ſe non abſtinentibus, cæcâ utpote ſuperſtitione eò commotis. In *Hiſpaniola* quando ſacrificabant, ſoliti ſunt conſecratum hamum in guttura detrudere ad revellendum quicquid in ventriculis ſuis jacebat. Quo peracto circa Idolum ſedebant in circuitu, ſitu deformi, inclinatis in alterum humerum cervicibus, cruribúſq; decuſſatis, orantes eo corporis geſtu ut ſacrificium acceptum ſit apud Numen quod placabant.

6. Sacerdotes ac Religioſi in *Mexico* è lecto ſolebant exurgere ſub mediam noctem, & poſtquam igni thus injecerint ante os Idoli, in locum ſpacioſum ſe recipere ubi multæ lampades ardebant, ibíq; ſcalpellis & ſubulis ad os ferè ſutas percutere, ſua tempora ungentes cum ſanguine. Virilia etiam ſibi per medium findebant in furioſa affectatione iſtiuſmodi caſtitatis quæ nullum unquam habitura eſt premium. Flagellabant etiam ſe funiculis nodoſis, ut taceam longas eorum & macerantes penéq; enecantes inedias. Hiſce miſeris Ceremoniis utebantur etiam in *Peru*, ubi urentibus urticis nuda corpora caſtigabant, duríſq; ſilicibus humeros contundebant.

Hæ ac conſimiles Paganorum pravæ ac malignæ conſuetudines, quæ apud Scriptores occurrunt, quáſq; humano Generi Satanas impoſuit, evidens demonſtratio eſt magni illius contemptûs atq; odii quo flagrat contra nos. Jam verò propiùs ad rem accedemus, continuóq; nos accingemus ad probandam confirmandámq; illam accuſationem quam beatus Servator, qui ad demoliendum illius Dominium venit, juſtiſſimis de cauſis huic Uſurpatori inſtituit. Nempe, *quòd Homicida fuit à principio.* Quod evidentiſſimum eſt ab execrabili illa conſuetudine homines ipſi, ſub quacunq; ratione vel titulo, immolandi. Quæ abominanda conſuetudo in pleriſq; mundi partibus olim viguit, prout ſatis clarè evincent Hiſtoricorum Teſtimonia.

CAP. XIV.

1. *Homines Diabolo Sacrificati, in* Virginia, Peru, Braſilia; Guianæ & Pariæ *Incolæ comedebant etiam ſacrificatos; Sacrificiorum Ritus in* Nicaragua. 2. *Famelici Dæmones ſitimq; ſanguinis profitentes in* Florida & Mexico. 3. *Mactationes puerorum in* Peru, *Ritúſq; ſuffocationis pueri ac puellæ ſub aquis in* Mexico. 4. *Captivos ſacrificandi mos apud* Mexicanos. 5. *Immenſus numerus iſtiuſmodi ſacrificiorum in* Mexico, *& de Saltationibus per urbem in pelle viri recèns excoriati.* 6. *Et in* Nova Hiſpania *in Pelle Fœminæ.*

1. HUjus rei notitia ſatis recens eſt apud *Americanos*, quòd utiq; *Virginiæ* Incolæ liberos ſuos ſacrificabant Diabolo, quemadmodum & in *Peru* pro *Inguæ* ſalute ac proſperitate, ac felici bellorum ſucceſſu. Idem etiam faciunt in *Braſilia. Guianæ* populus & *Pariæ* aliarúmq; regionum adjacientium non ſolùm homines ſacrificant, ſed quidam eorum eis poſtea ſacrificiis veſcuntur. Sacerdotes *Nicaraguæ*, ut *Purchaſius* refert ex *Gomara*, poſt mœſti cujuſdam ac lamentabilis ſoni Ceremoniam térq; repetitam circa Captivos circumambulationem, ex improviſo in eos involant, ſubitóq; ipſis pectora reſcindunt cultris è ſilice formatis, móxq; poſt diſtributionem corporis captivi Regi, ſummo Pontifici, & ei qui eum in bello cepit, caput arbori imponunt, ſub qua alios etiam viros puerósq; ſacrificant.

2. In *Florida* Diabolus illius incolis apparet conqueritúrq; quàm magnâ laborat ſiti, quam tamen nihil reſtinguere poteſt niſi ſanguis humanus. *Acoſta* refert de *Mexicanis*, quòd Sacerdotes Regi nunciare ſolebant, Deos ſuos præ fame ferè enecari. Cujus vocis ſententia erat, extemplò eos oportere bellum movere in vicinos ut captivos poſſint abducere in Deorum Sacrificia.

3. In *Peruvia*, in novi *Inguæ* inauguratione ducentos pueros ſacrificabant aut decollantes ipſos, ſuáſq; facies eorum ſanguine ungentes, aut ſub aquis eos ſuffocantes, poſteáq; ſepelientes cum certis quibuſdam Ceremoniis. Et *Mexicani* in Feſto quod ſuper Lacum Navigiolis celebrabant, ſoliti feruntur ſub aquis ſuffocare puerum ac puellam ut iſthoc pacto Diis Lacûs ſe poſſent aſſociare, cúmq; eis verſari. *Peruviæ* verò Incolæ ſacrificabant etiam Virgines è Monaſteriis, quemadmodum idem Author refert. Et ſæpenumerò *Indorum* nobiles, nec raro ſanè ipſi plebeii, ſacrificare

ficare ſolebant filios ſuos primogenitos ad redimendam propriam ſuam vitam, ſi Sacerdos ipſis renunciâſſet quòd morbus mortem minitaretur.

4. *Mexicani* quidem, niſi *Acoſta* in eorum cauſa nimis facilis æquúſq; ſit, Captivos ſolummodò ſuis Idolis ſacrificabant. Sed devictorum hoſtium ſanguinis ſupra modum prodigi erant, cùm & ſacrificia ſæpiùs repeterentur, & ad minimum quadragenos vel quinquagenos unâ vice ſacrificarent; cogentes eos aſcendere in ſummitatem alti Aggeris in Templi atrio extructi, ubi ſummus Sacerdos (quemadmodum ſocii illius vel miniſtri) horrido ac diabolico modo veſtitus, ad pavorem populo incutiendum, pectus captivi mira cum dexteritate aperiebat, manu cor evellebat Solíq; adhuc fumans exponebat, cui & hunc calorem vaporémq; cordis offerebat, poſteáq; cor in Idoli faciem projiciebat, pedíſq; ictu corpus hominis mactati de ſcalarum Templi gradibus deturbabat.

5. Adeò prodiga erat humani ſanguinis hæc abominanda eorum Religio, ut quibuſdam diebus quinq; millia ampliùs hominum ſacrificarent, & in aliquibus locis ſupra viginti millia, prout refert *Acoſta* è Narrationibus *Indorum*. Eſt autem una præ cæteris crudelitatis ſpecies fœda ac horrida quæ in uſu erat apud *Mexicanos*, qui captivum excoriabant & hominem alterum illius veſtiebant pelle, quem oportebat ità ornatum ſaltare & tripudiare per omnes domos ac fora civitatis ad nummos emendicandos pro Idolis; qui verò dare recuſabant, illis, pro more, cruentâ pellis extremitate alapam impingebat.

6. Hoc ſatis enorme eſt, illud verò in *Nova Hiſpania* enormius. Ubi fœminam excoriabant virúmq; operiebant illius pelle, quem per plateas ſic veſtitum ſaltare oportebat duobus diebus continuis. Tam malignè perverſéq; truculentum ac Tyrannicum erat Diaboli imperium in *novo* Orbe Paganico; nec tamen eum multò tolerabiliorem inveniemus in *veteri*; Nam & illic eum deprehendemus *ſanguinarium Homicidam* in pleriſq; illius partibus.

CAP. XV.

1. *Immolatio puerorum Idolo* Moloch *in valle* Hinnom. 2. *Hanc non fuiſſe ſimplicem* Februationem, *ſed realem* Combuſtionem. 3. *Conſuetudinem hanc è* Syria *manâſſe ad* Carthaginem *uſque*. 4. *Plura illius rei Argumenta; Errórq; eorum qui* Saturnum Iſraëlem *appellatum ſentiunt à* Grotio *correctus. Quódq; Oblatio* Iſaac *per* Abrahamum *nulla omnino erat occaſio horum execrabilium ſacrificiorum.* 5. *Immolationes hominum in* Britannia, Luſitania, Gallia, Germania, Thracia, *&* Mona *Inſula.* 6. *In multis etiam locis* Græciæ, *ut in* Meſſene, Arcadia, Chio, Aulide, Locris, Lacedæmone. 7. *Quòd nec* Romani *liberi erant ab his barbaris ſacrificiis.* 8. *Quibus inſuper addas* Cimbros, Lituanos, Ægyptios, Rhodi *Incolas*, Salaminis *&* Tenedi, Indos *deniq; &* Perſas, *&c.*

1. FAmoſa eſt *Syria* vel potiùs turpiter infamis ob crudele illud Numen *Ammonitarum Moloch*, cui filios ſuos ſacrificabant exurentes eos in igne. Hoc ut in aliis locis ità & in valle *Hinnom* perpetrabatur, ſic dictâ à rugitu ſeu lamentis puerorum dum exurebantur, vel à poſſeſſoribus illius agri, filiis nempe *Hinnom*. Vocatur etiam *Tophet* à Tympanorum pulſu quibus utebantur ad obruendos extinguendóſq; miſerorum infantium qui ſacrificabantur, planctus & ejulatus. Quidam in ea ſunt opinione quòd *Februatio* tantummodò erat, Purificatio, vel Conſecratio Liberorum, non ipſorum *Immolatio*. Sed *Seldenus* abunde illam ſententiam confutavit; ad quem curioſos remitto. *De Diis Syris* Syntagm. 1. cap. 6.

2. *Gaffarellus* quidem, quanquam concedit Colonias quaſdam *Perſicas* ſedem in *Samaria* capeſſentes filios ſacrificâſſe *Adramelecho* & *Anamelecho* Diis *Sepharvaim*, nullo tamen pacto vult admittere pueros *Molocho* ſacrificatos fuiſſe, ſed februatos ſolummodó. Hoc autem facit in *Judæorum* gratiam quos tam execrabilis ſpeciei Idololatriæ nollet eſſe reos. Veruntamen extra omnem controverſiam poſitum eſt, filios filiáſq; Dæmonibus eos ſacrificâſſe, Pſal. 105. Et *Joſephus* ipſe de *Achaſo* agnoſcit, Ὅτι ἴδιον ὁλοκάυστωσε παῖδα τῷ Καναναίων ἔθνη, Quòd filium ſuum in Holocauſtum obtulit juxta ſuperſtitioſas *Canaanitarum* conſuetudines. Vide *Grotium* in Cap. 18. Deuteronomii; ubi ſatis manifeſtò probat Infantes reverà *Molocho* ſacrificatos fuiſſe, quanquam

quanquam non negat quin procedente tempore fieri poſſet ut hujus crudelis conſuetudinis rigor in tolerabiliorem uſum mutaretur, in traductionem ſcilicet puerorum inter duos Ignes; ſeculis utiq; recentioribus hujuſmodi σοφὰ φαρμακὰ invenientibus, ad mitigandam antiquorum rituum immanitatem. Nec veri eſt diſſimile, quin antequam hæc crudelitas penitùs abrogata eſſet, rarior inceperit illius eſſe uſus, tandémq; in ſimplicem abiret *Februationem*. Quæ optima, quòd ſciam, ratio eſt qua *Salomonis* honor ſuffulciri poſſit, ipſéq; vindicari à crimine tam fœdæ barbaræq; Idololatriæ, quanquam multis annis regnabat ante *Achazum*.

3. Hanc conſuetudinem ſacrificandi ſuos liberos è *Syria* emanâſſe in *Europam* pro certo affirmare non poſſum. Sed valde veriſimile eſt, *Carthaginienſes* indè iſtam duxiſſe conſuetudinem, cùm ex illa gente eſſent Colonia. *Lactantiúſq;* ipſis hanc crudelem ſuperſtitionem imputat, quòd nempe apud illos in more erat *Saturno* homines ſacrificare, quódque, cùm victi eſſent ab *Agathocle Siciliæ* rege, ſuſpicarentúrq; Deum ſuum ipſis iraſci, ducentos Nobilium filios ſacrificabant ſemel. Hæc abominanda eorum conſuetudo immolandi ſuos liberos etiam ab *Ennio* olim notata eſt.

Pœni ſunt ſoliti ſos ſacrificare puellos.

4. *Cretenſes* etiam æquè ac *Syri Saturno* ſacrificabant, quomodocunq; illi eam acceperint conſuetudinem. Sed ulterius argumentum eſt Carthaginienſes ſuos ritus à *Syris* hauſiſſe; nempe quòd nomen Dei cui ſacrificabant appellabatur *Amilcas*, quemadmodum *Seldenus* notat ex *Athenagora*, (quod quàm proximè accedit ad *Moloch* ſive *Milcham*) & prætereà quòd illi etiam utebantur *Tympanis* ac Tibiis ad obruendos celandóſq; rugitus ac ejulatus eorum qui ſacrificabantur. *Porphyrius* ex *Phœnicum* Annalibus nobis enarrat *Phœnices* hunc *Saturnum Iſraëlem* appellâſſe, qui & Rex eorum erat antiquus, quíq; unigenitum ſuum filium ad liberandum regnum ſuum ab inſtanti belli periculo, ſacrificavit. Filii etiam nomen affirmat fuiſſe *Jeoud*, quod magnam habet affinitatem cum voce Hebraica יחיד ἀγαπητὸς, *Unigenitus*. Totáq; narratio videtur depravatam quandam Imaginem gerere Hiſtoriæ *Abrahami* ſacrificantis filium *Iſaac*, quanquam *Grotius* aliâ ſit ſententiâ & fortean ex vera rei conjectura; cùm error eſſe poſſit in Exſcriptore aliquo, qui in Ἰλ incidens, quod nomen Regis erat qui filium ſacrificabat, (Ἴλον τὸν καὶ Κρόνον, ut habet *Philo Biblius* ex *Sanchuniathone*) putavit uſitatam contractionem vocis Ἰσραὴλ, cùm & Phœnicum Rex appellaretur איל (quod *Syri* uſurpant pro אל) ut *Enochus* nomen gerebat יהוה quemadmodum *Grotius* pleniùs nobis ediſſerit in Deuteronom. 18. Verùm tametſi illa ratio quam *Seldenus* è *Porphyrio* recitat vera eſſet, ego tamen non video quî ſit opus ut hæc occaſio ullam influentiam in remotiores *Europæ* partes haberet, cùm *Peruviani* abſq; ulla hujus generis invitatione ſatìs prodigi eſſent ſanguinis filiorum ſuorum in ſacrificando eos Diabolo. Cæterùm ſi exempli *Abrahami* fama in *Europæ* partes emanâſſet, nulla indè ipſis conflari poſſit excuſatio, ſed major potiùs exprobratio criminis tum ipſis tum maligno ipſorum Magiſtro Diabolo, ex eo quòd cùm Deus recuſaret ſibi præſtari tam exaggeratum rigidúmq; Homagium (ad quod jus plenum & indubitatum habebat) id tamen horum manus revincire non valeret nec ab offerendo nec ab acceptando tam cruenta ſacrificia.

5. Quamobrem, abſq; ulla hujuſmodi animatione vel æmulatione credo *Spiritus Apoſtatas* contemptu & crudelitate ubiq; plenos ſponte ſuâ hujuſmodi execrabiles ritus in pleriſq; veteris orbis partibus inſtituiſſe. Ut hîc in *Britannia* ubi ſolebant captivos ſacrificare ad prædicenda futura, quemadmodum commemorat *Tacitus*. Idémq; affirmat *Strabo* de *Luſitanis* qui in eundem finem ſuos captivos ſacrificabant *Marti*; *Diodorus* idem ſcribit de *Gallis* & *Suetonius* de *Germanis*; *Euſebius* etiam de *Thracibus*, qui homines immolabant ut certiores indè fierent de futuro belli ſucceſſu. Et *Tacitus* de *Mona* Inſula, haud procul à nobis diſſita, ait, Quòd ſedes erat *Druidum* qui inſignes erant hominum Immolatores, quæ ſacra in lucis peragebant. *Lucos ſævis ſuperſtitionibus ſacros*, ille Author appellat.

6. Nec certè *Græci* liberi erant à cruenta hac ſuperſtitione. Nam *Ariſtomenes Meſſenius* trecentos homines *Jovi Ithemio* ſacrificabat. *Arcades* pueros immolabant *Jovi Lycæo*, & *Chii Incolæ* virum *Diomedi*. *Locri* juſſi erant ab Oraculo ad peſtem ſedandam mittere quotannis ad *Trojam* duas Virgines, quæ primò jugulatæ concremabantur poſtea in ſacrificium *Palladi Trojanæ*. Et *Iphigeniæ* macellatio (ſub nuptiarum celebrandarum prætextu) per manum Sacerdotis ad aram Dianæ in *Aulide*, res eſt notiſſima & à *Lucretio* ad vivum depicta, cum hoc Epiphonemate in fine Narrationis.

Tantum

Tantum Relligio potuit ſuadere malorum.

Lacedæmonii etiam hominem immolabant *Marti*; Idémq; feciſſe *Græcos* univerſos *Phylarchus* affirmat.

7. *Plinius Romanos* liberos fuiſſe ab iſtis ſævis impiiſq; ſuperſtitionibus gloriatur. Verùm ſi eos ſemper ſic fuiſſe intelligat, inanis invenietur jactatio. Sacrificabant enim olim homines *Saturno*, & *Jovi Latiali*; quemadmodum *Tertullianus* & *Lactantius* notârunt. Et uſitatiſſimus apud eos mos erat tradendi homines Beſtiis devorandos in feſtis ſuis ſolennibus quæ huic vel illi Numini celebrabant. Prætereà dicuntur ſacrificâſſe quotannis *Romæ* duos *Græcos* duóſq; *Gallos* è binis utriſq; marem ac fœminam. Et per totam *Siciliam* & *Italiam* illa barbara ſacrificia admodum erant frequentia etiam juxta ipſius *Plinii* teſtimonium, nec abrogabantur *Romæ*, ante ſexcenteſimum vel ſeptingenteſimum annum ab urbe condita.

8. Recenſere hìc poſſimus plures Nationes execrabili hac impietate pollutas, ut *Cymbros*, *Lituanos*, *Ægyptios*, *Rhodi* Incolas, *Salaminis*, *Tenedi*, & *Cypri*, quemadmodum etiam populum *Laodicææ*. Quibus addas *Indos*, *Perſas*, *Arabas*, *Albanos*, aliósque; ſed hi quos jam nominavimus ſufficere poſſint, tanquam exemplà plena & notabilia rerum peſſimè turpiſſiméq; adminiſtratarum à Satana in uſurpato ſuo Imperio in filios hominum.

CAP. XVI.

1. *Quatuor adhuc reſtare breviter tractanda quibus pleniùs inſtructi ſimus ad clariorem Myſterii Chriſtiani intelligentiam. Quorum primum ſunt Paganorum* Catharmata. *Eorum uſus è* Cæſare *demonſtratus.* 2. *Vtì etiam è* Statio *& ex Interprete* Ariſtophanis. 3. *Quòd omnes hominum Immolationes expiatoriæ reverà erant* Catharmata. 4. *Secundum*, Apotheoſes *ſive Divini honores in defunctos homines collati. Multorum nomina è* Diodoro *recenſita.* 5. *De* Baal Peor; *quódq; omnia ferè Paganorum Templa erant Sepulchra. Proſapiæ Deorum notatæ à* Lactantio *ex* Ennio. 6. *Exempla quædam Legiſlatorum in numerum Deorum relatorum.*

1. SAtìs plenè jam claréq; Paganarum Superſtitionum *Impuritatem* & *Crudelitatem* vobis ante oculos expoſuimus. Quatuor tantummodò reſtant quæ leviter tangenda ſunt, quod poſtquam fecerimus, equidem credo viam tunc ſufficienter à nobis paratam fore ad facilem perſpicuámq; repræſentationem totius Rationis fabricæq; Chriſtianæ Religionis exhibendum, quatenus è ſacris Scripturis enoteſcit.

Primum eorum quatuor, quorum mentionem facturus eram, ſunt καθάρματα Paganorum, hoc eſt *Purgamenta*, *Piacula*; ſed *Græca* vox magìs propria eſt & accommodata, quæ mactationem hominis ſignificat, talem utiq; quâ Pagani uſi ſunt ad expianda ſua crimina & ad ſervandos ſeipſos ab ira & vindicta Deorum. Hæc ratio apertè agnoſcebatur *Gallis*, apud quos hæc ἀνθρωποθυσία admodum frequens erat, quemadmodum *Cæſar* obſervavit. *Pro vita hominum niſi vita hominis reddatur, non poſſe Deorum immortalium Numen placari arbitrantur.* Ac proinde *in gravioribus morbis, præliis, periculis homines pro victimis immolant, aut immolaturos vovent.* Quemadmodum *Ortelius* verba citat è *Cæſare.*

2. Hoc Sacrificii genus quoniam utplurimum factum erat è viliſſima fæce Plebeculæ, è Mancipiis vel Captivis, aliiſve perſonis admodum contemptibilibus; Apoſtolus, ut oſtenderet quàm vili apud homines æſtimabatur, conditionem ſuam illuſtrabat locutione ab hac conſuetudine mutuatâ, ὡς περικαθάρματα τῦ κόσμυ ἐγενήθημεν, 1 Cor. 4. 13. Ad hunc etiam ritum *Papinius Statius* alludit ubi introducit *Menecei* matrem eum ad hunc modum alloquentem:

Luſtralémne feris ego te, puer improbe, Thebis
Devotúmq; caput, vilis ſeu mater, alebam?

Hoc etiam notatur à *Servio* in *Virgilium.* Nihil autem eſſe poteſt accommodatius aut ad explicandam locutionem Apoſtoli aut ad apertiùs teſtificandum Ritum hunc Paganicum

Paganicum quàm quod *Hugo Grotius* addit in locum ſupradictum, è Scholiis in *Plutum Ariſtophanis.* Καθάρματα ἐλέγοντο οἱ ὅτε καθάρσεως λοιμοῦ τινος ἢ τινος ἑτέρας νόσου θυόμενοι τοῖς θεοῖς, τοτὲ δὲ τὸ ἔθος ἦν παρὰ Ῥωμαίοις ἐπεκράτησεν. h. e. *Homines qui Diis ſacrificabantur ad purgandam civitatem vel populum à peſte alióve gravi morbo vocabantur Catharmata, quæ conſuetudo etiam apud Romanos vigebat.* Et in alteram Comœdiam Scholiaſtes *Athenienſes* etiam aſſerit hanc obſervâſſe conſuetudinem ſolitóſq; fuiſſe pauperem aliquem miſerúmq; Homuncionem in eum uſum eligere. Ἔφερον γάρ τι καὶ Ἀθηναῖοι λίαν ἀγεννῆς καὶ ἀχρήστους, καὶ ἐν καιρῷ συμφορᾶς τινος ἐπελθούσης τῇ πόλει, λοιμὸν λέγω, ἢ τοιόντο τινὸς, ἔθυον τούτους ἕνεκα τοῦ καθαρθῆναι τὸ μιάσμα τοῦτο, ὃς καὶ ἐπωνόμασαν καθάρματα. i. e. Athenienſes *enim parabant viles quaſdam ac inutiles perſonas, & in tempore calamitatis alicujus civitati ingruentis, Peſtem intelligo & ſimilia, hoſce ſacrificabant, ut hoc pacto purgari poſſint vel expiari eorum ſcelera; quam ob cauſam hi homines* Catharmata *appellabantur.* Quod *Latinè* ſonat *Piacula* vel *Purgamenta.*

3. Quin & alia huc afferre poſſimus Teſtimonia, ut illud ex *Suida* in vocem κάθαρμα, aliáq; præterea, ſed in cauſa tam facili hæc debent ſufficere. Etenim *Sacrificia* omnia *expiatoria* quibus Deorum iram ſedare inſtituebant, quoties ἀνθρωποθυσίαι erant ſive hominum mactationes, (quod per totum terrarum orbem nimis frequenter factum eſt) hi homines qui ſic ſacrificabantur erant reverà *Catharmata* propriè ſic dicta.

4. Secundum quod eram notaturus, ipſorum ſunt ἀποθέσεις, quo ritu nullus certè erat frequentior apud Paganos, cùm nè unus quidem è Diis, ut habebantur, immortalibus eſſet, cui mortalis aliquis defunctus non erat cognominis ejuſdémq; cum illo cultûs particeps. *Diodorus* inſtat in *Sole, Saturno, Rhea, Jove, Pane, Cerere,* & aliis quorum Genealogias, Inventa, præclaráq; facinora Hiſtoricus ille particulatim proſequitur in primo libro *Bibliothecæ* ſuæ *Hiſtoricæ. Belum* etiam nominat *Neptuni* ac *Libyæ* filium, tanquam Ducem *Ægyptiacæ* cujuſdam Coloniæ quam duxit in *Babylonem.* Cui ſimiliter contigit atq; innumerabilibus aliis qui inſignes erant patriæ ſuæ Benefactores aut populi quîcum converſabantur. Templa ſcilicet aráſq; ſibi extructas ſuæq; memoriæ conſecratas habebant, & ſacrificia Ritúſq; religioſos inſtitutos quibus tanquam immortales Dii colebantur.

5. Et quantùm ad *Baal Peor* cui *Iſraël* ſe adjunxit, Pſalm. 106. ubi dicuntur ſacrificia comediſſe mortuorum, *Beda* Textum ad hunc ſenſum exponit: *Initiati ſunt & ſacrificaverunt* Baal qui colebatur in *Phegor. Belus enim fuit Pater Nini,* &c. Atq; hæc eſt ratio cur vocantur זבחי מתים *ſacrificia mortuorum,* utpote quæ offerebantur Animæ defuncti *Beli. Clemens Alexandrinus* in Ethnicorum opprobrium objicit *Templa* eorum ferè omnia nihil aliud fuiſſe niſi *ſepulchra* præclarorum quorundam virorum, quorum memoria immortalitati conſecranda prima erat occaſio religioſarum illarum ſolennitatum ac Ceremoniarum quæ ipſis inibi præſtabantur. *Lactantius* etiam ex *Ennio* & *Cicerone* planè demonſtrat partem maximam Deorum Paganicorum, hujuſmodi utiq; quales è *Diodoro* jam recenſuimus, homines olim fuiſſe in terris vitam agentes, profértq; ex *Ennio* Genealogias ipſorum, conſilia, & res geſtas in hac vita. *Cicero* in libris de Legibus diſcrimen quoddam ponit inter Paganorum Numina, ubi de rebus Religionis ſic ſtatuit, *Divos & eos qui cœleſtes ſemper habiti ſunt colunto, & eos quos in cœlo merita locaverunt,* Herculem, Libenum, Æſculapium, Pollucem, Caſtorem, Quirinum.

6. *Romani* enim colebant *Romulum* ut *Babylonii Belum,* quemadmodum & aliæ Nationes in Deorum numero eos collocaverunt qui primi Leges ipſis Ritúſq; religioſos ſtatuerunt, ut *Scythæ Zamolxin* & *Chinenſes* Reges ſuos, & particulatim Legiſlatorem ſuum *Confuſium. Minoi* etiam, *Æaco* & *Rhadamantho* propter ſingularem ſuam juſtitiam quâ claruerunt dum in vivis erant, à *Græcis* is decretus eſt honos ut judices in altero mundo eſſent apud mortuos. Sed de hoc ſecundo argumento ſatis jam dictum eſt.

CAP. XVII.

1. *Tertium notandum,* Mediatio nempe Dæmonum. 2. *Hæc ſuperſtitio leviter tacta ab Apoſtolo in* θρησκία τῶν ἀγγέλων. *Quòdq; Dæmones defunctorum hominum animæ ſint juxta* Heſiodum. 3. *Ut & ſecundùm* Plutarchum & Maximum Tyrium. 4. *Authoris concluſio ex his præmiſſis.*

1. TErtium quod obſervandum erat, ſunt Paganorum δαίμονες. Per δαίμονας verò ſive Dæmonas intelligo Deos ipſorum medioxumos, vel potiùs eos ſpiritus qui erant Mediatores (ſi fas ſit eos ſic appellare) ſuprema inter Numina atq; Homines. Juxta hunc ſenſum intelligendum eſt illud *Platonis* in ſuo *Sympoſio.* Θεὸς ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται, ἀλλὰ διὰ δαιμονίων πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία καὶ ἡ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους. *Deus cum homine non verſatur, ſed quicquid ſit commercii & colloquii Deos inter ac homines id omne à Dæmonibus peragitur.* Idémq; Philoſophus planè diſertéq; aſſerit, quòd hi δαίμονες preces recipiunt atq; oblationes quas homines faciunt, eáſq; Diis præſentant, reportántq; ſecum ab ipſis munera ac mandata quæ illi aliquo tandem modo cum hominibus communicant. Sed nec hæc ſolius *Platonis* opinio eſt ſed plerorumq; Philoſophorum antiquorum qui quicquam auſi ſint definire de rebus Religionis, ut *Zoroaſtri, Thaletis, Pythagoræ, Celſi, Plutarchi, Apuleii,* & reliquorum ferè omnium. Immò verò hæc opinio adeò naturalis eſt, ut inveniatur apud rudes *Americanos,* qui profitentur ſuos *Zemes* non alios eſſe quàm Mediatores ac Nuncios à ſummo Deo qui æternus eſt & inviſibilis; quemadmodum *Petrus Martyr* refert in prima Decade lib. 9. de Incolis *Hiſpaniolæ.*

2. Ad hanc Ethnicorum doctrinam obiter ſpectâſſe videtur Apoſtolus, Coloſ. 2. v. 18. ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, prout *Grotius* etiam notavit in eum locum. Neq; enim differentia vocabulorum ἄγγελος & δαίμων ullam in rebus ipſis differentiam arguit, cùm & vox Græca δαίμων idem prorſus ſignificet quod ἄγγελος, quemadmodum & *Philo* obſervavit. Et utrumlibet vocabulum animæ competit à corpore ſeparatæ, ut idem Author agnoſcit. Verùm δαίμων ſignificat etiam Animam corpori adhuc inexiſtentem juxta *Xenocratem* ab *Ariſtotele* laudatum. Ὁμοίως δὲ καὶ εὐδαίμονα ἕξει ἂν ὁ δαίμων ἢ εὐδαίμων, καθάπερ ὁ Ξενοκράτης φησὶν εὐδαίμονα εἶναι τὸν τὴν ψυχὴν ἔχοντα εὐδαίμονα· ταύτην γὰρ ἑκάστῳ εἶναι δαίμονα. *Quòd ſimiliter ille* εὐδαίμων *beatus eſt qui bonum ſortitus eſt* δαίμονα *ſive Genium; quemadmodum* Xenocrates *ait eum beatum eſſe bonúmve Genium habere qui bonam habet animam; Animam enim cujuſque, illius eſſe Dæmonem vel Genium.* Sed ſenſus magìs proprius & ad quem maximè in hoc loco reſpicimus eſt ille *Platonis.* Cujus ſuffragio & illud *Heſiodi* addere poſſumus ex *Plutarcho.* Αἱ δὲ ἀπηλλαγμέναι γενέσεως ψυχαὶ καὶ σχολάζουσαι τὸ λοιπὸν ὑπὸ σώματος, δαίμονές εἰσιν ἀνθρώπων ἐπιμελεῖς καθ' Ἡσίοδον. i. e. *Animi verò poſtquam generatione defuncti ſunt ac ſoluti, & hujus mortalis corporis oneribus liberati, Dæmones evadunt diligentéſq; humani Generis Inſpectores juxta* Heſiodum. Unde fortè & ratio nominis deducenda eſt, quaſi δαίμων eſſet à δαίω *divido,* cùm idem ſignificet quod *Anima ſeparata,* & à corpore quaſi *diviſa.*

3. *Plutarchus* etiam ipſe huic *Heſiodi* ſententiæ ſubſcribit. Quòd utiq; Animæ à corporibus ſuis liberatæ *Dæmones* fiunt vel *Genii,* quódq; huc & illuc paſſim vagantur in terris, ut qui obſervatores ſunt ac remuneratores actionum humanarum. Et tametſi ipſi *Actores* non ſint, quòd tamen *Adjutores* ſunt & Animatores eorum qui agunt, quemadmodum homines grandævi juvenilibúſq; exercitiis jamdiu defuncti, Civitatis Juventutem in ludis ſuis atq; exercitiis inter ſe amant committere, dum ipſi interim otioſi ſedent ſpectatores ac judices. Ad hunc modum ſanè *Plutarchus* in libro *de Genio Socratis,* & *Maximus Tyrius* in ſuis *Diſſertationibus* fusè copioſéq; diſſerunt, conantúrq; probare quòd δαίμονες ſive *Genii* nihil aliud ſunt quàm Animæ hominum qui ex hac vita migraverunt, quíq; etiamnum hujuſmodi negotiis utplurimum oblectantur, quibus oblectabantur in hac vita.

4. Ex quibus conſequitur, Qui erant *viri boni,* atq; amore & charitate erga genus humanum pleni, poſt mortem *bonos* evadere *Genios.* Quantóq; major eorum charitas eſt animúſq; liberior & diffuſior, eò ampliorem habituros eſſe Provinciam, & Ditionem Inſpectionémq; magìs univerſalem, aut ſaltem eò magìs ad id munus idoneos fore, modò ſufficientem Potentiam atq; Autoritatem Divinitùs ſortiri poſſent, teneróq; illi (quem fovent erga Gentem humanam) nobilíq; amori parem.

parem. Et ex eo quòd ipſi olim in carne erant eáq; experiebantur quæ ad noſtram pertinent conditionem, tantò magis apti commodíq; erunt mediatores rerúmq; noſtrarum Adminiſtratores. Tam conſentanea rationi eſt hæc Paganorum opinio de *Geniorum ſuorum interceſſu*, ipſorum verò cultus res admodum temeraria, cùm nullum ſolidum ſit tam fœdæ ſuperſtitionis fundamentum.

CAP. XVIII.

1. *Paganorum* Heroës, *(quod quartum erat ultimúmq; notandum) aut Deo aut Deâ aliquâ prognati, quorum poſterius ridiculum eſſe ſi non impoſſibile.* 2. *Prius non omnino incredibile.* 3. Franciſci Pici *opinio de Poëtarum* Heroibus *à Diis oriundis, quòd revera geniti eſſent impuris aliquibus Dæmonibus, cum* Joſephi *ſuffragio eò ſpectanti.* 4. *Poſſibilitas rei illuſtrata ab exemplo Equarum à vento gravidarum ut multi affirmant Authores.* 5. *Hiſtoriæ applicatio, ulteriórq; confirmatio à modo* conceptûs *ad mentem* Harvæi. 6. *Exemplа hominum Heroicâ hac geniturâ celebrium citra tempus* μυθικὸν vel Ἡρωικόν.

1. QUartum & ultimum eorum quæ propoſiturus eram ſunt *Heroës* Paganorum, qui ſimiliter ſunt Δαίμονες, hoc eſt, *defunctorum hominum* Animæ. Sed ſpeciale aliquod erat in eorum *Nativitate* vel potiùs *Conceptu*, utpote qui putabantur prognati à Dea aliqua viro compreſſa, vel à fœmina aliquo compreſſa Deo. Unde *Plato* rationem reddere conatur nominis Ἥρως, tanquam eſſet ab Ἔρως *amor*, quippe quòd *Heroës* geniti eſſent Deo aliquo vel Deâ mortalis alicujus amore captis. Hujuſmodi erat *Æneæ* generatio, ſicut olim opinata eſt Antiquitas, quem *Venus* peperit *Anchiſæ*; & *Achillis*, qui *Thetidis* erat ac *Pelei* filius. Verùm ut Deæ, hoc eſt, Spiritus fœminarum vices explentes, liberos parerent, quanquam ſint eis de rebus Hiſtoriolæ aliquammultæ quæ pro veris narrantur, nec res fortean prorſus ſit impoſſibilis, mihi tamen admodum incredibilis videtur.

2. Cæterùm *Genios* vel *Spiritus* quos Antiquitas *Deos* appellabat fœminas ità impregnare potuiſſe ut abſq; viri ope liberos parerent, mihi non omnino videtur incredibile. Et pleriq; *Heroum* hujus generis fuiſſe feruntur. Cùm major pars eorum qui maximè celebres erant, *Jovis* eſſent filii Nothi quos ille è diverſis fœminis quarum amore captus erat, deviâ quâdam ac erraticâ libidine procreavit. Dicitur enim ex *Alcmena* generâſſe *Herculem*, *Pelaſgum* ex *Niobe*, *Sarpedonem* ex *Laodamia*, *Dardanum* ex *Electra*, *Amphionem* ex *Antiope*, *Minoëm* & *Rhadamanthum* ex *Europa*, ex *Leda Caſtorem* & *Pollucem*, & ex *Danaë Perſeum*. Quatuor illius ultima adulteria ſcitè comprehenduntur Diſticho ab Epigrammatiſta, cum rationibus techníſve quibus uſus eſt in aggrediendo has fœminas.

Ζὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς, δι' ἔρωτα
Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.

3. Quod non potui me abſtinere quin recitarem, cùm prima transformatio ibi nominata, *Jovis* ſcilicet in *Cygnum* converſi (quando rem habebat cum *Leda*) mihi in memoriam revocaret *Ludovici* hiſtoriam, Dæmonis familiaris illius Sagæ cujus res *Franciſcus Picus* tam copioſè deſcribit, quem illa confeſſa eſt quanquam in reliquis corporis partibus humanâ ſpecie, pedibus tamen anſerinis rem cum ipſa habuiſſe. Sed illud quod notatu maximè dignum eſt in illo Dialogo eſt ingenioſa illa *Pici* conjectura de iſtis Poëtarum fabulis, prout quidam eas æſtimari volunt. Ille enim in ea eſt opinione quòd notabilis quædam veritas eis ſubeſſe poſſit quantùm ad *Heroum* Generationem: quódq; apud rudem Antiquitatem, quando Diaboli Dominium latiùs liberiúſq; ſe extendebat, genúſq; humanum magis fatuum erat & imperitum, reverà tunc erant, idq; frequenter hujuſmodi congreſſus coitúſve venerei impurorum ſpirituum cum fœminis, juxta eam conſuetudinem quam ad hunc uſq; diem Sagæ profitentur ſe obſervare, præſertim in Conventiculis ſuis Genialibúſq; Conviviis Nocturnæ illius Solennitatis quam *Ludum Dominæ* vocant. Antiqui *Ludum Dianæ* vel *Ludum Herodiadis* appellabant. Ubi Sagæ ſicut ipſæ confitentur, edunt, bibunt, Choreas agunt, eáq; cum impuris Dæmonibus perpetrant quæ ho-

neſtus pudor ac verecundia vetat nominari. Qui luſus ac laſciviæ antiquis illis temporibus talem aliquando ſortiebantur effectum, ut fœminæ, utì *Picus* autumat, gravidæ factæ ſint à Dæmonibus ſive Geniis qui Ethnicorum olim Dii exiſtimabantur. Unde viri celebres ac illuſtres orti ſunt, & qui non ſolùm putabantur, ſed reverà erant ex ſtirpe Deorum prognati, ſecundùm eam utiq; opinionem quam ipſi habebant de Diis. *Joſephus* Author quidem gravis priſcorum Gigantum generationem ad eum modum factam fuiſſe agnoſcit, quibus aſcribit omnem illam impietatem & injuſtitiam quæ in mundum irrepſerant ante Diluvium *Noe:* Πολλοὶ γὰρ ἄγγελοι θεῦ γυναιξὶ συμμιγέντες ὑβρεις ἐγέννησαν παῖδας ϗ παντὸς ὑπερόπλας καλῦ, διὰ τὴν ἐπὶ τῇ δυνάμει πεποίθησιν, quemadmodum ille ſcribit primo libro *Antiquitatum Judaicarum. Multi enim Angeli Dei fœminis coëuntes, liberos genuerunt inſolentes & injurios omniſq; bonitatis contemptores, propter propriarum virium fiduciam.*

4. Et tametſi hoc incredibile aliis videri poteſt, res tamen multò magìs mirandæ aſſeruntur de conceptu fœminæ abſq; ope maris etiam in perfectiſſimo genere Animalium. Ut illud quod *Virgilius* affirmat in *Georgicis* de quibuſdam vivacibus ſtrenuiſq; Equabus quæ à vento conceperunt.

Ore omnes verſæ in Zephyrum ſtant rupibus altis
Exceptántq; leves auras; & ſæpe ſine ullis
Conjugiis, vento gravidæ (mirabile dictu!)
Saxa per & ſcopulos fugiunt.——

Quod *Silius* etiam *Italicus* breviter ſed ad vivum exprimit de Equabus ſuæ Patriæ, *Hiſpanicis* ſcilicet.

Et venerem occultam genitali concipit aurâ.

Quæ nè fortè ſuſpiceris pro ea quâ ſunt levitate & credulitate à Poëtis ſolummodò enarrari, tibi porrò affirmare poſſum quòd & S. *Auguſtinus* & *Solinus* Hiſtoricus idem tradunt de Equorum progenie in *Cappadocia.* Immò verò, quod adhuc magìs ad noſtrum facit propoſitum, *Columella* & *Varro* viri rerum Ruſticarum expertiſſimi eandem rem aſſerunt tanquam certam probéq; cognitam veritatem.

5. Quamobrem cùm agnoſcendum ſit *Aërem liberum* accendendo ſpiritus horum Animalium eóſq; actuando ſale quodam volatili, ipſa implere poſſe tantâ vitæ gaudiíq; copiâ, ut matrices ipſorum faciat germinare, ut ſic dicam, poſteáq; maturos fructus edere; Cur non & *Spiritus Aëreus* transformans ſeipſum in figuram viri, illius vicem cum effectu poterit ſupplere? quandoquidem, quod & ipſæ Sagæ confitentur, acriorem altioremve voluptatem excitare valet quàm quivis vir poteſt, atq; ità corpus ſolvere in tranſmiſſionem ejuſmodi principiorum & particularum quæ ſui confluxu in matricem vitales inveniantur & prolificæ. Quod eò faciliùs admitti poteſt ſi conſideremus Semen maris nec materiam nec formam ipſi Fœtui contribuere, ſed ad inſtar Silicis & Chalybis fomitem tantummodò accendere, quemadmodum ſuper hac re philoſophatur *Guilielmus Harvæus.* Adeò ut nihil opus eſſet Paganorum Diis, cùm rem cum mulieribus habituri eſſent, tam multis uti ambagibus quàm vulgò homines exiſtimant, ut primò ſcilicet partes *Succubi* agerent, deinde *Incubi*, hoc eſt, ut primo ſemen viri reciperent, transformando ſe utiq; in figuram fœminæ, poſteáq; ſemen in fœminæ matricem transfunderent, poſtquam ſeipſos mutaverint in formam viri. Propterea, quòd non ſit materia ſeminis, ſed gratus contactus motúſve fermentationem quandam ſpirituoſúmq; vigorem Conceptûs loco imprimens, qui fœminam facit prolificam. Tanta ſanè eſt Probabilitas aliquid veri ſubeſſe illi famæ de ortu antiquorum *Heroum*, quanquam eorum tempora propter hiſtoriæ incertitudinem vocatur ab Hiſtoricis χρόνος μυθικὸς æquè ac Ἡρωικὸς.

6. Sed tam alta hæret ſuſpicio in mentibus hominum eſſe quidem aliqua hujus generis eventa in mundo, ut auſi ſint quædam proferre exempla intra Hiſtorici temporis limites à probatis ſcriptoribus celebrata, ut *Alexandri* & *Scipionis*, quos multi opinati ſunt filios eſſe *Jovis.* Et *Diogenes Laërtius* comptam ſanè & elegantem Hiſtoriam nobis enarrat de *Perictione* matre *Platonis*, quam ab *Apolline* impregnatam fuiſſe aſſerit, quod & confirmat trium diſtinctorum Scriptorum teſtimoniis, *Speuſippi*, *Clearchi* & *Anaxilidis.*

CAP.

CAP. XIX.

1. *E principiis quæ posuimus historilsq; Religionum Gentium quas in medium protulimus facile esse rationem reddere rerum omnium quæ ad Servatorem spectant à* Nativitate *usq; ad* visibilem *ejus* reditum ad Judicium. 2. *Christianitatem* Summam *esse &* Perfectionem *rerum omnium laudabilium vel tolerabilium quas nulla unquam in terris Religio complexa est.* 3. *Assertio confirmata enumeratione certarum quarundam partium.* 4. *Quòd Religio nostra ad* Gentes *videtur magis præcipuè dirigi quàm ad ipsos* Judæos. 5. *Enumeratio principalium Capitum in Historia Christi, quorum rationem reddere instituit.*

1. OMisisse jam nihil nos opinor quod alicujus momenti esse poterit ad præsens Institutum, cùm ad viam præmuniendam ejusmodi jecerimus fundamenta quæ satis instructos nos redditura sunt ad solidam rationem offerendam earum rerum omnium quæ in historia Christi occurrunt, quæcunq; ipsi contigerunt, quæcunq; per ipsum facta sunt aut olim facienda, à *Nativitate* usq; ad *Visibilem* ejus *reditum ad Judicium.* Etenim præterquam quòd nulla illic effecta commemorantur adeò miraculosa ut excedant efficaciam *invisibilium illarum Potestatum* quas nos demonstravimus in mundo existere, ità & *Rationabilitas* præterea uniuscujusq; rei facilè illustrabitur ex eis quæ indicavimus de Christianitatis natura atq; scopo, nempe ut *Divina vita* in terris quantum fieri potest promoveatur, iiq; qui illius facti sint participes ad æternam perducantur beatitudinem. Intereà verò loci ut mundus redimatur ex Dominio & Tyrannide Diaboli, Christíq; cultus introducatur tanquam legitimi *Proprietarii* omnis *Primatûs* in cœlo atq; in terra. Idq; non externâ vi aut violentiâ sed mirandâ Dei sapientiâ quæ in Evangelio revelatur, quippe in quo tam blandæ sunt condescensiones amicæq; suiipsius demissiones ad facultates humanas, & tam illecebrosæ pariter ac honestæ humanorum affectuum inescationes obligationésque, ut quum primùm ipsum audiverint, facilè ingenuos captivos abducturum sit in sui obedientiam, cum gaudio in cordibus lacrymísq; in oculis præ gaudio obortis, toto homine quasi colliquescente in facilem tenerúmq; consensum cum hac *nova lege Gratiæ*, inter hos jucundos sensus *Amoris*, *Doloris*, & *Lætitiæ*; ut nihil dicam de justo illo contemptu & indignatione quibus corripientur contra illas Religiones quibus antea illigati erant, aut ob infirma earum & egena Elementa, aut ob abominanda sacrificia & Ceremonias.

2. Quicquid enim defectûs sit in qualibet Religione Christus illud abunde supplet. Ubi verò Ritus earum execrabiles sunt & detestabiles, ibi apertè adversatur tum fœdis *obscœnitatibus* tum sævis *crudelitatibus* Satanæ. Quæ verò propensiones in humano genere proclivitatésve erant magis innocenter naturales, istis quidem gratificatur veriori sublimioríq; modo quàm unquam ipsis hactenus gratificatum est in ullis terræ partibus. Adeò ut reverà *Christianitas* non sit solummodò *Judaismi* complementum & perfectio, sed & universi *Paganismi*, cum *summa* & *substantia* earum rerum omnium quæ in ulla unquam Religione ullius momenti erant, Christi Evangelio comprehendatur. Quod idcirco reservabatur ad ultimas temporum periodos, tanquam ἀνακεφαλαίωσις vel *Recapitulatio* omnium quæ antecesserunt, quemadmodum loquitur Apostolus in Epistola ad *Ephesios*, *Ut in pleni temporis dispensatione summatim recolligeret vel repeteret* (sic enim significat verbum ἀνακεφαλαιώσεως) *omnia in Christo, tum quæ in cœlis sunt tum quæ in terra.*

3. Nam quantùm ad illa quæ *in cœlis sunt*, sive objecta sint Paganorum *cultûs*, cujusmodi erant eorum ἀποθεωθέντες, *homines in Deorum numerum relati*, atq; *Heroës*, sive *fiducia* quam collocabant in *Diis suis medioxumis* ínq; mediatione & intercessione *suorum Dæmonum*, seu quæcunq; *spes obscura* quam habere possent quòd & ipsis aliquando *Deorum vita* adipiscenda esset in cœlis post mortalis hujus corporis dissolutionem; omnia hæc compendiosiùs, & tamen veriùs, planiùs, plenioríq; jure comprehenduntur in Christo. Quemadmodum & illa quæ in *terra* sunt, ut *Judæorum sacrificia* & Paganorum καθάρματα, tam multi támq; curiosi *Ritus* ac *Ceremoniæ Expiationis* & *Purificationis*, hæc omnia aptiùs & efficaciùs continentur in *Baptismi* Sacramento, & in *celebratione Mortis Domini* Servatoris quàm in ullis Ritibus Nationum.

4. Ac profectò omnia tam peritè gnaréq; ad Ethnicorum Religionem collineantur

in

in actionibus rebúſq; ad Chriſtum pertinentibus, ut eis potiùs deſtinatus videri poſſit & præſtitutus quàm ipſis Judæis, quamvis prima ipſis facta ſit optio utrùm eum recipere vellent an repudiare. Ità ut conſilium Dei manifeſtum ſit æquè ex *forma rationéve* Religionis Chriſtianæ atq; ex illius *effectis*. Atq; hæc ſufficiant ad ſubindicandam in genere naturam & conſtitutionem Chriſtianitatis.

5. Verùm rem in genere ſic perſtrinxiſſe nos non erimus contenti, ſed pergemus porrò ad rationes magis particulares, applicando fundamenta quæ poſuimus ad notabiliores res omnes quæ in hiſtoria Chriſti continentur, quas ad hæc capita referemus. Ad illius utiq; *Nativitatem*, *Vitam*, *Crucifixionem*, *Reſurrectionem*, *Aſcenſionem*, Ἀποθέωσιν, *Interceſſionem*, *Principatúmq;* in homines & Angelos. Ad *Spiritûs ſancti miſſionem* in Apoſtolos, horúmq; omnium ſucceſſum in mutando ſtatum mundi, & ſubvertendo regnum Diaboli. Ad *viſibilem illius reditum ad Judicium* ad vindictam ſumendam de impiis & ad perficiendam Redemptionem Fidelibus, coronando omnes eorum labores adverſóſq; caſus quos ſubierunt gloriâ & Immortalitate, eóſq; reſtituendo ad gaudia illa Paradiſiaca quorum jam olim perdiderant jus quibúſq; prorſus exciderant per dolos ac invidiam Diaboli. De hiſce omnibus eo quo propoſuimus ordine & quàm maximâ fieri poterit brevitate, agemus.

MAGNI

MAGNI MYSTERII PIETATIS EXPLANATIO.

LIB. IV.

CAP. I.

1. *Christum è Virgine nasci non est res* Impossibilis. 2. *Nec id solùm sed &* Rationabilis *est propter* Heroas *Paganorum.* 3. *Utq;* externa *hæc* Nativitas *symbolum esse possit* æternæ *illius* Filiationis. 4. *Tertiò, Propter propriæ illius Personæ* sanctitatem, *& ut* Continentia *indè &* Castitas *mundo commendetur.* 5. *Postremò, ut impleantur quædam sacrarum Paginarum* Prophetiæ *quæ* Messiam *indigitant.*

1. DE *Nativitate Christi*, déq; rebus cujusmodicunq; quæ per miraculum aut ipsi contigerunt aut ab ipso factæ sunt, spero me satis solidam rationem redditurum si quidem earum non solùm *Possibilitatem* sed & *Rationabilitatem* ostendero. Et certè non est omnino impossibile ut *virgo* filium pariat, dummodò mentem sensúmq; illius vocis rectè intelligamus, quæ fœminam significat quæ rem nunquam habuit cum viro. Nihil enim repugnat quin concipiat ab alia aliqua abdita causa, ac proinde *Omnipotentia* saltem *divina* de facili illud efficere potest. Utrum enim factu difficilius est, omniáne creare ex nihilo, efficeréq; ut Plantæ & Animalia è terra sponte nascantur absq; ope maris aut fœminæ, an Matricem virginis ità præparare, ut possit sine ope viri concipere? Quamobrem negare hujus rei *Possibilitatem* est planè negare existentiam Dei in mundo.

2. Verùm hoc non solùm *Possibile* est, sed & *Rationabile.* Nam præterquam quòd in genere Personæ convenit tam extraordinariæ, quàm est Servator noster, ut comitaretur in adventu miraculosis indicationibus suæ Eminentiæ, est & præterea conceptûs ortúsq; ejus per vim supernaturalem facti peculiaris quædam ad eas sive Historias veras sive vehementes Paganorum suspiciones Adaptatio: Qui tam facilè credebant celeberrimos eorum *Heroas*, quorum memoria tamdiu apud ipsos florebat, adeóq; sacra erat ut divinos ipsis honores præstarent, non ex mortali prosapia sed ex stirpe Deorum fuisse oriundos, quemadmodum suprà notavimus. Quod quidem modo veriſſimo eminentiſſimóq; factum est in *Nativitate* Servatoris.

3. Rursus, Christus extra corpus consideratus, cùm non sit mera humana Anima, sed *verè, vitaliter,* & *realiter* unita cum λόγῳ, est reverà per unionem *æternus filius Dei.* Jam verò cùm id futurum esset quod S. Johannes narrat in principio sui Evangelii, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, *Verbum caro facta est*; Ille qui natus est *Mariâ* (*Josephi* sponsâ) cùm ille, inquam, verus & genuinus Dei sit Filius à Patre genitus ab omni æternitate, cúmq; etiam præstituto tempore in hunc mundum gignendus esset; quis tam idoneus cui ascriberetur illius procreatio quàm ille qui & Author erat æternæ ejus Generationis? Ac proinde virgine gignendus erat, & viâ quâdam supernaturali concipiendus, ut *visibilis* ejus *humanitas* æquè ac *interna Divinitas* justam præberet

beret occasionem cur appellaretur *filius Dei*, unúmq; alterius esse posset quasi quoddam *Symbolum*.

4. Tertiò, Vidimus quàm undiquaq; abominabili *obscœnitate* & spurcitie scateret superstitio *Paganorum*. Ut nihil dicam de uxoria carnalitate *Judæorum*, déq; illa Impuritate quæ ab omnibus Nationibus (nisi fortè ubi superstitio eas in fœdam obduraverit *Bestialitatem*) in actibus venereis agnoscitur: quandoquidem utplurimum eas partes quas Natura istis usibus destinavit, ab oculis hominum occultabant, quippe quòd pudebat eos agnoscere se tam vili abjectóq; sensûs generi subjectos. Ut Christus igitur nasceretur juxta communem hunc generationis modum planè indecens erat, nè quid indè videri posset incitamenti addere hominibus ad ea ad quæ tam insano impetu pleriq; omnes suâ sponte feruntur, nihil obstante fræno illo pudoris quo Natura ipsos videtur retrahere velle & cohibere; Eóq; adhuc magis, cùm & ipse in mundum venerit ut summum humano generi exemplare esse posset *Puritatis*. Quam ob causam etiam à toro nuptiali abstinuit, vitámq; virgineam verbis factísq; commendavit. Quod certè potiori jure quàm quivis alius facere potuit, cùm ipse pignus esset sincerorum illorum cœlestiúmq; ac æternorum Gaudiorum longè firmius quàm unquam antehac mundo est revelatum. Quamobrem partim ut contrairet Paganismi impuritatibus, partim ut Sectatores suos ad debitam æstimationem invitaret *Continentiæ* & *Castitatis*, tanquam quæ magnam vim habeant ad animam purificandam, efficiendúmq; ut eas demum voluptates sapiat quæ sunt reverà *Divinæ*; Ipse carnem nostram non dignatus est assumere isthoc modo, qui cum crassissimarum corporis voluptatum sensu conjungitur, nec postquam eam assumpserat, propriis illius gaudiis frui, nè legitimâ quidem illâ sub conditione Matrimonii, quippe qui eo fine in mundum venerat ut vile & contemptibile reddat quicquid summi pretii est, dulcissimíq; saporis apud *hominem naturalem*.

5. Quartò & ultimò, Cùm *è Virgine nasci* unus sit è characteribus *Messiæ*, quemadmodum vel prima illa de ipso Prophetia, sensu magis proprio & emphatico, (quòd utiq; *semen Mulieris* (quatenus *ipsi* opponitur, vel potiùs excluditur, *viri* semen) *contriturum esset caput Serpentis*) videtur innuere; ut & explicatior illa allusio vivúsq; Typus apud Prophetam *Isaiam* de virgine filium concipiente cujus nomen esset *Emanuel*, accuratissimè præfigurare: Hoc, inquam, non parum addit ad congruitatem hujus miraculosæ conceptionis Christi in virginis matrice. Quæ omnia junctim considerata plus satis sunt ad sufflaminandum blasphemas illas suspiciones stolidorum impiorúmq; hominum ad eósq; convincendos quòd non ad tegendum lapsum aliquem moralem in matre Christi factum sit, ut is à sancto Spiritu genitus diceretur, sed quòd ità reverà erat, atq; sic à Divina sapientia consilióq; determinatum. Cujus potissima erat Ratio (ut ego quidem judico) ipsa Animæ Servatoris *sanctitas*, pervicáxq; propositum vilificandi pollutas corporis voluptates, & retrahendi hominum mentes ad studium *Puritatis*, qui insignis ramus est *Divinæ* illius *vitæ* quam ille venit in hunc mundum ut excitaret.

CAP. II.

1. *Quòd quemadmodum* Virginitas *matris Christi* Puritatem *mundo commendabat, ità & ejus* tenuis *conditio* Humilitatem, *ut & aliæ circumstantiæ* Nativitatis *Christi*. 2. *De salutatione Angeli* Gabrielis *& de* Magis. 3. *Historiam Itineris ipsorum fidem corroborare*, rationémq; *non esse sed* stupiditatem, *quæ tam ægrè admittit* Angelorum ministerium. 4. *Institutum ejus de continuando* Paralleliſmo, Christi *vitam inter &* Apollonii Tyanei. 5. Apollonii *prosapia & nativitas* vitam Animalem *quàm rancidè oleant*. 6. Angelorum cantilena *& musicorum* Olorum saltatio *in partu* Apollonii *comparatæ*.

1. JAM verò quemadmodum ejus è *Virgine* nativitas *Puritatis* erat commendatio; ità quòd natus sit è tam tenuis fortunæ virgine quàm erat Sponsa Carpentarii commendatio rursus est *Humilitatis*. Est enim notatu dignum, Christum datâ operâ vilificâsse & pro nihilo habuisse quicquid in pretio est præcipuéq; charum *vitæ Animali*; & hujusmodi sunt ea omnia quæ ad honorem nostrum faciunt & existimationem apud homines. Quorum sanè minima non censetur *Parentum nobilitas*. Sed

&

& aliæ *Nativitatis* circumſtantiæ ad eundem collineant ſcopum. Etenim ſimul ac veniſſet in hunc mundum, ipſe ſpecimen præſtitit illius præcepti quod poſtea docebat alios. *Viliſſimum* utiq; *locum ſibi delegit in hoſpitio.* Et quanquam hæres erat rerum omnium & deſtinatus Princeps Angelorum atq; hominum, extrudebatur tamen è medio ipſorum & cogebatur lectum habere in ſtabulo inter bruta animalia. Verùm in hac humili conditione dum tam fœdè negligitur à ſuperciliosis mortalibus, Angeli tamen cœleſti cantilenâ illius celebrant *Nativitatem*, lætum illius nuncium communicantes, non quidem cum *ſapientibus* aut *nobilibus hujus mundi*, nec cum *eruditis Rabbinis Rectoribúſve populi*, ſed cum hominibus qui *abjectam* ſed *innocentem* vitæ rationem colebant, cum paſtoribus utiq; greges ſuos noctu cuſtodientibus. Quæ omnes *Nativitatis* ejus circumſtantiæ, videmus quàm rationabiles ſint, quámq; aptam rerum optimarum ſignificationem habeant ac decoram.

2. Neq; Angeli *Gabrielis* ſalutatio ſuper hac re, illiúſq; ad *Mariam* prædictio, inutile quoddam eſt & ſupervacuum *Urbanitatis* ſpecimen. Verùm erat quodammodò neceſſarium, ut quod ipſi eventurum erat ei prædiceretur, nè exanimaretur modeſta virgo dum animadvertebat ventrem intumeſcere, illiúſq; rei cauſam penitus ignorabat. Idémq; dici poterit de *Magorum* Itinere, quòd non fruſtrà Hiſtoriæ inſertum ſit ad ſpeciem pompámve, ſed cùm fama expectationis *Meſſiæ Judæorum* circa ea tempora, in totum ferè Orientem emanâſſet, quòd hi *Genethliaci* quibus ſolenne erat ſeipſos in nativitatibus, miríſq; mundi eventis exercere, inter aſtra aſpicienda, detegentes ut ipſis videbatur, ſtellam novam illiúſq; motum obſervantes, ducebantur hoc pacto ad ipſum locum in quo jacebat *Judæorum* Infans Rex, ubi & ipſum coluerunt non quidem ut filium Dei ſed tanquam unum aliquem quem putabant aliquando fore præpotentem hujus ſeculi principem. Ac proinde ut ipſum ad ſibi patriæq; ſuæ favendum devincirent, tam maturum ipſi honorem præſtiterunt.

3. Quanquam verò nihil ampliùs quàm quod dictum eſt, ii intendebant, tamen cùm tam celebre facinus eſſet, non potuit non promovere eorum fidem qui ad Evangelii profeſſionem vocandi erant. Quin & erat præterea præluſio quædam ac præfiguratio promptitudinis alacritatiſq; *Gentilium* præ *Judæis* ad recipiendum Chriſtum tanquam eorum *Principem* & *Redemptorem*; quemadmodum & prælibatio illius gloriæ quæ tandem Chriſto obventura erat propter magnam illam ſubmiſſionem ſuiipſius & nuſquam æquiparandam *Humiliationem.* Adeò ut nihil poſſit circumſtantias Hiſtoriæ illius *Nativitatis* incredibiles reddere, niſi *miniſterii Angelorum* mentio inibi facta. Quod tamen nemo cavillari poteſt niſi qui nullos prorſus credit eſſe Angelos neq; bonos neq; malos. Neq; quiſquam poteſt tam incredulus eſſe, niſi qui ineptas ſtupidi ſui Ingenii ſuggeſtiones perpetuis omnium ætatum omniúmq; Gentium teſtimoniis præferat. Quæ ſemper novas ſubinde habuerunt Inſtantias *Apparitionum* & *Confœderationum* cum *malis Geniis*, recentéſq; occaſiones irrogandi eas pœnas quas contra *Sagas Magóſq;* impios lege olim conſtituerant.

4. Tranſeundum mihi nunc eſſet ad ſecundum caput quod propoſui, niſi quòd abſtinere me non poſſim quin leviter ſaltem circumſtantias tangam Nativitatis famoſi illius Corrivalis noſtri Servatoris, *Apollonii* ſcilicet *Tyanei.* Cujus hiſtoria à *Philoſtrato* ſcripta, quanquam eam tanquam rem mixtam, partim utiq; veram partim falſam, conſidero, tamen, cujuſmodicunq; ſit, cùm deſignata eſſet pro ſummæ perfectionis exemplari, cúmq; *Pagani* eum hominem Chriſto noſtro æquarent, operæ pretium duxi quàm rancidè tota illius hiſtoria *Animalem vitam* redoleat, quámq; difficilis res ſit ſive in *actionibus* ſive *ſcriptis* imitari illud quod reverà *ſanctum* eſt atq; *divinum*, obiter oſtendere. In quem finem, brevem ego hiſtoriarum utriuſq; in præcipuis earum partibus inſtituam *Paralleliſmum*, ut & *Gravitas Divinitáſq;* unius & ridicula alterius *levitas* & *carnalitas* diſpici faciliùs poſſint & diſcerni.

5. Quemadmodum vel in primo hoc quod occurrit planum eſt & manifeſtum, quod & uno verbo abſolvi poteſt. In eo enim quòd *Philoſtratus* ſcribit quàm antiquâ ac illuſtri Proſapiâ quámq; opulentis parentibus oriundus eſſet *Apollonius*, eúmq; Originem duxiſſe à Civitatis *Tyanæ* fundatoribus ubi erat natus, an non hoc id ipſum eſt quod omni melle ſuavius eſt & jucundius *homini naturali*, taléq; quod nulla *Sancta* & *Divina* Anima in ullo habitura eſſet pretio? Huic affine eſt quòd mater ejus à famulis ſuis deducta in pratum quò per viſionem remiſſa erat, dum ſervulæ inibi ſurſum deorſum vagabantur faſciculos corolláſq; è floribus componentes (O rem elegantulam delicatam & pompaticam!) ipſáq; ludibunda jacebat in gramine, in levem tandem ſomnum labitur, Oloribus interim in orbem ſe circa eam collocantibus, móxq; ſaltantibus & alas complodentibus canentibúſq; tam arguto dulcíq; accentu ut tota vicinia jucundiſſimâ ipſorum melodiâ perſtreperet, quippe qui in-

ſpirati quodammodo gaudióq; abrepti videbantur proper molles afflatus ſuaviter frigefacientis Zephyri. Quæ dum fierent Heroina ſomno excitata continuò pulchrum enixa eſt puerum, qui ſecundùm Patris nomen appellabatur *Apollonius.*

6. Amœnitas hiſtoriæ quàm grata eſt carni & ſanguini quámq; conſentanea! Verùm quàm ridiculum eſt illud Tripudium cornicinúmq; Olorum canor, ſi cum cœleſti ſanctorum Angelorum melodia in nativitate Chriſti comparentur? Illud enim quamvis verum eſſet, non eſſet tamen niſi ludicrum quoddam Prodigium, lepidáq; præſignificatio, *Apollonium* hunc, hominem fore monadicum & ſingularem, nec uſitati moris & ingenii, inſervítq; ſolummodò famæ illius fovendæ latioríq; nominis celebrationi. Hæc verò gravis & ſeria indicatio eſt *Bonitatis Divinæ* Amoríſq; ſanctorum ejus Angelorum erga homines, prædictióq; illius *pacis* & *gratiæ* quæ ipſis adminiſtranda erat per *Jeſum Chriſtum* qui tunc erat natus. En, inquit primus ille Angelus, cujus glorioſa præſentia magno ſplendore perterritos paſtores circumfulſit; *En*, inquit ille, *ingentem ego vobis nuncio lætitiam toti populo futuram. Vobis hodie ſcilicet natum eſſe Servatorem qui eſt Chriſtus Dominus.* Continuóq; poſtea derepente extitit cum hoc Angelo cœleſtium copiarum multitudo Deum laudantium & dicentium, *Gloria in ſupremis Deo, & in terra pax: erga homines benevolentia.*

CAP. III.

1. *Quicquid per miraculum Servatori accidit vel ab ipſo factum eſt uſq; ad ejus* Paſſionem, *impoſſibile videri non poſſe illi qui* Deum *tenet* & Angelorum miniſterium. 2. *De* deſcenſu Spiritûs ſancti vocéq; de cœlo miſsâ *in illius* Baptiſmo. 3. *Cur Chriſtus omnimodis aſperitatibus & Tentationibus ſe expoſuerit.* 4. *Et particulatim cur tentatus eſſet à Diabolo, cum reſponſo ad objectionem de Diaboli audacia qui auſus ſit* Dei filium *tentare.* 5. *Quomodo dici poſſet omnia ipſi terræ Regna monſtrare.* 6. *Ipſius quadraginta Dierum* Jejunii *ratio*; 7. *Ut &* Transfigurationis *in monte. Tres primæ rationes.* 8. *Quid ſibi id voluerit quòd* Moſes & Elias *receſſerint Chriſtúſq; relictus ſit ſolus.* 9. *Ultima ratio illius* Transfigurationis, *Quòd utiq; erat in confirmationem illius* Reſurrectionis & Immortalitatis Animarum. 10. *Teſtimonia de cœlo circa Perſonæ Chriſti Eminentiam.*

1. DIctum eſt de *Nativitate Chriſti.* Progredimur nunc ad illius *Vitam*; in qua conſiderabimus ſolummodò ea quæ ante *Paſſionem* illius aut *extraordinariis* quibuſdam modis *ipſi* acciderunt, aut *ab ipſo* per miraculum ſunt patrata. Inter quæ nihil reperietur impoſſibile illis qui *exiſtentiam Dei* agnoſcunt, *& actuoſam Diabolorum malitiam miniſteriúmq;, Angelorum.* Cæterùm id quod inſinuare vellem maximè, eſt competentia illa ac congruitas rerum omnium ad tam *ſanctam divinámq;* Perſonam. Quod ut diſtinctiùs appareat monſtrabo ſemper poſtea differentiam inter verum hoc Perfectionis ſolidæ exemplar, Chriſtum utique, & falſum illud ſpecimen ementitæ ſanctitatis, in illo Impoſtore *Apollonio*, quem recentiores *Ethnici* tanto honore ſunt proſecuti.

2. Præcipua quæ Chriſto, viâ extraordinariâ, ante *Paſſionem* ejus obtigerunt, hæc tria ſunt. 1. *Deſcenſus Spiritûs ſancti ſuper eum in forma Columbæ quando baptizabatur*, & *emiſſio vocis de cœlo* dicentis, *Hic eſt meus chariſſimus filius qui mihi acceptus eſt.* 2. *Diaboli Tentatio in jejunio ejus*; &, 3. *Illius Transfiguratio* in monte.

Quantùm ad primum, ſatis gravis certè cauſa erat illius miraculi. Etenim cùm Deus apud ſeipſum inſtituiſſet dare aliqua *Divinæ vitæ* initia in mundo per filium ſuum *Jeſum Chriſtum*, cur non cohoneſtaret principia illius Miniſterii per inſigne aliquod miraculum, per quod homines excitari poſſent ad obſervandum eum agno-
Joban.1.32. ſcendúmq; ipſum eſſe *Meſſiam* à Deo miſſum. Prout *Johannes Baptiſta* profeſſus eſt ſe ea de re certum eſſe ex hac ipſa Indicatione. Cúmq; aliquam extraordinariam oporteret eſſe apparitionem, hâc columbinâ quæ poterat eſſe aptior? quippe noto *Manſuetudinis* & *Innocentiæ* Symbolo, inſeparabilium illorum ramulorum *Divinæ vitæ* atq; Spiritûs. Et ubi opportuniùs quàm cùm Jeſus tam inſigne ſpecimen dabat ſuæ *Manſuetudinis* atq; *Humilitatis*, ut pateretur ſe lavari tanquam ſi *pollutus* eſſet, cùm tamen *luce* purior eſſet & *nive*, & in *forma* inveniri *diſcipuli Johanni* cùm tamen poſſet & ipſum & mundum reliquum univerſum Myſteria Dei edocere? Quod notari

notari poteſt in æternam ignominiam quorundam nimiùm ſibi placentium *Enthuſiaſtarum*, qui opinantes ſe aliquid extraordinarii nactos eſſe intùs, laudabilia Eccleſiæ inſtituta contemnunt & aſpernantur. Quod *Superbiæ* eorum argumentum eſt infallibile, quemadmodum & hoc *Humilitatis* Servatoris. Cæterùm dum hic ſeipſum humiliabat, Deus interim eum è contrà æquè altè extulit, ſuperaddens huic muto ſpectaculo articulatam è cœlo vocem, ut eo certiores faceret adſtantes quòd hic ipſe *Meſſias* eſſet *verúſq; Dei filius.*

3. Quod *Diaboli* porrò *tentationem* ſpectat quâ Chriſtum tentavit, idem ferè ſignificat quod cæteræ vitæ ipſius aſperitates. Etenim cùm *Regnum Satanæ* per *Dei Regnum*, quæ Eccleſia eſt, diruendum eſſet patiendo, & devincendum, Chriſtus Servator ſeipſum ſiſtit exemplum tolerandarum omne genus Tentationum & afflictionum maximarúmq; difficultatum quæ occurrere poſſunt: In modum utiq; ſapientis fortíſq; Imperatoris, qui milites animat, ex profeſſa animi promptitudine & alacritate paria ubiq; ſuſtinendi cum eis, quibus imperat. Quod *Polyænus* refert ſtratagema fuiſſe *Iphicratis*, qui cùm opportunum fore videbat milites educere ad invadendum hoſtem perquam frigidâ ac pruinosâ nocte, eorúmq; obſervabat averſationem propter acerbitatem tempeſtatis, veſtitúſq; tenuitatem, confeſtim ſe tenuiùs veſtivit quàm ii qui veſtitu utebantur vel maximè tenui, nudíſq; pedibus à tentorio ad tentorium itabat ut ſeipſum ſic oſtenderet militibus; quod ità ſanè eos animabat, ut ſine mora ſe ad incœptum accingerent ſub ductu tam fortis & ſapientis Imperatoris.

4. Atq; ea propter Chriſtus ſimiliter ut animaret Sectatores ſuos, præivit ipſis in omne genus difficultatibus; non ſolùm in paupertate, in ignominia, in conſtanti rejectione omnium voluptatum, divitiarum & honorum hujus præſentis ſeculi, ut cui incumbebat fidem ſtabilire melioris; ſed & traditus etiam erat ut tentaretur à Diabolo, nè nos exanimaremur in ejuſmodi conflictibus, neſciremúſq; quomodo oporteret nos gerere quando ipſis illigamur. Etenim quòd tam ſecurè tranſveheretur in Aëre per manum Diaboli ad inſtar innocuæ alicujus Avis unguibus accipitris abreptæ, nec tamen interibi animo deficeret, quid illud eſſe poteſt niſi eminentiſſimus effectus ejus *Fidei* in Deo vivente quæ eſt ipſa *radix* origóq; intima *Divinæ vitæ?* Idem dici poteſt de *miraculoſo* ejus *jejunio.* Ipſe enim reſpondens Tentatori profeſſus eſt hominem non ſolùm ex pane vivere ſed per *fidem in illo verbo quod ſuſtentat omnia.* Illud etiam obſervatu dignum eſt quod *Grotius* notavit in locum; Triplicem ſcilicet hanc tentationem quâ Diabolus Chriſtum tentavit uſitatiſſimam eſſe maximéq; validam quâ genus humanum aggreditur: *Egeſtatem* putà, *confidentiam Prædeſtinationis* & *ſpem ſplendoris humani*, (præſertim apud eos qui è molliuſculis carnis illecebris & cupiditatibus ſe expediverint.) *Utilitas* verò tentationis Chriſti eſt, quòd accuratè antè per eam erudiamur quonam modo nos oporteat conflictare. Quamobrem Hiſtoria illius tentationis oppidò quàm decora eſt & rationi conſona! Nec ſanè quòd Diabolus Dei filium adoriretur, narratio eò minùs redditur credibilis. Nam veriſimillimum eſt eum nondum fuiſſe certum quòd talis erat, eo nempe ſenſu quo nos intelligimus eum eſſe Dei filium. Quæſtióq; eſt, utrùm omnes etiamnum Diaboli perſuaſi ſint talem eſſe, qualem nos meritò eum credimus. Cæterùm ex propria curioſitate, ut periculum faceret quis eſſet, æquè ac ex maligno propoſito pervertendi ſi poſſet, ad hunc modum in eremo eum aggreſſus eſſe videtur.

5. Omnium mundi Regnorum ipſi à prælto monte oſtenſio nonnihil videtur in ſe habere difficultatis. Etenim ſi præſtigioſa ſolummodò erat Regnorum terrenorum gloriæ repræſentatio, quid opus erat ejus tranſportatione in ſummitatem montis aut ſaltem montis tam enormiter alti? Quòd ſi realis eorum erat contuitus, vel altiſſimus in mundo mons non eò uſq; ampliabit noſtrum proſpectum ut vel unum mediocre Regnum ſub viſu noſtro claudat. Verùm ad hoc reſpondeo; Verſutum hunc præſtigiatorem commoditate uſum eſſe tam editi loci ut Repræſentationes ejus magìs ad vivum exhiberet, efficerétq; ut viderentur veriſimiliores. Nam cùm proſpectus tam magnus oculo videretur, terrámq; Planum quoddam rotundum rudis opinetur imaginatio, facilè ſperabat vetus hic circulator ſe Carpentarii filium tam amplo ſpectaculo deludere poſſe, ipſíq; perſuadere, id quod tam magnum erat, etiam totum eſſe, præſertim cùm ejus viſum ità perſtringeret ut totus Horizon plenus videretur pompoſis vanitatibus Poteſtatum Principatuúmq; Mundanorum.

6. Quod ad longum & ſolenne Chriſti jejuniũm attinet, receſſúmq; in ſolitudinem per quadraginta dies poſt ſignum cœlitùs datum quòd erat Meſſias Dei filius; hoc certè admodum decorum erat commodúmque, ut ſic acueretur populi deſiderium ad recipiendum eum poſt ejus reditum, & ad majorem conciliandam autori-

tatem doctrinæ quam eos erat docturus, & ad inculcandum deniq; ſucceſſoribus ſuis ex ſuo proprio exemplo, quàm conſentaneum ſit *Animalem vitam* inediâ expugnare, omnéſq; corporis voluptates penitùs ſubigere, antequam munus ſuſcipiant erudiendi alios in Divinis rebus, quæ ſpectant ad æternum animæ ſtatum. Cùm tamen nunc dierum quantò cujuſq; cutis effertior ſit, & à carne, ſanguine & ſpiritibus naturalibus diſtentior, quantóq; acriorem habeat mundanarum rerum appetitum, tantò impatientiùs expectet tempus aſcendendi in ſuggeſtum, ad exercendam vocem ac pulmones, & ad exhibendum ſe indè idoneum alicujus muneris Eccleſiaſtici Candidatum: quanquam Chriſtus è contrà hoc officium prædicandi regnum cœlorum non antè exercebat, quàm omnes opes, pompas ac voluptates terræ deſpexerat. Quemadmodùm verò Sapientia illius in ſubeundo ſolennem hanc *abſtinentiam* & *ſolitudinem* detegitur, ità & ejus *Humilitas* in non affectando ullam inibi innovationem, ſed in imitando exemplum *Moſis* & *Eliæ* qui in monte poſtea cum eo ſermones ſerebant in ejus *Transfiguratione*. Quod eſt tertium ultimúmq; *Accidens memorabile* quod Servatori obtigit ante ejus *Paſſionem*, & quod commemoratur non ad efferciendum Hiſtoriam ſed ut res ponderoſæ admodum rationis ac profundæ.

7. Servator ſibi aſſumit tres ex primoribus Apoſtolis, *Petrum*, *Jacobum* & *Johannem*, ut ſpectatores eſſent & teſtes earum rerum quas viſuri erant in monte quò eos deducebat, ubi transfigurabatur coram eis, *vultu ejus reſplendente ad inſtar Solis, & veſtimentis candeſcentibus ut Lux*; ubi & *Moſes* atq; *Elias* ſermones habebant cum ipſo de Morte ejus & glorioſa Reſurrectione. Quod quidem colloquium, primò, egregium erat *Corroborativum* vel *Cardiacum* quo animaretur Servator ad ingentes ſuos dolores conſtantiùs perferendos. Deinde, *Judæis* quibuſcunq; qui ad Chriſtianiſmum convertendi eſſent, magna ſanè erat ſatisfactio veritatíſq; evictio, ex eo quòd conſtaret *Moſem* & *Eliam*, hoc eſt, Legiſlatorem ipſorum & Prophetarum principem coadjutores fuiſſe Chriſto in nova hac Religione quam ille erat erecturus in terris. Et tertiò, Mandatum erat particulare (etiam tum cùm *Moſes* & *Elias* coràm erant) ut omnis nunc obedientia Chriſto præſtetur tanquam dilecto Dei filio, miſſos faciendo *Moſem* & *Eliam*, cùm in ipſo omnia ſint perfecta. *Extitit enim nubes quæ illos obumbravit & ex nube vox dicens, Hic eſt filius meus chariſſimus, hunc audite.*

Luc. 9. 34.

8. Et ipſa profectò viſio Repræſentatio erat illius quod erat eventurum. Etenim poſtea *Moſes* & *Elias* evanuerunt, Diſcipulíq; ejus, poſtquam expergefacti fuerunt à Chriſto & de humo ſurrexerunt, (ceciderant enim proni præ timore,) oculos tollentes neminem videbant præter ſolum *Jeſum*.

9. Quartò & ultimò, Admodum idoneum erat efficáxq; argumentum ad convincendos homines de *Animæ Immortalitate*, & ad ingenerandum ipſis magìs ſtabilem inconcuſſámq; fidem in Reſurrectione Chriſti è Sepulchro: Quam ob cauſam Chriſtus diſcipulis mandabat ut nemini narrarent viſionem, ſed ut cuſtodirent ipſam in uſum tempúſq; opportunum, hoc eſt, uſq; dum Chriſtus reſurrexerit è mortuis, ut tunc addi poſſet tanquam ulterior illius myſterii *Vitæ* ac *Immortalitatis* in corpore glorificato perfruendæ confirmatio, contra ſtupidam illam Atheorum hominum infidelitatem qui humanam Animam exiſtimant, niſi carne & ſanguine veſtitam agere non poſſe.

10. In primo ultimóq; horum memorabilium Accidentium quæ recenſuimus, illuſtriſſimum eſt è cœlo Teſtimonium de excellentia perſonæ Chriſti. Cui, ut nihil notabile omittatur, adjiciemus etiam illud quod occurrit Johan. 12. ubi Chriſto precante, *Pater glorifica nomen tuum*, vox è cœlo miſſa eſt dicens, *Et glorificavi & rurſus glorificabo ipſum.*

CAP.

CAP. IV.

1. *Quæ miraculosa Accidentia in* Apollonii *vita hisce Christi videantur similia. Superstitiosa ejus à carne & vino* Abstinentia *ex siti gloriæ prædicendi res futuras.* 2. Apollonius *Astrologiæ judiciariæ Magister, & de septem ejus annulis cum nominibus septem Planetarum inscriptis.* 3. *Miraculosa Testimonia* Apollonio *perhibita ab* Æsculapio *&* Trophonio *quàm infirma & obscura.* 4. *Magnum de eo* Brachmanum *Encomium. Ejúsq; præcellentia ab adblandienti Leone agnita. Horum omnium Testimoniorum vanitas ridicula.*

1. PErtransivimus jam res præcipuas quæ modo extraordinario Christo acciderunt ante ejus *Passionem.* Antequam progrediamur, promissi memores, strictim cursímq; ea attingemus quæ similia videri poterunt in vita *Apollonii* vel modo quovis parallela. Cùm *miraculoso jejunio* Christi quod ille in tam serios gravésq; fines sustinebat, ad quod & vi Spiritûs rapiebatur, nihil in celebrato illo Philosopho, modò id nominis meritus sit, conferendum video præter *Abstinentiam à carne atq; vino perpetuam ac voluntariam.* Cui quidem inutili superstitioni color profectò fucúsq; superinductus est admodum aspernabilis; inanis utiq; affectatio gloriæ è prædictione rerum futurarum, quæ certè facultas est quæ summoperè oblectat titillátq; *hominem naturalem*: Ipsiúsq; affectatio levitatem Spiritûs *Apollonii* apertè demonstrat ac superbiam; ut & eorum, qui ipsum in hac scientia erudierunt, *Indorum* nempe *Brachmanes.* Qui cùm interrogâssent *Damidem* nunquid peritiæ haberet in *Divinatione?* illéq; ingenuè respondêret omnia sua studia & cognitionem non ultrà pertingere quàm ad ea quæ ad communem vitam utilia sunt aut necessaria, falsè hominem deriserunt.

2. Cæterùm, *Philostratus* de *Apollonio* scribit tanquam de homine qui totum se *Divinationis* studio & *Astrologiæ Judiciariæ* addixerat. *Iarchámq;* Principem *Brachmanum* septem illi annulos dedisse cum nominibus septem Planetarum inscriptis, *Apolloniúmq;* libros quatuor ea de Arte scripsisse. Quæ quidem res demonstratio est crassæ ipsius in Natura ac Philosophia ignorantiæ, & pravi trivialísq; Ingenii character; quódq; nihil omnino reverà *Divinum* in eo reperiebatur, quanquam Pagani illum adoraverunt pro Deo. Etenim qui submittunt se ad istiusmodi artes, indicium est nullam ipsis solidam inesse scientiam, multóq; minùs principium aliquod *supernaturale* quod ipsis assistat, sed prædictiones ipsorum planè esse *Diabolicas*, aut ipsos saltem esse meros *Impostores* & *Circulatores*, nullúmq; prorsus auxilium extraordinarium sortitos.

3. Alterum addam duntaxat Paralleliſmum posteáq; progrediar. Est autem ille *Testimoniorum* de Eminentia Personarum utriusque, quorum par est inæqualitas & differentia atq; ipsarum Personarum. Quandoquidem Christo testimonium perhibuit audibilis de cœlo vox, Deo apud mundum asserente, quòd *hic illius esset filius charissimus*, postulantéq; ut ipsi debitam præstarent obedientiam. Cùm è contrà *Apollonii* eminentia à nemine commendabatur præterquam ab *Æsculapii* manibus & *Trophonii*, cujus & antrum intravit, cúmq; eo (uti hominem decebat *Necromanticum*) diu confabulatus est, ut & cum *Achille* ad ejus Sepulchrum, qui & negotium illi concredidit instaurandi annuos suos honores atq; ritus in *Thessalia.* Hæc verò ipsius commendatio à neutro erat immediata, sed per ipsorum Sacerdotes, qui moniti, unus per insomnium, alter per obscuram aliquam vocem in Templo (cujus nullus erat testis præter ipsum Sacerdotem) res magnas prædicabant de *Apollonio.*

4. Adjicere huc possimus & testimonium *Brachmanum* celebrium illorum *Magorum*, quibus cùm *Apollonius* tantopere applauderet, ipsi eum vicissim paribus extulerunt encomiis, dignúmq; eum in suis Comitiis statuerunt qui & vivus & post mortem pro Deo coleretur. Immò verò omnia in lancem conjiciamus nè quid defiat ponderi. Leo quidam cicur in *Ægypto* videbatur etiam illius divinitatem agnoscere, accedens ad eum in templo sedentem & ad illius pedes humiliter se prosternens. Qui, dum *Apollonius* populo narrabat ut hic erat antiquus ille *Ægyptiorum* Rex *Amasis* in corpus Leoninum ingressus, statim gemere incepit ac plorare, vicémq; suam deflere perquam acerbiter, ut qui hoc pacto in tam tristi casu opem petebat ab *Apollonio.* Quæ res cùm ipsi cordi esset, Leonem mittendum curavit *Leontopolin Ægypti* civitatem, ibíq; jussit custodiri in eum modum qui Regalem ejus animam maximè condeceret.

condeceret. Quàm obscura, confusa, & ridicula sunt omnia hæc testimonia de eminentia versuti illius Impostoris? Tam vile ac evanidum est consilium omne humanum contra gloriam principatúmq; Christi veri filii Dei.

CAP. V.

1. *Tria generalia Notanda in miraculis Christi.* 2. *Cur silentium eis sæpe imperaret, in quibus miracula sua operatus erat.* 3. *Cur Christus nunquam frustrà esset in tentando ullo miraculo.* 4. *Atheorum vanitas qui Imaginationis viribus omnia miracula imputant.* 5. *De cibis evanidis & deluforiis* Sagarum & Magorum.

1. PErvenimus jam ad ea quæ per miraculum à Jesu facta sunt in vita ejus, quorum pleraq; ad hæc quatuor capita referri possunt: Ad *famelicæ* scilicet *Multitudinis Saturationem*, *Sanationem Ægrotorum*, *Mortuorum Excitationem*, & *Ejectionem Dæmoniorum.* In quibus omnibus observare poteris,

Primò, Quæ in eo erat edendi miracula facultas, eum in objectis exercuisse cognitis & familiaribus & quæ frequenter apud homines occurrunt. Nam hujusmodi sunt *Fames*, *Ægrotatio*, *Mors*, & *à Dæmoniis Possessio*, sive *Fascinatio.* Quod tamen non eò dico quasi utraq; idem prorsus esse existimem, sed quòd multi hoc pacto à Dæmoniis corripiantur, & fortean omnium frequentissimé.

Secundò, Christum hanc facultatem nusquam exeruisse ex levitate aliqua vanáq; ostentatione, sed prout necessitates hominum dabant se opémq; flagitabant. Quandoquidem omnia illius miracula perpetuum erant exercitium *Amoris* ejus & *Misericordiæ* erga genus humanum.

Quibus etiam addere possumus in tertio loco, quod & universis in genere convenit, propositum utiq; Deum per ea glorificandi, & jaciendi fundamenta, gradúsq; populo faciendi, ad fidem in ipsum, ut eum agnoscerent verum esse *Messiam.*

2. Quam persuasionem ille nolebat nimiùm accelerare, nè *Passionem* suam præverteret; nec nimis è contrà Passionem suam deproperare, antequam debita illa opera præparatoria perfeciisset quæ ipsi erant perficienda. Quod aliquando eum retrahere videbatur à faciendis miraculis nimiùm in propatulo, veluti à mutando aquam in vinum inter nuptias. Et postquam saturâsset multitudinem, abscondit seipsum nè Regem eum facerent: Et sæpenumerò quando privatim per miraculum homines sanaverat, seriò ipsis interdixit nè cuiquam narrarent. Quod eò fecit ne nimis properè ac præmaturè homines in eum crederent, quemadmodum paulò antè innui, & ut custodiret seipsum à furore Pharisæorum usq; dum *Passionis* tempus jam appropinquaret. Intereà loci Miracula ejus & Doctrina in mentes hominum gradatim erant instillanda ad præparandum eos ad pleniorem fidem post *Resurrectionem* ejus à mortuis.

3. Prolixum nimis esset uniuscujusq; particularis miraculi historiam recensere multáve super eo disserere. Quod ad hunc modum in genere monuimus maximè considerandum est & notatu utilissimum. Neq; opus est ut quicquam addamus ad faciendam fidem apud eos qui tam fœdi non sunt *Infideles* ut nec *Deum* credant, nec ullum prorsus *Spiritum* existere. Quantùm ad alios illi facillimè intelligent Christum, cùm junctus sit cum *æterno verbo quod sanat omnia*, etiam absentes sermone suo sanare posse, aut Angelorum ministerio, quos oportebat eum semper comitari. Neq; mirum est Christum nunquam frustrà fuisse in ullo conatu vel præsagio, cùm tam vivo modo unitus esset cum æterna Dei Sapientia, cúmq; voluntatem unam, unúmq; cum eo spiritum haberet, nec interturbatus esset distractúsq; ullis excursionibus impetuosísve impressionibus *propriæ* voluntatis.

4. Leves ludicríq; *Athei* naturali vi Imaginationis omnia imputant, magnoperéq; sibi placent in abutendo illis locis Evangelii quæ Christum impeditum fuisse à faciendis miraculis per *Infidelitatem populi* videntur asserere: quemadmodum dicitur in Evangelio S. *Marci*, quòd *nulla magna miracula facere poterat propter ipsorum incredulitatem.* Verùm *Naturalis* ea non erat sed *Moralis* Impossibilitas. Animum illuc non potuit inducere cùm irritatus esset tam justâ indignatione contra propriam patriam quæ eum adeò habuit despectui. Cæterùm, dicite seriò, obsecro, O animæ perquam

Marc. 6 5.6.

perquam miserè cæcæ ac vecordes! Quomodo naturalis potest vis Imaginationis sanare absentes? Ut nihil dicam de præsentibus qui à morbis ægrotant ordinariis, quales sunt Lepra, Paralysis & Hydrops. Quis unquam istos curavit per meram Imaginationem? Quomodo igitur recuperabit Imaginatio Visum etiam eis qui nati sunt cæci? Quomodo excitabit mortuos in quibus nulla prorsus est Imaginatio? ut in filia *Jairi*, & *Lazaro* qui in Sepulchro per quatriduum jacuerat? Potéstne Imaginatio saturare quinq; hominum millia quinq; panibus & duobus piscibus? quatuórve millia præter fœminas & infantes septem panibus & paucis piscículis? etiam tum cum fame ferè enecti erant per recessum triduo continuo in desertum?

5. Quas quidem res tametsi reverà efficere non possunt, eas tamen aliquo modo imitantur *Sagæ Magique*, nempe in conviviis suis. Quorum cibi observantur tam parùm virium naturæ sufficere, ut relinquant sæpenumerò eos qui de ipsis participant æquè debiles & languidos atq; si nihil prorsus comedissent (quemadmodum *Bodinus* refert de Magicis hospitiis Nobilis illius, *Aspremontensis*, cujus hospites simul atq; pauxillum spacium à domo ejus equitâssent, parùm abfuit quin deficerent humíq; caderent homo simul atq; eques præ fame) essĕq; præterea tam fugitivæ consistentiæ, ut plerunq; inter mensam auferendam evanescant. Cum è contrà in utrisq; illis Servatoris miraculis reliquiarum fragmentorum canistra multa reservarentur.

CAP. VI.

1. *De* Ejectione Dæmoniorum *per Christum.* 2. *Cur plures essent solito* Dæmoniaci *temporibus Servatoris*; *Prima Ratio, Quòd minus tunc esset diligentiæ ac peritiæ in curandis* Furiosis *ac* Lunaticis. 3. *Secunda, Quòd major esse posset Diaboli potestas ante adventum Christi quàm postea.* 4. *Non solùm* Excommunicationem *sed* Apostasiam à Christo *subjicere posse hominem Tyrannidi Satanæ, quemadmodum usu venisse videtur in multis audentiorum* Sectarum *hujus seculi.* 5. *Diversorum symptomatum Dæmoniacorum apud ipsos, Enumeratio.* 6. *Ejus generis plura.* 7. *Profana Mimicáq; maximè Solennium Accidentium in Historia Christi per ipsos Imitatio.* 8. *Ulterior solutio præsentis difficultatis è Rationibus præmissis.* 9. *Tertium quartúmq; Responsum, à curationis fama confluxúq; Dæmoniacorum in unam Regionem.* 10. *Quintum, ab ambiguitate vocis* δαιμονιζόμενοι. 11. *Sextum & ultimum, Quòd nihil absurdi sit concedere majorem numerum propriè dictorum Dæmoniacorum fuisse temporibus Christi quàm aliàs, propter finem utilem eorum, tunc temporis, copiæ.*

1. QUantùm ad Servatoris expugnationem *ejectionémq; Dæmoniorum* ex hominibus; quemadmodum quidem mortuorum excitatio pignus erat & præfiguratio illius potestatis quam sibi datam esse professus est, coronandi utiq; eos qui credunt in ipsum vitâ ac immortalitate in novissimo Die; ità & hoc admodum proprium erat præludium ad cladem illam internecinam quam Satanæ regno ab eo dari oportebat, utpote cui incumbebat, istum ex locis omnibus tandem exterminare. Nihil hîc durum videri potest iis qui credunt esse *Spiritus* (& certè nulli nisi stolidi homines ac profani corporeísq; voluptatibus nimiùm dediti hujusmodi rebus omnem demunt fidem) nihil, inquam, durum difficiléve videri potest in hoc genere miraculi, nisi *personarum multitudo* tunc temporis Dæmoniis correptarum, vel *multitudo Dæmoniorum* in una persona correpta cujus nomen erat *Legio.*

2. Quod verò ad primum spectat, multa super ea re produci possunt responsa, quorum tamen nullum cariturum sit suo usu ac pondere. Incipiemus autem ab eis quæ minoris videantur momenti. Ubi non omittemus notare, illam Dæmoniacorum *copiam* in temporibus Christi, præ quàm in sequentibus seculis observata est, ex differentia inter illam peritiam ac diligentiam quæ tunc temporis adhibebatur circa *furiosos* homines ac *Lunaticos* in *Judæa* & adjacentibus Gentium Regionibus (unde pars eorum non parva veniebat) & eam quæ nunc dierum in usu est, proficisci potuisse. In quæstione est, inquam, utrùm illis locis & temporibus tam bellè perspectum esset hominibus *Maniacis* in cohibendo eos domi & intemperiem eorum moderando ad quàm maximam poterat mitigationem. Quanto enim ea fortior est, tanto efficacius est malis spiritibus ad corpus hominis ingrediendum invitamentum. Etenim dum sui compos esse desinit, eò faciliùs alter aliquis illius

illius sit Dominus. Quemadmodum ille qui per potûs vim ac tyrannidem suus non est, multos inventurus est Dominos circa seipsum occupatissimos, omnes scilicet pueros in oppido gregatim eum sectantes illiúsq; intemperiem augentes & irritantes ludicris suis injuriis, Simiarum petulantiam excedentibus. Sed in hac re non est immorandum.

3. Secundò, non adeò mira res est ut major esset copia *Dæmoniacorum* Christi temporibus quàm nunc est, propterea quòd post receptam Christianitatem potestas Diaboli magna ex parte sit suppressa. Manifestum est enim, ubi Paganismus dominatur, Personas hominum magis subjectas esse crudelitatibus Diaboli. Quemadmodum apparet ex eis quæ in Historiarum monumentis occurrunt de Incolis multarum Regionum: veluti in *Madagascar*, ubi Diabolus Incolas in ipsis corporibus affligit. In *Florida* terrefacit eos horrendis apparitionibus carnémq; ipsis abscindit in suis accessibus. *Guianæ* Incolæ ad livorem usq; atq; vibices ab ipso cæduntur. Et *Brasilienses* tam miseris modis ab eo excruciantur, ut parùm absit quin præ metu statim emoriantur quoties de ipso cogitent. Quòd *Judæi* Apostatæ eo ipso illius potestati subjecti fierent, ipsorum *Rabbinorum* erat opinio. Et Christiani Primævi Satanæ traditi cum magno suo malo senserunt illius flagelli severitatem. Quæ omnia pro sufficienti argumento esse possunt, Christianitatis professionem cultúmq; veri Dei, juxta eam Rationem quam ipse instituerit, esse & personarum nostrarum munimentum, ac protectionem contra crassas corporeásve Diaboli incursiones & aggressuras.

4. Addíq; porrò potest, Non solùm eos qui justè *excommunicantur per Ecclesiam*, illius obnoxios esse Tyrannidi, sed & illos etiam qui *suâ sponte Ecclesiam deserunt*, Dominúmq; Redemptorem suum abnegant per sacræ Historiæ Evangelii Abnegationem, Personaliúmq; officiorum Christi; etiam *illius* qui crucifixus est *Hierosolymis* inter duos latrones. Quemadmodum manifestò apparet in quibusdam perditarum & vertiginosarum Sectarum hujus seculi, inter quas, ausim dicere, majorem numerum propriè dictorum *Dæmoniacorum* inveniri posse quàm aut Christus aut Apostoli ejus dicuntur curavisse.

5. Cuinam enim rei obsecro, majori cum ratione, quàm horum fallacium Dæmonum Incolatui, attribui possunt enormes illæ *extases* in quibus reperiuntur? In terram lapsus pro mortuis? Altæ corporum intumescentiæ oríq; rabidi spumæ? Morum neglectus ac sordes? atq; ab omni honesto ordine & humanitate aversatio? Mimici deniq; gestus ridiculæq; corporum posituræ? Dum unus in foro publico cum naso incedit in altum erecto, passíq; brachiis & horribili voce ac fremitu fanaticas aliquas Comminationes enuncians. Alius verò hunc prope à pedibus insequitur passu molli & submisso cum capite deorsum pendulo paulúmq; porrecto tanquam si nares illius stillarent sanguinem, manibúsq; umbilicum comprimentibus quasi torminibus afficeretur. Alii verò ad instar brutorum Animalium quadrupedant, volutantes etiam sese subinde ac resupinantes porcorum more & canum. Alii expectatâ potestate, cui vacabant, correpti in summis pedum digitis citatissimo cursu propelluntur, galeris interim in capite inversis nec tamen decidentibus, brachiísq; directò sursum extensis Indicibúsq; in Zenith collineantibus, atq; hoc in tam longum temporis spacium ut nemini vulgari homini eos liceret imitari, utpote ab aliquo Dæmone sic agitatos.

6. Hisce adde spectrorum turbas, diros horridósq; ejulatus ac clamores, vesanas extaticásq; Cantiones dementésq; Choreas, nudorum discursitationes per oppidum in templa ædésq; privatas, violentas ac irresistibiles concussiones & tremores quibus Natura magnoperè debilitaretur, ipsáq; corpora dolores indè sentirent: Hócq; omne præterea factum esse à *Potestate* vel *Spiritu* quem ipsi professi sint à seipsis esse distinctum, quíq; voce distinctâ & audibili intra ipsos loqueretur, ipsorúmq; brachiis manibúsq; uteretur ad cædendum eorum caput corpúsque. Qui oppidò quàm absurda imperaret, multos quidem macerans, nonnullos etiam enecans inediâ, in omnes verò omni in re tyrannidem exercens æqualem ferè illi quam Diabolus exercet in miseros *Indos*.

7. Quòd serperent, quòd incurvato incederent corpore, quòd pulverem lamberent, quòd comederent papiliones nihilóq; vescerentur præterquam Analectis Ossibúsq; qualia canibus prodigimus, & caulibus ac foliis Brassicarum abjectitiis, quas Forariæ fortè in humum projecissent sparsisséntve; hæc sunt minora servitia imperioso illi Dæmoni ab ipsis præstita. Cæterùm novus hic hospes, dum legitimæ Naturæ voci eò usq; contradicit ut non patiatur hominem viginti quatuor horarum quietem per viginti quinq; dierum spacium sibi indulgere; dum eum ad ductum & auspicia damnat

damnat muscæ cujuslibet stupidæ quæ ipsi venerit in conspectum, adjudicátq; ad crus tenendum tamdiu támq; prope ignem (muscâ interim rem omnem moderante) ut à genu usq; ad pedem tam miseris modis ambustum esset, ut post quadrantis anni spacium vix posset sanari; hæc profectò severiora sunt magísq; rigida hujus Infernalis *Ergodioctæ* imperia. Huc accedit, quòd interna hæc vox & aliquando externa audibiliter subinde aliqua pronunciaret Scripturæ loca in ridiculum illius abusum & Prophanationem; neq; id solùm sed & miserum cogeret mancipium quem captivâsset notabiliora quædam Accidentia in Historia Christi, in personæ illius derisionem & contemptum, imitari. Cujusmodi sunt Mors illius, Triumphúsq; Hierosolymis. Quorum priorem *Jacobus Milnerus* imitabatur, & *Johannes Tolderveius*; posteriorem *Jacobus Naylor*, cujus equus à duabus fœminis modo triumphali ducebatur, laboriosè per lutum ambulantibus dum intrabat *Bristoliam*, Fanaticis suis comitibus ipsi interim cantantibus & repetitò acclamantibus, *Sancte*, *Sancte*, *Sancte*, & *Hosanna*. Sternebant etiam alicubi viam vestimentis. Tam vesanos ludos delusæ hæ Animæ facere cogebantur in oblectationem *Aëreorum illorum Lemurum* qui agitabant eos & actuabant.

8. Equidem expatiari possim in hac materia; verùm brevis hæc subindicatio sufficerit ad quemlibet eò perducendum (modò ullam credat fascinationem esse malorúmq; Dæmonum in hominibus incolatum) ut de facili non diffidat quin præsentis hujus seculi intemperies ejusmodi fuerit (& etiamnum est fortassè) ut si persona esset aliqua venerabilis qui verbo suo liberare homines posset ab hac potestate quâ tam multi ex ipsis adeò insanis modis agitantur, reperiretur planè uberior seges *Dæmoniacorum* in hisce temporibus quàm in temporibus Servatoris, multíq; alii præter *Johannem Gilpinum Johannémq;* *Tolderveium* agnoscerent se fuisse malo Dæmone correptos. Cæterùm hanc saltem ex hac nostra digressione lucrati sumus, nec inscitam observationem, quæ succedanea potest esse illi ad quam maximè collineavimus; Quòd utiq; si unum seculum sit tam longè præ aliis *Fanaticum*, valde verisimile sit, quòd & aliud posset esse æquè longè præ aliis *Dæmoniacum*.

9. Tertiò, Istiusmodi *Furiosi* & *Epileptici* homines quemadmodum & *Dæmoniaci* non tam multùm essent in sermone hominum nisi per miraculum curati essent, quod cùm non accidat in aliis seculis, indè fit ut nec tanto cum affectu támq; expressâ observatione notentur vel commemorentur. Quartò, Servatore à loco ad locum itinerante famáq; ante motus suæ personæ longè latéq; prævolante, in proclivi erat, aut ut ipse obviàm iret, aut ut ad ipsum ducerentur è regionibus Gentium circumcirca longè plures hoc genus homines, quàm aliàs ullo in tempore observari quovis modo potuissent, quamvis par eorum numerus esset in aliis mundi partibus & Ætatibus.

10. Quintò, Illi δαιμονιζόμενοι ità in Scripturis appellati, nihil necesse est ut sic appellari intelligantur sensu strictissimo, quandoquidem *Furiosi*, *Lunatici*, *Epileptici*, omnésq; omnino homines extraordinariâ aliquâ melancholicâ intemperie laborantes censebantur à *Judæis* & vocabantur *Dæmoniaci*, *populo* æquè prono existente ad ascribendum *Naturales* morbos *Diabolo*, quàm *Medici* sunt ad ascribendum intemperies vexationésq; *Diabolicas Naturæ*. Cæterùm Christus morbos *suo verbo* curabat (ἐπιτίμησε τῷ πυρετῷ) permittens populo eos, quibus ipsis visum sit, nominibus appellare. Quemadmodum ille qui medicamentum *Catholicum* nactus est, non admodum laborat vel de nomine vel de natura morbi. Sed extra controversiam est, fuisse tunc temporis *Dæmoniacorum* satis magnum numerum propriè dictorum. Luc. 4. 39.

11. Sextò & ultimò, Supponamus omnes fuisse *Dæmoniacos* propriè dictos, quódq; major eorum numerus esset temporibus Christi & illis terræ partibus quàm unquam aliàs extitit ullo in tempore, quid illinc incommodi est, Providentiâ res sic dispensante in tam bonum Propositum? quemadmodum & ipse Christus innuit in illius causa qui natus est cæcus, ubi profitetur nec ipsum nec ipsius parentes in culpa fuisse quòd natus esset cæcus, sed voluntatem Dei ità statuisse, ut daretur occasio Christo eò illustrius edendi miraculum. Nec deerat tunc quicquam præter divinam permissionem ad faciendos tot *Dæmoniacos*, quemadmodum nihil ampliùs requirebatur quàm permissio Christi ut *Dæmones Gadareni* porcos invaderent præcipitésq; prorurent in medium mare. Et certè captiosos admodum esse oportet qui tam liberum imperium Deo omnipotenti non permittant, ut asperitates aliquas paucis aliquibus creaturarum suarum imponat in commune bonum reliquarum, præsertim cùm hæ ipsæ creaturæ infinitò pejora de ipso meruerint quàm quæ ille ipsis infligat, & compensentur præterea peculiari aliquo commodo propter ea quæ perpessi sint. Ex his responsis unum aliquod aut saltem multa simul sumpta plus satis sunt ad diluendam hanc primam difficultatem.

CAP. VII.

1. *Hiſtoriam* Dæmoniaci *cui nomen* Legio *nihil habere in ſe incongrui.* 2. *Quòd hi Agmen erant* Regni tenebroſi, *qui Regionem* Gadarenorum *frequentabant, quódq; ſive principem eorum ſolum ſive multos ex agmine hominem poſſediſſe ſupponamus, nihil inibi ſit abſurdi.* 3. *Quî factum ſit ut tam multi Dæmones circa unum miſellum hominem ſe congregarent.* 4. *Ratio cur Chriſtus* Dæmoniaci *nomen rogaret, uſúſq; inſignis mandatæ literis hiſtoriæ.* 5. *Numeroſitas Dæmonum detecta ex ſua porcorum invaſione.* 6. *Aliæ rationes cur Chriſtus ipſis permitteret intrare in greges* Gadarenorum. 7. *Chriſtum contra legem nec miſericordiæ nec juſtitiæ peccaviſſe in hac permiſſione.*

1. SEcunda difficultas de furioſo illo *Dæmoniaco*, qui tam multos in ſe habebat *Dæmonas* ut *Legionis* nomine ſe inſigniendum par eſſe putaret, utpote qui poſſidebatur ab impurorum ſpirituum multitudine; quanquam primo quidem aſpectu rei cujuſdam enormis & incredibilis faciem gerere videtur, invenietur tamen, ſi penitiùs examinetur, admodum ſanè vera gravíſq; Hiſtoria, cùm omnia inibi naturæ rerum conſona deprehendantur, *divinámq;* Servatoris *perſonam* condecentia: Cujus erat Diabolum debellare ejúſq; regnum demoliri, quemadmodum & ab illo aliquatenus jam factum hodie conſpicimus. Ut ſit hujuſmodi Dæmonum exercitus in uno loco alienum videri non debet illi qui animum inducere poteſt ut viſo credat & ſermoni juvenis illius cujus oculi aperiebantur ad preces *Eliſhæ*, unde montem ſtatim vidit equis curribúſq; igneis plenum, Prophetam undiq; circumvallantibus. Neq; reverà quicquam eſt incommodi ut multitudo *Dæmonum* ſive *Spirituum* ſit intra unius hominis corporis ambitum. Quanquam fieri poteſt ut adeò multi è Legione ipſum non intrarent, ſed præcipuè actuaretur ab eorum principe, cùm & hic à Chriſto ſingulari numero increparetur, illéq; pariter reſponderet tanquam unus vice multorum. Quod æquè aptè intelligi poteſt de iis qui prope eum erant ipſúmq; inſequebantur, malignámq; aliquam influentiam, ut fieri poteſt, per modum *obſeſſionis* in Dæmoniacum immittebant, quàm de iis ſolis qui in ipſum intraverant eúmq; propriè poſſederant.

2. Videtur enim ex ipſorum petitione ad Chriſtum, quòd agmen erant *Regni tenebrarum*, quibus in uſu erat oberrare & pervagari per *Gadarenorum* Regionem, è qua minimè ipſis adlubeſcebat emigrare, cùm illæ partes *Infernalibus Poteſtatibus* magìs eſſent obnoxiæ, ut quæ Judæis Apoſtatis abundabant, qui cùm *ſancto fœdere* excidiſſent ſubjecti eo ipſo facti ſunt *Tyrannidi Diaboli.* Quamobrem nihil neceſſe eſt ut concedamus integram Legionem Dæmonum in hoc *Dæmoniaco* fuiſſe, ſed multitudinem tantummodò competentem vel unum aliquem principem è Legione. Quanquam abſq; omni vi ipſorum naturis factâ multi eorum hoſpitari poſſunt in unius hominis corpore. Quandoquidem hi ſpiritus contrahere ſe queunt ex uſitata ſua extenſione in ambitum longè anguſtiorem, & fortean in integrum ſe ſubducere è propriis vehiculis, ut alieno corpore utantur. Atq; hoc pacto quamplurimi poſſunt uniri cum humano ſanguine & ſpiritibus.

3. Neq; id ſanè durum videri debet quòd tam ingens numerus occupatus eſſet circa unum miſellum homuncionem; Etenim militaris illa vox *Legio* nobis admodum aptam facilémq; ſuggerit hujus quæſtionis ſolutionem. Quòd ſcilicet hoc non accidit *primariò*, ſed ex *conſequenti*, cùm hujus tenebroſi agminis dux tam crebrò hunc hominem ex conſuetudine frequentaret. Ac proinde hujus numeroſæ turbæ *obſeſſio* facta tantùm eſt *per accidens*, tanquam ſi Imperator aliquis moram faceret ſui oblectandi causâ in cæco aliquo & ſolitario in agris tugurio, minimè mirum eſſet videre domum militum multitudine circumſeſſam, utpote qui Imperatorem potiùs expectant, quàm voluptatem ullam aut commodum ſibiipſis ibi commorando quærunt, cùm nulla ſit tam numeroſæ multitudini proportionata præda. Locus tamen ab ipſis non poteſt non graviter infeſtari & inquietari. Non abſimiliter ſe res habuit apud miſerum hunc *Dæmoniacum*: Fieri non potuit quin penè ſuffocaretur turbâ ac tumultu hujus *Infernalis Legionis.*

4. Neq; dubitandum eſt quin Chriſtus noverit quàm fortis ac numeroſus eſſet hic *Dæmonum* exercitus, ac proinde, ut major ipſi gloria, eiq; qui eum miſerat, indè redundaret, numeroſitatem ſuam eos cogit profiteri, rogando *Dæmoniaci* nomen.

Erátq;

Erátq; magìs conſentaneum ut poteſtas Chriſti demonſtraretur ipſiúſq; perſonæ divinitas, integrum fugando Dæmonum exercitum qui ad unum Dæmoniacum ſpectaret, quàm ut tot eſſent *Dæmoniaci*, quot hìc recenſentur *Dæmones*, in quos poteſtatem ſuam oſtenderet. Victoria enim nihilo indè minor eſt (cùm nec Dæmones quicquam infirmiores ſint quando humanâ carne armati non comparent) multúmq; incommodi quod humano generi illinc accidere potuiſſet, evitabatur. Ut nihil dicam de clamore & tumultu qui indè in mundo orituri eſſent, quæ Chriſtus ſemper datâ operâ declinabat. Cæterùm ut hæc hiſtoria literis mandaretur æquè ac res ipſæ patrarentur, par erat ut Eccleſia eò fortiorem haberet fidem in Dei filium qui etiam tunc cùm in carne erat tam inſignes victorias contra *tenebrarum Regnum* reportabat, in fugam vertendo multa Dæmoniorum millia ſimul.

5. Cujus veritatem admodum dextrè confirmabat Chriſtus permiſſu earum rerum quas impuri Spiritus tantopere deſiderabant, nempe ut introirent in gregem Porcorum, qui, ut monet Scriptura, ad duo erant circitèr millia. Quod non obſcurum eſt numeroſitatis Dæmoniorum argumentum apud ipſos qui non amant cavillationibus indulgere, cùm impuri hi Spiritus, quemadmodum *Triſmegiſtus* & *Pſellus* obſervant, magnopere ſibi placeant in madore Sanguinis Brutorum æquè atq; Hominum, ac proinde in ipſorum etiam hoſpitentur venis & arteriis. Cúmq; malitia ipſis æquè jucunda ſit atq; impletio alterius illius fœdi appetitûs, minimè mirum eſt quòd unuſquiſq; hujus *tenebroſi agminis* miles promptiſſimè ſe accingeret ad arripiendam ſibi prædam, atq; ità dividentes inter ſe ſpolia, turpi malignóq; ſuo animo ſinguli ſatisfacerent, intrando porcos eóſq; præcipites proruendo in medium Mare. Quod tamen illi nunquam efficere potuiſſent niſi id ipſis Chriſtus permiſiſſet. Nec certè malè hic ſuas apud ſe rationes inſtituit in concedendo permittendóq; ipſis facultatem exequendi propoſitum. Quanquam enim illi id cupiebant in malum finem, ut ſic utiq; inflammare poſſent *Gadarenorum* animos contra ipſum; ille tamen planè circumveniebat eos honeſto aſtu & conſilio, cùm è re ſua prævideret illud futurum eſſe facinus, magìs quàm eorum.

6. Hoc enim pacto turpitudo malignáq; *Dæmoniorum* virulentia planiùs demonſtrata eſt. Unde & Chriſti miſericordia erga *Dæmoniacum* pleniùs eſt illuſtrata, & ex Porcorum jactura *Gadarenorum* etiam indoles detecta, Abſtinentia *Moſaica* contra *Judæos* illius Regionis, *Apoſtatas*, tempeſtivè ſuffulta, porcina hominum natura ænigmaticè perſtricta, *Divina Chriſti poteſtas*, prout dixi, qui ſolus cum tam numeroſis *Infernalium Spirituum* cohortibus congredi poteſt, mundo manifeſtata, oráq; hujuſmodi levium frivolorúmq; *Allegoriſtarum* obturata, qui Dæmonia quæ Chriſtus ejeciſſe dicitur non *reales ſubſtantialeſve Spiritus* faciant, ſed *pravos* tantummodò *affectus*, quemadmodum obſervavit etiam *Calvinus* in ipſum locum. Quamobrem nihil omnino levitatis, Injuriæ, aut Incredibilitatis eſt per univerſam hanc Hiſtoriam, ſed omnes illius circumſtantiæ ſobriæ ſunt, juſtæ, ac utiles.

7. Etenim non tenebatur Chriſtus porcorum jacturæ præcavere cùm ipſorum interitus in tam publicum bonum deſtinaretur, tantíq; momenti, ut certiores nos faceret de immenſa illius poteſtate qui olim ſeſſurus eſt Judex conſummatámq; capturus vindictam de omnibus *Infernalibus Poteſtatibus* ſimul; Utq; intelligamus quòd, tametſi ille tantâ abundet miſericordiâ erga genus humanum, ut vitam ſuam pro mundo deponeret, ut per fidem in ſeipſum eos ſervare poſſit ab æterna pernicie; nulla tamen effœminata animi mollities, ulláve intempeſtiva brutorum Animantium commiſeratio illius manus cohibitura ſit à ſumendo ſupplicium de infidis & obduratis hominibus. Sed quemadmodum hic Dæmonia & Porci immerſi ſunt in fundum Maris, ità & *flammarum Diluvium* infundendum ſit in terras in extremo Judicio, quo terreſtria Animalia omnia ſimul cum Diabolis & damnatis Animabus igni urantur inextinguibili.

CAP. VIII.

1. *Aquæ in vinum Conversio à Christo facta.* 2. *Præda piscium miraculosa.* 3. *Nummulariorum è Templo efflagellatio.* 4. *Ambulatio ejus super mare, ventorúmq; increpatio.* 5. *Ficûs maledictio.* 6. *Sensus illius miraculi.* 7. *Rationes cur mentem suam tam Ænigmaticè expresserit.* 8. *Quòd tum Prophetæ tum ipse Christus (ut in Ceremoniis quibus Christus usus est in sanando cæcum à nativitate) διὰ τύπων loquebantur, id est, per* actiones Typicas. 9. *Quæ figurarentur in ceremoniis quibus Christus usus est in sanando cæcum, ut in luto attemperando cum sputo.* 10. *Ulterior pleniórq; interpretatio totius illius operis.* 11. *Breves quædam strictura super vaticiniis Christi.*

1. PRæter illa miracula quæ referri possunt ad quatuor illa genera quæ notavimus, sunt etiam singularia quædam exempla & naturæ inter se differentis. Cujusmodi sunt, *Aquæ conversio in vinum, Præda piscium miraculosa, Nundinatorum è templo ejectio, Ambulatio super mare, & Ventorum increpatio.* Quibus omnibus hoc commune est cum reliquis, Quòd ex nulla vanitate aut ostentatione ederentur, sed ex Amoris principio charissimíq; affectûs, cùm semper invitaretur præsenti aliquâ necessitate ad suam ostendendam miracula edendi facultatem. Quemadmodum in aquæ conversione in vinum in nuptiis *Canæ Galilææ* celebratis, quam ille præstitit, tum matris instinctu & solicitatione (quanquam reluctanti animo propter invidiam Phariſæorum qui mortem ejus machinabantur) tum ex sensu humanitatis, cùm tantopere de vino laborarent (majori, ut fieri poterat, multitudine Jesu gratiâ ad Nuptiale convivium confluente quàm expectabatur) immò ausim dicere ex perquam amabili mirabilíq; Spiritûs tenore, & qui personæ ipsius *divinitatem* condeceret. Quid enim Divinius esse potest affinéve magìs Deo, quàm cùm ipse voluptatum hujus vitæ vinculis prorsus liberatus esset, nuptialísq; tori inexpertus, ut sepositò tamen omni fastu & supercilio, alienarúmq; infirmitatum exprobratione, necessarium matrimonii usum foveret & suffulciret, legitimis eorum desideriis, qui ab hisce rebus se expedire non possunt, in consuetis naturalibúsq; corporis oblectamentis perhumaniter gratificans?

2. Miraculosa Piscium præda quam cepit *Simon* postquam rete laxaverat ad jussum Servatoris, partim *compensatio* erat longi eorum laboris qui totam noctem laborantes nihil ceperant, partim felicissimi illius successûs, quem habiturus erat *Petrus* postquam factus sit piscator hominum, *præfiguratio.*

3. Miraculum illud *efflagellationis Nummulariorum* è Templo (ità enim *Grotius* illud vult æstimari, quandoquidem id Christus præstitit, quemadmodum ille scribit, *nullâ vi externâ, solâ divinâ virtute venerabilis*) quanquam primâ facie videri potest illaudabilis passionis plenum ac furoris, provocatio tamen admodum justa erat, & *principium* unde hic zeli æstus effluxit omnium optimum; Charus scilicet affectus erga despectos *Gentiles* (quorum atrium sive locum divini cultûs Judæi per insignem contemptum prophanabant) & justa adversùs *Judæos* indignatio, qui ex stolida quadam superbia & opinione, quòd semen erant *Abrahæ*, quamvìs reverà Diaboli filios se præstiterint, miseros *Gentiles* aspernabantur & contemnebant, pro quibus tamen Christus *mortuus* est: Erátq; sanè facinus Amoris plenum Heroicíq; affectûs, eorum jura sic tutari dum *vivebat*, ac defendere.

4. Inambulatio ejus super mare eâ re facta est ut ad discipulos veniret, qui laborabant & remigabant contra ventum fluctúsque, cùm verisimillimum sit eum nullam habuisse opportunitatem Cymbæ, quo ad discipulos veheretur. Et postremò quantùm ad ejus ventorum maríq; in ingenti tempestate increpationem, manifestum est quòd necessitas ipsi extorsit hoc miraculum, quippe quòd navigium fluctibus cooperiebatur, propéq; aberat ut discipuli, prout ipsi censebant, mari immergerentur, quod fecit ut è somno eum excitarent & clamarent, *Serva nos Domine, perimus.* Tam nativæ, tam appositæ, ac decoræ sunt omnes Christi actiones & miracula!

5. Unica jam restat Instantia, eáq; ferè, si fas sit ità loqui, *Monadica*, Exemplum cui nihil est consimile per universam Evangelii Historiam. Est autem Ficui Imprecatio. Cujus rei sensus multos sanè exercuit habuítq; perplexos, quemadmodum & ipsa narratio scandalum posuit nonnullis; tanquam si hæc actio non solùm

levitatem

levitatem aliquam præ se gereret sed & ridiculam quandam ferocitatem, cum aliqua etiam specie Injustitiæ, si modo Injustitia adversùs arborem fieri potest. Ecqua enim erat ratio cur malediceretur arbor ob id quòd fructus non ferret, etiam tum cùm anni tempestas ferendo fructui non erat idonea? Equidem hoc videtur admodum enorme ac præposterum. Verùm si res rectè intelligatur, nihil profectò magis grave est magísq; sobrium, & quod plus in se habet ponderis ac Mysterii.

6. Quod ad me attinet, nullus dubito quin genuinus hujus rei sensus hic sit; (& ad vivum sanè id quod significat repræsentat) Acceptissimum utiq; exoptatissimúmq; fructum æternæ Justitiæ non inveniendum esse in *Judaica Oeconomia*: Immò, addam ulteriùs, illam arborem nunquam destinatam fuisse ad hujusmodi fructus ferendos, sed ficulnea tantummodò folia externæ & *Ceremonialis* Justitiæ, & superficiariæ cujusdam *legalisq; Moralitatis*. Perfectiores verò fructus *Spiritûs regenerationis* non erant inibi inveniendi; quanquam Christus in mundum venit ut exprobraret ipsis hujus rei defectum, itáq; finem imponeret Religioni *Judæorum*, ità ut marcesceret prorsus & ad nihilum recideret, quemadmodum & hodie factum deprehendimus. Quæ consideratio inter alias, quæ in sacris paginis occurrunt, manifestiùs confirmat quod in eventu verum esse invenimus, nimirum juxta æternum Dei consilium Christum præcipuè Gentibus decretum fuisse, fractâq; *Judaismi* testâ in qua fovebatur ad tempus, sub tot umbris typísque, volatum illinc sumere oportuisse, posteáq; alas per totum terrarum orbem expandere.

7. Verùm hoc Mysterium, cùm minùs profundæ mentis hominibus durum videri posset & asperum, ea erat ingenii Servatoris dulcedo & suavitas (ut qui ab omni offensione erat alienissimus) ut nec illis scandalum vellet ponere, nec Judæorum aures rudi monito radere, *Mosaicámve* apertè taxare *Oeconomiam*, quam gens illa in tanto pretio habebat & reverentiâ, ac proinde arcanam hanc veritatem ænigmatico hoc tantùm miraculo monumentis mandandam curavit.

8. Atq; sic διὰ τύπων loqui æquè ac διὰ λόγων non Prophetis solùm solenne erat, sed & ab ipso Servatore usurpatum, etiam in aliis causis pariter atq; in hac. Ut in ratione sanandi eum qui natus est cæcus, Johan. 9. ubi ceremoniæ quibus utitur, admodum absurdæ videntur atq; alienæ eis qui earum mentem non intelligunt. Si quis verò sensum ipsarum rectè perceperit, non possunt non agnosci mirum in modum ad illud institutum aptæ ad quod adhibebantur. Non ad sanandum quidem cæcum (quid enim potest lutum sputúmq; aquæve paululum è piscina, ad recuperandum visum homini qui natus est cæcus?) sed ad illustrandam, per Mysterium, grandem aliquam veritatem quæ ad Jesu personam spectaret.

9. Qualis est illa, quòd Dei erat filius *æternúsve Sermo*, quo Deus mundum creavit hominémq; formavit è limo terræ; In cujus rei adumbrationem lutum cum sputo temperat, ut qui jam correctionem aggreditur emendationémq; operis manuum suarum. Quò *Erasmus* planè videtur alludere in Paraphrasi sua in hunc locum, *Ejusdem autem*, inquit ille, *Autoris est restituere quod perierat, qui condiderat quod non erat*. Nec prætermittenda est altera veritas perquam maximi profectò momenti, quæ ad vivum in hac *Typica* sanatione depingitur; Quòd debemus utiq; mentium nostrarum renovationem expectare & regenerationem ab illa potestate quæ nos creavit; quódq; nemo potest ad Christum venire, tanquam ad *visibilem* personam, nisi Pater, hoc est, *æterna Divinitas* eum attraxerit, vel quemadmodum loquitur Apostolus ad *Corinthios, Quòd nemo Jesum potest Dominum dicere nisi per Spiritum Sanctum*. 1 Cor. 12. 3.

10. Hoc igitur est quod dico, Christum, dum lutum cum sputo temperat, æternam sic Deitatem adumbrare quæ creavit omnia; Quódq; primò in cæcum operatur, eúmq; mittit postea ad piscinam *Siloam* (per quam proculdubio intelligitur *Shilo* sive *Messias*) hoc prædictas veritates nobis planè figurare. Illos nempe qui ad Christum veniunt fidelitérq; ipsi adhærent, ad id præparatos esse ipsíq; sic datos à Deo; atq; per fidem in eum purgari & purificari ab omni cæcitate & immunditie, opitulante illo Spiritu, qui promittitur omnibus credentibus in eum, quemadmodum & ipse Christus pronunciavit, *Qui credit in me, ex ejus ventre fluent aquæ perennis flumina*. Quod ille intelligit de *Spiritu*, cujus proinde & hæ aquæ *Siloam* aptum est Symbolum & figura, cùm tam signatè denotent vel ex ipso nomine, prout jam innui, purgantem sanantémq; Spiritum Christi, qui ille *Shilo* est sive *Siloam*, quo lavandi sumus & purificandi ab immundo illo terrenóq; sensu quem in statu Naturæ primáve Creatione, antequam Regenerationis opus in nobis aut inchoatum esset aut peractum, infeliciter hauserimus. Johan. 7. 38.

11. *Miracula* Christi perlustravimus; cursim jam strictímq; illius dispiciamus *vaticinia*.

vaticinia. In quibus, id maximè notatu dignum est, quòd sint admodum pauca. Quod ego tanquam reprehensionem & opprobrium in naturalem illum in humano genere divinandi prædicendíq; futura pruritum considero. De quo Impostores utplurimum maximè gloriantur, & ad quod Gens quædam *Americana*, longè præ aliis *Athea*, tam vehementer feruntur, ut sæpenumerò ex isthoc studio ad insaniam usq; incalescant. Cæterùm paulum ex ore Servatoris excidit per modum vaticinii, nisi quod quodammodò necessarium esset ut prædiceretur. Cujusmodi erat illius *Passio*, & *Resurrectio*, *Urbis excidium* & *Judicium generale*. Exercuit etiam divinandi facultatem in congressu cum fœmina *Samaritana*. Verùm adeò seria erant & intenta illius ad eam alloquia, ut famis sensum planè perdiderit; quippe qui plus studio promovendi ejus conversionem & compatriotarum oblectabatur, quàm vel delicatissimis bellariis quæ ipsi in mensam possent apponi. Prædixit etiam quisnam esset qui eum erat proditurus; sed eo consilio ut demonstraret, proditionem illius aliásq; omnes calamitates, cùm præviderentur, potuisse etiam evitari, séq; eas proinde suâ sponte sustinuisse. Quò etiam spectat & illa prædictio, *Et ego si à terra evectus fuero, omnes ad me traham:* quemadmodum & *ea* de bono Pastore vitam suam pro ovibus deponente, & mox addente, *Atq; alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili*, quo Gentiles subindicat, qui introducendi erant & lucrifaciendi per illius mortem. Quæ manifesta est demonstratio, Christum voluntariò, ex sincero suo amore erga genus humanum passum esse, antéq; prævidisse, quàm efficax Instrumentum futura esset illius Passio ad convertendas Gentes ad veram Dei cognitionem.

Johan 12 32.

Vide lib. 7. *cap.* 17 *Sect.* 8.

CAP. IX.

1. *Miracula* Apollonii *cum* Christi *miraculis collata.* 2. *Illius in convivio Magico Exceptio per* Iarcham *reliquósq;* Brachmanas. 3. Hydropici *& à cane rabido morsi curatio.* 4. *Civitatis* Ephesi *à peste per eum liberatio.* 5. Dæmonii *ejectio è ridibundo quodam* Dæmoniaco, *plorantisq;* Spectri *fugatio super montem* Caucasum *nocte Lunâ illustri.* 6. *Liberatio* Menippi *à sponsa sua* Lamia.

1. ACtiones Christi jam percurrimus, illas nempe quæ extraordinariæ erant & miraculosæ; progrediemur jam ad illius *Passionem*, postquam brevem collationem instituerimus inter maximè celebrata facinora *Apollonii* & Miracula Servatoris, secundùm ea capita quibus jam institimus. *Miraculosam* nempe *populi Saturationem*, *Sanationem Morborum*, *Dæmoniorum ejectionem*, *Excitationem mortuorum*, *& rerum futurarum Prædictionem.*

2. Quod ad primum attinet, nullum illius memini exemplum in vita *Apollonii*, sed solummodò scripsisse *Philostratum*, quòd ipse *Apollonius* cùm *Medorum* Rege à *Brachmanibus* excipiebatur convivio miris modis parato, ubi *Tripodes* importabantur collocabantúrq; in medio absq; manûs ullius hominis ope, *Solúmq;* itidem insternebatur herbis odoriferis ac floribus, paníq; & vinum, ac fructus & *tragemata* scutellis per aërem transvehebantur, imponebantúrq; mensis absq; ullis ministris qui ipsa apportarent. Quæ Historia cùm tantam cum narratiunculis de *Sagarum* conventiculis affinitatem habeat, cúmq; *Iarchæ* suorúmq; fratrum *Brachmanum* conversatio tam plena contemptu esset & insolentiâ contra Regem primariósq; illius comites, fratrem intelligo filiósque, hoc sanè cuivis fidem facere potest illos homines nihil à *Magis* discrepâsse, charissimúmq; illorum alumnum ac discipulum *Apollonium* alium non fuisse quàm *Venefícum* & *Necromantem*, quod & Magica *Achillis* manium per eum Excitatio ulteriùs confirmat.

3. Quantùm ad ejus sanationes, plures tribus non memini. Quarum prima naturæ morúmq; vim potiùs referre videtur quàm miraculi; quippe quòd juvenem *Hydropicum* solis temperantiæ præceptis in *Æsculapii* templo curavit. Altera curatio erat cujusdam à cane rabido morsi, qui tantâ indè intemperie laborabat ut latraret, quadrupes incederet, humíq; procumberet in morem Canis. Sed tam propè accedit ad fascinationis speciem, erátq; *Apollonius* tam gnarus & accuratus in eis dignoscendis detegendísque, quæ loci Incolæ (qui *Tarsus* erat) eum edocere non poterant, ut colorem scilicet villositatem aliásq; qualitates canis; quemadmodum & ubinam esset; ut magna suboriatur suspicio illum ipsum qui curavit morbum, eundem etiam inflixisse,

inflixiſſe, vel potiùs ejus *Dæmones* familiares. Atq; ſic veriſimile eſt canem æquè ac hominem fuiſſe effaſcinatum. Venit enim à ripa fluvii (ubi tremens ſteterat tanquam ſi febri laborâſſet) ſimul atq; *Damis* ipſi in aurem inſuſurraverat quòd *Apollonius* ipſum paucis vellet. Qui & populo porrò narrabat, dum canem recreabat demulcebátq; manu, Animam *Telephi* è *Myſia* in eum intraviſſe. Quæ conjecturæ noſtræ ulterior eſt confirmatio. Sed verò omnes Hiſtoriæ circumſtantiæ aut ludicræ ſunt & ridiculæ, aut tandem impiæ. Ut in eo, quòd effecit, ut canis hominem curaret lambendo eum, ipſe verò canem curavit precando *Cydnum* fluvium, canémq; in flumen projiciendo.

4. Cæterùm celeberrima ſanatio quam fecit, illa erat quâ *Epheſum* civitatem à peſte liberavit. Cùm verò jam palàm ſit qualis vir eſſet *Apollonius*, purus putus ſcilicet *Magus*, non poſſum non ſuſpicari quin hujus curationis ratio eadem ſit quæ prioris, totáq; civitas, tam dirum morbum, quàm eſt vorax peſtilentia, à manu Diaboli paſſa ſit, ut majorem indè gloriam ſtrenuo illi Paganiſmi *Hyperaſpiſtæ* acquireret *Apollonio*, cujus eſſet, ad famæ ſuæ incrementum, à tam inſano malo civitatem liberare. Hujus verò noſtræ opinionis duo ſunt non contemnenda argumenta; Unum populi per eum in Theatrum convocatio, animatióq; ad obruendum jactis lapidibus mendicum pannis anníſq; obſitum, quem illis perſuadebat eſſe *Peſtem*; cùm tamen eſſet, ut videtur, δαίμων παλαμναῖος, *peſtiferus Dæmon*. Quemadmodùm apparuit ex oculis ejus dum lapidabatur, & ex canis villoſi præſtigiis, Leonem magnitudine æquantis, ſub acervo lapidum inventi; cùm tamen populus eum ibi videre formâ priori, pannoſi utiq; mendici, expectaret. Alterum argumentum eſt quòd cives *Epheſini* Imaginem erigebant *Herculi Apotropæo* in eo ipſo loco quo mendicus lapidatus eſt. Quod indicium eſt Idololatriam Paganicam in fundo fuiſſe hujus tam belli inſtituti. Quamobrem duas has ultimas Curationes tanquam à ſuſpectis principiis profectas conſidero, miraculáq; tanquam facta in *Objecta* abſona & inepta.

5. Quantùm ad Dæmonum ejectiones nullum memini exemplum præter unum, erátq; in juvene quodam è *Corcyra* qui ridibundus erat *Dæmoniacus*, ex quo *Apollonius Athenis* per multas repetitas comminationes & impetuoſa maledicta, ejecit tandem malum ſpiritum, qui in ſignum ſui diſceſsûs fecit ut ingens ſtatua deturbaretur à regio veſtibulo in Civitate, magno cum ſtrepitu ac fragore. Ad hunc cenſum referri etiam poteſt, quanquam ſanè haud ità propriâ reductione, adjuratio *Spectri* quod ipſi ſuíſq; viæ comitibus apparebat itinerantibus nocte, in monte *Caucaſo*, ſplendore Lunæ illuſtriſſimâ. Quod quidem *Spectrum* ipſis anteibat nunc in una forma nunc in alia: Sed multis & vehementibus increpationibus, multíſq; conviciis, contumeliis & execrationibus coactus tandem eſt Dæmon diſparere & diſcedere, lugens ploránſq; quòd tam inciviliter tractatus eſſet ab *Apollonio*.

6. Hiſce addere poſſimus hiſtoriam *Menippi* & *Lamiæ* quæ in forma pulchræ adoleſcentulæ amorem ſolicitabat *Menippi*, ipsíq; tandem perſuaſit ut ſe duceret in uxorem. Verùm *Apollonius*, cùm convivio Nuptiali intereſſet, præſtigias detexit, & increpando ſponſam convitiandóq; effecit, ut totum, quantum memini, ædificium, (quod haud procul à *Corintho* ſitum ſupponebatur) ſupellex ſaltem, (certus ſum) opéſq; illius, mobilia omnia, tapes, aurea vaſa & argentea, immò verò ipſi aſſeclæ, famuli munificéſq; hujus bellæ matronæ ſimul evaneſcerent. Atq; ipſa ſic ſola relicta, coacta eſt fateri ſe fœdum eſſe cornivorúmq; *Dæmonium*. Adeò aut frivola aut exorbitantia ſunt omnia miraculoſa facinora *Impoſtoris* hujus *Deificati*. Omnia verò objecta miraculorum *Servatoris*, quod initio notavi, magìs obvia erant & familiaria. Quod eò certius eſt argumentum tum *Innocentiæ* ac ſinceritatis *Perſonæ illius*, tum *Veritatis Hiſtoriæ*.

CAP.

CAP. X.

1. *Sponſæ cujuſdam Romæ è mortuis excitatio per* Apollonium. 2. Divinationes *ejus & particulatim per inſomnia.* 3. Divinationes *ab externis aliquibus accidentibus in Natura.* 4. Domitiani *necis per* Stephanum *patratæ, ab* Halone *Solem coronante prædictio.* Aſtrologia & Meteorologia *Paganicæ ſuperſtitionis tegumenta & converſationis cum* Dæmonibus. 5. *Hujus rei detectio ex illius prædictione per* Halonem *cum* ecſtaticis *ſuis* maniacíſq; *motionibus* Epheſi, *comparata.* 6. *Generalis è toto* Paralleliſmo *factorum* Chriſti & Apollonii *Concluſio.*

1. CElebre illud facinus *Romæ*, quæ excitatio erat fœminæ adoleſcentulæ ad vitam, quæ ferebatur ad Rogum, ſolidum profectò futurum fuiſſet miraculum, ſi ullum omnino reverà fuiſſet. Sed enim cùm tempus non notetur, quamdudum utiq; eſſet mortua, veriſimillimum eſt non majus effluxiſſe, quàm quod *Ecſtaſi* animíve defectui competat. Verùm quandoquidem cognitio Diaboli ultrà ſe extendit quàm illius poteſtas, facilè certiorem facere potuit *Apollonium* quàm tempeſtivam nactus eſſet opportunitatem ementititium edendi miraculum. Excitatio verò *Lazari* per *Servatorem* poſtquam quatriduum fuerat mortuus, fidem facit ſufficientem duobus illis alteris hoc genus miraculis, vera fuiſſe ac realia. Hæc igitur *Romæ* recèns nuptæ ſponſæ ad vitam revocatio, ad prædictiones divinationéſve *Apollonii* referri potiùs debent quàm ad Miracula, quæ præ iſtis admodum erant pauca. Exempla verò quædam in medium proferemus, neq; enim operæ pretium eſſet omnia recenſere, neq; ſanè hæc quæ proferimus nimis ampliter commemorare, ſed nominare ſolummodò, brevitérq; perſtringere.

2. Hujuſmodi erat detectio impuræ libidinis novercæ *Timaſionis* in *Ægypto*, & prædictio fœdi facinoris Eunuchi cujuſdam in Concubinam quampiam Regis *Babylonis*; quemadmodum & *Pharionis* conſervatio, *Alexandriæ*, ab extremo ſupplicio cum aliis Latronibus ſubeundo, quibuſcum ducebatur ad patibulum; detinendo ſcilicet carnificem longis alloquiis uſq; dum nuncius in equo, curſu citatiſſimo equitans, divinationem *Apollonii* clarâ innocentiæ *Pharionis* demonſtratione confirmâſſet. His addere poteris divinationes per *inſomnia*, ut illam de piſcibus ſupplicantibus, qui Delphini orabant favorem; quod ille in *Eretrienſium* commodum interpretatus eſt pro quibus intercedebat apud Regem *Babylonis*. Aliámq; quâ divertebatur à proficiſcendo *Romam* antequam *Cretam* inviſiſſet; quippe quòd fœmina pretioſo Diademate coronata, quæ ſe *Jovis* dixit eſſe Nutricem, amplexata eum eſſet in ſomno, orans ut apud ipſam pauliſper commoraretur antequam iret *Romam*. Quam fœminam ille intellexit eſſe *Cretam*, ubi *Jupiter* natus eſt & educatus.

3. Erant autem & aliæ Divinationes multæ quas videbatur ab externis aliquibus Accidentibus in Natura colligere. Cujuſmodi erat illa è pipilationibus paſſerum (in media concione quam habebat apud *Epheſios*) ad quas ſermonem abrupit ut indicaret illis hominem juvenem haud longè illinc frumenti ſaccum in vico effudiſſe. Illáq; de Leæna quam venatores in *Babylonia* occiderunt, dum *Apollonius* iter faciebat in *Indiam*, quæ cùm octo catulos in ventre haberet, ille indè annum fore octóq; menſes ominatus eſt antequam domum redirent. Tertia erat ab horribili tonitru *Romæ* in Eclipſi, ad quod ille attollens in cœlum oculos, *Res admodum mira eſt*, inquit, *ſi hoc futurum ſit fruſtrá.* Verùm mens ejus poſtea ſatìs nota erat ex eventu. Poculum enim *Neroni* è manu excuſſum eſt tunc bibenti, fulminis ictu, dum menſæ aſſidebat. Quarta erat è partu monſtroſo *Syracuſis*, cùm fœmina ibi nobilis enixa eſſet filium cum tribus capitibus. Quod ille interpretatus eſt de tribus *Romanis* Imperatoribus *Galbâ*, *Othone*, & *Vitellio*.

4. Quinta ultimáque, quam memorabimus, *Halo* eſt quæ obſervabatur circa Solem in *Græcia*. Quod meteorum cùm rotundum ſit ad inſtar *Coronæ*, multúmq; Solis lumen obſcuret, *Apollonii* prædictio erat hominem quendam *Stephanum* nomine (quæ vox *coronam* ſignificat) occiſurum eſſe *Domitianum* Imperatorem. Quod verò ad me attinet, ego in eâ ſum ſententia, obſervationem prodigiorum æquè parùm adjumenti afferre hominibus in hujuſmodi accuratis prædictionibus, quàm aſpectuum aſtrorum. Prætextus verò ſolummodo hos eſſe & tegumenta vilioris alicujus Artis vel potiùs impiæ cujuſpiam Superſtitionis ſceleratæq; familiaritatis cum *Apoſtatis Spiritibus*.

5. Quod

5. Quod quidem notabilis circumſtantia Eventi hujus poſtremæ Divinationis cuilibet demonſtrare poteſt qui nullo laborat præjudicio. Etenim dum *Domitianus* trucidabatur *Romæ*, *Apollonius*, *Epheſi*, totius illius negotii peractionem æquè clarè videbat ac ſi fuiſſet *Romæ*. Et in ea illa hora quâ perpetrabatur facinus, *Stephanum* ad facinus animabat, & prorſum exiliens retrorſúmq; oculíſq; patulis & exertis terribiliter circumſpectans, Tyrannum juſſit percuti, tanquam ſi ipſi rei præſens interfuiſſet eámq; promoviſſet. Quæ *Maniaca Ecſtaſis* & horrida, argumentum eſt eum tunc à Dæmone fuiſſe correptum, qui hujuſmodi rerum ſcenam in animo ipſius excitaret, ac proinde veri eſſe ſimillimum Dæmonem illas, etiam antequam eveniſſent, ipſi prænarrâſſe.

6. Quamobrem ut breviter concludamus de factis extraordinariis *Chriſti* & *Apollonii*; In unis nihil eſt niſi quod ſolidum ſit ac neceſſarium, niſi quod magnum præ ſe gerat pondus & utilitatem, & quod à *Divino* inculpatóq; Principio ſit profectum: In alteris nihil niſi quod ſit temerè affectatum, leviculum, & frivolum, aut *Infernale* denique & Diabolicum; nè illo circa *Phariſæum* quidem excepto, quod tamen ſpeciem præ ſe fert maximè omnium plauſibilem. Illa enim Divinatio nihilo præſtat eis quæ à Sagis vulgaribus fiunt. Illéq; juſtitiæ actus, qui innocentis erat à morte vindicatio, (quæ certè in ſe bona eſt) ad viliſſima tamen propoſita eſt detortus, nempe ad fidem conciliandum inſigni illi *Paganiſmi Inſtauratori*, ſedulóq; *ſuffultori Regni Diaboli*.

CAP. XI.

1. *Collatio* Ingenii *ſive* Spiritûs Apollonii *cum illo Chriſti.* 2. Apollonii Spiritum *non niſi ad* Animalis *quidem* vitæ *ſummitatem evectum fuiſſe, ſed non altiùs.* 3. Superbiam *fortiſſimam fuiſſe tenebrarum Catenam quâ* Apollonius *tenebatur, cum enumeratione quorundam illius ſpeciminum.* 4. *Totam ejus vitam nihil aliud fuiſſe quàm ſuperbiæ exercitium & inanis gloriæ, cùm per audaciam ſuiq; venditationem ſui in gratiam apud maximos quoſq; quócunq; iverit, ingereret.* 5. *Exceptio illius apud* Phraotem *Regem* Indiæ, Iarchámq; *principem* Brachmanum. 6. *Ut immiſcuit ſe rebus Imperii Romani; Converſatio illius cum* Magis Babyloniis, Ægyptiiſq; Gymnoſophiſtis; *déq; plauſibili ejus ſermone & eloquentia.* 7. *Quòd honoris famæq; ſenſu ineſcatus tam actuoſum ſe præbuerit inſtrumentum pro* Regno tenebrarum. 8. *Quòd, tametſi* Brachmanes *Deum eum pronunciârunt, nihilo tamen præſtaret ſpeciebus nobilioribus Beſtiarum.*

1. Miraculorum & *Vaticiniorum Chriſti* & *Apollonii* Paralleliſmum jam perfecimus, noſtrámq; ſuper eis in medium protulimus ſententiam: Cujus cenſuræ æquitas veritáſque, ut manifeſtiùs omnibus appareant, utriuſq; breviter comparabimus *Ingenium Spiritúſve temperiem.*

2. Quam fatemur in *Apollonio* fuiſſe, quòd quidem *Animalis vitæ* unquam pertingere poteſt, nobiliſſimam. *Animalis* verò *vitæ* vel ad ſummum evecta gradum à ſolitaria Dei cognitione multùm abeſt, neq; quicquàm eſt amplius quàm quòd, in communi, *Beſtiis*, *Diabolis*, & *Hominibus* quodammodò competat. Hæc igitur agnoſcemus fuiſſe in *Apollonio*, *Politicæ* ſcilicet *juſtitiæ* ſenſum perquam generoſum, ſeverámq; profeſſionem *Temperantiæ*, magnámq; *Scientiæ* affectationem, præſertim *rerum futurarum.* Quantùm verò ad *Juſtitiam Politicam Pacémq; civilem* ac concordiam, quæ ipſi totiesquot di eſſe videbantur & ad quæ tam vehementer hortabatur civitates quócunq; iviſſet, nihilo certè iſtis inferiora recipiuntur ac foventur in *ipſo Regno Diaboli*, quòd, ſi à ſeipſo diſſideret, ſtare non poſſet. Et quod vehementem *Scientiæ affectationem* ſpectat, manifeſtum eſt illam merum eſſe *Naturalis vitæ* ramuſculum, talémq; qui etiam Apoſtatis ſpiritibus competat, imò verò multò magis ipſis quàm cuivis vulgari viro bono ac honeſto: Cúmq; *Apollonii* Temperantia ultra hoc quod tam vile eſt & abjectum non collinearet, quàm longè obſecro, ab illo deficit, quod reverà *Cæleſte* eſt, atq; *Divinum?* Hoc igitur de eo obſervatu dignum eſt, quòd ſi uno ſe expediverit *Animalis vitæ* laqueo, id certè factum eſt, ut alteriſmiùs artiùſq; ſe illigaret.

3. Sed fortiſſimo tenebrarum Catena quâ captus eſſet, eſt *Superbia*, quæ tametſi

 è ſub-

è subtilioribus tenuioribúsq; annulis concinnata sit, diutius nos captivos tenet quàm quævis alia. Hoc est quod illius vitæ Historiam magis dedecorat quàm ulla alia ejusmodicunq; *Immoralitas*. Ad quid enim nisi ad hoc reduci potest fatuola illa ac ridicula supplicatio, quam *Antiochiæ* ad *Apollinem* effudit, ut Plebem scilicet illius loci converteret in Cupressos, ut vento eorum Ramos invadente, sic saltem possent aliquem edere sonum, cùm jam planè muti essent nec ullo modo habiles ad sermones serendos cum tam gravi sagaciq; Philosopho? Cuinam rei præterquam huic imputari potest magnificum illud responsum quod *Pontis custodi* dedit quando transibat in *Mesopotamiam*, rogatus quas merces secum attulisset? Ad quod ille continuò respondit se apportâsse secum, *Justitiam*, *Temperantiam*, *Fortitudinem*, *Continentiam*, *Tolerantiam*, *Magnanimitatem* ac *Constantiam*, superaddidit etiam reliquis *Modestiam*. Verùm malè collocata est illa virtus in tam gloriosa expansione suarum laudum. Ad quod deniq; nisi ad hoc referri possunt illius cavillationes ad graves sobriásq; quæstiones quas rogabatur à Præfecto præsidiorum in confinibus *Babylonis*, ubi ità elatè arrogantérq; se gessit tanquam si Rex esset omnium Regionum quócunq; perveniisset?

4. Cæterùm quid opus est particularia recensere, cùm tota illius vita nihil aliud esset quàm magnificus quidam elatúsq; incessus in hujus mundi Proscenio, aut laboriosior quædam perambulatio & succussatoria ab una terrarum orbis Gente ad aliam, ad honorem sibi plausúmq; erogandum, corrigendo consuetudines Paganorum lapsósq; eorum ritus instaurando, partésq; agendo irrefragabilis Reformatoris ubicunq; placuerit. Quæ sanè res est carni & sanguini suavis admodum & jucunda. Quibus addas audaces illius Principum ac Magnatum visitationes, quantâ maximâ fieri poterat cum confidentia & propriarum virtutum ostentatione; cùm seipsum mensuram præstaret æstimationis aliorum; adeò ut consuetum honorem noluerit facere *Bardani Babylonis* Regi antequam certior factus esset virtutes ejus illud meruisse. Apud quem, quemadmodum & apud alios Principes, de rebus Politicis disserebat, nihil detrectans præsentem juris administrationem. Et certè inopinata hæc illius audacia nusquam ferè carebat successu, cùm nescio quo fato vel virtute, per sui venditationem, in gratiam se ubiq; ingesserit, aspernando tum pompam tum personas maximorum Principum. Adeò ut semper quasi socius esset familiaris summorum Regum atq; Imperatorum, ut qui ubiq; capti erant maximâ admiratione ipsius sapientiæ. Ac proinde *Bardanes* introducitur tandem in historia oppidò quàm blandè tractans contentissiméq; exorans *mendicum Philosophum*, ut in palatio suo dignaretur hospitari, ostendens ipsi omnem splendorem pompamq; Regni sui, magnosq; illi offerens acervos *Auri Gemmarúmque*. Quorum prius tametsi repudiabat, non poterat tamen à posterioribus manus abstinere, sed acceptabat lubens, sub obtentu quòd mira aliqua virtus Philosophica in ipsis lateret, quódq; idonea futuræ essent oblatio Diis Immortalibus postquam redierit in patriam.

5. Similiter *Phraotes* Rex *Indiæ* dicitur maximo cum honore eum excepisse, lavatúmq; secum deduxisse ad Regium suum Balneum; Convivioq; posteà eum recipiens proximè seipsum collocâsse supra suos nobiles. Ut honorem præteream quem apud *Iarcham* habuit, reliquósq; *Brachmanas*, quibus Rex *Indiæ* in ejus gratiam scripserat. Ubi in congressu cum sapientibus illis collocabatur in *Phraotis* Cathedra Regia, interdictus etiam nè surgeret ad ingressum Regis *Mediæ*. Quicum (in epulis illis quarum jam feci mentionem) cùm lis quædam orta fuisset, Rex tandem adeò cum eo redibat in gratiam, ut summâ & ferè incivili precum contentione ab Rege sollicitatus esset, ut se in reditu apud Aulam suam inviseret in *Media*.

6. His superadde, quàm curiosè se rebus Imperii Romani immiscerét. Quàm prolixa haberet colloquia Politica cum *Vespasiano*. Quantum conspirationibus faveret contra *Neronem* & *Domitianum*. Quàm doctè apud *Magos Babylonios* differeret; de quibus *Damidi* narravit, eos non adeò perfectos esse quin & suis opus haberent præceptis atq; monitis, ut & fassus est nonnihil se ab ipsis etiam didicisse. Quàm verò insubidè cavillaretur litigarétq; cum Gymnosophistis, qui tametsi tanti *Arioli* non erant, non minori tamen erant virtute præditi quàm aut *Brachmanes* aut ipse. Postremò, quàm plausibili sermone & quàm magnâ uteretur eloquentiâ, quippe qui multis in locis orationes habebat admodum flexanimas, & exhortationes ad probitatem vitæ & observationem utilissimarum legum & institutorum, talium utiq; quæ ad pacem Civilem facerent populiq; securitatem.

7. Ex quibus omnibus manifestum est naturalem sensum *Honoris* & *Generositatis* alam fuisse & spiritum quo *Apollonius* tantus factus sit suis temporibus *Audelio*; cúmq;

cúmq; excelſæ & magnanimæ indolis eſſet aptæq; natæ ad res altiſſimas affectandas, *tenebrarum Regnum* eâ re illum ineſcâſſe, Inſtrumentúmq; feciſſe ad res ſuas promovendas; *Paganiſmum* utiq; per eum quàm maximo poterat ornatu condecorans, ut ſic cum ipſa *Chriſtianitate* quoad fieri poſſet, de principatu contenderet. Et ut nihil prorſus huic *Chriſti* æmulo deeſſet, *Indorum Brachmanes* eum tantæ eminentiæ pronunciârunt, ut & vivus & poſt mortem haberi & coli pro Deo mereretur, quemadmodum ſuprà commemoravi.

8. Quòd ſi accuratior de ipſius perſonæ præſtantia examinatio inſtituatur, invenietur ſanè tam procul abeſſe ut Deorum numero ſit accenſendus, ut nihil quicquam ampliùs in ipſo agnoſcendum videatur, quàm quod è genere erat nobiliorum Brutorum, hoc eſt, quàm quòd fuit *purus putus homo naturalis*, ornatus ſolummodò tectúſve veſtis victúſq; Pythagorici larvâ, magicæq; virtutis edendi miracula; quemadmodum demonſtrari poteſt ex tota Hiſtoriæ ejus textura, utpote in qua nihil occurrit, quod ſapit olétve quicquam ſupra *Animalem vitam* poſitum : unde tutò concludere poſſumus nihil in eo fuiſſe *Divini*.

CAP. XII.

1. *Chriſti Spiritus ſpiritui* Apollonii *quàm ſit contrarius.* 2. *Hiſtoriam* Apollonii *ſive vera ſit ſive falſa exquiſitam arguere vitæ Chriſti perfectionem, ſingularémq; præſtantiam illius* Divini *in eo* Spiritûs *quem nemo* Paganus *aut* re *aut* imaginatione *poteſt aſſequi.* 3. Spiritus Chriſti *quàm contemptibilis ſit homini* merè naturali, *quámq; charus & pretioſus coram Deo.* 4. *Ut* Humiliationes *ſingulæ Chriſti per privilegia &* exaltationes congruas *& miraculoſas compenſatæ ſunt à Deo.* 5. *Profundiſſima illius* Humiliatio, Paſſio *ſcilicet in Cruce, ſummâ* exaltatione *compenſata.*

1. QUamobrem vitam inveniemus Servatoris, *Apollonii* vitæ prorſus contrariam, cùm nihil de ipſo commemoretur quod carni & ſanguini ſit plauſibile. Nullus Proſàpiæ ſplendor, nulla flumina Eloquentiæ, nullus Magnatum favor, nulla cujuſvis rei tanquam ſibi peculiaris aut de qua ſeorſim glorietur, affectatio. Sed cùm ubiq; affectus eſſet contumeliis & deſpectus, non ceſſabat tamen à benefaciendo hominibus abſq; ullius hominis plauſu. Cúmq; ipſa vita atq; ſpiritus actionum *Apollonii* generoſus quidam ſenſus eſſet gloriæ, per quem ipſi Diabolus imponebat, ità id quod perpetuò in Servatoris actionibus ſpirabat, *paſſibilis* erat, *benignus, profundúſq; Spiritus Humilitatis*, qui *Divinæ vitæ* character omnium eſt certiſſimus.

2. Adeò ut ſive Hiſtoria *Apollonii* in integrum vera ſit, ſive partim vera, partim falſa, ſive in integrum falſa, mihi perinde eſt. Etenim ſi vera ſit, grande hoc Divinæ virtutis exemplare, prout à *Philoſtrato* ſupponitur, infinitis ſpaciis deficit à veritate *Divinæ vitæ* in Chriſto manifeſtatæ, cùm nihil omnino inveniatur in *Apollonio* quod ſit reverà *Divinum.* Quòd ſi figmentum ſit ſive in integrum ſive ex parte, quàm excellens eſt illa *Divina* in Chriſto *præſtantia*, quámq; amabilis & illuſtris pulchritudo illius Imaginis, cujus vel doctiſſimorum conſummatiſſimorúmq; Paganorum calami & penicilli, nè unum quidem lineamentum ducere poſſunt, nec vel minimam umbram ſtricturámve dare quæ ad ejus ullatenus accedat ſimilitudinem ?

3. Atq; equidem, ut fateamur quod res eſt, quî fieri poteſt ut homini *merè naturali* unquam in mentem veniret, quòd *humilis quædam* ac *paſſibilis, internáq; benignitate diffluens quaſi & liqueſcens, & ſeipſam afflictans ſéq; reſignans Divinitas*, in ulla perſona hoſpitetur, vel ſi contingeret, quòd majoris quicquam pretii hic Spiritus haberet quàm ille qui hominibus videtur excelſus magìs ac generoſus ? Verùm proculdubio hic Spiritus plus valet apud Deum quàm quæ in mundo ſunt cætera univerſa; & quicunq; hunc injuriâ affecerit, non abſimile eſt atq; ſi *ipſius Dei pupillam tetigerit.* Atq; adeò illi proinde cordi erant res Servatoris (in quo hic ſpiritus tam ſingulari mòdo præter alios reperiebatur) ut ſemper ejus *ærumnas* ac labores condignis *Triumphis*, & voluntarias *ſubmiſſiones* & humiliationes ſuiipſius, æqualibus *exaltationibus* compenſaret.

4. Atq; ad hanc rationem, humilia ejus abjectáq; *Natalia* Angelorum Chori à

cœlo melodiâ decoravit, ut & Homagio Sapientum ab Oriente qui dona ipſi obtulerunt tanquam recèns nato Principi. Ità & longum ejus in deſerto jejunium virtute non ſolùm curandi morbos ſed & mutandi aquam in vinum compenſatum eſt & ſaturandi per miraculum multitudines hominum in eremo. Quemadmodum & repudiatio omnis pompæ ac gloriæ hujus mundi, (quæ oſtendebatur ipſi à vertice montis) transfiguratione propriæ perſonæ in ſummitate montis *Tabor*, in tantam ſanè gloriam quantam omnes ſplendores hujus mundi exæquare nequeunt, cùm *facies ejus radios emitteret ſicut Sol, & veſtimentia candeſcerent ad inſtar lucis.* Et poſtremò, tranſportatio ejus à loco in locum per manum *Satanæ* ut innocentis Agni in unguibus Aquilæ, hæc etiam tentatio poteſtate palpabili in *Regnum Satanæ* compenſata eſt, ac virtute ejiciendi *Dæmonia* fugandíq; multa millia Diabolorum ſimul, quemadmodum commemoravi de *Dæmoniaco*, cujus nomen erat *Legio.*

5. Verùm, honor omnium maximus qui illi contigit, ex altiſſimis doloribus ipſi emicuit, ex acerbiſſima utiq; *Paſſione* in Cruce. Quæ tam gloriosâ *Reſurrectione*, & *Aſcenſione Seſſionéq;* ad Dextram Dei, ejúſq; ſupra omnes Principatus ac Poteſtates ſive in cœlo ſive in terra exaltatione ad plenum remunerata eſt, quippe qui caput factus eſt & princeps Angelorum juxtà atq; hominum, donatúſq; poteſtate coronandi omnes credentes *gloriosâ Immortalitate* die noviſſimo. De quibus omnibus ordine agemus, oſtendendo unumquodque, in ſuo loco, quàm decorum ſit quámq; rationi conſentaneum.

CAP. XIII.

1. *Vis ineffabilis* Paſſionis *Chriſti aliorúmq; ejus demerentium officiorum ad mundum ſibi lucrifaciendum revellendúmq; à Principe tenebrarum.* 2. *De præcedaneis illius doloribus, déq;* Crucifixione. 3. *Quàm neceſſarium eſſet ut Chriſtus eſſet tam* paſſibilis, *támq; vivo doloris ſenſu in ejus* Paſſione *in cruce penetrabilis, contra Blaſphemiam quorundam impudentium* Enthuſiaſtarum. 4. *Ipſorum ignorantia in* Divina vita, *quódq;* illi *ſoli triumphandum eſſet in perſona Chriſti, nihil adjutæ auxiliis* Animalis *ſive* Naturalis. 5. *Si Chriſtus intrepidè mortem ſubiiſſet & cum pauxillo doloris ſenſu, quòd actum fuiſſet & de* ſolennitate *& de* utilitate *illius* Paſſionis. 6. *Miranda accidentia quæ comitabantur ipſius* Crucifixionem *præfigurationes fuiſſe futurorum in mundo* Paſſionis *effectorum in animos hominum.* 7. *Nihil tamen impedire quo minùs poſſint alias etiam habere ſignificationes.* 8. *Tertia & ultima Ratio dolorum Tragicorum* Paſſionis Chriſti, *ex eo quòd totius mundi peccata portabat.* 9. *Cavillationes captioſæ quorundam nimium opinionibus indulgentium* Sophiſtarum *qui injuſtum eſſe prætendunt apud Deum innocentem ſontium loco punire.* 10. *Fundamentum falſum omnium frivolarum ipſorum ſubtilitatum.*

1. PRimùm igitur, quantùm ad ejus *Paſſionem*, eſt, inquam, contemplatio admodum delectabilis, obſervare, quomodo humilis hic candidúſque, ad tantum, quod deſcripſerim, imperium potiundum *Candidatus* in hoc ſuo negotio promovendo ſe adhibuerit, ſuæ non ſolùm potentiæ facultatíſq; ſuos protegendi, ſed & chariſſimi affectûs ſinceriſſimíq; Amoris erga ſuum populum, quòd tam horrendos dolores ipſorum gratiâ potuerit ſuſtinere, infallibile edens ſpecimen. Cúmq; ipſi orbis terrarum Regna ſibi lucrifacere incumberet, aſſereréq; è manu Diaboli, quàm nullis aliis prorſus conſiliis techníſve uſus ſit, quàm quæ propriam ſuam indolem ante oculos hominum demerentémq; benigni ſui Ingenii pulchritudinem exponerent, ad pudefaciendam utiq; confundendámq; deformem illam deteſtabilémq; malignitatem *Æmuli* ſui injuſtíq; Regnorum ſuorum *Uſurpatoris.* Quamobrem ille moribus contraibat rationibúſq; Satanæ, non ſolùm in *Humilitate* ac *Puritate* perpetuáq; per totam vitam Beneficentia, ſed ut ingentem diſparitatem ac diſcrepantiam inter veterem illum *Tyrannum* & gratioſum hunc *Principem* qui ipſi ſucceſſurus erat, oſtenderet; cùm Diabolus, quemadmodum memoravimus, miſeris ſuis mancipiis intolerabiles pœnas infligeret, cogendo eos propriam ſuam carnem ſauciare & incidere, membráq; ſibi per furorem & vecordiam exſecare, flagellis urentibúſq; urticis ſeipſos verberare, acutíſq; ſilicibus vulnerare & contundere, & eò uſq; jejunare & macerare

cerare ſeipſos ut in deſerto morerentur præ inedia, colláve ab acclivi rupe præruptóve aliquo loco ſe præcipitantes frangerent, utì de ipſis refert *Acoſta*; ut prætéream infinitos *immolatorum* hominum numeros; Chriſtus è contrà tantum ab hujuſmodi fœda Tyrannide crudelíq; aliorum tractatione abeſt, ut ad quietandos animos noſtros de meritò ſuſpecta ira ſui Patris, totum hoc onus in ſe ſuſceperit, ut nos ſcilicet ſibi lucrifaceret & ad perfectiorem promptiorémq; obedientiam ſanctis ſuis præceptis præſtandam ex tanto & tam conſpicuo beneficio obligaret. Cùm Sceptri illius pondus atq; vis in *Amoris ſenſu* præcipuè ſit percipienda, quo nullum fortius vinculum excogitari poteſt etiam ad *naturalem Ingenuitatem* devinciendam. Verùm *Serpentis veteris* poteſtas in timore ac terrore exercebatur & contumelioſo malignóq; deſpectu totius generis humani. Quamobrem, cùm hæc magna ſit indè utilitas lucrifaciendi corda hominum eáq; alienandi à *Regno tenebrarum*, Deíq; imperio ſubjiciendi, quòd Chriſtus tantos dolores & ærumnas noſtri causâ ſuſtinuerit, equidem minimè mirum eſt ipſis ſe lubenter ſubmiſiſſe, quanquam ſuprà quàm dici poteſt graves eſſent atq; intolerabiles.

2. Ac profectò quid poteſt eſſe gravius quàm viva illa Repræſentatio acerbiſſimæ illius *Paſſionis* (niſi ipſa *Paſſio*) ubi nimirum in Olivarum monte inter contentiſſimas ad Deum preces in tanta conſtituebatur agonia, ut facies ejus ſudore manaret guttis conſimili ſanguineis in terram delabentibus; ut mittam ſubſannationes inimicorum malignas, ſordidáſq; in vultum excreationes cum crudelibus verberationibus & ſanguinolentis. Quarum rerum conſideratio ad quaſlibet hominem aſperitates tolerandas adigere poſſit, quibus fidem ſuam poſſet ac gratitudinem erga tam charum ac benignum *Servatorem* demonſtrare. Quid igitur effectura eſt diræ ipſius Tragicæq; *Crucifixionis* contemplatio? Ubi tam *Divina perſona*, imò verò ubi ipſe *Dei filius* in carne manifeſtatus dedecorosè inter duos latrones poſitus in ſancta ſua & *immaculata Humanitate* adeò ad vivum penetrabatur præſenti ſenſu realíq; mortis agoniâ, ut præ illius pondere ac gravamine cogeretur exclamare, *Eloi, Eloi, Deus mi, Deus mi, cur me dereliquiſti?* Atq; hic profectò totum mundum meritò poſſit *Jeremiæ* verbis è cruce appellare, *Aſpicite & videte an ſit ullus dolor par dolori meo quo me affecit afflixitq; Jehovah in die æſtûs iræ ſuæ!*

3. Qui quidem dolor *Paſſióq;* niſi tam realis tantúſq; fuiſſet quantus commemoratur, quàm tenuis, obſecro, ludicráq; res futura fuiſſet Myſterium Chriſtianitatis! Quàm profani igitur & execrabiles ſunt miſelli iſti homunciones qui in dedecus Chriſti illud vertere voluerint, quod reverà eſt Evangelii gloria; tanquam ſi Servator minùs eſſet perfectus ex eo quòd adeò *paſſibilis* eſſet doloríſq; *ſenſu penetrabilis?* Verùm manifeſtum eſt audaces hos inſolentéſq; *Enthuſiaſtas*, qui de *perfectione* adeò gloriantur, ut aut ſeipſos aut cæcos ipſorum ductores Chriſto æquiparandos putent, imò verò & præferendos, manifeſtum eſt, inquam, tantâ eos laborare ignorantiâ ut prorſus neſciant in quo vera *Perfectio* conſiſtat.

4. Etenim jam declaravi, Id ſolum in perſona Chriſti quod reverà *Divinum* erat, Triumphum debuiſſe habere ac victoriam, nihil adjutum ullâ omnino re quæ pretioſa laudéve digna communi mundi judicio exiſtimetur. Et *vera* ſanè illa *Perfectio* & apud Deum approbanda invenitur ſolummodò in illo quod *Divinum* eſt, non in illo quod *Naturale* eſt ſive *Animale*, tale utiq; cui merè carnalis homo applauderet. Atq; hujuſmodi eſt *Stoiciſmus* & *Spartaniſmus*, poteſtas quidem ac vis quam homines impii Apoſtatæq; Angeli æquè, vel etiam magìs affectant, quàm homines ſancti & regenerati. Eſtq; multò majus exercitium fidei atq; obedientiæ erga divinam voluntatem dolores ſuſtinere & afflictiones, quando tam profundè penetrant, támq; vehementer pungunt, quàm ubi coactâ neſcio quâ exertáq; *Generoſitate Strenuitatéq;* Spiritûs ullóve alio naturali vel artificiali cujuſmodicunq; adminiculo adjuti contra illorum ſenſum obnitimur, atq; in hoc æſtu animi ſtomachóq; noſtras partes ità agimus, tanquam ſi invincibiles quidam eſſemus invulnerabiléſq; *Athletæ*.

5. Si ità ſe res habuiſſet cum Chriſto in ſua morte, actum profectò prorſus fuiſſet de *Paſſionis* illius ſolennitate. Immò verò nulla futura fuiſſet *Paſſio*, nec ullam incuſſura Paſſionem eis qui ejus lecturi eſſent Hiſtoriam. Cùm verò afflictiones ejus tantæ eſſent támq; reales quàm fuiſſe commemorantur, inſtrumentum erit ad attrahendos versùs ipſum hominum oculos cordáque, omnium ſanè efficaciſſimum quod mundo poterat exhiberi. Cujus & ipſe ſatìs gnarus erat atq; conſcius, ídq; dum erat in vivis apertè prædicabat: *Et ego ſi à terra evectus fuero, omnes ad me traham.*

6. Quæ *Paſſionis* illius Eventa, miraculoſa iſta *Accidentia* quæ eam comitabantur, videntur præmonſtrâſſe; Quid enim aliud erat illa veli Templi à ſummo uſq; ad imum Hieroſolymis diffiſſio? Quid illi terræ motus in remotioribus *Judææ* locis,

&

& laceratæ diſruptæq; Rupes, quàm auſpicatum ſignum, quomodo terrenæ mentes lapideáq; hominum corda, tempore procedente, quatiendæ eſſent luctúq; ac dolore frangendæ propter illius afflictiones qui *Servator* eſt *Univerſi*? Imò verò quid ipſe Sol (qui mundi naturalis vita eſt atq; anima) quid illius *deliquium* defectúſq; ſignificabat, niſi triſte hoc *Crucifixionis* Chriſti ſpectaculum tantam paſſionem omnium ingenuorum hominum animis incuſſurum eſſe, cordáq; ipſorum tanto amore & affectu erga *Univerſi Servatorem* liquefacturum, ut lubenter mortem cum eo oppeturi ſint, ut poſſint etiam cum ipſo vivere æterníſq; in cœlo gaudiis perfrui.

7. Hæc verò non eò dico, tanquam ſi alias horum Prodigiorum ſignificationes vellem excludere. Nam & illæ poſſunt ſuam habere veritatem atq; uſum æquè ac hæ, & quædam ex ipſis præſertim præ cæteris. Quemadmodum *illa Eclipſeos Solis*, quæ ſignificare etiam poteſt veram mundi Lucem, illum utiq; qui à Propheta *Sol juſtitiæ* dicitur, tunc paſſum eſſe; *Illáq; Fiſſionis veli Templi*, quæ proculdubio reſciſſionem *Moſaicarum* Legum & Ceremoniarum denotabat, abrogationémq; officii ſummi Sacerdotis, cùm Chriſtus jam parietem intergerinum ſuſtuliſſet, omníq; fideli acceſſum liberum impetrâſſet ad Patrem, morte nempe ſuâ, quâ nos reconciliavit Deo.

8. Quod nobis & tertiam offert rationem, cur hæc Chriſti *Paſſio* tam Tragica deberet eſſe, ut reverà erat, ejúſq; pondus ac gravamen adeò intolerabile. Divinam enim tunc iram ſuſtinebat pro peccatis mundi in eum effuſam, ut qui *percuſſus erat*, quod ait Propheta, *ob defectiones noſtras, & iniquitates noſtri omnium ipſi imponebantur*, hoc eſt, *univerſale Sacrificium* pro toto humano genere factus eſt. Quod ſuperbus ſibiq; nimiùm placens *Enthuſiaſtes*, qui ſe tam bene habere imaginatur, ut omnem externam Religionem contemnat, (niſi eam fortè quam ipſe adinvenerit) dum non ſatis per otium conſiderat, impudenter blaſphemáq; pro homine imbelli ac delicato eum traducit qui ſummum ſuâ ſponte dolorem ſubiit, qui unquam in ullum mortalem hactenus eſt inflictus, quíq; pondus ſuſtinuit omni *Ætnâ* gravius, majúſq; quàm quod ullius *Atlantis* humeri poſſunt ſufferre.

9. Atq; æquè parùm equidem ad rem faciunt captioſæ cavillationes quorundam *Leguleiorum*, ut ità dicam, ac *Rabularum* in Rebus Theologicis. Qui quanquam Perſonæ Chriſti ſatis quidem videntur favere, illiúſq; dolere vicem quòd tam infeliciter inciderit in Latronum manus ac Sicariorum, in nihilo tamen majori pretio illius mortem habent quàm eorum qui cum ipſo diem obierunt, ſanguinémq; ejus æquè communem ac profanum æſtimant atq; malefactorum qui cum illo crucifixi ſunt; cùm Divina Ira, quemadmodum illi ſtatuunt, illius *Paſſione* non propitietur, quippe quòd injuſtum ſit ut homo innocens vice ſontium puniretur. Quænam verò injuria, obſecro, fit illi qui lubens aut *debitum* aut *crimen* alterius in ſe ſuſcipit, debitúmq; ſolvit luítve ſupplicium, modò is penès quem eſt exigere utrumlibet aut remittere, conditionem accipiat?

10. Verùm hujuſmodi inepti & captioſi rerum Religioſarum tractatores, qui tantam inſumunt operam ut obſcuritatem eis rebus offundant quæ ex ſe ſatis faciles ſunt ac manifeſtæ, merentur potiùs ut contemptui habeantur ac deſpectui quàm ut ullo eos dignemur reſponſo. Etenim omnes eorum ſubtilitates, frivolæq; & infructuoſæ captiones falſo huic innituntur fundamento, Quòd nempe ſuprema Dei bonitas benignæq; ſuiipſius demiſſiones & applicationes ad affectus humanos, expendendæ ſint ad ſcrupuloſitates Juridicas, minutáſq; leges & anguſtas, quæ ſpectant ad ordinarias rerum tranſactiones quæ fiunt inter homines. Sed fruantur hæc jactabunda Ingenia elaboratæ ſuæ ignorantiæ fructu, dum nos interim ſenſum obvium facilémq; ſacrificiorum in omnibus Religionibus conſiderantes, certiores eo pacto facti erimus de naturali illius ſignificatione in noſtra Religione propria.

CAP.

CAP. XIV.

1. *Sacrificia in omnibus Religionibus propitiationes fuisse Iræ Deorum.* 2. *Ac proinde Sacrificium Christi è Religionum sensu potiùs interpretandum esse quàm legum secularium.* 3. *Incommodum magnum quod acriora quædam Ingenia Christianæ Religioni afferunt, quámq; miserè subtilitatibus suis, allectantem ejus venustatem deturpent.* 4. *Ingens* Passionis Christi *utilitas cum sanguinolenta* Satanæ Tyrannide *comparatæ.*

1. QUàm generalis esset sacrificandi consuetudo apud omnes Gentes terræ adeò notum est ut nihil opus sit ea in re insistere. Quódq; Sacrificia existimabantur propitiationes Iræ Deorum & peccatorum expiationes, veritas etiam est tam conspicua ut à nemine negari possit; Unde fit ut hæc Sacrificia, de quibus nos agimus, appellata sint ἱλαστικὰ, ἀγνιστικὰ, καθαρτικὰ, Latinè *Placamina, Februa,* Piamina. Multa de hoc genere occurrunt apud *Grotium* de *Satisfactione Christi* cap. 10. Ubi non solùm per multas locutionum formulas exemplóq; rerum evincit, Sacrificia antiquorum Ethnicorum iram Deorum propitiâsse; sed etiam (quod ad rem propiùs accedit) supplicia eorum qui hoc modo reconciliabantur purgabantúrque, in eam bestiam translata fuisse quæ mactaretur. Ad quod probandum multas adhibet Autorum Citationes, atq; inter cæteras hasce duas. Unam ex *Catone,*

Cùm sis ipse nocens, moritur cur victima pro te?

Alteram ex *Plauto,*

Mén' piaculum oportet fieri propter stultitiam tuam,
Ut meum tergum stultitiæ tuæ subdas succedaneum?

2. Quamobrem cùm hic sensus sit eorum Sacrificiorum de quibus nos agimus, in omnibus Religionibus per totum terrarum orbem; multò quidem magis convenit mortem Christi, (qui se dedit in expiationem peccatorum totius mundi) juxta eum sensum, qui germanus ac domesticus est mysteriis Religionum, quàm secundùm implicatas scrupulositates perplexásq; ac alienas subtilitates Legum secularium, interpretari.

3. Quantùm verò ad innovatrices illas Animas ac pragmaticas, quæ acrimoniâ ingenii sui venustum ac amabilem Christianitatis nitorem exedunt & erodunt, ut *aquæ fortis* vel potiùs *aqua Stygia* politis metallis imposita, qualem illi ab eo inituri sunt gratiam, quem tanto se studio atq; amore prosequi prætendunt? Cùm tamen maximè gratæ & illecebrosæ circumstantiæ quibus se mundo exhibuit, adeò vitiatæ sint ac sideratæ rudi ipsorum fœdoq; halitu, ut quotquot inficere possint errorum suorum contagio, Christianitas ipsis non nisi aridus marcidúsq; ramusculus futura sit, quanquam in se Paradisus sit planè aromaticus; ubi sensus affectúsq; humani gratâ Objectorum congruitate ità oblectantur, ut ferè ecstatico quodam æstu in amorem abripiantur ac obedientiam erga eum qui paradisiacis hisce deliciis eos excipit. Et quisnam obsecro Paradisus humanæ Animæ contingere potest optatior, quàm dulcis ille dolor atq; gaudium quæ ex hac consideratione germinant? Quòd utiq; ipse *Dei filius* tam tenerum affectum erga mundum gereret, ut vitam pro ipsis deponeret, & tam infamem ac dolorosam mortem obiret quâ peccata expiaret, eósq; in gratiam reduceret cum suo Patre.

4. Cæterùm nec unum hoc illi erat simplexve adjumentum ad sibi acquirendum mundi imperium. Etenim non tantùm summus illius amor erga genus humanum hoc pacto demonstratus est, sed etiam crudelis execrabilísq; natura veteris illius Tyranni eò clariùs enotuit. Quippe quòd cùm Diabolus, qui per injustam usurpationem imperium mundi in manus suas attraxerat, (Tyrannidem exercens quàm maximâ poterat crudelitate contemptúq; generis humani) humanum etiam sanguinem sitiebat, & in plerisq; orbis terrarum partibus, prout suprà memini, requirebat *hominum mactationes*, (quod à nulla alia causâ orini poterat quàm ex truculenta quadam superbia maligno; nostri contemptu;) novus hic ac gratiosus Princeps, à Deo ipso missus, Christus Jesus, untùm abest à requirendo ullum hujusmodi vile atq; abjectum

jectum homagium, ut ipſe è contrà factus ſit pro nobis *Sacrificium*, ſeipſum ſemel præſtans unum inſigne & in plenum ſufficiens ἱλασμὸν ſive *Piamen*, ad expianda peccata totius humani generis & ad reconciliandum mundum Deo.

CAP. XV.

1. *Objectio contra* miraculoſam Solis Eclipſin *in* Paſſione *Servatoris ex eo quòd in aliis Hiſtoriis non reperitur.* 2. *Reſponſum; Mirandum hoc* Accidens *æquè facilè omitti potuiſſe à multis Hiſtoriographis quàm alia conſimiliter mirabilia, cujuſmodi erat* caligo Solis *circa* Julii Cæſaris *obitum.* 3. *Præterea longè fortiores rationes ſubeſſe cur Hiſtorici* caliginem Solis *omitterent in* Paſſione Chriſti, *quàm illam circum obitum* Julii Cæſaris. 4. Grotium *verò affirmare Eclipſin hanc etiam apud Paganicos Scriptores reperiri, ut &* Tertullianum *ad eorum* Archiva *provocâſſe.* 5. *Ipſum Textum eam Eclipſin univerſalem fuiſſe non innuere, unde Hiſtoria prorſus libera ſit ab omnibus cavillationibus.* 6. Apollonii *ad* Domitiani *Tribunal citatio, graviúmq; ipſius ad* Damidem *&* Demetrium *ad patiendum adverſa Philoſophiæ causâ exhortationum Ludibria.*

1. VIdimus quàm *rationabilis* ſit *Paſſionis* Chriſti Hiſtoria. Neq; quicquam eſt, quod ſciam, quod illius *credibilitatem* poteſt imminuere niſi fortè miraculoſa *Solis Eclipſis.* Non quòd ipſa Eclipſis in ſe ſit *incredibilis*, ſed quòd incredibile videri poſſit tam miraculoſum támq; latè conſpicuum Naturæ *Accidens* ſcriptis à nemine mandatum fuiſſe præterquam ab ipſis Evangeliſtis, cùm humanitas bonæq; literæ in eis temporibus ubiq; ferè florerent, nec deeſſent Hiſtorici qui hujuſmodi res literarum monumentis commendarent. Hæc objectio magnam ſanè primo aſpectu præ ſe fert difficultatis ſimilitudinem, videbitis tamen tandem eam in nihilum prorſus exire.

2. Primùm igitur, alia conſimilia *Accidentia* notemus quæ evenerunt, æquéq; mundo fuerunt conſpicua: Quemadmodum fuit ſenſibilis illa obſcuritas languórq; Solis circa *Julii Cæſaris* tempora, utì etiam in temporibus *Juſtiniani.* Et ſanguinea deniq; obfuſcatio vultûs illius Luminaris per totum continuum quatriduum temporibus *Caroli Quinti*; Res in ſeipſis æquè notabiles atq; hæc Eclipſis in *Paſſione Chriſti*, omnéſq; ut veriſimile eſt, à ſimilibus cauſis profectæ. Verùm hujuſmodi harum cauſarum moderatio, ut effectum cum *Paſſionis* Servatoris tempore coincideret, hoc ſanè miraculoſum erat & per providentiam ſpecialem ordinatum. Jam verò rogo de prima obſervatione obſcurati Solis, per annum integrum ſic durantis, concomitantíſq; *Julii Cæſaris* mortem, cùm tot eſſent in ſubſequentibus ſeculis uſq; ad *Suetonium* Hiſtorici, *Livium* ſcilicet, *Strabo*, *Valerius Maximus*, *Valerius Paterculus*, *Philo*, *Mela*, *Plinius*, *Joſephus*, *Plutarchus*, *Tacitus*, quotnam ex ipſis obſecro monumentis mandaverunt hoc tam inſigne Prodigium? Nullum invenio Hiſtoricum laudatum præter *Plinium.* Qui fortè id ex *Ovidio Virgilióq;* ſumpſerat. Qui Poëtarum more ſibi valdè placentes in memoriæ mandando res mirabiles, & magnificando viros Principes, hoc Naturæ *Accidens* in honorem *Julii Cæſaris* commemorant.

Ille etiam extincto miſeratus Cæſare *Romam*
Cum caput obſcurâ nitidum ferrugine texit,
Impiáq; æternam timuerunt ſecula noctem;

Quemadmodum habet *Virgilius* in ſuis *Georgicis*: Et *Ovidius* ſimiliter in libris *Metamorphoſeôn.*

——————Solis quoq; triſtis Imago
Lurida ſollicitis præbebat lumina terris.

Quæ quidem Solis conditio ut narrat *Plinius*, per annum integrum durabat. Nec abſimile eſt quod *Cedrenus* refert in *Juſtiniani* temporibus accidiſſe. Cæterùm erant viginti ferè non incelebres Scriptores à *Juſtiniano* uſq; ad *Georgium Cedrenum.* Remittere

Remittere igitur hîc vellem Cavillatorem ad hos *Hiſtoricos* ut eos evolvet obſervétq; apud quàm paucos eorum Prodigium hoc quod in *Juſtiniani* temporibus accidit, commemoratur. Idémq; dici poteſt de illo quod contigit in temporibus *Caroli Quinti.* Atq; tunc ſi deprehenderit adeò inſignia *Accidentia* non notari à multis Scriptoribus, qui tamen ea notandi mandandíq; literis habebant opportunitatem, equidem pervellem ut apud ſe conſideret, hujuſmodi rationes quæ efficere potuerint, ut ipſi talium Prodigiorum ſcriptionem omiſerint, in eos etiam aptè quadrare poſſe, qui ſcriptionem omiſerunt illius, quod in *Servatoris Paſſione* contigit, ſéq; oportere contentum eſſe cùm ab ipſis ſcriptum inveniat, quorum maximè intererat illud ſcribere; à tribus nempe fidelibus ejus ſectatoribus, *Matthæo*, *Marco* & *Luca*, qui ſinceriorem erga perſonam Chriſti reverentiam gerentes quàm illi Principum Adulatores, *Virgilius* utiq; atq; *Ovidius*, erga defunctum *Julium*, miraculoſam hanc Eclipſin in illius honorem monumentis mandârunt, quemadmodum illi longam illam Solis obſcurationem in honorem venerati ſui *Cæſaris.*

3. Neq; rem totam hoc exhaurit. Etenim poſſum ulteriùs addere, Fortiores eſſe rationes, cur omnes extrà quàm qui Sectatores eſſent Chriſti, commemorationem illius Eclipſeos in ipſius *Paſſione* contingentis omitterent, quàm ut illi Scriptores de quibus loquimur, continuam illam Solis præterirent obſcuritatem quæ per integrum annum obſervabatur circa exitum Regni *Julii Cæſaris.* Nam & ipſa rei novitas *Cæſaris* temporibus majorem animis hominum paſſionem poterat imprimere, cùm obſcuritas Solis in *Paſſione Servatoris* (quanquam non dubito quin tanta eſſet ut ob defectum ſolaris luminis Stellæ apparerent eo modo quo æſtivis noctibus aſſolent) facilè poſſet negligi à terræ gentibus, ut quæ jam notaverant Lucem Solis iſtiuſmodi hebetudinibus & obfuſcationibus, ídq; per longum tempus, eſſe obnoxiam. Adeò ut quanquam luridus hic & cadaveroſus Solis aſpectus in *Paſſione Chriſti* longè major eſſet, quàm in *Cæſaris* obitu, cùm tamen eſſet multò brevior, ut qui non ampliùs tres horas durabat, videri poſſet ipſis minùs conſiderandus, præſertim cùm neſcirent quid portenderet. Atq; equidem poſtquam reſciviſſent, minus ipſis futurum fuiſſe animi illud literis tradendi manifeſtum eſt, cùm pro nova Religione faceret, ipſorum ſuperſtitionibus contrariâ. Adeò ut vel illa ſola conſideratio, ratio ſufficiens videri poſſit cur notabile hoc *Accidens* ab *Hiſtoriographis* tam *Judæis* quàm *Ethnicis* poſſet prætermitti.

4. *Grotius* verò ex *Phlegonte* Scriptore *Paganico* magìs directum auſus eſt depromere Reſponſum, Quòd utiq; dictus Author affirmat, ducenteſimæ ſecundæ *Olympiadis* anno quarto (qui annus eſt quo paſſus eſt Chriſtus juxta communem opinionem) tantam Solis fuiſſe Eclipſin, quanta unquam erat maxima, nocte ex inopinato homines opprimente ad horam Diei ſextam (qui eſt meridies) tenebríſq; adeò ingruentibus ut Stellæ apparerent ad eam diei horam. Mentionem etiam unà facit ingentis terræ motûs in *Bithynia*, ex eóq; ruinas egiſſe maximam partem Nicææ. Citantur etiam & alia ad hunc ſenſum ex altero Scriptore *Paganico* apud *Euſebium*, quem *Grotius* ſtatuit eſſe *Thallum.* Quæ quidem Teſtimonia rata haberi debent atq; firma uſq; dum impugnatores veritatis narrationum Evangeliſtarum, aut per *Chronologiam* apertè probaverint Chriſtum illo anno non eſſe paſſum, aut per calculum *Aſtronomicum* naturalem fuiſſe Eclipſin Solis eo anno quo paſſus eſt, tam horridam ſcilicet ac funeſtam quàm *Phlegon* deſcripſit. *Phlegon* verò dum nulli loco illam adjudicat affigítve, eam ſubindicat fuiſſe univerſalem, ac proinde minimè naturalem. *Tertullianus* etiam apud *Paganos* ſermoniacans ſuper hac re, ad eorum *Archiva* provocat de illius veritate. Et quantùm ad me equidem nullus dubito quin res vera ſit etiam in eo ipſo ſenſu quo de ea loquimur, nempe quòd Eclipſis erat univerſalis, quicquid ſit de teſtimoniis *Thalli* & *Phlegontis.*

5. Cæterùm cùm ipſe Textus non neceſſariò hoc ſupponat, poſſumus cum *Calvino* ad *Judæam* reſtringere, Deo per miraculum illis ſolummodo partibus lucem Solis intercipiente, interjectu ſcilicet conſpiſſati alicujus corporis, aut excitando nigram aliquam caliginoſámq; Nebulam, hujuſmodi utiq; quam olim in terra *Ægypti* excitaverit. Scriptura enim cum quolibet horum ſenſuum ſatìs convenit. Tam parùm occaſionis reliquum eſt Cavillatori & Infideli. Adeò ut *Credibilitas* & *Rationabilitas* præcipuarum Circumſtantiarum *Paſſionis Servatoris* ſufficienter ſint demonſtratæ.

6. Cum qua, nihil occurrit in *Apollonii* vita, quod conferri poſſit, niſi fortè illius ad Tribunal *Domitiani* citatio. Ubi poſtquam *Domitianus* eum à crimine quod illi intentabatur abſolverat, is tamen oſtentationis gratiâ, ut aliquod egre-

giæ ſuæ Magicarum rerum peritiæ ſpecimen ederet, in medio Curiæ evaneſcit, in magnam ſanè conſternationem *Imperatoris* & reliquorum Judicum. Verùm intereà loci dum tantus eſt hujuſmodi præſtigiarum artifex quibus ſe à periculo conſervet, facit profectò ut omnia ejus magnanima Præcepta quæ tanta cum gravitate cum *Damide* & *Demetrio* communicat (quibus eos animet ad quodlibet patiendum Philoſophiæ causâ) hypocritica ſint & ridicula. Adeò Hiſtrionica & ludicra ſunt ſingula in *Apollonio* ſi conferantur cum ſolida illa veritate ac præſtantia quæ invenitur in *Chriſto*.

MAGNI

MAGNI MYSTERII PIETATIS EXPLANATIO.

LIB. V.

CAP. I.

1. *De* Resurrectione Christi *quámq; defixus ejus esset oculus in illud eventum.* 2. *Præcipua* Resurrectionis *Christi utilitas.* 3. *Mundus miraculis Christi motus ad pressiùs considerandam* Divinam *personæ ejus* qualitatem, *quò magis eum contemplabatur eò aversabatur magis.* 4. *Unde perperàm interpretabantur eludebántq; vim omnem ac evidentiam miraculorum ejus.* 5. *Crassa eorum ignorantia divinitùs exprobrata per* illius *excitationem è mortuis* quem *illi adeò vilificaverant & contempserant.* 6. *Christi* Resurrectio Immortalitatis *humanæ confirmatio.*

1. EGimus de *Christi Passione*, venimus jam ad *Resurrectionem* & *Ascensionem*; Primóq; ad illius *Resurrectionem*, de qua observatu dignum est, quòd Servatoris oculus in nihil magis quàm in eam erat defixus; cùm & de ea vaticinatus sit in vita sua in Parabola de destruendo templo & instaurando illo denuò intra tres dies, intelligens utiq; *templum sui corporis*; & similiter in applicatione mirandi illius *Accidentis* quod *Jonæ* contigit. *Ut enim fuit* Jonas *in ventre Ceti tres dies & totidem noctes, ità futurus erat filius hominis in terræ meditullio tres dies & totidem noctes.* Nec foràs eliminari passus est *Transfigurationem* suam in *Monte* ante illius *Resurrectionem*, ut quæ non erat satis efficax ad fidem ingenerandam animis populi, antequam & hoc ipsi contigisset; Ut omittam invidiosam illam Circumstantiam, *Mosem* & *Eliam* evanuisse, *Christúmq;* mansisse solum. *Johan. 2. 19.* *Matth. 12. 39, 40.*

2. Jam verò magna illa utilitas tam stupendi *Accidentis* in hisce tribus præcipuè consistit,

Primò, *In eo quòd insignis quidam sit Triumphus Divinæ vitæ in persona Christi.*

Deinde, *Quòd tam certum sit pignus beatæ Immortalitatis.*

Et tertiò, *Quòd tam firmum sit sigillum claráq; demonstratio veritatis* integritatísq; omnium Miraculorum quæ Christus in vita sua edidit.

3. Christum Servatorem illustrissimum fuisse *Divinæ vitæ* exemplum quod in mundo unquam apparuit, à nemine negai potest nisi ab eo qui cæcus sit nullósq; habeat oculos ad contemplandum hujus generis splendorem. Verùm ut impendiò magis illuderetur Mundi Judicium confunderetúrque, Deus huic *Divinæ præstantiæ* per multa aderat & inaudita miracula, ut eò attentiùs vigilantiúsq; considerarent hanc tam sanctam & amabilem personam. Sed quò magis, ut videtur, eum contemplabantur, tantò eum aversabantur magis, cùm totus mundus tam profundè in *vitam Animalem* lapsus esset (ipsis *Judæis* non exceptis) ut nullam notitiam haberet saporémve *Divinæ*. Immò acri quadam adversùs eum laborabant antipathiâ, quemadmodum *Sapiens* hanc rem satis graphicè describit. *Nostra cogitata arguit nobis,* *Sap. 2. 14, 15.*

ab aspectu gravis; quippe cùm ejus vita sit aliis dissimilis, & dispar institutum. Justorum exitum beatum prædicat & patrem gloriatur Deum.

4. Quamobrem cùm tam inveteratum odium adversùs ipsum foverent, omnia quæ ediderat miracula, omniáq; quæ ipsi per miraculum acciderant, nihil aliud poterant præstare nisi quòd majorem in modum acuerent contra ipsum venenatum eorum Invidiæ aculeum. Unde admodum ipsis in proclivi erat perperàm singula interpretari & eludere, *Dæmoniorum ejectionem* fœderi imputando cum *Belzebub* inito, Diabolorum Principe; *Testimonium è cœlo*, quòd Dei erat filius, malorum *Spirituum* delusioni, conantium eos denuò in Idololatricos cultus induere; *Saturationem multitudinis* in deserto, Artis *Magicæ* præstigiis, & *Excitationem hominum è mortuis*, naturæ morbi alicujus *Lethargici* vel *Ecstatici*, qui efficere potest ut quis vitâ sensúq; cassus videatur per integrum quatriduum. *Eclipsis* sanè *Solis* mira res futura fuisset si in ipso Sole fuissent tenebræ. At recordari poterant ex aliorum saltem narrationibus mirum in modum obscuratum fuisse, etiam per annum integrum, circa obitum *Julii Cæsaris*, atq; ità considerare hanc in *Christi Passione* obscurationem, tanquam fortuitam quandam rerum *coincidentiam*, vel delusores aliquos Dæmonas causari, qui lucem Solis in gratiam insignis illius *Magi* interciperent, quem illi dignum esse judicârant qui inter duos consimiles crucifigeretur malefactores.

5. Verùm ille, quem isti Transgressoribus adnumerabant, & pro omnium hominum vilissimo habebant, quippe qui abs re nulla commendabatur quæ *Animali vitæ* grata sit & plausibilis (quemadmodum est *Nobilitas*, *Vis eloquentiæ popularis*, *Honores*, *Opes*, *Autoritas*, *splendida Educatio*, *Pulchritudo*, *Urbanitas* & *conversationis Amœnitas*, cum id genus reliquis) ille, inquam, nihil obstante generali hoc ipsius despectu apud homines, in summo apud *eum* honore erat qui Judex est infallibilis, *cujus viæ non sunt sicut viæ nostræ, nec cogitata ejus sicut nostra cogitata.* Cæterùm ut nostros sensus ac judicia conformare posset ad suos, is *Jesum Christum* excitabat è mortuis, *passibilem illam contemptibilémq; Divinitatem* quæ in ipso hospitabatur, ad meritam sic victoriam triumphúmq; perducens; cæco exprobrans mundo fœdam suam ignorantiam illius vitæ quæ sibi charissima erat summóq; in pretio; illum utiq; vivificando quem isti per invidiam occiderant, viámq; præparando quâ *is* ab universis coleretur *qui* despectus fuerat ab universis, factúsq; *Mundi Recrementum*, quamvis *illius* Ingenium, Vita atq; Indoles majoris esset pretii quàm reliqua in mundo universa.

6. Neq; profectò est hæc *Christi Resurrectio* particularis solummodò honor insignéq; Testimonium personæ Christi perhibitum, quæ tam splendidum erat *Divinæ vitæ* habitaculum, sed certissimum præterea pignus est beatæ *Immortalitatis* eis omnibus qui adnitentur illius exemplum sequi, quòd utiq; *eorum labor non inanis futurus sit in Domino.* Ac proinde non dicitur surrexisse *solus*, sed in signum *generalis* illius utilitatis quam habitura esset illius *Resurrectio*, monumenta quorundam recèns defunctorum sanctorum spontè aperiebantur, ipsíq; in civitate sancta apparebant multis. Quæ res Typus erant palpabilis, Propheticáq; beatæ illius *Immortalitatis* quam Christus paravit omnibus eis qui in eum credunt fidelémq; ipsi præstant obedientiam, Præfiguratio.

1 Cor. 15. 58.

CAP. II.

1. Resurrectionis Christi *usus ultimus, confirmatio scilicet totius Ministerii ejus.* 2. *Quî fieri poterat ut Pontifices illi ac Proceres populi, qui milites pecuniâ corruperant ut famam spargerent discipulos Christi corpus ejus suffuratos esse, non converterentur potiùs ad fidem.* 3. *Quomodo evinci possit Christum reverà surrexisse à mortuis, nec fuisse alicujus Impostoris Dæmonis delusionem.* 4. *Primum secundúmq; Responsum.* 5. *Tertium Responsum.* 6. *Responsum quartum.* 7. *Quintum Responsum.* 8. *Responsum sextum & ultimum.* 9. *Nihil ex eo, quòd apparebat & disparebat pro libitu, argui posse, quin cum eo ipso corpore surrexerit quod in sepulchro jacuerat.*

1. ULtimus *Christi Resurrectionis* usus est confirmatio totius *Ministerii.* Nam proculdubio *Judæi* eum considerabant tractabántq; tanquam *Magum* & *Impostorem*, qui tametsi miras res patrâsset dum in vivis erat, nihil tamen dubitabant, quin

quin si semel in *Judicio* reus ageretur, condemnaretúrq; & extremum pateretur supplicium, ità res cum eo successura esset ut cum aliis Malefactoribns, omnísq; ab eo molestia finem cum ejus vita esset habitura, quemadmodum in aliis hoc genus rebus usuvenire observatur. Alioqui magnum futurum esset Providentiæ vitium sive defectus, genúsq; humanum vix subsistere valeret propter immanes Magorum Sagarúmq; infestationes. Cæterùm Deus cum extraordinaria sua & miraculosa potentia interveniens, itáq; *Jesum* à mortuis excitans, certissimum dabat consternantissimúmq; testimonium contra *malignam Judæorum* crudelitatem, (modò eam liceat *malignitatem* dicere quam Amor candórq; Christi, in mediis suis doloribus acerbissimis, *nudam* appellabat *ignorantiam*) quod unquam poterat excogitari. Nam *Judiciales* eorum transactiones hoc pacto non solùm per rationem extraordinariam reddúntur suspectæ, & injustitiæ insimulantur, sed modo eò usq; miraculoso, ut manifestum sit *neminem* alium quàm *ipsum Deum* eorum esse *Accusatorem*, perinde ac *Justificatorem Innocentis* quem illi morti tradiderant, & tam miserè mactaverant ut nihil præterquam ipsa Dei manus eum revocare posset ad vitam. Famam igitur tam notabilis *Accidentis* cùm *Judæorum* Proceres accepissent satísq; noscerent, si fidem obtineret apud homines, quòd apertè demonstraret, omnia quæ Christus dixit fecítq; in vita sua, recta esse atq; rata, & ab irrefragabili *principio* profecta; nè populus pro *Messia* eum nunc reciperet, quem ante tres dies crucifixerat, pecuniâ milites conduxerunt qui ad sepulchrum ejus excubias egerant, ad disseminandum in vulgus, discipulos ejus eum noctu suffuratos esse, dum ipsi dormiebant.

2. Cæterùm hìc fieri potest, ut quispiam roget, quî factum sit ut *Pontifices* hi atq; *Proceres Judæorum* cùm tam plenè certiores facti essent à militibus, qui Christi Sepulchrum custodierant, eum à mortuis resurrexisse, ipsi ad fidem non essent conversi, persuasíq; *Jesum* reverà *Messiam* esse promissum. Sed enim nos meritò existimare possumus, id quod maximè efficax erat ad attrahendos alios ad fidem in Christum, nullam tamen vim ad eos lucrifaciendos habere potuisse, ídq; partim quia altiùs se in dira illa & sanguinolenta induerant consilia Tragicásq; molitiones adversùs *Jesum* quàm alii fecerant; cúmq; acriorem sensum haberent honoris & existimationis apud populum quàm favoris Dei amorísq; veritatis, in desperabundo hoc poterant obduratóq; animi statu, *supra calceos supra ocreas*, (quod proverbialiter dicitur) apud seipsos submurmurare, & cuilibet periculo se potiùs exponere quàm pudori illi ac dedecori quod comitaturum putabant agnitionem tam *detestabilis Erroris*; partim verò, quia, tametsi hoc *Accidens* mirum sanè videri posset, ipsi tamen existimare poterant illud majus non esse quàm quod maligni *Spiritus* possunt efficere, qui se mutare nôrunt in splendorem Angelorum lucis, ac proinde quòd non erat nisi fortior aliqua Tentatio ad explorandam fidem eorum & obedientiam erga legem *Mosaicam*. Quid enim non existimaturi essent potiùs quàm seipsos inventuri *tantæ* reos *ignorantiæ*, ut non agnoscerent promissum *Messiam*, postquam in mundum advenerat, *tantiq;* porrò *criminis*, ut *illius* essent interfectores *quem* vox è cœlo declaraverat *dilectum esse Dei filium?*

3. Verùm ex hac solutione, (fortè dicturi estis) æquè magna oritur difficultas atq; prior, *Quonam scilicet modo nos certi esse possimus Christum reverà surrexisse è mortuis*; Quippe quòd delusorii *Dæmones* sepulchrum ejus aperire poterant eúmq; indidem surripere ac postea apparere in illius forma, corpus ejus usurpantes, quod ostenderent *Thomæ*, aut mutantes propria sua vehicula in similitudinem carnis & ossium, ità ut nullius hominis sensus discrimen possit internoscere. Ad hoc verò multa quidem responderi possunt, quorum

4. Primum est, *Illud, quod Objectio vel Evasio esse potest in qualibet causa, nullius esse posse momenti in ulla.* Quid enim est quod reverà unquam contingit, ad cujus similitudinem tam propè non accedat malignorum *Spirituum* imitatio, ut nostri sensus facilè possint decipi?

Secundò, Quanquam hanc in se habent potestatem, nego tamen eos exerere eam posse ubi & quousq; ipsis placuerit, ac proinde Deum noluisse ipsis permittere fidem tam irrefragabilem conciliare toti Christi *Ministerio* per ultimum hoc miraculum, nisi Christus reverà *Messias* fuisset. Cùm verò *Messias* esset, nulla erat ipsorum delusio, sed transactio realis per illam manum quæ est *omnipotens*.

5. Tertiò, *Omnia ad amussim ità quadrabant ac si resurrexisset è mortuis.* Custodes terræ-motum videbant, lapidémq; devolutum ab ostio Sepulchri per manum Angeli de cœlo, *Petrus* inspectabat & cernebat lintea separatim jacentia, corpúsq; *Christi* ibi deesse. Apparebat verò alibi discipulis, sermones cum eis serebat, edebat cum eis & bibebat, illi carnem ejus manibus tractabant digitósq; ipsorum in ejus

ejus vulnera immittebant. Quæ major hâc demonſtratio eſſe poterat eum reſurrexiſſe è mortuis? ac proinde ab hominibus nullo præjudicio laborantibus neceſſe eſt ut ità fuiſſe factum agnoſcatur, quantalibet ſit poſſibilitas ut res aliter ſe haberet.

6. Quartò, Res illæ miraculoſæ quæ aut ipſi contigerunt aut ab ipſo factæ ſunt, dum in vivis erat, cùm tam *reales* eſſent, ſicuti erant, neceſſariò fidem gignent in animis liberis nec quóquam præ partium ſtudio propendentibus, illud *Accidens* fuiſſe ſimiliter *reale*. Quid enim iſtuc tam mirum eſt, ſi *Divina* illa potentia Chriſtum è mortuis ſuſcitaverit, quæ & ipſi facultatem dederat ſuſcitandi *Lazarum* è Sepulchro, poſtquam inibi per quatuor dies jacuerat? Ut taceam alia ejus miracula evidentiáq; illa Teſtimonia de cœlo quòd erat filius Dei. Quanquam enim aliquod ſpacium relinqui poterat tergiverſationibus ſuffugiiſq; cæcorum *Judæorum*, iis tamen qui ſunt judicio pio ac libero, *Reſurrectione* Chriſti comparatâ cum eis quæ ſupernaturaliter aut ab ipſo facta ſunt aut contigerunt ipſi in *Vita* ejus ac in *Paſſione*, illa ſanè mutuò ità ſe conſtringunt corroborántq; ut nullus omnino locus relictus ſit *Incredulitati*.

7. Quintò, Prætereà Teſtimonium Angelorum qui dixerunt *Mariæ Magdalenæ*, *Joannæ* & aliis Chriſtum ſurrexiſſe, nec rectè eos quærere vivum inter mortuos, ipſiúſq; Servatoris vaticinium de *Reſurrectione* ſua tertio Die, non potuit non confirmatiſſimam rem reddere ſuis diſcipulis, aliiſq; omnibus quorum intererat cognoſcere veritatem, quíq; in eum antea credidérat, unde & vehementes facti ſunt illius Aſſeveratores Teſtéſq; coram mundo.

Vide lib. 7. cap. 4.

8. Sextò & ultimò, Cùm omnia hæc modo hoc extraordinario & ſupernaturali contigerint Viro, qui ſe *Meſſiam* eſſe profitebatur, & eo ipſo etiam tempore quo vaticinia *Judaica Meſſiam* venturum prædixerant, inexpugnabilis ſanè eſt demonſtratio quòd hic ipſe erat, quódq; proinde omnia quæ fecit dixítque, ipsíve obtigerunt, non Illuſiones *Dæmonum* erant, nec *Præſtigiæ*, ſed tranſactiones *Reales* ac *Veræ*.

9. Neq; certè id, quòd apparuerit & diſparuerit pro libitu venerítq; ad diſcipulos foribus etiam clauſis, ulla ex parte infirmat veritatem *Reſurrectionis* ejus vitaliſq; informationis illius ipſius corporis quod jacuerat in Sepulchro. Etenim ſtupendæ quidem virtutis ſpecimen in ſe reſidentis edidit, dum *transfigurabatur* in monte; ſubindicans ſe illud ſecum circumgeſtare quod in *Vitam* valebat abſorbere *Mortalitatem*, quanquam ſemper ferè intùs cohibebatur, ad inſtar lucis in laternam cæcam incluſæ. *Divinitas* igitur illius cum interna ſua exaltata humanitate, *Animam* intelligo, ipſius corpus rurſum occupabat, illúdq; vitaliter ità irradiabat, ut æquè naturaliter cum eo unita eſſet atq; quivis Angelus cum proprio ſuo vehiculo, aut Anima quælibet Hominis aliúſve cujuſvis Animalis cum corporibus ſuis. Nec magìs mirandum erat Chriſtum corpus ſuum rarefeciſſe in tenuitatem diſparentem & evanidam, quàm quòd Angeli *Spiritúſq;* ſua vehicula in viſibilem palpabilémq; conſiſtentiam condenſent, eâdem numero materiâ etiamnum utrobiq; permanente.

CAP. III.

1. *Chriſti* Aſcenſio *firmum pignus operationis Animæ in* tenuiori vehiculo. 2. *Animæ ſeparatæ vim ac poteſtatem nos metiri non debere ex ejus operationibus in terreſtri hoc corpore.* 3. *Vitam Animæ in terris inſomnium eſſe ſi conferatur cum ea vita in quam expergiſcitur in* Cœleſti *ſuo* vehiculo. 4. Animæ ſeparatæ *vis & activitas in proprium vehiculum, à motione ſpirituum per eam factâ in hoc corpore illuſtrata; nihilq; indè commodi impiis accedere poſt mortem.*

1. QUamobrem nulla omnino firma occurrit objectio contra *Chriſti Reſurrectionem*. Eſt autem æquè *utile intelligibiléq;* Myſterium illius *Aſcenſio*. Neq; enim minùs certi ſumus ex *illius* in cœlum *Aſcenſione* de vita atq; *activitate* Animæ extra hoc corpus terreſtre, quàm ex *Reſurrectione illius* de ejus *Immortalitate*. Etenim quanquam valde ſit veriſimile, corpus Chriſti in ſua *Aſcenſione* terram reliquiſſe organizatum, terreníſq; qualitatibus modificatum, tamen vix concipi poteſt quin, dum ſubtilem *Aërem* purúmq; *Ætherem* tranſibat, illis ſe aſſimilaret Regionibus per quas ipſi erat tranſeundum, tandémq; evaderet perfectè *cœleſtis* & *ætherea*, quicquid terrenum erat aut fæculentum in puram lucem abſorpto & gloriam.

2. Nec

2. Nec durum videri poteſt cuilibet qui attentiùs hæc conſiderat, quòd Anima liberata à terreno hoc Gurguſtio tantam habitura ſit vim & activitatem in *tenuius vehiculum*, cùm admodum ſit veriſimile illius ſubtilitatem multùm collaturam eſſe ad hanc activitatem ac vigorem. Cujus tametſi parvam duntaxat in principio ſcintillam nacta ſit, vis tamen animi excitata indè & accenſa, poterit pro libitu, totum ferè vehiculum in *ætheream flammam* convertere. Neq; enim judicium capere debemus, quid factura ſit fatalibus illaqueationibus hujus terreni Carceris liberata anima, ex iis quæ inibi facit; non certè magìs quàm judicare poſſimus de captivi alicujus *Athletæ* robore atq; activitate quando liber eſt, ex eis quæ agit in vinculis duráq; ſervitute conſtrictus; vel de ipſius Animi agilitate, firmitate Rationis, & perſpicacitate quando vigilat, ex illius ſtupore aut confligentium inter ſe maléq; cohærentium cogitationum pugna & tumultu, quando dormit.

3. Tota enim hominis vita in terris noctu & interdiu nihil aliud eſt quàm *obdormitio* quædam & *Inſomnium*, ſi conferatur cum illa Animæ *Evigilatione* quæ in recuperatione contigit ſui *ætherei* ſive *cæleſtis* corporis. Quod tametſi ſit (niſi ipſi fortè viſum fuerit per occaſionem illud formare in ſpeciem aliquam Organizatam) una ſimplex & uniformis Lux quam appellare poſſumus *Stellam Ætheream*; quemadmodum *Ficinus* eas minoris puritatis, *Stellas Aëreas* nuncupat; omnes tamen nobiliores vitæ functiones meliùs in hoc *Cæleſti* corpore peraguntur quàm in *Terreſtri*, cujuſmodi ſunt *Intellectio*, *Volitio*, *Imaginatio*, *Viſio*, *Auditio*, & id genus reliqua. Idémq; de *Animæ Paſſionibus* ſtatui poteſt, cùm ſint puriores, jucundiores delicatioréſq; quàm *contingere* poſſunt, aut ſaltem ad aliquod tempus nobiſcum in hac vita *manere*.

4. Quod affirmavi de corpore *æthereo*, uniformi hoc congeneríq; *Orbe Lucis*, temerè dictum videri non poteſt eis qui naturam immediati Organi ſensûs intelligunt in eis corporibus quibuſcum nunc unimur. Quod ſuprà jam monui *animales* eſſe *Spiritus* aut *Conarion*, quod æquè improbabile eſt ſedem eſſe ſensûs, quàm vel *Aërem* vel *Ætherem*, eorúmq; utrumlibet æquè improbabile inobſequentem fore poteſtati Animæ, quàm *Animales Spiritus* in hoc ſtatu *Conjunctionis*. Ac proinde cùm negari non poſſit quin anima eos aliquo modo moveat in corpore, nullam video difficultatem quin à corpore liberata agere poſſit in conſimilis tenuitatis vehiculum, ità ſanè ut formare ipſum queat & transfigurare in quamcunq; libuerit ſpeciem; Cùm naturale illud incantamentum quod vegetas illius vires ac facultates conſopiverit, dum erat in corpore, vim ſuam perdat quando eſt extra. Quod tamen nihil commodi allaturum eſt impiis, quandoquidem ipſorum hinc evigilatio futura eſt in dolores magìs acres atq; acutos ínq; magìs inquietam ac ferocem Gehennam.

Vide Tract. de Immortalitate Animæ, lib. 2. cap. 2.

Cæterùm intereà loci manifeſtum eſt, tametſi concedamus corpus æthereum ἀνθρωπινον eſſe & planè homogeneum, nihil id obſtare quò minùs Anima ſensûs & intellectûs operationes poſſit exercere, ut os ſic obturemus quibuſdam Philoſophis qui animam, niſi in corpore organizato, operari poſſe perquam ſtrenuè negant. Quòd verò etiam corpus cœleſte organizatum ſit, in ſequenti capite nos apertè profitemur.

CAP. IV.

1. *Chriſti* Seſſio *ad* dextram Dei *&* figuratè *&* propriè *expoſita.* 2. *Senſum ejus proprium nullam ſupponere humanam ſpeciem in Deitate.* 3. *Tametſi Deus ſit infinitus & ubiq; præſens, poſſe tamen eſſe* Specialem *ejus* Præſentiam *in Cœlis.* 4. Chriſtúmq; *concipi ſedere ad dextram hujus* Præſentiæ *ſive* Divinæ Shechinæ.

1. AD *Aſcenſionem* Chriſti oportet addere *Seſſionem* ejus ad *dextram Dei*, ejus Ἀποβίωσιν, & *Interceſſionem* deniq; apud Deum pro Eccleſia. Et quantùm ad primam, nulla ibi eſt difficultas, ſive locutionem intelligamus *figuratè*, quod videtur facere *Calvinus* (tum enim per ejus *Seſſionem* ad *dextram Dei* nihil aliud ſignificatur niſi quòd Deo proximus ſit in Regni ſui adminiſtratione, & quaſi dextra illius ad tenendum ſceptrum ſuper Angelos juxtà atq; homines, ad contundendos impios tanquam virgâ ferreâ & ad recipiendos juſtos ad favorem) ſive eam *propriè* accipiamus, quemadmodum alii volunt intelligi. Nihil enim eſt incommodi agnoſcere corpus Chriſti glorificatum in ſpecie eſſe humana, háncq; *organizatam Lucem* æquè firmiter ſedere poſſe in *æthereo Throno*, quàm corpus terrenæ carnis & oſſium in *Throno ligneo* vel *eburneo*.

2. Neq;

2. Neq; certè loquendi illa formula (*ad dextram Dei*) quicquam secum importat absurdi, tanquam si Deus ipse substantia esset humanâ formâ prædita, dextrámq; haberet ac siniſtram reliquásq; humani corporis partes. Nam ex ipsis verbis Textûs, Marc. 16.19. καὶ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ, potest quis æquè commodè probare multas eum habere dextras, atq; omnino ullam. Quod planè demonstrat *Anthropomorphitas* nulla colligere posse argumenta ex hujusmodi Scripturæ locis pro insulsa sua opinione & ridicula.

3. Cæterùm tametsi Deus infinitus sit, & ex consequenti ubiq; præsens simul, nihil tamen impedit quo minùs *specialis* aliqua illius *Præsentia* in uno magis loco esse possit quàm in alio; quò si quis accessum haberet, verè is dici posset cum Deo ipso coràm versari. Concedemus igitur *Divinam Shechinam* peculiarémq; gloriam visibilem Dei, quam nulla Creatura imitari queat, in cœlis residentem, quam *Præsentiam* ille, si libeat, manifestare potest in multis locis simul; Verùm ubicunq; manifestetur, signum est maximè certum & infallibile, *ipsum Deum* ibi esse modo quodam *speciali*. Quæ ineffabilis & inimitabilis *Gloria*, magni certè est momenti; ut sanctæ utiq; Animæ Angelíq; mandata illinc possint accipere tanquam ab ipso ore Dei, & recreari mirabili hoc *Splendore* majorem sanè in modum quàm nos mortales *Solari lumine* recreamur, ut *Oraculum* eis sit quod sciscitari queant ab eóq; responsa claræ & indubitatæ certitudinis reportare, & Divinum deniq; cultum honorémq; præstare *externam* versùs *substantiam* quasi, *visibilémq;* *Præsentiam Dei*.

4. A dextro latere hujus *Gloriæ* possit *Christus* in humana forma collocari, tanquam ad dextram Patris sui qui eum misit in hunc mundum, ad quem etiam orabat *oculis in cœlum sublatis*, & ad quem dixit se reversurum, quando terra ipsi erat relinquenda; & apud quem porrò *Stephanus* eum stantem videbat, séq; confirmantem in Martyrio suo, sive visiva illius facultas mirabilem ac stupendum in modum corroborata esset ad cernendum tam distans objectum, sive objectum ipsum non esset tam distans quàm falsæ opiniones vanorum quorundam Philosophorum illud videntur repræsentare. Quantùm verò ad me equidem existimo, si vera Philosophia semel enotuerit rectéq; fuerit intellecta, nihil æquè atq; illam ad faciendam fidem Christianitati esse conducturum.

CAP. V.

1. *Christi* Apotheosis *cultúsq; ab Idololatriæ suspicione vindicatus, cùm is* Deus *sit* propriè dictus *per suam realem Physicámq; unionem cum Deo.* 2. *Realis & Physicæ Animæ Christi cum Deo unio cùm sit possibilis, multæ Rationes prolatæ ad probandum, Deum reverà eam effeciſſe.* 3. *Vana superficiariorum* Allegoristarum *subterfugia notata.* 4. *Ignorantia eorum demonstrata, Christiq;* Apotheosis *confirmata ab* Immortalitate Animæ & Regimine mundi Politico. 5. *Quicunq; se Christo adæquet, eo ipso se indicare Mendacem esse & Impostorem.*

1. QUamobrem nihil durum est nec incongruum in *Sessione Christi* ad dextram Dei Patris, modò Mysterium commodè explicetur. Illius Ἀποθέωσις rationi æquè consentanea invenietur si rectè intelligatur. Per Ἀποθέωσιν verò intelligo *Residentiam ejus in cœlis Diviniq; honoris receptionem & Adorationis ab Ecclesia.* In quo nihil suspectum esse potest nisi fortè aliquod Idololatriæ periculum subesse posset etiam illic ubi is verè Deus est qui colitur. Apologiam Gentilium suprà commemoravimus, & quousq; illi rei essent hujus erroris in colendo Creaturas sub obtentu quòd eminentiores saltem erant Manifestationes unius illius *æternæ Deitatis*, quam adorabant. Verùm immediatum Objectum nostri cultûs non est simpliciter *Creatura*, sed *Deus* propriè sic dictus, quandoquidem is æquè realiter ac Physicè unitur cum Deo atq; Anima nostra cum corpore. Jam verò quemadmodum *homo* verè dicitur *Corpus*, sive substantia corporea, propter realem sive Physicam unionem Animæ *cum corpore*, ità & *Christus* verè ac propriè dicitur *Deus* propter integræ illius humanitatis conjunctionem cum *Deo*. Hæc est ratio admodum facilis intelligendi hoc Mysterium, neq; ullam in se contradictionem involvit aut repugnantiam, non certè magis quàm naturalis unio Animæ atq; corporis; quandoquidem Deus æquè facilè invenire potest idonea media realiter & vitaliter uniendi Animam

Lib. 3 c. 3.

Animam *Meſſiæ* cum ſeipſo, quàm uniendi humanam Animam cum terreſtri corpore.

2. Jam verò hoc quod in poteſtate Dei erat ut faceret, nos eò certiores eſſe poſſumus eum feciſſe aut ſaltem aliquando facturum eſſe (nolo enim anticipare, & præflorare tertiam Tractatûs partem antequam eò perveniam) ſi illius conſideremus congruitates. Exempla Paganicarum Apotheoſeon ſuprà recenſui, quomodo Divinos præſtarent honores hominibus qui inter ipſos vixerant, & in ætatibus ſuis notabiles fuerant Benefactores & Gratificatores *Animalis vitæ*, ſive *voluptatum* ipſius fuerint promotores ſive *utilitatum*. Cujuſmodi fuerunt eorum *Legiſlatores*, auſpicati *belli Duces*, vel felices *Inventores* quarundam rerum utilium ad communes vitæ neceſſitates. Hinc factum eſt ut *Venus*, *Mercurius*, *Zamolxis*, *Mars*, *Bacchus*, *Ceres*, aliíq; in Deorum numerum relati ſint. Jam verò cùm tam ingens & ſingularis utilitas acceſſura eſſet humano Generi ex adventu *Meſſiæ* in mundum, cúmq; ille ſupplicium paſſurus eſſet pro peccatis populi, atq; ſic per ſuam mortem, poteſtatem mortis debellaturus, Cœlíq; portas aperturus omnibus credentibus; nè vehemens illa ac naturalis, & excuſabilis ſaltem, propenſio in genere humano ad exhibendum ſummos quos poterant honores ſuis maximè *Heroicis Benefactoribus*, fruſtrà poſſet temeréve ipſis ingenita videri, neu magna illa *Humiliatio* & dedecoroſa *Crucifixio*, quæ *Meſſiæ* ſubeunda erat, non ſatis ampliter compenſari, nec illud quod rerum omnium amabiliſſimum eſt & tamen in hominum oculis deſpicatiſſimum, *Divinam* intelligo *vitam*, etiam per honorem cultúmq; externum æquè altum atq; quo uſquam gentium *vita Animalis* affecta ſit, exaltari, ídq; legitimè atq; extra omnem reatum Idololatriæ; debebat profectò Deus quando *Meſſias* mittendus erat in mundum, ſuam propriam naturam ità cum ipſo communicare, vel ità *realiter* & *Phyſicè* ſeipſum cum eo unire, ut aptum idoneúmq; fieret *Divini cultûs* Objectum. Cujuſmodi tum demum eſt, cùm non *Morali adhæſione* nec *Inſtituto Politico*, ſed *naturali* & *reali unione* cum *Divino* λόγῳ verus propriéq; dictus evadit Dei filius.

3. Videmus igitur ex quàm ſolidis cauſis quámq; rationi conſonis exaltatus ſit *Meſſias* ad tam altum honoris gradum; utpote quem Deus *caput ſupremum* conſtituit ſuper *Angelos* pariter atq; *homines*. Intelligo autem de ipſa *Perſona* Chriſti æquè ac de ipſius *Natura*. Nugaces enim & ſuperficiarii *Allegoriſtæ* agnoſcunt *Divinam naturam* ſive *Eſſentiam rectam*, quemadmodum quidam amant appellare, eſſe ſupra omnia. Quòd verò circa notitiam *perſonæ* Chriſti adeò delicias agunt & tergiverſantur, id certè factum eſt aut ex *ignorantia* in ipſorum intellectu, aut ex corde *infideli* quod omnem fidem abrogat Hiſtoriæ Chriſti, utpote in qua aſſeritur, *Angelorum exiſtentia & Animarum humanarum Immortalitas*.

4. Jam verò ſi Angeli exiſtant, Animæq; humanæ ſubſiſtant agántq; extra terrena ſua corpora, neceſſe eſt inſuper (quemadmodum in *Aſſertionibus præparatoriis* jam demonſtratum eſt) ut in aliquem ordinem Regiménq; Politicum redigantur, ac ſupremum proinde aliquod Caput habeant ſibi præfectum. Quem Scriptura hîc planè aſſerit eſſe *Chriſtum*, qui ſalutis noſtræ princeps eſt bellíq; dux ad opitulandum, dirigendum, animandúmq; omnes copias *Regni Lucis* ad ſeipſos defendendos aſſerendóſq; alios ex *ſervitute Regni Tenebrarum* Tyrannidéq; Diaboli.

5. Quamobrem ſiquis ex inopinato ſurgat capútq; efferat, venditans ſe ipſi Chriſto eſſe æqualem, equidem eo ipſo convincitur ignorantiæ in *Pietatis Myſterio*, deprehenditúrq; mendax eſſe quiſpiam & Impoſtor, vel fortean Beſtia eſt Porcúſve ex *Epicuri* hara, *immortalitatem Animæ* negans, eíq; fundamento omnem ſuam deſpicientiam contemptúmq; *perſonalis notitiæ* Chriſti Servatoris ſuperſtruens, eum pariter exiſtimans atq; cæteros omnes, penitùs mortalem; ac proinde annis abhinc ſexdecies centenis & ampliùs ex integro periiſſe.

CAP. VI.

1. *Objectio contra Principatum Christi in* Homines *atq;* Angelos *à vilitate ordinis humanorum* Spirituum *cum* Angelicis *ordinibus collatorum petita.* 2. *Responsum ad objectionem quatenùs lapsos Angelos spectet.* 3. *Vis Objectionis ulteriùs adacta, circa Angelos non lapsos, cum Responso.* 4. *Responsum ulterius, ex eo quòd Angeli non sunt idonei qui sacrificium fiant pro peccatis Mundi.* 5. *Nec exemplum vitæ hominibus in carne degentibus.* 6. *Capacitates Christi adeò universales fuisse ut planè is maximè idoneus esset qui Caput* Princépsq; *fieret omnium* Intellectualium Ordinum. 7. *Christi* Intercessio *ejúsq; ad illud officium habilitas.* 8. *Quæ res in Religione* Paganica *emendatæ sint & consummatæ in* Nativitate, Passione, Ascensione, *&* Intercessione *Christi.*

1. CÆterùm porrò objici potest, tametsi consentaneum sit, ut Angeli *Spiritúsq;* humani sive in corpore sive extra corpus reducantur in Politicam aliquam formam, Regiménque, videri tamen admodum incongruens incompeténsq; ut unus aliquis ex infimo gradu omnium *Ordinum Rationalium Creaturarum* Principatum in omnes obtineret, in Angelos & Archangelos & in omnes Principatus & Potestates quascunq; sive in cœlo sive in terris.

2. Verùm ad hoc respondeo, Quòd etiamsi superiores Ordines *Intellectualium Creaturarum* multò plus roboris habere possint naturalísq; Intellectûs in se quàm homo habet, potest tamen *Humanitas* Christi, quantùm ad *Humilitatem* sanctámq; *Adhæsionem Deo*, quantùm etiam ad *Suiipsius Resignationem Fidémq;* in eum qui rerum omnium est *Radix*, quantùm porrò ad *Amorem* charissimúmq; affectum erga *Creationem universam*, & ut summatim dicam, quantùm ad res quascunq; quæ ad *Divinam vitam* pertinuerint, ipsis nihilo esse inferior. Verùm quod lapsos Angelos attinet, sint quidem, quàm fieri potest *omnium Artium* subtilitatúmq; Naturæ *scientissimi* peritissimíque, sint quàm volent *Potentes* ac *Gigantei*, etiam eò usq; ut montes evertere possint turrésq; decutere uno ictu, Christus tamen ipsis infinitò præstat in *Divinis* illis perfectionibus quas enumeravimus. Immò verò *Principium* habet ultrà quàm illi habent, longéq; supra ipsorum *orbem* remotum; quemadmodum & *Homo* Principium habet ultrà quàm habet *Bestia.* Ac proinde nihilo magìs mirandum est Deum, Dominum eum constituisse super rebelles hos *Titanas*, quàm hominem Imperium habere in Leones, Elephantos, Cetos, aliáq; magna & monstrosa Animalia.

3. Verùm dicetis, Quanquam justum videtur ut Diabolus eò quòd injustè usurpaverat, exuatur imperio, illúdq; detur Christo; nulla tamen apparet Ratio, cur Angeli *non lapsi* illius Sceptro subdantur, quippe qui ex sua natura altioris Ordinis sunt quàm ipsè, nec ullam commiserant pœnam per Rebellionem aut contumaciam adversùs Deum. Ac proinde rationi futurum fuisse magìs consonum, si univisset seipsum *Hypostaticè*, quod aiunt, cum *Angelo* aliquo, potiùs quàm cum *natura Humana.* Sed enim, O homo, tu quis es, qui adeò tibi sapere videris, ut dignum te putes qui leges ponas Deo? An non illi licet seipsum ac sua dispensare prout lubet? Prætereà cùm tanta esset Angelicorum Ordinum defectio, qui & humanum genus tentârunt fecerúntq; sui criminis participes, eorum omnium prætermissio, in conferendo tanto honore quantus in Christum collatus est, non erat certè nisi justa increpatio, meritúsq; despectus in omnes eorum ordines jactus simul, cùm & *sanguis Angelicus*, si fas ità loqui, fœdo Perduellionis reatu esset contaminatus.

Porrò, cùm defectio & rebellio *Apostatarum Angelorum* nihil aliud esset quàm vesana quædam & effrænis voluptatibus affectibúsq; *Animalis vitæ* suiipsorum addictio, cúmq; Christianitas, (quemadmodum jam definivimus) nihil aliud sit quàm Triumphus *Divinæ vitæ* in *Animalem*; Equidem hic triumphus, contemptus, & insultatio in *vitam Animalem* eò accuratiùs peragitur, quantò magìs in unoquoq; loco eæ res, quæ maximi vulgò æstimantur, prætermittuntur tanquam viles & contemptibiles; totúmq; Mysterium restituendæ lapsæ Creationis Deo, ab hujusmodi autore perficitur, qui illud susceperit nudus vacuúsq; ab inani Pompa inutilium istarum Circumstantiarum, *Celsitudinis* putà *ordinis*, *Nobilitatis Prosapiæ*, *Mundanæ Autoritatis*, *Roboris Pulchritudinisq;* corporis, *subtilitatis Ingenii*, *Peritiæ rerum Naturalium Sermonisq; gratiæ* ac Eloquentiæ, aliarúmq; rerum quarumcunq; quæ tanto sunt in pretio

pretio apud hominem merè *Naturalem* vel *Animalem*. Adeò ut ob hanc ipſam rationem *Angeli* excludendi eſſent ab hoc munere.

4. Quartò verò & ultimò, ſi *Angelus* quiſpiam ſe offerre voluiſſet hujus cum *Servatore* Honoris *Competitorem*, quæſtio illa *Zebedæi* filiis propoſita pudorem ipſi meritò incutere potuiſſet de hac ſua competitione. *Neſcis quid petis, potéſne idem bibere poculum quod ego bibiturus ſum, & eodem Baptiſmate quo ego baptizandus ſum baptizari?* hoc eſt, Potéſne vilem illam ac ignominioſam mortem crucis pati? Hoc Angelus certè non poteſt, quippe qui ſi in hunc mundum cum humana carne gigni poſſet eóſq; dolores ſufferre quos *Meſſiæ* anima tulit, *Angelus* ſanè non eſſet, ſed *Anima humana*. Sed reſpondebitis fortè, tametſi Angelus mortem pati non poſſit in humano corpore, eum eſſe tamen ità capacem cruciatûs ac ſupplicii ut Sacrificium fieri ſatis commodè poſſit expiatorium pro peccatis Mundi. Verùm ego hîc rogo, quomodo nos, quorum tantoperè intereſt ut rem reſciſcamus, hanc paſſionem Angeli reſcire poſſimus? Etenim quanquam Tranſactiones humanæ Angelis ſunt ſpectaculum, Angelorum tamen Tranſactiones ab hominibus cerni non poſſunt propter vehiculorum tenuitatem. At *Angelum* dices hunc *piacularem*, etiam datâ operâ ſe viſui noſtro exhibiturum. Sed enimvero quàm *nugatoria* ac *Phantaſtica* hæc res apparitura fuiſſet cum *reali* certáq; Chriſti Servatoris *Paſſione* comparata? Matth. 20. 22.

5. Prætereà, ſi Angelus hoc officium ſuſcepiſſet, non potuiſſet nobis eſſe tam idoneum vitæ exemplum quàm Chriſtus, qui homo erat eiſdem obnoxius infirmitatibus quibus nos ipſi ſumus, quíq; reverà ſenſit quicquid pertinet ad naturæ noſtræ imbecillitatem. Etenim *Paſſiones* illius *Animæ* non magis imminutæ erant & abolitæ per unionem ejus cum *Deitate* quàm *paſſibilitas* materiæ per *unionem* cum *Anima*. Quamobrem cùm Chriſtus citra culpam ac peccatum tanta cum fidelitate per omnia carnis gravamina vadaret, quæ majora ſunt quàm quibus *Angelici Ordines* exponuntur, ſpectaculum id certè erat perquam magni momenti tum Angelis tum hominibus. Quid verò *Angelus* facturus eſſet vel paſſurus nobis hominibus paris momenti eſſe non poterat.

6. Quamobrem is qui tam univerſalis erat capacitatis ut eſſe poſſet Exemplum boni, malíq; Redargutor omnibus *Ordinibus Intellectualium Creaturarum*, quæ peccabiles ſunt & mutabiles; & tam generalis charitatis & commiſerationis erga omnes Animas rationales ut ignominioſiſſimam acerbiſſimámq; mortem ſubire ſuſtineret, quo à ſua rebellione & confœderatione cum *Regno tenebrarum* ad *Dei Regnum* ipſas reduceret; hæc, inquam, perſona, cujus virtutis Influentia tanta eſt in omnes, digna eſt profectò quæ caput omnium fiat, juxta illud quod & de ſeipſo declaravit, *Mihi data eſt omnis poteſtas & in cælo & in terra*. Unde manifeſtum eſt neminem ipſo majorem eſſe præter ſolum Deum, ad cujus dextram ſedet intercedens pro Eccleſia ſua.

7. Atq; hoc ultimum eſt eorum quæ propoſui; Illius utiq; *Interceſſio*. In qua nihil neceſſe eſt ut diu immoremur, cùm nulla omnino in ea ſit difficultas, ſed admodum magna congruitas, talíſq; quæ nulli Angelo competere poſſit quemadmodum ſuprà indicavi. Quod & Author ad *Hebræos* expreſsè notavit Cap. 4. *Non enim habemus Pontificem qui noſtris infirmitatibus affici non poſſit, ſed qui ſit in omnibus ſimiliter periclitatus, citra peccatum*. Quem igitur neceſſe eſt oppidò quàm miſericordem fore ac potentem pro nobis *Interceſſorem* apud *Patrem*, non ſolùm ad Remiſſionem peccatorum, ſed ad omnia ſubſidia roboris gratiæq; impetranda, quæ Eccleſiæ ſuæ in terris militanti ſint neceſſaria.

8. Atq; ſic vidimus, quomodo in *Nativitate*, *Paſſione*, *Aſcenſione* & *Interceſſione* Chriſti comprehendatur plena & irreprehenſibilis completio quatuor illarum partium præcipuarum Religionis Paganicæ quæ ad eorum ſpectant *Heroas*, *Catharmata*, *Apotheoſes*, & *Interceſſiones* Δαιμόνων ſive *Deorum Medioxumorum*. Nam quod illi in hiſce rebus quaſi palpando naturaliter prætentabant, in eóq; errabant, illud omne hîc emendatur legitimúmq; redditur & laudabile, imò verò meritorium & efficax tum ad præſentem tum ad futuram felicitatem, in Chriſto utiq; Jeſu, cujus per manus omnia negotia *Deum* inter atq; *homines* tranſire oportet, ſi gratiam expectamus & ſucceſſum. Quæ quidem rerum accommodatio per Divinam ſapientiam excogitata, permagni profectò momenti fuit ad perſuadendum Gentibus ut Evangelii veritatem amplecterentur, quippe eò invitati ex rationibus ſolidis, quò cæca eorum propenſio ipſos per hallucinationem olim & errorem naturaliter ferebat.

CAP. VII.

1. *Nihil esse in* Apollonii *Historia quod propriè respondet* Resurrectioni *Christi è mortuis.* 2. Exitum *illius ex hac vita pro ejus esse* Ascensione. *De qua rumores erant varii, sed in hoc uno consentientes quòd non moriebatur in Lecto.* 3. *Exceptio ejus ad Templum* Dianæ Dictynnæ *in* Creta, *ejúsq; in cœlos accersitio per virginum chorum in aëre canentium.* 4. *Modi exitûs* Apollonii *ex hoc mundo incertitudo ex ipsius* Philostrati *confessione collecta.* 5. *Ille ad* Dianæ Dictynnæ, *si verus sit, nullam tamen esse Demonstrationem magnæ ullius præstantiæ in illius persona.* 6. *Exitum illius ex hoc mundo clandestinum suspicionem movere posse suis admiratoribus eum cum corpore simul atq; anima abreptum fuisse in cœlos.* 7. *De* Apollonii *statua* vocali, *déq; ejus versuum dictatione novitio cuidam Philosopho* Tyanæ *de* animæ Immortalitate. 8. *De Umbra illius apparente* Aureliano Imperatori. 9. *De Christi apparitione* Stephano *in Martyrio suo*, Saulóq; *dum proficiscebatur* Damascum.

1. DE *Nativitate, Vitâ, Morte, Resurrectione,* & *Ascensione* Christi jam diximus; pergemus tandem ad tria illa ultima quæ proposuimus, postquam breviter quid in *Apollonio* consimile sit Christi *Resurrectioni* & *Ascensioni* consideraverimus. Est enim perpetuò levis saltem aliquis respectus & allusio in illius vita ad notabiliora *Accidentia* in vita *Servatoris.* Nihil verò invenire possum quod pro *Apollonii* è mortuis Resurrectione habendum sit nisi fortè elapsus illius è manibus *Domitiani.* Quod quidem periculum tantum erat ut omnes homines eum haberent pro mortuo. Verùm quàm nugatoria ea res esset, quámq; merum ostentationis Magicæ specimen, jam suprà notavi.

2. Realis igitur illius exitus ex hoc mundo habendus est pro ejus *Ascensione,* quemadmodum & elapsus ejus ex capitali illo periculo pro ejus *Resurrectione.* Rumores verò de illius exitu varii sunt. Quidam enim affirmant adfectâ jam ætate, ut qui octoginta aut centum annos natus erat, Ephesi diem obiisse. Quod tamen non est verisimile, cùm *Philostratus* profiteatur se maximam orbis habitabilis partem peragrâsse illius sepulchri inquirendi gratiâ, nec tamen ullam ea de re famam auditionémve usquam accepisse. Tam gravis verò ac Divina persona quàm putabatur *Apollonius,* non potuit non cohonestari pompâ funebri sacróq; aliquo Monumento, (cùm tam celebri nomine esset per totum terrarum orbem) ubicunq; contigerit mori. Quamobrem probabilissimum est eum mortem, quod aiunt, in lecto non obiisse, sed in aliqua solitudine, sive mors non opinantem eum inibi oppresserit, sive ipse ex consulto sibiipsi mortem ibi consciverit, ut olim *Empedocles* qui seipsum in *Ætnæ* flammas conjecit ut haberi posset, quem *Apollonius* se esse professus est coram *Domitiano,* immortalis scilicet Deus.

Οὐ μάν με κλανέεις ὅτι ἔ τοι μόρσιμός εἰμι.

3. Alii referunt, in *Rhodo* Insula templum *Minervæ* ingressum *Lindi* coram populo de subito disparuisse, neminémq; sciviss̀e quò abiret. Alii affirmant ex hac mortali vita excessisse *Cretæ,* ubi dum ad *Dianæ Dictynnæ* Templum appropinquabat, fores sponte se aperuerunt, ità ut custodes magnâ indè admiratione percussi sint. Qui & suspicabantur eum sacrilegum aliquem *Incantatorem* ex eo quòd feroces Molossi ipsi adblandirentur majori cum affectu & familiaritate quàm eis qui ipsos alebant. Quamobrem Æditui vincula *Apollonio* injecerunt ad salvum conservandum Thesaurarium. Cæterùm circa mediam noctem is seipsum liberabat, cúmq; custodes nominatim inclamâsset, nè eum putarent se clanculùm velle surripere, ad fores templi abibat, quæ, ut dixi, suâ sponte se aperiebant, & postquam intraverat, sponte se rursùs claudebant: post quæ continuò auditæ sunt voces è cœlo tanquam puellarum suaviter canentium, claréq; emodulantium versiculos aliquot ad hunc sensum, *Veni de terra, veni, salta huc in cœlum, exsili de terra in altum.*

4. Verùm quantùm ad Historiam exitûs *Apollonii* ex hoc mundo duo observatu digna sunt; Primum est, *Philostratum* suæ narrationi fidem abrogare variando ad hunc modum alternandóq; Historiam. Etenim cùm profiteatur se in magno habuisse negotio hanc in rem inquirere, eámq; explorare, séq; maximam orbis habitabilis partem

partem peragrâſſe ut ſe faceret certiorem, nec tamen determinaverit quænam ex his tribus narratiunculis eſſe poſſet probabilior; equidem indicium eſt eum de veritate nullius earum certum fuiſſe, ſed illius exitum talem eſſe poſſe qualem ego ſuprà ſubindicavi.

5. Alterum eſt, quòd tametſi ſupponamus ultimam harum trium hiſtoriarum quæ maximè glorioſa videri poteſt, eſſe pariter veriſſimam; *Apollonii* tamen exiſtimatio multùm obſcuratur, quòd noctu è mundo exceſſerit, quamvis agnoſceremus noctem Lunâ illuſtrem ſuo fuiſſe itineri deſtinatam. Etenim tunc Myſterii profundiſſimi (ſi modò Myſterium ſit & non merum Figmentum) quod hîc latere poteſt, ſumma hæc eſt.

Quòd utiq; hæ Adoleſcentulæ, Nymphæ ſcilicet *Dianæ*, accerſiverint duxeríntq; ſecum *Magum* hunc ſenem ad fruendum illis ludis ac voluptatibus quas hujuſmodi ludicri *Spiritus* unà cum vetulis Sagis aliiſq; ejuſdem ſodalitatis, in longè remotis ſolitudinibus ſub patula aliqua quercu, vel in ſummitate acclivis alicujus montis lucis umbroſiſq; arboribus circumſepta mutuò ſibi ſolent creare, (quæ ſolennitas ab antiquis dicebatur *Ludus Dianæ*, quemadmodum jam notavi ex *Mirandulano*) ubi per gratiam ſpecialem, propter eximia officia *Tenebrarum Poteſtatibus* ab ipſo præſtita, collum ipſi per ludum jocúmq; de aliquo præcipitio luxare poſſent, frangentes ſic nucis putamen ut nucleo fruerentur, vel alio quovis modo ſcito & eleganti eum rugoſis ſqualidiſq; *Mortalitatis* veſtimentis exuere, ut ſic factus nudior quàm cùm ad Tribunal *Domitiani* apparebat, in intimiores amplexus exciperetur à municipibus *Regni Tenebrarum*, cáq; præmia reciperet quibus dignus putabatur tam fidelis ſedulúſq; *illius Regni* miniſter. Quæ tamen alia non erant, niſi quòd gradu fortè differebant, quàm quæ alii *Magi*, *Incantatoréſq;* ſolent recipere. Tam vana ſunt, tam frivola ac vulgaria, omnia quæ in *Apollonii* vita occurrunt, ſi conferantur cum eis quæ commemorantur in vita Chriſti.

6. Cæterùm quomodocunq; factus ſit illius ex hac vita exitus, non eſt veri diſſimile quin magnum ipſius perſonæ honorem conciliaret quòd tam clandeſtinus eſſet & ſecretus. Cúmq; Paganico ſuo Zelo ſpurios *Abſtinentiæ* obtentus, *Caſtitatis*, *contemptûs Mundi*, aliarúmq; ſpecierum plauſibilium *Moralitatis*, præter ipſa *Miracula* (ſi ità fas ſit appellare) quæ per aſſiſtentiam *Poteſtatum Regni Tenebrarum* edidit, ſuperaddidiſſet, abeſſe certè non poterat, quin à quibuſdam putaretur cum corpore ſimul & Anima in cœlos fuiſſe ſubvectus, ut *Enochus* olim & *Elias*, beatámq; obtinuiſſe ἀποθέωσιν inter Deos. Cujus rei fiduciâ quidam ſtatuas ipſi erigebant, quemadmodum refert *Philoſtratus*, & nominatim, Tyanæ, oppido ubi erat natus.

7. *Grotius* ex Eccleſiaſtico aliquo Scriptore narrat Statuam illius fuiſſe quandam quæ loqueretur, quippe ab aſſiſtente aliquo *Dæmone* actuatam; ſed verò & os ejus ſtatim fuiſſe obturatum per potentiam Chriſti, & illius Evangelii prædicationem. Dictabat etiam verſiculos quoſdam novitio cuidam Philoſopho *Tyanæ*, (de *Animæ Immortalitate*) qui eum per decem continuos menſes obnixè oraverat ut ſe ea de re certiorem faceret. Quos verſus ille recitabat condiſcipulis ſuis, geſtu Phrenetico, è ſomno exſiliens aſſeveránſq; præſentem adeſſe *Apollonium*, quanquam præter ipſum nemo eum cernebat. Unde quis meritò conjiceret nihil aliud fuiſſe quàm confuſi cujuſdam Inſomnii continuationem, quod ille explebat ſomnum inter & vigiliam. Cùm res haud ità inſolens ſit apud homines, etiam dormientes, pluribus reſpondere quæſtionibus quàm huic novitio Philoſopho proponebantur à ſuis condiſcipulis.

8. Verùm realis illius apparitio *Aureliano* Imperatori videtur probabilior. Nam cùm Copiæ illius, ut ſcribit *Vopiſcus*, contra *Tyanam* irent, cúmq; Cives portas oppidi clauderent contra ipſum, bilem *Imperatori* id factum ità movit, ut voto temerario ſe obſtringeret nè canem quidem ſe relicturum vivum in Civitate; Cæterùm *Apollonii* Umbra ipſi apparens in Tentorio eúmq; dehortans à tanta Crudelitate mentémq; per minas ipſi meliorem induens prævertit calamitatem, ità ut capto oppido, votum ſuum in internecionem ſolummodò canum per jocum interpretaretur. Verùm ſeveriter mandabat militibus, ut civibus parcerent. Quæ quidam Hiſtoria ſi vera non erat, ſcitè tamen peritéq; formata eſt tum ad honorem ſuffulciendum recèns *Deificati Apollonii*, faciendo eum tam tempeſtivum nativi ſui oppidi in tantis anguſtiis liberatorem, tum ad ſartam tectam conſervandam *Imperatoris* exiſtimationem apud milites, ut qui ſic videbatur per Deos Immortales abſolutus à rigido illo voto tradendi totum oppidum cædibus & direptionibus militum.

9. Hæc ſunt ferè præcipua quæ mihi uſquam occurrunt de *modo* exitûs *Apollonii* ex hac vita, déq; *effectis* falsò creditæ illius *Divinitatis* poſtquam exiverat. Verùm,

præter

præter Hiſtoriæ incertitudinem, manifeſtum eſt admodum miſeras obſcuráſq; illius eſſe indicationes ſi conferantur cum demonſtrationibus quæ pro reali Chriſti *Apotheoſi* producuntur. *Stephanus* enim dum lapidabatur, ad magnam ſanè Spiritûs ſui corroborationem in Martyrio cœlos apertos videbat, Chriſtúmq; ſtantem ad Dextram Dei inſigni gloriâ ac Majeſtate. Atq; *Paulus* dum *Damaſcum* proficiſcebatur ad perſequendos Diſcipulos Chriſti, ab hoc ſuo veſano Inſtituto dimotus eſt per *glorioſam Apparitionem* Chriſti è cœlo. Circumfulſit enim circa ipſum Lux ingens, & audita eſt vox de cœlo dicens, *Saule, Saule*, cur me perſequeris? Videbant etiam ejus itineris comites Lucis coruſcationem, & attoniti erant, audiebántq; vocem de cœlo quanquam illius mentem non intelligebant, cùm eam non tam articulatè diſtinctéq; audirent, quàm is cuja res tum maximè agebatur. Quæ duæ ſunt inſignes profectò demonſtrationes veræ ac legitimæ *Apotheoſeos* Chriſti, cum quibus nihil occurrit in *Apollonii* Hiſtoria quod ſit comparandum. Addam tamen & tertiam, eámq; illuſtriſſimam; *Revelationem* nempe factam *Johanni* de rebus Eccleſiæ à ſuis temporibus ad finem uſq; mundi, quo nullum præclarius optari poteſt *Apotheoſeos Chriſti* argumentum.

Act. 9. 4.

Apoc. c 1. v. 1.

CAP. VIII.

1. *Uſus Paralleliſmi hactenus continuati* Chriſtum *inter &* Apollonium. 2. Mahometes, David Georgius, H. Nicolai, *magna profitentes* Prophetæ *in ſcenam introducti, Autoriſq; Apologia quòd ſic fecerit.* 3. *Incredulitatem circa Hiſtoriam Chriſti, quandámq; in* Morali Mythologia *dexteritatem præcipuas eſſe dotes in* Davide Georgio *&* H. Nicolai. 4. *Si ulla unquam in mundo crediderint extitiſſe miracula, rationem reddere eos debuiſſe, cur eis non haberent fidem quæ de Chriſto commemorantur, mundúmq; erroribus eripere, miracula edendo ad confirmandam Doctrinam ſuam.* 5. *Si verò crediderint nulla fuiſſe nec ulla unquam fore, planè ſe produnt* Atheos *fuiſſe &* Epicureos. 6. *Sceleratum* Satanæ *conſilium apud hanc ſectam in ornando ſtylum ſuum* Phraſi Scripturali, *quanquam magìs* Infideles *erant quàm vel ipſi* Pagani. 7. *Infidelitatem craſſam horum duorum* Impoſtorum *meritò quempiam inducere poſſe ad ſuſpicandum, duos eos fuiſſe aſtutos potiùs prophanóſq;* Veteratores, *quàm ſimplices veréq; mente emotos* Enthuſiaſtas. 8. *Ubi fides extincta ſit, omnes* Ecſtaticas *Hortationes ad virtutem juſtè ſuſpectas eſſe poſſe à naturali temperie potiùs provenire quàm ab ullo* Principio Divino.

1. EXtendimus jam *Paralleliſmum* quouſq; porrigi poſſit lineâ ex parte *Apollonii* deficiente. Verùm quamdiu Materia permittebat pretium operæ putabam continuare collationem, ut excellentia perſonæ Servatoris eò clariùs appareret tam illuſtri *Pſeudomante* illius facto competitore, útq; toti mundo palàm eſſet caſum non fuiſſe nec fortunam, ſed incomparabilem perſonæ Chriſti dignitatem, & ponderoſas Providentiæ Circumſtantias, tam amplum illi perhibentes teſtimonium, quæ fecerunt, ut mundus *Chriſtiani* facti eſſent potiùs quàm *Apolloniani*, hoc eſt, ut *Evangelium* potiùs amplecterentur quàm perſiſterent in *Paganiſmo*, quantumvìs ad elegantiſſimum defæcatiſſimúmq; modum *reformato*, ídq; à nobiliſſimo generoſiſſimóq; viro qui unquam *purè* audiit *Paganus*, à celeberrimo utiq; *Apollonio*.

2. Verùm, ut in integrum ſibi campum habeat, devictis cujuſq; modi hoſtibus & fugatis, non abs re fore puto, paulò longiùs digredi, notaréq; alios paucos qui partes æquales cum ipſo aut etiam ſuperiores ſibi vendicant. Horum autem præcipui ſunt hi tres, *Mahometes*, *David Georgius* & *homo* ille *Deificatus* ab *Amſtelodamo*, quem certè non auſim in *Album* referre niſi præfando priùs veniam, pro tali re quæ tam propinquam videatur gerere ſimilitudinem contumeliæ & contemptûs erga *beatum Servatorem*. Verùm, *Dueſſa* antequam veſtibus ornamentíſq; ſit euxta, *Vnæ* ſe æquiparabit, ut notiſſima ſe habet fabula apud *Spencerum*. Audáxq; ignorantia quorundam alios cogit multam operam impendere explanandis evincendíſq; eis rebus quæ cuilibet qui nullo laboret præjudicio utplurimum veræ deprehenduntur vel primo aſpectu. Quod genus *Suſcepta* quanquam ſanè non magna ſunt Ingenii hominis argumenta, ſunt tamen illius fidelitatis ſinceríq; Amoris erga veritatem, quod impendiò magìs eſt præſtabile.

3. Primùm

3. Primùm igitur paucula de duobus posterioribus *Davide Georgio* eóq; altero ab *Amstelodamo* disseramus, duobus illis arcani ænigmaticiq; oris *Prophetis*, qui tot Mysticis ambagibus subdoléq; formatis salutationibus Mundum ad se pelliciunt, totum Evangelium nihil aliud facientes quàm unam longam prolixámq; *Fabulam*, & se solos omnium *Inspiratos Illuminatósq;* reputantes, ob id tantummodò, quòd se opinentur rectum illius adinvenisse ἐπιμύθιον. Adeò ut eorum præcellentia præ cæteris in his duabus præcipuè rebus consistat, in *obstirmata Infidelitate* circa historiam Christi quatenus ulla de eo miracula tradit, & in *dexteritate* eam *interpretandi* per *Moralem* quandam *Mythologiam.* Per quod sanè, *Evangelium* penitùs abrogatur, magísq; fundamentaliter subvertitur quàm *Lex Mosaica* per *Evangelium.* Nunquam enim extitit Christianus adeò impudens ut *Mosis* negaret miracula, & ex consequenti Historiæ *Instrumenti Veteris* veritatem, quòd tamen hi faciunt in Novo. Ex quo judicium capi potest quid facturi sint etiam in Vetere: Omnium enim verisimillimum est eos credidisse nulla in ullo seculo miracula usquam gentium extitisse.

4. Quòd si credant fuisse aliquando miracula, ostendant rationes cur suspicentur ea quæ commemorantur de Servatore esse fabulam, ipsíq; miracula edant ad demonstrandum nobis, nos fidem adhibere falsitati, Deúmq; ipsos misisse cum istiusmodi speciali Legatione cujusmodi ipsi prætendunt. Si nulla possiunt facere miracula, Deus ipsis non est testis sed ipsi de seipsis solummodò testificantur, ac proinde meri sunt *Fanatici*, & cerebri intemperie laborantes *Enthusiastæ*, nihil habentes quo impellerentur ad tam audax & monstrosum Inceptum quàm sit antiquatio Christianitis & abrogatio officiorum *Personæ* Christi, præter superbiam & furorem inflammatorum suorum spirituum, & Phantasticam de seipsis opinionem quasi Deus ipsos plus illuminaverit quàm mundum reliquum universum.

5. Si verò juxta impulsum illius Spiritûs *Infidelitatis*, qui in ipsis est, nulla fuisse nec ulla unquam in mundo fore credant miracula, sed omnia juxta ratas constantésq; Naturæ leges ferri, in hoc se produnt tantùm abesse ut sint *Illuminati* extraordinarii, ut è contrà magìs cæci stupidíq; sint quàm quivis homo vulgaris, qui timore Dei non destituitur, &, quod quidam eos esse suspicantur, occultum quoddam celatúmq; genus *Atheorum* vel *Epicureorum.* Hoc verò ego ausim dicere, si stylum eorum nudaveris omnibus *Scripturalibus* loquendi formulis, omnibúsq; allusionibus ad Historiam Christi, veterísq; Instrumenti, nihil te inventurum in hisce Autoribus quod altiùs surgat quàm Fides *Epicuri*, *Democriti*, vel *Lucretii*, cùm nihil expressim asserant quod *Moralis* quivis *Paganus* non sit asserturus, immò verò nec tantum quidem quantum nobilioris notæ *Pagani*, qui *Animæ* tenuerunt *Immortalitatem.*

6. Cæterùm hoc est sceleratum Diaboli apud hanc *Sectam* consilium, quòd stylum eorum sermone scripturali exornet, ut sic possint quasi insignia *Regni Lucis* gestare, atq; eo dolo corrumpere milites Christianos, & à fidelitate sua erga Christum seducere, eósq; labefacere ac proruere in servitutem *Regni Tenebrarum.* Adeò ut magno illo fidei fulcro in pretiosis Evangelii promissis sublato, necesse sit ut cor ipsis deficiat in hora Tentationis, útq; gradatim ad plenum disponantur consensum cum qualibet transitoria voluptate quam naturalis homo sapit, sive in opibus sive in honoribus sive in carnis cupiditatibus explendis, ídq; sub quacunq; lege mundus ista sit ipsis propositurus. Tantum igitur abest ut isti duo *præfervidi homunciones à Delphia* & *Amstelodamo* se tam insignia præstent mundi *Luminaria*, quàm ipsi gloriantur, ut sint majorem in modum mentibus occæcati quàm multi *Paganorum*, qui tenuem aliquam coruscatiunculam hauserant spei mundi futuri, *Spiritumq; existentiam* & *edendorum miraculorum Facultatem* crediderunt.

7. Quæ consideratio inducere quempiam possit ad credendum hos, (quod dixi) non simplices quidem fuisse, veréq; mente emotos *Enthusiastas*, sed potiùs versutos quosdam vafrósq; *Veteratores* & *Impostores*, qui cùm reverà *Epicurei* essent, quanquam aliquantò subtilioris contexturæ filique, *Ecstatico* suo & *Enthusiastico* Ingenio ad decipiendum totum Christianum Orbem abuti poterant, avocantes ipsos à Christo ad sui admirationem; quod satìs magnum ipsis esse posset emolumentum nec voluptas minor; & sub prætextu docendi magìs recondita Evangelii Mysteria, cuniculis Evangelium subruere, auferendo substantialem illius Historiam, & vulgaria integendo vitæ præcepta, (qualia quivis *Paganus Moralis* de virtute tradere potest) ornatu Mystico *Nativitatis*, *Mortis*, *Resurrectionis*, & *Ascensionis* Christi, & faciendo deniq; totum *Christianitatis Mysterium* nihil aliud, nisi quandam scitè confictam *Fabulam* ad obvias quasdam veritates *Morales* illustrandas, ejusmodi planè quæ ab omni ferè *Atheo* & *Epicureo* agnoscantur, quarúmq; usus non ultrà se extendat quàm ad commodè moderandas voluptates ac gaudia hujus præsentis vitæ.

8. Equidem

8. Equidem non inficior quin frequens *Scripturalium Allusionum* & *Locutionum* usus in eorum scriptis, excitare possit in hominibus *probè animatis* sensum quendam ultra eorum intelligentiam ac perceptionem qui ipsa scripserint. Sed enim ubi fides in Christo extincta sit & promissorum eorum quæ ille mundo tam clarè per *Resurrectionem* suam & *Ascensionem* manifestavit, equidem id argumentum infallibile esse censeo *Divinam vitam* itidem esse extinctam, fieriq; ex aliqua corporis, animæve aut spirituum impuritate, ut quis infra hanc fidem subsidat, omnésq; illius virtutes aut *complexionales* tunc esse aut merè *Morales*, talésq; quæ in Bestiis cicuratis inveniantur, melioríve ingenii Brutis. Hanc certè verisimillimum est summam fuisse illius *Illuminationis* quæ in hisce duobus magnis invenienda sit *Gloriatoribus*, quæ si cum illa in Christo conferatur, vix eam rationem habitura est quam flamma fœtidæ lampadis ad præfulgidum Solis splendorem. Adeò ut nisi à seipsis fuissent & ab aliis beato Servatori aut æquiparati aut prælati, ego certè hanc inter ipsos collationem instituere nunquam dignatus fuissem, ullámve eorum in scriptis meis usquam facere mentionem.

CAP. IX.

1. Mahometes *multò orthodoxior in præcipuis Religionis Articulis quàm supradicti* Impostores. 2. *Altus ille gradus in quo hic* Pseudopropheta *se collocat. Iter ejus in cœlos Angelo* Gabriele *eum comitante. Bestia* Alborach, *ejúsq; inclamatio in via à duabus fœminis, reiq; per Angelum interpretatio.* 3. *Adventus ejus ad Templum* Hierosolymis, *Reverentiáq; ei illic habita ab omnibus Prophetis sanctisq; Dei nunciis qui unquam in mundo extiterunt.* 4. *Politicus sensus visionis hucusque, callidus ac versutus.* 5. Mahometes *manui Angeli* Gabrielis *innixus ad cœlum scandit super scalam* Divinæ Lucis. *Transitus ejus per septem cœlos, & commendatio suiipsius* Christo, *in septimo.* 6. *Salutatio Creatoris cum stupendis illius circumstantiis.* 7. *Quinq; dona specialia ipsi à Deo data in illo congressu.* 8. *De versutia naturali in* Enthusiastis *subtiliq; eorum superbia ubi videri volunt maximè humiles. Mira vis* Enthusiasmi *apud rudem populum.* 9. *Et stupendus illius successus in* Mahomete. *Alii* Enthusiastæ *æquè elati ac* Mahometes. *Sed non æquè prosperi, & quare.*

1. TErtius *Pseudopropheta* capútq; Gentium est *Mahometes*, qui tametsi fortè non sit tam inculpatis moribus homo, aut saltem non tam cautus, quàm hi duo de quibus proximè locuti sumus, sed carnis voluptatibus magis apertè illaqueatus (nisi fortè falsa de eo sparsa sit fama) quàm fuerunt isti duo *Sadducæi*, & ad fruendas illas voluptates magis idoneus; tamen, (sive *fors* sit sive *consilium Politicum*) videtur magis *Orthodoxus* in præcipuis Religionis Articulis quàm isti, ut qui non solùm existentiam Dei, Angelorum & *Spirituum* tenebat, sed etiam Immortalitatem Animæ, Judiciúmq; publicum futurum, in quo unusquisq; *remunerabitur secundùm id quod patraverit in carne, sive bonum sit sive malum.*

2. Successus hujus *Ambitoris* rerum magnarum in mundo tam stupendus fuit, ut paulò diutiùs in eo insistere, quàm in duobus prioribus è re fore judicaverim. Primò igitur notabimus in quàm altum gradum se collocet, conabimúrq; postea perlibrare eum, & ad debitum suum locum reducere.

Si igitur proprio illius Testimonio fidem velimus adhibere, inveniemus eum tanto in honore apud Deum & *cœlestes Potestates*, ut in altissimos cœlos evectus sit, saltem per *visionem.* Verùm ille *Historiam* de seipso narrat tanquam si esset realis *Transactio.* Quòd scilicet aliquando circa mediam noctem Angelus *Gabriel* illius pulsabat fores, dixítq; iter ipsi suscipiendum esse in cœlos, quippe quem *Omnipotens* paucis volebat. Quódq; Angelus secum adduxerat bestiam ut lac candentem, cui Nomen *Alborach* Asino quidem majorem, sed minorem Mulo, quem Angelus jussit *Mahometem* conscendere; Bestiâ verò calcitrante & repudiante sessorem, rogavit eam Angelus cur id fecerit, cùm nunquam hactenus receperit, nec unquam recepturus sit in dorsum virum præstantiorem *Mohomete.* Respondit verò *Alborach* se non admissurum nisi hâc lege ut promitteret se, ingressum ipsi, in Paradisum impetraturum: Quod postquam *Mahometes* promiserat, conscendit, Angelúsq; bestiam per habenas

duxit

duxit uſq; dum perveniſſent *Hieroſolyma.* Jam verò dum in via erant itinerantes *Mahometes* vocem audiit cujuſdam fœminæ eum clarè inclamantis, *Mahometes, Mahometes!* verùm Angelus juſſit nihil reſponderi. Cùm autem paulò ulteriùs progreſſi fuiſſent, altera fœmina eum ſimiliter inclamavit, Angelus verò ipſi rurſus mandavit ut taceret. Poſtea verò rogavit *Mahometes* Angelum, quænam hæ fœminæ eſſent? ad quod Angelus reſpondit, primam promulgatricem eſſe *Judaicæ* Legis, ſecundam Chriſtianæ, quódq; ſi ille primæ reſpondiſſet, omnes *Mauri* futuri fuiſſent *Judæi*, ſi ſecundæ, *Chriſtiani.*

3. *Mahometem* porrò poſtquam ad portum Templi *Hieroſolymis* pervenerant deſcendiſſe à beſtia *Alborach*, & cum Angelo veniſſe in Templum, ubi omnes Prophetæ & nuncii Dei qui unquam in mundo extiterunt, ibant ei obviàm eúmq; ſalutabant, dicentes, *Salve venerabilis Nuncie ac Propheta Dei.* Poſtea verò comitantes eum inſigni cum pompa ad ſacellum *Mihrab*, multâ adhibitâ reverentiâ petiiſſe ab ipſo ut pro eis omnibus oraret. Quod poſtquam præſtiterat, rogâſſe eum inſuper, ut ipſorum memor eſſet poſtquam Dei veniſſet in præſentiam. His peractis, omnes diſceſſiſſe, Angelúmq; ac *Mahometem* ſolos relictos fuiſſe in Templo.

4. Per quod callidum verſutúmq; Figmentum *Mahometes* proculdubiò nihil aliud ſignificabat, neq; ad aliud quicquam collineabat, quàm ad ſuiipſius *juſtificationem*, quòd *tertiam ſectam* inſtituiſſet à Religione *Judæorum* & *Chriſtianorum* diſtinctam; & ad *commendationem* ſuiipſius toti mundo tanquam *Prophetæ maximi* qui unquam hactenus apparuit in terris. Verùm nondum ad ſummum Viſionis apicem pervenimus.

5. Angelus verò & *Mahometes* egreſſi poſtea è Templo ſcalam invenerunt è *Divina Luce* concinnatam, quæ à terra ad cœlum pertingebat, per quam ambo, *Mahomete* Angeli manui innixo, eò aſcendebant, tranſeuntes per *ſeptem Cœlos*; Primum ex *Argento* puro, ubi *Adamus* erat; Secundum ex *Auro*, ubi *Noah*; Tertium è certa quadam *Gemma* pretioſa, ubi erat *Abrahamus*; Quartum ex *Smaragdo*, ubi *Joſephus*; Quintum ex *Adamante*, ubi *Moſes*; Sextum è *Carbunculo*, ubi *Johannes Baptiſta* inveniebatur; Septimum è *cæleſti Luce*, ubi erat *Jeſus Chriſtus.* Omnes hæ perſonæ venerabiles *Mahometem* peramicis ſalutationibus charíſq; amplexibus exceperunt, eíq; ſe commendabant. Verùm in ſeptimo cœlo *Mahometes* videtur ſe commendare *Chriſto.* Infinitos numeros, Figuras monſtroſas, immenſáſq; magnitudines Angelorum, quibus hanc ſuam viſionem exornat ad majorem incutiendam admirationem ſectatoribus ſuis, datâ operâ omiſi, tanquam res nimiùm viles ac faſtidioſas. Nec verò adhuc ad finem itineris perventum eſt.

6. Angelus igitur *Gabriel* valedicit ipſi in cœlo hoc ſeptimo, narrans ei non licere ſibi ulteriùs cum illo progredi. Verùm Deum ſolum nunc futurum eſſe viæ ducem. *Mahometes* igitur pergens in itinere per veſtigia incredibilium *ſummitatum* ac *ſublimitatum* ferebatur, per multam aquam profundámq; nivem *vadans*, adeò ut vires ipſi prorſus defeciſſent niſi eum refeciſſet vox, dicens, *Mahometes!* veni huc & ſaluta *Creatorem* tuum. Quamobrem ſonum hujus vocis ſequens tam *ingentem* vidit *Lucem*, ut ab ipſa ferè occæcatus eſſet. Dei enim Facies integebatur velamentis *Cæleſtis Luminis* milliaria ſeptuaginta craſſis; ad quod ille appropinquavit intra duarum ſagittationum ſpacium, nec tamen videre poterat faciem Dei propter ardentes ſplendores radióſq; *Gloriæ* qui è lucidis illis velamentis effluebant. Deus verò ad recreandum eum manum ipſi impoſuit, quæ oppidò quàm frigida ſentiebatur.

7. In hoc congreſſu *Legem* accepit à Deo, & *Arcana* mirabilia multa, maximè verò omnium gloriatur hâc nocte in ipſum collata eſſe dona quinque, quæ nemo hactenus habuerat nec poſt eum unquam eſt habiturus, viz.

Primò, Quòd Deus eum tum fecerit primum maximéq; Principem Creaturam in cœlo atq; in terra.

Secundò, Quòd futurus eſſet maximè præſtabilis maximéq; honorabilis inter filios *Adami* in Die Judicii.

Tertiò, Quòd generalis futurus eſſet mundi Redemptor.

Quartò, Quòd habiturus eſſet omnium linguarum peritiam.

Quintò & ultimò, Quòd victorioſus futurus eſſet bellíq; ſpolia reportaturus.

8. Videmus quàm altè ſeipſum *Mahometes* extulerit, quantúmq; verſutiæ Politicæ cum Fanatico hoc Figmento ſit intermixtum. Veſania enim *Enthuſiaſtica*, quemadmodum nunquam à ſummo quodam ſuperbiæ genere disjungitur, nè tunc quidem cùm videtur maximè humilis, (etenim dum nihil ſibi attribuit, ſed omnem ſuam ſcientiam agnoſcit potentiámq; immediatè eſſe à Deo, id profectò nihil eſt aliud quàm oſtentatio quædam altioris alicujus generis potentiæ magíſq; infallibilis viæ ſcientiæ

quàm cæteri mortales habeant, cujus quidem rei hæc viſio *Mahometana* viva admodum eſt Imago) ità etiam ſæpenumerò eam comitantur inopinatæ fraudis dolíq; circumventiones, tales ſanè quæ non facilè in mentem veniant viro vulgari ac ſobrio. Per quod *Enthuſiaſtes* apud rudem populum, ſi non prorſus ſit mente emotus, ſed actuoſo ingenio, & ſponte oblatas nactus opportunitates, mira profectò patrare poſſit in mundo, taliáq; quæ nemo ſobrius aut præſtare queat aut auſit unquam tentare. Atq; talis eſt hujus *Mahometis* conditio, qui in medio Dementiæ ſuæ *Fanaticæ*, effrænis lusûs ac Feſtivitatis, Libidinis inſatiabilis ac Ambitionis, & Rapturarum Poëticarum, Martiíq; furoris, fundamenta jecit immenſi illius Imperii quod totus mundus etiamnum attonitus admiratur. Ad quod primus gradus erat *Enthuſiaſtica* illa inſania quæ eum animabat ad cogitandum aut ſaltem profitendum ſe ultimum maximúmq; *Prophetam* quem Deus unquam in mundum ſit miſſurus. Nam intrepida hujus rei inculcatio multis extemporarii Ingenii adinventionibus, ad reſarciendum ſuum honorem ubi illius impoſturæ detectæ eſſent adjuta, negotium certè expediebat cum ſucceſſu apud rudem illam gentem quîcum illi res erat.

9. Quantùm verò ad ſuperbiam quæ *furorem Fanaticum* comitatur, equidem fateor alios fuiſſe quorum mentes iſtis fidiculis æquè diſtentæ erant atq; illius, *Davidem Georgium* intelligo, *Amſtelodamenſem* iſtum, & Doctorem *Peruvianum* aliósq; qui eundem Titulum atq; Officium cum illo affectabant, & fortean cùm penitiùs illo inſanirent (ſaltem ex eis aliqui) firmiùs credebant ſe *magnum illum Prophetam* quem Deus miſſurus erat in mundum, quàm ipſe *Mahometes*. Cæterùm cùm *Mahometes Enthuſiaſmum* haberet magis morigerum, & quod caput rei eſt, meliores opportunitates venandi ſuam prædam, ut cui res erat cum rudi & illiterato populo, ſucceſſus ejus non ſolùm eorum ſucceſſum excedebat, ſed tam admirabilis erat, ut verum quemvis Prophetam potuiſſet cohoneſtare, Mundóq; commendare.

CAP. X.

1. Mahometem *verum non fuiſſe Prophetam, è crudelibus ſanguinolentiſq; ſuis Præceptis detectum*; 2. *Ut & ex inſatiabili ejus Libidine*; 3. *Et ex enormitate Imaginationis rerúmq; Ignorantia. Quis ſenſus eſſe poſſit nigræ maculæ Cordi ejus per Angelum* Gabrielem *exemptæ.* 4. *Ejus affectatio miraculorum, ut nubis ipſum obumbrantis dum Heri ſui mulos agebat.* 5. *Truncus arboris findens ſe ut viam cedat impingenti Prophetæ. Conferta arborum congregatio ad defendendum ab eo Solem*, Lunæq; diviſio. 6. *Res hactenus recenſitas de* Mahomete, *ſumptas eſſe ex* Johanne Andrea Abdallæ *Sacerdotis* Mahometani *filio, viro gravi ſerióq; Chriſtiano.*

1. Cæterùm Prophetam eum verum non fuiſſe ſed merum *Enthuſiaſten Politicum* vafri ac verſatilis Ingenii, cùm aliquot micis Dementiæ ac Phreneſeos mixti, tum ex depravatis illius Moribus, tum ex rerum Ignorantia & Imaginationis enormitate facilè poteſt deprehendi. Ad primum refero ejus crudelitatem in condendo leges quibus omnes trucidandi eſſent qui ſtatim ad illius Religionem non converterentur. Quod præceptum occurrit & in *Alcorano* & in *Zuna. Occidite homines quouſq; omnes* Mauri *fiant.* Utq; majori cum zelo hanc agerent *Tragœdiam*, nec tamen ſibiipſis à morte metuerent, tantum gaudium in hujuſmodi exitu è vita ipſis promiſit (præter celerem Ingreſſum in Paradiſum, comeſſationéſq; inibi cum Creatore) ut lubenter Paradiſum vellent relinquere rurſúſq; venire in carnem, ut capaces fierent perfruendi tanti gaudii quantum hoc genus mors ſecum hominibus affert.

2. Præterquam verò quòd tam *crudelis* erat, erat etiam inſatiabiliter *libidinoſus*, quemadmodum colligi poteſt ex multis illius factis, ut ex eo quòd *Zeydino* ſervo uxorem abſtulit, cùm tamen ipſe domi haberet non pauciores novem, *Zeydinus* verò non niſi unam ſolam. In libro *Azcar* & *Aſſameil* quindecim dicitur habere uxores & ſummopere propter virilitatem laudari, quòd cum omnibus rem habuerit unius horæ ſpacio. Adulterium etiam commiſit cum *Marina* quapiam, Puellâ *Judæâ*, quæ ipſi dono data erat quindecim annos jam nata, cúmq; deprehenſus eſſet in illo facinore ab *Axa* & *Hafeza* duabus ex præcipuis ſuis uxoribus, & ob id increpitus, juravit

ravit ipsis se cum ea nunquam deinceps rem habiturum. Sed cùm *Libido* ejus fortior esset jurisjurandi obligatione, duæ uxores eum iterum inveniebant illicitum illum ludentem ludum. Quam ob causam *Mahometes* ampliavit matrimonii leges, licitúmq; fecit omnibus suis Sectatoribus cum Ancillis rem habere. Dicitur etiam cùm jam septem uxores haberet *Axam* duxisse sex annos natam, & cum ea concubuisse, cùm nata amplius octo annos non esset. Deniq; nullos postea limites libidini suæ posuit, sed populum docuit sibi licere cum quibuscunq; voluerit concumbere, quanquam ipsos interea intra certum modum coërcebat. Qua quidem in re non tam humanus erat ac facilis quàm *David Georgius* qui permisit hanc libertatem omnibus suis Sectatoribus æquè ac sibiipsi. *Vide Enthusiasmum Triumphatum, Sect. 34. Art. 9.*

3. *Imaginationis* ejus *enormitas* rerúmq; *Ignorantia* manifestæ sunt ex multis locis: quemadmodum ex eo quòd *Mariam* Matrem *Jesu*, sororem facit *Mosis* & *Aaronis*, asserítq; Stellas catenis aureis suspendi, ipsárúmq; maximas majores non esse magno aliquo monte, quódq; affirmat Deum super * Tauri cornu terram stabiliisse, illiúsq; capitis vibrationem causam esse terræ-motuum: hoc *Mahometes* tradit in libro *Zuna*; ubi etiam docet, quando quis sepultus sit, duos Angelos nigros ad eum accedere, eúmq; cogere seipsum erigere in genua, atq; sic exteriori corporis parti animam ad instar *Indusii superpellitiive* induere, quo facto, cum examinare utrùm in legem *Mahometis* credat, cum multis aliis ejusdem farinæ interrogationibus. Id etiam admodum scitum est illius Figmentum. Cùm quatuor utiq; annos natus erat Angelum *Gabrielem* manu eum tenentem ponè montem quendam duxisse, atq; ibi acutâ novaculâ pectus ejus discidisse ipsíq; cor exemisse, & postquam à nigra quadam macula emundavisset, reposuisse rursus in locum suum. Sed enimverò manifestum est ab eventu, Angelum cultro suo incisorio, ratione efficacissimâ ad prævertendum tot támq; enormia Adulteria ob quæ *Mahometes* adeò erat infamis, neutiquam usum esse. Vel fortasse fieri potest, ut illius rei sensus sit, eum exemptâ hâc nigrâ maculâ & abstersâ factum fuisse prorsus impeccabilem, sensu nimirum *Fanatico*, quòd, faciat scilicet quæcunq; voluerit, non possit tamen peccare, non sanè quamvis cum sua matre concumberet, suúmve trucidaret patrem. Quæ vesana opinio est quorundam *Enthusiastarum* in hisce nostræ ætatis temporibus. * *Vide Johan. Andr. confus. Sectæ Mahometanæ cap. 5*

4. Immensum esset omnes hujus Prophetiæ ineptias recensere, quarum quæ cum Judicio maximè conjuncta sit, est *miraculorum affectatio*. Etenim qui miracula nec reverà habet nec ea potest fingere, quâ, obsecro, fronte potest ille se Prophetam profiteri? Primi miraculi, quod sibi attribuit, mentionem jam fecimus, quod cordis illius erat à nigra macula emundatio, quæ homines facit obnoxios incursitationibus Diaboli, quemadmodum *Mahometani* opinantur.

Secundum illi obtigit septendecim annos nato, quando nubes in morem Canopei eum obumbrabat die torrido, dum itinerabatur cum Camelis Heri sui: Hisce addere potes illius ab Angelo salutationem in spelunca, Lapidúmq; & Arborum Animaliúmq; Brutorum ad eum Alloquia, cum hac compellatione, *Salve Mahometes Dei nuncie*; quemadmodum & *Illacrymationem* aridi trunci Palmæ ad discessum ejus & exilium à *Mecha*.

5. Verùm tria miracula eáq; omnium maximè notabilia adhuc restant. Quorum primum est, Trunci Arboris diffissio ad *Mahometis* in ipsum impactionem, dum meditabundus incedebat, cum oculis religiosè in cœlum sublatis. Arbor enim spontè se fidit in duas partes, ut sancto Prophetæ liberum transitum præberet, postquam verò transiverat, in unum statim partes rursus coaluêre.

Secundum est, conferta simul arborum congregatio ad defendendum ab eo Solem, earundémq; rursus ad illius jussum, cujusq; ad locum proprium recessio. In *Zuna Mahometes* magìs particulatim affirmat, quòd die quodam cùm ex lege Naturæ necessaria, alvus ei exoneranda esset in aperto quodam campo, duabus mandavit arboribus ut ad se accederent ad defendendum ab ipso calorem Solis, quod illæ continuò præstabant radicibus earum è terra evulsis, quódq; postquam jussérat redire, arbores statim obsequebantur, infigebantúrq; rursus terræ in suis utræq; locis ut antea.

Cæterùm, ultimum maximéq; insigne miraculum (quod æquè illius *Ignorantiam Naturæ* arguit atq; *Imaginationis enormitatem*) est certè *Lunæ* in duas partes ab eo facta *Divisio* protrusióq; unius partis in unam Manicam, alteriúsq; in alteram, earúmq; mox eductio è partibus collo proximis, & in unum rursus postmodùm ferruminatio, redintegratæq; Lunæ tandem in eundem Cœli locum remissio, unde suarum precularum vi eam descendere coëgerat. De quibus omnibus miraculis summatim observandum est, quòd quemadmodum quædam ex ipsis non sunt possibilia, ità

nulla, nè affirmantur quidem coram teſtibus fuiſſe facta, quódq; deniq; ipſorum pleraq; oppidò quàm fatua ſunt & ridicula.

6. Commemorantur hæc ferè omnia apud hominem admodum gravem piúmque, & verum, quantum ego conjicio, ſincerúmq; Chriſtianum, *Johannem* utiq; *Andreæ* filium & ſucceſſorem *Abdallæ* Sacerdotis *Mahometani*, virum ſanè Religionis Legíſq; *Mahometanæ* conſultiſſimum, qui poſt converſionem ſuam ad Chriſtianitatem, librum ſcripſit, (idq; ut mea fert ſententia multo cum candore ac judicio) de Impoſtura *Mahometiſmi*, ex quo collegi quæ hîc recenſuimus, poſſimúſq; plura addere tum ex ipſo tum ex aliis Scriptoribus; Verùm hæc ſufficient ad demonſtrandum *Mahometem* talem eſſe hominem qualem ego ipſum deſcripſi, & ad efficiendum porrò ut ex hujuſmodi collationibus rectiùs intelligamus, magíſq; vivido ſenſu ſobrietatem, dignitatem & irreprehenſibilem propriæ noſtræ Religionis ſoliditatem ſapiamus.

CAP. XI.

1. *Tria magna* Apotheoſeos *Chriſti* Conſequentia. 2. *De* Miſſione Spiritûs ſancti, *Apoſtolorúmq; facultate faciendi miracula.* 3. *Circumſtantiæ deſcensûs* Spiritûs ſancti *in ipſos in* Die Pentecoſtes. 4. *Circumſtantiarum hujus miraculi ſolida* Rationabilitas. 5. *Senſus earum* Symbolicus. 6. Flatus violentus *quid ſignificaret, ruens reptén ſq; domum.* 7. *Quid* Linguæ *igneæ &* diſpertitæ. 8. *Multorum aliorum* Miraculorum *aut* accidentium *Apoſtolis aut ab ipſis* factorum *recitatio.* 9. *Congruitas & cohærentia totius Hiſtoriæ miraculorum Chriſti ejúſq; Apoſtolorum à ſucceſſu illuſtrata.*

1. POſtquam longiuſculâ ſed neceſſariâ Digreſſione, falſas illas & inſalubres vias, per quas *Mahometes, David Georgius, Fanaticúſq;* illius *Gregalis* ab *Amſtelodamo* homines volunt ducere, perluſtravimus, reſtat jam ut ad veram illam viam fidelémq; ductorem *Jeſum Chriſtum* redeamus, cujus per *Reſurrectionem, Aſcenſionem*, & *Apotheoſin* cùm pertranſiverimus, progrediemur jam ad ultima illa tria quæ propoſuimus, quæ omnia *Conſequentia* ſunt illius *Apotheoſeos* admodum congrua & naturalia, nempe *Seſſionis* illius, *Mundiq; Adminiſtrationis* ad *dextram Dei Patris*: Sunt autem hæc, *Spiritûs ſancti Miſſio* in die *Pentecoſtes, facultáſq; edendi miracula Apoſtolis Diſcipuliſq; donata*; *Magnus molitionum ipſorum in Mundo ſucceſſus*, dum hac mirificâ poteſtate muniebantur; & *Viſibilis* deniq; *Chriſti reditus in mundum ad judicandum vivos & mortuos.*

2. Horum primum, quæ *Miſſio eſt Spiritûs ſancti facultatiſq; Apoſtolis edendorum miraculorum donatio*, id certè non ſolùm *æquum* erat ut præſtaretur, utpote quod ante promiſſum erat à Chriſto dum cum ipſis verſabatur in terris, ſed etiam *neceſſarium* ut fieret quanquam non fuiſſet promiſſum, ut, quando foras prodibant ad prædicandum Evangelium Nationibus, non viderentur prorſus ridiculi & contemptibiles, in proponendo res adeò vanas & incredibiles (quemadmodum mundo erant apparituræ) taléſq; quæ aliquam ſpeciem dedecoris & opprobrii præ ſe ferrent. Dum ipſis hominem commendabant pro *Dei filio*, quem tamen *Judæi* pro malefactore crucifixerant inter duos latrones. Proculdubio niſi extraordinaria aliqua vis eis adſtitiſſet, potuiſſéntq; ea facere quæ planè ſunt ſupra Naturæ leges, deriſi fuiſſent ubiq; Gentium & exſibilati undique, quócunq; veniſſent. Cùm verò ſupernaturalem hanc aſſiſtentiam habuerint, & propria ipſorum fides eò firmiùs in ipſis indè radicabatur (dum experiebantur *Jeſum* prorſus ſe præſtare totum id eſſe apud *Patrem* quod ſe profitebatur fore;) eránt q; pr terea adeò mirum in modum animati & corroborati per ſenſibilem hanc præſentiam *Deitatis* ipſos ubiq; concomitantem, ut nulla pericula nec contumeliæ, immo verò nec ipſius mortis timor ac cruciatuum cohibere ipſos poſſet à reddendo apertum mundo Teſtimonium earum rerum omnium quas illi viderant, pro certóq; cognoverant de crucifixo *Jeſu Dei filio* & humani Generis *Servatore.*

3. Vidimus jam in genere quàm neceſſaria eſſet Apoſtolis ſupernaturalis hæc aſſiſtentia. Notabimus jam particulatim quàm congrua ſaltem ac decora prima illius eſſet exhibitio, in die utiq; *Pentecoſtes.* Apoſtoli cum aliis diſcipulis cùm in cœnaculo *Hieroſolymis* convenirent, cúmq; unâ mente unáq; fide eſſent, & expectatione

Promiſſi

Promiſſi *Spiritûs Sancti*; ſupradicto die *Pencecoſtes ſupervenit ipſis repente de cælo ſonus quaſi vehementis flâtûs ruentis totámq; domum replentis ubi ſedebant. Conſpectæq; ſunt eis diſpertitæ linguæ inſtar ignis qui eorum unicuiq; inſidebat. Repletiq; ſunt omnes Sancto Spiritu & diverſis loqui linguis cœperunt prout Spiritus eis dabat effari.* *Act. 2. v. 2, 3, 4.*

4. Deo ſuppoſito ac Providentiâ Angelorúmq; Miniſterio ac *Spirituum*, nihil omnino hîc impoſſibile eſt nec incredibile. Notabimus verò & *circumſtantiarum congruitatem*, quæ aut ſcito alicui ſenſui *Symbolico*, aut *utilitati* minimè amittendæ inſerviant, quod & ipſum diem facere judico, eorúmq; hoc *Pentecoſtes* die *in unum* locum *Conventionem*. Etenim earum rerum quæ ſic unicuiq; ipſorum per miraculum contigerunt intuitus & obſervatio, fortior eſt confirmatio fidei univerſorum, teſtéſq; indè magìs idonei fiunt toti mundo eorum quæ ipſis per miraculum obvenerunt. Erátq; *Pentecoſtes* dies tempus accommodatiſſimum quo hæc contingerent, propter magnum populi concurſum eo die futurum.

5. Nec tamen id excludit ſenſum illum S. *Auguſtini* magìs *myſticum* & *ſymbolicum*, Quòd ſcilicet quemadmodum *Lex ſcripta Judæis* data eſt die quinquageſimâ poſt *Paſcha*, ità *Lex Spiritûs* quæ cordibus hominum inſcribenda erat mirandum ad hunc modum hîc inchoata eſt eodem Die per prædicationem Apoſtolorum ſuper quos Spiritus deſcendit viâ adeò extraordinariâ. Nec alter ille ſenſus de *unitate loci Moralem* illam *Grotii* ſignificationem excludit. *Deus dona ſua promiſit unitati.* Iſtud etiam quòd ſedebant ἐν τῷ ὑπερῴῳ, aut ſignificationem habet *Moralem*, aut, quæ quicquam valeat, *nullam*; Alioqui quò à terra quiſpiam eſt remotior nihilo eſt Deo propinquior, præſertim intra olfactum *Atmoſpheræ*. Quam ſpeculationem Philoſophicam *Apollonius* multa cum gravitate verborúmq; apparatu perſequitur, ubi *Damidem* edocet inter itinerandum in *Caucaſo* monte (quem finitimi ſpectabant tanquam ſanctum aliquod *Deorum domicilium*, ut & alii montes ob eandem opinionem Θεῶν ὀχήματα appellantur) quòd utiq; nihilo propinquior quiſquam eſſet Religionis ac virtutis cognitioni quamvìs in altiſſimum *Athon*, *Olympum*, univerſóſve mundi *Caucaſos* evectus eſſet, niſi res divinas ac Religioſas contempletur non tam in *puro* ac *ſubtili Aëre* quàm ex *repurgato ſpiritu* ac ſincero.

6. Illa verò quæ præcipuam habent ſignificationem ſunt *Violentus ruens flatus*, *Linguæq; igneæ diſpertitæ*. Quorum duorum prius Symbolum eſt vis illius externæ quam illaturus erat mundo Deus in introducendo in eum *Filii ſui* notitiam. Nam proculdubio ſtupenda illa miracula quæ per Apoſtolos facta ſunt, externos hominum ſenſus adeò fortiter feriebant, ut quodammodo vi cogerentur agnoſcere manum Dei cum ipſis fuiſſe, doctrinámq; quam docebant eſſe veram. Cujus cognitio tandem unà cum miraculorum fama totum mundum replevit, quemadmodum & ſonus de cœlo ac violentus ruens ventus totam replêrunt domum ubi ſedebant. Certum eſt Pontifices maturè conqueſtos eſſe quòd Apoſtoli totam *Hieroſolymam* doctrinâ ſuâ repleverant.

7. Poſterius verò, *Linguæ* ſcilicet *igneæ diſpertitæ*; ſpecies quidem ipſarum *igneæ* explorantem, penetrantem, colliquefacientem & purificantem vim Spiritûs innuit, quemadmodum & ipſarum *diſpertitio* Sermonis vivi effectum, quod eorum prædicationem comitabatur, quem meliori jure appellare poſſumus τὸν διαιρῦντα λόγον, quàm *Stoici* jejunam ſuam *Rationem*. Hic enim eſt qui *penetrantior eſt quovis gladio ancipiti, & pertingit uſq; ad diviſionem Animæ ſimul ac corporis compagúmq; ac medullarum, & cogitationes & conceptus cordis dijudicat*; quemadmodum obſervari potuit in Sermone *Petri* prædicato. Vel, ut uſq; adeò *Myſticis* ſenſibus & *Spiritualibus* non indulgeamus, διαμεριζόμεναι γλῶσσαι, *Linguæ* hæ *diſpertitæ* ſymbolum ſolummodò externum eſſe poſſunt internæ illius facultatis ipſis donatæ loquendi diverſis linguis, quanquam eas nunquam erant edocti. Quod quidem donum usûs erat admodum ſobrii ac neceſſarii (utì & omnia erant miracula quæ edebantur vel à Chriſto vel ab Apoſtolis) cùm ipſi prædicare deberent diverſis nationibus quæ tunc *Hieroſolymis* habitabant, & proficiſci poſtea in diverſas Regiones ad convertendum homines ad fidem. *Hebr. 4. 12.*

8. Hæc eſt ſolida ratio quæ reddatur omnium circumſtantiarum magni illius miraculi partim in Apoſtolos partim ab Apoſtolis facti poſt Chriſti *Aſcenſionem* in cœlos. Quæ divina vis ſemper poſtea eis aſſiſtebat in omnibus eorum peregrinationibus ac laboribus in Evangelio, quemadmodum videre eſt in *Actis Apoſtolorum*. Ubi non ſolùm invenies ipſos hac edendi miracula facultate præditos, verùm etiam per [a] preces manuúmq; impoſitionem conferentes eam aliis, in Eccleſiæ utilitatem; ubi eos videbis ſanantes [b] ægrotos, [c] claudos in pedes erigentes, facientéſq; ut ambulent, ſuſcitantes

[a] *Act. 8. 15.* [b] *Act. 5. 15.* [c] *Act. 3. 6, 7.*

d *Act.* 9. 40. e *Act.* 5. 16. f *Act.* 5. 15. g *Act.* 4. 31. h *Act.* 8. 39. i *Act.* 5. 19. & 12. 7, 8. k *Act.* 6. 15. l *Act.* 7. 55. & 9. 3, 4.

suscitantes [d] mortuos, [e] Dæmonia ejicientes, omniáq; rursus miracula maximè notabilia repetentes quæ Servator edidit. Etiam nonnulla quæ ipse nunquam fecit. Cujusmodi sunt linguis locutio,& per meram corporis [f] umbram sanatio, quæ aliquantò mirabilior videtur quàm illa per tactum fimbriæ vestimenti Christi facta. Quibus addere potes, quæ per miraculum ipsis acciderunt, ut domicilii in quo erant inter preces & supplicationes, (terræ-motûs instar) per sensibilem præsentiam *Divinæ* virtutis eos ubiq; concomitantis [g] succussio; [h] Transvectio eorum per aërem Angeli manu ab uno loco in alium; Visitatio ipsorum per [i] Angelos in carcere, qui & aperiebant carceris fores faciebántq; ut vincula sponte ipsorum corporibus exciderent; Vultuum [k] Transfiguratio in splendorem Angelicum, Christíq; [l] apparitio è cœlis in fulgore illustri magìs & relucenti quàm est Sol circa meridiem, quemadmodum contigit *Paulo* proficiscenti *Damascum*. Quarum rerum credibilitatem, quemadmodum & Resurrectionis ac Miraculorum Christi, ipse successus planè arguit.

9. Videtur enim prorsus impossible ut Christus, homo omnibus illis perfectionibus destitutus quæ plausibiles sunt carni & sanguini; qui nec vi eloquentiæ armatus erat, aut Philosophiæ peritiâ, aut autoritate dignitatéve mundanâ; nec fortunæ Nobilitatisq; subsidiis munitus, (sed è contrà ex eo, quòd vitam degebat, exemplúmq; se præbebat morum, qui aut contemnuntur à naturali homine, aut odio habentur, incommodatus ac præpeditus) quíq; adhuc magìs invisus contemptibilisq; factus est, propter mortem ignominiosam quam inter duos infames malefactores subiit: Equidem nisi vis alta extensúmq; de cœlo brachium rem Christianam promovisset, hoc est, nisi idem Christus hujusmodi, quæ commemorentur, miracula ipse patrâsset, nisi à mortuis surrexisset, ascendisset in cœlos, atq; Spiritum indè in Apostolos effudisset, donassétq; ipsos facultate tam mirabilia patrandi opera quàm quæ reverà patrabant, impossibile inquam prorsus fuisset, ut Christianitas eum habuisset successum, quem ad hunc usq; Diem eam in mundo habuisse cernimus. Adeò ut tota Christi Historia admodum congruens sit & cohærens, talísq; qualis juxta ipsam rei naturam debet esse quandocunq; Messias venerit in mundum.

CAP. XII.

1. *Tria insignia effecta* Missionis Paracleti *per Christum, ab ipso prædicta, Johan.* 16. Paracletus ubi venerit, *&c.* 2. *Expositio* Grotii *in locum.* 3. *Fundamentum illius expositionis.* 4. *Brevis indicatio genuini sensûs loci per Autorem.* 5. *Vaticinium Christi impletum, agnitúmq; non solùm à* Christianis *sed & à* Mahometanis. 6. *Substantiam* Mahometismi Mosem *esse &* Christum; *Unius Dei perquam fervida eorum Professio.* 7. *Agnitio miraculorum à* Christo *factorum &* Apostolis, *summiq; Privilegii in Christum collati.* 8. *Quam vim in ipsos habeat ea veritatis Christianæ portio quam jam sunt amplexi, & quæ porrò spes sit plenæ ipsorum Conversionis.*

1. IMmensæ profectò operæ res esset amplum illum successum, quem Christi *Passio, Resurrectio, Ascensio,* Spiritúsq; sancti *Missio* in mundo habuit, particulatim prosequi. Cæterùm universalissima, latissimèq; patentia effecta silentio præterire non possumus, præsertim illa tria de quibus & ipse vaticinatus est, Johan. 16. *Quòd utiq; Paracletus ubi venerit mundum arguet de peccato, & de justitia, & de judicio.*

De peccato, quoniam mihi fidem non habent.

De justitia, quoniam ad patrem discedo, nec me videbitis ampliùs.

De judicio, quoniam princeps hujus mundi judicatus est.

2. Cujus summa, prout *Grotius* forensi sensu locum interpretatur, admodum latè se extendit, agnoscitúrq; æquè apud *Turcas* ac *Christianos.* Eruditus enim expositor Christum supponit Spiritum mittere tanquam *Advocatum*, qui causam ejus acturus esset adversùs mundum (& certè vox παράκλητος id significat & nihil ampliùs) atq; ità mundum convicturus, Primò, de grandi *Infidelitatis* crimine trucidationéq; veri eorum Prophetæ, imò expectati *Messiæ.* Hoc propriè spectat ad *Judæos* qui eum crucifixerunt, & senserunt profectò Divinam vindictam ob tam atrox facinus, cùm Urbs ipsorum excisa esset, Templúmq; dirutum, ipsíq; dissipati factíq; fæx populi in omnibus mundi locis. Secundò,

Secundò, De *æquitate* benignáq; tranſactione juſti Dei cum Chriſto, qui cùm injuſtè paſſus eſſet, ejus injuriam reſarſit faciendo eum cœleſtis gloriæ participem, propter opprobrium & contumeliam quam tulerat in terris.

Tertiò & ultimò, De *judicio* ſive juſtitia partem inter atq; partem, quódq; proinde, quemadmodum Diabolus *Judæos* inſtigavit ad Chriſtum vitâ ſuâ exuendum, ità per modum *Retaliationis* Chriſtus Diabolum præſenti Imperio Dominióq; in mundum exueret, per deſtructionem utiq; *Idololatriæ*, cultúſq; Apoſtatarum ſpirituum abolitionem; quanquam ſanè claudicare hic aliquantulum videtur τὸ ἀντιπεπονθὸς cùm membra ſint adeò heterogenea.

3. Expoſitio tamen nihilominus ſatìs ingenioſa apparebit, modò conſideremus id quod ille pro fundamento poſuit ſuæ Interpretationis. Quòd utiq; *Peccatum*, *Juſtitia* & *Judicium*, ἁμαρτία, δικαιοσύνη, κρίσις, *Hebraicis* reſpondent vocabulis, חטא צדק משפט; primo, חטא ſignificante publica judicia de criminibus, alteris verò duobus judicia privata, unum ex æquo & bono, quod eſt צדק δικαιοσύνη alterum certam ex lege formulam habens quod eſt משפט κρίσις. Quod proculdubio iſtiuſmodi leges complectitur quæ ad jus *Poſſeſſionis* æquè ſpectant ac *Retaliationis*, ad quam *Grotius* tam ſpeciatim collineat in ſua citatione Levit. 24. 20. Diabolus igitur cùm merus eſſet *uſurpator* nullúmq; jus haberet ad mundi Imperium ac Dominium, actio erat in illius uſurpationem, atq; ſic interpretatio erit irreprehenſibilis. Et certè quòd Actio hujuſmodi ſit, manifeſtum eſt ex eo quòd Chriſtus Dei filius rerum omnium ſit hæres, quemadmodum & ipſe alicubi innuit, & Apoſtolus etiam diſertis verbis declarat. *Hebr.* 1. 2.

4. Senſus igitur ſuprà citati Textûs breviter hic eſt, Quòd Spiritus qui dicitur *Paracletus* ſive *Advocatus* ubi venerit, convicturus ſit mundum de *Chriſti Veracitate*, déq; *Infidelitate* ac *Crudelitate Judæorum* qui eum crucifixerant, qui verus erat Propheta, non deceptor necdum deceptus; & de *Æquitate Dei* qui ejus jam compenſârat labores ac ærumnas quas apud *Judæos* paſſus erat, recipiendo eum ad ſeipſum eúmq; coronando immortali gloriâ; & de *Judicio Dei* adversùs Diabolum, ὅτι ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου κέκριται, Deum ſententiam contra ipſum jam tuliſſe, quòd ſcilicet ejiciendus ſit ex uſurpato ſuo Imperio, quódq; omnes Paganicæ formæ cultûs abrogandæ ſint & abolendæ.

5. Hoc quidem *Paracletus* ſive *Dei Spiritus* Apoſtolis ſuperveniens eíſq; & Eccleſiæ modis adeò miraculoſis per tot ſecula aſſiſtens, tam irrefragabili evidentiâ verum præſtitit, ut non ſolùm totus Chriſtianus Orbis de eo certus ſit, ſed & immenſum *Turcarum* Imperium omnéſq; *Mahometani* ubicunq; terrarum diſſeminati. Adeò ut tota quodammodo terra impleta ſit hujuſce rei famâ ac fide. Quod certè notare operæ pretium fore putavi nè minùs amplus hic ſucceſſus videri poſſet quàm reverà erat.

6. Quanquam enim *Mahometani* Chriſtiani non ſunt ſed Pagani in ſenſu nimis quàm vero, manifeſtum tamen eſt magnam partem literæ ipſorum Legis, *Moſem* eſſe & *Chriſtum*. Et in confuſionem craſſæ cujuſq; Idololatriæ ac Polytheiſmi, profitentur *unum ſolum Deum*, Cœli ac terræ creatorem, maximáq; vis ac pondus Religionis eorum huic principali innititur articulo. Cujus quidem conſideratione adeò abrepti ſunt atq; accenſi, ut in Templis magnam partem temporis impendant in clarè emodulando unam hanc veritatem, *La illa ilella*, *La illa ilella*, hoc eſt, *non eſt niſi unus Deus*; quemadmodum referunt Hiſtorici. Verùm hoc nihil amplius eſt quàm quod ipſi *Judæi* credunt, nec fortaſſean ex tam probis fundamentis. Sed enimvero ulteriùs aliquanto progrediuntur, tanquam ſi ambitioſi eſſent conſolidandi imperfectum illum Titulum quem quidam eis tribuit, ipſos appellans *Semichriſtianos*.

7. Etenim partim in *Alcorano* partim in *Zuna* commemoratur, *Chriſtum Jeſum à Spiritu ſancto conceptum eſſe*, *virginéq; Mariâ genitum*, *Evangelium viam eſſe ac lucem & ſalutem hominum*, *eóſq; qui obediunt illi non damnatum iri*. *Chriſtum cognoviſſe ipſa humanorum cordium cogitata*, *mortuos ſuſcitâſſe*, *inſanabiles hominum morbos curâſſe*, *viſum cæcis reſtituiſſe*, *mutóſq; feciſſe loqui*. *Apoſtolos Chriſti*, Matthæum, Petrum & Paulum *leproſum quendam* Habib Araiar *appellatum* Antiochiæ *ſanaviſſe*, *& ſuſcitâſſe Regis filiam à mortuis*, *viſúmq; pariter reſtituiſſe infanti qui natus erat cæcus*. Et poſtremò, tres præeminentias *Alcoranus* tribuit *Chriſto* quas nulli alii Prophetæ tribuit, non *Abrahamo*, non *Moſi*, & nè ipſi quidem *Mahometi*. Prima eſt, quòd cum Anima ſimul ac corpore in cœlum ſubvectus eſſet, ubi expreſſim additur in *Zuna* quòd & rediturus ſit illinc ad judicandum mundum judicio recto. Secunda, quòd appellandus eſſet *Verbum Dei*. Tertia, quòd *Sanctus Dei Spiritus*

eſſet

eſſet nuncupandus. Hæc legere poteris diffuſiùs tradita apud *Johannem Andream*, in ſua *Confuſione Sectæ Mahometanæ*, ut etiam apud alios. Ex quibus porrò addere poteris, *Turcam* tantâ exiſtimatione veneratioñéq; habere S. *Johannis* Evangelium, ut in corporibus id geſtent dum proficiſcuntur in militiam, tanquam amuletum quoddam quo ſclopetorum ictus defendant vel eludant.

8. Hoc notatu dignum putavi; partim ut is honor qui *Chriſto* debetur non detur *Mahometi*; (De quo optimum quod enunciari poteſt hoc certè eſt, Quòd utiq; ille non adeò uſquequaq; Evangelii Myſterium, nec per ſuam ignorantiam, nec per fraudes Politicas, nec per ullas fanaticas vertiginoſáſq; Levitates pervertit depravavítque, quin tantum ſubſtantiæ virtutíſq; ejus ſuperfuerit quantum ictu gladii adjutum, ſatìs potens fuit ad concidendam craſſiorem illam Idololatriam Paganicam, ad caſtigandos inobedientes Hypocriticóſq; Chriſtianos, & ad demoliendum externum Diaboli Dominium in Mundo:) Et partim, ut diſpicere poſſimus, quanta ſpes ſit, opportuno tandem tempore (poſtquam præcipua Orbis Chriſtiani ſcandala ſint ablata, (cùm & tam bellè jam ſit per ſplendidam ſuam quam fovet de Servatore opinionem præparatum) quòd univerſum Imperium *Turcicum* derepentè evaſurum ſit Chriſtianum: cùm id quod vanum falſúmq; apud ipſos eſt, meliori non innitatur fulcro, quàm fatuis ineptíſq; Viſionibus, falſóq; allatis Miraculis, abſurdíſq; fabulis verſuti, cerebroſi impuríq; Impoſtoris; cùm è contrà Fides pura Chriſtiana Evangelio comprehenſa tam ſolida ſit, tam ſincera támq; rationi conſona, ut nemo ſit qui mentis eſt compos, quin clarè ipſi conſtare poſſit de illius veritate.

Vide cap. 16. Sect. 5.

CAP. XIII.

1. *Triumphum* Divinæ vitæ *non tam amplum eſſe hactenus, quàm ruinam externi Imperii Diaboli.* 2. *Conſpicua illius eminentia temporibus primitivis.* 3. *Reale ac crudele Chriſtianorum Martyrium ſub decem perſecutionibus demonſtrationem eſſe quòd eorum Reſurrectio non ſit* Allegorica. 4. Beatæ Immortalitatis *in Evangelio promiſſæ per Allegoriam* Eluſionem *vel* Abolitionem, *maximam eſſe contra Chriſtum* Blaſphemiam *quæ poteſt excogitari.*

1. VIdetis quàm amplus ſit ſucceſſus *Adventûs Servatoris* in mundum ratione externæ ruinæ Regni Principis hujus mundi, veteris illius uſurpatoris in filios hominum. Jam verò ſi ex me quæritis, quantus *Divinæ vitæ* Triumphus fuerit per totam hanc victoriam; Equidem fateor quòd meritò quiſpiam optare poſſit ut major eſſet quàm ſit, ut fuiſſet amplior, diutiúſq; durâſſet. Aliquid tamen per totum hoc tempus etiam hac ex parte præſtitum eſt.

2. Fides enim in Deum per Dominum noſtrum *Jeſum* Chriſtum, firmáq; perſuaſio circa vitam futuram, hujúſq; fidei effectus, qui eſt ipſa natura ſpiritúſq; Chriſti habitantis in nobis, conſiſtens è *Puritate*, *Humilitate* & *Charitate*, hæc ſana ſalubríſq; conſtitutio multùm erat in Primitivis Eccleſiæ temporibus, etiam tum cùm nullum ſubſidium auxiliúmq; ab humanis viribus habebant, immò verò cùm crudeliter ab ipſis tractabantur, quippe qui eligebant potiùs ablegari in exilium, in carcerem, tormentis ſubjici, & quodlibet mortis genus ſubire, quàm abnegare eum qui pretioſiſſimo ſuo ſanguine eos redemerat, paraverátq; ipſis æternæ felicitatis locum apud ſemetipſum in Cœlis.

3. Hîc *Fides Divináq; vita* admodum conſpicuas reportabant victorias, conſpicuóſq; Triumphos agebant, quippe quæ in totius mundi conſpectu crudelem Diaboli malitiam deſpicatui habebant, ipſiúſq; mortis terrorem, larvâ etiam quàm maximè horrendâ indutæ; quemadmodum innumera videre eſt exempla ſub Paganis Imperatoribus in *decem illis Perſecutionibus* ſanguinolentis. Quæ quidem Hiſtoria non poteſt quin quemlibet faciat abominari hujuſmodi leves perfidóſq; *Allegoriſtas* qui intercipere ſpem volunt futuræ vitæ, attenuando talia loca in Scripturis quæ ejuſmodi ſenſum præ ſe ferunt, in ſenſum *præſentarium*, *Moralémq;* ac *Myſticam* Interpretationem; tanquam ſi Evangelium & pretioſa promiſſa inibi contenta non ultrà quàm ad hanc vitam quam hîc degimus in terris, pertingerent.

4. Quod ſummum eſt quod excogitari poteſt in *Jeſum* Chriſtum opprobrium ac Blaſphemia, tanquam ſi *Proditor* potiùs eſſet quàm *Servator* humani Generis, majorémq;

jorémq; in modum humanum ſitiret ſanguinem quàm iſti *Indorum* Dii de quibus locuti ſumus qui ejuſdem tam prodigi erant in ſuis Sacrificiis. Et verò quaſi amor non eſſet chariſſimúſq; erga nos affectus, qui fecit ut vitam deponeret pro nobis, ſed odium inveteratum malignúmq; conſilium efficiendi, ut Myriades hominum mactarentur ſpontéq; ſacrificarentur præ fidelitate atq; amore erga eum qui eos ad hunc modum prodiderit. Quamobrem quicunq; novum Teſtamentum ità interpretatur ut certitudinem præmii ac pœnæ poſt corporis mortem eludat ac ſubvertat, is profectò aut purus putus eſt Infidelis aut horridè Blaſphemus.

CAP. XIV.

1. *Corruptio Eccleſiæ ex quo Chriſtiana Religio, Religio facta eſt Imperii.* 2. *Quòd nec tunc ceſſabat eſſe vera vivâq; Eccleſia quanquam abſcondita in Eremo.* 3. *Tametſi* Divina vita *valde tunc abjecta erat, Perſonas tamen Servatoris* Chriſti, *Virginis* Mariæ, *&c. locupletiſſimè fuiſſe cultas;* 4. *Apoſtolóſq; ac Martyres ſummis officioſiſſimiſq; blandimentis ad antiquam rationem Paganicorum Rituum exceptos.* 5. *Conditio* Chriſtianitatis *poſt generalem Apoſtaſiam comparata cum illa* Unæ *in deſerto inter* Satyros. 6. *Tametſi hic Eccleſiæ ſtatus diu fuerit, non tamen ſic fore in perpetuum; dúmq; ſic eſt, reales tamen Chriſti Inimicos etiam pulverem illius pedum lambere.* 7. *Veſani ludi quos hi Simii Satyriq; faciunt cum Chriſtiana veritate.* 8. *Quantum deſciverit Chriſtianus Orbis à præceptis exemplóq; Chriſti in Bellis movendis effundendóq; ſanguine.* 9. *Quòd tametſi Providentia ad* Paganicum *hunc* Chriſtianiſmum *ad tempus connixerit, facere tamen non poteſt quin Eccleſiam tandem ad* puritatem priſtinam *reſtituat.* 10. *Plenam verò hujus rei probationem nimis prolixam fore pro hoc loco.*

1. PRimitivæ Eccleſiæ conditionem qualis erat antequam facta eſſet Religio Imperii, ſtrictim cursímq; attigimus; Quæ futura eſſet poſtea mutatio vel ex ipſis cauſis quivis poterat præcipere. Etenim poſtquam non ſolùm perſecutionis metus ablatus erat, ſed magni etiam honores externaq; commoda Eccleſiæ additi, vel peſſimus quiſq; maximéq; Atheus è Paganis promptiſſimus paratiſſimúſq; foret ad Chriſtianam Religionem amplectendam; & ſi qui ex Ethnicis non accipiebant conditionem, non eſt diſſimile veri quin ii eſſent quibus maximè erat Religio quid facerent, quantumvis ſub cultu erroneo educatis. Adeò ut rete tunc plus cœni limíq; traheret quàm bonorum piſcium. Hortúſq; Dei qui antehac nihil habebat niſi ſalubres herbas floréſque, herbis nunc erraticis noxiiſq; tota obtegeretur. Vel, ſi malles, vera Eccleſia quæ antea ut Civitas in monte, omnibus facta erat conſpicua, abſcondita nunc eſſet, & diſperſa in vaſta Romani Imperii Eremo, quod tametſi nomine tenus Chriſtianum erat, vitâ tamen ac moribus evaſerat pluſquam Paganicum.

2. Cæterùm nè res minoris faciamus, quàm reverà erant, Primò, vera Eccleſia Chriſtiana *abſcondita* ſolummodò erat non *perdita*, quemadmodum ſe res habet ad hodiernum uſq; diem. Eſt enim etiamnum in eremo & ad inſtar *illius vocis in eremo clamantis*, conqueritur teſtatúrq; contra ferinos, ſenſuales abominabiléſq; vitas ſævóſq; mores in ea mundi parte quæ appellatur Chriſtiana. Semper enim fuerunt & etiamnum ſunt in magna hac rudíq; maſſa Chriſtianitatis aliqui, qui verè regenerati ſunt integréq; per Dei manum in amabilem Chriſti Imaginem formati, qui teſtimonium perhibent de fœdis ac deteſtabilibus exorbitationibus eorum qui adeò impudenter imperioſéq; gloriantur ſe ſolos veros eſſe Chriſtianos, cùm tamen reverà non ſint omnino Chriſtiani, hoc eſt, nulla *vera* Chriſti *membra*, utpote qui nihil habent *illius Spiritûs*, quemadmodum & eorum opera manifeſtò declarant.

3. Et ſecundò, Quanquam fatendum eſt ipſam *Divinam vitam* quatenus Eccleſiæ eſt communicabilis, multùm, quod aiunt, infra foros fuiſſe gravitérq; ſuppreſſam, ex quo primùm *Chriſtianitas* & res *Politica* ſimul conjunctæ pari quaſi paſſu inceſſerunt; tamen poſtquam Eccleſia adeò opulenta facta eſſet pompíſq; ſplendida, opes ſanè ſuas admodum liberaliter in honorem expendebant non ſolùm *Servatoris* in quo *Divina vita* adeò præcellenti modo habitabat, ſed etiam *beatæ illius Genetricis*, ſanctorúmq; *Apoſtolorum* ac *Martyrum*, qui & magna profectò erant *Divinæ vitæ* exempla. Cúmq; hæ Generationes iſtiuſmodi eſſent à quibus nihil melius Deus poſſet expectare,

illius providentia meo quidem judicio, ſapienter permiſit ut tam profundè ſe immergerent in ſtudium *externi cultûs* non ſolùm *Chriſti* ſed & fideliſſimorum ſuorum *Sectatorum*, ut illud ad aliquem modum expleri poſſet etiam in *Martyribus*, quod de *Chriſto* prædictum eſt; *Itaq; partem ei dabo inter magnos, cúmq; potentibus ſpolia participabit, quoniam objecerit animam ſuam morti.* Ac proinde *Martyres* qui tantam partem tulerunt in ærumnis afflictionibúſq; Chriſti, permittebantur etiam ad aliquem uſq; modum participes fieri illius gloriæ ac honoris qui exhibetur magnis Principibus & Imperatoribus poſt diſceſſum ex hac vita, hoc eſt, Imagines habere ac Templa erecta, ipſorúmq; nominibus conſecrata. Atq; hoc profectò facit ut non ſim ità attonitus ad illum Providentiæ eventum, quæ tantum oſſibus Martyris *Babylæ Antiochiæ* olim *Epiſcopi* virtutem permiſit, ut os poſſit obturare *Apollini Daphneo* cùm *Julianus* illud denuò aperire multis opimis Sacrificiis tentâſſet. Ut taceam multa alia memorabilia miracula quæ per reliquias *Sanctorum* ac *Martyrum* in diebus illis facta erant.

Eſai. 53. 12.

4. Hactenus igitur mundus *Paganus* ex quo tempore Chriſtiani facti ſunt, admodum religiosè officioſi fuerunt juxta veterem rationem Paganiſmi, venerabundè genuflectentes perblandéq; ſolicitantes multis ſacris ritibus & ceremoniis, non *Chriſtum* ſolum ſed & beatam *Virginem*, omnéſq; ſanctos *Martyres* & *Confeſſores*, promptè admodum liberéq; ipſis omnem externam impertientes reverentiam, & ſacella diéſq; conſecrantes honori ipſorum ac memoriæ. Adeò ut *perſonalis* cultus *Divinæ vitæ*, quatenus in *Chriſto* reſidet, in *beata Virgine*, in hoc vel illo *Sancto* vel *Martyre*, æquè accuratè peragatur, ac cultus excellentium illarum dotum *Animalis vitæ* in antiquo Paganiſmo, quas illi colebant in *Belo*, in *Baccho*, in *Cerere*, *Apolline*, *Venere* aliiſq; perſonis eminentibus apud Ethnicos, qui inſignes fuerant *Animalis vitæ* in Homine Gratificatores.

In Poëmate quod inſcribitur Ælvarum Regina. *lib.* 1. *cant.* 6.

5. Equidem meo judicio, deſcriptio illa apud *Spencerum*, exceptionis *Unæ* apud *Satyros* in Deſerto, ad vivum Chriſtianitatis conditionem repræſentat ex quo Eccleſia ex *Horto* facta primùm eſt *Eremus*. Saltabant, ludebant, ſubſaltímq; tripudiabant circa eam, externis abundantes genuflexionibus & geſticulationibus obſequioſis. Illa verò interim nihil ipſis inculcare poterat *Divinæ Legis vitæ* quam illa cum ipſis communicatum venerat. Imago rei adeò viva eſt, verſúſq; tam amœni, ut ſperem tædio non fore ſi aliquot ex ipſis præcipuos recitavero. Quemadmodum ex *Enneaſticho* undecimo; ubi *Satyros* facit ſuam ruditatem deponere atq; aſperitatem, quantum poterant, ad recreandam attonitam Virginem poſt graves ſuas calamitates.

Rugatam frontem & minitantia cornibus ora
Abjiciunt, Ruriſq; rudis deponitur horror.
Quin & teſtantur ſuavi ſua gaudia rictu.
Utq; animum recreent, mœſtos abigántq; timores,
Hanc colere hi ſua crura docent inflexa retrorſum.

Et rurſus in ſequenti *Enneaſticho.*

Dum capit hos teneræ miſeratio digna juventæ
Percellitq; animos claræ admiratio formæ,
Inſolito toti langueſcunt prorſus amore.
Submiſsè & ſeſe proſternunt gramine molli,
Cæleſtiſq; pedes lambunt, blando ore, puellæ.

13.

Signa voluntatum ex humili hoc geſtu illa capeſſit,
Componitq; lubens animum ad præſentia fata.
Intrepidam ſic ſe viridi de cæſpite tollit,
Candentes proférq; pedes ſine ſuſpicione.
Illi omnes læti, ut volucres ſub vere recenti,
Deducunt, lepidas circà celebrando choreas,
Clamorémq; cient & ruſtica carmina dicunt,
Arboreiſq; viam ſternentes frondibus, illam
Ecce, coronatam nitidâ, venerantur, olivâ.

14.

Perſonat interea tam alacri cava Tibia cantu,
Ut ſylvæ ingeminent tremulis tinnitibus Echo.

Ipſi

Ipſi autem terram feriunt pedibúſq; fatigant
Laſcivos imitando citatis ſaltibus Hædos. &c.

Verùm inter omnem hanc alacritatem agilitatémq; corporis, in repetitis ſuis Ceremoniis obſequioſíſq; Geſticulationibus, *Una* nihil poterat internæ illius Legis vitæ ipſis inculcare, ſed totus eorum zelus in externam impendebatur Adulationem Idololatricam. Quemadmodum Poëta conqueritur *Enneaſticho* 19.

Hoc fato freta infelix felixq; Puella
Suſtinet illorum ſtupefactos paſcere ocellos;
Et nè ipſi miſeræ infortunia priſca recurrant,
Longo apud hunc populum verſatur tempore agreſtem.
Hæc ergò interea nudum ipſi pandere verum
Conatur, cultum ſibi cùm præſtaret inanem,
Fœdum illam faciens ſimulachrum Idololatriæ,
Verùm dum illa ſuo à cultu zelum arcet ineptum,
Illius, heu! ſtupidum miſeri venerantur Aſellum.

6. Cæterùm quamvìs jam diu ſic factum ſit, videtur tamen incredibile ità fore in perpetuum: Et verò dum ità ſe res habent ut ſunt, *Divina* tamen *vita Perſonalem* ſuum jam agit *Triumphum.* Et etiamnum Inimici Chriſti, etiam dum tales ſunt, (& profectò omnes nondum regenerati homines ſunt tales, tono quantumlibèt elato vocitentur Chriſtiani) ejus pedum delambunt pulverem, ſubmittúntq; ſe ac proſternunt nominibus eorum hominum, quorum vitas, ſi rurſus in terris eſſent, (cùm ipſorum vitis ità ſint contrariæ) inexpiabili odio proſequerentur, perſonáſq; contemnerent ob vilitatem, pedibúſq; proculcarent; immò verò fieri poteſt, ut majori cum contumelia ac crudelitate, quàm unquam hactenus ſit factum, eos denuò cogerent truculenta ſua ſubire Martyria.

7. Adeò ut mirum ſit ſpectaculum obſervare quàm abſurdos ac ridiculos, *Satyri* hi, *Cynocephali* ac *Cercopitheci*, (univerſam intelligo humani generis maſſam, qui nullâ aliâ præterquam *Animali vitâ* ſunt animati) fecerint ludos, per multos centenos annos in Deſerto, cum pretioſa Evangelii veritate; quot modis Sophiſticis griphíſque, quot infructuoſis ſubtilitatibus ac tricis, quàm craſſis contradictionibus ac Repugnantiis, *Scholaſtici Polemiciq;* Theologi mundum adimpleverint; quæ ſuperfluæ oneroſæq; Ceremoniæ, qui recèns formati ad illaqueandos hominum Animos Articuli, quæ ſibi placentium Sectarum rerúmq; partes ac diviſiones; quæ vario artificio cœlatæ Formæ, belléq; confictæ Curioſitates adinventæ ſint & efformatæ, aut à ſuperſtitioſis *Eccleſiaſticis* aut à carnalis ingenii *Politicis*.

8. Et tamen ſi hæc rei ſumma eſſet, quanquam ſanè ſatìs perperàm vel ſic habet, *Scena* ſolummodò *Comica* eſſet, præ eo quod jam facta eſt. Tandem enim infelix Simius Calcearii cultro ſuum ſibi concidit jugulum. Orbíſq; Chriſtianus madens jacet, verſans ſe volutánſque, per neſcio quot ſecula, in proprio ſuo ſanguine. Cujus rei ratio eſt, quòd in longa hac turbidáq; contentione pro *Religione externa*, magnáq; illius oſtentatione, *Interna vita* ſpiritúſq; Chriſtianitatis, quæ conſiſtit in *Humilitate*, *Charitate* & *Puritate*, omittitur aut excluditur, *Superbiáque*, *Libido*, & *Avaritia* primæ factæ ſunt omnium noſtrarum Actionum motrices. Adeò ut tametſi *Chriſti* nomen præ nobis geramus ex eóq; ſimus denominati, corda tamen noſtra realéſq; cultus ſint oppidò quàm craſsè *Paganici*; dum ipſas animas noſtras cum omnibus ſuis facultatibus affectibúſq; etiam peſſimi Tituli Numinibus Paganorum conſecramus: Cúmq; id ſeveriter expreſsímq; à Servatore nobis mandatum ſit, ut amemus inter nos, nihilominus tamen tanquam per contumeliam deſtinatúmq; contemptum, ut oſtendamus quàm planè deſciverimus denuò in Paganiſmum, mutuum potiùs ſanguinem in libamentum *Marti* effundere volumus, quàm inviolabile ac indiſpenſabile præceptum *illius* cuſtodire *quem* nos tamen interim proprium noſtrum *Dominum* profitemur ac *Principem*.

9. Ad hunc profectò modum ſemper-vigili viſum eſt Providentiæ oculo, connivere quaſi ad tempus, ad *Chriſtianiſmum* hunc *Paganicum* æquè ac in antecedentibus ſeculis ad antiquum *Paganiſmum*. Cæterùm proculdubio melior aliquando futurus eſt rerum ſtatus, tótq; glorioſæ de Chriſto, etiam in hoc mundo, implendæ Prophetarum Prædictiones in tam faſtidioſam ſcenam non deſinent, ubi tam parum rerum bonarum eſt, tantáq; colluvies malarum ac turpium. Sed enim Domini Spiritus oſſa hæc arida afflabit, actuabítq; hanc externam Religionis formam vitâ ac virtute,

ſquamæq; ab illius oculis decident, onúſq; furfuris ſordiúmq; aſcititiarum decident de illius cute, caróq; ejus erit ut caro teneri Infantis, viréſq; acquiret & ſanitatem, inculpatámq; pulchritudinem & amabilem ad aſpectum. Hæc quando evenient, erit tunc *Divina vita* in ſummo ſuo Triumpho & Exaltatione in terris, præſtantiſſimúſq; hic Eccleſiæ ſtatus ad bene longum tempus durabit; * verùm impii rurſus impetent juſtos, Chriſtúſq; ad judicium viſibiliter rediens dirimet litem.

* *Apoc.* 20. v. 7, 8, 9, &c.

10. Hæc eſt veriſſima fideliſſimáq; interpretatio in genere (quantum ex Prophetiis Hiſtoriiſq; Eccleſiæ judicare poſſum) quæ de illo poteſt fieri temporis Intervallo quod inter Spiritûs Sancti per Chriſtum in Apoſtolos effuſionem intercedit, ejúſq; reditum rurſus ad Judicium. Sed enimverò cùm prolixa nimiùm res eſſet magis particulatim probare quod aſſerui, nec præſenti, quod præ manibus eſt, negotio eſſentiale, neceſſarium minimè duxi ut in ullos operoſos conatus demonſtrandi veritatem concluſionis me induerem. Remittam potiùs eum qui dubitat ad perdoctas lucubrationes incomparabilis illius Divinorum vaticiniorum Interpretis, *Joſephi Medi*, ut ſibi in eis perlegendis ſatisfaciat; Cujus rerum tractandarum rationes eâ fiant cum cura ac cautione, eâ intelligentiæ claritate & ſeveritate rationis, eâ judicii perſpicuitate ac nuſquam æquiparandâ modeſtiâ ac ſerenitate, ut horum ſtudiorum proſecutiones, quæ propter veſanos & ridiculos præfervidorum fanaticorúmq; Ingeniorum errores ac hallucinationes in multum inciderant odium & infamiam, non parvum, ut video, honorem exiſtimationémq; ſibi rurſus aſciverint ex bene ordinata cohærentíq; methodo & irrefragabilibus ratiociniis hujus gravis ac venerandæ Perſonæ. Cujus rationibus innixus non diffugio quin apertiſſimè fatear putare me, manifeſtò conſtare, tum ex *Daniele* tum ex *Apocalypſi* quòd in orbe Chriſtiano rerum ſcena ſuccedente tempore multùm immutabitur, ídq; in melius.

Et quandoquidem nihil eſt quod æquè momentis rationum *Joſephi Medi* contraponderet atq; autoritas ſplendórq; meritò celebrati nominis doctiſſimi *Hugonis Grotii* qui viſiones *Apocalypticas* in diverſum planè ſenſum interpretatus eſt (cujus expoſitionis ingenioſitates elegantulæq; concinnitates mihi ipſi penè eò uſq; impoſuerant ut crederem fieri poſſe, ut aliquis iſtiuſmodi ſit etiam Apocalypſeos ſenſus, cujuſmodi is eſt, ad quem ille collineat) ut manifeſtò de ſumma rei conſtet, dabo operam ut utriuſq; *Expoſitiones* ante Lectoris oculos fideliter proponantur. Quem ſpero inclementiùs non laturum, ſi perſona tam pia, tam docta, tantóq; prædita judicio quàm erat *Joſephus Medus*, & in materia ad quam videri poteſt ſelectus per Deum ac Naturam & ſeparatus, & ad quam ipſe præcipuè ſumma cum cura, ſtudio ac Religione animum appulit, clariùs longiúſq; viderit quàm *Hugo Grotius*, qui ſatìs amplam ſanè laudum ſegetem aliunde habet, quíq; per negotia Politica exquiſitioribus perſcrutationibus tam abſtruſi Myſterii non poterat vacare.

CAP. XV.

1. Grotii *rationes quibus probare velit* Dies *non ſignificare* Annos *apud Prophetas, propoſitæ & refutatæ.* 2. *Demonſtrationes quòd* Dies *aliquando* Annos *ſignificant.* 3. Medi *Opinio, quòd novum Vaticiniorum Syſtema à prima uſq; Epocha incipiat à capite* 10. *v.* 8. *illuſtrata & confirmata.* 4. *Quid ſignificetur per* Tres Dies & Dimidium *quibus Teſtes jacent occiſi.* 5. *De* Beſtia *ex* Abyſſo. 6. *De* Reſurrectione prima. 7. *Præſentis argumenti concluſio ex evidentia veritatis* Synchroniſmorum Medanorum.

1. PRæcipua præſumptio quam fovet *Grotius* contra doctrinam *Medanam* ex hujus rei fiducia eſt quòd *Dies* nunquam ſignificant *Annos*. Quod ſi probare poſſet, equidem penitùs enervaret inutilémq; redderet totam Interpretationum *Apocalypticarum* ſtructuram à *Joſepho Medo* concinnatarum. Verùm ille affirmat cum confidentia quanta poteſt maxima, * *Dies etiam apud Prophetas dies eſſe non annos ut quidam ſomniant :* Annititúrq; id probare, (ſimulatq; ſe planè feciſſe) ex verbis Angeli apud *Danielem*, c. 8. v. 14. [*Atq; ille mihi ità dixit, Ad veſperomatutina bis mille & trecenta. Deinde expiabitur Sacrum*] comparatis cum verſ. 26. [*Illud quoq; de veſperomatutinorum viſione effatum verum eſt*] hoc eſt, inquit ille, *nihil habet in ſe obſcuri*, ſed planum eſt ac perſpicuum. Unde porrò infert, manifeſtum eſſe

* *Grot. in Apoc. cap.* 2. 10.

eſſe ubique, quod *Dies* nunquam habent ſenſum ullum abſconditum ſed ſignificant ſimpliciter *Dies* non *Annos*. Ubi, meo quidem judicio, admodum imperitè ratiocinatus eſt hic tam eruditus Interpretator. Quamvis enim concederemus, *verum*, hoc in loco ſignificare *planum* ac *perſpicuum* abſq; omni Figura vel Ænigmate, non ſtatim ſequitur quòd ubicunq; *Dies* nominatur intelligendum ſit juxta hunc magis uſitatum propriúmq; ſenſum. Quod reſponſum ſatis ſolidum eſſet, quamvis ipſa vox יום vel ימים hîc uſurparetur. Verùm hîc non uſurpantur, Textus verò ſic ſe habet: עד ערב בקר אלפים, hoc eſt, *ad bis mille veſperomatutina*, ſive *bis mille* νυχθήμερα. Cæterùm alibi, ut cap. 12. v. 11, 12. ימים ibi ponitur. Ac proinde ex eo quòd Dies, ubi deſcribitur per naturales ſuas partes *Auroræ* atq; *Veſperi*, naturaliter ſignificat non figuratè, concludere porrò ità ſignificare etiam ubi ſic non deſcribitur, admodum mendoſa eſſet illatio. Quibus potes addere ex eo quòd Angelus dicit *Danieli*, Viſionem hanc *veſperomatutinorum*, id eſt, *Dierum*, eſſe perſpicuam, manifeſtò innuere, quòd viſiones *Numeri* Dierum aliquando perſpicuæ non ſunt ſed obſcuræ, annóſq; poſſunt ſignificare, alioqui hæc monitio fruſtrà fuiſſet: Quemadmodum profectò & ipſa hæc per dies numeratio, quandoquidem magis è re ipſa fuiſſet vaticinium declarâſſe per tot annos, niſi quòd datâ operâ factum ſit ut vaticinia *Danielis* magis fierent obſcura, ut ſic ab iſtiuſmodi oculis abſconderentur, quibus Divinæ ſapientiæ viſum ſit eorum ſenſûs perceptionem præcludere. Hoc verò ſummum eſt quod *Grotius* potuit contra expoſitionem *Dierum* per *Annos* opponere.

2. Nos è contrà videamus quid pro ea dici poſſit. Primò, manifeſtum eſt quòd deſcriptiones Temporis Prophęticæ aliquando certas quaſdam affectant ambages & obſcuritates quibus ſe abſcondant, quod nec ipſi Adverſarii negare poſſunt. Alioqui *Daniel* tres annos & dimidium planiùs dicere potuiſſet, quàm *Tempus & Tempora & Dimidium Temporis*. Quamobrem cur non & *Anni* ſignificari poſſunt per *Dies* æquè ac Tempus ac Tempora Annos ſignificare, præſertim cùm ſit ſcita quædam Analogia in hac re, quandoquidem utriq; menſurantur completo Solis circuitu, Annuo alteri, alteri Diurno? *Dan. 7. 25. & cap. 12. 7.*

Porrò, videmus planè Deum ipſum in multis Scripturæ locis reverà *Dies* facere compendioſas *Annorum* repræſentationes. Ut Num. 14. 34. *Unoquoq; Die in annum verſo.* Et Ezekiel. 4. 6. *Me tibi totidem Dies pro totidem Annis dante.* Quibus addere potes *Judæorum* Doctores olim hoc pro principio ſumpſiſſe in interpretandis Vaticiniis, *dies* utiq; *annos* poſſe ſignificare. Quod profectò admodum prope rem attingit, quantùm ad *Apocalypſin*, cujus autorem Adverſarii lubenter agnoſcunt non abhorruiſſe à *Cabbaliſmo*.

Tertiò, Urgebo eum ipſum Textum contra Grotium quem ille tam mirum in modum pervertit ad ſuum ſenſum, Dan. 8. 26. ubi Angelus dicit *Danieli* quòd *Viſio matutini & veſpertini temporis eſt vera*, ſive plana ac perſpicua. Quæ proculdubio ſignificatio eſt *Danieli*, quaſdam Prophetias ipſi impertitas, ubi Tempus numeratur per Dies, non eſſe perſpicuas, ſed conſiderandas eſſe tanquam ænigmaticas & figurativas. Sed & mentio hîc temporis *veſpertini* & *matutini* planè oſtendit *Dies naturales* ſive νυχθήμερα ordinaria intelligi oportere; Et tamen Angelus nihilo minùs hanc ſuggerit cautionem. Unde & adhuc manifeſtius eſt *Dies* in vaticiniis utplurimum ſignificare *Annos*.

Quartò, *Cornu parvulum*, Dan. 7. quod regnat ad *Tempus & Tempora & dimidium Temporis*, evidens eſt, non eſſe *Antiochum Epiphanem*, quippe quòd hoc *Cornu parvulum* pars ſit *quartæ Beſtiæ*, ſcilicet *Romanæ*, *Antiochus* verò pars Imperii *Græci*. Manifeſtum enim eſt à cap. 8. v. 21. cùm Cornu magnum primus ſit Rex, quatuor ſubſequentia Cornua ejuſdem eſſe Regni, ſub cujus extremum *Antiochus Epiphanes* exſurgit, ut apparet verſ. 23. Hæc adeò manifeſta ſunt ut nihil fieri poſſet manifeſtius. Quamobrem *Cornu parvulum* cap. 7. pars eſt *Romani* Imperii, Poteſtas inibi cujus Regnum trium annorum & dimidii ſpacio circumſcribi non poteſt. Verùm hi anni reſolvendi ſunt in 1260 dies, atq; hi 1260 dies rurſus in totidem annos, aut nullus omnino ſenſus eruendus eſt hujus vaticinii. Hoc verò jam nobis præſtitum eſt in Apocalypſi, ubi Mulier in deſerto dicitur ibidem habitare ad Tempus & Tempora & dimidium Temporis, æquè ac mille ducentos ſexaginta dies, quod planè demonſtrat hujus ſolutionis ſoliditatem. *Cap. 12. 14. Verſ. 6.*

Quintò, Illi numeri *Danielis* cap. 12. verſ. 11, 12. *dierum* nempe *mille ducentorum nonaginta*, & *mille trecentorum triginta quinque*, cùm ad nullam omnino rem applicari poſſint in ſignificatione Dierum, cúmq; tam exactè ultima Tempora indigitent in Annorum ſignificatione, *Dies* in ſcriptis Propheticis aliquando *Annos* ſignificare ulterior eſt demonſtratio. *Vide Med. De Numeris Danielis.*

Sextò,

Sextò, Videtur admodum improbabile, cùm dies ſingularis, temporis ſit ſpacium quod tam parùm momenti habeat ad ejuſmodi res tranſigendas quæ prædicuntur in Scripturis, ut Spiritus Dei, Temporis enumerationem per *Dies* inſtitueret, cùm multò compendioſiùs ea fieri poſſet per *Annos*; præſertim cùm infra Divinam Majeſtatem ſit hujuſmodi minutias tricáſve captare, nulláq; ſint eventuum exempla quæ obſervata ſunt tam accuratè ad *diem* reſpondiſſe, ubi intervalla per *Dies* menſurata ſunt in Vaticiniis, quæ aliquem annorum numerum potuiſſent explere. Quàm incredibile igitur eſt ut dimidium Diei traheretur in computum, quemadmodum fit in *occiſis Teſtibus*, ſi Dies intelligantur & non major aliqua Temporis menſura?

Apoc. 11. 9, 11.

Septimò, Manifeſtum eſt & apud omnes in confeſſo, *Dies* Hebdomadum Danielis eſſe *Annos*. Hîc ſudat æſtuátq; *Grotius*, valdéq; cupit evadere ſi modò poſſit, fingendo peculiare quoddam privilegium vocis שבוע, ut illa utiq; ſignificet annorum Hebdomadem, niſi fortè Dierum mentio addita ſit ad ſenſum aliò determinandum. Quod certè attonitum me reddit dum video hominem aliàs adeò ingenuum, tam falſas ac temerarias ſuppoſitiones comminiſcentem. Equidem auſim dicere vix quenquam mihi fidem habiturum eſſe niſi verba illius in medium producam, quæ ſunt hæc, *Ubi de dierum Hebdomade agitur ſolet adjici dierum nomen*; cùm tamen non ſint niſi duo exempla ubi ימים additur ad שבוע. Unum Dan. 10. v. 2, 3. quod ex conſuetudine non fit, ſed ut major Lux accendatur intelligentiæ præcedentis vaticinii Hebdomadum annorum, ex hac ſcilicet diſcriminatione, innuítq; quòd & illæ ſuâ naturâ dierum Hebdomadas ſignificarent. Alterum Ezek. 45. 21. ubi ſcribitur ימים שבעה redditúrq; ἑπτὰ ἡμέρας à *ſeptuaginta Interpretibus*, tanquam ſi legiſſent שבעה *ſeptem* dies, non Hebdomadas dierum. Verùm enimvero contrà planè ac ille pronunciavit שבוע ſive *Hebdomas* abſq; omni additione ſemper ſignificat *Hebdomadem dierum*, niſi ſchemate Prophetico *Dies Hebdomadis*, *Annos* ſignificent, quemadmodum hîc fit apud Danielem. Vide Geneſ. 29. v. 27, 28. Exod. 24. v. 22. Levit. 12. v. 5. Num. 28. v. 26. Deut. 16. v. 9, 10, 16. 2 Par. 8. 13. Jerem. 5. v. 24. In his omnibus locis שבוע ſignificat Hebdomadem Dierum abſq; additione ימים. Neq; ullum extat exemplum ubi hujuſmodi habet additionem præter illa duo ab ipſo allata quorum reddidimus rationem.

Grotius in Dan. 9. 24.

Octavò & ultimò, Synchroniſmi *Medani* Apodictícè veri ſunt cuilibet homini qui ingenii ſat habet & patientiæ ad perlegendos eos ad eóſq; intelligendos. Cæterùm juxta hos Synchroniſmos Duratio *conculcationis Atrii exterioris*, *Vaticinationis Teſtium lugubris*, *Mulieris in deſerto*, *Decacornis Bicorniſq;* *Beſtiæ*, *Servorum Agni ſignatorum*, *Meretricis Babyloniæ*, & *Sex* deniq; *primarum Tubarum*, Duratio, inquam, horum omnium intra ſpacium trium annorum & dimidii circumſcribitur, ſi mille ducenti ſexaginta dies, dies tantummodò ſint & non anni, quemadmodum vult *Grotius*. Quod tamen impoſſibile eſt, præſertim ſi conſideremus quòd *Beſtiæ* in figurato Prophetarum ſermone *Res publicæ* ſint ſive *Regna*, non *Perſonæ*, taléſq; propterea quæ tam brevis ævi concipi non poſſint ut tres annos tantùm durent ac dimidium. Quibus adjici poteſt præcipuas res Apocalypſeos intra hos *Synchroniſmos* comprehendi, meritóq; quemvis mirari poſſe, quòd nulla *annorum* fiat mentio in toto hoc libro, præterquam *Millennii*, ſed ſolorum *Menſium* aut *Dierum* & *Dimidii Diei*. Quæ non obſcura profectò eſt indicatio, annorum computationem ſub his vocibus abſcondi ubi definitum Tempus ſignificant. Quamobrem luce clarius eſſe exiſtimo, *Dies* in ſcriptis Propheticis aliquando ſignificare *Annos*. Nec quicquam rationis video cur non *Tempus* æquè ac *Res* & *Actiones* Symbolicè à Prophetis exprimi poſſit.

3. Maximæ objectiones quæ afferri poſſunt contra *Medi* Methodum in interpretanda Apocalypſi, quantum ego video, ſunt aut contra Diviſionem Apocalypſeos à quarto capite ad finem uſq; libri, in duo viſionum Propheticarum *Syſtemata*, unum *Imperii* fatum complectens, alterum *Eccleſiæ*, & ab una Epocha incipientia utraque, aut certè contra Interpretationem Temporis trucidationis *duorum Teſtium*, aut deniq; contra ſuppoſitionem quòd Beſtia ex Abyſſo (cap. 11.) eadem ſit quæ Beſtia ex Mari (cap. 13.)

Quódq; potiſſimùm contra primum urgetur hoc eſt, unum utiq; è præcipuis ſignis inchoationis novæ ſeriei vaticiniorum eum fefelliſſe. Etenim cùm concludere velit è cap. 10. verſ. 11. Δεῖ σε πάλιν προφητεῦσαι, παλιγγενεσίαν eſſe, ſive ejuſdem rurſus Temporis ſpacii percurſionem à carceribus ad metam; utì & è verſ. 8. *Atq; eadem vox quam de cœlo audiverat rurſus mecum locuta eſt*, quod reſpondere putat eis quæ occurrunt cap. 1. v. 10. & cap. 4. v. 1. quorum prius eſt inchoatio vaticinii *ſeptem Eccleſiarum*, poſterius, *ſeptem Sigillorum*. Objicitur contra ſignum ſecundum quòd defectuoſum

defectuoſum ſit, propterea quòd hæc vox non conjungitur cum mentione Tubæ, quemadmodum illæ duæ quibuſcum illam comparat. Equidem fateor ſi tubæ mentio adjecta fuiſſet, inchoatio vaticinii de novo admodum manifeſta futura fuiſſet & conſpicua. Immò verò nimis quàm conſpicua pro libello vaticiniorum ad quæ obſcuranda Dei ſapientia tanto uſa eſt artificio. Verùm hæc ſemi-indicatio ſatis erat hujuſmodi hominibus quos Deus dignos feciſſet (tempúſq; idoneum putâſſet) quibus aperiretur Myſterium.

Videntur verò mihi aliæ eſſe indicationes inchoati de novo *Syſtematis* vaticiniorum, quæ magna ex parte hujus poſſint compenſare defectum. Quas tamen breviter tantummodò ſubindicabo. Ut primò, extraordinariam Majeſtatem illius Angeli qui *apertum* vaticiniorum *Libellum* habet in manu; quandoquidem ejus deſcriptio non multùm abſimilis eſt illius qui *Libellum obſignatum* habebat, Apoc. cap. 4. & 5. Et dein *novus* hic vaticiniorum *Libellus*, aut novâ ſaltem modificatione diſtinctus, videtur ex ſua natura *novum* innuere *Syſtema* vaticiniorum genere diſtinctum æquè ac volumine, cùm unum putà res *Imperii*, alterum res *Eccleſiæ* contineat. Quæ res quantumvìs naturâ differentes, cùm tamen parallelæ ſint tempore, equidem conſentaneum eſt ſtatuere *ſecundum* vaticiniorum *Libellum* ad eandem Epocham porrigi cum *primo*. Quod, tertiò, ulteriùs ſignificatur per juramentum Angeli qui jurat, *Tempus non fore amplius, ſed Myſterium Dei finitum iri ad ſeptimæ Tubæ clangorem*. Quæ enunciatio, quòd *Tempus non erit amplius*, proculdubio intelligitur de Tempore & Temporibus & dimidio Temporis, quæ tunc exitura ſunt cum Tuba ſexta, & quæ indigitabantur per *Danielem* ſervum & Prophetam Dei. Quæ ratio eſt cur addita ſint illa verba, *Sicut annunciavit ſervis ſuis Prophetis*. Et poſtremò, ut & adhuc certior eſſe poſſis, vaticinium de novo incipere à prima uſq; Epocha, non eſt levior hæc ſola ac generalior * Tubæ ſeptimæ mentio, quæ eſt ultima Periodus *Libelli obſignati*, ſed & illius in ſeptem ‖ Tonitrua diſtributio, cujuſmodi erat * Sigilli ſeptimi in ſeptem Tubas. Atq; potens hic illuſtríſq; Angelus, tametſi non ſit unus è ſeptem propriè ſic dictis, (atq; hîc ſolummodò dicatur ἄλλος ἄγγελος) tamen cùm ſexto immediatè ſuccedat, eſt certè aliquo modo ſeptimus pro hac vice, quandoquidem & rugitum ſuum videtur continuare per totum ſpacium quo *ſeptem Tonitrua* voces ſuas edunt. Quorum ultimum, veriſimile eſt, Tonitruum fore propriè dictum, *Finalem* ſcilicet *Mundi conflagrationem*, *Telluríſq; incendium à fulmine & fulgure*. Et certè poſtquam *Sigillorum* vaticinia ad hanc ultimam *Cataſtrophen* pertinuerint, oportet profectò admodum eſſe ſcrupuloſum qui dubitare poteſt an *aperti Libelli* vaticinia de novo incipiunt à prima uſq; Epocha *Revelationis*.

Apoc. 10. 6, 7.

* Verſ. 7.
‖ Verſ. 3.
* Cap. 8. 1, 2.

Quibus omnibus adjici poteſt, Synchroniſmos *Medanos* non dependere ab hac hypotheſi, ſed è contrà ipſos evidentiâ quidem irrefragabili evincere, plus eſſe quàm Hypotheſin, neceſſariam utiq; veritatem è demonſtratione dictorum Synchroniſmorum emergentem.

4. Quantùm ad *tres dies & dimidium*, quibus Teſtes dicuntur jacere occiſi, vix quiſquam nunc dierum eſt adeò imperitus, quem non pudeat opinari hos dies, dies eſſe naturales, Teſtéſq; hos duos, duos eſſe homines particulares. Verùm objectio contra eos urgetur qui *tres annos & dimidium* eſſe agnoſcunt, quemadmodum *Medus* facit, quî ſit probabile ut ad extremum halitum *Beſtianæ poteſtatis* veriſſimi maximéq; Apoſtolici Chriſtiani deteriori futuri ſint conditione, quàm uſquam fuerunt hactenus. Verùm ad hoc reſpondeo, *Medanorum* Synchroniſmorum veritatem ab hoc minimè dependere, quódq; illius hac in re conjectura non uſq; adeò abhorret à vero.

Apoc. 11. 9, 11.

Cæterùm ingenuè fateor meliorem adhuc reſtare reſpondendi rationem, nimirum, *Hos tres dies* ac *dimidium*, idem eſſe quod *Tempus* & *Tempora & Dimidium Temporis*, hoc eſt, *Tria Tempora* ac *Dimidium*. Eſt enim extra controverſiam quòd יום ſæpenumerò nihil amplius ſignificat quàm χρόνος vel χρεὼς. Jam verò quòd ità hîc ſignificat, præterquam quòd adeò improbabile ſit ullum uſquam Eventum reſponſurum eſſe Interpretationi, *Teſtéſve* unquam alio ullo modo occiſum iri, quàm quo jam ſæpe diúq; occiſi fuerint, ipſa mentio præterea *dimidii Diei dimidio Tempori* reſpondentis perblandè nos invitat ad credendum; cùm porrò nec veriſimile ſit providentiam curioſitatem computandi per Anni dimidium affectare velle; quæ res eſt, cujus nullum occurrit exemplum in divinis Vaticiniis. Hi tres dies igitur & ſemiſſis, primò vertendi ſunt in *tria Tempora & Dimidium*, ac deinde *hæc tria Tempora & Dimidium* in *tres Annos & ſemiſſim*, ac poſtremò hi *tres Anni & ſemiſſis* in *mille ducentos ſexoginta Dies* Propheticos. Quæ ambages ac circuitus non omnino ſunt improbabiles, ſi conſideremus quàm operoſa involuera ſint deſtinataq; obſcuritates in hoc

libro

libro *Apocalypſeos*; ut, verbi gratiâ, in *Numero Beſtiæ* novæq; *Hieroſolymæ*; quod leviter mox attingemus. Ut præteream magnam utilitatem horum trium Dierum & Dimidii ad determinandum verum Numerum Temporis & Temporum. Quomodo enim certi eſſe poſſumus quot illic Tempora deſignentur, præſertim cùm ſit עדנין apud Danielem, quod eſt *pluralis* numeri non *dualis*, ac proinde proclivius videtur ad innuendum plura quàm duo Tempora, ac minimùm Tria, unde fierent quatuor Tempora & Dimidium. Hi vero tres Dies & ſemiſſis aut corrigunt aut prævertunt errorem, determinando hoc Tempus & Tempora ac Dimidium Temporis ad Tria Tempora ac Dimidium. Quod equidem fateor me nihil dubitare quin verus ſit ſenſus Myſterii.

Apoc. 11. 7. Nec certè quòd dicantur occidi, ὅταν τελέσωσιν, ullum infert damnum noſtræ Interpretationi. Non enim rectè redditur, *poſtquam peregiſſent*, neq; neceſſe eſt ut reddatur, *dum finem faciunt* ſuarum Teſtificationum, tanquam hoc eventurum eſſet circa earum finem. Sed probè admodum exponi poteſt, *dum peragunt*, dum ſuum teſtificandi officium exequuntur uſq; ab initio 1260 dierum ad eorum finem. Nec verò realis illa eſt ſed apparens tantummodo abſurditas quam hæc Interpretatio videtur ſecum adducere, tanquam ſi Teſtes vaticinari poſſent dum cadavera eorum jacent in plateis, utpote jam mortuorum. Etenim manifeſtum eſt eos, eo in ſenſu quo dicuntur mortui, vaticinari etiam potuiſſe centonibus amictos, immò verò neceſſariò id feciſſe, hoc eſt, Teſtificationes ſuas præſtitiſſe in luctu ac ſqualore. Mors enim eorum non eſt alia quàm mors *Politica*, ex eo nempe quòd omni Imperio ac poteſtate mundanâ privantur. Nam hujuſmodi eorum eſt Reſurrectio, ſcilicet *politica*, cùm ad Honorem ſuſcitentur rerúmq; Regimen, prout ipſe *Medus* agnoſcit. Quamobrem nihil abſurdi eſt nec in *ſenſu interno* nec in *externo* cortice hujus Vaticinii.

Senſus enim *internus* is eſt quem dixi; at verò cortex *externus* pulchro admodum formatus artificio ad inſtar Imaginis *Nebuchadnezaris*, ubi ſolummodo propter decorum Typi tota Imago repræſentatur tanquam ſtans dum pedes percutiuntur, cùm tamen id quod ſignificabatur per Caput, per Pectus ac Brachia, & per Ventrem & Crura, *Babylonicum* ſcilicet, *Perſicum* & *Græcum* Imperium, jam præterierat. Pariq; hîc modo in hoc Teſtium Typo, *decori gratiâ*, ſi non per neceſſitatem (ut craſſæ evitetur apparentia Incongruitatis, nec videantur Teſtes vaticinari dum cadavera eorum jacent in plateis,) tempus mortis eorum, quod tamen reverà totos 1260 dies pervadit, integitur, contrahitúrq; in *hos tres dies & ſemiſſim*, nec apparere permittitur ubi in rebus ipſis ſignificatis reverà exiſtit; quemadmodum è contrà, illæ Imaginis partes repræſentabantur tanquam ſtantes, poſtquam res quas ſignificabant, deſiviſſent exiſtere. Quod ſchema nihilo durius eſt in uno loco quàm in altero, & verò in hoc Teſtium Typo magìs utile ac neceſſarium.

Apoc. 11. 7. Apoc. 13. 1. 5. Quantùm ad *Identitatem Beſtiæ* è *Mari* & *Beſtiæ* ex *Abyſſo*, nullus ſcrupulus ſupereſſe poſſet, ſi Interpretatores ἐκ τῆς ἀβύσσου, è *Mari* reddidiſſent, quemadmodum & illius ſenſûs admodum eſt capax; quandoquidem ἄβυσσος & θάλασσα idem ſæpè ſignificant in Scripturis; ut Job. 38. 30. & cap. 41. 31. ἀναζεῖ ἄβυσσον ὥσπερ χαλκεῖον, & Pſalm. 106. v. 9. ὡδήγησεν αὐτὸς ἐν ἀβύσσῳ ὡς ἐν ἐρήμῳ· ut & Eſai. 63. 13. Jon. 2. 6. & aliis locis.

Quamobrem Divinæ viſum eſt ſapientiæ, rei obvelandæ tantummodo causâ, Phraſin variare; quemadmodum & totus hic vaticinorum liber multis obſeptus eſt iiſq; deſtinatis, quanquam non inſuperabilibus obſcuritatibus & difficultatibus ad cuſtodiendum hunc Theſaurum in abſcondito uſq; ad tempus præſtitutum: Vel uſurpatur fortaſſean vox ἄβυσσος hoc in loco pro θάλασσα, ut ſenſus non determinetur ad *Beſtiam Decacornem*, ſed ut facultas ſaltem daretur interpretandi de *bicorni Beſtia* alteri illi contemporariâ.

6. Cæterùm nuſquam omnino majorem difficultatis ſpeciem induit liber hic Apocalypticus quàm in *prima Reſurrectione*, cap. 20. At verò ſimul notandum eſt nullam illic ſubeſſe difficultatem niſi talem quæ ſaltem æqualiter urſura ſit eos qui millennium inchoant à Temporibus *Conſtantini*. Adeò ut hoc nullum præjudicium eſſe poſſit *Medi* Interpretationibus & Synchroniſmis. Etenim, tametſi viâ Allegoricâ procedamus cum quibuſdam, intelligamúſq; *primam hanc Reſurrectionem* in ſenſu *Politico*, qualem modò de Teſtibus adhibuimus, hæc certè via faciliùs accommodatur ad *Medanos* Synchroniſmos, quàm ad alteram Hypotheſin. Nec profectò multum incommodi eſſet ſi eam admitteremus ut veram, cùm illæ Phraſes quæ tandem literalem impletionem habituræ ſunt, uſurpentur ſæpe in ſenſu figurato, quemadmodum obſervare poſſumus in *Lacu Ignis*, in quibuſdam deſcriptionibus *adventûs Dei*

ad

ad particularia *Judicia* exequenda, in *ſex Tonitruis* & ſimilibus. Quæ Locutiones omnes literalem tandem phyſicámq; completionem ſunt habituræ.

Verùm enimverò quamvis ſenſus *Reſurrectionis* figuratus ferri poſſit in hoc loco ac tolerari, ut tamen ingenuè fatear quod res eſt, ego eum non auſim aſſeverare omni ex parte eſſe verum. Rationes meas in ipſa Textûs expoſitione indicabo, qui ſic habet. *Tum ſellas vidi, in quibus conſeſſum eſt, illíſq; judicium datum eſt; itémq; vidi animas decollatorum propter Jeſu Teſtimonium, proptérq; Dei ſermonem; & qui neq; Beſtiam aut ejus Imaginem venerati ſunt, neq; notam in ſuam frontem aut manum acceperunt, ii vixerunt & cum Chriſto mille annos regnârunt. Reliqui mortuorum non revixerunt donec tranſacti forent mille anni. Hæc eſt prima Reſurrectio, felix ſanctúſq; eſt is qui eſt primæ Reſurrectionis compos. In eos ſecunda mors poteſtatem non habet, quin erunt Dei & Chriſti Sacerdotes & cum eo regnabunt mille annos.*

Nullus unquam erat liber qui majori cum Artificio ſcriptus eſt quàm hic liber *Apocalypſeos*, tanquam ſi unumquodq; verbum penſitatum antè fuerit in bilance quàm in chartam conſcriptum. Quod ex aliis æquè locis manifeſtum eſt atq; ex hoc. In quo videre mihi videor duplicem proponi prædictionem, *Reſurrectionis* utiq; *propriè dictæ*, quæ eſt *veritatem per mortem ſuam teſtificantium*, & *Politicæ* præterea *Reſurrectionis*, *veræ & Apoſtolicæ Eccleſiæ ſuperſtitis adhuc in terris.* Priores ſunt οἱ πεπελεκισμένοι, poſteriores qui Beſtiam non ſunt venerati, &c. qui ſi non diſtincti eſſent ab alteris ac diverſi, ſatius fuiſſet omiſiſſe ἢ atq; legiſſe, ὅτινες οὐ προσεκύνησαν, vel τῶν μὴ προσκυνησάντων, &c. Quamobrem hæc prima eſt indicatio, duos ordines hominum hîc deſcriptos eſſe; Unos qui mortem paſſi ſunt pro Evangelii cauſa, Alteros adhuc ſuperſtites, verùm ſtrenuos *Beſtiæ* impugnatores. Eſt verò & ſecunda intimatio in verbis ſubſequentibus, καὶ ἔζησαν καὶ ἐβασίλευσαν, *vixerunt* & *regnârunt.* Videtur Dei Spiritus datâ operâ elegiſſe vocem ἔζησαν potiùs quàm ἀνέζησαν, nè putaretur nimis apertè vergere versùs ſenſum *Reſurrectionis literalis*, atq; ità nimis violenter urgere lectorem ad intelligendum utroſq; ordines ſuprà diſcriminatos expectatores fore *realis* ac *literalis* Reſurrectionis etiam hâc vice. Hanc, inquam, ob cauſam utitur voce ἔζησαν, quæ quatenus reſpicit τὰς πεπελεκισμένας ex ſua natura innuit Reſurrectionem *literalem*, quatenus verò alteros reſpicit non ſane *literalem* Reſurrectionem, ſed ſolummodò quòd vivent regnabúntq; in terris cum Chriſto, quæ eſt ipſorum *Moralis* ac *Politica* vita ac Reſurrectio. Hi qui πεπελεκισμένοι ſunt, regnabunt cum *Chriſto in cœlis*, illi alteri cum *Chriſto in terris*, cùm univerſalis ille Princeps ſit utriuſq; Eccleſiæ: Ac proinde neq; cœli neq; terræ hîc fit mentio, ut ſenſus accommodari poſſit ad eorum imperii poſſeſſionem cum Chriſto ſive in *cœlis* ſive in *terris*, pro diſtinctis utiq; capacitatibus perſonarum. Eadémq; adhibetur cautio in temporis præfiguratione; De quo nihil eſt neceſſe ut ſtatuamus illud ſignificare *mille annos literaliter*, ſed *ad minimum mille annos*; nec tamen plures, pro certo, quàm ſunt *dies* in *annis mille*, nec fortean tam multos. Significatio verò eorum potiùs ſymbolica eſt, quemadmodum & *decem dierum* cap. 2. v. 10. *Feretíſq; decem dierum afflictionem*, hoc eſt, *extremum afflictionis*, ultra quod nihil ſupereſt, quemadmodum & nullus *numerus* eſt ultra *Decem.* Per quod igitur intelligi debet mors. Atq; id in cauſa eſt cur ſtatim ſubjiciatur, *Eſto fidelis ad mortem uſque, & tibi dabo coronam vitæ.* Ità hi *mille anni* in terris ſymbolum ſunt ſtabilis durationis Eccleſiæ ad finem uſq; mundi; quòd nullum Imperium florebit ultra ipſius Regnum, quippe quòd mille *Cubus* eſt, cujus radix eſt decem. Applicatio verò illius ad Regnum filiorum Reſurrectionis cum Chriſto in *cœlis* inconcuſſam indicat ſtabilitatem infinitámq; durationem illius cœleſtis etiam Regni, ultra quod omnino eſt nihil.

Reliqui verò *mortuorum* οὐκ ἀνέζησαν. Quòd vox ἀνέζησαν hîc uſurpatur non ἔζησαν, id planè reſpicit τὰς πεπελεκισμένας, innuítq; eorum Reſurrectionem *realem* eſſe ac *literalem*, quò alii pervenire non poterunt donec mille anni tranſacti forent in terris. Poſt quæ planè dicitur *generalem* futuram eſſe *Reſurrectionem*, omnéſq; mortuos ſurrecturos (verſ. 12, 13, 14.) Quamobrem cùm *Generalis* hæc *Reſurrectio literalis* ſit ac *Realis*, nimis quàm durum eſt ac violentum hanc *primam* intelligere *Reſurrectionem*, qua de mentio fit verſu quinto, Myſticam ſolummodò eſſe ac figuratam. Verùm ſi *literaliter* intelligamus id quod ſequitur, ſenſum habet oppidò quàm naturalem ac facilem. *Felix ſanctúſq; eſt is qui eſt primæ Reſurrectionis compos* (quod ſic in ſingulari numero, quiſpiam meritò putet datâ operâ enunciari, ut nemo hoc intelligat de ſucceſſivo Eccleſiæ corpore per mille annos in Terris exiſtente) ἐπὶ τούτων ὁ θάνατος ὁ δεύτερος, *in eos ſecunda mors poteſtatem non habet*, ſtagnum ſcilicet igneum (v. 14.) in quod *Hades* ſive tota *Mortalitatis Regio* conjicitur, universâ Terrâ

conflagrante; verùm Beati illi qui partem habent in *prima Reſurrectione.* Optimè enim ipſis jam proſpectum eſt, ſatísq; ſunt ſecuri, quandoquidem *corpora* ſua *cæleſtia* nacti ſunt quæ pro certo ipſos ex funeſto hoc fato eximent. Etenim hi omnésq; alii quos Deus poſtea participes facturus eſt beatæ hoc genus Reſurrectionis, naturaliter à *ſecundæ mortis* ictu ſunt tuti. *Quin erunt Dei ac Chriſti Sacerdotes & cum eo regnabunt*, non τὰ χίλια ἔτη, ſed certitudinis diſtinctioníſq; gratiâ, ſimpliciter χίλια ἔτη, hoc eſt ſanctæ erunt, ſacræ, divinæq; Perſonæ vivéntq; cum Chriſto in immutabili æternóq; ſuo Regno in cœlis in ſecula ſeculorum.

Hunc ego judico maximè facilem, maximéq; naturalem ſenſum hujus loci, *Perſonaléq; Regnum* Chriſti in *Terris* ſanctorúmq; Martyrum, opinionem eſſe admodum temerariam, abſurdam & periculoſam, neq; ad quicquam idoneam, præterquam ad æſtus & tumultus tum *Imaginationis* tum *Actionis.* Neq; equidem neceſſarium exiſtimo ut *primæ Reſurrectionis filii* nobis omnino appareant, cùm cœleſtia eorum corpora in quæ vivificantur, naturaliter ſint inviſibilia, ac proinde miraculi inſtar, ut nos ea videamus, nec magìs neceſſarium quàm earum animarum ad viſum exhibitio, quas Chriſtus ſecum Triumpho in cœlum deduxit poſt ſuam Reſurrectionem, quas tamen ille mundo conſpiciendas non exhibebat. Et verò ſi hîc faceret, meliorem facti finem excogitare non poſſum, quàm *Joſephus Medus* in medium jam protulit, ut ſit utiq; in ſignum nutúmq; *Judæis* ad promovendam eorum converſionem; ſed de hiſce rebus nihil auſim aſſeverare. Hoc ſolum pro perſuaſiſſimo habeo, ſi orbis Chriſtianus ſemel purgatus eſſet omnibus ſuis Idololatriis, fatuíſq; & repugnantibus opinionibus, impiíſq; uſibus ac conſuetudinibus, ingens profectò futurum eſſet miraculum, ſi *Judæi* ab amplectenda Religione Chriſtiana coërceri poſſent aut inhiberi.

7. Quamobrem ut breviter concludamus; Cùm Synchroniſmorum *Medanorum* veritas, quatenus argumentum præſens reſpiciant, adeò ſit *Apodictica*, nihílq; ullius momenti contra ipſos objicii poſſit, *Dierúmq;* numeri ac Menſium quorum ibi fit mentio, neceſſariò *Anni* exponendi ſint, cúmq; juxta hanc Hypotheſin nullus alius poſſit eſſe ſenſus *Mulieris in Eremo*, *Babylonis civitatis magnæ*, *Bicornis Beſtiæ*, *Beſtiæq; Decacornis*, quàm is quem *Medus* propoſuit; manifeſtum ſanè eſt Eccleſiam Chriſti in conditionem degenerem lapſuram fuiſſe per mille ducentos ſexaginta annos, æquéq; evidens, futuram eſſe ex hoc lapſu Inſtaurationem; cùm nullus adhuc factus ſit locus *promiſſo Millennio*, Perſecutione, Eccleſiæ veſtigia premente uſq; ad tempora *Conſtantini*; poſt quæ mille ducenti ſexaginta Dies erant ſucceſſuri, unde palàm eſt *Millennium* nondum adveniſſe. Quemadmodum porrò apparet ex eo quòd Tubæ ſeptimæ ſit *Synchronum*, quódq; *Teſtium Reſurrectio* futura ſit poſtquam per 1260 dies aut ſaltem per ultimos tres dies & dimidium mortui jacuerint; & ex eo quòd *Agni Nuptiæ* initium ſumunt ab *incendio Babylonis*, ut *Turba palmifera* à victoria ſua ſuper infeſtam *Beſtiam.* Hæc poſteriora tam clara ſunt ac perſpicua ut nihil opus ſit ipſis immorari. De *Reſurrectione Teſtium* alibi accuratiùs agimus.

Et ſanè magnum eſt hujus *Synchroniſticæ* Architecturæ *Medi* Privilegium, quòd nulli ſuperinædificetur Hypotheſi, ſed innatis ſolummodò ipſarum *viſionum Apocalypticarum* characteribus; cùm è contrà *Grotiana* Methodus ità dependeat à Chronologia Scriptionis *Apocalypſeos*, ut niſi *Johannes* has *Revelationes* receperit temporibus *Claudii* (quod tamen eſt contra communem omnium tum antiquorum tum recentium Scriptorum ſententiam) tota expoſitionum illius fabrica in humum ſit collapſura. Ad quod ſuperaddi poteſt, quòd nullum is habet in Prophetico hoc *Labyrintho* nec *Ductorem* nec *glomum*, immò verò nè illum obvium quidem ſed fallibilem; ipſum utique, quo jacent, vaticiniorum ordinem: ſed cogitur aliquando retrò ire prout putaverit ſe res hiſtoricas commodiùs poſſe applicare; Adeò ut nullum omnino *viæ ducem* nactus ſit ex ipſa *Apocalypſi.* Cùm è contrà *Medus* lege illâ certâ ac demonſtrativâ *innatorum Synchroniſmorum* dirigatur limitetúrque, quos ipſe ex ipſis *Apocalypſeos* viſceribus ſibi eruit. Quorum veritatis poteſt & hæc una eſſe generalis poſt-Confirmatio, quòd eæ res quæ *Synchronæ* inveniuntur, *naturalem* etiam inter ſe *connexionem* habent & complicationem, quemadmodum ille qui vel leviter oculos in *Synchroniſmorum Schema* conjecerit ipſáſq; rerum naturas notaverit, facilè deprehendet.

CAP.

CAP. XVI.

1. *De quatuor* Animalibus *circa* Thronum Majeſtatis *ante* Sigillorum Vaticinium *deſcriptæ.* 2. *De* ſex primis Sigillis *ſecundùm* Grotium. 3. *De* ſex primis Sigillis *ſecundùm* Medum. 4. *De* Atrio interiori *&* *de* pugna *Michaëlis* cum Dracone, *ſecundùm* Grotium *&* Medum. 5. *De viſionibus* ſeptem Tubarum. 6. *De propinqua cognatione ac colligatione ſeptem illorum* Synchronorum *quæ* ſex primis Tubis *ſunt contemporanea.* 7. *Errores & defectus* Grotianæ *Interpretationis illorum* Synchronorum. 8. *De* Numero Beſtiæ. 9. *De Synchronis* Tubæ ultimæ *contemporantibus.* 10. *Quàm neceſſarius ſit ductus hujuſmodi Synchroniſmorum qui ex ipſis eruantur Viſionibus, probatum ex erroribus* Grotii *qui illorum ope caruit. Authoris Apologia quòd* Medum Grotio *prætulerit, cum Indicatione ſui Inſtituti quòd ſe hiſce rebus immiſcuerit.*

1. CÆterùm ad pleniorem demonſtrationem præſtantiæ Methodi *Medanæ* præ illa quâ uſus eſt *Grotius*, nonnullas utriuſq; Interpretationes inter ſe comparabo. Univerſas enim conſiderare prolixum nimis eſſet ac laborioſum; quædam verò ex utriſq; ſpecimina in medium producere admodum utile ſi non & neceſſarium. Primùm igitur, in primis *ſex Sigillis*, addam etiam in primis *ſex Tubis*, *Grotius* ſcenam omnium Viſionum in *Judæa* collocat, eaſdémq; terminat in *Civitatis excidio.* Qua de re hoc in genere notandum eſt, Applicationes illius utplurimum nimis quàm *tenues* eſſe, magíſq; quàm pro horum vaticiniorum ingenio *puſillas.* Ipſáq; vaticinia ſi nullum alium haberent ſenſum, optimè omitti potuiſſe, quandoquidem, quicquid in ipſis utile foret Eccleſiæ, Beati Servatoris ore multò apertiùs jam fuerat prædictum; ac proinde non eſſe veriſimile, ea obſcurioribus ſuis præfigurationibus tantum in Apocalypſi ſpacium fuiſſe occupatura. Verùm deſcendemus porrò ad particulares Interpretationum defectus & incongruitates; Primóq; *Sigillorum* cum ſeſſione Majeſtatis ipſis præfixâ. Ubi *Grotius* quatuor *Animalia*, Leonem, Vitulum, Hominem, & Aquilam, *Petrum* facit, *Jacobum*, *Matthæum*, & *Paulum*; Quod præterquam quòd in genere figmentum eſt ſine omni fundamento excogitatum, ipſæ præterea applicationes, quantùm ego video, non ſunt adeò conſentaneæ. Cur enim *Petrus* qui præ timore Dominum ſuum negabat, *Leo* potiùs habendus eſt quàm *Paulus*, cujus ardor æſtúſq; proculdubio non minor erat quàm alterius? Et cur *Paulus* Aquila potiùs quàm Vitulus, qui certè in Miniſterio *Bovis* inſtar laborabat, Bovíq; trituranti ſeipſum comparat, 1 Cor. 9. 9? Et quanquam longa quidem ſuſcepit Itinera, non tamen per Aërem volabat, nec ſanè ibat velociùs ſive in terra ſive in mari, quàm alii viatores. Et cur deniq; *Matthæus* Homo magìs cenſendus eſt quàm omnes reliqui, potiúſq; quàm *Jacobus* Frater Jeſu qui peculiari Titulo *filius hominis* appellabatur. *Apoc.* 4.

Quamobrem, *Medi* Expoſitio hîc longè videtur ſolidior, ut quæ confeſſum habet Fundamentum; Caſtrametationem utiq; populi *Iſraëlis*, qui in quatuor diſtribuebatur partes, & unaquæq; pars ſub *vexillo* erat ſive *Inſigni*: Qui ad orientem ſiti erant, *Leonis*; qui ad Occidentem, *Bovis*; qui ad Auſtrum, *Hominis*; qui ad Boream, *Aquilæ.* Adeò ut glorioſa hæc Divinæ Majeſtatis ſeſſio illuſtretur ordine Caſtrametationis *Iſraëliticæ.* Quibus in medio erat *Tabernaculum* tanquam Thronus Dei, circáq; illud Tribus *Iſraëlis* ſic diſpoſitæ quemadmodum dixi. Quæ eſt infinitò ſolidior expoſitio quàm illa *Grotii*, quemadmodum diſtinctiùs intelliges in aperiendis quatuor primis Sigillis. Quorum applicationes in *Medi* interpretatione ad *Animalia* ſingula, mira cum congruitate adaptatæ ſunt. In *Grotiana* verò applicationes ſunt admodum ineptæ ac frigidæ. Ille enim ſatìs idoneam ſe arbitratur reddidiſſe rationem cur *Leo*, hoc eſt, *Petrus* invitet ad viſendum ſpectaculum *Seſſoris Equi albi*, quia *Petrus* primus erat qui Evangelium prædicabat, unde primæ hîc ei loquendi vices deferuntur, ut ille autumat. Cùm tamen minimè conſtet eum primum fuiſſe eorum qui tam expeditè linguis loquebantur, Act. 2. per quas illi omnes proculdubio prædicabant Evangelium. *Apoc.* 6. 1, 2.

2. Quòd hîc *Equi albi Seſſor* Chriſtus eſt, utriq; conſentiunt. Sed cur primum *Animal* Præco eſſe debeat hujus ſpectaculi, rationes *Medanæ* longè commodiùs demonſtrant, quemadmodum mox deprehendes. Præconem *Seſſoris Equi rufi Matthæum* facit, quoniam legitur Matth. 24. 7. *Conſurget enim gens contra gentem &* *Verſ.* 3, 4.

regnum contra regnum. Sed hoc *Matthæi* vaticinium non eſt, ſed *Servatoris.* Viſionem impleri fingit in bello inter *Beræenſes* Incoláſq; *Philadelphiæ*; ſed nullum diſtinctum tempus nominat, nec Principem ullum qui hujus *Equi rufi* poſſit eſſe Seſſor.

Verſ. 5. Præconem *Seſſoris nigri equi Paulum* facit, quippe cui prædixit *Agabus* hanc ipſam famem fore quam hîc ſignificari imaginatur *Grotius.* Sed hac ratione *Agabus* potiùs debuit eſſe Animal quàm *Paulus.* Ut taceam *Agabum* aliis præterea Chriſtianis hanc famem prædixiſſe pariter atq; *Paulo.* Impletio hujus Viſionis juxta *Grotium* in regno *Claudii* contigit.

Verſ. 8. Præconem *Seſſoris equi pallidi* facit *Jacobum,* quoniam ille divitibus mortem comminatur cap. 5. verùm ipſe agnoſcit per *mortem* hîc intelligi *Peſtem,* cùm comminatio apud *Jacobum* belli ſit & cædis, nempe excidii incendiiq; *Hieroſolymorum,* quemadmodum & ipſe illius capitis verſum tertium interpretatur. Vides quàm exilibus filis applicationes horum quatuor Animalium hiſce quatuor hactenus Viſionibus alligentur. Ut præteream (quod etiam valde inconcinnum eſt) ipſius utiq; ordinis in quo primùm propoſita erant perturbationem (cap. 4. v. 7.) ubi primum erat Leo, ſecundum Bos, tertium Homo, & quartum Aquila; Quæ debebant reſpondere primo, ſecundo, tertio quartóq; Sigillo ſine ulla ordinis perturbatione; cùm tamen hîc ſecundum Animal applicetur Sigillo quarto, tertium ſecundo & quartum tertio.

Apoc. 6. 9. Quintum *Sigillum* interpretatur de vindicta cædis Martyrum, quemadmodum & *Medus* facit; ſed reſtringit viſionem ad *Stephanum* & *Jacobum* & ad paucos alios neſcit quos. Atq; hoc pacto nullam relinquit viſionem ad præfigurandum *decem ſanguinolentas perſecutiones* quæ momenti erant plus decies millies majoris quàm ad quod ille collineat.

Verſ. 12. Sextum *Sigillum,* quod mentionem facit *Terræ motus, Eclipſeos Solis* atq; *Lunæ, lapsûs ſtellarum,* &c. exponit *literaliter* de hujuſmodi prodigiis planè contra rationem Propheticarum Interpretationum, & abſq; Hiſtoriarum applicatione ad fidem rei faciendam. Talis eſt inconcinnitas & inſignificantia *Grotianæ* Interpretationis ſex primorum Sigillorum. Longè verò aliter ſe res habet apud *Medum.*

3. Primò enim, applicatio quatuor *Animalium* ad quatuor prima *Sigilla* & *ordinata* eſt, admodúmq; *propria* & articulata. *Leo* enim ex parte *orientali* Caſtrorum *Iſraëliticorum,* applicatur *Chriſto* Principi ab *Oriente,* pluribus in ſenſibus quàm quibus mihi viſum eſt inſiſtere; utpote qui ordinarii ſunt & obvii. Præterea natura *Leonis* rei per viſionem ſignificatæ convenit, nempe *Victoriæ Seſſoris Equi albi.* Idémq; fit in reliquis. Etenim eodem modo *Bos* ex parte Caſtrorum *occidentali,* applicatur *Trajano* ab *Occidente*; *Homo* ex parte *auſtrali, Septimio* ab *Auſtro*; & *Aquila* ex parte *boreali, Maximino* ab *Aquilone.* Naturæ etiam viſionum *rebus* conveniunt quæ ſub illis Imperatoribus contigerunt. Ingentes *cædes* ſub *Trajano, Adrianóq;* ejus ſucceſſore indigitantur per *Bovem.* Accurata *juſtitiæ adminiſtratio,* diligénſq; rerum curatio, annonæq; proviſio in *Septimio* & *Alexandro Severo,* per *Hominem,* cui numerandi facultas & metiendi, adminiſtrandíq; juſtitiam adeò eſt propria; & extraordinaria deniq; *Famis,* & *Enſis, Peſtiſq; graſſatio* ſub *Maximino* per *Aquilam carnivoram,* quæ defunctorum cadaveribus veſcitur.

In ſumma, ſex primorum Sigillorum ſenſus hic eſt: Ille immaculatæ juſtitiæ Princeps, *Equi albi Seſſor* cum ſagittis arcúq; in manu ad aliquod quàm maximi momenti collineat, (nec quicquam minus ſanè quàm quod ſectatoribus ſuis promiſit, etiam
Luc. 12. 32. tum, cùm fortunâ abjectiſſimâ utebantur, *Nè formidate, ô parvum ovile, nam viſum eſt Patri veſtro vobis dare Regnum*) ſcopúmq; attingit in *ſexto Sigillo,* ubi Imperium Diaboli Paganicum immane quantum conquaſſatur, ex eo quod *Conſtantinus* factus ſit Chriſtianus. Sed ad adornandum Temporis curriculum ad illam uſq; tempeſtatem Propheticis aliquibus characteribus, *Rufi, Nigri, Pallidíq;* Equorum *Seſſores* introducuntur: utì etiam opportuniſſimè *Animarum Martyrum clamor* ſub altari; quo magis ſpeciatim denotatur regnum *Diocletiani, decennaliſq;* tunc incipiens illa nuſquam æquiparanda *Chriſtianorum perſecutio, quinto* ſcilicet ſub *Sigillo.* Poſt quod Imperii aſſertio in Chriſti manus per ſubverſionem Paganicarum Poteſtatum immediatè ſequitur, *ſextiq; Sigilli* materia eſt Propheticis illuſtrationibus admodum aptis præfigurata. Adeò ut omnia in Methodo *Medana* ut ſunt facilia, naturalia & diſtincta, ità valde magni ſunt ponderis dignáq; quæ Spiritus Dei, ſanctíq; illius Prophetæ prædicant.

Neq; ſanè quicquam habet *Grotius* quo alteri videatur præſtare, niſi fortè interpretatione *Seſſoris Equi nigri.* Quem ſi Hiſtoria eò flecti potuiſſet, *Medus* lubenter

de

de fame ſimiliter exponere voluiſſet. Verùm, meo quidem judicio, nihil ſeveritatem Juſtitiæ ſignificantiùs depingit quàm nigredo: Sive ipſam animi temperiem ſpectaveris in qua reſidet, quæ gravis eſt, triſtis, rigidáq; melancholia; ſive illius, in rebus criminalibus executionem, quæ eſt mors, cujus funeſtum *Hieroglyphicum* eſt nigritudo. *Niger* igitur *Equus* cum *bilance* Seſſorem arguit ſeveriter juſtum, frugalem & de futuro ſollicitum, quíq; curabit ſedulò, 1. Ut ſi una Chœnix Tritici denario væneat, tres Hordei væneant denario; 2. Ut homines honeſtis laboribus victitent, non furtis nec rapinis. Chœnix enim ſignificat ἡμερήσιον unius diei victum, & denarius mercedem unius diei. 3. Ut nulla fiant furta nec latrocinia, (ſed menſurata rerum emptio) quamvis tanta annonæ caritas foret ut diei labor ultrà quàm victum nihil ſit ſuppeditaturus. 4. Proſpiciet ipſis ut habeant ſaltem Chœnicem pro denario, útq; frumenti pretium victúſq; neceſſarii, diei mercedem non excedat. Et ſimiliter de vino ac oleo cavebit, nè ulla inibi fraus fiat vendendo emendóve, nec ulla rerum vaſtatio conculcatióve ab effræni milite. *Apoc. 6. 6.*

4. Ad Tubas jam pergendum eſſet; Verùm malo hîc pauliſper ſubſiſtere, viſionéſq; illas priùs tractare quæ hiſce *ſex Sigillis* contemporant, ſúntq; * *Pugna Michaëlis* cum *Dracone*, || *Templúmq;* ac *Altare Dei menſuræ Angeli commenſurabilia.* *Medus* interpretatur hanc pugnam ſepticipitis *Draconis* ac *Michaëlis* de conflictu Eccleſiæ Chriſti cum crudelitate Paganica uſq; ad *Conſtantini* Tempora ac *Theodoſii.* Qui quemadmodum Synchronus eſt, ità & magnam inſuper cognationem habet cum viſionibus *ſex primorum Sigillorum.* *Sagittarius* enim in *Equo albo* ad hoc eventum collineat toto hoc cruento prælio, quod attingit tandem aſſequitúrque, in *ſexti Sigilli* completione. * *Apoc.* 12. 7. || *Apoc.* 11. 1.

Grotius verò viſionem refert ad *Simonem Magum*, *Petrúmq;* qui precibus ſuis ex aëre eum præcipitem deturbavit. Ad quod ille ſupponit acclamationem illam Angelorum factam qui ſpectatores erant *Cacomagici* hujus *Petauriſtæ*, eúmq; è feneſtris cœli proſpexerunt, dum præcipitabatur deorſum in terram. Sed quàm puſilla hæc res eſt ac ludo riſúq; digna, præ effecto illo quod *Medus Sigillo ſexto* aſſignat, quod & exitus erat illius pugnæ, ſcopúſq; ad quem *Sagittarius* in *albo Equo* collineabat per omnes labores afflictionéſq; *Sanctorum*? *Apoc.* 12. 10.

Illud de Templo Dei ſive *interiori Atrio* Templi *Grotius* ad hunc ſolummodò ſenſum interpretatur: Quòd utiq; ſic menſuratur ad ſignificandum *Adrianum* in eo non eſſe ædificaturum, quanquam in terra circa illud ædes exſtruxit, civitatémq; *Æliam* juxta ſuum nomen nuncupabat. Nullum verò expreſſum Teſtimonium affert interiori Atrio nihil fuiſſe inædificatum. Nec ſanè ſi ità erat, digna res eſſet quam Divina notarent vaticinia. Nec veriſimile eſt ità cordi fuiſſe providentiæ illum locum, quem Deus penitùs rejecerat, inſtaurationémq; illius impedivit * globis igneis è fundamento erumpentibus, ut de illius prophanatione ſollicitus eſſet. Proculdubiò tam divina Prophetia quàm eſt hæc Apocalypſeos, res tam puſillas minutáſq; non curat. Præterea, ex eo quòd Angelus *Johannem* jubet metiri non ſolum Templum & Altare, ſed etiam homines in eo adorantes, indè planè innuitur alium illius rei ſenſum eſſe quàm *Grotius* inveſtigabat, eúmq; eſſe certò quem *Medus* invenit; *Interius* ſcilicet hoc *Atrium*, quod menſurari dicitur Eccleſiam Chriſtianam puram ſignificare, antequam adulterata eſſet quodam quaſi *Pagano-Chriſtianiſmo.* Quæ Eccleſiæ conditio manfeſtam etiam habet cum aliis rebus Synchronis cognationem; ut cum obfirmata *Draconis* per Sanctos impugnatione, támq; ſeria ſuæ Religionis Profeſſione ut eum propriis ſuis vitis præferrent. * *Vide lib.* 7. *cap.* 9 *ſect* 10. *Apoc.* 12. 11.

5. Progrediemur nunc ad *Tubas*. Viſionem illam *Primæ Tubæ*, *Grandinem* ſcilicet & *Ignem* cum *ſanguine mixtos*, *Grotius* (omnino extra viam Expoſitionis Propheticæ) interpretatur ad ſenſum Moralem; de duritie utiq; cordis, iráq; ſanguinolenta: quod ille *Judæis* applicat, cùm tamen grando igníſq; Symbola ſint vindictæ hoſtilis in alios, non iræ intùs ardentis, proprióſq; corrodentis animos; ac proinde hæc grando igníſq; dicuntur cladem inferre *gramini* & *arboribus.* Quamobrem *Medus* multò aptiùs ad infeſtationem Romani Imperii applicat, ab anno 395 ad 406, partim per *Alaricum* & *Gothos*, partim per Nationes Barbaras ſub *Radagaiſo*, & partim deniq; per *Vandalos* & *Alanos.* Hæ ſunt Boreales Tempeſtates turbinéſq; Grandinis cum igne & ſanguine quæ in Romanum Imperium ingruerunt. *Apoc.* 8. 7.

Viſionem *ſecundæ Tubæ*, *Montem* ſcilicet *igne flagrantem* dejectum in mare, *Grotius* exponit de Turre *Antonia*, cujus tamen lapſum nulla comitabatur flagratio, ac proinde is mavult intelligi de excurſitationibus iratorum militum è Turre in Populum Hieroſolymæ. Quæ certè puſilla res eſt ſi conferatur cum urbe capta & incenſa ab *Alarico*, ex quo continua ſequebatur Imperii vaſtatio uſq; ad illius dilacerationem *Verſ.* 8.

rationem in decem Regna; Quæ *Medi* eſt Expoſitio in hac viſione. Altera verò malè
Verſ. 9. convenit illi præſertim locutioni, *Tertiáq; navium pars corrupta.* Quod innuit, mare hîc majus quid ſonare quàm unius urbis incolas turbámve populi in unum vicum collecti. Ut præteream librum hunc vaticiniorum qui res toties *numeris* indigitat, hic, ut aliàs, per τὸ τέτον μέρος Imperium Romanum intelligere.

Verſ. 10. *Tertiæ Tubæ* viſio eſt *Stella illa magna in tertiam fluviorum partem delapſa, Lampadis in morem ardens*, Cometa, putà, *Lampadias* propriè ſic dictus. Hoc *Grotius*
Act. 21.38. applicat ad *Ægyptium* illum Impoſtorem cujus facta eſt mentio in *Actis*, & apud
* *Antiq. lib.* 20. *cap.* 6. *Bell. Jud. lib.* 2. *c.* 23. * *Joſephum.* Sed præterquam quòd τὸ τέτον, *pars tertia*, iterum hîc denotat Imperium *Romanum*; Stella hæc major eſt, meo judicio, quàm quæ Erronem iſtum *Ægyptium*, faciléq; detectum proculcatúmq; deceptorem condeceat. *Medi* Interpretatio multò eſt accommodatior, qui ad extinctionem *Occidentalis Cæſareatûs* rem applicat, qui admodum humilis factus erat & obſcurus in illis nullius notæ Imperatoribus, *Avito*, *Majorano*, *Severo*, *Anthemio*, *Olybrio*, *Glycerio*, *Nepote* immediatis anteceſſoribus *Auguſtuli*, ſed prorſus lapſus eſt & extinctus in hoc ærumnarum, amaritudinum, triſtiſſimorúmq; infortuniorum Principe quem *Odoacer* Rex *Herulorum* è Throno ſuo evulſit, Anno 476.

Verſ. 12. *Quartæ Tubæ* viſio, *Eclipſis* ſcilicet *tertiæ partis Solis*, *Lunæ* ac *Stellarum*, pergit porrò in rebus ad urbem Romam pertinentibus, ſignificátq; illam Lucem quâ fulgebat ſub *Oſtrogothorum* Regibus extinctum iri, quódq; Majeſtate Regiâ eſſet ſpolianda, immò verò Conſulatu, Senatúſq; authoritate. Quod ſiniſtrum fatum admodum graphicè præfiguratur per obſcurationem *Solis*, *Lunæ* & *Stellarum*, quemadmodum *Medus* rationibus irrefragabilibus probavit, perindéq; applicavit hiſtoriam. *Grotius* de captis ſolummodò quibuſdam oppidis in *Galilæa* aliiſq; locis per *Veſpaſianum*, déq; cæde *Judæorum* interpretatur. Quæ certè laxa eſt admodum dilutáq; Interpretatio ſi cum *Medana* conferatur.

Apoc. 9. 1,2,3. *Quintæ Tubæ* viſio *Claviger* eſt *putei Abyſſi*, atq; *Locuſtæ*. Quos *Grotius* ad *Eleazarum* refert filium *Ananiæ*, (quanquam & ipſe fatetur tempus non convenire) & ad factionem *Zelotarum*. Quos ille *Locuſtas* iſtas eſſe cum Scorpiorum caudis opinari non poteſt, niſi ex generali illa ratione, quòd *Raptores* erant ac *Vaſtatores*, quódq; lentè malum infligebant, ut venenum Scorpii Triduum enecationi hominis impendit. Cæterùm minimè conſtat *Zelotarum* malum adeò ſpeciali modo lentum exiſtimandum eſſe; quandoquidem ab eis orta Calamitas diutiùs non durabat quàm hujuſmodi barbara ſolet militum effrænium & indomitorum violentia. Neq; certè
Verſ. 5. quinq; menſes excedit juxta ipſius *Grotii* computum. Sed enimverò ille ſuum
Verſ. 7. computum nè adnititur quidem Hiſtoriâ comprobare. Præterea, quomodo Coronæ aureæ *Zelotis* poſſunt competere? Nam quòd *Grotius* ſic exponit ὡς στέφανοι χρυσοῖ, quaſi ὡς jactationem tantùm eſſe innueret Coronarum & victoriarum, non reales Coronas, id ſanè abſq; omni fundamento dictum eſt, potéſtq; ex propria ipſius ex-
Verſ. 8. poſitione conſimilium locutionum confutari; τείχας ὡς τείχας γυναικῶν & ὀδόντας ὡς λεόντων, per quæ ipſe agnoſcit realem mollitiem, voracitatémq; in hiſce Zelotis intelligi. Illud de *aculeo in caudis*, Scorpiorum ſimilibus, *Introibant ut defenſores*, *exibant raptores*, eſt ſanè ingenioſum, ſed nequaquam ſolidum. Nam ſi formam velis mores ipſorum figurare, introibant æquè *Raptores* atq; exibant. Quippe anteriores harum *Scorpio-locuſtarum* partes *rapinam* perfectiùs repræſentant quàm poſteriores.

Viſionis hujus *Medana* applicatio ad *Mahometem* & *Saracenos* mirabiliter naturalis eſt uſquequaq; & accurata. Malum itaq; *quintæ Tubæ* eſt falſum illud Luminare, Pſeudopropheta *Mahometes* per iram Dei in terram immiſſus. Cujus doctrina eſt ille *fumus putei Abyſſi*, ejúſq; Sectatores *Saraceni*, *Locuſtæ* de quibus hîc fit mentio. Ut qui, 1. Ex *Arabia* venerunt quemadmodum Locuſtæ *Ægyptiacæ*, quæ *Ægyptum literalem* infeſtábant. 2. Et admodum *Numeroſi* erant prout Locuſtarum agmina eſſe ſolent. 3. Morámq; ſuam faciunt μῆνας πέντε, quod menſes quinos reddere poteris. Quæ alluſio eſt ad conſuetam durationem Locuſtarum, (Plin. 11.29.) reſpondétq; in ſenſu Prophetico quinis annorum menſibus, hoc eſt, centum & quinquaginta annis quibus hæ Locuſtæ *Italiam* infeſtabant, & bis centum ac quinquaginta annis quibus *Saracenicum* Regnum durabat. Adeò aptè quini menſes ad ipſos applicantur. 4. Ut & *aureæ Coronæ* ad multitudinem victoriarum eorum, ut qui ſubdiderunt *Palæſtinam*, *Syriam*, utraſq; *Armenias*, *Aſiam* minorem, *Perſiam*, *Indiam*, *Ægyptum*, *Numidiam*, *Portugalliam*, & *Hiſpaniam*, intra octoginta annorum ſpacium. 5. *Arabes* unde oriundi ſunt *Saraceni*, crines conſtringebant tiarâ vit-
Apoc. 9. 9. táve ad morem fœminarum. 6. Alarum ſonitus harum *Locuſtarum* qui erat ut ſonitus

nitus curruum multorum equorum ad pugnam currentium, major eſt quàm pro Zelotarum factione ſignificatio, ſed aptiſſimè ingentes celeréſq; victorias *Saracenorum* denotat. 7. Quemadmodum & *venenatæ Scorpiorum caudæ* eleganter indigitant venenum veteris Serpentis ſub falſa Religione *Mahometiſmi*. Etenim omnes illæ *Poteſtates* quæ non ſunt ſub *Regno Lucis*, partes ſunt Poteſtatum *Principis Regni Tenebrarum*, hoc eſt, Diaboli. 8. Quemadmodum & hîc planè indicatur ex eo quòd *Verſ.* 11. Rex ſuper ipſos *Angelus* ſit *putei Abyſſi*, quanquam tantum præ ſe ferunt zelum colendi illum * *unum* verum Deum qui *fecit Cœlum & Terram*. Hæc falſa eorum affectatio perſtringi videtur in ipſo nomine ſui principis *Abaddon*, alludendo ad עבודא & אבדי ut *Medus* monet, quem illi coluerunt tanquam Creatorem mundi, quum tamen reverà ejus potiùs perditorem colerent, ut hæc Prophetia voce hâc *Abaddon* inſinuat. * *Vide cap* 12. *ſect.* 6.

Illa verò *Grotii* alluſio in *Apollyon* ad Ἀπόλλων magìs expreſſa eſt, ſed noſtro multò accommodatior inſtituto quàm ipſius; quandoquidem Ἀπόλλων ſecundùm *Chryſippum* eſt ab α & πολὺς vel πολλὰς, ac proinde ſignificat, *unus*; quemadmodum & *Adad*, Deus *Aſſyriorum*. Quod nomen non ità celatur in *Abaddon* quin illud ſcindendo in אב & אדון, & demendo terminationem nihil ſignificantem, & ſolvendo duas ד quæ tam arctè coërcentur per *Dageſh*, אדד ſtatim ſe prodat, ad confirmandam Paronomaſiam. Qui אדד igitur neceſſariò eſt *Aſſyriorum* Ἄδαδ Θ, βασιλεὺς θεῶν, utì eum appellat *Philo Byblius*, potuítq; cum *Homero*, pari jure vocare παλαίφατα θεῶν, cùm idem ſit qui *Apollo* & *Jupiter*, quorum Tituli apud *Orpheum* in Hymnis ſunt παγγενέτωρ, παλὴς πόντου, παλὴς αἰπὺς. Atq; אב *Hebraicè Principatum* æquè ſignificat ac *Paternitatem*, ut apparet in regali illa appellatione *Abimelec*. Quamobrem אב אדון idem eſt quod Ἄδαδ Θ παλὴς vel Ἄδαδος βασιλεὺς, ſupremus *Adad*, Pater & Princeps omnium; & *Paronomaſia* tam manifeſta ac canora in אב אדון & *Abaddon* ut eundem ferè habeant ſonum. Unde palàm eſt quòd non ſit de nihilo, quòd Propheta hoc nomen *Abaddon* præ nominibus * aliis elegerit quæ magìs tritæ erant vaſtatorémq; ſignificant æquè atq; hoc. cúrq; interpretari maluerit ἀπολλύων, quàm ὀλοθρευτὴς vel ἐξολοθρεύων, ut ſcilicet Hypocriticam indigitaret *Saracenorum* oſtentationem *Monotheiſmi*, uniúſq; Dei cultûs, quem tamen illi præſtant per invidiam præcipuè & oppugnantiam adversùs Chriſtianam Profeſſionem *Trinitatis*, dum tamen ipſi interea ſub *Vaſtatore* militant, & etiamnum ſunt æquè verè Pagani ac *Aſſyrii* olim *Græciq;* qui *Adadum* coluerunt & *Apollinem*. * אשמודי vel משחיה *aliiſque.* *Vide cap.* 12. *ſect.* 6.

Sextæ Tubæ viſio ſunt *Equites Euphratæi* quos *Grotius* ad exercitum *Romanum* ap- *Verſ.* 14, 16. plicat qui obſidebat *Hieroſolyma*, quem ille lubenter vult nominari *Euphratæum*, ex eo quòd quædam è copiis Romanis, illæ ſcilicet è *Syria* caſtrametabantur prope *Euphratem*. Sed cur totus, obſecro, exercitus indè nominaretur *Euphratæus?* Deinde, quatuor Angeli, quî fieri poteſt ut illi aptè referantur ad *Veſpaſianum*, *Titum*, *Verſ.* 14, 15. *Mucianum*, & *Tiberium Alexandrum*, quandoquidem hi quatuor æqualis ordinis non erant, nec autoritatis coordinatæ, unúſq; ſolummodò ex ipſis Imperator erat Exercitûs? Quòd verò & alii pari jure connumerari potuiſſent atq; quidam ex his quatuor, ex eo apparere poteſt quod ipſe ſcripſit in verſum 16. Præterea, nullam red- *Verſ.* 15. dit rationem Temporis, *Diei* utiq; *Menſis & Anni*, nec numeroſitatis eorum, δύο *Verſ.* 16. μυριάδες μυριάδων, ídq; *Equitum*. Interpretatur porrò ipſorum *Loricas igneas*, *hyacinthinas* & *ſulphureas* de Sagorum militarium coloribus, tanquam ſi illa facta eſſent è filis coloris ignei, violacei & pallidi ſive ſulphurei, quæ res multò vilior eſt & abjectior quàm ut in tam ſacro notetur vaticinio. Applicatio *Falaricarum* ad ignem, fumum & ſulphur ex equorum oribus manantes ingenioſum eſt ſi conſideretur per ſe ſolum. Cum *Medi* Interpretatione mox eam comparabimus. Verùm Pedes, quem Romani collocabant aliquando ponè Equitem ad expeditionem, præſertim cùm non ſederet vultu retrorſum ab Equite averſo, nec per caudam Equi laberetur ſed à latere deſcenderet in terram, equidem admodùm ægrè præſtat *Amphisbænæ* ſimilitudinem; ut mittam ipſam *Amphisbænam* illius ſenſu merum eſſe figmentum. Inter- *Verſ.* 17. *Verſ.* 20. pretatio etiam de cultu Dæmoniorum & ſimulachrorum aureorum argenteorúmq; ad ſenſum *Myſticum* magìs languida eſt ac diluta quàm expoſitio *Literalis*.

Sed in unoquoq; horum particularium, *Medi* Interpretatio concinnitatem habet irreprehenſibilem, cùm quatuor Angelos apud fluvium *Euphratem* ad quatuor *Sultanias* Imperii *Turcici*, *Bagdad*, *Cæſaream*, *Aleppo*, *Damaſcum*, cis ultráq; *Euphratem* ſitas referat. Cùm calculationem ineat Temporis, *Diei*, *Menſis* & *Anni*, (i.e. *Verſ.* 14. *Verſ.* 15. 396 annorum) ab Inauguratione *Togrulbecci* Principis *Turcarum* uſq; ad captam *Conſtantinopolin*, quod juſtum eſt 396 annorum intervallum. Cùm Myriadas Myria- *Verſ.* 16. dum Equitum ad notam Turcicorum Exercituum numeroſitatem applicet, qui cùm

Perſæ

Perſæ facti ſint longâ in illa Regione commoratione, vocantur etiam *Perſæ* in Hiſtoria *Græca.* Adeò ut *Pedites* juxta hanc alluſionem *Equites* etiam ſint, פרס Equitem ſignificante æquè ac *Perſiam.* Quæ Nominales alluſiones uſurpantur etiam apud *Danielem*, ubi Hircus *Ægeadum* Reges, hoc eſt, *Macedonum* repræſentat.

Verſ. 17. *Loricas igneas*, *Hyacinthinas*, & *Sulphureas* de aſpectu interpretatur quem habere videntur inter diſplodendos ſclopos in prælio, quod facit ut tota ipſorum pectora ad tempus appareant ignea, mox coloris Hyacinthini ob fumum, maximè verò permanens objectum ſenſûs eſt ipſe ſulphuris fœtor. Quæ quidem Repræſentatio intelligenda eſt de ipſis haud longè diſſitis. Hæc pulveris *Pyrii* inventio (ab illa prævisa providentia quæ *Johannem* inſpiravit, nec fruſtrà in his viſionibus indigitata, ſed ut indè certiores ſimus, de temporibus ad quæ pertineant) iterum ſubindica-

Verſ. 17. tur ex eo quòd Equorum Capita Leoninorum dicuntur ſimilia. Cujus *Grotius* brevem hanc reddit rationem, *Rictus equorum ſanguinolenti qualis Leoni poſt devoratas pecudes.* Quaſi hi etiam carnem ederent, ad oblinendas ſanguine maxillas. Sin minùs, ubi eſt Imago illa Leonina in his magìs quàm in aliis? In eam igitur ego pronior ſum ſententiam, Capita eorum comparari cum Leonum capitibus propter terrorem ſonitûs, horrendi ad inſtar rugitûs Leonis, quando Equites junctim diſplo-

Verſ. 17. debant in hoſtem. Nam ſtatim ſequitur, *Exq; eorum oribus manabat ignis & fumus & ſulphur.* Omnia hæc exhalabantur ex Leoninis eorum faucibus ſimul. Ad quod *Grotiana* Falaricarum applicatio non eſt conferenda, ut quivis, qui earum naturam conſiderat modúmq; jaculandi, vel primo intuitu facilè deprehendet.

Medi etiam expoſitio ſerpentinarum caudarum equorum impendiò magìs elegans

Verſ. 19. eſt magiſq; utilis. Αἱ ὐρὰ αὐτῶν ὅμοιαι ὄφεσιν, ἔχουσαι κεφαλάς· hoc eſt, *Caudæ equorum erant tanquam ſi fuiſſent ſerpens dimidiatus illîc affixus, indéq; capite pendulus eminuiſſet.* Quæ Imago eſt triſtiſſimi illius Eventi *ſubſequentis* eorum in homines victoriam. Cùm Diabolus tunc, vetus ille *Serpens*, paratus ſit ad ſermones ſerendos cum eis ad eóſq; ſeducendos ad *Mahometiſmum.* Et poſtremò Interpretatio

Verſ. 20. *Dæmoniorum cultûs & Idolorum* in ſenſu proprio, ejúſq; rei applicatio ad reſiduum Romani Imperii, Papali Superſtitione & Idololatriâ contaminatum, equidem optarem ut in eos tam aptè non quadraret quàm reverà quadrat.

Harum duarum Tubarum ultimarum applieationes tam particulatim accuratæ ſunt & exquiſitæ, ut tametſi neceſſariò Synchroniſmorum vi non inferrentur, admodum tamen difficile eſſet de ipſis dubitare. Quod meritò appetitum cuivis acuere poſſit intelligendi ſenſum *Tubæ ſeptimæ ac ultimæ*, quæ ex canoris conſiſtit Laudibus ad

Apoc. 11. 15. Deum in cœlis, quòd *facta ſint Mundi regna Domini noſtri ejúſq; Chriſti qui regnabit in omnem perpetuitatem.* Hæc *Grotius* interpretatur de libertate quam Chriſtiani nacti erant profitendi Religionem ſuam *Hieroſolymis*, etiam tum cùm *Judæi* illinc agebantur in exilium. Cæterùm viſio proculdubio multò grandior eſt quàm pro re tantilla. Ἐγένοντο αἱ βασιλεῖαι τῦ κόσμυ. Valde durum eſt interpretari κόσμ& & βασιλεῖαι in plurali numero de *Judæa* ſola. Et præterea, quomodo hîc regnat Chriſtus in omnem perpetuitatem cùm ſubditi illius miſera jamdiu facti ſint *Turcarum* mancipia?

Verſ. 17. Si *magnam ſuam poteſtatem* illìc adeptus ſit regnúmq; inierit, eam rurſus perdidit, ſi modò *Grotii* ſenſus ſit verus. Sed enim manifeſtum eſt hanc *Tubam ſeptimam* ad

Verſ. 19. emerſionem Eccleſiæ ex ſua Apoſtaſia pertinere, ex eo quòd *Templum Dei apparet Arcáq; fœderis in cœlo.* Quæ figura eſt illius poteſtatis Politicæ quam homines puri ac Apoſtolici eis temporibus habituri ſunt. Templum enim Eccleſiam ſignificat in ſtatu ſuo puro, dum *Angelicæ divinæve* menſuræ erat *ſymmetra*, verſ. 1.

Cæterùm, apparitionem Arcæ fœderis in cœlo comitantur *fulgura & ſonitus ac tonitrua & terræ-motus & grando magna.* Quemadmodum etiam innuitur per ip-

Verſ. 14,15. ſum titulum Tubæ ſeptimæ, cùm ſit væ-Tuba impiis & incredulis: convenienter ſa-

Apoc. 10. 3. nè *ſeptem Tonitruis* quæ implebant *Tubæ ſeptimæ* ſpacium dum magnus ille ac illuſtris Angelus rugit ſicut Leo, meritóq; putatur Servatorem Chriſtum repræſentare, Leonem tribûs *Judæ*, qui ſemel excitatus, nunquam ceſſabit prædam perſequi uſquedum omnia ſub pedes ejus redegerit, nè morte quidem ipsâ exceptâ.

6. Sed redeundum eſt jam ad eas res quæ *ſex primis Tubis* ſunt *Synchronæ.* Quæ viſiones tametſi plures ſunt quàm ullæ aliæ viſiones *Synchronæ*, habent tamen omnes admodum propinquam cognationem manifeſtámq; colligationem inter ſe. Summa conditionis eorum temporum quæ indigitant, eſt *Apoſtaſia* ſive *Degeneratio* Eccleſiæ, quæ tamen nunquam tam corrupta ſupponitur quin aliqui in ea eſſent puri ac Apoſtolici Chriſtiani. Ac propterea ad repræſentandum duo genera profeſſorum Chriſtianitatis, duo itidem genera ſunt viſionum: Illis utiq; de *meretrice Babylonica*, *Beſtia decacorni*, ac *bicorni*, ad *Degenerationem* Orbis Chriſtiani ſpectantibus;

tibus; illis verò de *duobus Teſtibus* in ſaccis *lugentibus*, de *Cœtu Virgineo*, de *Signatis Agni*, ad eos qui puritatem ſuam cuſtodiebant in Eccleſia. Hæ omnes ſex primis Tubis contemporant, è quibus ira Dei in Imperium Romanum efflatur, utì par eſt, propter eorum Apoſtaſiam, quemadmodum & æquum eſt ut Deus tunc temporum protegat ſuos. Atq; ea propter *cœtus Agni* notantur obſignantúrq; in frontibus ut à communibus conſerventur calamitatibus. Generalis porrò hæc *Apoſtaſia* in Eccleſiam irrepere non potuiſſet niſi Eccleſiaſticæ & Seculares poteſtates conſpirâſſent, unde factum ut *bicornis* pariter *Beſtia* ſit atq; *decacornis*. Contra quas opponuntur duo *lugentes Teſtes*, alter perſonam *ſinceri Sacerdotis* ſumens, alter *Magiſtratûs fidelis*. Cúmq; hæc Apoſtaſia multùm conſiſtat in inani ſuperſtitione craſſáq; *Idololatria* quæ juxta linguam Scripturæ, *Fornicatio* appellatur, Imago hujus ſtatûs admodum graphicè exhibetur per viſionem *Meretricis Babylonicæ*, cui ex adverſo apponitur *Cœtus virgineus*. Apoc. 7. 3. Apoc. 17. Apoc. 14. 4.

Duæ adhuc ſuperſunt viſiones quæ propriè ad duorum generum alterutrum referendæ non ſunt, ſed ad utrumq; ſingulæ, ſcilicet, *Mulier in deſerto*, & *Atrium exterius ſanctáq; Civitas à gentibus conculcata*. Quæ viſiones & *pietatem* & *prophanitatem* ſimul ſubindicant: cùm *pars* verè *pia* Eccleſiæ ſignificetur per *Mulierem*, ſed per *Deſertum Sævitia* ac *Beſtialitas* reliqui orbis Chriſtiani, utpote qui *Animali vitæ* toti erant dediti. Per *Atrium exterius ſanctámq; Civitatem* notatur *ſanctitas Chriſtianæ Eccleſiæ* à reliquo mundo ſeparatæ. Per ejus verò *conculcationem à Gentibus* cultûs Paganici imitatio per generalem orbis Chriſtiani Apoſtaſiam introducti. Unde palàm videre eſt quàm forti vinculo, ex ipſarum rerum natura, octo hæ viſiones *Synchronæ* contineantur ad unúmq; Tempus religentur. Apoc. 12. 6. Apoc. 11. 2.

7. Conſideremus jam *Grotii* errores & defectus in eiſdem interpretandis. Ut in viſionibus *duorum Teſtium* & *Atrii exterioris, ſanctæve Civitatis à Gentibus per quadraginta duos menſes conculcatæ*, hoc eſt, inquit ille, *per tres circiter annos & dimidium*. Hanc Civitatem ille de *Ælia* ab *Adriano* extructa interpretatur: Quæ proinde ob hanc rationem non eſt æſtimanda tanquam ſancta, quemadmodum reverà *Hieroſolymorum* civitas ità eſſe ceſſabat poſtquam *Judæi* ceſſaverant eſſe Dei populus. *Conculcationem ſanctæ Civitatis* interpretatur de extructione inibi Templi *Jovi Capitolino*. Quaſi verò Templum illud, non ampliùs tres annos ſteterit ac dimidium. Sed circumſcribere vult hoſce annos initio ædificationis Templi & *Barchochebi* ſeditione, ſed nullam affert Hiſtoriam ad confirmandum hoc ſuum commentum. Et ſanè ſi efficere poſſet ut *Barchochebi* tempus huc quadraret, nihil tamen iſtoc pacto proficeret, niſi Templum etiam poſſet diruere ad trium annorum finem & dimidii. *Duos Teſtes* vult eſſe duas Eccleſias in *Ælia*, unam *Hebraicè*, alteram *Græcè* loquentem, tanquam ſi Dei Spiritus dividere vellet hoſce in duas partes (qui unam fidem profitebantur unóq; erant Animo) nullâ re præterquam externo ſermone diſtinctos. Corpora horum interfectorum Teſtium in *magnæ urbis foro per tres dies & dimidium jacentia*, de oppreſſione interpretatur & perſecutione per *Barchochebum*, quæ certè admodum erat brevis, ſi trium dierum ac dimidii ſpacium non exceſſerit. Nec verò probabile eſt Divinum vaticinium, præciſam dimidii diei, vel trium dierum ac dimidii rationem affectare velle in tam generali rerum præfiguratione quàm eſt Apocalypſis. Præterea quàm diſſimile veri eſt ut *Hieroſolyma*, quæ jam omnem ſuam gloriam poteſtatémq; perdiderat, appellaretur nomine *magnæ Civitatis?* Verſ. 8, 9.

Præcipua quæ homines movere poteſt ad ità ſentiendum ratio, eſt illa Locutio, quaſi *Dominus ibi crucifixus eſſet*. Verùm reſpondeo, Dominum noſtrum in *literali* ſenſu non fuiſſe crucifixum nec *Sodomæ* nec *Ægypti*, ad quam ὅπου immediatè referri videtur; nec verò in ſenſu *ſpirituali Hieroſolymæ* magis quàm in reliquo Romano Imperio. Quamobrem hæc Civitas nihil aliud eſt quàm degener Eccleſiæ *Apoſtaticæ* Politia, ubi Chriſtus perſecutionem ſubit, (quemadmodum *Paulo* conqueritur) in veris ſuis viviſq; Membris. Ubi porrò Chriſtus ſecundùm *Spiritum*, hoc eſt, *Divinam vitam*, meritò dicitur σωζωθῆναι, crucifixus eſſe non ſolùm tempore præterito, ſed ἀοριστως, indefinitè, erat, eſt, erit crucifixus quamdiu hæc Apoſtatica Poteſtas viguerit. Etenim tempus præteritum in prophetia frequens eſt pro futuro. Cæterùm ſi cui minùs ſapit ſenſus hic *Myſticus*, hujus loco illum Joſephi Medi ſubſtituam, quem nemo, *literæ* quantumvis addictiſſimus, unquam poterit evadere. Quòd utiq; per πλατεῖαν *intelligitur* totius Romani Imperii ambitus, intra quem Chriſtus etiam *literaliter* eſt crucifixus. Vide *Medum* in ipſum locum.

Quantùm ad viſionem *Mulieris duodecim Stellis coronatæ* (qui numerus puram Apoſtolicámq; Eccleſiam ſignificat) moram illius in deſerto per 1260 dies ille de Apoc. 12.

extinctione interpretatur Eccleſiæ, ſaltem ad externam ſpeciem, *Romæ* per *Simonis Magi* miracula ac præſtigias (quæ tamen ſuſpecta eſt Hiſtoria) ejúſq; manifeſtatione ſolummodò rure pagíſque, qui ad inſtar deſerti ſunt ſi cum celeberrimæ Civitatis populoſitate conferantur. At verò Tempus 1260 dierum ad nullam Hiſtoriam adaptat. Ut taceam hanc Interpretationem dependere ab Interpretatione alia dura admodum & difficili, ut intelligatur [*& raptus eſt ejus filius ad Deum ejúſq; ſolium*] de diſparentia Eccleſiæ per ſeductiones *Simonis*. Cùm tamen ad *ſolium Dei ferri* proculdubio ſignificet *imperium indipiſci* magiſtratúmq; fieri, quemadmodum & אלהים ſignificat *Magiſtratus*. Quod & ſubindicatur etiam in antecedente parte verſûs, nempe quòd *Gentes omnes Sceptro ferreo eſſet recturus.*

Verſ. 5.

In viſione *Meretricis inſidentis Beſtiæ coccinæ* cum capitibus ſeptem decémq; cornibus,& verò, ſi velis, *Beſtiæ è Mari aſcendentis*, cap. 13. (nam cùm eædem ſint etiam ex *Grotii* ſententia, meritò debent conjungi) hanc *Beſtiam* is Idololatriæ peccatum facit. Quod tamen omnino extra viam eſt interpretandi ſchemata Prophetica, ubi *Beſtiæ* Regna vel Imperia ſignificant, ut patet ex *Daniele*. *Decem* tamen *Cornua* decem Reges eſſe agnoſcit, in quo rectè feciſſet, ſi agnoviſſet etiam corpus aptum quod ipſa geſtaret. *Septem* Capita ſeptem facit Cæſares, *Claudium*, *Neronem*, *Galbam*, *Othonem*, *Vitellium*, *Veſpaſianum*, *Titum*. At verò ſi Cæſares capita ſint, oportet plura eſſe capita quàm ſeptem. Etenim quatuor fuerunt Cæſares ante *Claudium*, & triginta, ut opinor, poſt *Titum*, qui non erant Chriſtiani. Verùm *Claudius*, inquit ille, primus eſt qui Doctores Chriſtianos in exilium miſit. Quod tamen facinus tantillæ notæ erat, ut prima perſecutio affixa ſit *Neroni*; reliquæq; novem notabiles perſecutiones poſt *Titum* ortæ ſunt, noviſſimâ ipſarum graſſante paulò ante *Conſtantinum* magnum. Adeò ut magis juſta ſit ratio ut hæc Beſtia plura quàm triginta Capita haberet quàm ſeptem ſola.

Apoc. 17. 3.

Porrò, In *Beſtia*, quam *Johannes* Propheta *Pardali* corpore aſſimilat, pedéſq; innuit habere *urſinos* & os *leoninum*, is *Claudium*, qui modò unum è *capitibus Beſtiæ* erat, jam vult illius eſſe *corpus*; & *Domitianum*, qui noviſſimo ſeptem Cæſarum recentior erat, ac proinde propter ordinem, caudam potiùs referebat, *os* eſſe *Beſtiæ*, & cap. 17. *Beſtiam* ipſam. Tantum eſt violentiæ ac incohærentiæ in conſarcienda hac falſa Hypotheſi. Illud etiam durum eſt, meo quidem judicio, quòd unum ſtatim è capitibus, quæ modò Cæſares erant, *Capitolium* faciat Romanum, quamvis lethaliter vulneratum dicatur, ídq; per *ictum Gladii*, & lethiferum vulnus eſſe ſanatum. Quæ mihi quidem videntur impropriè admodum coactéq; ad Montem Turrémve applicari. Prætendit etiam ſe rectè tempus adaptâſſe quadraginta duorum menſium quibus Beſtiæ bellum erat gerendum; ſed ad nullam nos remittit hiſtoriam. Et *Helvicus* ſecundam Perſecutionem decimo Regni *Domitiani* anno affigit; unde non tres anni erunt & dimidium, ſed ſex anni integri quibus ipſe bellum geſſerit contra Sanctos.

Apoc. 13. 2.

Cæterùm præcipuum perperàm interpretandi artificium impenditur in cap. 17. Apocalypſeos. Ubi *Beſtiam quæ erat, & non eſt, & aſcenſura eſt ex Abyſſo & in perniciem abitura*, ille iterum applicat ad *Domitianum*, nihil penſi habens ſingulare caput in *Beſtiam integram* tranſmutare. Verùm Deſcriptio paulò accuratior eſt verſ. 10. *Septem capita ſeptem Reges ſunt, quinq; ceciderunt & unus eſt, alius nondum venit, & cùm venerit paululùm duraturus eſt. Beſtia autem quæ erat & non eſt, is eſt octavus, & ex ſeptem eſt, inq; perniciem abit. Decem autem quæ vidiſti cornua, decem Reges ſunt, qui Regnum nondum adepti ſunt, ſed poteſtatem, ut Reges, eâdem horâ adipiſcentur cum Beſtia.*

Apoc. 17. 8.

Quinq; hìc *Reges qui ceciderunt*, ſunt, inquit *Grotius*, *Claudius*, *Nero*, *Galba*, *Otho*, & *Vitellius*; Quæ quàm inepta ſit opinio ſuprà demonſtravi. Et *unus eſt*, hoc eſt, inquit ille, *Veſpaſianus*, in cujus regno ſupponitur, non probatur, quòd *Johannes* ſcripſit has Viſiones. *Alius nondum venit*, *Titus* ſcilicet. *Et cùm venerit paululùm duraturus eſt.* At verò *Galba*, *Otho*, & *Vitellius* ad multò minus Tempus durabant. *Beſtia quæ erat & non eſt*, nimirum *Domitianus*, qui Imperator erat dum *Veſpaſianus* Pater à *Roma* aberat. Qui profectò ſi reverà erat, nec per blanditiem & aſſentationem ſolummodò ità appellitatus, applicatio ſatis eſt commoda. Tunc enim aliquando de eo verum erat, *quòd erat & non eſt, ſed futurus iterum eſt Imperator. Is octavus eſt. Domitianus* certè *octavus* eſt capútq; adeò diſtinctum ac notabile, quippe qui regnabat diutiùs quàm ullus ex ſuis anteceſſoribus, ut is eâ re interpretationem prorſus ſubvertat. Erit enim hoc pacto Beſtia *octiceps* non *ſepticeps* contrà ac fert viſio. Quod igitur illa verba [*& ex ſeptem eſt*] datâ operâ corrigunt, oſtendúntq; octavum non ità eſſe octavum quin ſeptem ſolummodò Capita ſint Beſtiæ.

Beſtiæ. Quod ænigma *Grotii* interpretatio nunquam poterit ſolvere. Ut taceam, ſi ἐκ τῶν ἑπτὰ ἐστιν ſignificet, *filius eſt alicujus è ſeptem*, quòd minùs eſſet ambiguum dixiſſe, ἀπὸ τῶν ἑπτὰ, vel potiùs τῆς ἑπτὰ. Neq; enim filius erat omnium ſeptem ſed ſolius *Veſpaſiani*. *Decem cornua decem Reges ſunt qui regnum nondum ſunt adepti.* *Verſ.* 12. Hoc ipſe *Grotius* exponit de *Oſtrogothis*, *Wiſigothis*, *Vandalis*, *Gepidis*, *Longobardis*, *Herulis*, *Burgundionibus*, *Hunnis*, *Francis*, *Saxonibus*. Hæc ſunt decem cornua *Domitiani* (Grotius enim *Domitianum* vult hanc eſſe Beſtiam) enaſcentia & agentia aliquot pòſt ſeculis quàm *Domitianus* eſſe deſierat. Quæ eſt Interpretatio ità enormis itáq; contra omnem rationem ut nihil eſſe poſſit magis abſurdum.

Viſionum quæ ſex primis Tubis contemporant ultima quam nos attacturi ſumus, eſt *Apoc.* 13. 11. *Beſtia Bicornis*. Quam *Grotius* contra univerſam Propheticæ Interpretationis Analogiam exponit de *Arte Magica*, non de ulla *Politia* ſive *Eccleſiaſtica* ſive *Civili*. Cornua *agninis* ſimilia duæ ſunt virtutes Chriſtianæ, quas imitantur *Magi*; *Temperantia* ſcilicet in cibo potúque, & *Abſtinentia* à venere. Verùm abſtinentia à venere communis eſt aliis Religionibus cum Chriſtiana: Et verò abſtinere à carne vinóq; omnino nullum eſt præceptum Chriſtianum. Tractio porrò illa violenta *Umbræ Achillis Statuæq;* *Apollonii* ad conſarciendam Expoſitionem τῶ, λέγων ποιῆσαι εἰκόνα τῷ θυείῳ, intelligendo per εἰκόνα *Umbram Achillis* (quod præter uſum eſt vocabuli) *Verſ.* 14. vel *ſtatuam Apollonii* à Sectatoribus ſuis erectam; atq; hinc è veſtigio & eodem quaſi halitu, interpretando τὴν εἰκόνα (poſtquam tam ſæpe ſignificaverat aut *Achillis umbram* aut *Apollonii ſtatuam*) de *Imaginibus in genere*, eſt certè Scripturam in Imaginem ceream convertere, eámq; formare in quamcunq; nobis placuerit ſpeciem.

8. Cæterùm, eſt & adhuc ulterior ſolidiórq; *Grotiani* Erroris evictio è ratione *Numeri Beſtiæ* petita. Illa enim proculdubio Beſtia eſt * bicornis ad quam Numerus 666 rectè poſſit applicari, quem adaptare vult *Grotius* ad *Ulpium* notum *Trajani* Imperatoris nomen, quod ille legit ΟΤΛΠΙΟC, literam C. Senarii loco ponens. Sed enimvero ſi conſideremus quòd *Numerus nominis Beſtiæ* dicitur, *Trajanus* hoc pacto *ipſa* fiet *Beſtia*. Quod eſt contra Schematum Propheticorum legem, ubi *Beſtia particularem* aliquem hominem non ſignificat ſed *corpus Politicum*. Et contra priorem ſuam inſuper Expoſitionem Beſtiæ quæ ſecundùm ipſum aut Idololatria eſt aut Magia. Quamobrem λαλεῖν☉ multò tolerabilius eſt, hac ratione, quàm hoc de ΟΤΛΠΙΟC commentum. Ut taceam dici *numerum Beſtiæ* nullâ factâ nominis mentione. Ut & *numerum hominis* abſq; omni ſignificatione quòd ad illius nomen pertineat. Quod planè innuit ulteriorem aliquem ſcopum eſſe quàm alluſionem ad ullius hominis nomen, vel ad nomen ullius Politiæ. Senſus verò τῦ, ἀριθμὸς γὰρ ἀνθρώπε ἐστὶν, eſt, quòd numerus eſt humanus, talis utiq; quem etiam homines tractent quíq; humanâ arte poſſit numerari. Verùm, ut videtur, aliqua peritia requiritur in eo tractando, propterea quòd dicit, *Hîc ſapientia eſt*, *qui intelligentiâ præditus eſt computet numerum Beſtiæ*. Quòd ſi nihil aliud eſſet quàm Literarum *numeralium* alicujus nominis additio, perexiguum profectò hoc eſſet peritiæ ſpecimen. Tota peritia vel potiùs fors caſúſve eſſet *nomen* invenire, nulla verò omnino eſſet peritia in calculando nominis numero. Veruntamen textus ait, *qui intelligentiâ præditus eſt calculet numerum Beſtiæ*, ipſúmq; numerum ponit qui calculandus eſt vel numerandus. Qui tamen numerus numerari non poteſt more humano, (quanquam ille ſanè mos innuitur) niſi per *Radicis extractionem*. Ac proinde proculdubiò *Potterus* noſter veram invenit ſolidámq; ſolutionem hujus Ænigmatis.

* *Apoc.* 13. 17. *Ubi Beſtia, eſt bicornis ſcilicet Beſtia, non Imago Beſtiæ, ad quam hic numerus pertineat.*

De quo nemo quiſquam facere poterit quin ſibi ſatisfaciat, niſi aut ignorantia aut præjudicium eum minùs reddiderit capacem, ſi conſideraverit; Primùm, in genere, quàm opulenta viſum eſt Divino Spiritui Myſteria numeris obvolvere & abſcondere. De qua re multa occurrunt eáq; præclara exempla in Creatione Mundi in ſex dies diſtributâ. Cujus Myſterii intelligentia non aliter acquirenda eſt niſi per naturas poteſtatéſq; numerorum, quemadmodum ſatìs evidenter demonſtravi in *Cabbalæ meæ Philoſophicæ defenſione*.

Et deinde in ſecundo loco (ut propiùs accedamus ad Propoſitum) ſi id notaverit quod ſupradictus author urget perquam appoſitè, Alios utiq; Numeros in Scriptura neceſſariò ad hunc modum numerandos eſſe, per extractionem nempe *Radicis* aut *Quadraticæ* aut *Cubicæ*, ut dignoſcamus præciſas Dimenſiones rerum ſic numerandarum; ut lapidum illorum quorum fit mentio 3 Reg. 7. 10. qui dicuntur eſſe quidem alii octo, alii decem cubitorum. Quam neceſſe eſt ſummam eſſe *Cubicam* cujuſq; lapidis, quemadmodum ille manifeſtò demonſtravit. Numeros etiam *Quadratos* notari, evidens eſt ex Ezekiel. 48. 20. *vicies quinquies mille per vicies quinquies mille*. Sed ut propiùs adhuc ad rem quæ præ manibus eſt accedamus, Summa

cubica novæ *Hieroſolymæ*, ſtadiorum ſcilicet duodecim millia, in Apocalypſi deſcri-
Cap. 21. 16. bitur. Cujus nullus ſenſus eſſe poteſt in numerandi ratione niſi inveniendo illius perimetrum. Quod nullo pacto fieri poteſt niſi extractione *Radicis Cubicæ*. Men-
Verſ. 17. ſura etiam muri, nempe, *Centum quadraginta quatuor cubiti*, nullo modo ad ipſum applicari poteſt ſi eam conſideremus tanquam numerum linearum. Nam multò minor eſſet quàm pro ejus perimetro, multóq; quàm pro altitudine major. Quamobrem menſura craſſitudinis altitudiníſq; muri indicatur, quæ eſt Radix centum quadraginta quatuor, nimirum *duodecim*.

Tertiò itaque, applicatio Numeri 144 ad Civitatem ſanctam, cùm tam manifeſtò appareat in radice illius, *duodecim* ſcilicet, qui eſt Numerus peculiari quodam modo ad res præcipuas *novæ Hieroſolymæ* ſignificandas conſecratus, cúmq; Chiliarchiæ, ſive Cohortes, ut ità dicam, Agni ſupputentur per hunc numerum ſub ipſo initio illius Capitis quod immediatè ſequitur mentionem *numeri Beſtiæ*, confectáq; ſit è duodecies duodecim Chiliadibus tota multitudo, quemadmodum apparet cap. 7. quàm certum inquam argumentum eſt hoc & inexpugnabile, computationem *Numeri Beſtiæ* ſimiliter fieri debere per illius Radicis extractionem? atq; ἀντιστοιχίαν æquè eſſe inter 144 & 666, quàm inter 12 & 25; & denique, quemadmodum 12 numerus eſt puræ Apoſtolicæq; Eccleſiæ, ità & 25 numerum eſſe Eccleſiæ lapſæ & Antichriſtianæ?

Hæc eſt perſpicua & in nullam partem inclinans ipſius rei ratio in *Abſtracto*, quoſcunq; ſit perſtrictura. Sed enimvero tam planè apertéq; *Romanam Hierarchiam* perſtringit, ut non queat quiſpiam quin ſtet attonitus ad tam luculentam accuratámq; providentiam. Etenim dexter hic doctúſq; Scriptor ex Hiſtoria nimis quàm manifeſtum effecit, *viginti quinque*, Characterem eſſe æquè eſſentialiter in *Hierarchiam Romanam* intextum, atq; *duodecim* in novæ *Hieroſolymæ* ſtatum. Atq; ſex illa *Principalia* quibus ſancta Civitas illuſtratur in Apocalypſi, ſcilicet,

1. Duodecim portas,
2. Duodecim Angelos in portis,
3. Duodecim Tribus portis inſcriptas,
4. Duodecim Fundamenta cum Nominibus inſcriptis,
5. Duodecim millia ſtadiorum, ſolidam Civitatis menſuram,
6. Duodecim fructuum Arboris vitæ genera,

habere etiam ex-amuſſim ἀντιστοιχα ſua in *Romana Hierarchia* ac civitate, viz.

1. Viginti quinq; Portas, ſive literaliter, ſive myſticè ſumptas pro Eccleſiis ad baptizandum.
2. Viginti quinq; Angelos, hoc eſt, Paſtores.
3. Viginti quinq; Titulos ſive Parœcias.
4. Viginti quinq; Cardinales.
5. Viginti quinq; millia ſtadiorum, cujus Cubi Perimeter circuitus eſt Romæ, ut Perimeter Cubi duodecies mille ſtadiorum circuitus Hieroſolymæ.
6. Viginti quinq; Articulos fidei, qui credentibus eſſe debeant pro cibo Arboris vitæ.

In hiſce rebus Eſſentialibus & in multis aliis præterea ille evidenter ſanè demonſtravit quàm exactè applicabilis ſit radix 666 ad Hierarchiam Romanam. Ad cujus Tractatum te remitto, ut pleniorem indè haurias ſatisfactionem. Quâ profectò carere non poteris, modò præjudicio liber ſis, & vel mediocri rerum Geometricarum & Arithmeticarum peritiâ inſtructus.

Præcipua Objectio maximéq; obvia contra illius interpretationem eſt, numerum 666 non eſſe perfectè *quadratum*, quemadmodum eſt 144. Quærent enim, ſi 25 numerus ſit qui intenditur, cur expreſſus Beſtiæ Numerus non eſſet potiùs 625, perfectum utiq; quadratum numeri 25? cúrve non alius quivis numerus inter 625 & 676, æquè ac 666? Ad quod breviter reſpondeo, Quòd, quemadmodum res non ſignificabatur per *Radicem* ſed per *Quadratum*, eam celandi causâ; ità ob eandem rationem nec per *Quadratum perfectum*, cùm tam ſtreperus ſit Tinnitus ipſius radicis in illius cauda. Quod vaticinii completionem impedire potuiſſet eóſq; ad nimiùm ſibi cavendum ab affectatione Numeri 25 (ut qui tam notabilis pars eſſet numeri Beſtiæ) excitare, mundóq; nimis maturè detegere ejus numerandi Myſterium. Et quantùm ad numeros inter 625 & 676, quæro cur non 666 æquè ac quivis ex reliquis? Vero enim Quadrato ob cauſas tam graves ſemel prætermiſſo, quilibet modeſti judicii homo integrum deinceps fore Scriptori concedat quoſlibetcunque è reliquis eligere.

Verùm præterea, ut nulla huic Myſterio deſit perfectio, Numerus 666 inſignes ſecum

ſecum affert ſignificationes, eiq; rei ad quam applicaretur admodum congruas. Cujuſmodi eſt illa, v. 9. quam notavit *Medus*; venenum utiq; *ſexti* Capitis Idololatricum totum corpus hujus Antichriſtianæ Beſtiæ pervadens, illo ſignificari. Illud etiam *Grotii* ingenioſum eſt, *Senarius numerus res hujus mundi ſignificat, ut Septenarius res ſeculi melioris.* Adeò ut hac ratione tam *Externum* quàm *Internum* hujus numeri Beſtiæ mundanum ſit, carnale ac ſenſuale. Nam & *Radix*, viz. 25, eandem naturam innuit, cùm hujus *Radicis Radix* ſit *quinque*, ſenſualitatis Symbolum ſtupidæq; adhæſionis objectis externorum ſenſuum, qui ſunt præcipuæ animæ facultates quæ demulcentur, recreantur, exercentúrq; in Religione Romana. Illinc Religio illa incipit illícq; deſinit, quemadmodum ſit in hoc numero, qui generatur ex *quinq*; in ſeipſum ducto, rurſúſq; deſinit in *quinque*. Hic eſt *circuitus* ſuperſtitionum eorum exercitiorum quæ non pertingunt ad emendationem *interni*, ſed ſunt ſolummodò infructuoſa, quanquam admodum effaſcinatoria, oblectamenta *externi hominis.*

Et poſtremò, Ipſa ratio ſuprà laudati Autoris non ſolùm ingenioſa eſt, meo quidem judicio, ſed æquè ſolida, de propiori ſcilicet acceſſu *Radicis* 666 (connumerando etiam fractionem) ad 26 quàm ad 25, ut uterq; horum numerorum obtentum habere poſſit, cur is vera *Radix* cenſeatur. Etenim hoc pacto numerus 666 magis exquiſitè apertéq; repræſentat Hierarchiam *Papalem.* Per *Radicem* utiq; 25, Cardinales viginti quinq; à Papa tanquam Capite ſupra ipſos poſito diſtinctos; per 26, viginti quinq; Cardinales cum Papa conjunctos, utpote qui quoties ipſi placuerit, prætendit ſe quoq; unum eſſe è Cardinalibus. Verùm ille aliam inſuper addit rationem hujus Numeri, quæ temerè non eſt rejicienda; Quòd ſcilicet, quemadmodum 144, qui eſt pefectum *Quadratum*, figuram præſtat Areæ Hieroſolymæ, ità maximè perfecta figura è 666 eandem habet rationem Longitudinis & Latitudinis quæ figura Areæ Romæ. Hæ argumentationes videbuntur fortean nimis quàm remotæ ac alienæ iis hominibus qui nè primis quidem rudimentis Arithmeticæ atq; Geometriæ imbuti ſint, aut ſaltem, antiquiſſimam optimámq; ſapientiam numerorum ſymbolis abſconditam fuiſſe (quod de *Pythagoræ* ſchola pervulgatiſſimum eſt) nondum obſervârint. Cæterùm, ſi quis ſeriò apud ſe conſideret quàm exiguus ſenſus eruendus ſit à Philoſopho, è ſex Dierum Creatione, Deíq; requietudine in ſeptimo, abſq; hac clave Naturæ Numerorum ac Figurarum, adducetur profectò vel invitus confiteri, unam eſſe ſupremam ſapientiam quæ ſemper Eccleſiæ, ſacríſq; Scripturis ab extremo ad extremum invigilavit, cui in abſtruſiſſimis illius Myſteriis viſum eſt eam adhibere obvelandi methodum, quæ *Numeralis* eſt, vel, ſi ità fas ſit loqui, *Cabbaliſtica.*

9. Ultima *Synchrona* illa ſunt quæ contemporant *Tubæ ſeptimæ*, incipiúntq; à fine ſextæ, finiuntúrq; Die Judicii propriè ſic dicti, quod aut ad *Infernum* ducit aut *Paradiſum.* Hæc *Synchrona* ſunt, *Ligatio Satanæ*, *Beatum millennium*, Regnúmve Chriſti cum ſanctis in Terra, *Sponſa Agni*, *Nova Hieroſolyma*, & *Turba* deniq; *Palmifera.* Cognationem rerum hoc *Synchroniſmo* comprehenſarum jam ſuprà notavi. Grotianas ſolummodò præcipuarum ex ipſis Expoſitiones, hîc in medium producam. *Sponſam Agni* ille de familia ac comitatu *Conſtantini* interpretatur; ubi inſignem committit Parachroniſmum. Etenim manifeſtum eſt, quòd huic Sponſæ nubendum eſſet Chriſto poſt devaſtationem Urbis per ignem. Quemadmodum apparet tum ex ordine harum viſionum, tum ex cap. 19. v. 2, 3. Incendium verò Romæ per Totilam factum eſt poſt tempora *Conſtantini.* Initium millennii *Grotius* affigit Edicto cuidam *Conſtantini*, quo de *Euſebius* loquitur, & in quo ligationis Satanæ fit mentio. Bellam ſanè hoc præ ſe ſpeciem fert, quemadmodum & Interpretatio regni Martyrum cum Chriſto, de honore ipſis præſtito ad ſua ſepulchra. At verò notandum eſt quàm brevi is honos in probrum Idololatricum mutatus ſit, quódq; inſuper mille illi anni juxta illius computum ante trecentos annos & ampliùs exierint; à quorum tamen exitu ſolutio Satanæ ſuum capit initium. Quod reſpectu millennii μικρὸν χρόνον, i. e. exiguum tempus appellare non poſſumus, cùm tertiâ illius parte non ſit minus, & certè nullus integer eſt ſenſus, niſi intelligatur illius reſpectu exiguum.

Apoc. 19. 7.

Apoc. 20.

Sed præterea, quod & adhuc pejus eſt, dum ſolutionem Diaboli interpretatur de incurſione Familiæ *Ottomanicæ* in orbem Chriſtianum, nobis in mentem revocat inſignium victoriarum *Saracenorum*, qui æquè veri Diaboli erant ac ipſi *Turcæ*, & tamen Chriſtianum orbem multùm infeſtârant ante annum 800. Adeò ut juxta hunc computum Diabolus ſolutus eſſet in medio millennio. Solutúſq; jam extiterit integrum ferè millennium. Quod igitur reſpectu *millennii* non poteſt eſſe μικρὸν χρόνον. A falſa hac hypotheſi dependet etiam ejus opinio, quòd *Conſtantinopoleos* obſidio

obſidio per *Turcas* ſit *ſanctæ Civitatis* per numeroſos *Gogi* ac *Magogi* exercitus circumcinctio. Quippe ipſi Græci *Conſtantinopolin*, *novam Sionem* appellitant, ut notavit *Grotius*. At verò manifeſtum eſt expoſitionem hanc meram eſſe hallucinationem; propterea quòd *ſancta* ac *dilecta Civitas* in vaticinio non capitur, Deo de cœlo interveniente per ignem, & per finale judicium totam rerum ſcenam abolente. *Turcæ* verò hanc *Sionem* ceperunt & per ducentos annos eam pacificè poſſiderunt.

Concludam cum *Nova Hieroſolyma*, *Agni Sponſâ*, viro ſuo ornatâ, quam *Grotius* interpretatur de Eccleſia Catholica nunc ſplendidiori factâ ornamentis, curâ ſumptúq; Principum, ipſi paratis. Qui ſenſus, ſi quid ego video, non eſt omnino probabilis. Cùm nuptiæ ſignificarent potiùs adductionem alicujus populi ad Chriſtum, qui antea ipſi unitus non erat, aut ſaltem manifeſtationem populi qui antea latebat, quàm ornatio externa eorum qui jam notus ſunt profeſſúſq; Chriſti populus. Huc accedit, quòd tempora quæ *Grotius* indigitat *Novæ Hieroſolymæ* maximè ſunt diſſimilia, utpote quæ Eccleſia eſt ad *Apoſtolicam* rurſus *Symmetriam* reducta, aureóq; Angeli calamo commenſurabilis, quæq; omnino ex *Duodenariis* conſiſtit, ad oſtendendum quàm purè ſit Apoſtolica, nullum fundamentum habens nec ſtructuram præter Chriſtum & Apoſtolos. Integra enim ejus ſoliditas, *Longitudo*, *Latitudo*, & *Altitudo*, eſt *duodecim millia ſtadiorum.* Latitudo etiam muri & altitudo menſuratur per *duodecim.* Adeò ut nihil omnino ſit in *nova* hac *Hieroſolyma* niſi quod purum ſit & Apoſtolicum. Res verò ità ſe non habet in Eccleſia illa tam ſumptuosè ornata ad quam *Grotius* reſpicit. Quibus addas, quod de ea dicitur, In ea templum non vidi, cùm unaquæq; Eccleſia Templum ſit ſub Hierarchia Romana.

10. Examinare etiam poteram, Expoſitiones *Phialarum* aliorúmq; Locorum in quibus conſimiles potuiſſem detegere lapſus & errores. Ea verò quæ in medium produxi ſufficiunt ad oſtendendum in quàm præternaturales, diſtortas, immò verò rectè dixerim, impoſſibiles rerum applicationes ii conjiciuntur, qui abſq; ductu Synchroniſmorum ab innatis ipſarum viſionum characteribus deſumptorum Apocalypſin conantur interpretari. Ut è contrà, hujus viæ ducis adminiculo quàm facilis ac naturalis ſenſus reddi poſſit uniuſcujuſq; Viſionis, quámq; ex-amuſſim reſpondens Hiſtoriæ rerum ac eventis, ut manifeſtum eſt in expoſitionibus *Joſephi Medi.* Quem *Hugoni Grotio* ex nulla malevolentia deſpectúve illius miraculi ſuæ ætatis quantùm ad eruditionem & ingenuitatem ad hunc modum prætuli; ſed ſolummodò ex amore veritatis: quemadmodum ipſum *Grotium* feciſſe planè ſum perſuaſus in ſuis concinnandis Interpretationibus; ſed & præterea (quod in majorem illius laudem cedit) ex admodum profundo ſenſu fructuum pacis, & ex ſpiritu manſuetudinis, candoris & humanitatis, in quibus virtutibus eum credo ſupra multos alios excelluiſſe. Atq; equidem niſi ipſe mihi conſcius eſſem, eundem illum ſpiritum, ad aliquem ſaltem modum, me inſtigâſſe ad detegendos illius errores, qui ipſum inſtigaviſſet ad committendos, ſenſum pacis intelligo boníq; publici Eccleſiæ; mallem profectò in illius erroribus, humanitate comitante, ſpiritúq; manſuetudinis verſari, quàm in iſtiuſmodi veritate, quæ neceſſariò conjungatur cum feritate, amaritudine ſpiritûs, ac furore. Verùm enimvero, quemadmodum veritas illa, quam ego defendo, longè ſuperior eſt illius erroribus, ità ſanè ſpero quòd Inſtituti mei benignitas, poſtquam *Medanarum* Interpretationum Apocalypſeos utilitatem conſideraveris, æquè ac earum veritatem, illius benignitate nullatenus inferior ſit apparitura.

CAP.

CAP. XVII.

Quòd ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει non arguit res pleraſq; in Apocalypſi ad excidium Hieroſolymæ Romámq; *Ethnicam pertinere.* 2. *Magna utilitas hujus Libri ad evincendam Providentiam particularem Angelorúmq; exiſtentiam, & ad præcipuos quoſdam Chriſtianitatis Articulos confirmandos.* 3. *Quàm præſtabile inſtrumentum ſit contra enormitates ac furores* Enthuſiaſtarum. 4. *Quàm opportunè* Judæorum *ora &* Atheorum *illo obturentur.* 5. *Speculum eſſe quo naturam Apoſtaſiæ Eccleſiæ* Romanæ *contemplemur.* 6. *Et ad quod* Reformatæ *Eccleſiæ ſe examinent, an ipſæ penitùs ex hac Apoſtaſia ſint emerſæ, cum Autoris ſcrupulo ea de re.* 7. *Quidnam* ἐθελοθρησκείας *& Idololatriæ nobis etiamnum adhæreſcere videatur.* 8. *Inſtructio ulterior nobis oblata è viſione* interfectorum Teſtium. 9. *Periculoſi errores ac Propoſita quorundam præfervidorum meditatorum ſuper quinta Monarchia.* 10. *Appropinquationis Millennii maximè utilis conſideratio, & quomodo tempus retardari poſſit ſi non prorſus amitti per Infidelitatem eorum ac Hypocriſin ad quos potiſſimùm ſpectat ea felicia ſecula accelerare.*

1. FT profectò utilitas Apocalypſeos ità expoſitæ quemadmodum *Medus* eam expoſuit, inæſtimabilis eſt. Viſiones enim tam perfectè aptéq; applicantur ad Hiſtorias confeſſas hâc viâ quâ ille incedit, ut is qui vaticinia nolit credere impleta iis in rebus quas ille producit, impletionem ullorum omnino vaticiniorum credere non poſſit: Cùm è contrà ſi applicationes majoris momenti non eſſent nec clariores aptioréſq; quàm ſunt iſtâc viâ quam ſibi *Grotius* elegit, Liber hic vaticiniorum omnino foret inutilis, cùm penès neminem eſſet, niſi qui ſuprà quàm dici poteſt, ſit credulus, tam mancis, imperfectis, immò, quemadmodum jam dixi, *impoſſibilibus* Interpretationibus acquieſcere. Quamobrem vindicatio methodi *Medanæ* in interpretando hoc libro eſt reverà ipſius libri in eam autoritatem aſſertio atq; uſum, quem eum habere oportet in Eccleſia. Eſt enim quædam ſtabilis conſtánſq; Lux omnibus Eccleſiæ ſeculis, maximè verò noviſſimo, deſtinata.

2. Neq; verò Locutiones illæ, ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει, & ὁ γὰρ καιρὸς ἐγγύς, & ἰδοὺ ἔρχομαι ταχύ veritatem quicquam quam nos declaravimus infringunt, ullóve modo arguunt res omnes in Apocalypſi aut ad *Hieroſolymæ* excidium aut ad *Romam* Ethnicam pertinere. Nam quod ad prius attinet, valde ſupervacaneum videtur ut multæ viſiones in eam rem impendantur cùm Servator tam clarè de ea antea vaticinatus eſſet, & cum omnibus utilibus circumſtantiis quæ poſſint expeti. Quàm vana igitur eſt Imaginatio, tot hìc impendi Viſiones in hoc libro quæ non ſolùm obſcuriores ſint, quàm Servatoris vaticinia, ſed adeò in ſe obſcuræ ut nè nunc quidem ullo modo tolerabili, applicari poſſint ad cognita Eventa, ac proinde neceſſariò Eccleſiæ prorſus ſint inutiles? Quippe quæ nec præmonere eos poterant de re ulla antequàm eveniret, nec monumentum eſſe Divinæ Providentiæ poſtquam evenerat. *Apoc.* 1. 1. & c. 22. 6, 10. c. 22. 7.

Et quantùm ad poſterius, Viſiones, inquam, ſunt ſatìs planæ & expreſſæ de *Roma* Ethnica, ejúſq; ſanguinolenta Perſecutione Eccleſiæ in prælio *Michaëlis* cum *Dracone.* Prima etiam *ſex Sigilla* ad illud Tempus pertinent quo *Roma* erat Paganica; quorum ſextum ſignificat maximam illam rerum mutationem ad commodum Eccleſiæ, Imperio facto Chriſtiano. Quamobrem nullus eſt defectus Viſionum de *Roma Ethnica*, nec ullæ de ea viſiones, niſi quæ valde erant ſignificantes ac utiles. Cujuſmodi ſunt univerſa *ſex prima Sigilla* & viſio *Michaëlis* & *Draconis.* Quæ Eccleſiam animant ad patientiam ſub decem illis cruentis Perſecutionibus, ex fiducia, quòd victoriam tandem contra infeſtos ſuos Inimicos ſint reportaturi. Et quid expeti poterat ampliùs, quod in generalibus hujuſmodi vaticiniis ſignificetur? Immò addo porrò, computare eos potuiſſe propinquitatem liberationis ſuæ è ſitu Animalium quæ præcones erant *primorum quatuor Sigillorum*, obſervando utiq; à qua mundi parte tales Imperatores venirent qui maximam gererent ſimilitudinem cum Equorum Seſſoribus *rufi*, *nigri*, & *pallidi*, cúmq; perſecutio ingruebat maximè, ſpes eorum tunc fuiſſe luculentiſſimas, eventúmq; maximè propinquum, quemadmodum apparet ex facili Interpretatione *quinti* & *ſexti Sigilli*; adeò ut ſatìs viſionum ſit de *Romano Imperio* dum erat Paganicum quatenus ad rem Eccleſiæ pertinerent.

Et cur, obſecro, viſiones non eſſent de *Imperio* poſtquam factum ſit *Chriſtianum*, rurſúſq; paganiſſaverit ſub Chriſtianitate, atq; in hac Apoſtaſia crudeliter oppreſſerit

rit ac persecutum sit vera Christi membra? Cur non & hic rerum status prædiceretur æquè ac ille prior? Ad hoc, duo tantùm responderi possunt; Nimirum, aut Ecclesiam nondum factam esse Apostaticam, aut illas voces ταχὺ & ἐν τάχει planè significare scopum Apocalypseos eò usq; se non extendere. Prius equidem pervellem Responsum ut esset solidum. Verùm ea de re hic non est disceptandi locus. Posterius admodum infirmum censeo atq; ineptum, & à ratione profectum tam ridicula, quàm illius futura esset, qui audito talem Comœdiam vel Tragœdiam agendam esse post semiquadrantem horæ, (quod ego quidem puto citò esse satis) statim inferret, omnes actus ejus scenásq; quadrantem horæ non esse excessuras. Et ut suffragia etiam ipsorum Adversariorum ad usum nostrum adhibeamus, ipse *Grotius* interpretatur, ὁ γὰρ καιρὸς ἐγγὺς, non de tota serie visionum, sed de quibusdam solummodò & particulatim de excidio Hierosolymorum. Atq; alias coguntur exponere de ejusmodi eventis quæ ante annos abhinc non ampliùs ducentos evenerint, & de ejusmodi etiam quæ ante mundi finem non sint eventura. Quæ demonstratio est ineptitudinis hujus objectionis contra *Medanam* Methodum hujus libri interpretandi. Cujus sensum in genere cùm ab omnimodo præjudicio liberaverimus, insignem jam illius consideremus utilitatem.

2. In primo igitur loco, clarissima est, ut mea quidem fert sententia, & manifestissima demonstratio, quæ humano Intellectui offerri potest, specialem esse super Ecclesiam Dei Providentiam, Angelósq; esse hujus providentiæ ministros; si consideremus communicationem fuisse vaticiniorum de rebus Ecclesiæ ac Familiæ Dei per ministerium Angelorum servis suis ac Prophetis apparentium à temporibus *Abrahami* Fidelium Patre ad hoc seculum usq; & porrò; veritate Eventorum aut in rebus adhuc durantibus, aut in indubitatis rerum præteritorum Historiis planè ante oculos nostros jacente ad hunc usq; diem. Quod indicium est hosce Prophetas, qui dixerunt se colloquia habuisse cum Angelis, cum propriis suis Imaginationibus colloquia certè non instituisse, sed reverà cum cœlestibus illis Incolis fuisse collocutos. Quemadmodum proculdubiò contigit *Abrahamo*, Gen. 18. Ubi Angelus illi dicit, *Quòd in eo omnes orbis Nationes sunt felicitandæ*, per Christum scilicet qui oriundus erat ex illius semine. Nec sanè *Daniel* quando erat ad fluvium *Ulai* cum propria sua umbra confabulatus est, sed cum Angelo, prout ipsa Eventi veritas probat. Qualis etiam erat *Gabriel* qui vaticinium *septuaginta Hebdomadum* ipsi impertivit. Quo nihil esse potest cum evento magis accuratè congruens. Quibus addere potes illos Angelos qui illi apparuerunt in ripis fluvii *Hiddikel*. Quarum prædictionum Eventa partim jam transacta sunt, partim etiamnum transiguntur sub *Tempore*, *Temporibus* & *dimidio Temporis*, quæ etiam penè jam si non prorsus effluxerunt. Periodúsq; sunt ultimorum Temporum indigitatorum per illos Numeros, 1290 dies, & 1335 dies, quorum ab Angelo fit mentio in ripis fluvii *Hiddikel*, quemadmodum rectè, ut ego quidem sentio, solidéq; interpretatus est *Josephus Medus*. Quæ generalis rerum significatio in vaticiniis *Danielis* magis particulatim magísq; plenè deducitur in Apocalypsi S. *Johannis*. Qui itidem planè profitetur se sermocinatum fuisse cum Angelis. Cúmq; illius visiones eventis adeò ex-amussim congruant, manifesta demonstratio est tum *Providentiæ Dei* continuatæ super Ecclesiam, tum *Angelorum Existentiæ*. Qui primus est ille insignis fructus atq; usus hujus libri Apocalypseos, Quòd utiq; ille qui legit, accuratámq; applicabilitatem visionum ad Eventa rectè observat, nec de *Existentia Dei* sanctorúmq; *Angelorum*, nec de *speciali* illius *Providentia* super Ecclesiam possit dubitare.

Dan. 8. 16.

Cap. 10.

Cap. 12.

Apoc. 1. 18.

Possim etiam addere, nec de *Animæ Immortalitate*, cùm Christus tam manifestò *Johanni* apparuerit eúmq; allocutus sit his verbis, *Nè metue, ego sum primus & ultimus qui vivo & fui mortuus, & jam sum vivus in perpetua secula. Amen. Et habeo claves inferorum atq; mortis*, hoc est, potestatem suscitandi vivificandíve homines die novissimo. Ad quod addere potes descriptionem generalis Resurrectionis, cap. 20. Quæ res cùm dictæ sint à Propheta cujus visiones hactenus tam accuratè rerum eventis responderunt, non potest non esse *Resurrectionis* Christi, nostræq; propriæ *Immortalitatis* irrefragabilis demonstratio: Quinimo totius veritatis Christianismi, & speciatim duorum illorum sublimium Articulorum de *Divinitate Christi* & *divini Numinis Tri-unitate*. Nam cùm adeò universim agnoscatur ab Ecclesia Dei, Evangelium & Epistolam S. *Johannis*, atq; hunc librum *Apocalypseos* eundem habere Autorem, quemadmodum ipsa materia stilúsq; ulteriùs arguit (cùm locutio ac materia propiùs ad notiones accedat antiquæ Cabbalæ Judæorum, ut, v. g. in usurpatione vocis λόγος de Christo, in eis omnibus) non potest non esse magna fidei confirmatio, cùm persona tam præcellenti Divinæ revelationis dono cohonestata tam expressus

expressus sit illius sancti Mysterii Assertor, quod pro certo reperitur in Principio ejus Evangelii. Cui igitur etiam ii cum reverentia fidem adhibere debent qui haud adeò de facili hujus rei aptos conceptus sibi possunt efformare. Quandoquidem à ratione alienum omnino non est, ut quis tam insigniter inspiratus quàm erat S. *Johannes*, aliquid haberet sibi impertitum, quod vulgarium Ingeniorum intelligentiam excedat. Adeò ut necesse sit, ut *Superbia* hîc mater sit *Infidelitatis*. Atq; hæc prima maximéq; generalis utilitas est quæ ex divinissimo hoc libro Apocalypseos capi potest, extendítq; se, fateor, ultrà quàm rerum ordo hoc loco requirat. Veruntamen ego is sum qui non possum quin dissertationis *utilitatem* propositæ Methodi *perfectioni* atq; elegantiæ præferam.

3. Cæterùm, in secundo loco, est alius præterea hujus usus præstantissimus, etiam contra illos quos aut simulatio, aut studium affectatióq; hujusmodi rerum peritiæ effecit, ut aut apparerent aut reverà essent viri vecordes admodum mentéq; emoti. Neq; enim improbabile judico quosdam homines lubenter se posse in hanc viam ingerere, séq; illîc, ex destinato consilio res suas hoc pacto promovendi, ostentare. Quæ pessima est, meo quidem judicio, Sacrilegii species maximéq; execrabilis quæ excogitari potest. Quantò verò in sensu ac interpretatione visionum hujus libri magìs simus versati, eò magìs idonei erimus ad eludendum mala proposita istiusmodi *Enthusiastarum* & *Impostorum*, qui, cùm rerum ad Regnum Christi pertinentium prorsùs sint ignari, præ se tamen gerere volunt tanquam si ipsi magni illi essent Imperii ejus Instauratores, Inceptoréq; Beati Millennii Regníq; Spiritûs in terris. Quorum fraus atq; improbitas ex solidè concinnatis Synchronismis *Josephi Medi* facilè detegitur.

Hæc verò loquor potissimùm magni illius *Familistarum* Prophetæ gratiâ, quem toties nominavi, cujus Impostura ex Apocalypsi facilè refellitur. Cùm enim Ecclesia per aliquot secula duraverit *Symmetra*, hoc est, *Angeli calamo commensurabilis* (quæ secula antè erant quàm Ecclesiæ Apostasia) evidens est, Fidem praxímq; Ecclesiæ Catholicæ tunc temporis approbatam esse & ad regulam Dei conformatam; ac proinde ab hominibus non esse reprobandam nec reformandam ulteriùs quàm in statum primitivum, quando Symbolum in sensu aperto ac literali, absq; omnibus suffugiis allegoricis intelligebant agnoscebántq; *Cleri* ac *Populi* distinctionem, & in locis ad cultum publicum separatis conveniebant. Quod testimonium ex hoc divinitùs afflato Propheta S. *Johanne*, irrefragabile est contra eos universos qui personam Christi abdicatam volunt, illiúsq; Divinitatem cum Triunitate Divini Numinis negant, Mediatorium illius officium abrogant, & nullam distinctionem populum inter atq; Clerum statuunt, Ecclesiásq; demoliendas esse contendunt, cum multis aliis hujusmodi vesanis Fanaticísq; professionibus atq; molitionibus. Quæ proculdubio abominabiles habitæ fuissent in eis seculis, quibus Ecclesia erat *Symmetra*. Quæ usq; ad quadringentos circiter annos à nativitate Christi durabant, quemadmodum ex ingeniosa *Medi* collectione, è proportione exterioris Atrii Templi ad interius apparet, quæ juxta *Villalpandum* erat ut 7 ad 2. Ac proinde 1260 dies *Apostasiæ* supponunt 360 dies *Puritatis* Ecclesiæ Apostasiam hanc antecedentis. Qui additi ad annos à *Nativitate* Christi ad illius *Passionem*, annos faciunt prætèr proptèr quadringentos. Vel si ab his ipsis Temporibus, (quibus Apostasiæ periodus ad finem jam ferè perducta est) retrorsum computes, & 1260 demas à 1660, quadringenti anni rursus tibi remanebunt. Ad quod usq; Tempus Visiones Apocalypticæ fidem praxímq; Ecclesiæ Catholicæ tanquam approbatas, nobis præstant, coram Deo. Quod certè ego tanquam aptissimum Instrumentum considero ad repellendum furorem talium *Reformatorum*, quales illi sunt *Enthusiastæ* quorum feci mentionem, & tanquam demonstrationem, quòd magnus ipsorum zelus, exaggeratúsq; & affectatus sermo nihil impedit quò minùs meri sint *Dæmoniaci*, nequaquam verò homines divinitùs inspirati.

Verùm, ut in eis Temporibus quibus *Messias* personaliter venturus erat in mundum, multi Impostores instigati à Diabolo, surrexerunt ad decipiendum populum *Judæorum* eósq; in multas miserias ac calamitates induxerunt, ità nunc appropinquante tempore quo Christus appariturus sit in *Oeconomia Spiritûs* & interfecti Testes resurrecturi essent ac regnaturi, multæ itidem falsæ Oeconomiæ ingerent se cum furore, audacia, ac tumultu, assimulabûntq; veram illam Oeconomiam singulæ. Quod malum, eludendo obliterandóve præcipuum Apocalypseos scopum, supponendóq; omnes res inibi contentas intelligendas esse vel de Hierosolymorum excidio, vel de Roma Ethnica, nunquam prævertetur (hoc enim non dissimile foret atq; si quis violento incendio paululum aquæ aspergeret, quod effecturum est ut

ignis majorem in modum fureret) sed appellendo animos nostros ad penitiorem sensûs harum Divinarum Visionum intelligentiam, ut eò magis idonei simus ad regendum hominum zelum divertendúmq; à tanto ad quod incitari possint damno Ecclesiæ inferendo; ut Triticum non comburatur simul cum Zizaniis, sed quod purum est atq; Apostolicum conservetur.

Atq; sic in rebus *Civilibus*. Cùm ipsa potestas *Civilis Magistratûs* ejúsq; securitas à vesanis præfervidísq; hominibus periclitetur, qui rapinâ ac sanguine *quintam* erigere volunt *Monarchiam*, omniáq; Regimina Politica, quousq; aut Enthusiasticus ipsorum æstus instigaverit, aut invitaverit opportunitas, eorúmq; conatus secundaverit, evertere funditùs ac deturbare, (prætendentes omnem Autoritatem omnésq; ordines ac gradus in *quarta* hac *Monarchia* contaminatos esse ac prophanos, séq; ipsos illos pastinatores esse quos oportet omnia complanare, omniáq; Regimina mundana frustillatim frangere, ut Christus *quintus* ille *Monarcha* advenire possit & millenne suum Imperium in terris auspicari) Christianorum profectò Gubernatorum maximè interest sive *Ecclesiasticorum* sive *Civilium* in sensu horum vaticiniorum tam bene esse versatos, ut satis instructi esse possint ad os obturandum clamosis hisce *Fanaticis* etiam per ea sacra Oracula, quæ illi adeò pervertunt ac abutuntur, & ad ostendendum eis nullam prorsus earum rerum quas illi tam vanè sibi imaginantur, probationem suppetere; prout pro certo non suppetit, quemadmodum jam demonstravi in Expositione quarti quintíq; versûs Capitis vicesimi Apocalypseos; Doctrinámq; fuisse Apostolorum, Praximq; Ecclesiæ dum erat *Symmetra*, morem gerere Magistratui, pacificéq; sub eo vivere quantumvis esset Paganus; multóq; magis obediendum esse eis qui sunt Christiani: *Superiorem* & *Inferiorem* tam naturales esse in *Populo* quàm caput ac pedes in *Corpore humano*; Ac propterea neminem Regimen politicum posse vilificare quin id præ vesania faciat, improbóve aliquo consilio captivandi tandem alios subjiciendíq; jugo propriæ suæ libidinis ac furoris: Reges esse ac Gubernatores etiam sub renovato rerum statu in Millennio, quemadmodum apparet Apoc. 21. v. 24. Nullámq; Regiminis formam malam esse posse ubi Gubernatores regunt secundùm bonas Leges. Et postremò, statuere quicquam essentialiter malum quod in se indifferens est, atq; sic à Christo & Apostolis relictum, peccatum esse fundamentale contra legem novæ *Hierosolymæ*, cujus fundamentum & structura consistit in *duodenariis*. Verùm enimverò, si quis cùm convincere eos debeat per ea quæ vera sunt, eorum conaretur furorem, falsa glossemata obtrudendo, supprimere, procliviissima profectò ea via esset ad eos magis inflammandos animandósq; ad contemptum eorum qui ipsos debent regere atq; instruere. Etenim præfiguratio Apostasiæ Ecclesiæ ejusdémq; deinceps Instaurationis, (quæ fieri potest sine ulla saltem temporalium Potestatum ac Principatuum Immutatione) res adeò manifesta est ut nullâ ratione queat celari.

4. Tertius usus Apocalypseos, Responsio est ad objectionem admodum tortuosam à Judæo juxtà atq; Atheo vibratam. Etenim cùm res tam perperàm per tot continua Ecclesiæ secula successerint, ut mundus iterum quodammodo factus sit Paganicus, cúmq; *Turca* etiam tantam Ecclesiæ partem absorpserit, nulla profectò vera Religio esse potest nec Providentia in mundo, inquiet Atheus: Et *Judæus*, Messiam saltem nondum venisse, cùm Idololatria omnes ferè Nationes occupaverit, quæ ipsum profitentur. Verùm ad utrosq; respondemus, Nihil omninò hîc contigisse quod à Deo antea non erat præviśum, planéq; prædictum in his Visionibus *Apocalypticis*. Ut ea præteream, quæ modo magis generali adumbrata sunt apud *Danielem*. Quod igitur argumentum potiùs est pro Providentia quàm contra eam, demonstratióq; magis fidelitatis vigilantiæq; *Messiæ* super Ecclesiam suam, quàm quòd nullam adhuc in mundo Ecclesiam sibi collegerit. Manifestum enim est Christum sanctarum illarum Visionum esse Authorem, magnásq; illas clades, quæ Ecclesiæ acciderunt sive à *Turcis* sive ab aliis, ipsi propter suam Apostasiam à puritate Apostolicæ fidei ac Praxeos, obvenisse.

5. Quartus usus, ísq; maximè insignis, Apocalypseos est, ut sit purum speculum in quo & Apostasiam Ecclesiæ, viámq; ad ejus instaurationem pariter contemplemur. Apostasia Ecclesiæ modo quodam generaliori per numerum nominis Bestiæ significatur, cujus *Radix* cùm sit 25, (quemadmodum & *Radix* numeri Ecclesiæ Apostolicæ 12) Apostasiam eorum subindicat in genere consistere in addendo *radici* & *fundamento* Christianæ Religionis Articulos supernumerarios propriæ suæ inventionis & formationis, ut qui contenti non erant Essentialibus & Fundamentalibus fidei Articulis, qui clarè, apertéq; traditi sunt à duodecim Apostolis, faciléque, sine omni disputatione ac controversia sacris intelliguntur Scripturis contineri. Notavi etiam

suprà

ſuprà à *radice* numeri 666 (quæ eſt 25, quæq; iterum reſolvi poteſt in 5) Apoſtaticam eorum Religionem ad gratificandos recreandóſq; externos ſenſus præcipuè eſſe formatam; ibi eam incipere, ibidémq; deſinere, & diviniores ſinere magíſq; cœleſtes animi motus ſepultos jacere & conſopitos. Sed & adhuc magìs particulatim indigitatur hæc Apoſtaſia per *Quadratum* 666, tanquam ſi venenum *ſexti capitis* Beſtiæ, illius putà *rufi* ſanguinolentíq; *Draconis*, hoc eſt, crudelis *Perſecutio* & *Idololatria* per totum corpus Apoſtaticæ Eccleſiæ diſſeminaretur: Cujus pars præcipua neceſſariò eſt *Beſtia Bicornis*, quæ totum Romanum Imperium admodum vivam effecit *Imaginem Beſtiæ*, (cujus lethale vulnus ſanaverat) hoc eſt, antiquæ Poteſtatis Paganicæ. Verùm de hoc dictum eſt ſatìs, cùm argumentum ſit ad quod alii nimis avidè aures ſint arrecturi, alii verò nimis obſtinatè, & abſq; omni ratione ac deliberatione ſtatim repudiaturi. *Apoc.* 13.

6. Cæterùm ſpeculum hoc Apocalypticum non ſolùm Pontificiis inſervit, ſed & univerſis Chriſtiani Orbis Eccleſiis ad vultus ſuos contemplandos, & ad conſiderandum, quantum etiamnum illîc inhæreant, quantúmve emerſerint ex hoc lapſu atq; Apoſtaſia, utrúmve penitùs ex ea emerſerint necne. Magnus enim profectò animo meo injectus eſt ſcrupulus ſuper hac re, ídq; ex ratione 1260 dierum in quibus Mulier dicitur eſſe in deſerto, Teſtéſq; centonibus amicti lugere. Quantùm ad quorum dierum Epocham, maturrima omnium quibus inſiſtit *Joſephus Medus* eſt 365, ſcilicet à morte Juliani, quæ 1260 dies in annum 1625 terminat. Et tamen multos antè annos quàm hoc tempus effluxerat, eadem erat Eccleſiarum differentia quæ nunc eſt. Quod manifeſtum indicium eſt Mulierem tunc non fuiſſe nec dum eſſe è *deſerto egreſſam*, ſed veram Eccleſiam etiamnum abſcondi in hiſce Eccleſiarum diviſionibus, totúmq; hactenus, quantùm ad externam rerum faciem, nihil aliud fuiſſe quàm vaſtam quandam Eremum.

Præterea, quod Eccleſiarum diviſiones attinet, quæ factæ ſunt antè centum circiter annos, quæ ſtatim hujus vel illius Reipublicæ Eccleſiæ evaſerunt, ſi iſtæ alterationes tunc factæ fuiſſent juxta rationem purè Apoſtolicam, ſuſcitatio Teſtium planiſſimè fuiſſet, eorúmq; in cœlum evocatio, etiam multos antè annos quàm dies 1260 effluxerant. Quæ ſanè non obſcura eſt ſubindicatio res nondum rectè ſe habere, Teſtéſq; nondùm eſſe ſuſcitatos, nec Mulierem ex Eremo egreſſam.

7. Quamobrem præ humilitate debita ac modeſtia ſuſpicantes noſmetipſos ex generali hac Eccleſiæ Apoſtaſia, in quam Spiritus Dei eam lapſuram prædixerat per 1260 annos nondum prorſus emerſiſſe, videamus ſi quo modo poſſimus inveſtigare quænam hujus lapsûs reliquiæ etiamnum inter nos maneant. Quas credo eò promptiùs nos eſſe agnituros, quantò majorem habituræ ſint affinitatem cum ea Eccleſia quam nos meritò judicamus manifeſtò eſſe Apoſtaticam. Nunc igitur quæro, Annon unum eſt ex erratis fundamentalibus in illa Eccleſia, quòd res quaſdam fundamentales faciunt quæ reverà non ſunt, humanáſq; ſuas inventiones ſic miſcent cum infallibilibus Dei Oraculis, imperioſéq; eas populo obtrudunt? Hoc etiam ad vivum nos tangit in re Ceremoniarum. Sed enimvero, annon incertæ inutiléſq; opiniones æquè puræ putæ Ceremoniæ ſunt ac Ceremoniæ ipſæ, contra quas indomitorum equorum more nos adeò recalcitramus nec ſine roncho diffugimus? Immò porrò addere poſſum, difficile eſſe noſmet ab altera illa nota Beſtiæ purgare, Antichriſtiana nimirum Perſecutione in rebus Religionis, ídq; ob rerum diſcriminationes quas Chriſtus ipſe nunquam poſuit, ſed nos ſolummodò eas fingimus atq; imaginamur.

Rurſus, quantùm ad Idololatriam, notum alterum *Beſtiæ* characterem, annon & illum poſſumus apud noſmetipſos invenire? Avaritiam ſolummodò non intelligo, quam Apoſtolus vocat Idololatriam, ſed confidentiam illam erigendi *Imaginationes*, ſi non *Imagines*, de Deo, aliquas certè magìs horridas ac terribiles, quàm illæ ſunt quæ ſtabant in maximè pollutis Templis Paganorum (ſtatua *Saturni* proprios liberos dentibus membratim diſcerpentis, miſericordiæ præ iſtis ſymbolum haberi debet) dum intereà loci lugentes Teſtes tum ex *Moſe* tum ex S. *Johanne* teſtimonium perhibent, Quòd natura Dei alia prorſus ſit res. *Deus amor eſt, & qui in amore manet in Deo manet & Deus in eo. Jehovah, Jehovah, Deus miſericors & exorabilis, ad iram tardus, ad clementiam & auxilium propenſus.* Et tamen quàm violenti conatus ſunt ad erigendum hoc Idolum falſámve Imaginem in cujuſq; Templo, quod aliàs Amori Dei ac refocillanti ac conſolabundæ habitationi ſancti illius Spiritûs deberet conſecrari? Illa porrò Imago Dei cæca eſt, & Paganorum Cupidine pejor, quam leves quidam ſtultulíq; Opinatores in ſuam ipſorum gratiam erigunt. *Quòd utiq; Deus nullum peccatum videt in ſuis electis*, peccent quàm volent graviſſimè craſſiſſiméque; cùm tamen interea Scriptura expreſſim affirmet, *Jehovam in cœlis habentem ſolium*

ſuis oculis aſpicere, ſuis luminibus hominum genus probare. Et purioribus eum eſſe oculis quàm ut ſcelus videat facinúſve poſſit aſpicere. Ut præteream ipſas opiniones quæ per curioſitatem humanam in rebus religionis formantur, quantumvis alioqui ſint innocuæ, Idola fieri, eadémq; effecta habere quæ habent Idola, hoc eſt, animum conſopire, adeóq; ſtupefacere, ut officiorum *indiſpenſabilium*, motuúmq; *Divinæ vitæ* ſenſum perdat; præterea, ornare noſmetipſos hujuſmodi opinionum curioſitatibus, electitiam quandam ſanctimoniam eſſe & Adorationem cultúmq; Dei juxta proprium noſtrum appetitum ac imaginationem. Quod profectò perquam pauxillum diſtat ab Idololatria.

8. Et poſtremò, ſummatim magiſq; compendioſé. Conſideremus naturam Teſtium occiſorum à Beſtia ex Abyſſo. Quos, res puerilis eſſet duas eſſe perſonas opinari, quandoquidem vaticinari dicuntur per 1260 annos prout rectè ſtatuit *Medus*. Egóq; addo inſuper, etiam mortuos eſſe alio ſenſu, eo ipſo tempore quo dicuntur vaticinari, quemadmodum * ſuprà notavi admodúmq; parùm addubitationis ſubeſſe poſſe puto illi Interpretationi. Diſpiciamus igitur quid ſint hi duo Teſtes. Et certè propter locutionum Propheticarum opulentiam atq; copiam, ad unam aliquam ſignificationem ſingularem eos reſtringendos eſſe non cenſeo, ſed has binas ſaltem res adumbrare : *Vetus* ſcilicet *novúmq;* *Teſtamentum*, quæ hîc per proſopopœiam duo Teſtes vocantur, vel *Magiſtratum* & *Miniſterium* : quandoquidem illæ res per quas deſcribuntur, alluſiones ſunt ad *Moſem* & *Aaronem*, & ad *Zerobabelem* atq; *Jeſhuam*. Concinnitas prioris Interpretationis à ſola illa obvia alluſione ad *Latinam* vocem *Teſtamentum* non dependet, ſed etiam ulteriùs confirmatur à *Græca* μαρτύριον. Cùm μαρτύρια frequenter leges vel Inſtituta Dei ſignificent, reddatúrq; etiam pro ברית διαθήκη. Ut omittam *vetus novúmq;* Teſtamentum, quamvis ità non appellarentur, eſſe tamen reverà Mundo duos eximios Divinæ mentis Teſtes.

* *Cap.* 15. *Sect.* 4.

Quamobrem, facientes nunc, more Prophetico, hos duos libros perſonas duas, eos dicere poſſumus *vivos* eſſe vel *occiſos*, aut in *Politico* ſenſu aut in ſenſu *Morali*. *Vivi* nimirum eſſent in ſenſu *Politico*, ſi penès ipſos ſolos eſſet Imperium in negotiis tranſigendis tum *Eccleſiæ* tum *Reipublicæ*. Ità ut nullæ eſſent Injunctiones tanquam *indiſpenſabiles* in rebus Religionis, niſi quales ipſi planè determinent, multóq; minùs ullæ quæ ipſis adverſentur. Et ſimiliter, in rebus *Civilibus* omnis *Oppreſſio Tyranniſq;* inhiberetur. Quamobrem dum humanæ Inventiones imperium obtinent in Eccleſia loco divinorum Oraculorum, dúmq; enormis oppreſſio Tyranniſq; in Chriſti membra prævalet, hoc eſt, dum homines ſe arbitrantur poteſtatem, opes, ingenium, rerúmq; peritiam habere, ad conculcandum ſolummodò populum, non ad eis ſuccurrendum regendúmq; ad realem eorum utilitatem, & ad nobilitandum eorum animos quouſq; ſint capaces, potiùs quàm ad mancipia ſtupida efficienda ac maſtigias, eruendo ipſis oculos, eóſq; in equos molarios transformando, ut eò faciliùs cogerentur laborare ſudaréq; ad dominorum explendas cupiditates ac libidines : ubicunq; res ad hunc modum geruntur, *Beſtia* ibi ex *Abyſſo duos Teſtes interfecit* in *Politico ſenſu*, lege Dei interim proteſtante contra malas rerum adminiſtrationes, tum in *vetere* tum in *novo Teſtamento*, quemadmodum cuilibet manifeſtum eſſe poteſt, qui illa ſcripta perlegerit.

Teſtes porrò *vivi* eſſent in ſenſu *Morali*, ſi indiſpenſabilia illa vitæ præcepta per ipſos teſtificata converterentur in nobis in vitam atq; mores. *Verbum* enim *externum* non eſt niſi *litera mortua*, ſed tum demum propriè vivum eſt, quando illa vita in nobis gignitur de qua illud teſtificatur. Quæ ſi negligatur, ipſorúmq; regula, quatenus *Politiam Eccleſiaſticam* reſpicit, declinetur; agántq; homines tum in rebus *Politicis* tum in *Privatis* juxta regulas hominum, eorúmq; inutilia inſtituta, atq; ſic *indiſpenſabilia* Dei præcepta vili pendant, quis eſt tam cæcus quin videat *duos Teſtes* de quibus loquimur planè eſſe *occiſos*, *vetúſq;* ac *novum Teſtamentum* nihil aliud eſſe, niſi duo vitâ caſſa cadavera, jacentia inſepulta quidem, (comburere enim ea nolunt eorúmq; cineres in urnam condere, reconderéq; ſub terra propter metum populi) ſed inutilia & inertia, nullámq; vim habentia ad enormem impiúmq; mundum coërcendum, qui aliam ſibi ſumpſerunt legem electitiam, à falſa & Antichriſtiana Eccleſia formatam ac procuſam, nihil repugnantem, immò verò apprimè faventem omnibus illis pompis ac vanitatibus contra quas in ipſo Baptiſmo apertè ſumus ſanctéq; jurati. Unde dicitur quòd *terræ Incolæ gaudebant*, *triumphabant donáq;* *inter ſe mittebant ob occiſos Teſtes*, utpote quorum mors tantopere ad effrænem fruitionem rerum omnium mundanarum ac carnalium conducebat. Verùm effecit interim ut Eccleſia nihilo tolerabilior fieret quàm *Sodoma* & *Ægyptus*, quàm terra *Tyrannidis* ac *Beſtialitatis*, Civitas *fœdæ libidinis* ac *Oppreſſionis*.

Apoc. 11. 10.

Verſ. 8.

In

In qua (ut ad alteram pergamus allusionem) *Moses* & *Aaron*, *Zerobabel* & *Jesshua*, sanctus & legitimus *Magistratus* ac *Ministerium* occiduntur, hoc est, excluduntur ab omni *Politica Potestate* per *Bestiam ex Abysso*, ἐκ τῆς ἀβύσσου. Quod quatenus significare potest *Mare*, potest etiam intelligi de *Bestia decacorni*: quatenus verò *puteum profundum in terra*, qualis ille erat è quo *fumus* ascendit & *Locustæ*, *bicornem Bestiam* potest denotare, quæ dicitur ascendisse ex *terra*, magistérq; est illius sapientiæ quæ *terrena* est, *animalis*, & *Dæmoniaca*, quámq; comitatur zelus amarulentus & crudelis, contentionésq; ac rixæ circa vanas & inutiles *Opiniones* ac *Ceremonias*. Apoc. 13.11.

Hoc credo nos satìs proclives fore ad agnoscendum adversùs alios, eos nempe qui in eis regnis habitant, ubi *Papatus* tantopere dominatur. Verùm è re nostra magìs esset, examinare etiam quid perperam factum sit Domi. Neq; enim sequitur ex eo quòd *Numerus Bestiæ* non invenitur super nos, quòd partes Bestianas nulla ex parte agimus. Nec maculæ purpureæ sunt sed ipse morbus qui enecat. Verùm similiter se res habet, atq; si quis non satìs peritus distinguendi Oves inter atq; Capreas, moneretur illas in certo quodam Pascuo quæ talem super ipsas Notam Figurámve inustam haberent, Capreas esse. Inscita profectò atq; insubida res esset nisi cogitaret *Notam* hanc Figurámve non adeò Capreæ esse essentialem, quin ubi alio in loco in Animal incidisset sic formatum parísq; magnitudinis & vocis consimilis Capreæ, auderet statim pronunciare hanc etiam esse Capream, quamvìs supradicta nota deesset. Quamobrem sepositò omni partium studio, liberè consideremus, utrùm nos puræ simus adhuc Oves necne.

Si *Testes* apud nos *occisi* sint in sensu tum *Morali* tum *Politico*; si nomen sequamur vel autoritatem ullius hominis, cíq; morigeremur magìs quàm manifestis Scripturis; si contenti non simus tali fide de qua ex ipsis planè constet, quæq; Ecclesiæ fides esset etiam tum cùm erat *Symmetra*; si per fœdum crassúmq; *Antinomianismum*, pérq; doctrinam, quòd superfluum sit aut impossibile ut quis bonus sit, vitámq; juxta Christi præcepta instituat, Scripturam impediamus quò minùs in nobis viva fiat, & miscendo opiniones nostras imperioséq obtrudendo aliis, totius Religionis fidem apud quosdam in discrimen vocemus, alióq; è loco & autoritate, quæ per naturam rerúmq; ordinem ipsis in sortem cederent, excludamus, quantumvìs sinceri cordis eximiæq; vitæ Christianos, secundùm illud exemplare *antiquum* & *symmetrum*: profectò cùm ad hunc modum transgressi simus sanctum Primævum Apostolicúmq; numerum [12] per nova nostra additamenta, & persecutionem insuper addamus, æquè certò sic aut evadimus aut manemus partes *Bestiæ* atq; supradicta Caprea Caprea est cui nulla nota aut character erat inustus.

Nec antè unquam à crimine Occisionis Testium liberati erimus quàm omnem seposuerimus æstum fastúmq; in præferendo nostras ipsorum opiniones, quibus ponderosiora vitæ præcepta irrita faciamus, mandatáq; Dei rescindamus nostris traditionibus, illigantes populi affectum rebus inutilibus, eósq; assuefacientes frigere ad indispensabilem Christi legem. Quod reverà est *Testes occidere* eósq; penitùs demortuos jacere sinere in plateis. Dúmq; illi qui rerum gubernacula tenent ea sibiipsis tenent, suámq; affectant, animi causâ, ostentare & exercere potestatem, obliviscentes veram normam Regiminis esse solatium populi, eorúmq; animorum nobilitationem (ut sint liberi, scientes, fideléq; Christiani ac subditi) nec recordantes quæcunq; quisquam habeat, ipsi data esse ut alienis utilitatibus per ea inserviat, non ut proprias exsatiet cupiditates: dum hujusmodi, inquam, errores peccatáq; inveniuntur, sive in *Ministerio* sive in *Magistratu* supremo aut subordinato, ad quem usq; gradum inveniantur, ad eundem usq; gradum *Moses* & *Aaron*, *Zerobabel* & *Jesshua*, *Novum Testamentum* ac *Vetus* occiduntur ejiciuntúrq; mortui in plateas, omnísq; Potentia (in quamlibetcunq; formam se verterit) nihil aliud evadit nisi lusus *Leviathanis* in marinis fluctibus, qui ante se Profundum, ollæ ritu, ebullire facit, canáq; post se relinquit ac spumea vestigia, glorians in Potestate sua ac Titulo, quòd sit Filiorum Superbiæ Rex.

9. Quamobrem, *Millennalis* illa felicitas de qua quidam tam canorè sermocinantur, non quidem consistit in demoliendis omnibus Gradibus Ordinibúsq; *Superioritatis* in Ecclesia vel Republica, quippe quæ res naturales sunt ac necessariæ; sed in rebus rectè administrandis in utraq; per illos hominum *Ordines*. Qui si omnia componere vellent ad *Regulam Apostolicam*, & ejusmodi erigere disciplinam quæ indispensabilem *Dei vitam* fovere posset, non autem ineptas inutiléq; inventiunculas temerariorum ac fallibilium Hominum promovere; Et unusquisq; pro suo gradu officia præstare, quibus subveniatur succurratúrq; populo, ità ut vir quisq; probus ac virtuti

virtuti deditus posset pro suo loco juxta modum Christianum vivere, eúmq; non tristem sordidúmq; sed lætum alacrémq; & solamine plenum; Tributa proculdubio Honorum ac Titulorum hujusmodi hominum Ordinibus optimo jure debentur, & in utilitatem cedunt perinde atq; in ornamentum *Universo*. Est igitur planè *Fanaticus* quidam Furor vel *Satanicus* in istiusmodi hominibus qui sub prætextu introducendi quintam Monarchiam, quemadmodum illi appellant, Ordines omnes, Gradúsq; subvertere volunt in Ecclesia & Republica; quasi ira hominis divinam posset
Jacob. 1.20. operari justitiam: Cùm nec illæ Dignitates ipsæ ullam in se habeant prophanitatem, nec Personæ fortean quæ ipsas possident minùs sanctæ sint quàm illi qui eos de gradu deturbare satagant. Nam si suiipsius ditatio per ruinam aliorum jus cuipiam acquirat ut pro sancto habeatur, nobilissimi certè Latrones maximum sibi facturi sint viæ compendium ad introitum in *Sanctum Sanctorum*. Sed hujusmodi *Zelotæ*, quàm miseri futuri sint è servitute Redemptores, nimis quàm Tragicè præfiguratur per illam Judaicam Factionem *Hierosolymis*, longè sanè intolerabiliorem Civibus quàm ipsi erant hostes qui eos obsidebant.

Quamobrem expectatio inhiatióq; quintæ Monarchiæ in hoc sensu, nihil aliud esse potest quàm sitis prædæ ac sanguinis, dum multi homines eò excitantur secreto stimulo veteris Serpentis, per invidiam adversùs Ecclesiam Christi, sperantes se posse hoc pacto Evangelium eradicare, destruendo scilicet stabilitam Autoritatem, & Ministerium expilando, ut sic introducere possint fœdam superstitionum Fanaticarum & Athearum prophanitatum colluviem. Quod malum prævertendi certissima, meo quidem judicio, ratio est, reductio Ecclesiæ per eos qui autoritatem habent ad hujusmodi formam quæ purè sit Apostolica. Etenim tunc rerum constitutio tam sacra erit & irreprehensibilis,ut perterrefactura sit procúlq; submotura improbitatem atq; audaciam ejusmodi hominum qui aliter per conspicuam intermixtionem rerum falsarum, impiarum atq; idololatricarum animari possint ad involandum in universa simul, & ad omnia frustulatim discerpenda. Quò accedit quòd secundo remigaturi sint flumine,fluxúsq; divinæ vindictæ eos porrò sit provecturus. Qui subinde in Ecclesiam fluxurus est usq; dum vera, sinceráq; fiat Reformatio. Nulla enim unquam expectanda est stabilitas antequam illa civitas extructa sit cujus non solùm fundamentum in *Duodenario* ponitur, verùm etiam illius Portæ, Tribus, Angeli, Latitudo muri & Altitudo, totiúsq; Civitatis soliditas nihil sint aliud præterquam perpetua per omnia *Duodenarii* Repetitio, hoc est, antequam Ecclesia appareat quæ est *purè Apostolica* tum in *Vita* tum in *Doctrina*.

10. Quæ tempora cùm adeò propinqua sint, quemadmodum apparet ex ratione vaticiniorum, magna profectò debet esse animatio unicuiq; ad spectandum illorsum, & ad excutiendum stuporem illum soporémq; Lethargicum, qui mundum tamdiu occupavit, quasi nunquam se meliùs res esset habitura. Hic enim *Infidelitatis Articulus*, inter alia, Testes tamdiu in morte, juxta omnes illos sensus supradictos detinuit. Quamobrem unusquisq; seipsum reformet, & hortetur animétq; proximum suum ad testificandam lætam illam testificationem de *Potentia Dei* ad devincenda subjugandáq; omnia genera peccati. Hæc enim Tempora per rapinam ac violentiam non accelerantur, sed per incrementum Justitiæ in terris. Ad cujus realem celerémq; promotionem nihil magis efficax est quàm persuasio, Quòd Deus nunc in hisce ultimis temporibus majorem solito gratiam opémq; suppeditaturus sit eis qui fideles esse volunt in suo fœdere, quódq; Justitiæ opus multò majori cum facilitate profectus suos facturum sit quàm hactenus, & successu infinitò meliori.

Quamobrem consultissimum est, ferrum ferire dum candet, donáq; præsentia capere hujus diei salutis, nè fortè cùm hujusmodi prædictiones gratiæ conditionales sint, id nobis accidere possit quod olim contigit Israëlitis, quorum cadavera conciderunt in deserto per fastidiosam moram, longámq; ipsorum circumductionem, qui aliter in propriis suis personis promissam terram intrâssent. Ità profectò ego non video quin sit possibile vel probabile, prædictionem mutationis Ecclesiæ in tam excellentem statum malâ rerum administratione retardari posse, eorúmq; hominum infidelitate à quibus magis speciatim Deus expectat ut se pro strenuis gerant operariis in alba hac messe Apostolicæ puritatis & sanctitatis; nec se à magna illa *Babylone* separatos credant, ut *Babylonas* sibi pusillas magísq; tolerabiles ædificent, quanquam in perpetuum non tolerandas; sed omni opere enitantur, ut in unam sanctam Dei civitatem explendescant & coalescant. Cæteroqui non video quin successus talis futurus sit qualis eorum sint conatus quorum res maximè agitur. Et sanè varietas rationis numerandi temporis periodum per *Dies*, *Menses* & *Semi-tempora* videtur hujusmodi quid comminari. Ac proinde juxta hanc laxiorem computandi rationem

per

per *Menſes* ac *Semi-tempora*, ſublatere poteſt reſervatio moræ in triginta, immò in centum vel ducentos annos longiùs quàm aliàs Deus intenderat glorioſam hanc *Oeconomiam* auſpicari. Verùm enimvero certitudo Eventorum aliorum vaticiniorum ordine antecedentium, niſi promiſſum hoc conditionale ſit tam *Judæis* quàm *Chriſtianis*, demonſtratio eſt, fieri non poſſe quin aliquando ſortiturum ſit effectum.

Hæc eſt ratio fideliſſima quam ego reddere poſſum, de ſtatu Chriſtiani Orbis ab effuſione uſq; Spiritûs Sancti in Apoſtolos ad reditum Chriſti in ſpiritu ad renovandam lapſam Eccleſiam in veram Sanctitatem ac Juſtitiam, in *Reſurrectione Teſtium, Regnóq; Sanctorum in terris per mille annos.* Quorum ſub exitu Dies erit Judicii propriè dictus, quem poſt longam hanc ſed non admodum alienam, ut ſpero, Digreſſionem, ſi quidem Digreſſio ſit, quàm accuratè potero jam pertractabo.

MAGNI

I

MAGNI MYSTERII PIETATIS EXPLANATIO.

LIB. VI.

CAP. I.

1. *Tria Principalia conſideranda in Chriſti reditu ad Judicium, viz.* Viſibilitas *illius perſonæ*, Reſurrectio mortuorum & Mundi conflagratio. 2. *Loca Scripturæ ad probandam illius perſonæ* Viſibilitatem. 3. *Futuram tunc eſſe* Reſurrectionem mortuorum *non in* Morali *ſed in* Naturali *ſenſu, ex evidentiſſimis locis Scripturæ demonſtratum.* 4. *Teſtimonia è Scriptura ad probandam* Mundi Conflagrationem, *ut è cap.*3. *Epiſt.*2.Petri. 5. *Interpretatio verſuum duodecimi & decimi tertii.* 6. *Demonſtratio quòd Apoſtolus ibi* Conflagrationem Mundi *deſcribit.* 7. *Opinionis eorum confutatio qui interpretari volunt deſcriptionem Apoſtoli de incendio* Hieroſolymæ. 8. *Adventum Chriſti toties in his duabus Epiſtolis Petri memoratum de ejus ultimo Adventu ad Judicium intelligi debere.* 9, 10. *Ejuſdem aſſertionis ulterior Confirmatio.* 11. *Alia loca indigitata quæ probare poſſint* Conflagrationem.

IN *reditu Chriſti ad Judicium* tria conſideranda ſunt, tanquam admodum arctè connexa cum eo & complicata. 1. *Perſonæ* nimirum *illius Viſibilitas* Pompáq; Adventûs; 2. *Reſurrectio Mortuorum*, & 3. *Mundi Conflagratio.* Sed enim cùm de his omnibus dubitetur apud quoſdam qui tamen profitentur ſe ſacroſanctam Scripturæ Autoritatem minimè negare, producam primò, talia Scripturæ loca quæ manifeſtò hos articulos aſſerant, & deinde demonſtrabo quàm rationi conſentanea ſit aſſertio.

2. *Viſibilis* ac *perſonalis* Reditus Chriſti ad Judicium, quamvìs è multis locis probari poſſit, ego tamen contentus ero paucioribus. Et ingenuè equidem fateor me minimè dubitare quin cap.24. Matth. à verſ. 30. ad 32, (ubi *filius hominis* dicitur *venire in nubibus cœli cum multa potentia atq; gloria, Angelóſq; ſuos emittere cum Tuba vocaliſſima*) valde expreſſum ſit hujus rei Teſtimonium. Verſum verò 29, deſcriptionem puto ſtatûs mundi, præſertim Imperii *Romani* uſq; ad apparitionem *ſigni filii hominis*. Utrùm verò hoc *ſignum filii hominis* ſit ipſe filius hominis veniens in nubibus, an aliud aliquod ſignum in cœlo multò ante adventum ejus exhibendum, ad converſionem Judæorum, non tantum mihi hìc aſſumo ut definiam. Hanc verò temporis periodum à Chriſto hìc obſcuriùs magíſq; mancatè deſcriptam eſſe, nemo mirari debet qui meminerit futurum tunc fuiſſe ut hæc omnia mox pleniùs *Johanni* revelarentur per Angelum à Chriſto miſſum, quemadmodum conſtat ex *Apocalypſi*. Quod de tribus his verſibus 29, 30, & 31, intelligendum moneo. Verùm à 32 ad verſum 36, Servatorem credo primum ſuum argumentum de Excidio *Hieroſolymæ* reſumere, ac proinde, cùm intra conſpectum eſſet Templi ac Civitatis, uſum eſſe pronomine τοῦτα, *hæc*, in ſuo utiq; de ipſis vaticinio. Sed in verſu 36, prædictionem

ctionem prosequens de fine mundi, ait, περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης, de *illo* vero die. Atq; ità salubria vigilantiæ præcepta tradit Ecclesiæ ad finem usq; hujus Capitis. Qui quidem sensus optimè convenit cum subsequenti Capite, quod interpretatione maximè facili ac naturali totum intelligendum est de ultimo judicio. Cæterùm à versu 31. illius Capitis usq; ad finem, etiam illi qui detorquere volunt priorem partem Capitis ad alium sensum, agnoscunt de die ultimo intelligi oportere. Atq; illîc visibilis Christi pompa venientis ad judicandum mundum manifestò describitur, viz. *Sessio ejus super Thronum, cum sanctis Angelis eum circumstipantibus.* His adjicere poteris testimonium duorum Angelorum albis vestibus indutorum, qui discipulis dixerunt, qui fixis oculis in cœlum spectabant versùs Christum, dum ascendebat, Quòd utiq; eodem modo illinc aliquando descensurus esset quo ipsi eum viderant in cœlum ascendere: Ut & illud S. Pauli ad *Thessalonienses*, *Nam ipse Dominus cum præconio, cum summi Angeli voce, cúmq; Divina Tuba descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primùm; Deinde nos viventes, qui erimus superstites unà cum eis rapiemur in nubibus obviàm Domino, in aërem, atq; ità semper cum Domino erimus.* Hæc loca, tam manifesta sunt pro visibili apparitione personæ Christi in adventu suo ad Judicium argumenta, ut nulla tolerabilis Allegoria eorum vim eludere possit.

Matth. 25. 31

Act. 1. v. 11.

1 *Thess.* 4. 16, 17.

3. Futuram esse *mortuorum Resurrectionem* (*naturali* non *morali* sensu) eodem tempore, evidens est ex verbis eis ultimis quæ citavi. Etenim an quisquam gentium est, nisi planè insaniat, qui interpretari ausit raptum nostrum ad Christum in aërem, in sensu *morali*? Si scriptum fuisset [*in cœlos*] id certè eludere facilè potuissent, pro suo more, dicendo, in *cœlestem essentiam*, vel in *cœlestem naturam* mysticè intellectam. Verùm eóne quisquam prorupturus est impudentiæ, ut aëream levitatem ac vanitatem phantasticam suorum Mysteriorum *Incredulitatis* statim non agnoscat, cùm secundùm hanc Analogiam necesse sit ut cogatur dicere, nos in *Resurrectione* obviàm ituros esse Christo in *Essentiam Aëream* mysticè intellectam? Sed enim æquè falsum glossema est doctrinam Resurrectionis 1 Cor. 15. traditam ità interpretari, ut naturalis Physicúsq; illius sensus excludatur. Cùm manifestum sit talem mortem, talémq; nostri Resurrectionem ibi tractari quæ arguatur à morte & Resurrectione Christi, qui dicitur mortuus esse ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, *pro* peccatis nostris. Quod impossibile est mysticè interpretari. Lege à primo versu usq; ad versum undecimum, manifestam invenies historiam. Ex qua Apostolus concludit beatam fore Resurrectionem glorioſámve Immortalitatem Corporis juxtà atq; Animæ, quam Christus daturus est omnibus verè credentibus die novissimo. Quemadmodum & ipse semel atq; iterum pollicitus est cap. 6. Evangelii S. Johannis [*& ego suscitabo eum novissimo Die*]. Multa alia loca ad hunc sensum in Scripturis occurrunt, quæ sciens prudénsq; prætereo.

4. Tertia & ultima est *Conflagratio Mundi*, de qua illud S. Petri irrefragabile ego existimo Testimonium. *Veniet autem Domini dies ut fur noctu, in qua cœli cum stridore interibunt, elementa ardentia dissolventur, & tellus & quæ sunt in ea res, conflagrabunt.* Explicationem hujus vaticinii *Josephus Medus* proposuit, permagna profectò cum cautione & judicio. Cui quidem ego lubenter in solidum suffragarer, nisi quòd hanc ignis cladem, ultimam credam fore visibilem vindictam quam Deus sumpturus est de obstinatis filiis *Adami*, utpote quos tunc est relicturus ut volutentur simul cum Diabolis in intolerabili cruciatu & confusione.

2 *Pet.* 3. 10.

5. Atq; propterea ego exponendum censeo, καινὸς δὲ οὐρανὸς versu 13. *Veruntamen*, vel *Attamen nihilominus*, ante hanc Terræ conflagrationem, *nos expectamus novum Cœlum novámq; Terram*, (sensu *Politico*) *in qua Justitia est habitatura.* Nec verò voces illæ, vers. 12. προσδοκῶντας καὶ σπεύδοντας, *expectantes properantésq;* adventum diei Dei, quenquam satìs munire possunt ad restringendum vaticinium ad sensum *Moralem*, tanquam si altæ solummodò essent elatæq; locutiones significantes aliquid in nostra potestate, & quod à nobis possit præstari. Etenim προσδοκᾶν καὶ σπεύδειν possunt esse vel ἓν διὰ δυοῖν, nec amplius quicquam denotare quàm μετὰ σπουδῆς προσδοκᾶν, hoc est, magno cum studio & diligentia expectare; vel si pro duabus rebus diversis sumpseris, satìs sic consistet sensus cum nostra Interpretatione. Nam cùm Dies Domini Dies sit magni gaudii & ampliſſimarum remunerationum piis, æquè ac exitii impiis, suppositóq; insuper eum non venturum antequam Justitia regnum suum habuerit in terris, satìs commodè quidem propriéq; moneri possumus ut per preces nostras morúmq; probitatem deproperemus acceleremúsque, quantum in nobis est, adventum utriuslibet.

6. Verùm quòd per nullam hujusmodi Mysticam Interpretationem terra potest à

Conflagratione per ignem visibilem ac palpabilem eximi, manifestum est citra omnem addubitationem ex 5, 6, & 7 versu hujus Capitis. Ubi Apostolus contra tritum illud perfugium munimentúmq; Atheorum, *Identitatem* scilicet ac *Immutabilitatem* Legis Naturæ & Ordinis cursûsq; *Universi*; *quòd omnia utiq; nunc se habent ut habuerunt à principio, sempérq; ità habitura sunt, quódq; propterea Deus per nullam viam extraordinariam unquam exiturus sit ad Judicium*; Contra hoc, inquam, Apostolus insigne illud Divinæ vindictæ exemplum opponit in immittendo inundationem in veterem orbem terrámq; obruendo immenso aquarum Diluvio. *Qui verò nunc sunt*, inquit ille, *Cœli atq; Terra reservantur igni ad Judicii & impiorum hominum exitii diem.* Nunquid aquæ in Temporibus *Noæ* naturales erant, quando disceptatio Deo erat cum omni Carne; & erit ille ignis, quo perdendus est hic mundus, spiritualis? Levi verò ac temulento animo homines, quorum corda infidelitate obtenebrantur, nihil pensi habent quàm deformes distortásq; Scripturæ Interpretationes effingant, modò flectere eam possint vel ad minimam speciem consensûs ac conformitatis cum propria ipsorum Imaginatione ac Incredulitate.

7. Equidem novi, qui per hanc Cœli Terræq; conflagrationem, urbis *Hierosolymæ* Excidium intelligi volunt. Verùm descriptio multò major est quàm pro tantillo opere, nec facilè intelligi poterat ab iis quibus intendebatur in solatium, cùm mundi Conflagrationi tam adamussim quadraret, alteríq; tam dispar esset eventui. Præterea manifestum est ex argumento *illusorum* contra adventum Christi vers. 4. (quòd scilicet *omnia eodem in statu manent ab orbe condito*) hunc Adventum Christi ab iis non intelligi (& consequenter nec ab ipso *Petro*) de incendio Urbis in bello (hujusmodi enim res sæpenumero contingunt, poterántq; non improbabile judicare etiam *Hierosolymam* tempore procedente incendi posse) sed de ultimo illo ac glorioso Adventu Christi ad judicandum totum terrarum orbem, quod Judicium *Telluris Conflagratio* sit comitatura.

8. Et profectò si quis sepositо præjudicio liberè secum velit pensitare materiam præcipuam harum duarum Epistolarum, nihil aliud esse inveniet præterquam exhortationem, ut omni opere ad perfectionem firmámq; radicationem in omnibus virtutibus Christianis enitamur, ob spem præstantissimæ illius mercedis quæ nobis dabitur in illustri adventu Domini Jesu: Quemadmodum videre est in hac secunda Epistola, Capite primo. *Ità enim vobis largè suppetet aditus ad æternum Regnum Domini nostri ac Servatoris Jesu Christi*: Quod respondet illi loco in prima, ubi promissum sic describit, *Immortalem, impollutam & immarcescibilem hæreditatem nobis in cœlis repositam*; & sic porrò ad versum usq; decimum tertium. Quos versus proculdubiò nullum defæcatum Ingenium unquam intelliget de liberatione ab ulla temporali calamitate multóq; minùs ab excidio *Hierosolymæ*, à qua illi dispersi *Judæi* satis longè remoti erant, æquè sanè longè ac sunt *Pontus, Cappadocia, Asia, Galatia*, & *Bithynia*. Ut taceam, tam sedulam inculcationem tam funesti argumenti de fatali sanctæ Urbis excidio calamum hujus venerabilis Apostoli haud ità condecere, nec adeò ad stomachum fuisse eorum ad quos scripsit, ut qui *Judæi* natione erant æquè ac *Christiani*. Quarum rationum neutra permittere poterat ut tam horrendum urbis excidium læta ipsis esset aut consolabunda contemplatio, cùm & Lacrymas Servatoris oculis ad majorem temporis distantiam elicuerit. Magnáq; præterea ejus solicitudo, ut hasce res post obitum suum * memoriâ recolerent, indicium est illud, in quo tantopere insistit, majoris momenti esse ac diuturnioris durationis, quàm quod spectare possit ad Civitatis incendium.

2 *Pet.* 1. 11.
1 *Pet.* 1. 4.
* 2 *Pet.* 1. 12, 13, 14, 15. *c.* 3. 1.

9. Argumentum porrò, quo has res imprimere vult animis, assensibúsq; eorum ad quos scripsit, quòd utiq; ipse glorioſæ transfigurationis Christi testis erat oculatus, quando persona illius apparebat in eo splendore qui corpus condeceret glorificatum, tale scilicet quali ipse appariturus est in reditu suo ad judicium; hoc certè rationi adhuc magis consonum esse ostendit, illam Δύναμιν καὶ παρουσίαν, *illum præpotentum Adventum* Christi quo de ibi fit mentio, esse ultimum illius adventum in gloria, quando *transfiguraturus est corpora nostra humilia ut conformia fiant ejus corpori glorioso, pro vi illa efficaci quâ potest etiam subjicere sibi omnia.* Hic igitur præcipuus Christianæ fidei articulus in quo Christianorum omnium res potissimùm vertitur, id erat quod Apostolus tam vehementer solicitéq; urgebat, ipsísq; ante suum discessum inculcabat, ut quod præcipuum eorum erat fidei ac patientiæ fulcrum; quódq; ille, à speciali experimento, quod ipse inter glorioſam illam Transfigurationem in monte fecerat (ubi *Moses* & *Elias* sermocinabantur cum *Christo*, quod certissimum Immortalitatis Animæ erat indicium) nullum esse scitè concinnatum Figmentum, sed certam veritatem confirmabat, tum ex eis quæ is illic sibi ante oculos

2 *Pet.* 1. 16, 17, 18.

posita

posita vidit, tum etiam ex eis quæ narrata audiit in sancto illo conventu, ubi de *Passione* Christi disserebatur & de opidò quàm glorioſis illius consequentiis. Quarum maxima omnium est ultimus ejus ad judicium reditus, quando consummaturus est felicitâtem omnium credentium æternâ gloriâ & Creationem restituturus ad perfectum illum statum à quo lapsa erat, & obstinatos puniturus igni æterno. Quæ quidem cùm absq; *seriei Temporum* circumstantia declararentur, admodum proclive erat illis tribus Auditoribus in monte opinari ea perquam brevi eventura, ac proinde quærere, an non oportebat *Eliam* venire priùs, juxta quæ illi edocti erant à Scribis ex *Malachia* Propheta. Nisi fortè ipsa apparitio Eliæ illiúsq; iterum discessus contra eorum expectationem ac voluntatem, in illam quæstionem eos conjecerint.

10. Cæterùm, glorioſum illum adventum præpotentémq; Christi præsentiam, quam ille tam solicitè ipsis confirmare satagit, non esse adventum ejus ad excidendam *Hieroſolymam*, apparet porrò è versu decimo nono hujus Capitis; ubi, postquam operam dedit eis stabiliendis in fide magni illius articuli, (à resplendenti transfiguratione personæ Christi, cujus rei ipse in monte *Tabor* testis erat oculatus, ut & auribus Testis illius vocis de cœlo, *Hic est filius meus dilectus*) nec non Promissi illius pretioſi quod ab eo præstabitur in Die noviſſimo, (cujus præclari muneris capessendi, glorioſi scilicet Judicis vivorum & mortuorum, pignus erat visibile ejus Transfiguratio) ipsíq; præterea vaticinia veteris Testamenti tanquam *Lucernam in obſcuro loco lucentem*, quâ aliquò usq; pedes suos dirigere possint, commendavit; subinsinuat tamen insuper clariorem eos habituros esse firmiorémq; certitudinem magnæ hujusce veritatis, *die tandem illuceſcente & Lucifero oriente in cordibus eorum.* Quod certè admodum durum est ad ullam rem aliam applicare præterquam ad clariorem persuasionem, per *Dei ſpiritum in ipſorum animis*, de veritate hujus Promissi æternæ Remunerationis, coronæq; beatæ Immortalitatis donandæ, in Christi reditu ad judicium, noviſſimo Die. Hæ aliæq; consimiles rationes faciunt ut mihi prorsus incredibile videatur, per cladem hanc igneam, *Hieroſolymorum* incendium non autem *Terræ conflagrationem*, per illustrémq; Christi adventum toties in hisce Epistolis commemoratum, vindictam ejus in *Judæos*, non ultimum verò illius reditum ad judicandum universum Terrarum orbem intelligi oportere. Quæ suppositio est, ut ego quidem existimo, styli hujus Apostoli ponderi ac gravitati longè convenientior. 2 *Pet.* 1. 19.

Atq; hæc obiter, ad asserendum præstantissimas has duas Epistolas in illum magìs naturalem magísq; solennem ac utilem sensum quo semper hactenus, nisi ante pauxillum tempus, intelligebantur. Quanquam fatendum est versum septimum ultimi Capitis secundæ Epistolæ eos nondum depravâsse. Cùm revera impossibile sit ut illum aliter quàm de mundi *conflagratione* interpretemur. Qui solus noſtro proposito possit sufficere.

11. Multas alias huic accumulare possimus sententias tunc in Prophetis tum in Apocalypsi & alibi, quæ eódem spectant quò hæ Epistolæ *Petri*; ad probandum utiq; finale aliquando fore Judicium Dei per ignem; quemadmodum & alia Scripturæ loca quæ indicant notabile aliquod supplicium reservari Diabolis quod tandem aliquando ipsis sit infligendum. Etenim quando quânámve datâ occasione opportuniùs inchoari poterit, quàm ad *Conflagrationem* mundi? Horribilem quendam cruciatum ipsis reservari manifestum est è Mat. 8. 29. *Huccine veniſti vexatum nos ante tempus conſtitutum?* Et 2 Pet. 2. 4. (ut & Epist. Jud. vers. 6.) ubi Diaboli dicuntur custodiri æternis vinculis sub tenebris ad magni Diei Judicium. σειραῖς ζόφου ταρταρώσας παρέδωκε, In tartarearum tenebrarum catenas præcipitatos conjecit, id est, in Regiones inferiores caliginosi Aëris tanquam in tenebrosum carcerem, usq; ad magnum illum *Conſeſſum* incluſit; quemadmodum quidam exponunt, & sanè cum judicio. Cum quibus locis si ultimam illam maledictionem comparaveris severámq; sententiam Servatoris adversùs impios, *Faceſſite à me, execrabiles, in ignem ſempiternum Diabolo ejúſq; Angelis paratum*, admodum facile indè erit inferre, qualénam futurum sit hoc finale supplicium, & quando & quomodo incepturum. Cæterùm non opus est ut hisce rebus immoremur, cùm id quod præ manibus erat satìs jam firmiter demonstravimus.

CAP. II.

1. *Congruentia ac necessitas visibilis reditûs Christi ad Judicium.* 2. *Alia argumenta illius reditûs ad judicium ad eos convincendos qui miraculosam illius credunt* Nativitatem, Transfigurationem, Ascensionem, *&c.* 3. *Argumenta adversùs eos librata qui proniores sunt ad Infidelitatem, ex historiis desumpta, ubi ejusmodi res contigisse inveniantur ad aliquem usq; gradum, quæ expectentur in visibili Christi adventu.* 4. *Quòd ante judicia extraordinaria prodigia frequenter apparuerunt, per Angelorum ministerium, ut ante insignes* Pestilentias. 5. *Vtì etiam ante Regionum vastationes per bellum.* 6. *Ante absorptionem* Antiochiæ *per Terræ-motum.* 7. *Ante Incendium* Sodomæ & Gomorrhæ. 8. *Et ante excidium deniq;* Hierosolymorum.

1. REstat jam ut ostendamus, has tres præcipuas circumstantias adventûs Christi ad judicium, (quas Religionis nostræ probavimus mysterio contineri) in seipsis congruas esse & rationi consonas. Quod primò præstabimus, de *visibili Pompa & illustri adventu Personæ Christi in Aëre*, sanctis suis Angelis ipsum comitantibus dum descendit tanquam cum strepitu belli, inflatóq; classico, Archangelo ante ipsum vocalissimâ Tubâ bellicum canente, dum cœlestes copiæ militari incessu progrediuntur. Nam proculdubio apparatu maximè formidabili ac glorioso apparebit, atq; in hoc solenni terribilíq; ordine audacem, prophanum, Atheúmq; mundum aspectabit, qui nullo alio pacto convinci volunt Deum esse ullámve Divinam Providentiam, sed vultu supercilioso & sermonibus illusoriis omnem spem futuri præmii prorsus contempserunt, pióſq; omnes tanquam imbecillo ingenio homines aut mente captos deriserunt. At verò tunc fidelium corda immenso replebuntur gaudio, dum adeò lætum contuentur adventum illius, quem nihil longius ipsorum animis videbatur quàm dum viderent; qui remuneraturus est omnes eorum injurias, dolores ac contumelias condigno honore ac beatitudine. Immò dicere possim, Christum seipsum vindicaturum ab omnibus illis irrisionibus & opprobriis quæ audaces ac prophani homunciones ex propria ipsorum sensualitate immaníq; superbia per singula secula in eum conjecerunt, placentes sibi ipsis, aliísq; porcis Epicureis consimilis impietatis cum seipsis gratificantes per impia sua dicteria scommatáq; adversùs eum qui summum erat exemplum Divinæ perfectionis quod unquam extitit. Immò addo insuper, quodammodo necesse esse, ut sit hujusmodi *personalis reditus* Christi in gloria ad judicandum mundum secundùm sua promissa, ut maledici hi non animentur ad connumerandum eum cum istiusmodi Impostoribus quales erant *David Georgius* ac *Mahometes*, qui tametsi brevius spacium Sectatoribus suis præfixerint, nullus tamen antè de ipsis audietur nuncius quàm comparuerint ante ejus Tribunal, de quo loquimur.

2. Et quantùm ad eos, qui credunt personam Christi etiamnum subsistere, eúmq; modo tam miraculoso in hunc mundum esse genitum, tam gloriosè in monte transfiguratum, tam mirabiliter suscitatum è mortuis & modo deniq; tam conspicuo in cœlos ascendisse, duobus interim Angelis veste albâ indutis affirmantibus ad eos qui ipsum intuebantur, eum eodem planè modo quo ascendit rursùs esse reversurum, quid istuc obsecro magìs mirum est, ut reverà sic rursùs sit rediturus, quàm quæ hi agnoscunt de ipso jam verè enarrari? Et quàm consentaneum est ut suum in mundum Imperium principatúmq; retineat, cùm nemo quisquam sit qui tam carè emerit quàm ipse, acerbissimâ scilicet suâ *Morte* ac *Passione*? Et qui tam misericors est Mediator propter humanam suam Naturam, is eò æquior futurus est Judex. Finem verò aliquando futurum esse plenámq; cessationem generationis hominum in terris, id jam suprà, tantùm non demonstravi; quanquam profectò satìs sit ostendere nullam in ea re esse incongruitatem vel incompetentiam. Etenim illud sufficere debet ad inhibendos homines modestos ab investigando vel amplectendo hujusmodi nugatorias Allegorias, quibus Scripturarum Testimonia in Articulo tanti momenti quanti hic est, eludi possent.

Act. 1. v. 10.

Vide lib. 2. *cap.* 6. *sect.* 2.

3. Et quantùm ad eos qui majorem in modum Infideles sunt, & supradictam adventûs Christi descriptionem ad Judicium tanquam rem admodum improbabilem si non impossibilem considerant, equidem nihil est præterquam mera ipsius Atheismi socordia ac stupiditas quæ efficere potest, ut talia opinentur. Admisso enim semel,

Angelos

Angelos eſſe æquè ac Homines, glorioſi hujus Chriſti Adventus cum ſanctis Angelis admiſſu æquè facilis & naturalis eſt ac ingentis cujuſvis exercitûs Pompa Martia, magníve Conſeſſûs celebritas. Quòd verò Spiritus ſunt ſive Angeli, quódq; hominibus apparere poſſunt in qua Aëris regione ipſis libuerit, innumerabilia nobis exempla Hiſtoria ſufficit. Et quantum obſecro (quod ad miraculi rationem attinet) differt hic pompaticus Chriſti Adventus in nubibus ab illis præliorum ſimulachris ingentiúmq; exercituum congreſſibus in Aëre, quorum famâ omnia ferè ſecula omnéſq; Hiſtoriæ, tam ſacræ quàm prophanæ perſtrepunt? Armorum crepitus Tubarúmq; clangor de cœlo admodum frequenter auditus eſt, quemadmodum *Plinius* aliíq; Hiſtorici referunt. *Virgilius* & *Ovidius* has res commemorant verſibus ſanè prodigiorum ſolennitati congruentibus.

Armorum ſonitum toto Germania cælo
Audiit——*Georgic.* lib. 1.

Et *Ovidius* ſuper eodem argumento.

Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes
Terribiléſq; tubas auditáq; cornua cælo.

Adeò ut prædictio Apoſtoli de viſibili Chriſti Adventu ad Judicium, cœleſtibus copiis etiam comitantibus & Archangelo Tubâ ante eum canente, tantum abſit ut ſit impoſſibilis, ut aliquem ſaltem ad gradum menſurámq; jam in mundo extiterit, quanquam profectò ſtupenda illa prodigia infinitò minora ſint *Diei Judicii* gloriâ ac terrore.

4. Præterea, ſi res parvas magnis comparare liceat, ut certè licet, præſertim cùm analogia ſit tam perſpicua, Quodnam judicium particulare notabilémve vindictam immiſit Deus in mundum, quam ſenſibile Angelorum miniſterium non ſit antegreſſum? Copioſam hîc facere poſſim inductionem: Verùm ego me infra modum continebo. Ante vaſtantes peſtes belláq; quàm frequentes hæ ſunt apparitiones? Multorum primi generis mentionem facit *Cardanus*. Ante peſtem *Galarati* apparuit juveni cuidam, dum illuc nocte pluviâ equitabat, plauſtrum igni tectum, quod ei gradu quàm vellet citato equitanti, ſemper tamen erat ex adverſo. Ruſticorum etiam vocem audivit dicentium, *Cave, Cave.* Hoc ſpectrum eum comitatum eſt uſq; ad Templum S. *Laurentii*, quod extra oppidi portam ſitum erat. Ibíq; in terram ſubſidêre Plauſtrum, Boves, Ruſtici, Igníſq; ſimul. *De rerum varietate, lib. 14. cap. 69.*

Idem Author mentionem etiam facit mirabilioris Prodigii ante Peſtilentiam in *Peru*, ſuper ripas fluvii *Conſote* prope *Carthaginem*; ubi apparuit quibuſdam mulierculis ibi, ut mos erat, lavantibus, homo admodum proceræ ſtaturæ cum ventre diſſecto & exenterato, cúmq; duobus infantibus in brachiis ſuis. Hic ipſas alloquebatur, dixítq; omnes feminas Chriſtianas morituras eſſe, & maximam etiam ipſarum partem. Hoc ſpectrum cernebatur etiam equo inſidens in montium jugis, ventóq; celeriùs curſitans. Ingens peſtis ſubſecuta eſt, quæ univerſos ferè loci Incolas peremit. *Idem lib. 15. cap. 81.*

Illud etiam ex *Fincelio* admodum notabile eſt. Apparitio ſcilicet duodecim vel quindecim virorum in *Marchia*, ingentibus horrendíſq; ſtaturis, in Segete, falces manibus tenentium, magnóq; opere avenas demetentium, adeò ut ipſi falcium ictus diſtinctè ad multum ſpacium audirentur; cùm tamen intereà loci, nullæ avenæ deſectæ eſſent. Populus ipſis apprehendendis operam dedit, verùm illi celeriùs currebant quàm ut poſſent capi, & nihilominus demeſſioni ſegetis æquè ſedulò inſudârunt in fuga atq; antea. Graviſſima peſtis hoc etiam excepit Prodigium. His adjicere poſſim quod credibili auditione accepi de hujuſmodi rebus hîc in *Anglia* contingentibus. *Vide Henning. Grutii, Magic. de ſpectris, lib. 1. ſect. 124.*

5. Cæterùm progrediar potiùs ad alterum genus Prodigiorum quæ bella ſpectant. De quibus *Machiavellus* planè confitetur, quemadmodum & *Cardanus*, ante magnos rerum motus, Bella Urbiúmq; excidia, mira ſæpenumerò apparuiſſe prodigia; & particulatim præliorum ſimulachra in Aëre, qualia cernebantur ſupra *Aretium* ante adventum Regis *Galliæ* in *Italiam*, quemadmodum ipſe *Machiavellus* teſtificatur. Et *Cardanus* ulteriora etiam nobis ſufficit exempla, ut illud de *Mexico*, ante illius cladem, ubi conſimilia Prodigia contigerunt. Crux etiam viſa eſt à *Mexicanis* in Oriente, homóq; adeò proceræ ſtaturæ ut caput ejus cœlos attingere videretur, quod valde eos territabat. Scribit etiam de *Pictis* in *Anglia*, ante ipſorum interne- *Vide Machiavel. de Republica, lib. 1. cap. 56.* *Cardan. de Rerum varietate, lib. 15. cap 78.*

internecionem, spectatos fuisse igneos exercitus in Aëre contra se invicem præliantes, ínq; confiniis *Pictos* inter atq; *Scotos* auditum esse etiam meridie tantum armatorum Equitum strepitum se invicem incursantium, ut miseri Rustici vix mentis compotes essent præ consternatione Animi ac timore.

Vide Johan. Garib. de Phænomeniis, System. 2.

6. Illud etiam terribile erat Prodigium quod funestam illam præcessit *Antiochiæ* ruinam per terræ-motum. Spectatum est supra magnam illam civitatem *Spectrum* in aëre vastæ magnitudinis, habitu quidem muliebri, sed vultu horribili, adeò ut perterrefecerit omnes qui eum intuebantur, præsertim cùm flagellum vibrabat quod tenebat manu; tam sonori illius erant ictus ac tremendi. Hoc duravit per quindecim noctes continuas ab hora secunda usq; ad quartam mense Maii, Anno 349.

7. Verùm, nihil ad rem nostram magis accommodatum est quàm *Sodomæ* ac *Gomorrhæ* per ignem de cœlo subversio, quæ finalis mundi Conflagrationis compendiosa est repræsentatio. Ante enim vindictam de duabus illis impiis Civitatibus sumptam, tres Angeli Abrahamo apparuerunt, propositúmq; ipsi revelârunt. Duo itidem *Lotum* inviserunt, manúq; quasi vi prehensâ ipsum extraxerunt ex horrenda illa perditione.

8. Multa alia huc accumulare possim exempla, sed solâ adjectione unius illius maximéq; eminentis Instantiæ de Excidio *Hierosolymorum* contentus ero, ubi *invisibiles Potestates*, Angelos intelligo, inventæ sunt agere modo quidem *sensibili* admodum ac *palpabili*. Quod deprehenditur non solùm per flammantem illum gladium qui Civitati per integrum annum impendebat, & per subitaneum lumen, quod noctu circa Altare Templúmq; circumfulsit, adeò ut omnia splenderent ut in Die, pérq; spontaneam porrò apertionem Portæ Templi orientalis quæ tam gravis erat ac ponderosa (quippe quæ ex ære erat confecta) ut conjunctas viginti hominum vires ad eam claudendam requireret, (quibus adjicere potes vocem illam à sacerdotibus auditam dum noctu Templum ingrediebantur, tempore *Pentecostes*, Μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν, *emigremus hinc*) sed præcipuè, & quod maximè ad rem nostram facit, per illa ἅρματα καὶ φάλαγγας ἐνόπλους διαπτάσας τῶν νεφῶν, per *illos currus armatásq; militum Phalanges* quæ circùm circà in Aëre sub occasum Solis è nubibus exsilire cernebantur, & numerosis suis Turmis omnia loca implere. Quamobrem cùm hujusmodi particularia judicia cum visibili comitatu Angelorum Dei peracta sint, rem miram existimare poterimus, si, tunc cùm universum orbem judicaturus est, majori solito cum gloria in cœlestibus copiis sit appariturus, millies mille ipsi ministrantibus & centies millies mille stantibus coram eo, prout loquitur Propheta? Quod vaticinium, quamvìs ad breviores Temporis Periodos fortean referri possit, illius tamen plenissima procul dubiò maximéq; propria completio in ultimo futura est judicio.

Joseph. de Bello Judaico, lib. 7. cap. 12.

Dan. 7.

CAP. III.

1. Resurrectionem Mortuorum, *quò magis rigidè definitur juxtáq; singulas Circumstantias minutiásq; à Theologis traditas, eò magis gratam fore auribus Atheorum.* 2. *Quòd valde verisimile est Resurrectionem* notione scholasticâ *sumptam magnum illum fuisse lapidem offendiculi duobus illis Enthusiastis* Delphiæ & Amstelodami, *eósq; exstimulâsse ad vertendum totum Evangelium in Allegoriam.* 3. *Incurabilis* Enthusiastarum *conditio.* 4. *Atheorum Objectio prima contra* Resurrectionem scholasticam *proposita.* 5. *Secunda Objectio.* 6. *Tertia & ultima Objectio.* 7. *Ipsorum Objectiones absolutam Impossibilitatem* Resurrectionis scholasticæ *minimè demonstrare; cum Autoris proposito ipsis respondendi juxta alias Rationes.*

1. VEnimus nunc ad secundam rem propositam, *Resurrectionem* scilicet *mortuorum*, ad quam ausim dicere Atheum aures arrecturum majori solito attentione, avidéq; doctrinam imbibiturum modò proponatur cum circumstantiis maximè curiosis quibus vel rigidissimi Theologorum eam volunt describi; & præcipuè his duabus, Quòd utiq; habituri simus eadem *numero* corpora in quibus hîc viximus in terris; Quódq; illa ipsa corpora humo hàc illàc disjectâ exsultura sint è sepulchris. Hanc doctrinam Atheus oppidò quàm suaviter amplectitur, tanquam pignus, prout is nimiùm præfidenter opinatur, falsitatis vanitatísq; reliquorum omnium articulorum Religionis Christianæ. Quamobrem dum summum Christianitatis scopum adeò citra

citra rationem esse imaginatur atq; incredibilem, sub bello hoc prætextu, toto se statim onere liberat, integréq; seipsum dedit præsentis vitæ voluptatibus.

2. Nullúsq; dubito quin hic sit magnus ille lapis offendiculi in quem duo illi cæci Enthusiastæ, *Delphiæ* & *Amstelodami* (de quibus toties locutus sum) impegerunt & illiserunt seipsos, scopulus per quem fidei suæ fecerunt Naufragium; *Resurrectionem* vertendo *extremúmq;* *Judicium* in *Allegoriam* merè *Moralem*, ultimámq; opinando Tubam ipsorum esse Doctrinam, Christúmq; in ipsis venisse ad judicandum vivos & mortuos; & beatam deniq; Resurrectionem tantopere celebratam & expectatam tamdiu, nihil aliud esse quàm in eandem vitam suscitari ac fidem cum his Fanaticis; nam sic eos appellare oportet; Lubentérq; eos rogare volo quid significetur per Resurrectionem *injustorum* si hæc sit *justorum* Resurrectio? Vel si hæc *ad vitam* Resurrectio sit, quid significetur per *Resurrectionem ad condemnationem?*

3. Sed enimvero vix consentaneum est quæstiones ullas *Enthusiastis* proponere, utpote qui, sub prætextu Inspirationis, rationis usui nuntium remiserunt, obstinatósq; Imaginationis propriæ conceptus pro certis & indubitatis Revelationibus imperiosè mundo dictant. Ac proinde hac ratione minor de illis spes est quàm de ipsis Atheis, qui proponendo suas objectiones occasionem hominibus præbent inveniendi responsum. Verùm ubi homines magno cum fastu ac supercilio veritatem negant sub obtentu Spiritûs, nulla redditâ ratione, hæc ignorantia vel potiùs insania omnino est incurabilis.

4. Relinquentes igitur hujusmodi homines plenæ perfruitioni propriarum Imaginationum, Atheorum objectiones audiamus contra hunc Articulum sic propositum quemadmodum suprà definitum est. Sunt autem præcipuè tres.

Prima est contra *Numericam Identitatem* corporum nostrorum in Resurrectione. *Objectio prima.* Quippe quòd *Anthropophagi*, inquiunt illi, sive *Cannibales* perpetuò carne humanâ nutriuntur, quin & inter sese alteri alteros devorant. Ut maximam igitur contra hanc Assertionem Instantiam proferamus: Quomodo is homo inquiunt illi, qui ferè perpetuò carne humanâ cibatus est tandémq; ipse hominibus fit cibus, idem habere potest corpus in Resurrectione? Relinquetur enim æquè carne nudatus atq; cornix erat plumis, postquam aves rostris evulsas sibi singulæ abstulissent quas ad se nôrunt pertinere. Ut taceam periculum perdendi propriam suam carnem, (si quam habet carnem de proprio) ex eo quòd ipse devoratus sit ac digestus in corpora ac carnes aliorum.

5. Secunda Objectio dirigitur contra humanorum corporum suscitationem ex ip- *Objectio secunda.* sorum sepulchris. Atq; sic se habet: Hoc supponit, inquiunt illi, omnes homines sepultos esse, cùm tamen Myriades in mari suffocatæ sint, & à piscibus devoratæ. Præterea infiniti Numeri, qui juxta consuetum gentis suæ morem sepulti sint, habuerunt tamen non nisi multesimam corporum suorum partem terræ commissam; pauxillos scilicet cineres in urna, reliquo corpore, in ipsa concremationе super pyram, in aërem exhalante. Quod quodammodo etiam contingit in eis qui sepeliuntur in Terra. Corpus enim ibi putrefit, & colliquatur in fumos ac vapores, quos calor Solis exhaurit elicítq; in Aërem. Pars fortassis in Herbarum germina insumitur, quæ aut super terram putrefiunt, aut depascuntur equis, quibus honesta in sortem non cedunt funera, sed in apricis campis putrescentes jacent, aut ab aliis devorantur Animalibus quæ tandem istoc modo putrefiunt. Adeò ut anima, si corpus suum quæsitum iret, certiorem fortean nuncium de eo acceptura esset in Aëre quàm in terra. Tam incredibile est ut circumscriptum custodiatur in tam angusta Terræ parte quàm est sepulchrum.

6. Postremò, ut ipsum jugulum causæ concidant, ipsa Principia enervare conan- *Objectio ultima.* tur, profundissimáq; hujus assertionis de *Identitate corporum* in *Resurrectione* subvertere fundamenta; objiciendo, ipsum finem illius implicare contradictionem. Etenim cùm ea ipsa sit ratio, ut corpus utiq; quod particeps erat illegitimarum voluptatum vel laudabilium vigiliarum ac laborum animæ, pœnas etiam illius vel præmia participaret, hîc illi urgent, corpus non esse *idem numero* corpus per totam hominis vitam, non certè magis quàm fluvius idem fluvius est; sed consumi & instaurari, præsentésq; spiritus, sanguinem & carnem transitu ferri, πολαμῦ δίκην, ut loquitur *Heraclitus*, nováq; indies per cibum fieri supplementa. Nósq; propterea *idem numero corpus* non habere magis quàm eadem numero vestimenta, sed vetera utrobiq; obteri, & acquiri nova; Verùm in vestimentis semel, gradatim in corporibus. Quamobrem tanto studio contendere, ut suscitetur *idem numero* corpus quod sepultum est, ídq; justitiæ gratiâ, est profectò, inquiunt illi, contendere ut quanta maxima

maxima poteſt fiat Injuſtitia. Etenim hoc pacto Senis corpus punietur propter peccata illius corporis quod habuit in Juventute.

7. Hæc horúmq; ſimilia ſunt argumenta eorum qui religionem ſubvertere volunt ex hac bella occaſione quemadmodum illi exiſtimant, éſtq; aliquid quò collineant, quod ad aliqualis incongruitatis & incredibilitatis detectionem in hac materia tendere videatur; ſumma verò rei numeros omnes perfectæ impoſſibilitatis non explet. Mihi autem tantilli videtur momenti, ut eos reſponſo nunc, ſub illis rationibus iſtáq; Hypotheſi cui illi inſiſtunt, non ſim dignaturus. Paulò altiùs volatum capeſſam, ut *dum via ſurſum ſit*, quod ait Sapiens, *immunis ſim à laqueis deorſum.*

Id verò quod reſpondeo intelligi volo dictum ad Atheum & Infidelem, permittens aliis qui ſubſtantiam jam credunt, imaginationes ſuas ac circumſtantias variare prout ipſis libuerit. Quantùm verò ad hos alteros, rigidè profectò me oportet ac cuſtoditè cum ipſis tranſigere, nec nimis longum ſyrma trahere ne ipſi illud calcibus premant.

CAP. IV.

1. *Reſponſum ad primam & ultimam Cavillationem è principiis Scholæ* Platonicæ, Animam *ſcilicet* Hominem *eſſe, Corpúſq; nihil percipere.* 2. *Reſponſum ad ſecundam, rectè interpretando quid ſignificetur per ſuſcitationem è ſepulchro in generali ipſius notione.* 3. *Quòd nullum argumentum eſt è Scriptura pro* eodem Numero *corpore, ſed potiùs contrá.* 4. *Athcorum Objectio à voce* Reſurrectio *deſumpta, diluitur, vocíſq; ſenſus explicatur tum* Hebraicæ *tum* Græcæ. 5. תקומה & תחיה *quid ſignificent in generali illo ſenſu qui applicari poteſt tam ad* Injuſtorum *Reſurrectionem quàm* Juſtorum.

Reſponſ. ad objectionem primam & ultimam.

1. REſpondeo igitur primò, juxta ſententiam præſtantiſſimi generis Philoſophorum, quòd, *Animus cujuſq; is eſt quiſque*, itémq; quòd Νῦς ἑκάστε ἄνθρωπος. Solum animum eſſe qui audit, qui videt, quíq; voluptatibus fruitur, ac cruciatur doloribus. Corpus verò nihil omnino percipere, non certè magis quàm Tunicam hominis verberibus ornatam. Atq; hoc ſanè Reſponſum primæ ultimæq; Cavillationi omnem occaſionem præſcindit. Cur enim ſoliciti ſunt homines de *eodem numero* corpore, niſi quòd certi eſſe volunt ſeſe eaſdem numero eſſe Perſonas? Cùm verò certiſſimum ſit nullam eſſe ſtabilem Hominis Perſonalitatem præterquam quæ in ipſius ſit Anima (nam ſi corpus *Numericæ huic Identitati* eſſentiale eſſet, homo adultus non eandem haberet *Individuationem* quam habuit quando baptizatus eſt) manifeſtum eſt ſi eadem ſit anima, eandem omnimodè eum eſſe perſonam, mutationémq; corporis differentiam *Perſonalitatis* magis realem non efficere quàm facit mutatio veſtimentorum. Et curnam homines tantoperè contendunt, ut *idem numero* corpus præmiorum Animæ pœnarúmq; fiat particeps, niſi quòd corpus imaginantur voluptatis doloríſq; capax? Sed enimverò turpiſſimè errant per Naturæ rerum imperitiam, cùm corpus nullius omnino capax ſit ſenſûs, & cogitationis; quemadmodum non ſolùm optimi è *Platonicis*, ſed & præſtantiſſimus ille Philoſophus *Carteſius* definivit, abundéq; demonſtratur in Tractatu meo * de *Animæ Immortalitate.*

* *Vide lib. 2. cap. 2, 4, 5, 6.*

Reſponſ. ad objectionem ſecundam.

2. Hoc igitur evicto, Reſpondeo porrò ad ſecundam Cavillationem de Reſuſcitatione hominum ex ipſis ſepulchris in quæ erant conditi; Locutionem ſcilicet ſolummodò Propheticam eſſe & Symbolicam (quanquam non diffiteor quin ad literam id quibuſdam poſſit contingere) nihilq; ampliùs ſignificare quàm ſic. Quòd utiq; iidem homines qui moriuntur ac ſepeliuntur, in propriis ſuis perſonis æquè verè appariturí ſunt in die Judicii, atq; ſi illa ipſa corpora quæ humo mandabantur ſtatim à ſuis animabus rurſus fuiſſent actuata, éq; ſuis ſepulchris exſiliiſſent: & ut Inſtantiam proferam, erunt æquè verè eædem perſonæ atq; erat *Lazarus* quando ſurrexit corpore ſimul atq; Animâ è ſepulchro. Univerſalis verò illa Locutio de Reſuſcitatione hominum è ſepulchris, non eſt niſi Propheticum Schema ſermonis ad ſenſus noſtros fortiùs feriendos, quemadmodum ſuprà notavi in Expoſitione Capitis 15. primæ Epiſtolæ ad *Corinthios*, contra *Pſychopannychitas*. Et propterea quantò major ſit abſurditatum accumulatio contra illam Circumſtantiam, tantò magis, utilem illam noſtram Interpretationem confirmabit.

Vide lib. 1. cap. 6. ſect. 3.

3. Has

3. Has ſuppetias contra Atheos attulit Philoſophia. Sed reſpondeo porrò quantùm ad ipſam Scripturam (quæ ſola certa eſt veritatis Religionis noſtræ menſura, cujúſq; ſolius ſententiæ auſim ſtare, minimè exiſtimans me teneri ad quamlibet probandam Opinionem, quàm ſuperbia, præcipitantia, incuria ignorantiáve Doctorum fallibilium mundo obſtruſerit) quòd utiq; Atheos auſim provocare ad producendum ullum locum Scripturæ ex quo evincere poſſint Myſterium *Reſurrectionis* ejuſdem *numero* corporis Reſuſcitationem involvere. Locus omnium accommodatiſſimus videtur ille Job. 19. Quem, quâ jam ſunt peritiâ recentiores Interpretes, de Reſurrectione omnino non intelligunt. Caput verò decimum quintum primæ ad *Corinthios* tantum abeſt ut hanc curioſitatem aſſerat, ut è contrà manifeſtò definiat non eſſe idem corpus, ſed, *quemadmodum Deus frumentorum calamis grana dat prorſus diſtincta ab eo quod ſatum eſt*, ità in Reſurrectione daturum eſſe animæ corpus omnino differens ab eo quod ſepultum eſt. Jam verò ſi non ſit idem corpus, quid opus eſt ut recondat ſe in terram ut rurſus indè exeat? Quamobrem manifeſtum eſt Apoſtolum, prout ſuprà dixi, ſtylo illìc *Prophetico* ſcribere ac *Symbolico*.

4. Verùm Atheus adhuc inſtabit ulteriúſq; objiciet, Quòd ipſa vox *Reſurrectio* innuit idem corpus eſſe reſurrecturum. Id enim ſolum quod *cecidit* propriè dici poteſt *reſurgere*. Sed præfacilis eſt Reſponſio, cùm Objectio fundetur ſolummodò in ignorantia ſignificationis vocabuli quod interpretari debemus ex linguis Originalibus *Græcâ* ac *Hebraicâ*, non autem è *Latina*; quanquam nec vox *Latina* ſemper ſupponit Individualem Reſtitutionem illius rei quæ cecidiſſe dicitur vel periiſſe ut in verſu illo *Ovidiano*,

Victa tamen vinces ſubverſáq; Troja reſurges.

Hoc verò non tam propè ad noſtrum propoſitum accedit. Conſideremus potiùs Græcam vocem ἀνάϛασις cujus vices *Latinè* ſupplet *Reſurrectio*, ac proinde æquè lato ſenſu accipi debet atq; illa. Jam verò ἀνάϛασις tantum abeſt ut ſignificet, aliquibus in locis, *Reproductionem* vel recuperationem ejuſdem rei quæ antea extitit, ut nullum omnino *Reiterationis* ſenſum præ ſe ferat. Ut Matth. 22. 24. ϰ ἀναϛήσει ϲπέρμα τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ. Et Geneſ. 7. illìc ἐξανάϛασις & ἀνάϛημα ſignificant ſolummodò *ſubſtantiam viventem*. Ac proinde ἀνάϛασις ſignificatione activâ ſecundùm hunc ſenſum nihil aliud erit quàm donatio vel continuatio vitæ vel ſubſiſtentiæ alicui rei. Vox *Hebraica* quæ reſpondet voci ἀνάϛημα eſt יקום, quam Interpretes reddunt *ſubſtantiam viventem*. Unde תקומה juxta hanc Analogiam optimo jure habere poteſt eandem ſenſûs latitudinem quam תחיה, cùm utræq; voces ſint quæ redduntur per vocem *Reſurrectio*. Verùm abſolutè ac per ſe ſignificant ſolummodò *vivificationem* vel *erectionem in vitam*, vel quòd quippiam fiat *Creatura vivens*.

Veruntamen, cùm homines Creaturæ ſint quæ aliquando vixerunt rurſúſq; aliquando ſint vivificandæ, faciendæq; ſenſibilia ac viſibilia ἀναϛήματα in die Judicii, idcirco תקומה & תחיה plerumq; exponuntur per vocem [Revivificatio], atq; ἔγερϛις & ἀνάϛασις in hujuſmodi ſenſu intelliguntur qui vitæ *recuperationem* innuat.

5. Jam verò *Judæorum* Doctores, quemadmodum notavit *Buxtorfius*, inter has duas voces admodum Criticè diſtinguunt, addicentes vocem תחיה ſignificandæ *Reſurrectioni Juſtorum*, alteram verò *Impiorum Revivificationi*, quanquam iterum aliquando eaſdem voces confundunt. Id verò quod maximè ad noſtrum propoſitum fecerit, eſt notare, in qua ſignificatione harum vocum, ipſa res ſignificata *Injuſtis* pariter competat atq; *Juſtis*. Atq; equidem quantum ego exiſtimare poſſum, illud ipſum eſt quod *Paulus* Apoſtolus enarrat, 2 Cor. 5. 10. *Nam nobis omnibus comparendum eſt ante Chriſti Tribunal, ut ferat quiſq; præmium ejus quod in corpore fecerit, ſive boni ſive mali.* Cæterùm tam impii quàm juſti etiam antequam ſic compareant, reverà vitam habent ac exiſtentiam, quanquam, quantùm ad nos, ἐν ἄδῃ ſunt, *mortui*, *diſparentes*, & *inviſibiles*. Πάντες δὲ θεῷ ζῶσιν, Luc. 20. *Omnes verò vivi ſunt* ac viſibiles *Deo*; etiam mali æquè atq; boni. Quamobrem *Reſurrectio* ſive *Revivificatio* (nihil amplius enim illud vocabulum ſignificat) quæ utriſq; ſit communis, hæc eſt: Quòd ſcilicet palpabilia ac viſibilia fiant ἀναϛήματα compareántq; in generali illo *Conſeſſu* in ultimo Die. Tunc enim univerſus Mundus boni pariter atq; mali non ſolùm vivi erunt Deo, ſed etiam ſibi invicem vivi ac viſibiles. Atq; hæc eſt illa ἀνάϛασις ſive *Revivificatio* quæ omnibus eſt communis. Quódq; hæc ſententia ſolida ſit vel hinc apparere poteſt, quòd *Lucas* dicendo, *omnes enim vivunt Deo*, planè innuit reſpectu noſtri eoſdem eſſe mortuos. Quamobrem quatenus *mortui* eſſe dicuntur, eatenus dici poſſunt *revivificari* vel *ſuſcitari è mortuis*;

quod de animabus humanis dicitur fieri per *artem Magicam*, propterea quòd coguntur *apparere*. Diabolus verò non dicitur suscitari è mortuis quia nunquam propriè dici potuit vivus fuisse inter nos, vel inter nos vixisse.

CAP. V.

1. *Objectio contra Resurrectionem ab Activitate Animæ extra corpus cum Responso primo.* 2. *Secundum Responsum.* 3. *Speciales significationes vocum* תקומה & תחיה *quarum prima ad* Injustos, *altera ad* Justos *pertinet.* 4. *Vitam quæ in terra degitur vel in hac inferiori Aëris Regione, verius mortem dici posse quàm vitam.* 5. *Modus recuperandi corpora cœlestia in Die novissimo.* 6. *De Completione Promissi Christi ea in re.*

1. PRogredi porrò jam deberem, nisi quòd hîc, nec invitus quidem interpellandus sim unâ adhuc Objectione, quæ hæc est: Si humanæ Animæ vivunt agúntq; extra sua corpora ante Resurrectionem, quid opus est ullâ corporis Resurrectione? Ecqua enim necessitas esse potest ullorum omnino corporum si ipsorum Animæ vivunt agúntq; absq; eis? Sed respondeo,

Primò, Quòd certitudine prorsus infallibili certi esse non possumus, quin Animæ tam bonorum quàm malorum post mortem *aëreo* utantur *corpore*, in quo si qua fides sit Historiis, apparuerunt aliquando post discessum ex hac vita. Quódq; agere possint in his *aëreis vehiculis*, cogitare & intelligere æquè commodè atq; alii Spiritus, non est omnino incredibile nec impossibile, cùm facultates humanæ Animæ nihilo sint inferiores facultatibus quorundam ordinum Spirituum; quippe qui tam perspicuam rerum intelligentiam non habent quin judiciis & opinionibus inter se dividantur. Siquidem alii hujus Sectæ Philosophorum sunt, alii illius, quemadmodum isti qui Patri *Cardani* apparuerunt seipsos professi sunt *Avenroistas*.

Vide Tract. de Immortalitate Animæ, lib. 3. cap. 17.

2. Verùm secundò, si concederemus animas defunctorum omni omnino corpore spoliari, & posse nihilominùs agere, meritò tamen concipere possumus, id quod adeò intimam aliquando unionem cum crassissimis corporum habuit, habere certè semper admodum vehementem propensionem, complacentiam naturalem, essentialémve aptitudinem ad conjunctionem cum aliquo saltem corpore. Quam quidem vim sive facultatem, quanquam pro certo affirmare non possumus adeò inflammabilem esse, ut anima nunquam non in vitalem unionem cum aliquo genere vehiculi excitetur, tutò tamen possimus pronunciare, quoties naturali illi capacitati satisfit, majorem animæ accedere perfectionem, majorémq; gaudiorum vigorem: quandoquidem operationes illius indè fiunt magìs sensibiles & vividæ. Ac proinde ingens illud *Cœlestis*, *Ætherei*, *Immortalisve* corporis præmium, quod nobis donabitur novissimo Die, quàm maximi profectò est momenti ad perficiendam felicitatem Animarum fidelium, sive eas supponamus interim absq; corporibus vivere, sive vivas esse in vehiculis solummodò aëreis. Quarum posterior, si ad stirpem usq; excutiatur, maximè irreprehensibilis apparebit opinio, miniméq; hominum contradicentium cavillationibus obnoxia. Utra verò harum magìs vera sit, viris gravibus ac sapientibus determinandum relinquo.

Ibid. lib. 3. cap. 1.

3. Hoc offendiculo è via submoto, progrediemur jam ad speciales significationes vocum תקומה & תחיה. Quarum prior dicitur ἀνάστασις κείσεως, *Resurrectio ad condemnationem*; Posterior ἀνάστασις ζωῆς, ἀνάστασις δικαίων & simpliciter ἀνάστασις, *Resurrectio vitæ*, *Resurrectio Justorum*, & simpliciter *Resurrectio*, quemadmodum fit 1 Cor. 15. & alibi. Quamobrem תקומה sive ἀνάστασις quatenùs ad impios pertinet, nullum ulteriorem habet sensum *Revivificationis* quàm juxta generalem illam rationem quam explicavimus; ἀναστάσεως κείσεως, *Resurrectione ad condemnationem* innuente tantùm quòd resuscitandi sunt, cogendíq; die hoc generalium Citationum, ad audiendam illam æternæ mortis sententiam, comparere, *Facessite à me execrabiles in Ignem perpetuum, Diabolo ejúsq; Angelis paratum.* Cæterùm תחיה prout propriè ad *justorum Resurrectionem* refertur, vocatúrq; ἀνάστασις ζωῆς, ulteriorem in se includit magisq; particularem *Revivificationem*; in eam utiq; vitam quam *primo lapsu* perdidimus, in vitam illam *Paradisiacam*, in *Ætheream cœlestémq;* vitam quæ recuperari non potest nisi recuperando cœlestia illa ac glorificata corpora quæ Christus nobis datum iri promisit in suo Adventu.

4. Nam

4. Nam fæculenta hæc Tellus & vaporibus pollutus Aër quæ ipſa regio eſt mortis, ubi omnes voluptates, gaudia ac triumphi hujus præſentis vitæ à rictûs riſúſq; Lemurum Choreæq; mortuorum imagine non multùm abludunt, hæc impura, inquam, elementa nullum tam commodum ſufficere poſſunt Animæ habitaculum, ut vel minimum quicquam appropinquare queat ad perfectionem illius Felicitatis quam poſſeſſura eſt, cùm Chriſto viſum fuerit noſtra hæc vilia corpora in glorioſi ſui corporis ſimilitudinem mutare, atq; ſic nos reſtituere ad fruitionem *cœleſtis* illius vitæ quam nos infeliciter primo noſtro lapſu perdidimus. Ad quem finem Chriſtus in mundum venit, quemadmodum ipſe profitetur Johan. 6. v. 40. *Hæc eſt ejus qui me miſit voluntas, ut quiſquis Filium videt in eúmq; credit, vitam adipiſcatur æternam, & ego illum ultimo Die exſuſcitem.*

5. Atq; ſic proculdubio erit in Adventu illius ad judicium, ut illi utiq; qui tunc eum vident firmitérq; in eum credunt, ardenter amant vehementérq; exoptant illius adventum, inventuri ſint in ſeipſis tam vivam calidámq; motionem, partim per glorioſum acceſſum illius perſonæ numeroſíq; ejus comitatûs, partim per mirabiles ſecretáſq; *Divinæ Præſentiæ* operationes in ipſa corpora juxtà atq; Animas emanantes, ut Fides accenſa erit tam irreſiſtibilis, tam exultabundum Gaudium, Animúmq; mirificè raptans Amor, ut erumpentes ſimul in corpus & in ipſum inundantes, totum cujuſmodicunq; ſit, in flammam puram ac ætheream ſint converſuri. Atq; ſic in cœleſtibus his curriculis *Eliæ* inſtar in cœlos aſcendent ad Chriſtum, obviámq; illi ibunt in Aëre, jungéntq; ſe cum illius copiis quócunq; ſe promoverint, & qui tunc facti erunt ἰσάγγελοι, vehiculis ipſorum per virtutem ac potentiam Chriſti, ejúſq; Divinitatis operationem, in puram, Paradiſiacam, Angelicámq; naturam transformatis.

6. Atq; ſic promiſſum ſuum implebit *exſuſcitandi* nos noviſſimo Die, eò quòd ad hunc modum nos revivificat reſtituítq; ad eam vitam & gaudium quibus exciderамus, quòd in eam gloriam rurſus nos collocat quam in nobiſmet ipſis deleveramus extinxeramúſq; in opacis his noſtris corporibus, quódq; ad priſtinum illum felicitatis ſtatum nos evehit, ac Paradiſum ſuperiorem, in quam ingredi iterum ac poſſidere non poſſumus niſi evadendo in ſolidum *Ætherei* ac *Cœleſtes*.

CAP. VI.

1. *Reſurrectionis Myſterium ab omnibus objectionibus tum* Atheorum *tum* Enthuſiaſtarum *ſe liberâſſe.* 2. *Animam fruitionis cœleſtis corporis non eſſe incapacem.* 3. *Idq; ſummum maximéq; congruum eſſe præmium quo illa donari poſſit.* 4. *Nec donum hoc majus eſſe quàm quod Chriſtus poſſit tribuere demonſtratum ex eis quæ fecit cùm eſſet in terris.* 5. *Omne judicium illi commiſſum eſſe à Patre.* 6. *Plura Argumenta ad eundem ſenſum.* 7. *Quouſq; ſua* Reſurrectionis *defenſio ſe extendat.*

1. ATque nunc ſanè ſpero me Myſterium *Reſurrectionis* ab omnibus quibus involvebatur præjudiciis putatitiiſq; difficultatibus adeò extricâſſe, ut univerſum mundum tutò ad certamen provocare poſſim, *Atheum*, *Infidelem*, rerúmq; novarum affectatorem *Enthuſiaſten*, ſi ullam formare poſſunt contra ipſum objectionem quam cum ratione poſſint adhibere, quæq; non ſit obſtinatum ſolummodò cæcorum ſtupidorúmq; ſuorum Intellectuum dictamen.

2. Nam pretioſa hæc Immortalitatis corona quâ Chriſtus tunc nos coronabit, nec ſupra ipſius poteſtatem eſt, quò minùs eam nobis daturus ſit, nec ſupra capacitatem noſtram, quò minùs eam nos ſimus recepturi. Etenim tentamina, Alarúmq; ut ità dicam, eluctantium evibratiunculæ in facultatibus Animæ humanæ, etiam in hoc mortis ac incarcerationis ſtatu, quantumvis præpeditæ, tales tamen ſunt, támq; nobiles ac Divinæ, tum in ſpeculationibus tum in affectibus piis, præſertim cùm ſpiritus noſtri plus ſolito puri ſunt propiúſq; ad defæcationis genus quoddam æthereum accedunt, ut illi qui harum rerum experientiam habuerint, diffidere quidem non poſſint, quin ſi Angelici corporis adjumentum haberet Animal, ipſius operationes nihilo eorum operationibus inferiores eſſent futuræ. Quæ & demonſtratio eſt illam æquè capacem eſſe hujuſmodi corporum atq; illi ſunt; & dignitatis inſuper ac valoris, aptitudiníſq; ac congruitatis hujus tam ampli præmii non obſcurum argumentum.

3. Ipsa enim Philosophia testificari potest, quòd pro majori spirituum puritate motus passionésq; animi mutantur, fiúntq; magìs sancti ac Divini, cogitata nostra ac conceptus magìs clari, Amor erga Deum ardens magìs ac sincerus, Benevolentia erga homines magìs libera ac generalis, omnésq; Animæ facultates in præcinctu magis ad obtemperandum præstantissimis quibusq; præceptis ac suggestionibus Rationis ac Religionis. Quàm immensi igitur momenti est hujusmodi habere corpus quod non solùm perpetuò consensurum sit cum optimis animæ motionibus, sed virtute cœlestis suæ puritatis mentem naturaliter ad ejusmodi cogitata, motiones & affectus, qui Deo maximè accepti sint, ipsámq; animam maximè oblectent, inclinaturum? Quæ consideratio sublimem illam Rationem quæ in Religione nostra reconditur, evidenter demonstrat: In hoc utiq; glorificati corporis promisso, tanquam maximi præmii vehementissimarum nostrarum colluctationum, obedientiæ ac laborum in hac vita. Nihil enim præterquam Divina Inspiratio aut aliqua infallibilis Philosophiæ Methodus humanæ menti unquam detegere potuit tam immensi momenti Mysterium.

4. Verùm, dubitare an Christus nos vestire possit hujusmodi corporibus, totúmve hominem, in quibuscunq; corporibus inventi erimus, in illam Immortalitatem atq; vitam, quæ nobis in transformatione vilium nostrorum corporum in ejus glorioſi corporis similitudinem accidit, vivificare; est certè aut oblivisci aut non credere quantam is habuerit potestatem quando in terris erat. Quomodo per solum suum verbum, æstum maris tranquillaverit, tempestatésq; ac ventos jusserit silere; quomodo panes paucos paucósq; pisces ità inter edendum multiplicaverit, ut multa hominum millia eis saturaret in Deserto; Quod insigne erat specimen potestatis transformandi materiam in quamcunq; modificationem ipsi liberet. Ut præteream ægrorum curationes, non eorum solùm qui præsentes erant & in eum crediderunt, sed etiam absentium. Quibus potes addere suscitationem mortuorum, quod propiùs ad propositum nostrum accedit, utì & eorum Resurrectionem qui cum ipso surrexerunt, ad significandum vivificam virtutem *illius* qui & ipse per miraculum surrexit è sepulchro.

5. Per quæ mirabilia opera planè demonstravit illud verum esse quod de seipso profeſſus est, *Sicut enim Pater habet vitam in seipso, sic dedit & filio vitam habere in seipso*; hoc est, potestatem vivificandi, exsuscitandíq; à mortuis. Quemadmodum videre licet ex contextu Johan. 5. v. 26. Nec id solum, sed dedit etiam illi potestatem puniendi, æquè ac remunerandi, quemadmodum sequitur versu proximo, *Eiq; autoritatem dedit etiam judicium exercendi quoniam filius hominis est.* Ille utiq; filius hominis, qui post *Passionem* suam, *Resurrectionémq;* è mortuis omnem omnino potestatem habiturus erat sibi traditam sive in Cœlis sive in Terra. Quod à nobis facilè credi debet, quandoquidem tam immensam habuit virtutem etiam in infimo suæ *humiliationis* gradu, quando ultrò citróq; ambulavit, afflictus, despectus, & neglectus, comitatus solummodò paucis contemptibilibus piscatoribus, aliísq; hujusmodi infimæ conditionis homuncionibus, & tamen etiam tunc eorum oculos aperuit, qui nati erant cæci, & ad distantiam ægros sanavit; nulláq; adjutus suffultúsve visibili pompâ vel potestate, uno oris sui verbulo integram fugavit Diabolorum legionem simul. Quid igitur ille non facturus est quando rediverit in maxima gloria quâ *visibilis Divinitas* potest apparere? Quando cœli implebuntur copiarum suarum claritate, omnésq; mundi nationes attonitæ stabunt ad tremendum adventûs ejus splendorem.

Vide Tract. de Animæ Immortal. lib. 3. c. 18. sect. 15.

6. Annon ille igitur, qui in abjectissimo suo statu, ad vitam revocare potuit fide sensúq; cassum corpus, eos poterit vivificare qui in glorioso illius adventu adeò implentur Fide, Amore, Gaudio, Desiderio & Admiratione, ut affectuosæ ipsorum Animæ propria sua corpora, si fieri possit, relinquere gestiant, ut accedant propiùs suúmq; homagium præstent suo tamdiu expectato Servatori & Redemptori? Annon Divina illa ac omnipotens potentia circùm circà ab ipso emanans, ità tunc cooperabitur cum inflammatis illis affectibus, ut ipsa corpora eorum excitatura sit in facultatem naturaliter ascendendi ad ipsum, ac sese cum ipso conjungendi? Erítve illi, obsecro, difficile carnem Aërémve in purum ignem atq; ætherem convertere, & ejusmodi facultatem in Anima expergefacere quæ eum naturaliter possit vitalitérq; actuare, qui Aërem mutavit in carnem, defunctúmq; Lazari cadaver tam aptè præparavit ad reunitionem cum Anima, ut quarto pòst die quàm sepultus erat, è sepulchro eum suscitaret? Quamobrem hæc *Resurrectio*, *Vita* & *Immortalitas* de qua loquimur, cùm nec potestatem Christi excedat, quò minùs eam nobis daret, nec natura nostra illius sit incapax, restat ut pro certo concludamus eâ nos aliquando perfruituros,

fruituros, utpote quam Chriſtus & per ſeipſum & per Apoſtolos ſuos tam clarè nobis expreſſéq; promiſit.

7. Atq; hæc ſanè ſufficiant ad defenſionem Doctrinæ *Reſurrectionis* adversùs *Atheos* & *Infideles*, quatenus ſacrâ Scripturâ tribúſq; Symbolis continetur. Cum quibus apertè affirmo *idem corpus* reſurrecturum, nóſq; tunc fore æquè realiter & ad ſenſus noſtros, & ad alienos, eaſdem perſonas corpore juxtà ac Animâ, atq; eramus in hac vita. Scholaſticam verò *ejuſdem numeri corporis* notionem ſciens prudénſq; declinavi, quòd ſit extra præſentis noſtri Inſtituti ſcopum; non quòd eam impoſſibilem judicarem, utì ſuprà obiter monui. Addóq; præterea, me minimè difficile putare è natura nutritionis penitiùs cognita & perſpecta, ut planè quis demonſtret etiam in ipſis *Anthropophagis*, qui à pueritia ad extremam uſq; ſenectutem humanâ carne veſcuntur, ſat tamen materiæ ſupereſſe poſſe ex eo corpore, quod quiſq; eorum in vita ſua geſtaverit, à carne humana quâ quotidie nutriti ſunt diſtinctæ, ad concinnandum cuiq; corpus in Reſurrectione ex *eiſdem numero Atomis* quibuſcum ſinguli in hoc ſtatu vitaliter erant uniti. Cæterùm quod dixi, hoc planè extra propoſitum meum erat, qui *Fidem Chriſtianam* non *opiniones hominum*, in hoc Tractatu defendendum ſuſcepi.

CAP. VII.

1. Cæcilii *contra* Reſurrectionem *mundiq;* Conflagrationem *Dicteria. Ad illa contra* Reſurrectionem *jam reſponſum eſſe.* 2. *In quo ſenſu Chriſtiani magìs ſobrii intellexerint mundi* Conflagrationem. 3. Conflagrationem *in eorum ſenſu poſſibilem eſſe à combuſtibilitate partium terræ probatur.* 4. *Utì etiam ab igni actuali in multis montibus invento, ut in* Ætna, Helga, *&* Hecla. 5. *Multa hujus generis exempla apud* Plinium. 6. *Exempla* Vulcanorum *apud* Acoſtam. 7. Vulcani Guatimallæ. 8. Vulcani *ſine fumo vivum habentes ignem in fundo.* 9. Vulcani *qui flammam fumúmq; per aliquot millenos annos emiſerunt.* 10. Fontes calidi, *ſcaturigines* picem reſinámq; *emanantes*, Thermæ *quædam* ignem *ad diſtantiam concipientes.*

1. TErtia res, quam propoſuimus, in Chriſti reditu ad judicium comprehenſa, eſt *Mundi Conflagratio*, Doctrina æquè incredibilis pleriſq; Ethnicorum atq; ipſa *mortuorum Reſurrectio*, & comparatio utriuſq; cum ſe invicem, eandem ipſis reddidit modo adhuc magìs ridiculo incredibilem. Ut videre eſt ex ſcommate illo quod *Cæcilius* in Chriſtianos jacit apud *Minucium Felicem. Quid? quòd toti orbi & ipſi mundo cum ſyderibus ſuis minantur incendium, ruinam moliuntur? quaſi aut Naturæ Divinis legibus conſtitutus æternus ordo turbetur, aut rupto omnium elementorum fœdere & cœleſti compage diviſâ, moles iſta quâ continemur & cingimur, ſubruatur. Nec hâc fumoſâ opinione contenti, aniles fabulas aſtruunt & annectunt. Renaſci ſe ferunt poſt mortem & cineres & favillas.* Neſcio quâ *fiduciâ mendaciis ſuis invicem credunt. Putes eos jam revixiſſe. Anceps malum & gemina dementia, Cœlo & Aſtris quæ ſic relinquimus ut invenimus interitum denunciare, ſibi mortuis & extinctis (qui ſicut naſcimur ſic interimus) æternitatem repromittere.* Verùm aculeus geminus hujus ancipitis dicterii facilè evellitur. Illéq; de *Reſurrectione* jam evulſus eſt: Quandoquidem manifeſtò oſtendimus, illud Myſterium nihil ampliùs includere, quàm quòd eadem individua perſona revivificabitur corpore pariter atq; Animâ, vitæq; æternæ beatitudine donabitur. Eadem verò individua perſona nullam ſupponit neceſſitatem *ejuſdem numero corporis* ſcholaſticè intellectam, quemadmodum fusè demonſtratum eſt.

2. Ipſum ſpiculum mucróve hujus ſcommatis contra *Conflagrationem*, eſt etiam error præſumptitius æquè ac ille contra *Reſurrectionem* (quanquam profectò ego neutrius nego poſſibilitatem) & in hiſce ipſis verbis latet. *Ipſi mundo cum ſyderibus minantur incendium, ruinam moliuntur.* Equidem tam horridus ſtrepitus atq; fragor (quamvìs quidam è Paganis Philoſophis, ut *Lucretius* & *Seneca*, eum admittere non reformidârint) meritò tamen ſagaciores poterat ab aſſenſu deterrere. Cæterùm *Conflagratio* mundi juxta Chriſtiani Myſterii veritatem, modeſtioribus credibilioribúſq; terminis circumſcribitur, cùm ad Cœlum ſtellatum omnino non ſpectet,

spectet, nisi hosce cælos stellatos appellari vultis qui sunt Cometarum Stellarúmq; cadentium receptacula. Adeò ut tota clades comminata à magìs scitis gnarísq; Christianis in globum terrestrem solummodò intentetur & circumjacentem Aërem cum universa illorum supellectile quæ comburetur consumetúrque. Veruntamen *Aër* & *Terra* non cessabunt adhuc esse Terra Aërque, sed cum ejusmodi alterationibus quas horrendum illud incendium in ipsis operatum fuerit.

3. Quòd hoc possibile sit, multa tum in *Terra* tum in *Aëre* inveniuntur quæ nos inducere possunt ut credamus. Etenim quidnam terræ est quod non sit combustibile? Exterior pars cespititia consuetum est foci pabulum. Ipsíq; lapides per ignem in cretam calcémve convertuntur. Montésq; *Pyrenei Galliam* inter atq; *Hispaniam* ignem ità conceperunt (sive id Fulmine factum sit sive à Pastoribus) ut è Fodinis, Auri Argentíq; quasi flumina manarent per aliquot dies continuos. Ex quo accidente quidam volunt hos montes nomen suum sortitos fuisse, à πῦρ scilicet significante ignem. Præterea multæ sunt minerarum fodinæ in terra quæ non solùm vim ignis patiuntur ipsíq; cedunt, verùm etiam eum quodammodo cupiunt sibíq; avidè arripiunt, ut *Naphtha*, *Sulphur*, & *Bitumen*. Ut multa genera taceam Carbonum, ingentésq; Sylvas atq; Eremos qui ità sunt combustibiles ut merus ardoris Aëris excessus aliquando eas incenderit, quemadmodum multis locis contigit Anno 1474.

4. Hisce omnibus adjicere possumus quàm multis in Terræ locis actuales inveniantur ignes, Foci ab ipsa Natura accensi, tanquam si illa Larem haberet familiámve aleret sub terra multísq; è montibus uteretur pro caminis: Cujusmodi sunt *Vesuvius* in *Italia*, *Ætna* in *Sicilia*, *Helga* & *Hecla* in *Islandia*, montes certè adeò terribiles ob Tonitrua, flammarum eruptiones, & ejaculationes disjectionésq; Lapidum, Cinerum, fœtoris atq; fumi, ut qui liberiùs imaginationibus indulgent, *Infernum* hîc opinentur quodammodo anticipari. Quæ profectò sententia paulò plausibilior esset si apparitiones æquè verè ibi videri dicerentur atq; frequenter dicuntur apparere.

Plin. Natural. Histor. lib. 2. cap. 106.

5. *Plinius* plura nobis hujusmodi suppeditavit exempla, ut *Chimæram* montem *Phaselidis* in *Pamphylia*, *Hephæstianos* montes in *Lycia*, *Cophantum* in *Bactriana*. Prope *Hesperium* montem in *Æthiopia* campi noctu toti lumine coruscant, quemadmodum & certum quoddam solum in *Babylonia*. *Nymphæus* mons *Apolloniæ* ignem ejaculatur & materiam bituminosam cujus furor pluviâ intenditur, quemadmodum & flamma ignivomorum illorum montium in *Lycia* & *Pamphylia*. *Æolia* illa Insula, *Hiera*, per dies aliquot continuos simul cum circumjacente mari, tota conflagravit. Quod ille refert tanquam veritatem cognitam ac compertam, Exemplúmq; haud longè dissitum. Concludit verò cum incendio alti illius vastíq; montis in *Æthiopia* θεῶν ὄχημα appellati, hoc est, *Currus Deorum*; tanquam maximè insigni hujus generis exemplo, superaddens cunctis breve hoc Epiphonema: *Tot locis tot incendiis rerum Natura Terras cremat.*

Joseph. Acost. Histor. Ind. lib. 3. cap. 24.

6. Et tamen hi *Vulcani* non minùs frequentes sunt in *America*, quemadmodum *Acosta* scribit, eósq; describit in genere ad hunc modum. Quòd scilicet rupes sint cuspidésve altissimorum montium in summitatibus planitiem habentes in ejúsq; medio puteum, vel hiatum magnum qui descendit usq; ad calcem montis, Res profectò, utì ille ait, aspectu admodum terribilis. Ex istis hiatibus evomitur fumus & aliquando ignis & aliquando neuter; quemadmodum fit utplurimum in *Vulcano Arequipæ*, utì etiam in illo *Mexicano*, prope *villam Angelorum*, qui fumum solummodò ac cineres emittit per vices, nunquam verò ignem. Et tamen Incolæ verentur nè aliquando erupturus sit totámq; Regionem concrematurus.

7. *Vulcani Guatimallæ* magìs horrendi sunt. Anno 1586, tota ferè Urbs *Guatimallæ* collapsa est terræ-motu. Hic *Vulcanus* noctu & interdiu per sex continuos menses è vertice tunc ejecerat & quasi evomuerat ingentia flammarum flumina. Insignis sanè instantia illius copiæ *combustibilium* quæ Natura in Thesauris suis habet recondita. Quemadmodum & observari potest in *Vulcano* de *Quitto*, qui tantam copiam cinerum ejecit, ut ad multas undiq; leucas eò loci, lucem Diei obscuraret.

8. Sunt etiam & alia Genera *Vulcanorum* qui nunquam ejiciunt nec fumum nec flammam nec cineres, sed in fundo cernuntur ardere igni vivido acríq; qui nunquam extinguitur. Hoc avaro imposuit Sacerdoti, fecitq; ut putaret nihil aliud esse quàm acervos auri igni colliquatos, quos ille sperabat extrahi posse cacabum ferreum demittendo cum catena. Verùm Inventum ejus igni ferendo non erat par, Cacabo & Cateuâ colliquescentibus simul atq; ad fundum montis appropinquâssent.

9. Cæterùm

9. Cæterùm maximè omnium mirandum eſt illud quod *Acoſta* notavit de quibuſdam *Vulcanis* qui per aliquot centenos, immò verò millenos, annos perpetuò ejecerunt fumum, flammas ac cineres. Viſibilia hæc exempla particularium incendiorum Terræ, notabiles ſunt ſubindicationes, quòd in ſecretis Providentiæ fodinis tanta recondita ſit materiæ combuſtibilis copia ut ad univerſalem illam ſufficere poſſit Conflagrationem de qua loquimur, quando utiq; venerit ille vindictæ Dies qui hiſce Iræ theſauris eſt uſurus.

10. Plura huc addere poſſimus argumenta Ignium ſubterraneorum eorúmq; pabuli è terræ-motibus, calidiſq; fontibus deſumpta. Cujuſmodi quidam ſunt in *Peru*, ut idem Author refert, qui eò uſq; calent ut manum quis in eis tenere non poſſit ad tempus repetitionis unius *Ave Maria*. Infiniti horum numeri ſunt in Provincia *Charchaſiæ*. Mentionem etiam facit in eodem loco, diverſorum fontium ac ſcaturiginum quæ Picem ac Reſinam emanant. Quod tamen nequaquam tam mirum videtur quàm *Thermæ* illæ in *Parmæ* territorio, quas *Fallopius* commemorat, quarum aquæ ad diſtantiam ignem concipiunt. Et quantùm ad Fontes calidos, frequentiores ſunt in his cognitis Terræ partibus quàm ut quicquam omnino opus ſit eis immorari. Vide *Plin. lib.* 2. *cap.* 103. *Joſeph. Acoſt. lib.*3.*cap.*17.

CAP. VIII.

1. *Cometa igneus Soli par qui poſt mortem* Demetrii *apparuit. Cometæ ſiccitatis Præſagia, ſylvæ incenſæ poſtquam illi apparuerant.* 2. *De Stellis cadentibus. De Cometæ cauda quæ fluvium exſiccavit.* 3. *Vini dolia exhauſta hominé ſq; in atomos diſſipati fulmine.* 4. *Ignem Tonitralem aliquando inextinguibilem eſſe, ut ille ſub* Macrino *Imperatore, atq; is qui* Legionis Fulminatricis *precibus eſt impetratus.* 5. *De fulmine conglaciatorio, déq; tranſmutatione uxoris* Loti *in ſtatuam ſalis.* 6. *Subverſio* Sodomæ *per ignem de cælo. Diluvia & Terræ-motus univerſales probabilitatem innuere* Diluvii *etiam* ignei. 7. *Plinium inter maxima recenſere miracula Diluvium hoc igneum nondum contigiſſe.*

1. QUantâ materiæ copiâ inſtructa ſit Tellus ad univerſalem hanc Conflagrationem vidimus; conſideremus jam quid Cœlum Aërve poſſit ſuppeditare. Ubi reliqua Meteora ignea miſſa facientes, pauca ſolummodò proponemus exempla *Cometarum, Stellarum cadentium*, atq; *Fulminis.*

Per *Cometas* intelligo eas ſolas Stellas novas quæ ſublunares ſunt, & è materia combuſtibili actu inflammatâ. Cujus generis unus erat tam vaſtæ magnitudinis, qui apparuit poſt mortem *Demetrii*, ut ad aſpectum Sole minor non reperiretur, Noctémq; ſplendoris ſui ignei claritate in Diem converteret. Cæterùm ut magìs in genere agamus de hoc Meteoro, *Cardanus* aliíq; Philoſophi ſigna eos eſſe volunt aut cauſas inſignium ſiccitatum. Et certè utraq; meritò poſſunt haberi, ii præſertim qui ſunt ſublunares: quippe quòd hujuſmodi ingentia corpora ignea haud facilè poſſunt nutriri ſine magno humidi nativi Aëris diſpendio. Quod tempeſtatem inſalubrem etiam facit ac peſtilentialem. Quantùm verò ad ſiccitates, obſervatum eſt poſtquam hi Cometæ apparuiſſent, annum factum eſſe adeò ſupra modum calidum, ut ſegetum ſpicas in agris torrefaceret & adureret, totas ſylvas concremaret, fontéſq; exſiccaret ac fluvios; quemadmodum factum eſt annis 1477, & 1539.

2. *Stellæ cadentes* vel tales ſunt quales *Virgilius* deſcribit in *Georgicis*;

> *Sæpe etiam Stellas vento impendente videbis*
> *Præcipites cœlo labi, noctiſq; per umbram*
> *Flammarum longos à tergo albeſcere tractus.*

(quæ Meteora, tametſi noctu rei magnæ ſpeciem præ ſe ferunt, utplurimum tamen nihil damni inferunt, niſi fortè fortunâ in *Ariciæ* agros inciderent, cujus ſolum adeò fuit combuſtibile ut è cujuſlibet prunæ lapſu ignem conciperet) vel ex eo genere Cometarum ſunt qui ipſi aliquando *Stellæ cadentes* fiunt: Quod *Scaliger* affirmat contigiſſe ſuis Temporibus: & *Fromondus* ex *Sennerto* ſcribit, caudam Cometæ Anno 1543. decidiſſe, lapſámq; in fluvium, omnem ejus aquam abſorpſiſſe.

3. Cæterùm

3. Cæterùm nullius ignei Meteori effecta aut tam frequentia sunt aut tam horrenda quàm effectum *Fulminis*. Ad quod procreandum *exhalationes* è terra sulphureæ non nihil contribuunt, quemadmodum & *vapores* humidi ad generandum pluviam. Quod ex magna Tonitruorum crebritate circa *Vulcanos* de quibus locuti sumus, satìs patescit.

Unum effectum notabile quod *Plinius* commemorat, consimile est illi caudæ Cometæ. Unum enim genus fulminis esse affirmat quo dolia exhauriantur intactis operimentis. Nec multùm ab hoc abludit illud quod supradictus Author narrat ex *Wolfango Meurero*, quòd Minister quidam à *Lipsia* proficiscens ad *Torgam* ità fulmine consumptus sit, ut nè unum quidem frustulum ipsius videndum reliquum esset, toto corpore in vapores & exhalationes dissoluto, vagísq; ventis abrepto & diffiato. Spississima solidissimáq; corporis contextura durare non potest quando acris hic penetránsq; ignis illam impetit. Hoc enim Meteorum ex tam subtilibus, lævibus ac furiosè agitatis consistit elementis, ut irresistibiliter pertransitura sint quócunq; proruperint, omnésq; atomorum congeries disjunctura, prout *Lucretius* optimè illa describit.

Quæ facilè insinuantur & insinuata repentè
Dissolvunt nodos omnes & vincla relaxant.

4. Verùm & illud inter cætera valdè profectò observatu dignum est de Fulmine, quòd utiq; illius ignis aliquando sit inextinguibilis, quemadmodum contigit in Temporibus *Macrini Imperatoris* quando Theatrum ictu fulminis percussum est etiam eo ipso die quo eorum *Vulcanalia* celebrabantur. Atq; hujusmodi ille ignis erat qui de cœlo cecidit Temporibus *Aurelii* propter preces Legionis Christianæ, quæ ab hoc effectu vocabatur posteà *Legio Fulminatrix*. Hujusmodi ignis bene largus imber, qui adeò pervicax est atq; importunus, quæ terræ pars est tam incombustibilis quin is eam sit perdomiturus?

5. Nollem hìc inserere mirum illud & inexpectatum Fulminis effectum quo mollia corpora ac fluida indurat conglaciátq; (quod & *Seneca* & *Cardanus* notant; Alter instantiam producens dolii vini in glaciem fulmine conversi, Alter Messorum quorundam in *Lemno* Insula, quibus fulmine percussis, dum cœnabant sub quercu, corpora facta sunt tam dura, rigida solidáq; quàm si totidem statuæ fuissent, quæ easdem actiones imitarentur quas inter cœnandum vivi peragebant, cùm unus videretur edere, alter poculum ad os attollere, tertius bibere, &c.) nollem, inquam, hujus rei mentionem hìc inserere, nisi quòd aliquam lucem afferre possit & credibilitatem mirabili illi transmutationi uxoris *Loti* in statuam salis; Fulmine, ut videtur, quod tunc cecidit attemperato, ex parte, ad talem effectum in illiúsq; Fœminæ refractariæ percussionem vibrato, ut non solùm Divinæ iræ contra inobsequentem curiositatem, sed & modi diræ illius vindictæ in *Sodomam* & *Gomorrham* effusæ atq; in adjacentes Civitates, monumentum esse posset. Quòd scilicet cum fulmine esset ac fulgure de cœlo, quemadmodum Textus testatur, & cui *Solinus Tacitúsq;* consentiunt, non autem subterraneis solis ignibus è Terra erumpentibus, & terræmotuum absorptionibus Civitates illas deglutientibus, ut *Strabo* videtur insinuare.

6. Hæc *Sodomæ* per ignem de cœlo subversio, cujus Historiæ fidem adhibent tum *Ethnici* tum *Christiani*, possibilitatis Conflagrationis Terræ tam amplum est pignus, ut, tametsi alias hujusmodi Instantias de civitatibus fulmine deflagratis ex *Plinio* aliísq; possim superadjicere, unico tamen hoc notabili exemplo contentus ero. Cúmq; tam copiosos divitésq; igneorum principiorum in Natura Thesauros satìs jam ostenderim, breviter nunc quæro Curnam fieri non possit ut principium hoc aliquando ità erupturum sit & inundaturum ut aliquando universalis quædam Ignis, æquè ac olim Aquæ, in terram rabies futura sit ac debacchatio? Occultæ enim Naturæ Causæ ac Principia interdum parciùs operantur, interdum liberiùs, interdum verò, tanquam si rupissent omnes leges limitésque, insanis modis debacchantur. Quemadmodum observare licet in *Torrentibus* & *Terræ-motibus*, qui aliquando intra paucorum milliarium ambitum continentur, aliquando sunt quodammodo universales, quales illi erant *Terræ-motus* qui contigerunt annis 367, & 1289. Ità Torrentes aliquando ità contracti sunt ut vix privatum pratum tegant, aliquando tam ampli ut tota oppida inundent, & aliquando deniq; adeò expansi ut aut universales sint aut saltem immensa Regna ac Continentes cooperiant. Hujusmodi fuerunt Diluvia *Deucalionis*, *Ogygis*, atq; illud *Noachi*. Videmus similiter in historia quas particulares clades Elementum igneum, aut fulminationibus è Cœlo, aut è Terra eruptionibus, in has Ædes, in illud Oppidum, imò in integras Regiones intulerint. Quid igitur

igitur obstat quin illius furor tandem eò usq; sit prorupturus, ut meritò appellari possit *generale ignis Diluvium?*

7. Equidem hoc *Plinio* tam longè videtur abesse ut sit impossibile, ut is è contrà apud se perpendens quantâ hujus Elementi copiâ mundus sit refertus, quámq; id facilè seipsum per omnia diffundat, in eam olim eruperit vocem, *Excedit profectò omnia Miracula, ullum diem fuisse quo non cuncta conflagrarent.* *Plin: Histor. Natural. lib. 2. cap. 107.*

CAP. IX.

1. *Conflagratio probata à Pronitate Naturæ & immensa Christi potestate.* 2. *Copiarum* Satanæ *à superno Armamentario deorsum per eum depulsio.* 3. *Præcellens Potentia ac Peritia Copiarum Angelicarum Christi.* 4. *Efficacia illius* Fiat *in* spiritum Naturæ. 5. *Ineffabilis corroboratio ejus Animæ per unionem suam cum Deitate, modúsq; operationis in Elementa mundi.* 6. *Dei oculum in Terram defigi, atque, prout se res dederit, eum Actorem esse posse æquè ac spectatorem, modò ritè invocetur.* 7, 8. *Incendii Terræ per Christum facti brevis descriptio, cum tremendis illius Effectis.*

1. ILlud igitur quod Natura ex se videtur adeò perpetuò comminari, nunquid nobis creditu difficile esse potest, Christum atq; copias illius Angelicas glorioſas, qui potestatem habent supra naturam, idem posse efficere, quando visum erit illi quem Deus *visibilem mundi Judicem* constituit? Recolite enim apud vosmetipsos quale Imperium, quando erat in carne atq; in infimo suæ Humiliationis gradu, in elementa habuerit, quámq; potestatem in eos obtinuerit, quibus tam diu permissum erat in crassiori hoc mundo elementari dominari, quorúmq; Dux nuncupatur Princeps Aëris. Recordamini ut uno oris sui verbulo integrum *Regni tenebrosi* Legionem procul à se ablegavit. Quid igitur est quod ille efficere non possit in hoc suæ Exaltationis statu, quando rediturus est ad Judicium cum ineffabili illa Majestate ac gloria? Quando descensurus est cum clangore Tubæ & cum fulgidis suis cohortibus terram aspectaturus, totámq; cœli Testudinem impleturus innumeris suis *legionibus Lucis.* Quarum quidem præsentiæ eradiantes ardores, ad fumos vaporésq; montibus excutiendos suffecerint, & ad igneum illud principium quod in Terræ viscéribus consopitum latitat, expergefaciendum in voracem flammam.

2. Sed enim, præterea, descendendo ad hunc modum, *Usurpatorem veterem tenebrosáſq;* illius *Legiones* à superno *Armamentario* depellunt, atq; nunc omnes illius machinas contra ipsum dirigunt ac moliuntur, omnémq; materiam incendiariam, & Pyrobolis concinnandis aptam, in ipsum effulminantes insumunt. Hoc enim illud Tempus est de quo *Diphilus* Tragœdus est vaticinatus.

Ἔσται γὰρ, ἔσται καινὸς αἰώνων χρόνος
Ὅτ' ἂν πυρὸς γέμοντα θησαυρὸν χάσει
Χρυσοπὸς αἰθήρ· ἡ δὲ βοσκηθεῖσα φλὸξ
Ἅπαντα τὰ ἐπίγεια κὴ μεδάρσια
Φλέξει μανεῖσα.

Erit enim, erit novum seculorum Tempus
Quando Thesaurum igni refertum aperiet
Aureolus Æther. Flamma verò vorax
Omnia quæ in terra & in sublimi sunt sita
Cremabit furens.

Et certè si hîc satis Materiæ jam non esset quæ in maximè dira ac formidabilia igneorum Meteororum genera formari possit, talia utiq; quæ certam cladem sint illatura; Illud tamen *Verbum* quod creavit omnia, tantum materiæ facilè potest in hujusmodi modificationem mutare, quantum qualéq; omnium efficacissimè tam gravi vindictæ sumendæ inservierit.

3. Verùm nullus dubito quin causæ secundæ sint, citra Omnipotentis Numinis virtutem creatricem, quæ satis idoneæ sint ad hujusmodi Providentiæ ministeria

obeunda; Quales certè innumerabiles refulgentium Angelorum Legiones meritò esse videntur. Quorum peritia atq; Imaginationis in Naturæ Elementa vis longè longéq; proculdubio major est quàm ut nos possimus concipere; cùm ipsorum facultates, præsertim aliquæ, tantum nostras excellunt, quantum nostræ istas brutorum Animalium quæ nè minimum quidem sensum conceptúmve habent nostræ facultatis artísve quam in rebus agendis adhibemus.

4. Qualem igitur virtutem facultatémq; inesse putatis harum cœlestium copiarum Duci atq; Principi Jesu Christo, qui etiam in carne, quod sæpiùs inculcavi, potestatis suæ in Elementa Mundi tam præclara specimina edidit? Hujus igitur *Voluntatis Imaginationisve* merum *Fiat* in *spiritum Naturæ* operans sive propinquiùs sive remotiùs, non potest quin sufficiat, modò ipsi ità visum fuerit, ad universam illam particularum coalitionem, ex qua coagulum compagésve cujusq; terrenæ substantiæ orta sit, solvendam, ad eásq; in hujusmodi flammam convertendas cujusmodi terram olim fuisse nonnulli augurantur; vel ad actionem ità moderandam & eò usq; Tellurem incendendam, & cum tali partium modificatione, quæ aut præsenti aut futuro suo Proposito maximè convenerit.

5. Hoc effectum supra virtutem Divinæ Animæ Jesu inhærentem positum non videbitur, si ineffabilem ejus corroborationem per stupendam illius unionem cum Deitate consideremus, Obedientiámq; *spiritûs Naturæ* elevatis excitatisq; Animæ facultatibus, potestatémq; hujus *spiritûs* in *subtilem mundi Materiam*, & vim deniq; *subtilis materiæ* ad disjungenda omnium rerum coagula, & promptitudinem rursus harum particularum dissolutarum ad coalescendum denuò in talem formam in quam regularis *spiritûs Naturæ* activitas ipsas sit compositura. Tota enim hæc res nihil aliud est quàm sublimior quædam ac *divinior Magiæ species* per excitationem *spiritûs Naturæ* operans in mutabilia mundi Elementa, nec cujusquam profectò rei *Creatio* aut *Annihilatio*.

6. Adeò ut retinentes nosmetipsos citra *nudam* Deitatem, considerantésq; solummodò causas secundas partim naturales partim liberè agentes, inter quas oppidò quàm sublimis præcellentérq; Divina Anima *Jesu* est Princeps, potestatem detexerimus quæ multò plus potest quàm nos de Telluris conflagratione declaravimus. Et certè cùm vel hoc sufficerit, quàm supra modum certi esse possumus de facilitate
2 *Pet.* 3. 5. hujus Incepti, ex eo quod S. *Petrus* suggerit de absoluta potestate *Verbi* Dei per
Sapient. cap. 1. *v.* 7. quod omnia sunt & qui perpetuus est operum suorum spectator? *Nam Domini spiritus orbem replet*, inquit Sapiens, *& omnia continens notitiam habet vocis*. Atq; æquè verum est omnia ejus patere aspectui; Tellurémq; semper præsentem esse ante oculos Dei. Quamobrem is qui perpetuus est Inspector, numnam difficile est concipere, quòd tandem, post solennem aliquam Temporis periodum, speciali aliquo modo in actionem se efferre voluerit, si fuerit opus, eóq; ritè sit invocatus?

7. Quamobrem postquam fideles ab omnibus Terræ partibus congregati fuerint & ad Christum Servatorem sursum evecti, conjunctíq; cum illius *Legionibus Lucis*, nullis tunc relictis in terra & inferioribus Aëris partibus præterquam qui obduratè tenebroso Regno adhæserint (Quod nunc extrinsecè magis tenebrosum quàm unquam hactenus fiet, piceis nubibus universam cœli faciem contegentibus subitámq; inducentibus noctem Terræ Incolis etiam sub meridiem:) In tristi hoc, tacito, torvóq; cœli aspectu, is, qui in carne exauditus est, responsúmq; accepit per tonitru,
Johan. 12. 8. (postquam precatus erat, dicens, *Pater glorifica nomen tuum*;) per eandem in qua etiamnum est sempérq; futurus cum æterno Deo gratiam, tam universale tunc tonitru fulgúrq; excitabit, ut futurum sit ut illius strepitus super omnes terræ partes audiatur, ardentes Cometas Stellásq; cadentes depluat, ignémq; effulminet adeò inextinguibilem, ut certissimam cladem, ubicunq; ceciderit, sit illaturus. Adeò ut solo supra modum incalescente, subterraneæ illæ materiæ combustibilis fodinæ ignem sint concepturæ. Quæ internas incendendo Telluris exhalationes horrendum ciebunt sub solo murmur, ità ut terra tonare videatur contra raucos streperósq; cœlorum fragores, omniáq; impleantur funestis Tonitruorum reboatibus. Terræ-motus Igníq; eruptiones ubiq; erunt Gentium, Urbésq; integræ ac regiones absorptæ vastis hiatibus latísq; divulsionibus humi. Nec certè Mare Terram poterit ab universali hac Conflagratione defendere, non magis quàm Ignis olim eam valuit servare à latè se diffundente Diluvio. Ignea enim hæc vindicta tam sitibunda erit ut maximam Maris partem sit exhaustura, nec voracem illius sitim restinguet aqua, sed majorem in modum excitabit. Hujusmodi enim Natura est quorundam Ignium ut Historiæ passim testificantur.

8. Quamobrem magnus Oceani alveus siccus relinquetur, omnésq; fluvii convertentur

tentur in fumum ac vapores, adeò ut tota terra unâ integrâ ineffabilis ſpiſſitudinis nube involuta erit, quæ caliginem pluſquam *Ægyptiam* creabit viſcidam & tactui palpabilem. Quæ ſuperaddita ſuffocanti huic æſtui ac fœtori exterius hoc conſummabit *Infernum*; ſupplicii locum non prophanis ſolummodò Atheis, & Hypocritis, ſed & ipſi Diabolo ejúſq; Angelis paratum. Ubi pœnarum Ratio pro animorum eorum ferocitate augebitur, perverſarúmq; Conſcientiarum iniquitate.

CAP. X.

1. *Præcipuæ Fallaciæ quibus fit ut homines poſſibilitati* Conflagrationis Terræ *nullam adhibeant fidem.* 2. *Conflagrationem non ſolùm* poſſibilem *eſſe ſed &* rationabilem. *Prima Ratio ad rei fidem faciendam.* 3. *Secunda Ratio, Naturalis* Compagium *omnium particularium* Conſeneſcentia, *quódq; hujuſmodi Terra ſit, quæ proinde areſcit, déq; ſoliditate aliquid perdit, unde & propiùs accedit ad Solem.* 4. *Terram igitur aut ſecundùm curſum Naturæ aut ſpeciali Providentiæ Decreto combuſtum iri.* 5. *Rationi maximè conſonum eſſe poſteriori viâ id effectum iri, propter obdurata Atheorum corda.* 6. *Vindictam verò adhuc ſignificantiorem fore ſi poſt miraculoſam Fidelium liberationem ſumatur.*

1. SPero me tandem eò uſq; profeciſſe ut cuilibet *poſſibilitatem* Conflagrationis Mundi plenè perſuaſerim eo utiq; in ſenſu quo explicavi. Atq; equidem nihil ego novi quod retinere poſſit hominem ab aſſentiendo rei tanquam *poſſibili*, niſi ſtupida illa fallacia quâ nihil fieri poſſe concludimus, præterquam quod nos aliquando factum vidimus, aut noſmetipſos efficere poſſe imaginamur. Atq; hæc ratio eſt quæ facit ut Athei nullam credant Creationem, nempe quòd ipſi nihil niſi ex præjacenti materia efficere poſſint. Solitúſq; ac ratus rerum curſus tam profundam impreſſionem ſenſibus noſtris indit, ut admodum difficulter imaginari poſſimus eas unquam mutatum iri. Quod facit ut quidam homines nunquam de morte cogitent, præſertim ſi nunquam hactenus ægrotaverint, perblandâ rei *Impoſſibilitate* propter diuturnam vitæ durationem, in ſpes ipſorum irrepente, quaſi nunquam ſint morituri. Ac propterea magnus ille Monarcha uti hinc coactus eſt Monitore, qui ſingulis matutinis ipſi diceret, Μέμνησο ἄνθρωπε ὤν, *Memento te eſſe mortalem.* Quàm de facili igitur iſtiuſmodi immutabiles Naturæ leges comminiſci poſſumus quæ terram ſartam tectam à tali Interitu de quo loquimur conſervare poſſint, cùm in tam propitiam opinionem ac bene ominantem de propria noſtra vita ac fortuna imprudentes ducamur, ut de ſtatûs noſtri mutabilitate poſtquam ad mediocre tempus in eo ſemel ſtabiliti ſimus, nunquam ſanè ſomniemus? Quamobrem unumquemq; ſpero qui vulgarem hanc fallaciam obſervaverit, facilè ſibi tantum rationis ſuæ uſum recuperaturum, ut Conflagrationem Terræ *impoſſibilem*, ex eo quòd ignoret quî *ipſe* poſſit comburere, aut ſemper duraturam incombuſtam, quòd *hactenus* manſit incombuſta, non ſit concluſurus.

2. Cæterùm, illud ad quod ego præcipuè collineo hoc eſt, ut demonſtrem ſcilicet hominis Chriſtiani Fidem de rebus eſſe non ſolùm *poſſibilibus* ſed & *rationabilibus*. Quod aliquem uſq; ad modum jam probavi, multifarios illos detegendo igneorum combuſtibiliúmq; principiorum theſauros in cœlo atq; in terra. Quibus inſuper addo:

Primò, Quandoquidem Providentia omnes res particulares corporeas ordinat verſátq; *Numero*, *Pondere* ac *Menſurâ*, rationi conſentaneum eſſe ut duratio præſentis hujus rerum ſcenæ *numeretur*, hoc eſt, numerum annorum habeat fixum & circumſcriptum, ità ut tandem futura ſit *Pauſa plena*, vel *Periodus*, ultimum aliquod *Exiit* ac *Plaudite*, huic *Tragico-Comœdiæ.*

3. Secundò, Omnes corporeas compages particulares initium habentes, (excepto corpore glorificato) finem etiam *naturaliter* & *ex ſe* eſſe habituras. Id verò quod finem habiturum eſt, eſt etiam ſenio obnoxium. Et quantùm ad me, equidem non dubito quin Terra hujuſmodi ſit naturæ gradatímq; conſeneſcat, ſuccedentibus ſeculis magìs magíſq; arida futura ac ſterilis. Unde & pumicea magìs evaſura eſt ſuæq; ſoliditatis nonnihil deperditura. Etenim corpus quod poroſum eſt humorémq; poteſt imbibere quò humidius eò ſolidius eſt, quóq; ſolidior terra eſt, *Vide lib 2. cap. 6. ſect. 2.*

eò faciliùs ſuam à Sole, dum circa eum rotatur in communi hoc Planetarum vortice, ſervatura eſt diſtantiam. Quamobrem cùm Terræ diſtantia ità minuatur quemadmodum obſervant *Aſtronomi*, niſi quòd ab aliis cauſis provenire poſſit, periculoſum eſſet ſymptoma atq; indicium eam ad ſenium feſtinare tandémq; exhauſtum iri. Quantóq; magis exhauſta erit, tantò adhuc propiùs ad Solem propelletur juxta Philoſophiam *Carteſianam*, aut ſaltem aliquam aliam Naturæ legem æquè efficacem. Adeò ut tandem partim præ nimia ſua ariditate, partim propter acceſſum ejus adeò propinquum ad fontem caloris, non ſolùm ſaltus ſylvæque, quod jam aliquando contigit, ſed & ſubterraneæ Sulphuris aliúſq; materiæ combuſtibilis fodinæ ignem ſint concepturæ totíq; planè Terræ facturæ incendium.

4. Dico igitur Terram, in extrema Periodo, ad hunc modum combuſtum iri; ídq; aut ſecundùm curſum Naturæ (cujus generis exitii concomitantia præcipua hæc ſunt, Quòd utiq; propter diuturnam intemperiem ac languorem aut prorſus inhabilis futura ſit aut miſerè admodum habilis ad ſuſtinendum aut homines aut pecudes per multa antè continua ſecula quàm penitus labefactata ſit hâc mortiferâ febri & exuſta; & verò poſt hanc mortem cladémq; multò minùs habilis, quandoquidem tunc non niſi *caput mortuum* futura ſit propter longam exhauſtionem vitæ ac virium Soli ante tentam hanc Conflagrationem) aut certè ſpeciali magis ac ſolenni Providentiæ decreto, Conflagrationis ſuæ Periodum decurtante. Ex quo ſi quod commune bonum rerum univerſitati contigerit, equidem Dei filium potentéſq; ac illuſtres illius copias in tam præclaro utilíq; facinore occupari haud dedeceret. Etenim an non tota terra Domini vinea eſt particulariſq; agellus in quo is agriculturam ſuam peritè poſſit benignéq; exercere?

5. Tertiò & ultimò, Cùm tot ſint obduratè rebelles *Spiritus* tam inter Angelos Apoſtatas quàm inter homines qui eò uſq; à Deo defecerunt ut vix ullum illius ſenſum in animis ſuis retineant, qui particularem providentiam audacter negant, ſtrenuéq; imaginantur, ſi Deus ſit, quòd tamen nullarum particularium creaturarum res obſervet curétve, qui irrident Religionem ſcommatíſq; eam excipiunt, vitámq; Dei filii, quam in terris vivebat, tanquam vile ac contemptibile puſillanimitatis, abjectíq; ſpiritûs exemplum conſiderant; qui omnes veros ejus Sectatores pro ſtultis habent morbóq; Hypochondriaco laborantibus, propriáſq; ſuas libidines legem ſibi in rebus omnibus ſtatuunt, ac proinde nullum conſcientiæ morſum ſentiunt quantamcunq; injuſtitiam commiſerint aut crudelitatem, aut qualicunq; *Beſtialitati* ac turpitudini ſe dediderint: Hi, inquam, cùm nullo interno conſcientiæ ſenſu imbuti ſint, verùm univerſi, nè Diabolis ipſis exceptis, in corporibus vel vehiculis ſatis acri ſenſu præditi, quàm conſentaneum eſt, immò verò quàm neceſſarium ut turbo igneus, vindictæq; tempeſtas in externas ipſorum perſonas intonet, útq; cruciatus corporeus eos ad vivum uſq; penetret, eáq; omnia quibus ſe oblectaverint ruinâ collabantur ac pereant, útq; ſuffocentur ipſi vexentúrq; *infernali* æſtu ac tenebris quarum nullum noverint finem?

6. Hæ conſiderationes quas in medium produxi, *Conflagrationem* Mundi non ſolùm *poſſibilem* faciunt ſed etiam admodum *rationabilem*, præſertim ſi ſupponatur cum illa circumſtantia, quòd *naturaliter* nempe non contingat, (quippe quòd illi tunc communem tantùm eam exiſtimaturi eſſent calamitatem) verùm è contrà etiam per *eum*, cujus perſona legéſq; adeò vilificantur contemnuntúrq; ab omnibus poteſtatibus *Regni tenebroſi*, viſibiliter infligatur, ídq; ad ulteriorem convictionem & aggravationem, poſtquam coram oculis conſpexerint *ſupernaturalem juſtorum* liberationem. Sic enim promiſſum illud apertè præſtatur ac comminatio Servatoris, quòd utiq; diſcrimen poſiturus ſit olim oves inter atq; hædos, unis dicturus, *Adeſte beati Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum ab orbe condito*; alteris verò, *Faceſſite à me execrabiles in ignem ſempiternum Diabolo ejúſq; Angelis paratum.*

Vide lib. 2. cap. 6. ſect. 2.

Matth. 25. 34. 41.

CAP.

CAP. XI.

1. Recapitulatio *ſive* Synopſis *partis* intelligibilioris *Chriſtiani Myſterii, cum indicatione illius utilitatis.* 2. *Fundamenta inexpugnabilia hujus Myſterii,* Exiſtentia Dei, Lapſabilitas *Angelorum atq; hominum,* Naturalis *hominum* ſubjectio Diabolis *in conditione lapſa.* 3. *Dei Sapientia ac Juſtitia in permittendo hæc ad tempus.* 4, 5. *Plures permiſſionis hujus Rationes.* 6. *Lapſus hominum atq; Angelorum probatus.* 7. *Bonum ex hoc lapſu emergens.* 8. *Permagna* Divinæ vitæ *Pretioſitas.* 9. *Conflagratio Terræ.* 10. *Bonum quod ex contentione inter* Regnum lucidum *ac* tenebroſum *emergit.* 11. *Deum aliquando ſpeciali modo aſſiſtere debere* Regno Lucis, *& in via humanis facultatibus maximè accommodata.* 12. *Ac proinde in mundum mittere venerabile aliquod exemplum* Divinæ vitæ *cum miraculoſis atteſtationibus miſſionis tam ſacræ Perſonæ.* 13. *Hanc Perſonam, propter magnos dolores qui eis obveniunt qui ad* Divinam *rurſus anhelant* vitam, *apportare ſecum debere pignus palpabile condigni præmii, Beatæ putà immortalitatis vel infimis ingeniis per Reſurrectionem ſuam è mortuis & in cœlum aſcenſionem manifeſtatæ.* 14. *In humani generis defectione à Tyrannide Diaboli caput aliquod eſſe oportere, cujus qualitates contrariæ ſint qualitatibus veteris Tyranni, ipſúmq; poteſtatem præterea habere reſtituendi nos ad ea omnia quibus privati ſumus ſub uſurpatore.* 15. *Omniáq; porrò notabilia religioſorum affectuum apud Gentes objecta modo magis legitimo ac probato in hoc Capite comprehendi.* 16. *Quòd hæc Chriſtianitatis Idea Divinam bonitatem ità condecet, itáq; convenit mundi conditioni, ut nemo ſapiens piúſq; dubitare poſſit, quin aliquando Divina Providentia eam in actum ſit productura; Quódque, ſi* Meſſias *jam venerit ſcriptáq; novi Teſtamenti ſecundùm* literam *vera ſint, ea jam in actum ſit producta.*

1. SAtis plenè jam, opinor, *Rationabilitatem* Chriſtianæ Religionis in ſua Idea illuſtravimus, pleniùs fortaſſe quàm opus erat priùs quàm aggreſſi eſſemus probationem plus eſſe quàm meram Ideam. Contrahemus jam per modum *Recapitulationis* partem hanc magis *Intelligibilem* in formam minorem, ut debita illius ſymmetria, partiúmq; proportio commodiùs conſpici poſſit. Quod & memoriam noſtram recreabit & adjuvabit porrò judicium, quippe qui magis facilem ſic habituri ſumus opportunitatem robur ſolidum contemplandi pulchrámq; totius ſtructuræ congruentiam.

2. Atq; auſim hìc profectò ad certamen provocare quemlibet vel maligniſſimè gnarum ac peritum, ſi ullam realem invenire poteſt objectionem contra fabricam tam *intelligibilis* Veritatis, cujus fundamentum ſuper quod extruitur non minùs firmum eſt quàm hæc *Axiomata* quæ nullo pacto poſſunt negari, *Deum ſcilicet eſſe, & perfectam particularémq; Providentiam. Eſſe etiam Angelos ac Spiritus humanos realiter à ſuis corporibus diſtinctos,* & utroſq; perinde lapsûs eſſe capaces. Quæ quidem nos demonſtravimus partim in præſenti hoc Tractatu, partim in * ſcriptis aliis: Et univerſum hìc mundum appello an ea quæ ſcripſimus ejuſmodi non ſint quibus nihil ſolidi poſſit opponi. Præterea, *Lapſum hominum pariter atq; Angelorum eſſe* Divinæ vitæ *derelictionem & adhæſionem* Animali abſq; omni fræno ac limite. Quo fit ut lapſi Angeli vel Dæmones æquè ac ipſe homo quantùm ad internam vitam *mera bruta* evaſerint omni tactu ſenſúve *Divinæ bonitatis* deſtituti. Ac proinde *ipſorum Imperium in genere; brutorum imperio planè ſimile eſſe,* ſecundùm *libidinem* utiq; ac *potentiam,* ubi fortiores infirmioribus cum ſuperbia ac inſolentia imperitant. Atq; ità Diaboli cùm hominibus gradu aliquo ſint ſuperiores, magis ingenio polleant ac viribus quàm illi, equidem per *Naturam* eis in ſortem cedit ut in genus humanum Tyrannidem exerceant, utpote qui tandem cum ipſis Diabolis ejuſdem criminis facti fuerunt participes, æquéq; contra Deum rebelles atq; illi.

Vide lib. 2. cap. 1, 2, 3.

* *In Antidoto adverſùs Atheiſmum, & in Tractatu de Animæ Immortalitate.*

3. Et certè non eſt niſi ſapientiæ quoddam genus ac juſtitiæ in magno illo Judice ac *Dramatiſta,* Deo omnipotenti, hæc permittere ad Tempus. Ac proinde maxima pars terrarum orbis debebat ad Tempus Religione cultúq; Dæmonum exerceri, qui inſani erant enorméſq; *vitæ* merè *Animalis* commendatores filiis hominum ſine ullis finibus aut limitibus; dum ipſi interea illud Tributum à malè tractatis mortalibus recipiebant quod maximè eorum ſuperbiæ & Tyrannicæ indoli conveniret, hoc eſt, cultum

cultum Religioſum & obedientiam abſolutam, quemadmodum probavi multis exemplis ex Hiſtoria allatis.

4. Nec mira res eſt, ut Deus hæc omnia ſilentio tam diu ferret, partim ex eo quod jam ſignificavi, & partim, quoniam is extra omnem omninò ictum realis alicujus injuriæ eſt ſitus, & ex eo porrò, quòd *Objectum* hujus enormis furoris tum hominum tum Diabolorum in quo ſibi tantopere placent, non eſt niſi effectum *unius illius Poteſtatis* unde omnia ſunt, vel minutula aliqua quaſi lacinia aut umbra *Divinorum attributorum.* Univerſos enim *Animalis vitæ* ramuſculos bonos eſſe ac laudabiles in ſeipſis, ſolúmq; immoderatum eorum Amorem uſúmq; rem eſſe culpabilem ſatis clarè demonſtravimus. Magna igitur illa Rebellio Angelorum pariter atq; hominum nihil aliud eſt quàm phrenetica quædam circa magis obſcuras, evanidas, magíſq; ignobiles operationes manifeſtationéſve illius Poteſtatis quæ in omnia ſe penetrat, & quâ omnia ſubſiſtunt ac moventur, temulentia ac deliratio.

5. In humili hoc abjectóq; ſtatu tenetur *Regnum tenebrarum*, qui vel omnis ſuæ contumaciæ ac Rebellionis ingratiis ipſum pulverem ſemper lambunt pedum illius à quo defecerunt. *Neq; enim vis ulla eſt nec conſilium contra æternum Deum, ſed voluntas illius ſtabit in omnibus.* Illa igitur cuncta complectens *Sapientia* non circumventa erat nec ex inopinatò oppreſſa rebelli hâc ſpirituum turbâ, ſed paſſa eſt eos introducere tenebras è quibus ipſa elicitura eſſet magis mirabilem ac glorioſam Lucem, permiſitq; primùm ipſis tabellam coloribus quibuſdam fuſcis oblinere ſuper quos illa apud ſeipſam ſtatuerat ſpeciem poſtea delineare maximè omnium illuſtrem pulchrámq; quam humanus oculus ad contemplandum poteſt expetere.

6. Quòd verò lapſus ſit hominum atq; Angelorum valdè eſt manifeſtum. Humani generis lapſus tam conſpicuus eſt ut non ſolùm Philoſophi nobiliores, quales erant *Pythagorei* ac *Platonici*, verùm etiam ipſæ ſanctiones legum ac pœnarum conſtitutiones, generaléſq; hominum confeſſiones de pronitate ſua ad vitium ac improbitatem abundè teſtificantur. Quódq; impii ſunt *Spiritus* ſive *mali* Genii æquè ac *boni*, Paganorum Religiones, & confeſſiones *Sagarum* ipſorúmq; effecta in Dæmoniacis ſatis valida ſunt argumenta.

7. Jam verò, quod dixi, Sapientia illa quæ omnia ordinat ſuaviter, nè minimis quidem modis, malo hoc Angelorum hominúmq; lapſorum incepto fruſtratur vel eluditur, ſed illud tanquam idoneum fomitem ac materiam unde glorioſior *Divinæ vitæ* Triumphus, flammarum inſtar ſit erupturus, conſiderat. Notúſq; ille *Pythagoreorum* Aphoriſmus, qui nulla Principia in puſillos fines poſuerunt, huic rei perquam optimè convenit, Τὸ χέιρον ἕνεκα τῦ βελτίονΘ, *Deterius utilitati uſuiq; inſervit melioris.* Ipſúmq; proculdubio *tenebrarum Regnum*, majori *regni Lucis* utilitati ab illo qui gubernat omnia, admodum dextrè ſubordinatur. Siquidem debitum univerſis ipſorum facultatibus exercitium præbet (in gratiam nempe *Divinæ vitæ* quam Deus jure merito rebus omnibus præfert) utì & feliciſſimam inſuper victoriam ac Triumphum. Adeò ut ſeculorum periodus ità finire debeat, (tam accuratâ Providentiâ res adminiſtrante) quemadmodum valdè lepida ac jucunda *Tragico-comœdia.* Hæc humana ratio expectabit, ſuppoſito quòd ſit Deus ac Providentia, (ut ſunt pro certiſſimo utriq;) præſertim ſi una Animarum ac *Spirituum* qualitas melior ſit ac pretioſior quàm alia. *Divináq; vita* tandem perfectio omnium amabiliſſima.

8. Quod vel tactûs fidem æquat apud omnes eos qui ſemel ejus perceperint excellentiam ac dulcedinem. Et ignorantia certè cæcorum, nullius argumenti vim habere debet contra ſcientiam eorum qui vident. Etenim una Anima, Angelus vel Spiritus (quanquam idem eſſe poſſunt ſubſtantiâ, quemadmodum omnes res corporeæ eâdem ſunt materiâ) tantò differre poteſt ab altero quantò Aurum, Adamantes, & Uniones à communi limo lutóve differunt, vel perfectiſſima Pulchritudo à monſtro maximè deformi ac horrido. Illud igitur quod vile eſt rejicietur, quod verò pretioſum eſt ac nobile eligetur in die illo quo Dominus gemmas ſuas collecturus ſit ac repoſiturus.

9. Quódq; aliquando futurus ſit hujuſmodi vindictæ viſibilis dies, in quo tota Terra per iram Dei conflagrabit, non ſolùm communis fama per omnia ſecula locóſq; divulgata de *finali mundi conflagratione*, Rationéſq; naturales in Philoſophia, verùm etiam ipſa neceſſitas alicujus univerſalis, palpabilis & ſenſibilis ſupplicii de hominibus impudenter prophanis atheíſq; ſumendi admodum validum argumentum eſt cur credamus.

10. Magnum igitur illud Bonum quod oritur ex hac defectione hominum atq; Angelorum eſt *activitatis* intellectualium creaturarum in mundo acrior intenſio, quò emanationes *omnimodæ vitæ* magis ad vivum poſſint ſentiri, dum omnes facultates

tates ac paſſiones Animarum ac Spirituum provinciâ magìs difficili ac variâ excitantur & occcupantur, majoríq; cum æſtu vitæ atq; motûs, cúmq; attentiore vigilantia, ſenſúq; magìs ſapido acquiſitarum perfectionum, quàm ſi nulla hujuſmodi facta fuiſſet pugna luctáq; inter *Regnum tenebrarum* ac *lucis*.

11. Nunc igitur quanquam primâ quidem ſpecie Deus videri poteſt *Regnum tenebroſum vitámq; animalem* è carceribus aliquanto antè emitti permiſiſſe laxaríve ad curſum quàm *Divinam*, debet tamen opportuno tempore per modum aliquem oppidò quàm efficacem, ità excitare, animare & aſſiſtere *Divinæ vitæ* contra *Poteſtates tenebrarum*, ut admodùm conſpicuas aliquando victorias contra uſurpatam Satanæ Tyrannidem in filios hominum, poſſit reportare. Quamobrem *Divina Sapientia* quæ ſecundùm potentiam abſolutam non agit, ſed ſecundùm naturæ rerum congruentiam, humanum genus à ſervitute Diaboli liberare, eóſq; ab enormitatibus *Animalis vitæ* ad amplectendam *Divinam* revocare debet, hujuſmodi quidem ratione quæ humanis facultatibus maximè ſit accommodata.

12. Et quid, obſecro, excogitari poteſt, quòd magìs naturaliter operari queat in humanam indolem ad exſolvendum eum è ſervitute Satanæ, efficiendúmq; ut *vitam* amplectatur *Divinam* quam dereliquerat, quàm ut aliquod valdè conſpicuum illius exemplum in gravi aliquo ac venerabili viro exhibeatur, qui maximè ſeriò humanum genus ad inſiſtendum ſuis veſtigiis ac moribus hortaturus ſit, cujúſq; Doctrina per ſenſibilia de cœlo Teſtimonia, ad exornandam exaltandámq; illius perſonam eſſet commendanda; quo palàm fiat eum chariſſimam eſſe prolem, voluptatem unicam, ipſiſſimáſq; delicias æterni Dei, cum hujuſmodi vocali ſignificatione ex ipſis nubibus, *Hic eſt filius meus dilectus, audite eum?* Breviter, quàm ut *Nativitas*, *Vita* ac *Mors* ejus adornanda eſſet ejuſmodi miraculoſis ac ſupernaturalibus circumſtantiis quibus manifeſtum eſſe poſſit omnibus qui datâ operâ non cæcutiant, *hunc hominem verum eſſe ac infallibilem Dei nuncium?*

13. Cæterùm, cùm hoc tantò triſtius futurum fuiſſet nuncium, quantò forent perſuaſiores illud eſſe verum, Quòd utiq; relinquere deberent omnes enormes voluptates *Animalis vitæ*, ac preſsè arctéq; ſe aſtringere ad *Divinam*: Neceſſarium porrò erat ut de condigno præmio certiores fierent ob tantos labores qui ipſis ſuſtinendi eſſent, in mortificando caſtigandóq; ſuas naturales & aſſuetas cupiditates, & coërcendo ſeſe intra viam anguſtiorem. Ac proinde conſentaneum erat ut illa veritas quæ ità obſcura pleriſq; hominibus & incredibilis videtur, etiam craſſo aliquo modo vel maximè mediocri captui fieret manifeſta. Præmium intelligo *beatæ Immortalitatis* poſt hanc vitam, & recuperationem Cœli vel Paradiſi quam Gens humana perdiderat. Cujus certitudo neſcio quo meliori modo ipſis detegi poſſit quàm per Teſtimonium cujuſpiam quem nos certi ſimus eſſe infallibilem, quíq; expreſſim affirmet ſe illinc fuiſſe profectum, rurſúſq; illinc poſt mortem eſſe rediturum, nec id ſolùm affirmet hominibus, ſed demonſtret inſuper, etiam ad externum aſpectum, ſuſcitatione ſcilicet è ſepulchro ſuo poſtquam planè apertéq; mortuus fuerat, & aſcenſione in cœlos ubi caro & ſanguis habitare non poſſunt. Quæ *Immortalitatis Animæ* conſpicua quidem demonſtratio eſt, atq; æquè ſenſibiliter vel tardiſſimo captui accommodata, atq; ſi homo quiſpiam, de cujus fide ac veracitate populus certò eſſet perſuaſus, ab alto aliquo monte deſcenderet, ubi nemini ex illius loci incolis adhuc fuiſſe contigerat, narrarétq; ipſis, quàm amœnæ ſylvæ nemoráq; ibi eſſent, & quàm omni genere delicioſorum fructuum plena, adeò ut vera eſſet terreſtris Paradiſus, quódq; locus non tam præruptus eſſet & inacceſſus quàm illi opinabantur, & cum eò illuc reverteret rurſus in ipſo conſpectu eorum qui in quæſtionem rem vocarent. Hæc conſideratio ipſam internam eorum rationem penetraret, rémq; ipſam apud ipſos, acu, quod dicitur, tangeret. Neq; enim eò uſq; lapſi ſunt qui vel in infimum lapſi ſunt gradum ut omnem ſenſum proprii ſui commodi perdiderint, cupiditatémve ſempiternæ Beatitudinis, ſi qua fortè ſpes tantæ rei ipſis effulſerit.

14. Atq; hoc profectò ſufficeret ad efficiendum ut humanum genus jugi Tyrannidis Diaboli tæderet. Verùm in omnibus defectionibus oportet caput eſſe aliquod. Et nulla ſanè perſona tam idonea eſt ad hujuſmodi Inceptum quàm is qui remunerari noverit ſuos Sectatores, cujus virtutes Tyranni vitiis eminenter ſint oppoſitæ, cujúſq; imperium poſtquam inauguratus ſit, conſuetis naturalibus populi propenſionibus innocuis minimè omnium adverſetur.

Quamobrem, quum Diaboli imperium infame ſit ob ineffabilem ſuperbiam, inſolentiam, & crudelitatem in humanum genus (quemadmodum fusè detectum eſt in ſanguinolentis ſacrificiis & contumelioſis hominum tractationibus quantùm ad ſuperſtitiones,

ſtitiones, de quibus nemo dubitare poteſt quin nullum alium habuerint Autorem quàm ipſum *Satanam*) caput hujus legitimæ defectionis debet eſſe eximiè benignus, clemens, miſericors, mirificéq; humani Generis amans. Humilis porrò admodum & demiſſus, tantúmq; abeſſe à requirendo iſtiuſmodi abominabilia & ſanguinolenta Homagia cujuſmodi ſunt hominum mactationes, ut ipſe potiùs è contrà vellet propriam ſuam vitam lubenter eorum gratiâ deponere. Quod neceſſariò ineffabilem ſibi affectuum ſectatorum ſuorum conciliationem procreabit, excitabítq; in ipſis vehementiorem deteſtationem Tyrannidis Diaboli. Cæterùm, quandoquidem Amor inefficax eſt, ubi benefaciendi facultate deſtituitur; Princeps hic magìs conſummatè perfectus erit, ſi inveniatur non modò tam benignus ut lubenter vellet, ſi res ità tulerit, vitam ſuam pro ſubditis ſuis deponere, ſed etiam facultate polleat ſervandi eos ab omnibus illis incommodis quibus adverſa poteſtas ipſos illaqueaviſſet. Cujus quidem merces nihil erat aliud quàm æterna mors. Ac proinde par erat ut poteſtatem haberet à Deo donandi vitam æternam, & coronandi nos beatâ Immortalitate in Die noviſſimo, ſervandíq; à generali illa clade quæ, procedente tempore, rebelles Angelos æquè ac impœnitentes hominum animas eſt oppreſſura.

15. Poſtremò, naturalibus illis ac innocuis propenſionibus humani generis hoc caput, de quo agimus, gratificabitur, ſi illiuſmodi in ipſo ſint proprietates quæ eorum opinionibus, conſuetudinibus, & deſideriis in re Religionis conveniant. Novimus verò ex Hiſtoria, Ethnicos admodum pronos fuiſſe ad ſuſpicandum eos qui eximii eorum fuerint benefactores ex ſtirpe pluſquam humana fuiſſe oriundos, & tam altum erga eos habuiſſe gratificationis ſenſum, ut in Deorum numerum poſt mortem referrent Divinóſq; ipſis honores præſtarent. His adde opinionem de neceſſitate ſuorum καθαρμάτων & ἀνθρωποθυσιῶν ad placandam iram Deorum; déq; Deorum ſuorum Medioxumorum utilitate. Quamobrem ſi Divina Providentia has etiam addiderit gratificationes in Electione Capitis quod conſtituturus eſt ad oppugnandum demoliendúmq; Regnum Satanæ, res eò adhuc magìs perfectè adaptabitur accommodabitúrq; humanis facultatibus, quæ poſtquam ineptiſſimis erroribus diu ſint ludificatæ, facere non poſſunt quin ingenti abripiantur gaudio ad aſpectum veri & legitimi ſui Objecti. Atq; ſic Nationes invenient talem Principem ac Ducem, quem quantò attentiùs intueantur & aſpectent, tantò majori illius amore erunt inflammati; Sapientiâ Divinâ demittente ſe in hoc conſilio ad omnimodas blandarum ſolicitationum artes quibus miſerè lapſum humanum genus lucrifacere poſſit reduceréq; à *Tyrannide Satanæ* ad *regnum Dei*.

16. Hæc brevis eſt *intelligibilioris* partis Chriſtianitatis *Recapitulatio*, cujus formam rationémq; talem eſſe judico, ut auſim cujuſvis judicium appellare, an non ità digna ſit Divinâ ſapientiâ ac bonitate, itáq; commodè adaptata naturæ rerum preſentiq; hominum conditioni in terris, ut fieri non poſſit quin Providentia aliquando mitteret in mundum talem Principem ac Redemptorem populi ſui à captivitate Diaboli, qualem nos deſcripſimus; qui poſtquam æternæ vitæ promiſſa eis qui ipſum fideliter ſectaturi ſint, declaravit, legítq; hoc pacto ſibi milites contra copias *Regni Tenebrarum*, mundum nobili hoc maximíq; momenti conflictu exerceret, & poſt debitum tempus probationis Fidei, Perſeverantiæ, Conſtantiæ, Amoris atq; Obedientiæ eorum qui ipſi adhæſerint, rediret rurſus viſibili cum pompa ſecundùm Promiſſa, victoriam donans, pacémq; ac beatam Immortalitatem ſuis, irámq; effundens & vindictam extremúmq; Exitium in contumaces & contemptuoſos ſuos Inimicos. Hæc forma, inquam, Providentiæ atq; inventum in Idea ſua conſideratum ità rationi conſentaneum eſt, ut nemo ſapiens piúſq; ſit quin aliquando id reapſe fore in Mundo facilè ſit aſſenſurus. Cæterùm nunc probare conabor reapſe jam eſſe, háncq; Providentiæ periodum incepiſſe in adventu Jeſu Chriſti filii Dei ac beatæ Virginis, hoc eſt, Religionem noſtram Chriſtianam, (quatenus ſpectat Perſonam Chriſti,) quemadmodum ego eam in præcipuis illius partibus propoſui & explicavi, non eſſe *meram Ideam* ſed *realem* & actualem *veritatem*. Quod ſpero ſufficienter demonſtratum iri ſi probavero, Expectatum *Meſſiam* jam veniſſe, ſcriptáq; Novi Teſtamenti eſſe vera. Etenim nihil tunc propoſitum noſtrum fruſtrari poteſt niſi quis eò dementiæ prorupturus ſit ut *literalem ſenſum* eorum ſcriptorum pervertat, miraculáq; omnia ibi commemorata in *meram* mutet *Allegoriam*.

CAP.

CAP. XII.

1. *Præcipuum Authorem hujus* Myſticæ dementiæ, *quæ verum &* literalem ſenſum *Scripturæ abrogat, eſſe H. Nicolai, in cujus igitur doctrinam perſonámq; accuratiùs eſt inquirendum.* 2. *Amarulenta ejus convitia, magnúſq; deſpectus ac contemptus miniſtrorum Evangelii Chriſti qui docent ſecundùm literam, cum malis ejus rei conſequentiis.* 3. *Ratio cur ipſos ità vilificet; Ejúſq; præceptum ſectatoribus, nè doctores ullos conſulant præterquam* Seniores ſuæ Familiæ, *immò nè* dictata *quidem propriarum conſcientiarum, ſed ut totos ſe dedant* Seniorum *ſuorum ductui; ſimplicium Animarum per impiam hanc technam à Servatore ſuo defectio irrecuperabilis.* 4. *Exaggeratæ ſuiipſius magnificationes ſuiq;* ſervitii Amoris *præ Oeconomia* Moſis, Johannis Baptiſtæ *& ipſius* Chriſti. 5. *Quòd ejus* Servitium Amoris *tertia eſt* Oeconomia, *nempe* Spiritûs, *taliſq; quæ excellat* Oeconomiam *Chriſti, cum aliis ſuæ Doctrinæ Encomiis, veluti,* clangorem *eſſe* ultimæ Tubæ, Deſcenſum novæ Hieroſolymæ *de* cœlo, Reſurrectionem mortuorum, *& glorioſum* adventum Chriſti ad Judicium, *æternámq; impiorum condemnationem in Igni* Infernali. 6. H. Nicolai *pro ſuo tempore & poſt eum, per ſucceſſionem,* Familiæ Amoris *natu maximum ipſum Chriſtum eſſe deſcendentem de cœlo ad mundum judicandum, verúmq; Pontificem maximum in æternum in* Sancto Sanctorum.

1. CUM igitur hoc unicum reſtet obſtaculum quo minùs proſperè hac in re procedamus, cúmq; diſſeminatio hujus *Myſticæ dementiæ* ab exiſtimatione & autoritate illius nimis quàm valdè venerati Enthuſiaſtæ *H. Nicolai Amſtelodamenſis proveniat,* neceſſitatem hîc mihi imponi video ſubſiſtendi pauliſper, detegendíq; enormes ejus doctrinas & abſurdas, tum ad liberandum ab errore ſeductos ipſius admiratores, tum ad confirmandam * publicam meam de ipſo Cenſuram; ut nè videar vel minimo quidem modo temerarius fuiſſe vel injurius. Utq; commodiùs progrediamur; primò, eum vobis exhibebo in ſummo ſuo apparatu ac ſplendore, proprii ſtyli teſtimoniis exornatum, talémq; qualis ipſe coram mundo cupit videri; & poſtea examinabo ſiquid ſubſit fundamenti, rationíſve cur quis credat eum eſſe talem. Et poſtremò argumenta producam quibus eum demonſtrabo id non eſſe quod præ ſe fert.

* *Enthuſiaſm. Triumphat. ſect.* 40.

2. Utq; hîc ipſius ſplendor apparere poſſit æquè grandis atq; ipſe diſcupit, primò, audietis quàm miſellæ reculæ ſint omnes qui non inveniuntur ſuæ ſectæ, ſi modò fidem habere velitis ipſius de eis cenſuræ. Nimirum, * *Nullam cognitionem eſſe Chriſti nec Scripturæ extrà quàm quæ ſit in ſua Familia: Abſq; ſuo* ſervitio Amoris *omnia Dei ſervitia, Sapientiam ac Doctrinam è Scriptura, per quantumlibet peritos doceatur, non eſſe niſi effaſcinationem & cæcitatem.* || Et *quotquot diffidunt opponúntq; ſeſe ſuo* ſervitio Amoris, *terram ſapere ac Diabolum. Nullámq; eſſe remiſſionem peccatorum extra ſuam communitatem.* * *Pro certóq; omne id falſum eſſe & mendacium, ſeductionem & deceptionem, quicquid non Deificati nec illuminati homines ex imaginatione vel opulentia ſuæ ſcientiæ & eruditionis è Scripturis, producunt, inſtituunt, prædicant docéntque. Omnes Doctores ac diſcipulos extra ſuam communitatem, falſam eſſe Chriſtianitatem, ſynagogam vel ſcholam Diaboli, imò nidum Diabolorum omniúmq; impiorum Spirituum.* Ac de ipſorum ſcientia per compendium pronunciat & ſemel; *Eam* utiq; *falſam eſſe Eſſentiam, Diabolum, Antichriſtum, Spiritum illum impium, Inferni Regnum,* ac *Majeſtatem Diaboli.* Nihilo præſtabilior quàm ſic eſt maximè ſobria maximéq; accurata ratiocinatio è ſacris Scripturis, ſimpléxve Hiſtoriæ Chriſti omniúmq; illius Promiſſorum Intellectio in Animabus quantumlibet ſinceris & religioſis, niſi ſint ex ſua beata *Familia Amoris*, quibus, ut videtur, per ſortem contigit ſolis eſſe è toto mundo *Illuminatis.* Super hac re plura occurrunt in *prima* ejus *Exhortatione* cap. 15 & 16. Qui deformis infeſtúſq; character quem Chriſtianis omnibus, præterquam eis qui è propria ſint Familia, inurit (qui tamen reverà (quemadmodum mox intelligetur) non ſunt Chriſtiani) non poteſt non exacerbare animos profeſſis ſuis ſectatoribus eóſq; ſupra modum irritare contra Evangelii *miniſterium Literale.* Quod tamen ſatìs clarè nobis exhibet Hiſtoriam Chriſti, promiſſa ejus, ac præcepta. Neq; quicquam eſt ſenſûs Myſtici quod verum ſit, quin *literaliter* in Textu deſcriptum inveniatur. Adeò ut

* *Vide Introduct. cap.* 8. 56. *& cap.* 1. 10.

|| *Vide vaticinium ſpiritûs Amoris, cap.* 10. 7.

* *Exhortat. c.* 7. 4 *cap.* 16, 17.

tota ipſorum gloriatio non ſit niſi de *Alluſionibus* ac *Phraſeologiis*. Nec producere quicquam poſſunt quod non apertè jam in ipſa litera nobis ante oculos jacet. Ac proinde ſi quod habent *ſelectum* inter ſeipſos *ſecretum* eſt certè *Infidelitatis* quoddam Myſterium vel *Incredulitatis*, audax & abſurda Præſumptio, *Hiſtoriam non eſſe veram*.

3. Quæ Præſumptio eos facit omnes Scripturæ peritos tam confidenter ſub ignorantia concludere, cùm nemo eorum hactenus tam naſutus fuerit ut vel minimam in *vetuſtate Literæ* odoraretur falſitatem. Ac proinde nè *Novitii* ipſorum illaquearentur diſtraherentúrve per fidem ſimplicem perſpicuámve doctrinam vulgarium Chriſtianorum, hortatur eos non auſcultare nec credere ulli alii miniſterio vel informationi, præterquam quæ adminiſtretur per *Seniores* ſuæ *Familiæ Amoris*, ipſis præcipiens ut intellectus ſuos totos * dedant natu maximo Familiæ, nullíſq; aliis aurem accommodent præterquam ſuæ Sectæ Doctoribus. * Immò verò non permittit ipſis nè *lumen* quidem *animi ſui internum* conſulere, nec ſeipſos judicare, judicaríve à propriis ſuis conſcientiis, ſed ſolummodò à *Senioribus Familiæ Amoris*, de quibus nè minimam ſuſpicionem eos habere oportet aut erroris aut perfidiæ. Quæ maxima Tyrannis & ſervitus eſt quæ humanæ Animæ imponi poteſt, nec obſcura indicatio quòd ea approbaturi ſint ac perſuaſuri quæ planè ſunt contra *Scripturam*, *Rationem* & *Conſcientiam*. Atq; hac technâ multi innocui ſimplicéſq; Agni ex ovili Chriſti rapiuntur, & in denſiſſimas remotiſſimáſq; ſylvas, & tenebroſiſſimas ſpecus & cavernas, ultra famam, deportantur ab albo hoc Lupo devorandi, qui gratioſis ſuis ſermonibus, flexanimis perſuaſionibus, mollíq; blandiloquentiâ amore totâ inuctâ & aromatizatâ, hoſce parvulos, qui ori ſuo ſalivam movent maximè, ad magnam ſui admirationem primò pellicit, & poſtea ad æternam eorum perniciem, extinguit prorſus in ipſis omnem illam Fidem quam habuerint in *Perſona* ac *Promiſſis* ſemper beati *Servatoris*.

Cap. 12. 37.

* *Cap.* 13. 9. & 14. 1.
* *Cap.* 20. 12, 13.

Quod quidem is efficit intercludendo omnes ſuppetias quas *Rationis* uſus *Scripturarúmq;* peritia afferre poſſit, ejuſmodi ea conviciis lacerans, quæ ſuprà commemoravi, (cùm molliſſima contumelia quam in ea conjicit, ſit *imaginatio ſcientiæ*,) verùm ſeipſum magnificans, ſuúmq; *ſervitium Amoris*, hoc eſt, Doctrinam ſuam ſupra quicquid hactenus filiis hominum apparuerit, quemadmodum jam intelligetur.

4. Anteponit enim ſeipſum *Abrahamo*, *Moſi*, *Davidi*, & univerſis Prophetis. *Johanni* etiam *Baptiſtæ*, immò verò & perſonæ ipſius *Chriſti*. Etenim concedit ſanè Miniſterium Patrum in fœdere Circumciſionis uſq; ad *Moſem* fuiſſe anteriorem partem veri Tabernaculi; *Moſémq;* in figuris atq; umbris exhibuiſſe veram Eſſentiam veri Sanctuarii Dei in Spiritu; *Davidiq;* ac *Prophetis* oſtenſam eſſe veram Eſſentiam in ſpiritu ſui visûs; *Johannem* porrò *Baptiſtam* præparationem fuiſſe per pœnitentiam ad introitum in *Sanctum* veri Tabernaculi, hócq; *Sanctum* veri Tabernaculi eſſe miniſterium Chriſti in Fide. Sed enimverò *Sanctum Sanctorum*, ſive *maximè Sanctum*, id ſibi ipſi reſervat ſuóq; *Amoris ſervitio*. In quo, utì ille gloriatur, eſt perfectio vitæ, vaticiniorum omnium à mundo condito completio, juſtum Dei judicium, Thronus Chriſti ante quem omnia neceſſariò ſunt manifeſtanda, perfecta Deitatis Eſſentia, & vera requies Electorum Dei. Appellat porrò ſuum *Amoris ſervitium Diem noviſſimum*, & *perfectionem* ac *Coronidem* omnium operum Dei. Quibus innuere vult illud *æternum* eſſe *Diem ſeptimum* ſive *Sabbatum*. Et tamen idem vult eſſe *Diem* etiam *octavum*, tanquam ſi affectaret Diem feſtum ultra illum Dei ipſius Diem, Tempúſq; ultra Æternitatem.

Vide Evang. ejus cap. 37.

Cap. 38. 3.

5. Rurſus, in ſuo *vaticinio ſpiritûs Amoris*, ſummo ſe iterum loco collocat in enumeratione trium principalium Miniſteriorum, Miniſterii ſcilicet Legis ſub Deo Patre, Miniſterii Fidei ſub Chriſto Servatore, & Miniſterii ſive *ſervitii Amoris* ſub Spiritu ſancto. Cujus officii affectationem ille didicit à Præceptore ſuo *Davide Georgio*, quemadmodum notatur ab ipſis qui de his Enthuſiaſtis ſcripſerunt. Miſſa hîc facio minora ejus doctrinæ encomia, veluti, Quòd ſit *Tuba ultima*, *firmiſſimus* ille *ſermo Propheticus*; Quòd ejus *Dies Amoris* ſit *novus ille Dies quem fecit Dominus*, *abundans claritate plenúſq; æterno gaudio*, *Nova Hieroſolyma deſcendens de Cœlo*, & *Hæreditas rectæ Perfectionis*. Concludemus cum illo quod ſcribit in *Revelatione Dei*: *Ecce ſtatim in hoc Die apparet Regnum Dei cœlorum ejúſq; juſtitiæ*, *Divina Majeſtas ejúſq; gloria*, *ſalus Chriſti & æterna vita in perfecta claritate cum magno triumpho & gaudio*; *Reſurrectio etiam mortuorum*, *purificatio Terræ*, *Gentium benedictio*, *juſtum Dei Judicium*, *glorioſus Chriſti Adventus cum omnibus ſuis Sanctorum myriadibus*, *Æternáq; Condemnatio impiorum in Igni Infernali*. Quid igitur amplius expectare potes quàm quod impletur in ejus *ſervitio Amoris*? Aut quæ major

Revel. Dei cap. 29. *v.* 3.

major eſſe poteſt perſona quàm is qui tam glorioſam exorditur Oeconomiam in terris? Obſervemus igitur quemnam ſeipſum faciat in media hac gloria ac apparatu quem ante hominum oculos exponit.

6. Equidem quaſi parùm eſſet è mortuis eſſe ſuſcitatum unctúmq; Spiritu ſancto, gloriatur præterea *Deum in ipſo habitationem ſuæ gloriæ ſuiq; ſancti nominis obſignaviſſe.* Et alibi, *ſe Deum factum eſſe cum Deo & conſubſtantiatum cum Divino Numine.* Et expreſſim in *Evangelio ſuo*, cap. 34. declarat, ut *Deus ſe hominificavit cum ipſo ipsúmq; Deificavit cum ſua Deitate in Tabernaculum vivum, in Domicilium habitationis, in ſedem ſui Chriſti è ſemine Davidis.* Ut *Tribunal Chriſti revelatum eſt de cœlo à dextra Dei*, útq; *in eodem Tribunali Chriſti ſedet quidam* (ſeipſum intelligit) *in habitaculo Davidis qui juſtè judicat, æquitatem meditatur, requiritq; juſtitiam, Deúmq; per eum judicaturum eſſe totum ambitum orbis terrarum.* Hic (in *Introductione ad ſpeculum juſtitiæ*) *eſt verus Meſſias, æternus Pontifex maximus in Sancto ſanctorum, nobilis Rex Iſraëlis & Judæ, qui ſedem Patris occupat, pacificus Princeps ſempiternus ſuper domum Jacob ſecundùm Promiſſa.* Verùm inquies, hoc intelligi non poteſt de *H. Nicolai* ſed de *Chriſto*, quemadmodum aliàs ſcripſit, *In ſua communitate Amoris verum eſſe judicem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ac Regem, qui juſtum exercet judicium Patris ſecundùm veritatem.* Verùm intelligere nos porrò oportet hunc Chriſtum qui ſedet ſuper thronum Patris *Davidis* eſſe Patrem natu maximum *Familiæ Amoris*, quemadmodum apparet ex ſuo *Evangelio*, cap. 31. ſect. 14, 16. Quæ loca collata cum his quæ jam commemorata ſunt planè indicant, *H. Nicolai* hunc Chriſtum eſſe ſuper thronum *Davidis* pro ſuo Tempore; &, quod adhuc pejus eſt, ſeménq; nunquam finiendæ inſaniæ ac Blaſphemiæ, Enormem utiq; hanc præſumptionem, quòd maximus natu Familiæ ipſe Chriſtus ſit de cœlo regreſſus ad judicandum mundum cum Æquitate, in ſuos poſteros derivatum iri in perpetuum. Utq; adventus hujus Chriſti videri poſſit magis glorioſus magíſq; ipſis Scripturæ locutionibus congruens, Angelis comitatus advenit æquè ac Sanctis, dum quidam ex illius Senioribus exornantur reſplendenti Titulo *Seraphinorum*, ut videre licet in *Legendo* de vita ejus, quod inſcribitur, *Mirabilia Dei*, utì etiam in ſuo *Speculo Juſtitiæ*.

Evang. cap. 38.

Cap. 12.

Exhortat. cap. 20. 13.

CAP. XIII.

1. *Examinatio Rationum omnium quæ occurrunt cur Fanaticus hic gloriator tantoperè ſe magnificet.* 2. *Nullas eſſe ejus rei Rationes nec è* Materia *quam tradit, nec ex* Eloquentia Scripturali, *nec ex ſuis animi* Rapturis *&* Allegoriis *petendas.* 3. *Ineffabilis vis & utilitas* Literæ *præ illa* Allegoriarum *in* Crucifix one, Reſurrectione, Aſcenſione *Servatoris ejúſq;* reditu ad Judicium. 4. *Quòd facultas allegoricè interpretandi Scripturas nullum donum ſpeciale ſit divinum, ſed aut naturalis imaginationis aut educationis fructus.* 5. *Nullas eum occaſiones habuiſſe magnificandi ſe ex editis* miraculis. 6. *Nec ex eo quòd* Perfectionis *aut ſpecialis aliquis* Præco *eſſet aut* Exemplum. 7. *De Imperfectione illa quæ radicatur in Impuritate* Aſtralis *Spiritûs & effrænis Tumultûs Imaginationis in hominibus Fanaticis.*

1. CÆterùm ſatìs jam narratum eſt ad oſtendendum ſingularem illam exiſtimationem quam hic *Enthuſiaſtes* & de ſeipſo habuit & in aliorum animos inſinuare voluit de ſua Perſona ac Doctrina. Examinemus jam quodnam jus rationémve ipſe habuerit tantum ſibi aſſumendi, aliíve tantum ipſi attribuendi habere poſſint. Et ut omnimoda quæ excogitari poſſint argumenta in medium protrahamus; elatam hanc de ſe opinionem, quaſi tam ſingularis eſſet perſona, aut è *Materia* quam tradit hauriri oportet, aut ex ejus *Eloquentia*, aut ex animi *Raptibus* quibus teneretur in ſcribendo ſuas Revelationes (quemadmodum eas cenſeri cupit) aut ex *allegoricis* ſuis *Myſteriis*, aut ex ſua *Perfectionis* Evangelizatione, aut deniq; ex eo quòd *Scripturæ* de ipſo *vaticinatæ* ſint tanquam de Perſona in qua omnia ſint implenda.

2. Jam verò quantùm ad præcipuam *Materiam* quam apertè tradit & in propatulo, eſt certè *præſtantia Amoris.* Quæ Chriſtianitati veritas eſt tam eſſentialis

Vide lib. 8. cap. 2. & 13.

támq; manifeſtò in Evangelio inculcata, ut nullus verus ſit Chriſtianus cui non ſit admodum conſpicua. Adeò ut nihil opus ſit novo aliquo præceptore qui in hac Divina gratia nos erudiat, multóq; minùs Prophetâ aliquo divinitùs inſpirato ad docendum id quod tam clarè jam omnibus patet. Ac proinde ſi quid novi ſubſit in hac *Amoris* doctrina, iſtiuſmodi Amoris genus eſſe oportet quod Chriſtianis prorſus ſit novum, veris utiq; Chriſtianis, non autem *Gnoſticis*, ſcholæq; *Simonis Magi* qui æquè magnificè de ſe locutus eſt atq; hic Impoſtor quoquo modo potuit. Et quod *ſcripturalem* ejus *Eloquentiam* ſpectat, animíq; *Raptus* & elevationes in ſcribendo ſua cogitata, quòd hujuſmodi res frequenter à *Natura* oriuntur (ut deteriora taceam adminicula) corporiſq; *Temperamento*, abundè declaratum eſt in *Enthuſiaſmo Triumphato*, quemadmodum & de dexteritate *allegoricè* Scripturam interpretandi; Quod quàm diſtortè tamen ac monſtrosè ille fecerit mox annotabimus.

Vide Enthuſiaſ. Triumphat ſect. 19. uſq; ad 59.

3. Intereà loci obſervatu dignum exiſtimo quàm vertiginoſi omníq; judicio deſtituti illi homines ſint, qui tantoperè myſtico ſenſu oblectantur ejuſmodi partium Hiſtoriæ Chriſti quæ maximam utilitatem habituræ ſint ſi ſecundùm meram literam intelligantur: Cujuſmodi ſunt ejus *Paſſio*, *Reſurrectio*, *Aſcenſio*, *Seſſio ad dextram Dei*, & *Reditus ad Judicium*, quando mutaturus eſt hæc vilia noſtra corpora in ſimilitudinem ſui corporis cœleſtis. Nam ſi hæc omnia faceremus meras imagines alicujus rei in nobis præſtandæ; *Crucifixionem* ſcilicet, *mortificationis* veteris hominis, *Reſurrectionem*, *reſurrectionis noſtræ ad novitatem vitæ*, & *Aſcenſionem* in cœlos ſeſſionémq; ad dextram Dei, *introitûs noſtri* in *Eſſentiam cœleſtem*, regníq; & imperii inibi noſtri cum Chriſto in ſpiritu, & *Reditum* ejus deniq; *ad Judicium*, *moderationis* ac *gubernationis naturalis* noſtri ac terreſtris *hominis* cum æquitate & Juſtitia; (quæ ipſæ allegoriæ, aut aliæ vix tam commodæ, profundiſſima ſapientia eſt maximéq; divina Revelatio quæ reperitur in admirando hoc Propheta:) Hujuſmodi, inquam, alluſiones & ſimilitudines nullam majorem vim haberent nec efficaciam ad urgendum nos promovendúmve ad eas perfectiones aſſequendas quas repræſentant, quàm ſi hiſtoria Chriſti mera eſſet fabula. Verùm ſi hæc omnia non conſideraremus quidem tanquam *Imagines*, ſed pro *Argumentis* è vera Hiſtoria deductis uteremur, haberent ſanè ad bonos nos efficiendos vim prorſus inenarrabilem. * Etenim hoc pacto quivis ingenuus animus in pœnitentiales lacrymas totus liqueſceret dum ſecum recolit, quomodo Dei filius ex mero amore ac commiſeratione erga ipſum pro ipſo eſſet crucifixus, ac proinde lubenter ſubmitteret ſe omnibus doloribus cruciatibúſq; mortificationis ex genuino gratitudinis ſenſu erga ſuum Servatorem. * Et ex credita *Reſurrectione* Chriſti è mortuis eò plùs animaretur ad proſequendam eam Reſurrectionem quæ eſt ad ſanctitatem vitæ, cùm certus ſit de æterno laborum ſuorum fructu per beatam Immortalitatem. Cujus & *Aſcenſio* Chriſti in cœlum ulterius pignus eſt, & *Seſſio* ad dextram Dei validior invitatio ad alienandum animum ſuum à deſideriis terrenis adjiciendúmq; rerum ſupernarum meditationi. * Et poſtremò certa ſpes obtinendi illam coronam gloriæ quam Chriſtus juſtus judex ipſi tribuet die noviſſimo (glorificatum illud cœleſtéq; corpus intelligo) obligatio erit maxima quæ excogitari poteſt ad expendendas vires naturalis ſui corporis in illius obſequium, ipſúmq; exponendi omnimodis aſperitatibus, immò ipſi morti ſi opus fuerit, in honorem ſui Servatoris; & ad illud poſſidendum interea in ſanctitate quantâ poteſt maximâ, per gratulabundam obſervationem Præceptorum illius à quo expectamus corporis noſtri Redemptionem.

** Vide lib. 8. cap. 16.*

** Vide lib. 8. cap. 13.*

** Vide lib. 8. cap. 18.*

4. Quamobrem cùm *literalis* ſenſus hiſtoriæ Chriſti tam potens ſit atq; efficax ad bonos nos efficiendos, indicium eſt, magnæ quidem inſcitiæ ac levitatis eſſe, meras allegorias & alluſiones, quæ nullam omnino in ſe vim habent impellendi nos ad pietatem ac virtutem, adeò deperire, ullóve modo ſuſpicari rem eſſe adeò *ſpiritualem* ac *divinam* Scripturas allegoricè poſſe interpretari. Nihil enim hîc *Divinum* eſt præterquam firmus noſter aſſenſus ipſis ſacris veritatibus quæ traduntur in Evangelio, ſive *Vita* ſint ſive *Hiſtoria*. Etenim hoc donum eſt reverà ſpirituale. Verùm quòd concipimus unam alteram repræſentare poſſe, hoc tantùm eſt naturalis Imaginationis noſtræ agilitas; aut ex uſu & educatione nobis obveniens dexteritas: qualis non dubito quin in S. *Paulo* fuerit qui educatus eſt *Phariſæus* ac proinde in eorum *Midraſh* ſive ſenſu Myſtico *veteris* Teſtamenti bene verſatus, quod fecit ut adeò pronus eſſet ad hujuſmodi applicationes in *novo*. Hæc verò non tam ſpecialis Inſpiratio erat peculiariſve *ſpiritualis* acquiſitio præ reliquis Apoſtolis, quàm muneris ſui priſtinæq; *Educationis* ſpecimen, quæ eum alluſionibus & Allegoriis in interpretando legem aſſuefecerat. Adeò ut multùm ſanè me miſellarum harum Animarum miſereſcat, quæ alluſionibus iſtis & allegoricis reflexionibus, tanquam ſpeculationibus omnium ſelectiſſimis,

Vide lib. 10. cap 13 ſect. 5.

selectissimis, ità abripiuntur oblectantúrque, ut se illuminatos indè sentiant longè supra captum aliorum mortalium; plus sibi placentes in variè depictis coloribus Iridis, quàm in sincera luce quæ illinc reflectitur. Quam tamen omnes veri Christiani manifestò vident sentiúntq; in illius Naturæ simplicitate absq; ullis hujusmodi nubilosis refractionibus, nôrúntq; reliquum non esse dictamen Spiritûs sed merum Imaginationis ministerium quæ illustrandis divinis perceptionibus opem suam affert. Et tamen tenue hoc Acetarium cibus est præcipuus quo hic Pseudopropheta suos pascit Sectatores, maximáq; Demonstratio quâ probari volunt quòd sit modo adeò extraordinario vocatus & inspiratus.

5. Quantùm enim ad miracula, nunquam ulla edidit, quemadmodum videre est in libro de ejus vita, qui inscribitur *Mirabilia Dei*, ubi nihil miraculosi commemoratur nisi propheticum quoddam insomnium in quo videtur terrefactus, unà cum religiosis quibusdam locutionibus postquam ex eo excitatus erat. Quibus addas felicem ejus elapsum è manibus Persecutorum, qui cùm fortean tam vigilantes non fuissent quàm par esset, Historia ità rem narrat quasi percussi essent cæcitate. Et deniq; ingenioſas ejus quæstiones & responsiones Sacerdoti vel *Confessario*, quando puer erat; ubi præcipuam doctrinæ suæ summam tam plenè enunciat ut videatur æquè sapere annos octo natus atq; unquam postea, quanquam ad satis grandem ætatem vixerit. Cæterùm quilibet qui vel minima ex parte rerum gnarus sit, facilè potest discernere illam Dissertationem neutiquam pro vera Historia sed pro Fabula potiùs spirituali fuisse procusam. Adeò ut hæ res, quàm libet pusillæ sint, nulla tamen sit certitudo de earum veritate.

6. Jam verò quod illum Titulum spectat, quòd eminentissimus sit *præco Perfectionis*, admodùm inanis est gloriatio. Etenim sive per *perfectionem Amorem* intelligit, qui est *perfectio Legis*, non potest clariùs commodiúsve prædicari quàm in novo Testamento per Christum & Apostolos prædicatur (* Et quæ obsecro comparatio fieri potest inter hujusmodi *Amoris doctorem*, qui postquam Dei filius per signa & miracula declaratus erat, per intimam commiserationem erga genus humanum propriam vitam effuderit, & mollem obscurúmq; homuncionem, qui nihil novit præter affectata verba sermonésq; delicatulos coram mundo proferre?) sive magis generalem prætendit Perfectionem in Divinis charismatis vitáve illa sancta cujus radix est *Fides in Deum* ejúsq; in Christo promissa, ramulíq; *Charitas*, *Humilitas* & *Puritas*, mox profectò apparebit, quantùm ad Fidem veram, eum omninò ab ea defeciſſe, factúmq; esse arborem emercidam, mortuam & eradicatam. Et in præsens manifestum etiam est ex suis scriptis (ut nullas ipsi intendamus accusationes ex alienis) quàm longè absit, ut sit perfectus in *Charitate*, *Humilitate*, aut *Puritate*. Quodnam enim luculentius signum est *defectûs Charitatis* quàm concludere omnes homines, qui ex ipsius *Communitate* non sint, Synagogam esse Satanæ, filiósq; Diaboli? Et quæ major *superbia* quàm seipsum *Abrahamo*, *Mosi*, *Christóq*; præferre, simularéq; tanquam si ipse Deus esset, judicatum veniens orbem terrarum cum suis Myriadibus Sanctorum & Seraphinorum? Et postremò, quæ evidentiora symptomata libidinis & *impuritatis* quàm subsidere excideréq; omni sensu ac præsagio vitæ futuræ? Ut taceam querelas ejus in suo *Speculo justitiæ*, de hujusmodi hominibus qui insinuarent se ad notandam detegendámq; eorum libertatem; * strenuáſq; ejus animationes contra pudorem ac modestiam in viris fœminísque, honestámq; eorum aversationem ab istiusmodi factis quæ verecundia ordinaria vetet nominari. Quæ meo quidem judicio admodum fœdæ sunt maculæ in isto *Speculo*, ac si oris sui halitum in ipsum efflâsset mulier aliqua menstruosa.

* *Vide specu-lum Justitiæ lib.3.cap.26.*

7. Cæterùm, est adhuc præterea subtilior quædam *Impuritas* à qua quisquis non est liber, puderet certè eum, si infirmitatem suam rescisceret, se profiteri *perfectum*; éstq; ea *Impuritas Astralis Spiritûs*, in quo effrænis Imaginationis sedes est & dominium. Hinc sunt isti *Syderei Planetariive Præcones* ac *Vates*, qui ipsi primò tacti afflatíve, omnes alios consimili *Impuritate* laborantes *Fanatico* suo contagio afflant & inficiunt. Illi in quibus *mortificatio* plenum suum opus nondum habuerit, naturalísq; ipsorum Temperamenti intima nondum emundaverit, de præfacili percutiuntur obruuntúrq; hujusmodi *Enthusiasticis Tempestatibus*; usq; dum perfectior purificatio ipsos commiserit tuto præsidio *Intellectualium Potestatum*. Jactet igitur se hic *Pseudopropheta*, quàm magnificè volet, de glorioſa sua resurrectione è mortuis, manifestum est eis qui ipso sunt perfectiores, quòd per eam quidem mortem nondum pertransiit quæ ad inconcussum veritatis Regnum eum deducere potuisset, & in immotam tranquillitatem serenámq; quietem mundi Intellectualis intromittere. Ubi turbidi flatus procellæq; *Astralis Spiritûs* cessant, nec *Imaginationis* violentia fideles

Repræ-

Repræſentationes Æternæ Rationis pervertit. Deus enim non eſt in his *Turbinibus*
3 *Reg* 19.12. *Fanaticis*, non certè magis quàm erat olim in *Tempeſtuoſo Vento*, *Terræ-motu*, aut Igni qui tranſibant coram Propheta *Elia*. Verùm divina veritas invenienda eſt in tacita illa & exili voce quæ *verbi Æterni* eſt *Echo*, non furioſo quidem *Imaginationis corporeæ* impulſu nobis impacta, ſed ſuaviter illabens à Patre Luminum apud quem nulla umbra eſt Immutationis. Hæc acquiſitio erat extra hujus Gloriatoris ictum ſita, qua de is nè minimum quidem habuit ſenſum vel præſagium; ac proinde totus erat deditus calidis præfervidiſq; impreſſionibus ſeductæ Imaginationis in *Aſtrali Spiritu*. Qui mirificè elatus exaltatúſq; in hoc falſo lumine vim habet per verba ſcriptáve inflammandi alios, dementandíq; eodem æſtu ſtrepitúq; ſuarum extra ſe raptu Imaginationum, ità ut Rationis è *Temperie corporis non oriundæ* vox tacita & exilis nunquam diſtinctè poſſit audiri.

CAP. XIV.

1. *Nullum eſſe de* H. Nicolai *nec de doctrina ejus in ſacra Scriptura vaticinium. Illud Angeli prædicantis æternum Evangelium ſine ratione ipſi applicari.* 2. *Ut & locum illum Johan.* 1. 21. *quòd utiq; ſit* ille Propheta. 3. *Veſana ejus Applicatio Act.* 17. *v.* 31. *ad ſeipſum.* 4. *Prava Adaptatio* 1 *Cor.* 13. *v.* 9, 10. *& Hebr.* 6. *v.* 1, 2. *ad doctrinam hujus novi Prophetæ.* 5. *Argumentatio pro Autoritate* Servitii Amoris *à ſerie* Temporum *&* Oeconomiarum, *cum Reſponſo.* 6. *Oeconomiam* Familiæ Amoris *planè adverſari* Regno Spiritûs. 7. *Authorem non oppugnare* Regnum Spiritûs *de quibus* Cabbaliſtæ *etiam loquuntur, ſed tantummodò affirmare, quòd illa Oeconomia non tollit* perſonalia Chriſti officia, *nec externam venuſtatem* Divini cultûs. 8. Regnum *hoc* Spiritûs *ſi promovendum ſit miniſterio unius cujuſpiam Perſonæ, non ſequi tamen* H. Nicolai *eum eſſe, cùm aut merus ſit allucinans* Enthuſiaſtes *aut quid pejus.*

1. ATque ea propter occæcati flatu pulveréq; hujus Fanaticæ Tempeſtatis eò dementiæ propelluntur, ut delirum hunc hominem tam ſanctam eſſe ac Divinam exiſtiment Perſonam, ut in ſacrarum Scripturarum vaticiniis indigitetur. Sed enimverò loca quæ afferunt, tam inſcitè ineptéq; applicantur, ut eos mirum in modum quaſi capite obnuptos eſſe deorſúmq; detentos prævalido aliquo faſcino & incantamento ulterior ſit confirmatio. Etenim quàm vana res eſt & nugatoria *hominem* hunc, *Angelum* illum facere qui æternum Evangelium prædicat, cùm tamen An-
Apoc. cap. 14. *v.* 6. gelicum illud præconium ſeptingentis ſaltem vel octingentis antè annis peractum ſit quàm hic homo viveret, juxta conſenſum omnium eorum Interpretum qui ſolidam ac bene cohærentem rationem vaticiniorum S. *Johannis* reddere ſunt conati? Cæterùm hoc plus eſt quàm cui nobis ſit opus allaborare (& fortean quàm effici poteſt) ut confutemus utiq; hanc Aſſertionem demonſtratione Chronologicâ. Sufficit, ut notemus, quòd dictum ſit gratìs, quòd mera Imaginatio ſit, nullâ confirmata ratione nec argumento, cùm tamen è contrà, adversùs eam oppidò quàm evidens ſit Ratio; quippe quòd hic vir quem tantoperè venerantur, vilificator potiùs ſit *æterni Evangelii* quàm ejus prædicator, quemadmodum mox apparebit ſuo in loco.

2. Secunda eorum conjectatio, quòd præfiguratus ſit in Scripturis fundatur in illo S. Johan. 1. v. 21. ubi eum volunt eſſe *illum Prophetam*, viz. Prophetam quendam eminentem, diſtinctum ab *Elia* & *Chriſto*. Verùm quàm infirmum hoc ſit argumentum perquàm facilè diſcerni poteſt. Primò enim, ſi hujuſmodi aliquis eminens Propheta futurus eſſet, diſtinctus ab *Elia* & *Chriſto*, non ſtatim ſequitur quòd hic is ſit. Et tum dein, hæc Judæorum expectatio nullum Divinum eſt Teſtimonium. Et verò tertiò, expectabant eum *Judæi* quemadmodum quidam notârunt Interpretes, ante
Vide Gratium in locum. adventum *Eliæ*, ut *Eliam* ante adventum *Chriſti*. Alii intelligunt per illum Prophetam, Prophetam *Jeremiam* qui nuncupatur ὁ θεοῦ προφήτης, *Ille Propheta* Dei. Et poſtremò, inter reliquos præſtantiſſimus ille *Criticus* piúſq; Interpres *Caſtellio* ſimpliciter reddit, *Propheta*. Cùm ſenſus ſit, *Eſne ſaltem tu Propheta?* Vide *Caſtellionem* in locum. Tot, ecce, ſunt enervationes hujus abſurdi Figmenti, quòd is prædictus ſit in hoc Scripturæ loco.

3. Sed & tertium locum producam, eúmq; à ſeipſo electum, Act. 17. ubi Deus dicitur

dicitur *ſtatuiſſe Diem quo juſtè judicaturus eſt orbem terrarum per eum virum quem definiit, Fide ejus rei palàm factâ omnibus per illius ex mortuis ſuſcitationem.* Effrons hic *Enthuſiaſtes* non dubitat ſibi ipſi hunc locum applicare, quaſi is vir ille eſſet inibi prædictus. Cùm tamen clarè conſtet locum intelligendum eſſe de *Perſona Chriſti* quem Deus corporaliter ſuſcitaverat è Sepulchro in pignus palpabile ratámq; confirmationem, quòd mundus per eum judicabitur ſecundùm Scripturas, Matth. 25. 31. Cæterùm ſupponentes locum ità intelligendum eſſe, quemadmodum Fanaticus hic gloriator eum vult intelligi, videamus qualiſnam ſenſus futurus ſit cum præcedenti verſu continuatus, qui erit hujuſmodi, *Deum ſcilicet nunc omnibus ubiq; hominibus denunciare, ut reſipiſcant, quippe quòd mille quingentis annis hinc elapſis, ſuſcitaturus ſit H. Nicolai è mortuis, ſenſu morali, qui mundum judicaturus eſt per ſuam Doctrinam.* Quàm *Gyrgathæa* hæc inſania eſt hujuſmodi ſacræ Scripturæ Expoſitiones, ſub prætextu ſublimioris Inſpirationis quàm unquam hactenus in mundo extitit, venditare? Exhortatio Apoſtoli ſenſum haberet æquè enormem ac luxatum, atq; ſi quis vehementi voce populum inclamaret in *Pauli* ambulantem, ut in pedes quantum queunt ſe conjiciant, confeſtímq; è Templo excurrant, quippe quòd mille hinc & quingentis elapſis annis in capita hominum ſit ruiturum. AA. 17. v. 31.

4. Ut nulla omittam loca quæ afferunt, addam inſuper 1 Cor. 13. v. 9, 10. *Ex parte enim cognoſcimus & ex parte vaticinamur, poſtquam autem advenerit quod perfectum eſt, tunc quod ex parte eſt, ut inutile, delebitur.* Et Hebr. 6. v. 1, 2. *Quapropter omiſſo rudimentorum Chriſti ſermone ad perfectionem tendamus, non jacientes rurſum fundamentum reſipiſcentiæ ab operibus mortuis & Fidei in Deum, Baptiſmatum doctrinæ ac manuum impoſitionis, & Reſurrectionis mortuorum & judicii æterni.* Ex his duobus locis colligere ſolent, quòd Doctrina Chriſti eſt imperfecta, quódq; perfectior doctrina ventura erat, quæ eſt, inquiunt illi, doctrina *Hen. Nicolai.* Quod tamen argumentum æquè infirmum eſt & frivolum quàm blaſphemum. Manifeſtum enim eſt in priori loco non comparari Doctrinam aliquam in terris introducendam cum doctrina Chriſti & cognitione Apoſtolorum, ſed conditionem cognitionis Chriſtianæ Eccleſiæ in hac vita cum illa quam habitura eſt in cœlis: Ac proinde dicit, *Nunc ex parte cognoſco, at tunc cognoſcam quemadmodum & ipſe ſum cognitus.* Quid! numnam S. *Paulus* innuit, ſe nihil clarè ante tempora H. Nicolai intellecturum? O inſaniam & impudentiam vertiginoſorum horum Interpretum! Quantùm verò ad locum poſteriorem, Quid? nunquid nos volunt amittere ſymbolum Chriſtianum ſub prætextu novæ doctrinæ quæ ſit perfectior? Immò, volunt proculdubio; quemadmodum mox planè apparebit. Verùm quàm impudenter hac Scripturâ abutantur ad execrabilem hunc finem, evidens eſt ex ſubſequenti verſu, *Atq; id nos faciemus ſi quidem permiſerit Deus*, hoc eſt, Ipſe Apoſtolus tradet illam doctrinam Perfectionis cujus facit mentionem verſu primo. Ac proinde nullum eſt vaticinium de doctrina *H. Nicolai*, ſed exquiſitior de Sacerdotis Chriſti præſtantia declaratio, quæ longior eſt & accuratior quàm quæ brevi Symbolo queat comprehendi. Verùm ad quàm miſellas technas adiguntur deluſi hi Fanatici, cùm meliora his argumenta non habeant pro erroribus ſuis rebellibus adversùs Chriſtum ſuffulciendis?

5. Examinationem rationum quibus inducantur ad credendum virum hunc Fanaticum tam grandem eminentémq; Prophetam cum paulò elegantiori ſpeculatione Sectatorum ſuorum, quâ ſuffulcire volunt magnam illam opinionem quam de ipſo conceperunt, quæ & ab ipſomet alicubi indicatur, concludam. Nimirum, Ipſam temporum ſeriem ac Providentiæ magnis illis profeſſionibus quas is de ſuo facit miniſterio, teſtimonium videri perhibere. Etenim quemadmodum ad Tempus erat *Miniſterium Legis* ſub *Deo Patre*, & *Miniſterium* poſtea *Fidei* ſub *Chriſto filio*, ità & *Spiritum ſanctum* ſuas habere debere vices & *Miniſterium.* Et quodnam *Miniſterium* illud eſſe poteſt præterquam *Miniſterium* vel *Servitium Amoris*? Ad quod reſpondeo, ſi hoc ſeriò loquuntur & cum ratione habita ad tres *Hypoſtaſes* ſemper beatæ *Trinitatis*, manifeſtum eſſe, quòd hoc *Myſterium* non communicabatur cum mundo ſub Lege *Moſis*, ſed cuſtodiebatur abſconditum ſub arcana *Cabbala* apud viros ſapientes ac Prophetas, tunc demum publicandum, poſtquam Chriſtus venerit, ad meliùs intelligendam aptiúſq; commendendam doctrinam ipſius unionis cum *æterno Verbo.* In adventu igitur Chriſti, cum quo plenitudo Divinæ ſapientiæ communicanda erat cum hominibus, diſtinctior cognitio *Deitatis* clariórq; confirmatio *Immortalitatis Animæ* (quæ præcipui ſunt antiquæ *Cabbalæ* ramuli) erat etiam impertienda. Verùm nuſquam dicitur, nec certè poteſt concipi, quòd Deus *Pater* diſtinctim à *Filio* & à *Spiritu* ſancto Legem dedit *Moſi*, ſed actus erat, (quemadmodum omnes actus

ſunt

ſunt ad extrà) integræ *Deitatis*; nec verò *Pater* nec *Spiritus* ſanctus excluduntur in Oeconomia Evangelii, ſed gloria eorum agnoſcitur æqualis, & majeſtas coæterna. Nec perrò fieri poteſt ut Eccleſia unquam ceſſet eſſe ſub *Fide Jeſu Chriſti*, ità ut alia aliqua ſuccedens Religio eam ſit expulſura. Etenim *Fides* promiſſorum viſibilis adventûs Chriſti ad Judicium remunerationíſq; verorum ſuorum membrorum coronâ æternæ vitæ ac gloriæ, neceſſariò debet manere uſq; dum ipſa *Promiſſa* ſint *impleta*. Quæ non niſi phantaſticè & umbraticè impleri concipiuntur in *Servitio Amoris*.

6. Præterea, quemnam obtentum habere poteſt illa Oeconomia ut ſe venditet pro Miniſterio *Spiritûs*, in qua homines inhibentur à fidem adhibendo internis propriorum Animorum manifeſtationibus (in quibus ſolis propriè dici poſſunt à Deo doceri) urgentúrq; ad dedendam omnem ſuam lucem propriáſq; conſcientias ut regantur flectantúrq; ad voluntatem *ſeniorum* ejus Familiæ? Hoc non eſt divinitùs inſpirari ſed à ſolis doceri hominibus, & ad inſtar fruſti alicujus inanimi marmoris per manum ſtatuarii formari & exſculpi. Adeò uſquequaq; diſſimilis eſt *Oeconomia Spiritûs*, huic *Servitii Amoris Oeconomiæ*. Ut præteream, Rapinæ ſpeciem eſſe furtíque, illud tanquam proprium ſuæ ipſorum Familiæ addicere quod tamen uniuſcujuſq; verè credentis in Chriſtum eſt peculium, ut qui proculdubiò aſſiſtentiam habet Spiritûs ſancti, quemadmodum fusè probavi in ſequentibus partibus hujus Tractatûs.

Vide lib 8. *cap.* 8 *&* 9.

7. Verùm enimverò ſiquis auſit affirmare, Poſt emortuam hanc Religionis Formam externámq; adulationem *perſonæ* Chriſti, quæ per nimiùm multa ſecula perduravit, ſucceſſurum eſſe generaliorem dominatum *Spiritûs vitæ* experimentalíſq; cognitionis interni illius Sceptri ac Poteſtatis, ſubjicientis ſibi omnes Inimicos ſub pedibus ſuis, mundúmq; renovantis in veram juſtitiam ac ſanctitatem, hoc illud eſt quod ego nullo modo oppugno, immò verò ut liberè fatear quod res eſt, fatalem equidem habeo immutabilémq; propenſionem ad credendum illud eſſe verum, hócq; eſſe poſſe *Regnum* illud *Spiritûs* quod *Cabbaliſtæ* olim præſagierunt, quódq; incipit cum Reſuſcitatione Teſtium in Apocalypſi S. *Johannis*. De quibus rebus jam locutus ſum. Verùm intereà loci hoc non eſt ſpeciale opus unius cujuſpiam hominis, ſed ad imaginem erit Viſionis * Ezekielis, ubi *Spiritus à quatuor Regionibus cœli veniens oſſa afflat, nervis, carne, cutéq; jam intecta. Et ecce revixerunt, ſteterúntq; ſuper pedes, valdè magnus exercitus*, agmen ordinatum, qualem oportet eſſe Chriſti Eccleſiam. Nam interna hæc vis Spiritûs non abrogabit nec deſtruet (quemadmodum hi *Satanici* Impoſtores prætendunt) externam Religionis Chriſtianæ fabricam, quæ perſonæ Chriſti ſpectat officia, Capitis Eccleſiæ ſuæ; ſed emendabit eam & corroborabit, faciétq; magìs irreprehenſibilem, & ſuprà quàm dici poteſt pulchram: ut major erat ſplendor in illis ſuſcitatis corporibus poſtquam Spiritus vitæ in ipſa intraverat quàm quando mera erant inanima cadavera.

Vide lib. 5. *cap.* 17. *ſect.* 8.

* *Cap.* 37. *v.* 9, 10.

8. Ad hæc, tametſi crederemus hanc Oeconomiam Chriſti in Spiritu, ſpecialiori quodam modo unius alicujus miniſterio promovendam eſſe, non omninò ſequitur quòd *H. Nicolai* is ſit; nec id ſolùm, ſed & nullus dubito quin manifeſtum ſim facturus impoſſibile eſſe ut ſit ille. Quod ſufficienter me præſtiturum ſpero ſi ipſum nulla ex parte eum eſſe quem ſe eſſe prætendit, ſed merum ſolummodò allucinantem Enthuſiaſten, ſi non pejus quid, demonſtravero. Quæ ultima pars eſt mei Propoſiti. Atq; hoc, quantum ego exiſtimo, plenè evincitur probando eum omnia officia perſonæ Chriſti antiquâſſe quatenus homo eſt, & ſpem omnem intercepiſſe ejus viſibilis reditûs ad judicium in nubibus cœli, remunerationíſq; omnium verè credentium gloriosâ coronâ vitæ in cœleſti corpore die noviſſimo. Quæ quidem res adeò manifeſtæ ſunt in Scriptura, ut Scripturam ipſam oporteat autoritatem ſuam perdere ſi illæ ſemel perdant ſuam fidem, quemadmodum manifeſtum eſt ex eis quæ jam diximus in hoc præſenti Tractatu. Ac proinde qui hæc negat palàm eſt eum non eſſe hominem divinitùs inſpiratum, ſed Miniſtrum & negotiatorem pro Diabolo.

CAP.

CAP. XV.

1. *Quòd perſonalia Chriſti officia non ſunt antiquanda : Sacerdotem eſſe in æternum, demonſtratum ex multis ſacræ Scripturæ locis.* 2. *Officium judicis affixum eſſe etiam* humanæ *illius Naturæ, probatum ex multis Scripturæ teſtimoniis.* 3. *Loca adducta ad excludendam Chriſti humanitatem, cum Reſponſis ad ea.* 4. *Locus ultimus maximéq; plauſibilis quem adducunt, cum Reſponſo ad eundem.*

1. JAM verò quòd *humana* Chriſti *perſona*, ſi fas ſit ità loqui, non ſit abjicienda, evidens eſt (ut nè repetam quæ aliàs attuli) ex tota Epiſtola Autoris ad *Hebræos.* Etenim is qui ibi dicitur Sacerdos in æternum, eſt ille ipſe homo qui crucifixus erat *Hieroſolymis*, qui dicebatur *per omnia fratribus eſſe ſimilis, ut miſericors eſſet & fidelis Pontifex in iis quæ apud Deum agenda forent ad expiandum peccata Populi. Nam ex eo quòd perpeſſus fuit cùm tentatus eſt, poteſt & iis qui tentantur ſuccurrere.* Patétq; ulteriùs, quòd hic ipſe eſt quo de loquimur, ex eo quòd *naſci dicitur non ex tribu Levi ſed ex tribu Judæ*, cap. 7. 14. & tamen inibi declaratur *Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſidechi.* Totum caput lege; nihil clariùs aſſeri poteſt quàm æternum Sacerdotium hujus hominis, *qui populum ſanguine ſuo luſtrans extra portam ſupplicium pertulit.* Quæ hujuſmodi ſunt particularia quæ neceſſariò æternum Sacerdotium humanæ Chriſti Perſonæ affigant. *Hebr.2.v.17, 18.*

Rurſus, ex eo quòd dicitur non niſi ſemel pati, manifeſtum eſt *literaliter* intelligendum eſſe de *humana* ejus *perſona. Cúmq; omnis ſacerdos pergat quotidie Ceremoniis fungi, & eadem ſæpe ſacrificia facere quæ peccata adimere nunquam poſſunt, Ille uno pro peccatis ſanctus in perpetuum ſacrificio conſedit ad Dei dextram,* &c. Et tamen adhuc pleniùs in antecedenti Capite, *Non enim in manufactum ſanctuarium ingreſſus eſt Jeſus, quod veri ſanctuarii exemplar foret, ſed in ipſum cœlum ut nunc Deo coram appareat pro nobis. Neq; ut ſæpe ſeipſum offerret, quemadmodum Pontifex ingreditur ſanctuarium quotannis adhibito ſanguine alieno : alioqui fuiſſet ei ſæpe patiendum ſupplicium ab orbe condito : ſed nunc ſemel ſub ſeculorum exitu ad obliterandum ſuo ſacrificio peccatum, factus eſt manifeſtus. Et quemadmodum hominibus ſemel moriendum eſt, deinde ſubeundum Judicium : ità Chriſtus ſemel ad multorum tollenda peccata oblatus, iterum ſine peccato conſpicietur expectantibus ſe ad ſalutem.* Quibus addere potes illud *Petri*; *Siquidem Chriſtus quoq; ſemel pro nobis paſſus eſt, juſtus pro injuſtis, quò nos ad Deum adduceret.* Et 1 Johan. 2. 1. *Filioli mei, hæc vobis ſcribo ut non peccetis, quòd ſi quis peccaverit Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum; Qui & piaculum eſt peccatorum noſtrorum, nec ſolùm noſtrorum ſed etiam totius mundi.* Et ſi ſic erat in Temporibus Johannis, cur non ſemper? *Hebr.cap.10. v.11.* *Hebr.9 v.24, 25, 26, 27, 28.* *1 Pet.3.18.*

Præterea, Rom. 5. 6. *Chriſtus enim cùm nullis adhuc viribus eſſemus, præſtituto tempore pro impiis mortuus eſt.* Non dicit, *per* impios ſed *pro* impiis. Quod proinde *allegoricè* exponi non poteſt, niſi admodum inſenſatè; non certè magìs quàm verſus 10. *Si enim hoſtes cùm eſſemus, reconciliati ſumus Deo per ejus filii mortem, multò magìs reconciliati ſervabimur per ejus vitam.* Nunquis reconciliatur per *vitæ Divinæ, myſtici* utiq; in nobis *Chriſti*, mactationem? Quamobrem manifeſtum eſt quòd in temporibus S. *Pauli* humana Perſona Chriſti ille Pontifex erat qui propitiatio erat apud Deum per ſui ipſius ſacrificium; nec verò Deus declaravit uſquam quòd adhuc eum exuerit, vel unquam exuturus ſit ſuo munere, uſq; dum venerit ad Judicium, quando *apparebit ſecundâ vice abſq; peccato ad ſalutem*, quemadmodum dictum eſt ex Autore ad *Hebræos*, hoc eſt, quando ſuum piaculum ſecum non adducet, *corpus* ſciliet *terrenum*, mortale & crucifixionis capax, ſed apparebit tanquam glorioſus Judex ad perficiendam ſalutem omnibus qui verè in eum credunt, lætúmq; ejus expectant adventum, quo tempore corporum noſtrorum redemptionem conſummabit nóſq; transferet ad æternum ſuum Regnum in cœlis.

2. Atq; hoc Judicis officium *humanæ* ipſius *Perſonæ* quaſi ſignatis Tabulis confirmatum eſſe, manifeſtum eſt ex eo quod ex Actis Apoſtolorum recitavimus, nempe, quòd *Deus palàm fidem fecit omnibus quòd judicaturus ſit orbem terrarum per virum Jeſum ex eo quòd tam miraculosè eum è mortuis ſuſcitaverit.* Qui & ille ipſe filius hominis eſt qui apparebit ſuper Thronum ſuis Angelis conſtipatus, Matth. 25. Et nemo profectò negabit quin is qui ſedet ad *dextram Dei* venturus ſit ad judican- *Act.17.v.31.*

dum vivos ac mortuos. Verùm eſt hic ipſe crucifixus Jeſus, qui *pro lætitia ſibi propoſita ſuſtinuit, contempto pudore, crucem, & ad dextram ſolii Dei conſedit*, Hebr. 12. 2. Cui veritati S. Paulus etiam teſtimonium perhibet in Actis. Ubi ille ipſe Jeſus *quem Judæi tradiderant negaverántq; coram Pilato*, dicitur *receptus eſſe in cœlos uſq; ad tempora reſtitutionis omnium, de quibus jam olim locutus eſt Deus per os omnium ſanctorum ſuorum Prophetarum.* Hoc utiq; innuit quòd in ultima completione periodorum Temporis appariturus ſit rurſus, finiturúſq; Pietatis myſterium & perfecturus tandem Populo ſuo ſalutem juxta quod promiſit Johan. 6. *Nemo poteſt ad me venire niſi pater qui me miſit eum trahat, quem & ego ſuſcitabo ultimo die.* Quod proculdubio intelligendum eſt de ipſius *humana Perſona*, propterea quòd ob eam ipſam cauſam Judicem eum conſtituit vitæ atq; mortis; quemadmodum apparet Cap. 5. v. 26. *Sicut enim Pater habet vitam in ſeipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſeipſo. Et auctoritatem ei dedit etiam judicii exercendi quoniam filius eſt hominis.* Jam igitur cùm dicit, Nemo poteſt venire ad me niſi Pater eum trahat, manifeſtum eſt per Patrem intelligendam eſſe *inviſibilem Deitatem*, cujus operationes & præparationes intra animam hominis, eum habilem faciunt ad ſe jungendum cum *humana* Chriſti *Perſona*, viſibili utiq; Capite Eccleſiæ Dei: alioqui ſi per Chriſtum hìc intelligeretur *æternum Verbum*, ſenſus equidem minimè eſſet commodus. Illud enim eſt quod trahit, non id ad quod trahitur, hoc in loco. Porrò, ubi ait quòd ſuſcitabit eum die noviſſimo, evidens eſt, non *Moraliter* nec *Myſticè* intelligendum eſſe, ſed *Literaliter*; alioqui differri non poſſet uſq; ad ultimum diem, ſed perficiendum eſſet in hac vita. Nec intelligi poteſt de die *Servitii Amoris*, tunc enim ſenſus eſſet, eos qui ante ſexdecim centenos annos in Chriſtum crediderint, futuros nunc eſſe *Familiſtas*, vel potiùs alios aliquos eorum loco. Quæ profectò Promiſſa inſipida ſunt & ridicula. Quamobrem hicce filius hominis eſt cui Deus etiam dedit poteſtatem exercendi judicium. Atq; ille ipſe proculdubiò eſt qui repræſentatur ſuper magnum Thronum candidum, à cujus conſpectu terra cœlúmq; fugerunt, Apoc. 20. *Et vidi mortuos parvos & magnos ſtantes in conſpectu Dei, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt qui eſt liber vitæ, judicatiq; ſunt mortui ex eis quæ ſcripta erant in libris, ſecundùm opera ipſorum: & reddidit mare mortuos quos habebat, mors quoq; & Infernus reddiderunt mortuos quos habebant, & judicatum eſt de ſingulis ſecundùm opera ipſorum. Infernus autem ac mors conjecti ſunt in ſtagnum ignis.* Infernus (i. e. ᾅδης) Regio hìc eſt mortuorum; Totáq; fabrica ac Phraſeologia materiæ hìc contentæ tam planè ſupponit Judicium eſſe de defunctis, ſive mari immerſi fuerint, ſive ſepulchris conditi, ſive aliis cujuſmodicunq; circumſtantiis hanc mortalem vitam reliquerint, ut veritas hæc de viſibili Chriſti adventu ad judicium nullis inventis allegoricis celari poſſit aut eludi.

Act. 3. 13. 21.

3. Nec habent certè inconſiderati noſtri Adverſarii quicquam quod afferant pro contumaci ſuo contemptu *humanæ Perſonæ* Chriſti, niſi Scripturæ locum unum & alterum quos illi oppidò quàm perperàm interpretantur. Cujuſmodi ſunt Hebr. 11. v. 26. Ubi Moſes *majores dicitur ratus eſſe divitias*, Chriſti *probrum, quàm* Ægypti *theſauros.* Et cap. 13. v. 8. *Jeſus Chriſtus & herì & hodie & idem eſt in ſempiternum.* Ex quibus locis talem ſibi ſolummodò animo figurant Chriſtum qui temporibus *Moſis* æquè erat atq; nunc, idémq; erat ſemper ab orbe condito ſempérq; eſt futurus. Verùm montes hìc, quod dicitur, è grumis planè excitant. Simplex enim ac genuinus ſenſus prioris nihil aliud eſt quàm quòd *Moſes* tales contumelias tulit quales Chriſtus fidíq; Chriſti Profeſſores ferunt: quod exemplum *Moſis* pro argumento adhibet ad *Hebræos*, ad confirmandam ipſorum patientiam. Niſi fortè locum interpretandum putes ex illa ſuppoſitione, quòd Chriſtus præfectus eſſet *Iſraëlis* etiam ante ſuam Incarnationem. Cæterùm prior ſenſus facilior videtur & plauſibilior. Et quod locum ſpectat alterum, nihil aliud eſt quàm exhortatio ad Perſeverantiam, à conſtantia Chriſtianorum Præſidum ac Rectorum, qui in fide perſtiterant uſq; ad finem; unde eos monet Apoſtolus quòd fides etiamnum eadem ſit, Chriſtíq; aſſiſtentia eadem nunc quæ tunc eis fuerat, ſempérq; futura eſt eadem omnibus verè credentibus. Quod certè totum id exhaurit quod ſententia illa innuit, *Jeſum Chriſtum eundem herì eſſe & hodie & in ſempiternum.* Etenim vocem *herì* interpretari *ab Æterno* admodum durum eſt & phraſeologiæ Scripturæ adverſum. Pſalm. 90. *Nam apud te mille anni habentur pro heſterno Die præterito.* Et Job. 8. *Nam nos quidem heſterni ſumus nec ſcimus quicquam.* Quod veriſſimum eſt de novis his novitiis Scripturarum interpretibus.

4. Cæterùm ultima eorum maximéq; plauſibilis Citatio eſt ex Epiſtola ad Corinthios. *Itaq; nos deinceps neminem novimus, ſecundùm carnem. Quòd ſi Chriſtum ſecundùm*

2 Cor. 5. 16.

ſecundùm carnem cognovimus, at nunc jam non novimus. Hinc plenam ſibi factam eſſe copiam exiſtimant exauctorandi *humanam Perſonam* Chriſti ex hoc *Pauli* exemplo. Sed error eorum ex inſcitia Idiomatis Hebraici exortus eſt, in hoc Scripturæ loco. Etenim quemadmodum notavit præſtabilis ille Interpres *H. Grotius*, verba reddenda ſunt, *Immò tametſi noverimus Chriſtum ſecundùm carnem*, hoc eſt, Tametſi ipſe cum aliis Chriſtum noverim ſecundùm carnem verſatúſq; ſim cum eo hîc in terris, immò cognatione aliquantò propinquiùs cum eo conjunctus, quemadmodum quidam, ut videtur, *Corinthii* gloriabantur, tamen deinceps, inquit ille, ad hunc modum eum non cognoſceremus, ſed tanquam cœleſtem Principem; apud quem ille in maxima eſt gratia qui maximè propè renovatus ſit ad Imaginem illius vitæ. Vel abſq; hoc Hebraiſmo; Obliqua poteſt eſſe monitio ad perſonas prædictas, rationémq; habere potiùs exhortationis ad ipſos quàm declarationis de ſeipſo; quam illi eò certiùs cogerentur ſibi ipſis aſſumere, quantò evidentiùs conſtaret *Paulum* nunquam noviſſe Chriſtum ſecundùm carnem. Quòd hujuſmodi ſenſum aliquem habet ac non illum adverſariorum, ex præcedenti verſu eſt manifeſtum, ubi *humanam* Chriſti *Perſonam* in Sacerdotali ſuo officio expreſſim agnoſcit. Propterea quòd aſſerit *eum eſſe unum illum hominem qui mortuus eſt pro omnibus* (non occiſus *per* omnes prout ſuprà notavi) *ut vivi non jam ſibi ipſis vivant ſed ei qui pro ipſis eſt mortuus & revixit.* Quod nullum habet ſenſum niſi intelligatur de *humana Perſona* Chriſti. Et verſ. 20. apertè profitetur ſeipſum nuncium eſſe crucifixi *Jeſu*, magnive Angeli fœderis legatum. *Itaq; cùm pro Chriſto Legatione fungamur, ut Deo per nos adhortante, quæſumus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Qui peccati ignarum pro nobis peccatum effecit, ut in eo nos fieremus Juſtitia Dei.* Quorum nullus eſſe poteſt ſenſus probus qui *humanam* Chriſti *perſonam* ab officio Sacerdotali excluſerit. Abundè igitur demonſtravimus *Perſonam* Servatoris non eſſe exauctorandam, ſed in æternum Sacerdotem eſſe ſecundùm Scripturas.

CAP. XVI.

1. *Quòd* H. Nicolai *in ſcriptis ſuis exauctorandam eſſe* Perſonam *Chriſti planè docet. Ut ubi affirmat, quicquid docetur à Scripturæ peritis falſum eſſe. Omnéſq; res Biblii non eſſe niſi Præfigurationes eorum quæ ad* beatæ ſuæ Familiæ *conditionem ſpectant.* 2. *Aliæ citationes ad idem propoſitum, ejúſq; execrabilis Allegoria* Paſchatis *à Chriſto cum diſcipulis celebrati, quo veram illius cognitionem Hiſtoricam conatur abolere.* 3. *Multa Loca ubi Sacerdotale Chriſti officium evidenter tollit.* 4. *Alia quæ glorioſum tollunt illius reditum ad Judicium & Reſurrectionem mortuorum in ſenſu vero ac Apoſtolico.* 5. *Cur in hac Controverſia voce* Perſona *potiùs uſus ſit quàm* Natura.

1. ÆQuè evidens jam faciemus, quòd hic Pſeudopropheta, quo de loquimur, eum exauctorandum eſſe cenſet, quo clarè eum apud mundum falſitatis & impoſturæ convincemus. Idq; præcipuè ex propriis ipſius ſcriptis. Ex quibus primùm iſtiuſmodi Loca producemus quæ modo generaliori id, ad quod tendimus, inferant. Quod certè talia Loca faciunt, quæ expreſsè declarent, *Quicquid docetur de Chriſto extra Communitatem Amoris, falſum eſſe.* Unde planè apparet, Articulos Symboli Apoſtolici *literaliter* intellectos *falſos* eſſe juxta ſententiam inſpiratæ hujus Communitatis. Etenim hi Articuli docentur ab eis qui non ſunt è Familia *H. Nicolai.* In *prima exhortatione* cap. 5. ille planè declarat, veram fidem in Jeſum Chriſtum inveniri non poſſe apud ullum populum in terris qui extra *Communitatem Amoris* verſantur. Et cap. 16. ſect. 15, 16. nos monet, *Præſumptionem eſſe contra Deum contráq; ejus Sanctos, quòd quiſquam ex* Literæ *peritia vel ex imaginatione ſcientiæ tantum ſibi aſſumat ut pro Doctore ſe gerat vel prædicatore, inſtituátve quicquam, vel immiſceat ſe ulli Dei cultui niſi ſit illuminatus Senior è Familia Amoris.* Et ſect. 17. affirmat, *Omne id falſum eſſe ac mendacia, ſeductionem & deceptionem, quicquid docetur ab aliis ex Scripturæ peritia.* Rurſus in Evangelio ſuo cap. 32. ibi aſſerit, *Qui extra* Familiam Amoris *exiſtunt, omnes res Chriſtianitatis eis eſſe in Imaginibus, Figuris & umbris, in ſimilitudinibus, Parabolis & Libellis ſigillatis:* ubi mens ejus facilè intelligitur ex cap. 30. ſect 17. *Figuras enim*

umbráſq; hæc facit verarum & ſpiritualium rerum, quæ olim per Jeſum Chriſtum evenerunt, viſæ ſunt, auditæ & prædicatæ, quæq; manſerunt tanquam monumenta verarum & ſpiritualium rerum quæ procedente tempore eventuræ erant, nempe per hunc divinitùs inſpiratum Miniſtrum. Quo *Hiſtoria* Chriſti mera ſit *Allegoria* Propheticáq; Præfiguratio eorum quæ implentur in *Oeconomia Communitatis Amoris.* In qua omnia implentur in Chriſto quicquid de ipſo ſcriptum eſt, prout is planè aſſerit, cap. 1. ſect. 10. Et copioſiùs declarat in ſuo *vaticinio ſpiritûs Amoris*, cap. 13. *Neminem ex naturali ſuo Scripturæq; conſulto intellectu ullum omnino habere lumen vel notitiam Chriſtiani Myſterii, immò verò ejuſdem adeò expertem eſſe, ut nè minimum illius apicem intelligat. Loqui quidem poteſt ex verbo ſcripto ſed nè hilum intelligere juxta veritatem, ſed totum opertum eſt & ſigillatum coram eo in ſimilitudinibus, Imaginibus, Figuris & Parabolis.* Ubi iterum facile eſt inferre, egregium hunc Prophetam nullos articulos Chriſtianæ Fidei veros eſſe tenere eo in ſenſu quo *Scripturæ conſulti* eos docent. Quod planè eſt negare Hiſtoriam Chriſti meróſq; *Infideles* noſmetipſos profiteri. Ex quo ſpiritu *Infidelitatis* ſingulas ferè clauſulas *Symboli*, tam diſtortis allegoriis eluſit, ut hujuſmodi hominibus, qui fanatico illius afflatu dementati non ſint, nec ad meliorem de ipſo fovendam opinionem quàm meritus ſit effaſcinati, neceſſariò appariturus ſit *Infidelis.*

Poſtremò, In ſua *Introductione*, cap. 9. ſect. 35. Ibi iterum audacter affirmat, *Pro certo mera eſſe mendacia quicquid* literæ *periti inſtituunt vel exponunt, quantumlibet claro ſint intellectu, ſi nondum reformati ſint* per *Amorem* cjúſq; *ſervitium.* Et in ſubſequenti ſectione planè declarat, Scripturas non docendas eſſe nec exponendas *Hiſtoricè*, ſed tanquam Præfigurationes Promiſſorum quæ implentur in ſuo *ſervitio Amoris.* Unde manifeſtum eſt eum nullam habuiſſe fidem *Literæ* Scripturæ nec miraculoſæ Hiſtoriæ Chriſti & prædictionibus de ipſo quibus Fides noſtra alligetur *humanæ* ipſius *Perſonæ.* Ad quam abolendam ſummâ, quæ fingi poteſt, utitur diligentiâ, tanquam ſi non ſimplex ſtudium, ſed inſpirata quædam invidia odiúmq; planè *Satanicum* adverſùs honorem *Perſonæ* Chriſti, eum in omnibus ſuis ſcriptis agitaret.

Cap. 12. Sect. 14. 2. In quem finem, opinor, illa cautio eſt in *Introductione*, *Ut nemo cor ſuum alliget ulli rei externæ quæ ipſi inſerviat ad rectitudinem vitæ.* Nam omnium rerum externarum nulla huic fini aptiùs inſervire poteſt quàm *humana* Chriſti *perſona*, qui paſſus eſt pro nobis redemítq; nos ab ira ventura, modò nos fideles in ſuo fœdere maneamus. *Introduct. cap. 13. 17.* Illa etiam Loca ubi ait, *vitam piam eſſe ipſum Servatorem, neminémq; Chriſtum noſcere poſſe eúmve confiteri, niſi illius* forma *ſit in eo*, hoc eſt, vita illius vel imago, videntur eò dirigi ut *externam* Chriſti *Perſonam* allidant. Quemadmodum & id quod profert cap. 22. *Quòd nullum aliud ſcilicet fundamentum jaci poteſt quàm ille Jeſus Chriſtus, qui ab æterno erat, eſt, & in æternum eſt futurus.* Quo nullus dubito quin intendat humanæ illius Perſonæ excluſionem, cujus computus non niſi ſexdecim centenos antè annos aut eò circiter incepit. Sed *maximè* mirabilis Techna quâ eum exauctorare nititur, eſt *myſtica* illius Expoſitio celebrationis *Paſchatis* Chriſti cum diſcipulis. Quam perfacilè intelligemus modò notemus quid ille per *Carnem* in ſcriptis ſuis ſignificet. Per *Carnem* verò intelligit *Literam* vel *Hiſtoriam.* In *vaticinio ſpiritûs Amoris*, cap. 13. v. 4. *Quapropter omnes illi longè profectò errant qui ſecundùm proprium intellectum (ex terreſtri eſſentia vel ex* carne *vel litera) veritatem Dei judicant, quæ cœleſtis eſt & ſpiritualis:* vide etiam Introduct. cap. 14. ſect. 20.

Nunc igitur ſi legas Evangelium ejus, cap. 21. ſect. 3, 7, 8, 10. item cap. 22. ſect. 5, 6. & cap. 25. ſect. 1, 2. invenies breviter (immenſum enim eſſet allegoricas has ambages perſcribere) rectam *Paſchatis* celebrationem cum Chriſto eſſe, ut ille (*Chriſtus* ſcilicet *ſecundùm carnem*, ipſiſſima ejus verba ſunt) *mactetur*, hoc eſt, *ut Chriſtus ſecundùm literam vel Hiſtoriam aboleatur ut recipi poſſit ſolummodò ſecundùm ſpiritum.* Quod magnum illud arcanum eſt hujus *Sectæ Familiſtarum. Ecce* inquit, *hæc eſt recta Paſcha cum Chriſto rectáq; cœna quam Fideles ſincerìq; diſcipuli Chriſti cum Chriſto celebrant, nimirum quòd diſcedant ad eum planè modum cum Chriſto ex carne* (hoc eſt, ut Chriſtus ſecundùm *Hiſtoriam Literámve* crucifigatur mactetúrve in eis, id eſt, nullius pretii fiat, prorſúſq; rejiciatur tanquam *mera Fabula*) *& in ſpiritum tranſeant* (hoc eſt, *ſpirituale* Myſterium Chriſti, αναγώγιον ſive *Morale* Fabulæ) *& ex morte ac mortalitate* (hoc eſt, ex *litera mortua*) *in ſempiternæ Immortalitatis vitam æternam.* In quo ſtrepero ſermone ac ſonoro, nè ullum tibi pollicearis tam diuturnum durabiléve mercimonium, nihil ſignificatur niſi ſtatus *Perfectionis* quem hi *Familiſtæ* ſibi hîc fingunt in terris, éſtq; ſempiternus in nullo alio

ſenſu

ſenſu quàm *ſucceſſione*, quòd ſibi promittant ipſorum Sectam in perpetuum duraturam. Ac proinde addit, *unde peccatum omniſq; pernicies devincitur*; nimirum, per hunc ſtatum *Perfectionis*, in quo peccatum omníſq; ſtatus deſtructilis abſorbetur. Etenim cùm ad ſummum pervenerint, nulla ſupereſt rerum mutatio, quamvìs eorum perſonæ ſint mortales juxta propriam ipſorum doctrinam. Hæc *Paſchatis Allegoria* tam ſcæva eſt, tam perverſa ac diſtorta fictio, ut niſi Autorem ipſius immenſò modo *Fanaticum* exiſtimarem, eam equidem comitatam obliquo ſcommate ac dicterio contra Hiſtoriam Chriſti ſuſpicarer, effectúmq; eſſe animi Athei & deriſorii. Nemo enim *Atheus* ſuum hìc ingenium exercere poſſet magìs vafrâ ſubdoláq; malitiâ quàm is videtur feciſſe. Quod eò aliquando me inclinat ut eum credam non fuiſſe ſimpliciter Fanaticum, ſed aut *Atheum* aut à *Dæmone poſſeſſum*, cùm ille tamen interim neſciret cujus eſſet ὑποφήτης.

3. Atq; ſic, in genere, prælibavimus præcepimúſq; quàm ſedulò hic Author conetur Chriſti perſonam extrudere. Proſequemur jam hanc Materiam in duobus præcipuis Capitibus. *Officio* ſcilicet *ſacerdotali*, *viſibiliq; Adventu* ad *Judicium* in *humana* ſua *Perſona*. Cui annectitur glorioſæ *Reſurrectionis æternæq; vitæ* Promiſſum in ſimplici veróq; ſenſu abſq; omni ænigmatica eluſione & æquivocatione. Quòd nè flocci quidem facit propitiationem per perſonalem Chriſti Paſſionem factam, meo quidem judicio, nimis quàm apertè demonſtrat cap. 13. ſect. 8. *Documentalium ſententiarum*, ubi nè cogi poſſit agnoſcere utilitatem illius Advocati apud Patrem, *Jeſu utiq; Chriſti juſti qui Propitiatio eſt pro peccatis noſtris*, cum qui per vim tentationis peccat inſontem pronunciat, ut virginem, Deuteron. 22. cui quis vim intulerit, invitámq; compreſſerit, ut nullus ſic uſus eſſe poſſit Sacrificii Chriſti, cujus mortem Perſonalem & officium Sacerdotale ad hunc finem is nunquam commemorat. Prout porrò obſervare licet, *Exhortat.* cap. 20. à ſectione 19 uſq; ad finem capitis. Ubi tametſi ſupponit offenſiones hominis lapſúſq; quotidianos perquàm graves ac terribiles ipſi ante oculos verſari, ob háncq; cauſam valdè contriſtari corde, peccati aculeos ſentire, mortíſq; ſpicula, & Inferni condemnationem, atq; ſic multo angore animi & afflictione exerceri: nulla tamen omnino applicatio eſt *Sacrificii Chriſti in cruce*, nec auxilium ullum aut ſolatium exhibetur, per illius Paſſionem, quanquam hic locus erat maximè opportunus qui occurrere poteſt, ubi illius rei fiat mentio. Et cap. 24. in precibus quas illìc effundit, cùm eum mediatione Chriſti qui dolores mortis in cruce pro nobis ſenſit, oporteret uti, ſuppoſititio tantùm utitur Dei promiſſo ac fœdere quod fecerit cum *Familia Amoris*, ſect. 3. & 7. vide eum etiam in *Beatitudines*, ſect. 6. Et minimè quidem mirum eſt tam altum eſſe ſilentium de Reconciliatione per Chriſti crucem factâ, cùm tam apertè affirmet ſect. 34. Quòd *vera Eſſentia in Amore illa pax ſit Deum inter atq; hominem* (cujus fit mentio Epheſ. 2. 14.) *verúmq; Teſtamentum quod fixum manet in æternum.* Et in *Exhortatione* cap. 12. 44. *Remiſſio peccatorum* obtinetur *ſubmittendo ſe tantùm Familiæ Amoris.* Idem utiq; quod *David Georgius* venditabat de ſua Doctrina. *Quapropter dilecti mei filioli nè vertamini nec divertamini à Familia Amoris; cùm in ea ipſa ſit ſedes gratiæ ad æternam peccatorum remiſſionem, omnibus eis qui ipſi adhærent, & ad pacem & tranquillitatem vitæ univerſis qui ipſi ſe ſubmittunt.* Per hujuſmodi lapſus & omiſſiones, qui non admodum tardi ſunt intellectûs mentem illius facilè poſſunt odorari. Quæ tamen etiam adhuc magìs pateſcit ex aliis locis *Evangelii* ſui, cap. 13. ubi *æternum Sacerdotium* ſuper Chriſti *Perſonam* non collocat, verùm *Regium hunc Sacerdotem*, nullam omninò *Perſonam* facit, ſed rem; ſtatum ſcilicet vel conditionem ſui-ipſius & ſuorum Sectatorum hìc in terris. Ac proinde hunc Myſticum Chriſtum illìc nuncupat, *Sabbatum Domini*, *Diem ſeptimum in Paradiſo*, *Perfectionem*, &c. Et cap. 22. *Introitum* Chriſti in *cœlos* ejúſq; viſibilem illuc *Aſcenſionem*, *Seſſionémq;* ad dextram Dei & *Spiritûs ſancti miſſionem* in Die *Pentecoſtes* (quod reale effectum erat æterni ejus Sacerdotii & Interceſſionis apud Deum pro Eccleſia) nihil aliud facit præterquam illius *adventum ſecundùm Spiritum* ex *Eſſentia cœleſti* in ipſorum mentes animáſve in quas ſpirituales ſuas cœleſtéſq; virtutes demiſerit.

Quamobrem myſticus hic Chriſtus unicus eſt ille Pontifex maximus quem ille agnoſcit, nec eum aliter quàm hoc ſenſu myſtico ac ſpirituali æternum verúmq; Dei Chriſtum eſſe admittit. Vide locum. Cujus certus eris me genuinum reddidiſſe ſenſum, ſi comparaveris cum cap. 26. ſect. 10, 11, 12. ubi apertiùs affirmat, Quòd ſit *Recta Eſſentia Amoris*, (Chriſtus ſecundùm Spiritum (quem verum Lumen appellat) *qui Pontifex maximus ſit qui manet in æternum ad Dei dextram in cœleſti Eſſentia.* Quæ locutio [*cœleſtis Eſſentia*] *moraliter* apud eum *myſticéq;* ſemper ſignificat aliquídq; intra nos innuit. Et tamen quæ ejus eſt impudentia. Id quod occurrit

currit Act. 1. v. 11. huc allegat, ubi Chriſtus dicitur in *cœlum* aſcendere *literaliter* & *naturaliter* intellectum, diſcipulis oculos ſuos in eum defigentibus dum aſcendebat. Atq; ſic videmus quantâ induſtriâ, immò verò quantâ veſaniâ & temeritate *humanam* Chriſti *Perſonam* officio Sacerdotali ubiq; excutiat. Et quemadmodum *cœlum* vel *Sanctum ſanctorum* intra nos eſſe vult, ità & illius *Sacrificium* & *Paſſionem* intra nos pariter eſſe ſtatuit, *Introduct.* cap. 8. 38. *Ubi nunc ſunt ulli*, inquit ille, *qui cœnam Chriſti celebrant, ubi frangant, diſtribuant, comedántq; panem* (quod verum corpus eſt Chriſti) *in Chriſti commemorationem, quòd utiq; paſſus ſit in nobis propter peccatum mortem crucis, atq; ſic mors illius ſit publicata uſq; dum venerit in gloria?* Ubi manifeſtum eſt quòd crucifixionem Chriſti myſterium eſſe vult in nobis, inſinuaréq; inſuper, nobis impoſitum eſſe officium. Nam Corpus & Caro Chriſti Chriſtus eſt ſecundùm Hiſtoriam. Qui Chriſtus ſecundùm carnem mactandus eſt in nobis ſi quidem *Paſcham* ritè celebremus. Atq; ſic nobis publicanda eſt illius mors uſq; dum venerit in *gloria*, hoc eſt, in *Spiritu*.

4. Et certè non alius eſt glorioſus illius *adventus ad Judicium*, apud hanc Sectam, quàm hic myſticus & ſpiritualis adventus; Quæ ſecunda erat pars, quam proſequendam propoſui, quámq; non dubito quin facturus ſim meridianâ luce clariorem. Hujus rei tot ſunt Teſtimonia & tam appoſita, ut maximè nobis cavendum ſit nè nimis ſimus in illius Demonſtratione copioſi. *Revel.* Dei cap. 7. ibi *illuminati* ejus *Seniores* unà cum ſua *Familia Amoris* cœli ſunt, in quibus Chriſtus filius Dei gloriosè ovantérq; venit ad Judicium, ut regnent cum Deo ejúſq; Juſtitia in terris in æternum. Quod mundi finem planè excludit, illúmq; Chriſti Adventum quem expectant omnes Chriſtiani. Et cap. 15. ſect. 6. affirmat in *octavo* hoc Die, qui *dies* eſt *Spiritûs Amoris, omnes mortuos, qui defuncti ſunt in Domino Jeſu Chriſto, ſurgere è mortuis, omnéſq; generationes Cœli atq; Terræ judicari in Judicio Dei cum Æquitate.*

Rurſus, in *Introductione* cap. 1. ait, *Hunc verum ac glorioſum Deum, qui Reſurrectio eſt & vita, Sanctos ſuos è ſinu ſuo revelare, ubi (ex quo tempore obdormierunt) requieverunt, uſq; ad hunc Diem Amoris, quippe qui in ultimis his temporibus in Reſurrectione juſtorum, manifeſtandi erant cum Chriſto in gloria ad juſtum Dei judicium in terris.* Et cap. 12. ibi etiam affirmat: *In hoc Die Amoris apparere veniréq; ad nos modo vivo ac glorioſo omnes Sanctos Dei qui præteritis temporibus mortui ſunt & obdormierunt in Deo.* Et cap. 22. ibi etiam narrat, *Quomodo in certa firmáq; ſpe æternæ vitæ ſincerè fideles requieverint in Domino Jeſu Chriſto uſq; dum apparuerit illius adventus qui nunc in hoc Die Amoris ex cœleſti Eſſentia revelatur, cum quo Jeſu Chriſto priores Fideles Chriſti qui obdormierant, requieverant vel mortui erant in ipſo, nunc etiam manifeſtantur in gloria, ſuſcitati è mortuis in eum finem ut vivi cum eo regnent ſuper ejus inimicos.* Quibus addere potes, quæ ſcripſit cap. 16. in *vaticinio Spiritûs Amoris*; *Fugam capeſſite, Fugam capeſſite, imò faceſſite hinc è via ô vos Dei hoſtes ejúſq; ſervitii Amoris, & Domino Sancti ſq; ejus locum cedite. Nec tamen ſic fugietis Dei vindictam.* Nam porrò addit, *Dominus venit ad litem dirimendam, Familiam Amoris inter reliquúmq; Mundum, unde terra jam movetur, contremiſcunt cœli, & elementa præ ardore colliqueſcunt, ſignúmq; adventûs filii hominis apparet in cœlo, cum quo rumore ruentiq; ſtrepitu Potentiæ Dei & Sanctorum ejus, ultima Tuba continuò clangorem ſuum edit, per quem inflatum vehementis ejus clangoris pérq; comparentiam adventûs Chriſti, mortui ſuſcitabuntur ſurgéntq; ad judicium Dei*, qui poſtquam Sanctorum ſuorum ſanguinem vindicaverit, quem impii effuderunt in terra, puram hanc Familiam in pacificam ejus poſſeſſionem induit, ut in eam imperium exerceant judicéntq; cum juſtitia nunc jam dehinc in omnia porrò ſecula. Adeò ut impletio omnium vaticiniorum in *Familiſmi* Triumphum deſinat, quod id ipſum eſt de quo & *David Georgius* gloriabatur. Vide etiam cap. 15. ſect. 5.

Poſtremò, in Evangelio cap. 35. 8. *Ecce in hoc ipſo Die*, (Amoris ſcilicet) *Reſurrectio mortuorum Domini evenit per comparentiam Adventûs Chriſti in majeſtate ſua ſecundùm Scripturas.* Et paulò pòſt, ſect. 9. *In qua Reſurrectione mortuorum, Deus nobis oſtendit, quòd tempus jam impletum ſit, quo mortui ejus (vel mortui qui obdormierunt in Domino) ſurgunt in hoc Die Judicii ſui apparéntq; nobis in Divina gloria, qui etiam vivent deinceps in nobis cum Chriſto in æternum, regnabúntq; cum eo in terra.* Cujus ſenſus manifeſtus eſt: Animas ante tot centenos annos defunctas vivere rurſus in his qui ſunt è *Familia Amoris*, & regnaturas eſſe in æternum in eis cum Chriſto myſtico in terra. Quod planè excludit alterum illud Judicium vel Reſurrectionem in ſenſu *literali*, prout ſuprà monui. Deniq; cap. 14. ſect. 15. *Ob hanc cauſam ſpes noſtra nunc in hoc Die plurimis quidem mundi Incolis perquam*

quam parùm nititur, ſed ſpem noſtram cum gaudio multò magis ponimus in adventu mortuorum, qui moriuntur in Domino vel in eo mortui ſunt, quòd ſcilicet illi in ſua Reſurrectione è mortuis vivo modo advenient, nobiſq; ibunt obviàm. Etenim omnes mortui Domini, membráq; Chriſti jam vivent ſurgéntq; cum ſuis corporibus, nóſq; ipſis noſmetipſos aggregabimus, ipsiq; nobis, in unum corpus in Jeſu Chriſto, in unam amabilem Amoris Eſſentiam, unáq; erimus concordes in amore pacéq; Jeſu Chriſti.

5. Atq; hæc de exauctoratione *humanæ perſonæ* Chriſti apud *Familiſtas* dicta ſunto; quam *humanam Perſonam* toties appellavi, potiùs quàm *Naturam*; non quòd ego omnino aliter ſentiam de Hypoſtatica Chriſti unione cum æterno verbo quàm Eccleſia Catholica ſentit, quemadmodum planè apparet ex aliis locis hujus præſentis Tractatûs, ut lib. 1. cap. 5. ſect. 1, 4, 5, 6. & lib. 10. cap. 6. ſect. 1. ſed quòd obviàm ire volui tergiverſationibus & æquivocationibus Familiſtarum, qui quanquam humanam perſonam Chriſti (per quam ego illius *Naturam* humanam Orthodoxè ſumptam intelligo) tam apertè exauctorare deprehenduntur, ſtrenuè tamen negarent ſe ullo modo abjicere vel exauctorare humanam Chriſti *Naturam*, ſubintelligentes utique, quamlibet humanam naturam cum Divina natura conjunctam, vel *Deificatam*, prout illi amant loqui, agnoſcentes apud ſe hanc humanam eſſe Chriſti naturam ubicunq; extiterit. Cui ſubterfugio ut viam præcluderem, *Perſonam* dixi non *Naturam*, quo ſignificari volebam particularem illam naturam humanam quæ ad ſolum Jeſum Chriſtum ſpectat. Quod monuiſſe operæ pretium duco, ut nemo hanc Locutionem eo ſolo conſilio, quod dixi, adhibitam, in ſequiorem partem interpretetur.

CAP. XVII.

1. *Perverſa Interpretatio illius Articuli fidei qui eſt de* vita æterna. 2. *Incredulitas ejus circa Animæ Immortalitatem probata à violenta ejus diſtorſione appoſitiſſimorum teſtimoniorum ejuſce rei ad ſuam* Oeconomiam & Miniſterium *hîc in terris.* 3. *Interpretatio* cœleſtis corporis 2 *Cor.* 4. *memorati, &* cœlibatûs Angelorum *ad ſignificationem cujuſdam ſtatûs hujus præſentis vitæ.* 4. *Quòd* H. Nicolai, *æquè ac* David Georgius, *nullos eſſe Angelos tenuit nec bonos nec malos.* 5. *Plures demonſtrationes eum animam humanam tenuiſſe mortalem.* 6. *Quàm aptè his reliquis ſuis Doctrinis Perſonæ Chriſti exauctoratio conveniat.* 7. H. Nicolai *quantumlibet ſe magnificet, multò inferiorem eſſe meliori genere Paganorum. Irreverentia ejus erga divinam Majeſtatem ſi modò quicquam ſeipſo tenuit Divinius.*

1. JAM verò, quod loco omnium ultimo occurrit, quantùm ad fidei Articulum de *vita æterna*, illius apud ipſum expoſitio ſic eſt: *Confitemur quòd eadem vita æterna eſt vera lux hominum, quódq; Deus fecit elegitq; eum, hominem utique, ad hoc, ut viveret ſcilicet in eadem Luce in æternum.* Ubi per [*eum, hominem utiq;*] intelligit humani generis ſucceſſionem, quemadmodum quilibet deprehendere poteſt qui vel mediocriter verſatus ſit in illius ſcriptis. Et per *æternam vitam* verámq; lucem hominum intelligit *lucem Amoris* ejúſq; *ſervitium*, quod ille præſagit manſurum eſſe in æternum. Quódque igitur appellat *Domicilium habitationis Dei, æternam requiem Sanctorum, ſempiternam ſolidè fundatam Hieroſolymam, verum & imperturbatum Regnum, plenum Divinæ Potentiæ, Gaudii, omniſq; cœleſtis Pulchritudinis, in quo laus Domini cum plenitudine æternæ vitæ viváq; dulcedine cantatur ab æterno in æternum.* Hujuſmodi mellitis carminibus jucundiſq; incantamentis ſolet grandis hic Impoſtor parvulos ſuos conſopire in æternam oblivionem perfectámq; incredulitatem circa pretioſa illa æternæ Beatitudinis Promiſſa nobis per Chriſtum facta, *qui mortem abolevit, & vitam ac Immortalitatem in Lucem produxit per Evangelium.* *Evang. Regni cap. 34. & 37.*

2. Etenim quòd apud iſtum nulla alia ſit vita præter hanc, nec ulla Animæ Immortalitas beatáve Reſurrectio quæ in eo conſiſtit ut cœleſti & ſpirituali corpore induatur juxta apertum literalémq; ſenſum Scripturæ, craſſa ejus abuſio duorum locorum, quæ hoc planè probant (1 Cor. 15.) [1 Theſſal. 4.] evidenter demonſtrat: quæ ille veſanè diſtorquet, quemadmodum & reliquam Scripturam, ad meram prædictionem ſui *Servitii Amoris*; in quo ille vult omnia quæ ad Diem noviſſimum ac Reſurre-

Reſurrectionem ſpectant impleri, ut certi eſſe poſſimus nihil reſtare quod expectandum ſit præter illam. Nam in hoc, *ultima Tuba clangit; Chriſtus apparet in cœlis ad judicium profectus; illi ipſi Sancti qui olim mortui ſunt & obdormierunt in Domino, nunc ſuſcitantur in gloria, idq; cum ipſorum corporibus viviq; nobis obviàm veniunt*, juxta illud 1 Theſſal. 4. *Et poſtremò hi ſuſcitati Sancti, hoc eſt*, Familia Amoris *regnabunt ad hunc modum cum myſtico ſuo Chriſto in omnem perpetuitatem.* Quæ, obſecro, Scripturæ Interpretatio magìs accuratè magíſq; radicitùs omnem expectationem evellere poteſt *perſonalis adventûs* Chriſti ad Judicium, ſpémque beatæ Immortalitatis per Reſurrectionem mortuorum inibi incluſam, quàm hæc ab audaci hoc Scriptore ficta? Quam eò certiores eſſe poſſumus eum intendere, quantò Applicationes illius miſeriorem in modum ſint coactæ, nec tamen meliores hiſce probationes habeat ad ratificandum ſuum *Servitium Amoris.* Etenim ſi hæc loca putâſſet id ſignificare, quod omnes Chriſtiani ea ſignificare putant, nunquam imaginari potuiſſet ullam omnino ipſis ineſſe vim ad ſtabiliendam ſuam Doctrinam. Sed enimverò cùm ſenſus orthodoxus ipſi videretur prorſus incredibilis, hinc factum eſt ut tam confidenter crediderit ſe rectum inveniſſe ſenſum. Si bonâ utiq; fide agat, nec Scripturam pro mera fabula reputet, quam integrum illi eſſet abuti prout libuerit.

3. Obſervare enim poſſumus eum eâdem uti induſtriâ in eludendo vim ejuſmodi locorum, quæ *immortalem ſtatum* poſt hanc vitam planè probant, etiam illîc ubi ère ſua non eſſet ſic facere, ſi animam humanam teneret immortalem. Ut 2 Cor. 5. ubi promiſſum cœleſtis vel ſpiritualis corporis manifeſtò proponitur, quemadmodum ex ultimis verſibus proximè præcedentis capitis adhuc pleniùs apparet: at tamen hos *Familiſtas* non pudet illud exponere de *Sancto ſanctorum* in vero Tabernaculo, juxta eorum affectatam loquelam, per quod intelligunt *Perfectionem Amoris*, ſtatum quendam in hac vita, prout videre licet in libro, cui titulus eſt, *Mirabilia Dei.* Et in *ſpirituali terra pacis*, Illud quod ſcriptum eſt Luc. 20. 35. de filiis Reſurrectionis, quòd utiq; *nec uxores ducunt nec dantur nuptum, ſed ſimiles ſunt Angelorum Dei*, ille applicat ad ſtatum *familiæ Amoris*, inq; hac vita ſtatuit impleri. Quæ allegoria tam dura eſt ac perverſa, ut nihil præterquam obſtinata incredulitas circa ſenſum *literalem* impellere quenquam potuiſſet ad tam inſubidam ineptámq; expoſitionem comminiſcendam. Ut præteream inhoneſtam illam inſinuationem quam ſecum affert *communitatis uxorum*, eam ipſam doctrinam quam *David Georgius* etiam dicitu diſſeminâſſe.

4. Qui porrò tenuit, Angelos & Dæmonas nihil aliud eſſe quàm homines bono vel malos, vel eorum virtutes & vitia; In cujus veſtigiis diſcipulus ejus *H. Nicolai* admodum diligenter inſiſtit, quemadmodum apparet ex ejus *Revelat. Dei*, cap. 14. Ubi *Juſtitiam* facit *veros Spiritus* ſive *ſanctos Angelos*; prout alìàs etiam dicit, quòd *ille qui ſeptem mortalia peccata in ſe habet*, poſſidetur à ſeptem maximè horridis, maximéq; perniciosis Diabolis; innuens reliqua vitia Diabolos etiam eſſe, ſed non adeò pernicioſos. Inſinuátq; porrò in eodem loco, *ſeptem Diabolos* è *Maria Magdalena* ejectos ſeptem illa fuiſſe *mortalia peccata.* Et pro certo novi peritiſſimos ſcientiſſimóſq; hujus *Familiæ*, liberè profeſſos eſſe exiſtimare ſe nullos eſſe nec Diabolos, nec Sagas, nec Angelos præterquam qui intùs in nobis ſint. Quæ quidem ſi pro veris haberentur, neceſſe eſſet aut Scripturas abjicere, prorſúſq; repudiare, aut eas omnino *Allegoricè* interpretari, ad ſenſum merè *Moralem* vel *myſticum*, quemadmodum hi *Enthuſiaſtæ* fecerunt.

5. Quamobrem cùm *exiſtentiam* credant nec *Angeli* nec *Spiritûs*, neceſſe eſt ut nec *Animæ* credant *immortalitatem.* Et quòd nihil horum credant ulterior hæc eſt Evidentia, quòd ille nunquam exhortatur quenquam ad ſanctitatem ex hac ratione (quod tamen maximè potens eſt argumentum ad reducendos homines ad bonam frugem quod proponi poteſt) neq; ſanè utitur unquam in literali ſuo ſenſu ejuſmodi locis Scripturæ quæ beatam Immortalitatem poſt hanc vitam includant. Bellè id præterea convenit cum hac Hypotheſi quòd ſectatores ſuos animet ad conſentiendum cum qualibet ſuperſtitione quamtumlibet impurâ ac Idololatricâ, potiùs quàm ut ſeipſos periculo exponant. Et quidam certè notârunt eos hanc Rationem hujus rei attuliſſe, nempe ut *Dei Templum non deſtruatur.* Per quod intelligunt humanas ſuas perſonas, quas in morte corporis illi prorſus perditum iri ſupponunt. Et ut nullus ſuperſit ſcrupulus quin hæc ſit ipſorum opinio, cum mentione cujuſdam loci in ejus Epiſtolis concludam, quem *Familiſta* quidam peritiſſimus mihi oſtendit tanquam omnium appoſitiſſimum ad probandum, Autorem tenuiſſe *Animæ Immortalitatem.* Cujus tamen ſententiæ, qui rem penitiùs rimetur, nullam volam inveniet nec veſtigium; quamvìs bella ibi daretur ipſi occaſio ex textu, quem illìc tractat,

Epiſt. 6. cap. 10.

[Eccle-

[Eccleſiaſt. 12.] *de ſpiritûs reditu ad Deum qui eum dedit*, apertè profitendi ſententiam ſuam ſuper hac re, ſi modò Animam *immortalem* tenuiſſet: cùm tamen is è contrà per *ſpiritum* hîc intelligat non *Animam quidem humanam* ſed *Spiritum Dei* diſtinctum ab Eſſentia humana, quo Deus cum Humana Eſſentia conjungitur; fieríq; poſſe innuit ut hic *Spiritus* nec cum *Humana Eſſentia*, utpote qui nondum in ea ſit excitatus, nec cum *Deo* uniatur; ac proinde nos monet tanquam de officio noſtro, ut *ſpiritus hic* etiam in hac vita, ad Deum redeat qui eum dedit; rem pro ſolita ſua ſensûs myſtici inſulſiſſimâ affectatione *Moraliter* interpretans; cùm Textus proculdubio de *naturali* hominis *ſpiritu* animáve ſit intelligendus, qualem omnes homines habent, non ſolùm *Regenerati.* Hæc igitur omiſſio declarationis ſuæ pro *Animæ immortalitate*, cùm tam opportuna eſſet, illíq; ad quem ſcripſit tam utilis ſibíq; decora, mihi videtur non obſcura demonſtratio, quòd animam crediderit *mortalem.* Quæ obdurata illius opinio effecit ut omnes fidei articulos in leves inanéſq; Allegorias ſolveret, itáq; negaret *Reſurrectionem Chriſti*, æquè ac aliorum qui in ipſum credant; cúmq; ſecurus eſſet, ut ipſi videbatur, quòd is etiamnum non ſubſiſteret, nullum alium Chriſtum ſomniare poterat, qui caput Eccleſiæ eſſet, præter *myſticum illum*, cui ille tantoperè inſiſtit, *Rectam* ſcilicet *Amoris Eſſentiam*, quæ omnium eſt *Perfectio.* Et certè ſi nihil porrò expectandum ſit poſt hanc vitam, ipſe auſim eum pronunciare æquè grandem Prophetam ac vel ipſe vel ſectatores ipſius eum cupiunt exiſtimari.

6. Datâ igitur illius Hypotheſi, ſibi ipſi profectò ſatis bellè conſonat, in amovendo *humanam* Chriſti *perſonam* tanquam rem quæ ante mille ſexcentos annos perierat, & in *depangendo Deitatem* in ſuam propriam perſonam *ità vaſtis ac ſonoris ictibus*, ac ſi totum mundum audire vellet & intelligere, quòd is æquè Deus eſſet atq; ille Chriſtus qui paſſus eſt *Hieroſolymis*, quódq; omnes illi qui *Perfectionem Amoris* aſſecuti fuerint, tales pariter eſſent, ut abundè hoc pacto compenſare poſſet jacturam unius illius qui mortuus eſt in cruce poſtquam in manus lapſus erat immiſericordium peccatorum. Hoc, inquam, bene cohærens ipſius eſt inſomnium: Et quòd inſomnium [illegible] nihil ampliùs, partim jam demonſtravi, & demonſtrabo adhuc clariùs in præ- [illegible] Tractatu.

[illegible]cà loci oppidò quàm manifeſtum eſt, tametſi ſeipſum tam *Seraphicis* elo-[illegible], propriámq; perſonam tam ſplendidis titulis decoret, tanquam ſi nihil [illegible]ndo unquam extiterit tam ſanctum támq; Divinum; quòd tamen reverà [illegible]erior meliori genere Paganorum; quippe qui nihil ampliùs eſt præter-[illegible]ſiaſticus *Sadducæus* aut *Fanaticus Deiſta*, ſi id ſanè ſit. Etenim demiror [illegible]e Deum ſibi fingat erga quem cœleſtem Senatum tam ruſticè ſe gerere fa-[illegible]jujſmodi ſermonis formâ apud eum utatur, *Revel. Dei*, cap. 21. *Age igitur, [illegible]e ſit, O Deus, permittantur tibi primæ vices declarandi tuum jus.* Verùm non [illegible] mihi in animo, me ulteriùs in hanc abyſſum Satanæ immergere, ex qua Deum precor, ut unumquemq; ſincerum Chriſtianum quàm maturrimè eripiat.

CAP. XVIII.

1. *Noxa magna & periculum quæ mundo ab hoc Pſeudopropheta contingant.* 2. *Ferocitas quàm probabile eſt fore hujus Sectæ; (quando tempus inſervierit;) & Aviditas exequendi ſanguinolentam illius viſionem.* 3. Familiſmum *eſſe machinamentum Satanæ quo ſubvertere conatur Chriſtianitatem.* 4. *Qualem rerum faciem veriſimile ſit futuram, ſuppoſito quòd* Familiſmus *ſummâ rerum potiretur.* 5. *Rationes quæ moverent Autorem tam accuratam hujus* Impoſturæ *detectionem inſtituere.*

1. EX deſcriptione quam hactenùs fecimus, facilè computare poſſis quàm ingens malum mundo contingat ab hoc falſarum *Revelationum* captatore, ubicunq; incantamenta ejus ad poſſidendum hominis animum locum ſint habitura. Nam primò, admiranda illa Dei ſapientia in externa Religionis Chriſtianæ fabrica, quatenùs perſonam Chriſti ſpectat, mirifica Amoris conciliatrix *Paſſio*, glorioſa *Reſurrectio* & *Aſcenſio*, conſolabilis *Interceſſio*, lætúſq; ad *Judicium Reditus*, quando Immortalitas perficienda eſt in cœleſti gloria, totum hoc ſimul abripitur, & unà cum illo

Reſurrectionem ſpectant impleri, ut certi eſſe poſſimus nihil reſtare quod expectandum ſit præter illam. Nam in hoc, *ultima Tuba clangit; Chriſtus apparet in cœlis ad judicium profectus; illi ipſi Sancti qui olim mortui ſunt & obdormierunt in Domino, nunc ſuſcitantur in gloria, idq; cum ipſorum corporibus viviq; nobis obviàm veniunt*, juxta illud 1 Theſſal. 4. *Et poſtremò hi ſuſcitati Sancti, hoc eſt*, Familia Amoris *regnabunt ad hunc modum cum myſtico ſuo Chriſto in omnem perpetuitatem.* Quæ, obſecro, Scripturæ Interpretatio magìs accuratè magíſq; radicitùs omnem expectationem evellere poteſt *perſonalis adventûs* Chriſti ad Judicium, ſpémque beatæ Immortalitatis per Reſurrectionem mortuorum inibi incluſam, quàm hæc ab audaci hoc Scriptore ficta? Quam eò certiores eſſe poſſumus eum intendere, quantò Applicationes illius miſeriorem in modum ſint coactæ, nec tamen meliores hiſce probationes habeat ad ratificandum ſuum *Servitium Amoris.* Etenim ſi hæc loca putâſſet id ſignificare, quod omnes Chriſtiani ea ſignificare putant, nunquam imaginari potuiſſet ullam omnino ipſis ineſſe vim ad ſtabiliendam ſuam Doctrinam. Sed enimverò cùm ſenſus orthodoxus ipſi videretur prorſus incredibilis, hinc factum eſt ut tam confidenter crediderit ſe rectum inveniſſe ſenſum. Si bonâ utiq; fide agat, nec Scripturam pro mera fabula reputet, quam integrum illi eſſet abuti prout libuerit.

3. Obſervare enim poſſumus eum eâdem uti induſtriâ in eludendo vim ejuſmodi locorum, quæ *immortalem ſtatum* poſt hanc vitam planè probant, etiam illîc ubi è re ſua non eſſet ſic facere, ſi animam humanam teneret immortalem. Ut 2 Cor. 5. ubi promiſſum cœleſtis vel ſpiritualis corporis manifeſtò proponitur, quemadmodum ex ultimis verſibus proximè præcedentis capitis adhuc pleniùs apparet: at tamen hos *Familiſtas* non pudet illud exponere de *Sancto ſanctorum* in vero Tabernaculo, juxta eorum affectatam loquelam, per quod intelligunt *Perfectionem Amoris*, ſtatum quendam in hac vita, prout videre licet in libro, cui titulus eſt, *Mirabilia Dei.* Et in *ſpirituali terra pacis*, Illud quod ſcriptum eſt Luc. 20. 35. de filiis Reſurrectionis, quòd utiq; *nec uxores ducunt nec dantur nuptum, ſed ſimiles ſunt Angelorum Dei*, ille applicat ad ſtatum *familiæ Amoris*, inq; hac vita ſtatuit impleri. Quæ allegoria tam dura eſt ac perverſa, ut nihil præterquam obſtinata incredulitas circa ſenſum *literalem* impellere quenquam potuiſſet ad tam inſubidam ineptámq; expoſitionem comminiſcendam. Ut præteream inhoneſtam illam inſinuationem quam ſecum affert, *communitatis uxorum*, eam ipſam doctrinam quam *David Georgius* etiam dicitur diſſeminâſſe.

4. Qui porrò tenuit, Angelos & Dæmonas nihil aliud eſſe quàm homines bonos vel malos, vel eorum virtutes & vitia; In cujus veſtigiis diſcipulus ejus *H. Nicolai* admodum diligenter inſiſtit, quemadmodum apparet ex ejus *Revelat. Dei*, cap. 14. Ubi *Juſtitiam* facit *veros Spiritus* ſive *ſanctos Angelos*; prout aliàs etiam dicit, quòd *ille qui ſeptem mortalia peccata in ſe habet*, poſſidetur à ſeptem maximè horridis, maximéq; perniciosis Diabolis; innuens reliqua vitia Diabolos etiam eſſe, ſed non adeò perniciosos. Inſinuátq; porrò in eodem loco, *ſeptem Diabolos* è *Maria Magdalena* ejectos ſeptem illa fuiſſe *mortalia peccata.* Et pro certo novi peritiſſimos ſcientiſſimóſq; hujus *Familiæ*, liberè profeſſos eſſe exiſtimare ſe nullos eſſe nec Diabolos, nec Sagas, nec Angelos præterquam qui intùs in nobis ſint. Quæ quidem ſi pro veris haberentur, neceſſe eſſet aut Scripturas abjicere, prorſúſq; repudiare, aut eas omnino *Allegoricè* interpretari, ad ſenſum merè *Moralem* vel *myſticum*, quemadmodum hi *Enthuſiaſtæ* fecerunt.

5. Quamobrem cùm *exiſtentiam* credant nec *Angeli* nec *Spiritûs*, neceſſe eſt ut nec *Animæ* credant *immortalitatem.* Et quòd nihil horum credant ulterior hæc eſt Evidentia, quòd ille nunquam exhortatur quenquam ad ſanctitatem ex hac ratione (quod tamen maximè potens eſt argumentum ad reducendos homines ad bonam frugem quod proponi poteſt) neq; ſanè utitur unquam in literali ſuo ſenſu ejuſmodi locis Scripturæ quæ beatam Immortalitatem poſt hanc vitam includant. Bellè id præterea convenit cum hac Hypotheſi quòd ſectatores ſuos animet ad conſentiendum cum qualibet ſuperſtitione quamtumlibet impurâ ac Idololatricâ, potiùs quàm ut ſeipſos periculo exponant. Et quidam certè notârunt eos hanc Rationem hujus rei attuliſſe, nempe ut *Dei Templum non deſtruatur.* Per quod intelligunt humanas ſuas perſonas, quas in morte corporis illi prorſus perditum iri ſupponunt. Et ut nullus ſuperſit ſcrupulus quin hæc ſit ipſorum opinio, cum mentione cujuſdam loci in ejus Epiſtolis concludam, quem *Familiſta* quidam peritiſſimus mihi oſtendit tanquam omnium appoſitiſſimum ad probandum, Autorem tenuiſſe *Animæ Immortalitatem.* Cujus tamen ſententiæ, qui rem penitiùs rimetur, nullam volam inveniet nec veſtigium; quamvìs bella ibi daretur ipſi occaſio ex textu, quem illìc tractat,

Epiſt. 6. cap. 10.

[Eccle-

[Eccleſiaſt. 12.] *de ſpiritûs reditu ad Deum qui eum dedit*, apertè profitendi ſententiam ſuam ſuper hac re, ſi modò Animam *immortalem* tenuiſſet: cùm tamen is è contrà per *ſpiritum* hîc intelligat non *Animam quidem humanam* ſed *Spiritum Dei* diſtinctum ab Eſſentia humana, quo Deus cum Humana Eſſentia conjungitur; fieríq; poſſe innuit ut hic *Spiritus* nec cum *Humana Eſſentia*, utpote qui nondum in ea ſit excitatus, nec cum *Deo* uniatur; ac proinde nos monet tanquam de officio noſtro, ut *ſpiritus hic* etiam in hac vita, ad Deum redeat qui eum dedit; rem pro ſolita ſua ſensûs myſtici inſulſiſſimâ affectatione *Moraliter* interpretans; cùm Textus proculdubio de *naturali* hominis *ſpiritu* animáve ſit intelligendus, qualem omnes homines habent, non ſolùm *Regenerati*. Hæc igitur omiſſio declarationis ſuæ pro *Animæ immortalitate*, cùm tam opportuna eſſet, illíq; ad quem ſcripſit tam utilis ſibíq; decora, mihi videtur non obſcura demonſtratio, quòd animam crediderit *mortalem*. Quæ obdurata illius opinio effecit ut omnes fidei articulos in leves inanéſq; Allegorias ſolveret, itáq; negaret *Reſurrectionem Chriſti*, æquè ac aliorum qui in ipſum credant; cúmq; ſecurus eſſet, ut ipſi videbatur, quòd is etiamnum non ſubſiſteret, nullum alium Chriſtum ſomniare poterat, qui caput Eccleſiæ eſſet, præter *myſticum illum*, cui ille tantoperè inſiſtit, *Rectam* ſcilicet *Amoris Eſſentiam*, quæ omnium eſt *Perfectio*. Et certè ſi nihil porrò expectandum ſit poſt hanc vitam, ipſe auſim eum pronunciare æquè grandem Prophetam ac vel ipſe vel ſectatores ipſius eum cupiunt exiſtimari.

6. Datâ igitur illius Hypotheſi, ſibi ipſi profectò ſatis bellè conſonat, in amovendo *humanam* Chriſti *perſonam* tanquam rem quæ ante mille ſexcentos annos perierat, & in *depangendo Deitatem* in ſuam propriam perſonam *ità vaſtis ac ſonoris ictibus*, ac ſi totum mundum audire vellet & intelligere, quòd is æquè Deus eſſet atq; ille Chriſtus qui paſſus eſt *Hieroſolymis*, quódq; omnes illi qui *Perfectionem Amoris* aſſecuti fuerint, tales pariter eſſent, ut abundè hoc pacto compenſare poſſet jacturam unius illius qui mortuus eſt in cruce poſtquam in manus lapſus erat immiſericordium peccatorum. Hoc, inquam, bene cohærens ipſius eſt inſomnium: Et quòd inſomnium ſit & nihil ampliùs, partim jam demonſtravi, & demonſtrabo adhuc clariùs in præſenti hoc Tractatu.

7. Intereà loci oppidò quàm manifeſtum eſt, tametſi ſeipſum tam *Seraphicis* elogiis exornet, propriámq; perſonam tam ſplendidis titulis decoret, tanquam ſi nihil adhuc in mundo unquam extiterit tam ſanctum támq; Divinum; quòd tamen reverà multò ſit inferior meliori genere Paganorum; quippe qui nihil ampliùs eſt præterquam *Enthuſiaſticus Sadducæus* aut *Fanaticus Deiſta*, ſi id ſanè ſit. Etenim demiror qualem ille Deum ſibi fingat erga quem cœleſtem Senatum tam ruſticè ſe gerere facit, ut hujuſmodi ſermonis formâ apud eum utatur, *Revel. Dei*, cap. 21. *Age igitur, ità ſanè ſit, O Deus, permittantur tibi primæ vices declarandi tuum jus.* Verùm non eſt mihi in animo, me ulteriùs in hanc abyſſum Satanæ immergere, ex qua Deum precor, ut unumquemq; ſincerum Chriſtianum quàm maturrimè eripiat.

CAP. XVIII.

1. *Noxa magna & periculum quæ mundo ab hoc Pſeudopropheta contingant.* 2. *Ferocitas quàm probabile eſt fore hujus Sectæ; (quando tempus inſervierit;) & Aviditas exequendi ſanguinolentam illius viſionem.* 3. Familiſmum *eſſe machinamentum Satanæ quo ſubvertere conatur Chriſtianitatem.* 4. *Qualem rerum faciem veriſimile ſit futuram, ſuppoſito quòd* Familiſmus *ſummâ rerum potiretur.* 5. *Rationes quæ moverent Autorem tam accuratam hujus* Impoſturæ *detectionem inſtituere.*

1. EX deſcriptione quam hactenùs fecimus, facilè computare poſſis quàm ingens malum mundo contingat ab hoc falſarum *Revelationum* captatore, ubicunq; incantamenta ejus ad poſſidendum hominis animum locum ſint habitura. Nam primò, admiranda illa Dei ſapientia in externa Religionis Chriſtianæ fabrica, quatenùs perſonam Chriſti ſpectat, mirifica Amoris conciliatrix *Paſſio*, glorioſa *Reſurrectio* & *Aſcenſio*, conſolabilis *Interceſſio*, lætúſq; ad *Judicium Reditus*, quando Immortalitas perficienda eſt in cœleſti gloria, totum hoc ſimul abripitur, & unà cum illo

æternæ vitæ certitudo. Et præterea, ut nihil deſit ad perfectionem tam prodigioſi mali quod in hac Familia alitur, inveniri quidem porrò poteſt quaſi quædam *Pandoræ pyxis* humano Generi etiam in hac vita, niſi benignior Providentia illud præverterit. Etenim cùm plenam habeant, quod dixi, ab infallibili ſuo Propheta diſſimulandi licentiam, & æquivocationibus utendi, conſentiendíq; cum qualibetcunq; Religione externâ; ad ingentes numeros clàm multiplicari poſſunt cum magno Imperii ubi verſantur vel Reipublicæ periculo. Edocti enim ab illuminatis ſuis Senioribus nihil expectandum eſſe poſt hanc vitam, quàm maximis præſentis mundi oblectamentis & gaudiis avido & ſalivoſo ore facilè imminebunt. Cujus poſſeſſionem ac Dominium Propheta eorum ipſis tam magnificis verbis, támq; Enthuſiaſticâ grandiloquentiâ promiſit, ut facere nequeant quin ad violentam aliquam rerum molitionem ad primam quamq; occaſionem quâ tutò ſe uti poſſe ſperaverint, inflammentur. Et quàm plenum jus putas eos ſe habere exiſtimaturos ad involandum in omnia dum caput ſuæ Factionis ipſo Chriſto nihilo inferius eſſe arbitrantur, veniente ad judicandum terrarum orbem in juſtitia?

2. Quamobrem ſi acerbus aliquis inter ipſos homuncio, imperioſi animi & pervicacis, ſuperbiâ effertus & melancholiâ, profundéq; in doctrinam hujus Sectæ baptizatus, per fanaticum ſuum æſtum, ingenii dotes, ſermoníſq; facultatem eò honoris emerſerit ut pro natu maximo illius *Familiæ* habeatur, idem continuò & ſuâ opinione evadit & eorum, Deus ipſe rediens ad judicium, omnéſq; illius copiæ *Sancti* & *Seraphini*, ſi quando opportunitas eos armaverit ad exequendum ſuum propoſitum. Atq; tunc cenſebunt illud implendum eſſe quod præfiguratur in illa viſione hominis loricati & armati catenáq; ferreâ cincti, cujus manus & crura ad cingulum uſq; ſanguine madebant, cum gladio etiam in ſiniſtra rubro, & ſanguine tincto, & cum altero in dextra qui ignis prorſus erat gliſcens, coruſcans, & crepitans admodum terribiliter, multáſq; flammulas emittens. Quod dirum ſpectrum hanc vocem in ſequentibus ſectionibus edit; *Ultio, ultio, ultio. Celeriter, celeriter, imò verò admodum celeriter. Væ, væ, væ, omnibus inimicis Domini ſanctiſq; ejus, & omnibus inimicis familiæ Amoris.* Tantas Dei delicias ſe gloriantur, ejúſq; Providentiæ, támq; miſerum finem apud ſeipſos omnibus eis qui non ſint è beata ipſorum Familia præſagiunt! Deus pro miſericordia ſua oculos hominum aperiat, ut horrendum Diabolici hujus Impoſtoris propoſitum diſcernere poſſint, & ſeipſos ex his ſubtilibus Satanæ deluſionibus expedire.

3. Etenim ſi quid ego in me habeo ſenſûs & præſagii, conſpiratio eſt ad debellandum ſubjugandúmque, ſi fieri poteſt, univerſum orbem Chriſtianum, & ad cultum Chriſti radicitùs extirpandum, fidémq; extinguendam omnium ipſius promiſſorum, ſub prætextu majoris ſanctitatis & perfectionis quàm in Chriſtiana Religione reperiatur; quanquam hic Familiſmus talis ſit qualem eſſe abunde demonſtravi. Vide ejus vaticinium *ſpiritûs Amoris*, cap. 11. item cap. 14. ſect. 8, 9. & cap. 16. ſect. 3, 4, 7, 8. & cap. 19. ſect. 4, 5, 7, &c. Quibus in locis, ſuis confidenter promittit ſectatoribus, plenam victoriam eos tandem reportaturos, i. e. *Familiſmum* Chriſtianitatem è mundo extruſurum.

4. Quod quidem quoniam illi tam efflictim evenire cupiunt, ſupponamus pauliſper eveniſſe, eóſq; per Chriſtianum orbem ſummâ rerum potiri, computemúſq; apud noſmetipſos, qualia futura ſint hujus rei conſequentia. Proculdubio tametſi ſingulæ paginæ hujus divini Autoris (prout illi eum volunt æſtimari) tam confertim depictæ ſint dulciſonis repetitionibus *Amoris* & *Amabilis*; eventus tamen hujuſmodi victoriæ in maximè ferinam deſiturus eſt Tyrannidem quæ in hac terreſtris orbis ſcena unquam hactenus eſt conſpecta, ipſo *Mahometiſmo* longè deteriorem. Primùm enim futuræ vitæ ſpe omni abſciſſâ, quilibet, quantùm poterit, eò liberiori acrioríq; impetu feretur ad explendas ſuas libidines, indulgendáſq; ſibi vel maximè ſuperfluas voluptates hujus vitæ præſentis. Unde illi qui inermes ſunt, abſq; omni commiſeratione proterentur ad ſatiandos appetitus ſuperbi & injurioſi oppreſſoris. Et deinde quantùm ad pacem in rebus Religionis, ob quam præcipuè rationem hic blandiloquens Impoſtor mundo ſe commendare ſtudet, Interpretationes Scripturæ quibus ille ſuam apud homines ſtabilire conatur autoritatem, tam veſanæ ſunt ac fanaticæ, támq; ab omni ſenſu & ratione diſſonæ, ut in eis perpetuæ contentionis ſemina inſeverit, niſi illud malum remedio ipſo morbo deteriori prævertatur, hoc eſt, projectiſſimâ conſcientiæ ſervitute fidéq; implicitâ quòd Propheta eorum infallibilis ſit, nullâ factâ examinatione vel addubitatione. Quæ viliſſima abjectiſſimáq; degeneratio eſt quò humanus animus detrudi poteſt, & cui maximè ibi allaboratur ubi Religio gentis maximè corrupta eſt & falſa. Verùm quòd hæc poſterior futura ſit conditio,

conditio, nimis quàm veriſimile videtur tum ex neceſſitate rei, tum ex ejuſmodi indicationibus quæ in ſcriptis ejus occurrant, quas ego jam produxi. Quibus addere potes illud in *Revelatione Dei.* Ubi planè prohibet nè quis ſpiritus examinet, per *rationem* vel *ſcientiam*, vel *Scripturæ peritiam*, ſed per *veram viventis Deitatis Eſſentiam.* Quæ verba ſanè magnifica ſunt, ſed quæ nihil aliud ſignificant quàm nos ad *viventem Deitatem* nunquam antè pervenire quàm in rebus Religionis juxtà cum illo ſentiamus. Ac proinde omnem Rationis informationem intercipiens, immediatum expectat aſſenſum, hoc eſt, aſſenſum talem ut nos omninò neſciamus cur aſſentiamur. Quo nihil inſanius eſſe poteſt nec furioſius, aut ſaltem verſutiam magis ſapiens ac impoſturam, promptámq; contumeliam, contra omnes diſſentientes, tanquam illi à *vivente Deitate* prorſus eſſent alienati. Sed illa Religio proculdubio falſa eſt in ſuo fundamento quæ in ſe inquiri non patitur per Rationem; utì Ille optimè de *Mahometiſmo* pronunciat, *Meritò ſuſpecta merx eſt quæ hac lege obtruditur nè inſpici poſſit.*

Revel. Dei cap. 18. Sect. 10, 11, 12.

Grotius de Religione Chriſtiana, lib. 6.

5. Videmus quàm efferata res ſit & exorbitans cæcus hic Enthuſiaſmus, ipſum Inferni vehiculum, quod ad Atheiſmum rapit & Prophanitatem, currúſq; triumphalis Diaboli. In quo proculdubio *deificatus* hic Pſeudopropheta abripiebatur, quanquam is fortean illud neſciebat, ſed gloriabatur in dedecore ſuo, & magnoperè ſibi placebat in fœda hac ſua captivitate. Conditionem cujus Spiritûs qui ſit & quorſum tendat, quantum ego mihi ſum conſcius, tanta cum diligentia detexi, ex nullo alio principio quàm ex iſto Amore ac fidelitate quam crucifixo meo Servatori ac Principi debeo, & ex charitate & commiſeratione quam habeo erga membra conſocia illius corporis quæ eſt Eccleſia. Etenim nequeo profectò quin in dolorem & lachrymas totus ſolvar dum conſidero quàm facilè decipiantur multæ ſimplices Animæ, Fanaticæq; Eloquentiæ faſcino in hanc abſurdiſſimam perſuaſionem captiventur, quaſi major ſolito Divinitas reſideret in hac Perſona, quem ego certò ſcio quaſi Epicurum eſſe alterum in Enthuſiaſtem converſum, hominémq; infra Evangelii lucem æquè altè ſublapſum, atq; miſellum quemvis Paganum qui nè fando quidem quicquam de ipſo unquam inaudiverit. Ac proinde ſpero omnes illius Admiratores qui eò uſq; in ejus ſectam baptizati non ſint ut *Paſcham* ipſius celebraverint Chriſtúmq; mactaverint ſecundùm *carnem*, hoc eſt, ſecundùm *Literam* & *Hiſtoriam*, atq; ſic infideles prorſus evaſerint, accepturos in bonam partem quòd tam fideliter fraudem detexerim, ut illi nullatenus deinceps favere poſſent tam horrendæ Impoſturæ. Et quantùm ad eos qui mactaverint Dominum vitæ, quos tamen non admodum multos eſſe ſpero, cur illi inclementiùs hanc meam ſermonis libertatem laturi ſint, equidem nullo pacto apud meipſum poſſum comminiſci. Etenim ipſe, eorum loco, auſim pronunciare, quantùm ad hoc, quòd eum ad hunc modum mactaverint (quod & S. *Petrus* dixit in alia cauſa) eos feciſſe ſanè ex ignorantia per præſtigioſa incantamenta magni hujus Impoſtoris, & propterea errorem ſuum citiùs agnoſcere non poſſe quàm veniam impetrare, per eum qui reverà mactatus eſt & ſacrificatus pro peccatis mundi, & è mortuis ſuſcitatus ad confirmandam nobis ſpem beatæ Immortalitatis poſt mortem corporis. Qui profectò non poteſt non eſſe nuncius admodum lætus omni populo qui recto ſinceróq; animo ſint. Atq; hæc de *Rationabili* Religionis Chriſtianæ *literaliter* intellectæ ſtructura, Impoſturáq; *Familiſmi* dicta ſunto.

MAGNI MYSTERII PIETATIS EXPLANATIO.

LIB. VII.

CAP. I.

1. *Argumentum tertiæ partis Tractatûs hujus esse Christiani Mysterii* Realitatem. 2. *Quòd ipsa Religionis Christianæ* Rationabilitas, *à virisq; probis ac sapientibus ab eo tempore quo inceperit ad hunc usq; Diem* constanter adhibita Fides, *manifesta veritatis Demonstratio esse potest eis qui non sint nimis* Sceptici. 3. *Levium & inconsideratorum Ingeniorum ab omnibus Argumentis à vaticiniis deductis aversatio, cum præcipuis eorum Objectionibus contra ipsa.* 4. *Vaticinia de* Messia *in vetere Testamento nec* suppositа *esse à Judæis nec* corrupta. 5. *Responsum ad objectiones de* Obscuritate *Vaticiniorum*; 6. *Ad eámq; à* libero Arbitrio. 7. *Quòd omnia vaticinia non sunt è fortuito tumultu æstúq; humanarum Imaginationum, sed ex Revelatione Divina, ex instantiis irrefragabilibus probatum.* 8. *Ratio particularis cur veri fuerint Prophetæ apud Judæos, cum exemplis quibusdam verorum Prophetarum in aliis locis.* 9. *Notabile vaticinium à* Vanino *agnitum de trucidatione* Julii Cæsaris *in Senatu.*

1. TErvenimus jam ad tertiam partem Tractatûs, in quo creperum hujus magni Mysterii Diluculum, cui explicando allaboramus, in pleniorem Lucem emicabit, progressúsq; *Veritatis Justitiæ* profectui non erit absimilis, quæ magìs magísq; elucescit usq; ad Diem adultum.

Possibilis ut & *Rationabilis* Idea Christianitatis quam hactenus repræsentavi, non est nisi *seminalis* quasi *forma* Plantæ sub humo in semine abscondita; verùm nunc eam tanquam ad externos sensus exhibebimus, germinantem frondésq; emittentem in communem omnium conspectum, demonstrabimúsq; hanc *possibilem Ideam* ad *realem* jam pervenisse *actualémq; existentiam* in Universo.

Quæ cùm tanti momenti res sit, non festinanter nimis nec confusè coacervatéq; eam tractabimus, sed distinctè & explicatè; nec tamen ullos gradus faciemus, qui pompæ magìs inserviant quàm usui & pleniori demonstrationi illius veritatis ad quam probandam adnitimur.

2. Et certè ipsum primum gradum quem facturus sum vel potiùs quem jam partim feci, spero cuilibet homini, nullis præjudiciis laboranti, haud parvi momenti appariturum. Declaravimus amplè satìs & intelligibiliter quàm egregiè *rationabilis* sit Religionis nostræ fabrica, quàm decora & quàm bene inter se cohærentia omnia illa sint quæ Christus commemoratur aut fecisse aut passus esse. Adde igitur ipsius rei *Rationabilitati*, constantem illius perpetuámq; *Traditionem* pro vera, quódq; sic esse, tam seriò per multa secula sit credita, ut tum docti tum indocti, tum nobiles tum ignobiles vitam suam deponere parati fuerint, imò verò de facto deposuerint,

ſuerint, in illius rei Teſtimonium; & nemo quiſquam eſt opinor, niſi nimis quàm Scepticus ſit, quin hæc conſideratio ejus aſſenſum ſit elicitura. Etenim fama earum rerum quæ ſeriò affirmantur conſtantérq; creduntur à ſapientibus emunctóq; judicio hominibus, cum ratione in quæſtionem vocari non poteſt, niſi res ipſæ quæ affirmantur, rationi ſint abſonæ, vel nimiùm artificiales & nimis eleganti ſcitóq; Rationis apparatu ornatæ ac munitæ. Quòd res ipſæ *rationi* admodum conſentaneæ ſunt, ſuprà jam ſatìs demonſtravi. Et quàm parùm oleant artificium elaboratum aut *Dialecticæ* aut *Rhetoricæ*, quemlibet auſim appellare qui ipſas recognoverit. Quamobrem ſi quis in Infidelitate ſua perſiſtat, impedimentum certè non eſt in Myſterio ipſi oblato ſed in ſeipſo, ut qui minimè cupit illud eſſe verum, ſive ex ſuperbia id fiat, & quòd admodum gravatè laturus ſit ſe veræ Religionis hactenus ignarum inveniri, ſive ex amore aut voluptatum aut commodorum hujus præſentis vitæ quem Chriſtiana fides naturaliter limitat & coërcet.

Verùm progredimur ad id quod fortiùs preſſurum eſt magíſq; coacturum. Quòd Judæi per multos centenos annos eum expectârunt & etiamnum expectant, quem *Meſſiam* ſuum appellant, nemo eſt qui neſcit; quemadmodum etiam quòd hoc nomen *Meſſias* idem eſt quod Χριστὸς, unde & Religio noſtra denominata eſt *Chriſtiana*. Quamobrem ſi hunc *Meſſiam* jam adveniſſe probavero, *Jeſúmq;* quem nos colimus illum Chriſtum eſſe, partis tertiæ hujus mei Tractatûs penſum ſic abſolvam; probato ſcilicet Chriſtianitatem (cujus *Ideam* hactenus deſcripſi) non eſſe *meram Ideam* ſed veritatem *realem*.

Quod primùm adnitar efficere è *Vaticiniis*, deinde ex *Hiſtoria*. Quorum utrorumq; collatio tam validum erit argumentum, ut hominibus nullo præjudicio laborantibus fieri non poſſit quin perfecta demonſtratio ſit apparitura.

3. Equidem novi quoſdam tam impatienti ac ſuperficiario ſpiritu, ut vel ipſum nomen ac mentionem vaticiniorum abhorreant, utpote qui ſibi conſcii ſunt ſe non tanto abundare otio ut eorum vim excutere poſſint. Verùm ſi cum ratione contradicere volunt, oportet eos aliquas ex quatuor his Objectionibus pro cauſâ ſua afferre. Ea ſcilicet aut frequenter ſuppoſititia eſſe, aut ſaltem à verſutis aliquibus Politicis ad inſerviendum Civili alicui propoſito corrupta. Aut adeò obſcura, ut nulla certa mens ſenſúſve eorum ullo modo erui poſſit. Aut ſi id poſſit fieri, non infallibiliter tamen præmonſtrare res ſic prædictas certò eſſe eventuras, cùm tanta ſit rerum mundanarum ab actionibus humanis dependentia. Aut denique, ut ipſum jugulum cauſæ impetant, affirmare, nunquam fuiſſe nec futura eſſe unquam ulla vaticinia ab extraordinaria Inſpiratione profecta, ſed quoſdam homines admodum fervidas habere Imaginationes, eóſq; dum mens ipſorum multùm in rerum futurarum meditatione occupatur, quæ ipſis viſa ſint maximè vera, effutire, prædictionéſq; eorum, utì contingit in Inſomniis, interdum veras inveniri, interdum falſas, Famámq; earum quas contigit veras eſſe falſam illam perſuaſionem animis hominum ingenerâſſe, quòd utiq; veri extiterunt Prophetæ in mundo.

4. Hujuſmodi profectò Conſiderationes, mirum in modum Animis levibus atq; Atheis gratificantur; verùm ſi altiùs penitiúſq; inſpiciantur, nullam omnino vim invenientur in ſe habere.

Etenim quantùm ad primam Objectionem, manifeſtum eſt, quòd nullum hîc locum habere poteſt ſi conſideremus quanta cum Religione ac veneratione *Judæi* etiam externam literam divinorum illorum Oraculorum quæ ipſorum fidei concreditæ ſunt, tuentur & cuſtodiunt. Ad hæc, Ridiculum eſt ſuſpicari eos aut ſuppoſuiſſe aut adulterâſſe hujuſmodi vaticinia quibus nos hîc uſuri ſimus, cùm talia ſint, quæ manifeſtò contra Religionem Judaicam militent. Quod certè præclarum eſt Chriſtianitatis Privilegium quòd in defendenda ſua cauſa tanta cum fiducia appellare poteſt ea ipſa monimenta quæ in Adverſariorum ſuorum manibus ſemper fuerunt cuſtodira. Nec profectò poteſt *Chriſtianus*, ſi velit hæc vaticinia adulterare, quin è veſtigio detectus foret & deprehenſus à *Judæis*. Unde nec Atheus nec Paganus ullas hujuſmodi malas technas cum ratione ſuſpicari poſſunt.

5. Quod verò ad *obſcuritatem* vaticiniorum ſpectat & ambiguitatem, nego omnia ſuo merito exiſtimari obſcura. Præterea, etiam eorum quæ aliquo modo obſcura dici poſſunt, Locutiones ac Verba in unum ſenſum aptiùs flecti poſſunt quàm in alium. Et ubi hujuſmodi eſt aliqua ambiguitas, ille ſenſus exiſtimandus eſt verus qui ità eſſe judicatus eſt ab hominibus nullo præoccupatis præjudicio, quíque, cunctis perpenſitatis, facillimus maximéq; proprius apparet. Cujus reſponſi vis per exempla meliùs intelligetur, poſtquam eò deſcenderimus, quàm per præceptum generale.

6. Tertia

6. Tertia objectio à nullis urgeri potest nisi à talibus qui liberi arbitrii facultatem nimiùm admirentur, & cum Idololatrica ferè veneratione suspiciant: Obliti interea quòd quædam vaticinia conditionalia non sunt sed absoluta, qualia proculdubio omnia illa sunt quæ tam immensi mundo momenti sint quàm est Adventus *Messiæ*. Qui, si conditionalis fuisset, nihil meritò putandum est eum potuisse impedire præter peccatum. Quod in hac causa æquè absurdè adhibetur atq; si quis concluderet invalitudinem Ægri arcere Medicum, cùm illius potiùs adventûs sit occasio. Atq; unus certè finis Adventûs Christi, quemadmodum abundè jam demonstravi, est ut sit sacrificium pro peccato, mundúmq; renovet in Justitiam.

7. Ultima difficultas maximè perversa est atq; lubrica, sed talis tamen quæ facilè subdomari possit, si consideremus quàm exquisitè ac particulatim multa præfigurata sint in vaticiniis, & quòd ii plerunq; qui vaticinati sunt, miracula etiam ediderint, aut aliquid miraculosum & extraordinarium ipsis contigerit; quòd * Angelorum visionibus potiti sint & supernaturalibus potestatibus sint adjuti. Præclarum cujus rei exemplum est vaticinium illud viri Dei è *Judæa* ad Aram in *Bethele*, quod manûs *Jeroboami* exarefactio ac restitutio comitabantur, & fissio Aræ cinerúmq; effusio in signum quòd vaticinium erat verum. Quod tamen tam accuratum erat, & ad minutiores circumstantias determinatum, ut & nomen etiam illius nominet qui ultionem facturus esset super Aram in *Bethele*, *Josias* utique; quanquam hæc prædictio rei erat intra trecentos illinc annos non eventuræ. Ità *Esaias* vaticinatus est de *Cyro*, nomine, déq; eis quæ Deus destinaverat facienda per eum in gratiam populi sui, antè centenos aliquot annos quàm *Cyrus* natus esset. Et *Daniel* tam accuratè translationem prædixit Imperii ab *Assyriis* ad *Medos Persásque*, & deinde ad *Alexandrum Macedonem*, cujus successores ex parte *Lagi Seleuciq;* posteri forent, quantáq; mala per eos *Judæi* essent passuri, ut *Porphyrius*, postquam Historiam *Græcam* cum *Danielis* vaticinio comparaverat, nullam aliam evadendi rationem excogitare potuerit, quàm prætendendo Vaticinia scripta fuisse post Eventum. Quod sanè tam frivolum est subterfugium, ut nullo illud dignaturi simus responso.

* *Vide lib. 5. cap. 17. sect. 2.*

2 Reg. cap. 13. v. 1, 2, 3. &c.

8. Etenim cùm Deus sit, cúmq; *Judæi* specialiori modo sub quadam quasi *Theocratia* viverent, populúsq; essent quibus solenne erat Prophetas habere nunciósq; divinitùs inspiratos, cur istuc tam mirum *Porphyrio* videretur aut cuilibet alii, quòd Deus per sanctos suos Angelos *Danielem* Prophetam moneret tam præcisè ac particulatim de rebus futuris quæ ad populum suum peculiarem tantoperè attinebant? Quippe quòd etiam in eis locis de quibus minorem videtur Providentia curam gerere, insigniores rerum publicarum Regnorúmq; mutationes per Sacerdotes atq; Magos istarum Regionum prædictæ fuerunt. Quemadmodum *Moteczumæ Mexicanorum* Regi contigit antequam *Hispani* eas orbis partes invasissent, ut videre est apud *Acostam* aliósq; Scriptores. Et *Valens* Augur, apud *Varronem*, ut primùm urbs *Romæ* condita erat, dicitur prædixisse eam ad duodecim centenos annos duraturam. Quod & ità evenit.

De admirandis naturæ arcanis, lib. 4. Dialog. 52.

9. Ipséq; *Vaninus*, profanum illud ingenium, non eò usq; *Epicureâ* incredulitate infatuatus est quin agnosceret, immò verò affirmaret, non sine seria provocatione ad omnes Historias tam antiquas quàm recentiores, si non omnes magnæ rerum mundanarum mutationes miraculoso aliquo modo prædictæ fuerunt. Quin & ipse unum memorabile exemplum profert vaticinii in tabulam aheneam insculpti in Sepulchro *Capys* inventam, de cæde *Julii Cæsaris* in Senatu. Qui tamen *Capys*, Rex *Italiæ* vixit mille circiter annis ante *Julium Cæsarem*. Adeò ut nisi quis supra modum stupidus sit, necesse sit ut fateatur omnia vaticinia non è delirationibus & evagationibus agitabilis Imaginationis, sed ex altiori aliquo magísq; infallibili Principio proficisci, multóq; magis consentaneum esse, quoties eventa magni momenti vaticiniis respondent, ut Providentiæ id potiùs quàm Fortunæ imputemus. Equidem novi *Vaninum* omnia referre ad cœlestia corpora & influentias Stellarum. Verùm quàm absurda ac puerilis hæc ejus opinio sit, suo loco demonstrabo.

Vide cap. 14. sect. 2, 3, 4, &c. & cap. 15, 16, 17.

CAP.

CAP. II.

1. *Sensus genuinus* Vaticinii Jacobi. 2. *Ex illo deductum consectarium, Quòd* Messias *jam advenit.* 3. *Non contemnendam futuram fuisse vim in hoc vaticinio quamvis verba ipsius in alios etiam sensus flecti potuissent; nunc verò cùm nullius alîus interpretationis tolerabilis capacia sint, demonstrationem certam esse,* Messiam *jam venisse.* 4. *Præcipuæ* Judæorum *Interpretationes propositæ.* 5. *Quòd nec* Moses *nec* Saul *intelligi possunt per* Shiloh. 6. *Nec* David. 7. *Nec* Jeroboamus, *nec* Nebuchadonasor. 8. *In captivitate* Babylonica *Sceptrum sequestratum potiùs fuisse quàm penitùs ablatum; cum ulteriori indicatione ineptitudinis sensûs vaticinii si applicetur ad* Nebuchadonasor. 9. *Suffugium ipsorum in* עד כי *notatum & refutatum.* 10. *Variæ significationes vocis* שבט, *ipsorúmq; illinc expositiones.* 11. *Responsum ad eas in genere.* 12, 13. *Responsum ad effugium quo interpretantur* שבט tribum. 14. *Responsum ad Interpretationem quâ* שבט *baculum alituræ significat.* 15. *Responsum ad Interpretationem quâ virgam correctionis significat.* 16. *Responsum conjunctim ad ambas has ultimas Interpretationes.* 17. *Quòd varietas Expositionum demonstratio sit nullas earum ipsis satisfeciisse.*

1. CUM satìs jam de vi istiusmodi argumentorum quæ è vaticiniis deducantur certi simus, pergamus porrò, eáq; adhibeamus ad rem probandam quæ præ manibus est. Quòd utiq; *Jesus*, quem nos colimus, ille ipse est Christus. Quod præstabimus producendo primùm talia Vaticinia quæ *tempus adventûs ejus præfiniant* & circumscribant, & dein talia quæ *characteres notásq; Personæ* manifestiùs indicent.

E primo genere est antiquissimum illud & eminentissimum vaticinium grandævi *Jacobi*, & in lecto jam moribundi. *Non recedet sceptrum à* Juda *nec Legislator è medio pedum ejus, usq; dum* Shiloh *venerit & ad eum erit populorum congregatio.* Ut deductio hinc nostra evidentior esse possit, percurramus primò breviter verba Vaticinii. *Gen. cap. 49. v. 10.*

Sceptrum] Vox *Hebræa* est שבט, quam *Septuaginta* Interpretes exponunt Ἀρχων, *Aquila* σκῆπτρον, *Symmachus* ἐξουσία *Onkelos* שלטן. Quæ omnia idem significant, *Principatum* scilicet, *summámve potestatem Politicam.*

A Juda] Per *Judam*, ipsâ sacrâ Scripturâ nobis exemplo præeunte, intelligi potest non solùm Tribus *Judæ* præcisè sumpta, sed etiam quæcunq; accessio vel cooptatio facta sit in illam Tribum, quemadmodum apparet ex *Malachia*, cap. 3. v. 4.

Nec Legislator] מחוקק *Septuaginta* reddunt ἡγούμενος. Vox naturaliter significat *Imperatorem* vel *Legislatorem.* Credo eos qui eam reddiderunt, *Dux*, non aberrâsse à mente Septuaginta Interpretum. Significet igitur מחוקק eum qui Leges vel mandata populo dat. Qui admodum genuinus est sensus vocabuli, quemadmodum omnes agnoscunt, & qui maximè propinquam habet cognationem cum vocabulo præcedenti juxta morem usitatam in Scripturis, repetendi bis eandem rem sub verbis parùm significatione differentibus. Cujus rei Exempla sunt innumerabilia.

E medio pedum ejus] מבין רגליו. Septuaginta vertunt ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ hoc est, ex semine *Judæ*, eo sensu quo jam applicata est vox *Juda*; hoc est, quòd *Juda* habiturus est Principem, Rectorem, vel Potestatem Politicam de proprio, vel gubernabuntur seu regentur per eos qui è sua stirpe sunt oriundi.

Usq; dum Shiloh venerit] hoc est, Usq; dum venerit *Messias*; quemadmodum omnes antiqui Interpretes *Judæorum* semper hunc locum exposuerunt, utpote qui judicia habuerunt nullo partium studio corrupta. Dissenserunt tantummodo illi, æquè ac alii, circa notationem nominis *Shiloh*, ut videre est apud *Martinium.* Quidam שילה poni volunt pro שילו, quod idem est quod בנו, quandoquidem שיל significat filium, unde est שליה *secundina.* Alii *Shiloh* nomen esse volunt ejusdem formæ cum קישור & קימוש, exponúntq; *Salvator*, *Pacificus*, à שלה. Septuaginta videntur legisse שלו, quod illi reddunt, ᾧ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, usq; dum ille venerit, *cui res tantæ & tam splendidæ reservantur.* Alii, quemadmodum & Translatio vulgaris, legunt שילוח missus. Quæ quidem lectio præ reliquis omnibus semper mihi placuit. Et suffragium huc etiam contulit incomparabilis vir *Hugo Grotius* in ipsum locum. * *Vide lib. 4. cap. 8. sect. 8, 9, 10.*

Et

Et ad eum erit populorum congregatio. Expectationem, Obedientiam, vel *confractionem.*] Vocabulum יקהת ſignificare poteſt *Congregationem*, Nullus ex his ſenſibus eſt qui vaticinio non conveniat; verùm ſecundus tertiúſq; facilioris rationis Criticæ ſunt capaces.

2. Ex brevi hac ac legitima verborum expoſitione manifeſtum eſt, naturalem ac genuinum *Vaticinii Jacobi* ſenſum hunc eſſe, nempe, *quodcunq; Tribubus* Iſraëlis *contigerit*, Tribum *tamen* Judæ, *& quæcunq; pars Tribuum in unum cum ea coalitura ſit, idémq; nomen ac Titulum habitura, politicâ poteſtate ſeu imperio Gentilitio nunquam privatum iri uſq; dum venerit* Meſſias. Hic, inquam, maximè facilis eſt ac naturalis ſenſus hujus vaticinii, taliſq; qui ſemper à propriis ſuis Interpretibus exhibitus ſit donec funeſtus ille error in trucidando *Meſſia* ſuo, judicia ipſorum pervertiſſet. Quamobrem, quantùm ad ea tempora ubi nondum ſontes facti ſunt, dúmq; idonei fuerunt judices, ipſos *Judæos* appellamus ſi vaticinium *Jacobi* non planè prædicit, quòd Politica poteſtas vel imperium Gentilitium *Judæorum* non ceſſaturum ſit donec venerit Meſſias. Cæterùm manifeſtum eſt illud ceſſaviſſe. Ac proinde *Meſſiam* pro certo adveniſſe.

3. Qua de re Vaticinium hoc nos ſatìs certos redderet quamvìs aliæ præter hanc Interpretationes tolerabiles forent; cùm conſentaneum ſit, ubi varii verborum ſenſus eſſe poſſint, eum veriſſimum concludere qui facillimè maximéq; ſuâ ſponte emanat, itáq; facere videtur omnibus qui nullo laborant præjudicio. Cæterùm ut adhuc certiores eſſe poſſimus de veritate illius ſenſûs Prophetiæ qui jam propoſitus eſt, quanquam tum *Judæi* tum alii, omnes ingeniorum ſuorum nervos intenderunt ad alios ſenſus excogitandos, in nullos tamen inciderunt niſi qui ſupra modum vani ſunt ac ſtolidi.

4. Non abs re erit præcipuos eorum guſtandos propinare. Primùm igitur, Illi qui nolunt *Meſſiam* intelligi per *Shiloh*, *Moſen* intelligunt aut *Saulum* aut *Davidem* aut *Jeroboamum* aut *Nebuchadonaſor*. Primò, *Moſen*, quippe quòd quando miſſus erat ad liberandos filios Iſraëlis ex *Ægypto*, *Juda* illi tradidit Sceptrum, quanquam is erat è tribu *Levi*. Deinde, *Saulum*, utpote qui coronatus eſt in *Shiloh*. Tertiò *Davidem*, innuendo ſcilicet quòd Sceptrum erat in *Juda* atq; illìc manſurum uſq; ad tempora *Davidis*, cujus ſub regno acceſſio quorundam populorum facta eſt ad illius Dominium. Quartò, *Jeroboamum*, ut qui is erat qui coronatus eſt in *Shiloh*, & Sceptrum præterea à *Juda* abſtulit. Quintò, *Nebuchadonaſor*, quoniam ille Sceptrum abſtulit à *Juda* Populúmq; abduxit captivum & *Hieroſolymam* Templúmq; evertit ſolóq; æquavit. Sed ad hæc omnia breviter reſponderi poteſt.

5. Ad illud de *Moſe*, Quòd ille Sceptrum à *Juda* auferre non potuit, cùm *Juda* tunc nullum habuerit. Nam omnes Tribus ſimul tunc ſumptæ nullum erant Regnum corpúſve Politicum, multóq; minùs una aliqua ex ipſis, ſed ſervi abjectiſſimi, miſeráq; Tyranni *Pharaonis* mancipia. Ad illud de *Saulo*, Quòd Rex creatus non ſit in *Shiloh*, ſed in *Mizpeh*. Quódq; *Saulus Benjamita* Sceptrum à *Juda* auferre non potuit, cùm nullum adhuc haberet, quod antè notatum eſt. Ut præteream ridiculum illum ſenſum Adventûs *Shiloh*, cùm *Shiloh* Locus ſit juxta hanc Interpretationem, non Perſona; & quàm frigidè extrema vaticinii clauſula ad *Saulum* applicetur.

6. Ad illud de *Davide*, pari ferè ratione reſponderi poteſt quâ ad antecedens; Quòd utiq; *Juda* ante tempora *Davidis* quamvìs primas teneret honoris ac ſenioritatis, nullum tamen vibrabat Sceptrum in reliquas Tribus, nec ullam particularem ac diſtinctam juriſdictionem habebat præ cæteris. Quódq; admodum inſcitum eſt atq; ineptum, ſi legamus totum Vaticinium, (quod proximè antecedentibus verſibus tam magnificè loquitur de virtute ac fortitudine Judæ) admittere illud tam derepentè ità flacceſcere humíq; repere, ut *Judam* ſolummodò primas non perditurum honoris ſui ac ſenioritatis prædicat uſq; dum venerit *David*. Et præterea, quod adhuc duriorem hunc ſenſum facit, verba naturaliter innuere videntur, quòd *Juda* Sceptrum perditurus ſit ſimul atq; *David* vel *Shiloh* venerit, quamvìs primum id tempus ſit quo illud acceperit. Verba, inquam, naturaliter id innuunt quanquam non neceſſarió. Sed ponamus non innuere, ſed Regium Sceptrum, per hoc quidem vaticinium, manere poſſe apud *Judam* in multos pòſt centenos annos, quod & factum eſt, ídq; etiam tunc cùm reliquæ Tribus ferè omnes perditæ eſſent, quàm frivolum tamen vel ſic faciunt hoc *Jacobi* vaticinium, dum res minutiores tam magnificè illuſtrat, maximéq; notabiles quæ ad illam Tribum pertinent planè omittit? Et poſtremò, quòd acceſſio illa ad Juriſdictionem *Davidis* non tam aptè adæquat, juſtéq; explet ſenſum verborum יקהת עמים, quàm Congregatio illa ad *Meſſiam* quem *Judæi* expectant.

7. *Ad*

7. *Ad illud de Jeroboamo,* Quòd *Jeroboamus* non unctus ſit Rex in *Shiloh,* ſed in *Sichem* Civitate *Ephraim*: Quódq; hæc conſpiratio non abſtulit Sceptrum à *Juda,* ſed occaſionem potiùs dedit *Judæ* ut ſit Regnum ex ſe integrum, taléq; quod non diſſolveretur per multos centenos annos poſtea, cùm antehac non niſi pars eſſet Regni Iſraëlitici.

Et poſtremò, ad illud de *Nebuchadonaſor,* Quòd illa Interpretatio admodum ſtolidum ac frivolum ſenſum vaticinio imponit, tanquam ſi ſic ſe haberet, *Sceptrum ſcilicet non ablatum iri à* Juda, *uſq; dum aliquis per vim illud abſtulerit.* Quaſi *Jacobus* auſus quidem eſſet vaticinari, *Judam* non eò uſq; fatuum fore, ut ultrò Sceptrum ſuum cuipiam ſit traditurus, quamvis tam imbellis eſſe poſſit vel infortunatus ut illud manibus ſuis extortum ſit amiſſurus. Quamobrem is, quo de hæc fit prædictio, plus debet *Judæis* eſſe, vel alius, quàm merus graſſator ſeu deprædator, & rationem apud ipſos habere aut Regis aut Prophetæ, ídq; modo pluſquam ordinario. Alioqui ſenſus admodum frigidus erit & ineptus, tanquam ſi diceret, *Sceptrum non auferetur antequam auferatur.*

8. Præterea, Sceptrum non tam auferebatur in Captivitate Babylonica, quàm ſequeſtrabatur ad tempus, ipſis interibi à Deo per os Prophetarum certioribus factis, quòd redituri eſſent intra ſpacium ſeptuaginta annorum. Adeò ut *Interregnum* potiùs eſſet quàm Regni vel Politiæ Judaicæ *abolitio.* Quam quidam manſiſſe inter ipſos volunt tenui aliquo gradu etiam in illo Captivitatis ſuæ intervallo, ut qui habebant רשי נדוח αἰχμαλωλάσχας ſuos, qui poteſtatem haberent in Populum *Judæ.* Hoc verò plus eſt quàm pro quo operæ pretium eſſet enixiùs contendere. Promiſſum Dei per ora Prophetarum ſuorum, reducendi eos intra annos ſeptuaginta, exiguáq; captivitatis duratio præ fruitione poſtmodum ſequentis libertatis, per ſe ſufficiunt ad efficiendam captivitatem ſuſpenſionem ſolummodò non ablationem ſceptri à *Juda.* Quibus omnibus adjicere potes connexionem abſonam hujus partis vaticinii cum proximè antecedenti, ubi *Juda* tam magnificè propter virtutem ſuam ac fortitudinem laudatur, cui tamen ſtatim ſubjicitur (juxta hanc Interpretationem) Sceptrum ejus nunquam ablatum iri, donec aliquis eum devicerit illúdq; abſtulerit, quod ut videtur *Nebuchadonaſor* fecit. Qui quidem ſenſus maximè incongruus eſt atq; inſipidus qui excogitari poteſt, prout partim ſuprà inſinuavi.

Cæterùm ſi vaticinium interpretaris, quemadmodum veteres *Judæi* illud interpretati ſunt, de *Meſſia,* cohærentia admodum perfecta eſt & perſpicua. Quòd ſcilicet ſtrenuus hic Bellator *Juda* nunquam Sceptrum ſuum penitus amiſſurus ſit uſq; dum ſpecialis ille Dei nuncius, gentiúmq; expectatio, *Meſſias* ſcilicet, advenerit, qui longè univerſaliori Bono inſerviturus ſit quàm quod ad parvum illum mundi manipulum *Judæos* pertineat.

9. Proximum ſuffugium quod quærunt & inveniſſe ſe arbitrantur eſt in עד כי, dum imaginantur quòd עד ſignificare hîc poteſt (ut interdum facit) in *æternum*: Verùm accentus *Athnah* in רגליו, quæ idem valet quod *colon* in Latino ſermone, viam ipſis intercludit ad hoc diverticulum.

10. Ultima ambiguitas, quam prætendunt, voci שבט ineſt, quam ſignificare dicunt aut *Tribum,* aut *Baculum, opitulationis* ſcilicet, ſeu *ſuſtentationis,* aut *virgam caſtigationis* & *afflictionis.* Sumendo pro *Tribu,* vaticinium ſic inſtitui poteſt, *Quòd tribus Judæ nunquam auferetur donec Meſſias venerit*; vel ſic, *Quòd Tribus* 1.
Benjamin, quicquid ſit de reliquis tribubus, nunquam auferetur à Juda, &c. Si ſu- 2.
matur pro *Baculo,* ſenſus hic eſt, *Quòd Juda in quacunq; Captivitate aut oppreſſione* 3.
fuerit, ſuſtentabitur tamen alicunde & aliquo modo levabitur donec venerit Meſſias.
Si ſumatur pro *virga, Quòd virga caſtigationis & afflictionis nunquam auferetur à* 4.
Juda donec Shilo venerit.

11. Quibus reſpondeo, primóq; cunctis in Genere. Quòd cùm שבט & מחוקק ad hunc modum in vaticinio collocentur, támq; naturaliter ſibi invicem reſpondeant, tametſi מחוקק æquè frequenter ſignificaret Scribam, atq; eum qui poteſtate politicâ vel imperio præditus ſit, nimis quàm coactum tamen foret ità exponere in hoc loco, cùm vox שבט adeò naturaliter ſenſum alterum indigitet, & etiamnum adhuc coactiùs ſi conſideraveris מבן רגליו *ex ſemine ejus,* quæ res eſt quæ parùm habet momenti in inferioribus iſtis officiis Scribæ & Expoſitoris Legis. Quibus addere potes quòd מחוקק nunquam ſic exponitur in Scripturis per Septuaginta, ſed ſemper aut Βασιλεὺς aut ἄρχων aut ἡγούμενος. Adeò ut, tametſi legitimum vaticinii ſenſum in ipſius initio eludere poſſint, pars tamen ſubſequens & ſeipſam & partem alteram etiam tueatur à violentia & injuria. Nam oportet planè eſſe מחוקק, hoc eſt, Politicam poteſtatem in *Juda,* donec *Shiloh* venerit, quicquid per שבט ſignificatum fuerit.

12. Verùm ut ſingula leviter tangamus; ubi porrò notandum eſt, *Tribum Judæ*, non ipſius *Perſonam* ſubjectum eſſe vaticinii. Senſus igitur primæ Interpretationis hic erit: Quòd *Juda* non auferetur à *Juda* donec venerit *Shiloh*. Quod valde profectò ridiculum eſt. Veruntamen quoad ejus fieri poteſt, Tribus *Judæ* etiam à Tribu *Judæ* eſt ablata, ac proinde *Shiloh* jam venit. Nam univerſa Tribus *Judæ* in fruſtula diſcerpta eſt & inter Nationes per omnes Terræ partes diſſipata. Vel ſi contra rationem *Perſonam Judæ* objectum vaticinii ſupponere volunt (cujus tunc ſenſus erit, Tribus *Judæ* ab eo non auferetur donec venerit *Shiloh*) Patriarcha magis determinatè locuturus fuiſſet, dicturúſq; שבטו non שבט, alioqui לא יסור שבט naturaliter ſignificat, nulla omninò Tribus ab eo auferetur, cùm tamen decem in captivitatem abductæ ſint, nec adhuc unquam redierint. Præterea, ſi שבט reddi poſſit *tribus ejus*, illa etiam ipſi reverà ablata eſt & perdita, cùm ſub illius imperio non ſit, hoc eſt, ſub Regimine Politico *Judæ*, qui inſtar Imperatoris eſt cujus exercitus planè eſt devictus, & in captivitatem abductus, & alieno prorſus imperio ſubditus. Nec quicquam refert quòd nomen illius etiamnum gerunt, cùm illius non ſint ſub poteſtate. Equidem Patriarchæ in lecto moribundi mens rebus admodum puſillis occupabatur, ſi nihil amplius huic vaticinio ſubſit quàm præ ſe fert hæc prima Interpretatio.

13. Et ſecunda certè, ſumendo iterum שבט pro Tribu, eiſdem objectionibus obnoxia eſt cum prima, ejúſq; ineptitudo paulò adhuc craſſior magíſq; conſpicua. Etenim admodùm hîc evidens eſt, quòd לא יסור שבט מיהודה neceſſariò ſignificabit, *nè Tribus quidem auferetur à Juda*, &c. Eſt enim haud abſimile atq; ſi quis diceret, Non auferetur Ovis ex Ovili uſq; dum venerit *Dametas*. Verùm ſi poſt adventum *Dametæ* unica reperiretur Ovis relicta, alter ille Paſtor proculdubiò ludificatum ſe putaret ſi pollicitator iſte apud ipſum prætenderet, ex eo quòd Ovem unicam in Ovili ſervaverit, promiſſum ſe ſervâſſe. Quippe quòd inepta eſſet falláxq; defenſio allegare, ſe promiſiſſe Ovem non ablatam iri, quódq; illîc Ovis ſit quæ nondum eſt ablata. Adeò ut manifeſtum ſit quòd per שבט una particularis Tribus, *Benjamitica* putà, non poteſt intelligi, ac proinde nulla omnino. Nam reliquæ omnes per *Salmanaſſar* in perpetuam abductæ ſunt captivitatem.

14. Ad tertiam Interpretationem reſpondemus, *Jacobum* hîc unicuiq; filiorum ſuorum benedictiones *peculiares* diſtribuere. Hæc verò omnibus communis eſt ac proinde *Judæ* non affigenda. Et deinde admodum puſillam rem eſſe inter tot illuſtres prædictiones & encomia *Judæ*, quòd nunquam ad tantas redigendus ſit anguſtias quin vivere poſſit & ſubſiſtere, quanquam in ſtatu humili & abjecto, & ab aliis populis dependenti. Adeò ut hic ſenſus Vaticinii valdè frivolus ſit ac dilutus.

15. Et quarta quidem æquè prava eſt, ſi non pejor. Primò enim, ut antè, quod commune eſt omnibus Tribubus, & verò ad alias potiùs tribus pertinet quàm ad *Judam* (decem intelligo Tribus à *Salmanaſſaro* abreptas) hîc *Judæ* tanquam proprium addicitur, ídq; in magnorum encomiorum medio ac benedictionum. Totum vaticinium de *Juda* perlege, & primo ſtatim aſpectu deteges hujus aſſumenti diſcrepantiam ſi hic ſenſus ſit hujus partis vaticinii. Præterea, vaticinium juxta hunc ſenſum verum eſſe non poſſit. *Juda* enim florentiſſimum erat Regnum vel Reſpublica per multos centenos annos, quemadmodum conſtat ex Hiſtoria.

16. Et poſtremò, ut his duabus ultimis Interpretationibus conjunctim reſpondeamus; Vox שבט ſimpliciter poſita, ut hîc eſt, & abſq; ullis additis circumſtantiis quæ ſenſum ejus determinent, nunquam ſignificat aut baculum *ſuſtentationis* aut virgam *caſtigationis*. Adeò ut pari jure exponere poſſint *grallam*, atq; utrumlibet. Nam שבט פסחים pro certo ſignificabit *grallam*. Ac proinde eandem ſumendo libertatem quam illi ſibi aſſumunt, ſenſus hujus Vaticinii ſic inſtitui poteſt: *Gralla non recedet à* Juda *nec Scriba è medio pedum ejus uſq; dum* Shiloh *venerit*; hoc eſt, *Judæ* nunquam deerit ſcriba Grallator, id eſt ſcriba claudipes, ſcriba utiq; qui claudicantes, tortuoſas & perverſas legis Expoſitiones, ad capitalis ipſorum erroris defenſionem excogitaturus ſit, uſq; ad ſecundum adventum *Meſſiæ*.

17. Brevia hæc vobis ſpecimina propoſui ineptarum illarum Evaſionum quibus utuntur *Judæi* ad occultandum planum ac perſpicuum ſenſum hujus Vaticinii *Jacobi*. De quo notatu dignum eſt, quemadmodum illorum Expoſitiones valde vanæ ſunt atq; ſic omnino nobis videntur, ità manifeſtum eſſe quòd nec ſibi ipſis per eas ſatisfaciant, ex eo quòd tantam earum multitudinem excogitaverint. Quid enim eos urgere potuit ad novam excudendam Interpretationem niſi quòd vetus parùm ipſis ſatisfecerit? Et certè tametſi per vim vaticinio factam, quàm plurimas poterant, jam extorſerunt, cui tamen omnium potiſſimùm adhærere debeant, planè neſciunt.

CAP.

CAP. III.

1. *Vaticinium* Haggæi. 2. *Naturalis ſenſus Vaticinii.* 3. *Quòd Templum ſecundum nullâ aliâ ratione glorioſius eſſe potuit primo, niſi quòd* Meſſiam *reciperet.* 4. *Quòd* Herodis *Templum hîc intelligi non poterat.* 5. *Reſponſum ad ſubterfugium de Templo* Ezekielis. 6. *Vaticinium* Malachiæ *ulteriorem vim addere huic* Haggæi. 7. *Quòd Propheta nullum aliud Templum intelligere poterat præter illud quod tunc exiſtebat.*

1. CÆterùm ſi tolerabilem aliquam Evaſionem in hoc vaticinio invenire potuiſſent, neq; ſic tamen opus ſuum abſolviſſent, cùm aliæ ſint perſpicuæ prædictiones quæ eódem collineant; ut apud *Haggæum, Sic enim ait* Jehovah *exercituum, Propediem erit cùm ego cœlum, terram, mare ſiccúmq; commovebo, cunctáſq; Gentes commovebo, & expectatio veniet Gentium omnium, iſtámq; ædem replebo gloriâ, ait Jehovah exercituum. Meum eſt argentum, meum eſt aurum, inquit Jehovah exercituum. Major erit iſtius poſterioris ædis gloria quàm prioris, dicit Jehovah exercituum. Et in loco iſto dabo pacem, inquit Jehovah exercituum.* *Hagg. cap. 2. v. 6, 7, 8, 9.*

2. Cujus vaticinii ſenſus naturalis hic planè eſt. Propheta populum animat hortatúrq; ad operandum & ædificandum Templum, propterea quòd, tametſi non tam ſumptuoſum futurum erat quàm prius, in ornamentis Auri & Argenti, quæ tamen, ſi vellet, de præfacili contribuere poſſet Deus; (*meum eſt argentum, meum eſt aurum*) gloria tamen hujus poſterioris ædis major erat futura quàm prioris, ex eo quòd honoranda erat præſentiâ *Meſſiæ*, qui hîc vocatur expectatio vel *deſiderium omnium gentium.* Et quemadmodum alibi nuncupatur *Princeps Pacis*, ità & hîc adventus ejus pacis dono illuſtratur. *Et in loco iſto dabo pacem, inquit Jehovah Exercituum.*

3. Jam verò *Judæos* rogamus, quâ ratione ædes hæc ſecunda glorioſior erat priori, ſi *Meſſias* in eam non ingreſſus eſt dum exiſtebat. Quòd contemptibilis erat ſtructura præ *Salomonis* Templo, fletus ſenum dum extruebatur plana erat demonſtratio. Præterea ipſi Rabbini agnoſcunt eam quinq; privilegiis quibus altera gaudebat fuiſſe deſtitutam: *Urim* ſcilicet & *Thummim*, *Shechinâ*, *Igni de cœlo*, *Arcâ fœderis*, & *ſpiritu Prophetiæ.* Evaſiones hîc *Judæorum* oppidò quàm miſeræ ſunt & deſpicabiles, viz.

4. Quòd tametſi hoc Templum in Principio non adeò glorioſum erat, tamen poſtquam *Herodes* illud reformaverat, magìs ſplendidum erat ac magnificum quàm Templum *Salomonis.* Quod non ſolùm falſum eſt, verùm ſi admitteretur pro vero, ſenſum tamen hujus Vaticinii non expleret. Etenim omnia illa externa Ornamenta illorum quinq; Privilegiorum ſuprà dictorum damnum compenſare non poterunt. Quibus addas, quàm ridiculum ſit tam puſillum inſtitutum extruendi Templum ſplendidum, tam exaggeratis magnificíſq; verbis prædictum eſſe, tanquam ſi futurum fuiſſet maximum quod unquam hactenus in mundo contigit miraculum (quod tamen præſtabatur per viliſſimum hominum *Herodem*) *Ego cœlum, terram, mare ſiccúmq; commovebo, &c.*

Et ſecundum certè ſuffugium, poſterius hoc Templum decem annis diutiùs ſtetiſſe quàm prius, etiam adhuc magìs frivolum eſt ac nugatorium. Ac propterea coguntur tandem relinquere hoc Templum, & tertio cuidam vaticinium affigere, Templo ſcilicet *Ezekielis*, quod nondum extructum eſt, tametſi hoc vaticinium ante bis mille ampliùs annos prolatum ſit. Cùm tamen Propheta dicat, *Propediem erit cùm ego cœlum, terram, mare ſiccúmq; commovebo.*

5. Verùm obſtinati *Judæi* adhuc inſtabunt urgebúntq; manifeſtum eſſe, quàm magnificum Templum ſit *Ezekielis*, & quàm clarè prædictum, tandémq; extiturum eſſe, ſéq; propterea non expectaturos *Meſſiam* ſuum ante illud tempus. Ad hoc verò breviter reſpondeo, Primò, fieri poſſe ut viſio hujus Templi nihil aliud eſſet quàm exhibitio Templi *Salomonis*, quale ſcilicet tunc erat cùm *Nebuchadonaſor* illud deſtruebat. Ad quam opinionem multùm inclinat *Grotius.* Secundò, ſi ſit aliqua magnificentior ſtructura, vaticinium non eſſe abſolutum, ut illud de *Meſſia*, ſed conditionale, quemadmodum videtur expreſsè indicari in ipſo vaticinio, Ezekiel. 43. *Vers. 10, 11.* Unde ego equidem credo Repræſentationem eſſe poſſe ejuſmodi magnificæ ſtructuræ quam *Judæi* erecturi fuiſſent in temporibus *Meſſiæ* ſi ipſum non repudiâſſent,

quòd utiq; diruturi fuiſſent Templum *Herodis*, utpote quod per nefarias manus tam execrabilis viri extructum erat, & ſtructuram *Ezekielis* erecturi. Hic naturalis exitus fuiſſet receptionis ſui *Meſſiæ* apud *Judæos*. Verùm conſilium *Jehovæ* ipſum ſtabit. Vel deniq; tota viſio eſt ſenſûs merè *myſtici* ac *ſpiritualis*. Quòd viſio ſanctarum aquarum ac mirabilis earum virtus, ut & arborum ibi commemoratarum (cap. *47.) non obſcurè inſinuat. Adeò ut nullum argumentum à Templo *Ezekielis* deductum vaticinii *Haggæi* vim enervare poſſit, cùm id in ſe ità perſpicuum ſit, alterúmq; ad ſenſum ipſi minimè repugnantem tot modis interpretabile.

*Vide Ezekiel. 47. v. 8,9,10, 11, 12.

6. Veritas cujus adhuc evidentior erit ſi addamus illud *Malachiæ*, *Ecce ego miſſurus ſum nuncium meum, qui expediat viam ante me, & repentè veniet in Templum ſuum Dominus quem vos quæritis, & Angelus fœderis quo vos delectamini, ecce venturus eſt ait Jehovah Exercituum.*

Quod vaticinium præcedenti vaticinio omnino par eſt atq; ſimile, niſi quòd pleniùs deſcribit perſonam *Meſſiæ*, quo certiores eſſe poſſimus utraq; de ipſo eſſe intelligenda. Atq; Tempus hîc denuò ſatìs apertè videtur prædefiniri; Quòd nempe venturus eſſet in illud Templum quod *Judæi* tunc habebant extructum, (quanquam haud diu tunc inſtauratum fuerat) & præſentiâ ſuâ cohoneſtaturus, antequam ſubvertendum eſſet ſolóq; æquandum.

7. Hic proculdubiò naturalis ſenſus eſt hujus vaticinii, valdéq; durum eſt ſupponere *Malachiam* ullum aliud Templum præter hoc in animo ſuo habuiſſe. Verùm hoc Templum ante plus mille ſexcentos annos ſolo eſt æquatum; ac proinde aut tunc in Templum *Meſſias* ingreſſus eſt, aut vaticinium eſt falſum. Nunquam enim ab eo tempore ullum extitit Templum in quod ingredi poſſit, nec exiſtit in præſens, nec unquam denuò extiturum eſt, ſaltem ante illius adventum. Quomodo enim *Judæi* ædificabunt ſibi Templum antequam *Meſſiam* invenerint? Adeò ut neceſſe ſit ut primò ſit *Meſſias*, dein Templum, ſi ſit omnino. Verùm proculdubiò hoc vaticinium *Malachiæ* Templum primò paratum ſupponit & jam extructum, *Meſſiámq;* præſtituto tempore genitum iri in hunc mundum & in illud ingreſſurum. Quod proinde oportet eſſe Templum ſecundum.

CAP. IV.

1. *Vaticinium* Danielis. 2. *Expoſitio vaticinii.* 3. *Quòd dicta Expoſitio æquè facilis eſt & naturalis atq; Interpretatio ullius ſcripti cujuſmodicunque; quámq; præſtabile opus eſſet demonſtrare è chronologia* Paſſionem Chriſti, *biduo triduóve poſt initium vel ante finem ultimæ* Hebdomadis *contigiſſe.* 4. *Summa ſenſûs totius vaticinii.* 5. *Circumſcriptionem* Propheticarum Hebdomadum *non fieri per excidium Civitatis ſed per impletionem illuſtrium illarum Prædictionum de* Meſſia, *nullámq; Epocham veram eſſe poſſe quæ in ipſas non terminetur.*

1. ULtimum vaticinium quod nos hîc allaturi ſumus eſt ex *Danielis* cap. 9. Ubi prædictionem illam *Jeremiæ* dum in animo ſecum revolvebat, quòd utiq; ſeptuaginta anni explendi erant in devaſtationibus *Hieroſolymæ*, dúmq; enixè precibus apud Deum contendebat de ſalute ac libertate Populi ſui, Angelo *Gabrieli* expreſsè mandatum eſt ut eum adiret atq; vaticinium hoc cum eo communicaret.

I. *Septuaginta ſeptimanæ deſtinatæ ſunt Populo tuo, tuæq; ſacræ urbi ad finiendum peccatum, ad obſignanda delicta, ad ignoſcendam culpam & ad inducendam æternam juſtitiam & ad obſignandam viſionem ac vaticinationem, & ad ungendum ſanctorum ſanctiſſimum.*

II. *Scies igitur & intelliges ab edito mandato de reditu & de inſtauranda* Hieroſolyma *uſq; ad* Meſſiam *Principem fore ſeptimanas ſeptem & ſexaginta duas, quibus redibitur, & vici ruinæq; inſtaurabuntur idq; in difficultate temporum.*

III. *Poſt duas autem & ſexaginta ſeptimanas perimetur Meſſias, ſed non propter ſeipſum, Populúſq; Principis venturi urbem & ſanctuarium depopulabitur, eritq; finis ejus cum inundatione, & ad belli finem deſolationes ſunt determinatæ.*

IV. *Confirmabitq; fœdus multis unâ ſeptimanâ, ſed in medio ſeptimanæ ſacrificium abolebit ac munus, & propter expanſiones abominationum deſolatum reddet etiam uſq; ad conſummationem eámq; præciſam quæ effundetur in deſolatum.*

2. Hoc

2. Hoc tam illuſtre vaticinium eſt, & ad Propoſitum noſtrum tam eximiè accommodatum, ut breves aliquot annotatiunculas ad ſingulos verſûs annectere è re fore judicemus. Ut eò manifeſtiùs ſenſus apparere poſſit, & ſi quæ ſint Interpretationum diverſitates, apertiùs conſtare, eas nullatenus principali illi veritati, pro qua nos contendimus, nocere.

I. *Septuaginta ſeptimanæ*] hoc eſt, ſeptimanæ vel Hebdomadæ Annorum. De quo ſenſu nullum eſt dubium nec apud *Judæos* nec apud *Chriſtianos*. Et ſeptuaginta hujuſmodi ſeptimanæ non tam præcisè ſumptæ, ut illud quod prædictum eſt, antè evenire non poſſit quàm ſeptuageſima ſeptimana prorſûs ſit elapſa, nec partem aliquam ſubſequentis ſeptimanæ excurrere; cùm computatio fiat per annorum ſeptimanas non per annos, quemadmodum *Joſephus Medus* rectè etiam obſervavit; ejuſmodíq; ſit Hypotheſis, quam nemo jure poſſit cavillari.

Deſtinatæ ſunt] נחתך, hoc eſt, *exciſæ*, prout quidam volunt. Innuendo quòd ſtatim poſt exitum harum Hebdomadum *Judæi* rurſus abducendi ſint in captivitatem. Verùm illa ſupervacanea eſt curioſitas, & vaticinii ſenſui non adeò uſquequaq; conſona. Adeò ut meo judicio præſens Tranſlatio ei præferenda ſit.

Populo tuo tuæq; ſacræ urbi] hoc eſt, ſub exitum ſeptuaginta ſeptimanarum Populus *Judaicus* deſinet eſſe Populus Dei, Civitáſq; ipſorum eſſe ſancta, Religione eorum naturaliter ceſſante ob aliqua ipſorum facinora, quò præſtantior, ſecundùm Divinum Propoſitum, ſit introducenda.

Ad finiendum peccatum, vel, *ad explendum*, *perficiendum* vel *conſummandum peccatum.*] Ità enim hîc ſignificabit * vox כלא, videtúrq; maximè genuinus eſſe ſenſus in hoc loco: Quaſi Angelus dixiſſet; Per ſeptuaginta ſeptimanas auferetur flagellum à populo tuo, quibus iterum corruptiſſimas ſuas vivendi rationes ſectabuntur, peccata peccatis accumulantes uſq; ad ſummum. Quod maximè inſigniter fecerunt in occidendo Meſſiam ſuum.

* *Septuaginta vertunt* τὸ συλλειφθῆναι ἁμαρτίαν.

Ad obſignanda delicta, vel *ad finem imponendum Piaculis Judaicis.*] Ità enim ſignificabit vox חטאות: Et חתם, quod idem eſt quod obſignare, finem denotat rei impoſitum, per modum impletionis, & conſummationis, utì ſit prope finem hujus verſûs, *ad obſignandam viſionem & vaticinationem.* Vox חתם ibi uſurpatur.

Ad ignoſcendam culpam, vel *ad expiandam culpam.*] Ità enim כפר ſignificat. Senſus verò idem ferè eſt utrobique.

Et ad inducendam æternam Juſtitiam] i. e. Talem legem vel Religionem quæ duratura ſit in perpetuum, & juxta quam ſi vivamus, noſtra futura ſit Juſtificatio non opera Legis Moſaicæ, nec iſtæ oblationes & ſacrificia.

Et ad obſignandam viſionem & vaticinationem] i. e. Ad implenda conſummandáq; Vaticinia, illuſtria utiq; illa maximíq; momenti vaticinia de *Meſſia.*

Et ad ungendum ſanctorum ſanctiſſimum] viz. Perſonam omnium quæ unquam vixerunt ſanctiſſimam. Nam tametſi קדש fœminini ſit generis, videatúrq; ſanctitatem potiùs ſignificare in *abſtracto* vel Rem ſanctam, *Judæi* tamen ipſi intelligunt de Perſona; *Moſes Gerundenſis* de ipſo *Meſſia.* Et adhibetur ad rem quamlibet ſignificandam Deo conſecratam, ſive Ager ſit, ſive Homo, ſive Pecus; Levit. 27. 28. Præterea nihil opus eſt ut קדש nomen ſit fœminini generis, ſed idem planè quod קדוש *ſanctus*, quemadmodum apparet ex *Levit.* 21. 7. *Num.* 6. 8. Aut ſaltem verba ibi legenda ſunt קָדֵשׁ, ac proinde rurſus confirmant quod קדש ad conſecratas Perſonas æquè pertinet ac Res. Si intelligendum fuiſſet de loco ſanctiſſimo Templi, veriſimillimum eſt quòd ſcriptum fuiſſet קדש הקדשים, & non קדש קדשים. Verùm ſi קדש קדשים ſignificet hîc locum ſanctiſſimum, Chriſtus etiam erat καθ' ὑπεροχὴν modo eminentiſſimo qui excogitari poteſt. Nam in eo tota divinitatis plenitudo habitabat corporaliter.

II. *Ab edito mandato de reditu & de inſtauranda Hieroſolyma*] viz. A decreto vel mandato *Artaxerxis* anno ſeptimo ſui Regni, cujus mentio ſit Ezræ 7. Quo *Ezræ* jus datum eſt conſtituendi Magiſtratus ac Judices ſuper Populum, ut haberent poteſtatem vitæ ac necis inter ſeipſos, vivendíq; ſecundùm proprias ſuas Leges Politicas. In qua conceſſione fieri non poterat quin jus vel decretum extruendi ædificia *Hieroſolymorum* includeretur. Ut taceam, prout rectè *Funccius* etiam arguit, libertatem hanc vivendi ſub propriis ſuis Magiſtratibus veriſſimum eſſe maximéq; ſolidum ſenſum condendi Civitatem. Quibus addas verſ. 18. expreſſam ibi dare facultatem expendendi in quoſcunq; ipſis libuerit uſus, liberalium illarum contributionum Reſiduum, quæ pro ſacrificiis uſibúſq; religioſis factæ eſſent. Unde manifeſtum eſt quòd jus vel facultas ædificandi Civitatem in illa conceſſione includebatur. Nec magnoperè curabat *Ezra* illud à Rege expreſſim emendicare quod prævidebat

videbat in rei majoris conceſſione involutum iri, taliſq; quæ efficaciùs Regis animum inclinare poſſit, Rei ſcilicet Religionis; ut videre licet v. 23. Quamobrem hoc eſt proprium Decretum pro urbe reædificanda aut nullum. Nam aliorum Decretorum Tituli aut ſunt de Templo ædificando, aut reſtringuntur ad extruendos muros Civitatis, quandoquidem ædes antea erat extructa, quemadmodum videre poteris legendo Hiſtoriam *Ezræ* & *Nehemiæ*, ad hunc ferè ſenſum argumentantur ii qui hanc Hebdomadum Epocham ſtatuunt.

Uſq; ad Meſſiam Principem] hoc eſt, Uſq; ad manifeſtationem illius perſonæ quæ tam bene nota erat, támq; avidè expectata à *Judæis* ſub nomine *Meſſiæ* ſui, cùm vox illa nunquam abſolutè uſurpetur niſi de illo intelligatur.

Fore ſeptimanas ſeptem & ſexaginta duas] id eſt, Sexaginta novem ſeptimanas, cùm ſeparationi horum numerorum nullum ſubſit myſterium, ſed Hebraiſmus ſolummodo (intelligendus ex Ezekiel. 45. 12. & Geneſ. 5. ubi frequenter occurrit; utì etiam ſemel cap. 8. v. 3.) quemadmodum *Grotius* notavit in hunc locum. *Funccius* ad aliquod majoris momenti adnititur; Quòd utiq; ſtatus Reipublicæ *Judaicæ* magìs perturbatus foret per primas ſeptem ſeptimanas aut eò circiter, quemadmodum intelligere licet ex *Ezra* & *Nehemia*.

Vici Ruinæq; inſtaurabuntur, idq; in difficultate Temporum] hoc eſt, Non ſolùm Area *Hieroſolymæ* ædificiis rurſus replebitur, ſed & urbis mœnia reædificabuntur, quanquam in turbatis incertiſq; Temporibus, quemadmodum conſtat è ſupradicta Hiſtoria. Quippe quòd ædificatores cogebantur accincti eſſe gladiis æquè ac trullis inſtructi ad opus.

III. *Poſt duas autem & ſexaginta ſeptimanas*] Quæ continuò ſuccedunt ſeptimanis ſeptem; hoc eſt, poſt ſexaginta novem ſeptimanas perimetur *Meſſias*, viz. ſupradictus *Meſſias* Princeps. Neceſſe enim eſt ut hic ſit maximè naturalis illius ſenſus, &, quod paulò antè monui, *Meſſias* nuſquam ità abſolutè ponitur niſi in hoc loco. Unde proculdubio *Judæi*, ipſi, quem illi expectabant ſuum fore liberatorem, nomen *Meſſiæ* tribuebant.

Perimetur.] Si יכרת eſſet, ſignificare poſſet *transfixum* vel *affixum*, quemadmodum *Funccius* illud ſignificare velit: verùm eſt יכרת, quod ſignificat decidere vel abſcindere, non ſolùm à vita, ſed, quod notat *Medus* noſter, à Regno, quatenus quis Rex eſt. Et *Judæorum* reſpectu abſciſſus eſt juxta utroſq; hos ſenſus: Erat enim *Meſſias* Princeps quem proprius ſuus populus à vita abſcidit & eo ipſo à ſeipſis, quò minùs illi diutiùs eſſe poſſent populus illius, illéve eorum Rex. Ac proinde ſtatim ſequitur ואין לו, quod non eſt, ſed *non propter ſeipſum*. Senſus verò eſt, Quòd abſciſſus erit *Meſſias* per manus populi Judæorum, quódq; is populus illius non erit. Hanc expoſitionem vocum ואין לו *Manaſſeh Ben Iſraël* adeò approbat, ut eam ibi adhibeat, ubi non eſt ità naturalis ac facilis, aut ſaltem tautologia eſt. Interpretatur enim de *Agrippa* ultimo Rege *Judæorum*, quem, inquit ille, *Veſpaſianus* triennio ante excidium Templi occidit, ואין לו, atq; ità Regnum diutiùs non erat *Agrippæ*, nec cujuſquam ex illius Proſapia. Cæterùm interpretando de *Meſſia*, cùm ſupponatur quòd abſciſſus ſit per manus populi *Judaici*, admodum facile eſt intellectu quòd is populus ſit caſus nominativus verbo ſubintellecto in ואין לו, quòd ille populus qui illum abſcidit, populus ejus diutiùs non ſit futurus propter immane hoc facinus quod patrârint. Adeò ut ex hoc facinore *Judæi* ceſſarent eſſe populus Dei, atq; ſic eis à Deo derelictis, magna tandem illa ingruit ultio in ſubſequentibus verbis prædicta, Civitatem ſcilicet eorum ac Sanctuarium perditum iri per eos qui deſignati erant in populum *Principis Meſſiæ*. Etenim eum ad modum *Medus* interpretatur hunc locum, & oppidò quàm doctè ac peritè meo quidem judicio; vertendo utiq; עם נגיד הבא *Populus Principis futurus*, quo *Romanos* indigitat. In quo Imperio præcipuè Chriſtus habiturus erat Eccleſiam ſuam ac Regnum. Eſtq; maximè ſanè conſentaneum ut quemadmodum *Meſſiah* antè erat idem qui *Meſſiah Princeps*, ſic *Princeps* hoc in loco idem ſit qui *Meſſiah*, cùm ſenſus adeò examuſſim quadret. Cùm è contrà ſi *Meſſiah* hîc non intelligatur per נגיד ſed ſolummodò Princeps aliquis ac Populus in genere [populus Principis venturi] ſenſus nimis laxus eſſet ac dilutus, qui juxta *Medanam* Hypotheſin conſtitutus multo magìs compactus eſt, filóq; magìs æquali.

Eritq; finis ejus cum inundatione] hoc eſt, Poſt excidium Urbis, Exercitus Romanus inundabit *Judæam*.

Et ad Belli finem deſolationes ſunt determinatæ.] *Grotius* interpretatur עד *pro*, & vertit, *Pro fine belli erit definita deſolatio. Deus hunc exitum bello iſti præfinivit, terræ vaſtitatem.*

IV. *Confir-*

IV. *Confirmabitque.*] *Medus* noſter ſic reddit, Confirmabit tamen nihilominus. Nam conjunctio ו vim habet ferè cujuſlibet conjunctionis variéq; reddi poteſt, prout ipſe ſenſus indicaverit. Senſúſq; maximè genuinus videtur is quem *Medus* dedit; Quòd utiq; tametſi *Iſraël* rejectus erat, Reliquiæ tamen ſecundùm electionem gratiæ lucrifaciendæ erant Chriſto per Evangelii illius Regni prædicationem. Quod peragendum erat ante & poſt ejus *Paſſionem*, per ſeipſum & per Apoſtolos ſuos. Hæc eſt illa καινὴ διαθήκη, novúmq; fœdus quod ipſam Inſcriptionem novi Teſtamenti adornat. Et Septuaginta ſanè hoc ipſo in loco reddunt διαθήκη, συναμώτη διαθήκων.

Confirmabitq; fœdus] hoc eſt, quemadmodum dixi, Fœdus Evangelii. Vide *Funccium* in locum.

Multis] i. e. Aliquibus, iiſq; non admodum paucis: Ità enim vocabulum frequenter ſignificat. Quanquam verum etiam ſit quòd multi è *Judæis* converſi erant novúmq; hoc fœdus inibant intra ſpacium hujus unius Septimanæ, quæ ſeptuageſima eſt vel ultima Hebdomada.

Sed in medio ſeptimanæ, vel *illius ſeptimanæ.*] חצי השבוע ſignificare poteſt vel dimidium unum Hebdomadæ, ut interpretatur Grotius; vel ſimpliciter in medio Hebdomadæ. In qua Interpretatione non-opus eſt, ut *medium* mathematicè ſignificet partem mediam Hebdomadæ ab extremis æquidiſtantem, ſed partem quamlibet intra extrema. Adeò ut ſecundus ſextúſve annus Hebdomadæ dici poſſit in hoc ſenſu, ídq; verè, in medio eſſe Hebdomadæ. Unde Angelus fortean rectè exiſtimari poteſt nihil amplius voluiſſe per hanc locutionem, quàm quòd prædixit eventurum eſſe poſtquam ultima ſeptimana inceperit, & antequam exiverit.

Sacrificium abolebit ac munus.] *Meſſias* ſcilicet tunc paſſus antiquabit finémq; imponet *Judaicis* Sacrificiis & Oblationibus. Quippe quòd cùm is qui per ea præfigurabatur jam oblatus eſſet ac ſacrificatus, manifeſtum eſt illa altera quantùm ad jus ac efficaciam ceſſâſſe, hoc eſt, abrogata fuiſſe & abolita per excellentiam illius perſonæ quæ ſeipſum obtulit ſemel in ſacrificium & piaculum pro peccatis totius mundi. Modò Chronologia ſuffragatura ſit, nulla equidem ratio humana aptiorem inveſtigare poteſt excogitaréve interpretationem quàm hæc ſit de abolitione jugis ſacrificii per *Meſſiam.* Qui quaſi ſcopus eſt totius Vaticinii. Etenim ſignificare intra quam Hebdomadam *Meſſias* paſſurus eſſet, ex cujus morte *Legis* Moſaicæ *antiquatio* & *introductio æternæ Juſtitiæ* dependebat, res magìs conſentanea eſt & quam tam *præciſa* & *accurata* Temporis ratio condeceat, quàm *Templi excidium*; quod alii Interpretes per abolitionem ſacrificii volunt indicari. Præterea appoſitum màgìs, magiſq; compendioſum fuiſſet Templum nominâſſe quàm Oblationes ac Sacrificia, niſi aliquod majoris momenti per hanc locutionem eſſet indicatum. Præcipuus igitur vaticinii ſcopus eſt accuratiùs præfinire tempus, ut *Manifeſtationis* ità & *Mortis Meſſiæ*, quæ nullus dubito quin hìc commodè poſſit inſinuari per hanc locutionem, & quod magìs in genere & indeterminatè in antecedenti verſu perſtringebatur per ejus *abſciſſionem*; quantùm quidem ad *tempus*, exquiſitiùs hìc definiri, & quemadmodum antea ad mortis ejus mentionem, ultio ſubnectebatur eis qui ipſum occiderint, ità hìc, ubi mors ejus iterum repetitur, eandem rurſus ultionem repeti.

Et propter expanſiones abominationum deſolatum reddet.] Textus Hebraicus habet, ועל כנף שקוצים משמם. Quod cum *Joſepho Medo* ſic reddi volo, *Et præfectus alæ abominationum, depopulator erit*, i. e. præfectus exercitui Idololatrarum Gentilium, Romano ſcilicet exercitui. Vide *Grotium* in Matth. 24. v. 15. Quæ Interpretatio tametſi ab Interpretatione *Medi* paululùm differt, eam tamen meo quidem judicio multùm confirmat. Siquidem per multas citationes ex Autoribus planè evincit *Romanos* in vexillis geſtâſſe Imagines Deorum ſuorum, quæ *Hebraicè* dicuntur שקוצים. Unum illud è multis duntaxat proferemus quod occurrit apud *Tacitum*; *Fulgentibus Aquilis ſignìſq; & ſimulachris Deûm in modum Templi.* Tam apertè hæc ala abominationum intelligitur de exercitu Idololatrarum.

Etiam uſq; ad conſummationem eámq; præciſam] Leges, *Et uſq; ad conſummationem*, i. e. perfectionem hujus vaſtitatis.

Quæ effundetur in deſolatum] Lege, Effundetur vel durabit ſuper deſolatum; viz. כנף שקוצים, Romanus exercitus manebit circa *Hieroſolymam* uſq; dum ad extremam eam deduxerit calamitatem ac vaſtitatem. Vel extendet ſe ad inſtar aquæ effuſæ in deſolatum, eo in ſenſu quo Inundatio intellecta eſt verſu antecedenti. Nam, ut paulò antè inſinuavi, hæc non eſt niſi repetita prædictio ejuſdem ultionis ex eadem occaſione ſumenda, nempe ob occiſionem *Meſſiæ ſui*, quæ innuitur in iſta locutione, *ſacrificium abolebit & munus*, ut qui eo tempore ipſe mactandus erat vel ſacrificandus juxta æternum Dei conſilium.

3. Senſus

3. Sensus hujus Vaticinii quem nos exhibuimus, tam cohærens támq; quasi unius sili est, uniúsve generis, quanquam è diversis Interpretibus desumptus & concinnatus, ut nulla Interpretatio ulli omnino scripto magìs aptè ac naturaliter applicari queat. Adeò ut quemadmodum dixi, modò Chronologia faveat huic Interpretationi, certissimum sit eum verum esse sensum quem proposuimus. Et certè *Funccius* qui septuaginta septimanas planè expirare facit cum ultimo Servatoris halitu in cruce, si exitum ipsarum invenire potuisset vel uno anno tardiorem, tolerabilem si non laudabilem rationem hujus Vaticinii reddidisset juxta latitudinem sensûs וחצי השבוע suprà memoratam. Nec profectò res est adeò extra omnem spem posita, quin Chronologi annum saltem errare possint in suis Computationibus. Verùm quicunq; per industriam suam ac peritiam in Historia ac Chronologia Mundo demonstraverit, *Passionem* Servatoris duobus vel tribus annis ante finem vel post initium ultimæ Hebdomadæ contigisse, Inventio ejus pluris profectò erit Christianæ Religioni quàm aut *Venæ Lacteæ* aut *Circulatio Sanguinis* Medicinæ & Philosophiæ. Nam impletio hujus Vaticinii tam perspicua & perfecta apparebit, ut si *Porphyrius* rursus in vivis esset, cogeretur rursus pronunciare, quòd scriptum erat post eventum, hoc est, quòd *Judæi* excogitârunt Vaticinium ad confutandos seipsos.

4. Lætum igitur nuncium quod Angelus *Gabriel* cum *Daniele* communicat hoc est, *Judæos* utiq; redituros esse ex Captivitate, atq; ab Enunciatione Decreti cujusdam de reædificanda *Hierosolyma* formáq; ipsi indenda Civitatis, hoc est, de restituenda potestate vivendi sub propriis suis Legibus ac Magistratibus, ab eo deinceps tempore Deum ipsis septuaginta septimanas determinâsse, séq; per illud ferè tempus specialem suam protectionem ipsis esse exhibiturum, ipsiúsq; populum tamdiu eos esse mansuros, ut & Civitatem eorum sanctam, nec Oblationes & Sacrificia eorum antiquanda esse, nec Legem & Religionem abrogandam. Veruntamen intra illud tempus novam Legem ac Religionem esse inchoandam, quæ nunquam finem est habitura; & propterea *æterna Justitia* nuncupatur; & Judaica Sacrificia ac Piacula tunc cessatura esse, hoc est, nullam approbationem vel efficaciam habitura. Quippe quòd *Messias* ante illius Temporis exitum adventurus esset, (quem illi forent occisuri) & per mortem suam finem omnibus aliis sacrificiis impositurus, cùm illius sanguis sufficiat ad reconciliandum universum Mundum Deo. Sed enim, tametsi divinæ Providentiæ propositum hac in re sanctum sit ac salutare, *Judæi* tamen, cùm *Messiam* per malitiam ac invidiam sint crucifixuri (utpote quibus enormis impietas oculos occæcaverit) Populus, inquam, *Judaicus* ex favore Divino ejiciendus erit, nec erunt illi populus *Messiæ*, sed populus *Messiæ* postmodum futurus, *Romani* scilicet advenient, & Civitatem ipsorum ac Sanctuarium ad extremam usq; vastitatem depopulabuntur.

5. Hæc brevis est facilísq; totius vaticinii ratio, ex qua planè apparet, quòd prædictio excidii urbis non sit nisi appendix ad vaticinium principale, nec nisi obiter se inferat & tanquam effectum fœdi illius facinoris *Judæorum* in occidendo Principem suum; circumscriptio verò Propheticarum Hebdomadum per præcipua illa instituta facta sit propter quæ *Judæis* destinabantur, hoc est, quòd non finiendæ essent usq; dum *æterna Justitia* introducta fuerit, *vaticinia impleta* & *Sanctorum Sanctissimus* unctus, hoc est, usq; dum *Messias* venerit, passus fuerit, resurrexerit, ascenderit in cœlos, Spiritum sanctum in Apostolos miserit & Christianæ Religionis fundamenta satìs firmiter jecerit. Quæ omnia in ultima Hebdomada peracta sunt. Post quæ Civitas demolienda erat per *Romanos*, verùm nihil opus erat tempus accuratè præfinire.

Cæterùm fama ac strepitus ejus demolitionis ità judicia & imaginationes turbavit multorum eruditorum virorum, ut admodum perversè ac per vim Extensionem Hebdomadum ad excidium usq; Civitatis pertraxerint, atq; sic obscuritatem creaverint minimè necessariam in tam præclaro veritatis Religionis nostræ testimonio. Etenim nulla sanè esse potest genuina & quæ omninò satisfactura sit Hebdomadum *Danielis* Interpretatio, nisi universæ, septem, sexaginta duæ, & septimana singularis, unæ post alteras statim subsequentes eâdem quasi continuentur lineâ, talisq; eligatur Epocha ut in exitu sexaginta novem Hebdomadum *Messias* mundo manifestetur, & perimatur Hebdomade septuagesimâ, fiátq; sacrificium pro peccato, atq; sic legem abroget Judaicam & Justitiam æternam introducat, &c. Ad quod Epocha ab anno septimo *Artaxerxis* Longimani bellè adnititur juxta computationem *Funccianam* & aliquatenus quadrat, quanquam non eò usq; quò quis meritò exoptare possit. Verùm sive ea sit sive alia aliqua, perinde est, modò sumatur ab aliquo mandato de instauranda Civitate & ad medium ultimæ Hebdomadis nos deducat. Quid autem nostras

Lydiatus

Lydiatus eximiâ Pietate & acerrimo Ingenio vir anno viceſimo *Artaxerxis* pro Epocha ſumpto (in Opuſculo Chronologico quod *Emendatio Temporum* inſcribitur) hâc in parte præſtiterit, maximum profectò Lectori pretium operæ fore cenſeo ſi velit experiri. Summa Methodi hæc eſt: Cùm initium Regni *Artaxerxis Longimani* ſeptennio priùs ſtatuat quàm *Funccius* (ut qui illud ponit Anno primo Olympiadis 79, *Lydiatus* verò anno ſecundo Olympiadis 77) palàm eſt Hebdomadas Danielis à decimo quarto *Artaxerxis* eundem exitum quem antea habituras, Anno nempe quarto Olympiadis 202. At verò cùm *Lydiatus* viceſimum *Artaxerxis* ſumat pro Epocha Hebdomadum, manifeſtum eſt exitum tunc habituras ſex annis tardiùs, Anno nempe ſecundo Olympiadis 204. Adeò ut ſi Chriſtus paſſus ſit poſtremæ Hebdomadis Anno ultimo, ſecundùm Epocham *Funccianam*, quod *Helvicus* innuit; Calculo à *Lydiati* Epocha inito, Paſſio in annum primum ultimæ Hebdomadis incidet. Reliquum igitur Methodi Artificium inſumitur, in probando paſſionem Chriſti quadrennio ferè poſteriùs contigiſſe quàm vulgò ſtatuunt, Anno nempe 22 *Tiberii*, cùm alii decimo nono contigiſſe ſtatuiſſent, & ex conſequenti Paſſionem Chriſti exactè in medium Hebdomadis incidiſſe. Hæc inquam ſumma rei eſt, quibus autem rationibus eam confecerit, ipſe apud *Lydiatum* vide.

CAP. V.

1. *Applicatio primi verſûs vaticinii ad probandum quòd* Meſſias *jam venerit.* 2. Judæorum *Evaſiones proponuntur ac refelluntur.* 3. *Applicatio ſecundi verſûs vaticinii cum confutatione opinionum eorum Rabbinorum qui* Cyrum, Jeſuam, & Zerobabelem, *vel* Nehemiam *ſuum* Meſſiam *faciunt.* 4. *Applicatio tertii verſûs cum confutatione fictionis* Judæorum, *quâ* Agrippam Meſſiam *ſuum abſciſſum eſſe volunt.*

1. COnſummavi jam ſenſum vaticinii *Danielis*, ídq; magìs accuratè quàm præſens hæc occaſio requirebat, quod dico propter Epocham *Funccianam* præ cæteris electam quæ *Ezræ* ſeptimo occurrit. Etenim tametſi tam præcisè ac particulatim non ageremus, ſatìs virium tamen haberet hoc vaticinium ad evincendum quòd *Meſſias* jam venerit.

Etenim ex primo verſu admodum clarè liquet, quòd intra ſeptuaginta Hebdomadas *Sanctorum ſanctiſſimus* ungendus eſſet & *æterna Juſtitia* introducenda. Nunc igitur quæro ex *Judæis*, vel ex aliis quibuſlibet, undecunq; Epocham deſumpſerint, an invenire poſſint ullam *æternam Juſtitiam*, *Legem* vel *Religionem*, quæ introducta ſit ante Hebdomadum *Danielis* exitum, præterquam Religionem Chriſtianam. At verò ex hoc vaticinio oportet aliquam Legem vel Juſtitiam *æternam*, intra hoc tempus introduci. Et dicant porrò mihi, Quid vel quiſnas ſit ille *Sanctorum ſanctiſſimus* qui intra has Hebdomadas unctus ſit, ſi non ſit ille ipſe *Chriſtus* quem nos Chriſtiani colimus? Ipſi *Judæi* agnoſcunt ſecundum Templum unctum non fuiſſe. Ad perſonam igitur aliquam id pertinere neceſſe eſt; quem igitur oportet eſſe *Meſſiam* in ſubſequenti verſu commemoratum. Quibus addere poſſim; Quomodò viſio & Prophetia impletæ ſunt? (quarum eminentiſſimæ ad *Meſſiam* ſpectant) quomodo, inquam, impletæ ſunt & obſignatæ, intra ſpacium harum ſeptuaginta Hebdomadum, ſi *Meſſias* non venerit?

2. *Judæi* nullam quidem omnino hîc viam habent evadendi niſi affigendo huic verſui interpretationem coactiſſimam abſurdiſſimámq; quæ unquam poteſt excogitari. Quaſi ſenſus eſſet quòd illæ res quæ hîc prædicuntur, *poſt* ſeptuaginta Hebdomadas ſint eventuræ. Quanquam planè liquet ex diſtributione Hebdomadis in partes & expreſſa prædictione, quòd hoc in hac parte eventurum ſit, illud in alia, præcipuum vaticinii ſcopum eſſe quæ ante illarum conſummationem eventura ſint præmonere. Qua de re adhuc magìs certi eſſe poſſumus ſi examinemus ineptitudinem alterius ſuppoſitionis eámq; ad ipſa verba Textûs applicemus, quæ ſic ſe habent.

Septuaginta ſeptimanæ deſtinatæ ſunt populo tuo tuæq; ſacræ urbi, vel *exciſæ populo tuo tuæq; ſacræ urbi,* לכלא פשע *ad finiendum peccatum* &c.] Si illæ res quæ ſequuntur in hoc verſu intelligendæ ſunt tanquam quæ poſt ſeptuaginta Hebdomadas ſint eventuræ, quis ſenſus eſt præpoſitionis ל? Proculdubiò plures illius ſenſus eſſe

non poſſunt quàm hi duo: Aut ille nimirum juxta quem Septuaginta reddiderunt τὸ συντελεσθῆναι ἁμαρτίαν, nempe, ut *peccatum finiatur*, prout verſio *Anglicana* etiam reddidit, qui proculdubio verus eſt ſenſus, aut is ſaltem quo idem ſignificat quod עד. Neq; ullus ſenſus inveniendus eſt præter hos duos qui à quoquam poſſit proferri.

Si prior, craſſa hæc hinc ingruet abſurditas; Quòd ſcilicet cùm trecentæ circiter Hebdomadæ ad perficiendas illas res in hoc verſu commemoratas decurrerint, nec illæ hactenus ſint effectæ, vaticinium tamen ſeptuaginta ſolarum mentionem facit, earúmq; in quibus ipſi profitentur nihil earum rerum efficiendum fuiſſe. Quo nihil profectò concipi poteſt veſanum magìs magíſve ridiculum.

Si poſterior, Reſpondeo, quòd *Septuaginta* aliíq; præjudicii immunes Interpretes ſemper verterunt juxta priorem ſenſum. Immò verò quòd *Abarbanel* & *Manaſſeh*, qui aliàs hujus vaticinii ſenſum pervertunt, ad eundem tamen modum illud exponunt, concedúntq; quòd ל nunquam ſignificat עד uſq; dum vel uſq; ad. Et poſtremò ſi ſic ſignificaret, ſenſus tamen vaticinii vel ſic miſerè mancus eſſet & imperfectus, ſi comparetur cum Eventu. Senſus enim eſſet, Septuaginta ſeptimanæ deſtinatæ ſunt populo tuo, uſq; dum vel antequam *æterna Juſtitia* introducenda ſit, *Sanctorum Sanctiſſimus* ungendus, *viſio & Prophetia* perficiendæ, &c. Quod proculdubio ſupponit quòd intra paululum pòſt ſpacium, ſaltem intra ſeptuagenas Hebdomadas alteras hæ res perficiendæ eſſent, & tamen ter ſeptuaginta Hebdomades elapſæ ſunt poſt ſeptuagenarum primarum exitum, nec tamen ullus nuncius eſt de hujuſmodi rebus auditus. Quapropter luce meridianâ clarius eſt quòd res ibi intellectæ & indicatæ eventuræ erant intra illas ſeptuaginta Hebdomadas expreſſim à Propheta *Daniele* memoratas.

3. Rurſus, è ſecundo verſu hujus vaticinii *Meſſiam* veniſſe ſic demonſtramus; quoniam ſcilicet à mandato, edito, vel decreto de reædificanda Urbe uſq; ad *Meſſiam*, non ſunt niſi ſexaginta novem Hebdomadæ. Quamobrem quodcunq; finxeris decretum, tempus illud elapſum eſt, & multi centeni anni præterea. Quódq; hoc vaticinium intelligendum eſt de magno illo *Meſſia*, Principe eorum ac Redemptore, ſatìs planè apparet ex eo quod appellatur hìc à Daniele משיח נגיד & abſolutè משיח, ut quod nomen ejus proprium eſt, cùm in aliis Scripturæ locis ſit appellativum. Unde plus quàm conjectura eſt *Judæos* ex hoc loco nomen *Meſſiæ* ſui ſumpſiſſe, intellexiſſéq; de eo *Meſſia* quo de nos agimus. Verùm poſt infelicem iſtum errorem in repudiando *Meſſia* ſuo poſtquam advenerat, aliàs per vim interpretationes effinxerunt, Textui prorſus inapplicabiles: Quibuſdam per *Meſſiam* intelligentibus *Cyrum* Regem, aliis *Nehemiam*, aliis *Jeſuam* Sacerdotem, aliis *Zerobabelem*. Quorum commentorum nulla nè poſſibilia quidem ſunt. Epocha enim à qua temporum rationem initam oportet, petenda eſt ab aliquo mandato vel decreto de reædificanda Civitate. Sic enim ſe habent verba, מן מצא דבר להשיב *A promulgatione Decreti de reditu & de inſtauranda Hieroſolyma.* Quòd is ſenſus ſit מצא דבר manifeſtum eſt è cap. 1. Eſther. v. 19. יצא דבר מלכות, *promulgetur regium decretum.* Unde planè conſtat quòd דבר idem eſt quod *decretum*, & מצא illius *Promulgatio.* Quemadmodum intelligi poteſt etiam è Luc. 1. ἐξῆλθε ῥῆγμα Et ipſa Particula ל rem extra omnem ponit controverſiam, quòd דבר, utì Septuaginta ſæpe vertunt, ſignificat ἐνλολὴν, πρόσταγμα, non *prædictionem* vel ſimplicem *ſermocinationem* de rebus, quippe quòd ל tametſi ſatìs eleganter verti poſſit, *de*, illa tamen præpoſitio totam illius vim non exhaurit, ſed quemadmodum verſio *Anglicana* habet rectiùs redditur, *ad.* Adeò ut nulli ſint, communi ſenſu & vel mediocri linguæ *Hebraicæ* peritiâ præditi, qui non fateantur מן מצא דבר להשיב ſignificare, *A decreto ad faciendum ut redeant & reædificent, &c.*

Ex quo valde manifeſtum eſt, quòd nullæ earum Perſonarum quas hìc *Judæi* offerunt, agnoſci poſſunt pro *Meſſia* cujus mentio ſit in hoc vaticinio. Non quidem *Cyrus*, quippe quem, ſi ad primum decretum applicaveris, quod ſuum erat, ratio vel primo aſpectu abſurdiſſima eſt. Nam ſic numerandum eſſet ab edicto *Cyri* ad eundem *Cyrum.* Alia verò decreta poſt *Cyrum* ſunt, ac proinde, ſi quicquam abſurdius eſſe poteſt, ſenſus etiam adhuc erit abſurdior. Eſt verò eadem ferè ratio de *Jeſua* & *Zerobabele.* Nam illi erant ii ipſi viri qui immediatè *Cyri* decretum exequebantur. Et quod *Nehemiam* ſpectat, is nimiùm multis annis remotus eſt à decreto *Cyri*, & nimis pariter propinquus illi decreto quod anno ſeptimo *Artaxerxis* promulgatum eſt. Hæc eò dico ut ſuffugium ipſis intercludam quod quærunt in partitione numeri hujus vaticinii in ſeptem Hebdomadas & ſexaginta duas Hebdomadas, quaſi futuræ eſſent ſeptem ſolummodò Hebdomadæ à Decreto ad *Meſſiam*, hoc eſt,

eſt, quadraginta novem tantùm Anni. Verùm præterquam quòd manifeſtum eſt, quòd Chronologia ipſis hujuſmodi ſubterfugium non accommodabit, eſt evidens præterea, quòd tametſi id faceret, merum tamen futurum eſſet ſubterfugium. Etenim niſi ſexaginta duas Hebdomadas cum ſeptem Hebdomadibus conjunxeris, ſenſus non erit integer; quemadmodum quivis facilè intellecturus eſt qui periculum fecerit. Et verò quòd *Meſſias* non venturus eſt intra primas ſeptem ſeptimanas ex eo liquet, quòd poſt ſeptimanas ſexaginta duas ſit abſcindendus.

4. Quod tertium erit argumentum (è verſu tertio vaticinii) Meſſiam jam veniſſe. *Poſt ſexaginta duas ſeptimanas perimetur Meſſias*, hoc eſt, poſt initium ultimæ ſeptimanæ & ante illius exitum. Nullum enim dubium eſt, cùm ſeptuaginta Hebdomadæ in partes ad hunc modum dividantur ad indigitandum tempus adventûs & manifeſtationis *Meſſiæ* uſq; ad illius mortem, quin ea omnia quæ in conſpectu mundi acturus ſit vel paſſurus, iſtis Hebdomadibus circumſcribantur. Ac poinde tutò concludere poſſumus quòd ante ſeptuaginta Hebdomadas finitas abſciſſus erat *Meſſias*, hoc eſt, quòd abſciſſus erat vel peremptus ante mille ſexcentos ampliùs annos, ante Excidium ſcilicet urbis, quemadmodum planè apparet ex Textu qui *Hieroſolymorum Excidium* effectum facit illius necis. Et ſeptimanarum numerus, quodcunq; decretum elegeris, neceſſariò finitur ante urbem captam, & propterea *Meſſias* peremptus erat, & conſequenter in Mundum natus, ante tot annos elapſos.

Judæi hîc ut tam manifeſtam demonſtrationem evadant, Hiſtoriolam narrant de *Agrippa* quodam ultimo eorum Rege & de *Mumba* filio ejus, quos illi dicunt *Veſpaſianum* Romæ occidiſſe tribus annis, ac dimidio ante Templi demolitionem. Hic igitur is eſt qui abſciſſus eſt à Regno Judææ ואין לו & diutiùs *illius non erat* nec Poſteritatis ejus. Hoc eſt maximè ſpecioſum Reſponſum quod hactenus commenti ſunt, quanquam & ipſum, ſi examinetur, admodum invenietur infirmum. Primò enim manifeſtum eſt è monumentis Hiſtoriæ & Antiquitatis, *Agrippam* ultimum *Judæorum* Regem triginta ferè annos vixiſſe poſt Excidium *Hieroſolymorum*. Et tunc dein, ſi ſupponeremus figmentum hoc verum eſſe, ſeptuaginta Hebdomadum ultima aut finietur multis annis ante, aut excurret ultra necem *Agrippæ*, ſi feceris, prout fieri oportet, Decretum de reædificanda Civitate computationis Epocham, affixeríſq; anno ſeptimo aut *Funcciani Artaxerxis* aut *Scaligerani*, aut viceſimo ſaltem anno prioris *Artaxerxis* cum *Thoma Lydiato*. Quibus omnibus adjicere poteris quòd cùm משיח hîc ponatur abſolutè, non poteſt quin intelligatur de *Meſſia* magno, quem *Judæi* expectabant & etiamnum expectant, cùm & ipſorum Rabbini ſic expoſuerint dum nullo præoccupabantur præjudicio. Quódq; maximè conſentaneum eſt, eandem intelligi Perſonam per totum vaticinium commemoratam; qui primò præfiguratur ſub Titulo קדש קדשים (quem proprii ipſorum doctores etiam interpretantur de *Meſſia*) per quem ſi Templum ſignificatum fuiſſet, ſcriptum fuiſſet potiùs קדש הקדשים. Ut præteream minimè conſtare quòd Templum unquam unctum eſſet ſicut Tabernaculum. Ac proinde, cùm *Perſona* uncta intelligatur in primo verſu, quod optimè convenit cum ſtatim reſumpta uncti Principis mentione in ſecundo, oportet etiam משיח qui in ſecundo tertióq; verſu occurrit, eandem eſſe Perſonam: Cúmq; in primo verſu conjungatur cum illius mentione non ſolùm tam ſacer Titulus quàm eſt *Sanctorum ſanctiſſimus ungendus*, ſed etiam *æternæ Juſtitiæ Introductio*, *peccatorum Expiatio*, & *impletio vaticiniorum*, manifeſtum eſt tam vulgarem Perſonam, quàm erat *Agrippa* (vel quicunq; alius qui nominari poteſt) vaticinio *Danielis* non poſſe adaptari, quippe quòd talia ibi prædicuntur quæ ipſi nullo modo competant; ſed quæ, ut mox ex aliis vaticiniis conſtabit, unicè & examuſſim competunt magno *Meſſiæ* quem *Judæi* expectabant, propriíq; ſunt characteres illius Perſonæ, quemadmodum plenè ſuo loco demonſtrabimus.

CAP. VI.

1. *Quàm manifeſta Argumenta ſint tria illa*, Jacobi, Haggæi, & Danielis *vaticinia*, Meſſiam *jam veniſſe*. 2. *Quòd communis erat Judæorum opinio, Meſſiam circa ea Tempora venturum fuiſſe quibus nos eum veniſſe aſſerimus.* 3. *Vaticinium* Danielis Veſpaſiano *perperàm applicatum à* Joſepho. 4. *Ulterior ex* Tacito *confirmatio quòd* Judæi *circa illa Tempora ſuum expectabant* Meſſiam. 5. *Alterum Teſtimonium ex* Suetonio.

1. INtereà loci ità manifeſtum eſt & perſpicuum ex his vaticiniis *Jacobi* & *Haggæi*, quòd Meſſias jam venerit, ut quivis quantumvìs ab omni Commercio cum his partibus Europæis ſecluſus prorſúſq; neſcius, qualiſnam hîc ſit rerum facies, modò intellexerit, Politiam *Judaicam* Templúmq; abolita eſſe, & opportunitatem habuerit legendi ſupradicta vaticinia, certus indè eſſe poſſet *Meſſiam* jam veniſſe in mundum: Quemadmodum etiam poſſet ex hoc vaticinio *Danielis*, quamvìs nihil omnino reſciverit earum rerum quæ in Europa geſtæ ſint, modò notitiam haberet Epochæ decretorum, obſervarétq; Hebdomadas à quoviſcunq; eorum antè multos centenos annos deſiiſſe. Hæc tam clara ſunt ac perſpicua, ut ſupervacaneum eſſet quicquid ſuperadjicere ad confirmandum eorum fidem.

2. Quod tamen quidam faciunt provocando ad Judicium propriorum ſuorum *Rabbinorum*, an non ipſi concluſerint *Meſſiam* ſuum venturum fuiſſe circa ea Tempora quibus nos eum veniſſe affirmamus. *Nehemias* Rabbinus *Judaicus* qui quinquaginta annis vixit ante Chriſtum, ex vaticinio *Danielis* apertè pronunciabat, quòd Adventus expectati *Meſſiæ* ultra quinquaginta annos differri non poterat; quemadmodum apparet ex *Grotio*, ſi is rectè ea in re edoctus erat à *Stoctoxo*. Verùm ex eo quod reſpondet ad *Sarravium*, proclivis quiſpiam eſſe poteſt ad concludendum, quòd propriis oculis ipſum locum uſurpâſſet: *Oſtendit mihi iſtum locum olim Hagæ* Stoctoxus. Quódq; hæc non unius duntaxat *Rabbini* erat opinio, verùm multorum è *Sapientibus* ipſorum ſententia, manifeſtum eſt ex eo quod *Joſephus* ſcribit: *De bello Judaico* lib. 7. cap. 31. Τὸ δὲ ἀπέχειν αὐτὸς μάλιστα πρὸς τὸν πόλεμον ἦν χρησμὸς ἀμφίβολος ἐν τοῖς ἱεροῖς ὑφημένος γράμμασιν, ὡς κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἀπὸ τῆς χώρας τὶς αὐξει τῆς οἰκουμένης. ἦτο δὲ μὲν ὡς οἰκεῖον ἐξέλαβον, καὶ πολλοὶ τῶν σοφῶν ἐπλανήθησαν περὶ τὴν κρίσιν. i.e. *Id quod eos ad bellum excitabat maximè anceps erat vaticinium in ſacris ſcriptis inventum, quaſi circa ea Tempora unus quiſpiam è terra eorum Orbis futurus eſſet Imperator. Hoc Judæi accipiebant tanquam ad ſe propriè pertinens, multiq; ex ſapientibus eorum circa hanc rem judicio vacillabant.* Ex quibus verbis planè apparet, quòd docti *Judæorum* & quodammodo univerſa *ipſorum* gens perſuaſi erant, quòd *Meſſias* quem illi noti tunc orbis Principem fore putabant, propè inſtaret. De quo tam ſeriò illi perſuadebantur, ut vitas, libertates, templum, urbémq; ea de re in diſcrimen darent, quandoquidem id potiſſimum erat quod eos ad funeſtum illud bellum exſtimulabat. Quorum firmitudinis in hac opinione ulterius argumentum eſt, quòd tam prompti erant ac proclives ad imaginandum hunc vel illum hominem circa ea tempora ſuum eſſe *Meſſiam*. Multi enim tunc erant qui ab eis ad tempus ità habebantur, ut *Herodes*, *Judas Gaulonates*, *Jonathas*, *Barchocab* aliíque.

Vide Sarrav. Epiſt. p. 52.

3. Nec profectò nota illa *Joſephi* in vaticinium, quod hanc fiduciam *Judæis* indidit, vocando χρησμὸν ἀμφίβολον, *vaticinium ambiguum*, illius perſpicuitati quicquam derogat quantùm ad temporis deſignationem. Sed character Perſonæ ut videtur, non tam clarè exhibebatur, quin eum ignoraverint, poſtquam adveniſſet. Ac proinde neceſſe erat *Joſepho*, ut oraculum diceret ambiguum. Sed enimverò ambiguum ſupra modum fuiſſet, ſi potuiſſet, quemadmodum ille ſupponit, faciliùs ad *Veſpaſianum* applicari quàm ad verum *Meſſiam*. Nam *Meſſias* illîc prædictus perimendus erat (*Veſpaſianus* non item) ídq; ante Hebdomadæ ultimæ exitum, cùm *Veſpaſianus Hieroſolymam* obſideret quadraginta circiter annis póſt. Ut mittam, quàm ridiculum ſit ſolennia ſanctáq; Prophetarum Oracula ad rem tam puſillam deprimere, ut cùm prædici oporteret unum quempiam è ſtirpe *Judæorum* magnum fore Principem Sceptrúmq; vibraturum ſuper nationes (quæ prædictio ſemper tanquam decus peculiare conſiderabatur ac privilegium *Judæorum*) prædicatur ſolummodò peregrinus quis in *Judæam* venturus nec ob meliorem finem quàm ut Urbem expugnaret, & Templum demoliretur, ipſóſq; *Judæos* ſervili jugo ſubjiceret, Imperator poſtmodùm

dùm Romanus eligendus, quemadmodum in multis aliis ante ipſum factum eſt. Utrùm metus & prætimeſcentia mentem *Joſepho* ità perturbare poſſet ut hanc ſuam Interpretationem veram exiſtimaret, (quanquam non ſit niſi ſervilis quædam palpatio) equidem non diſceptabo. Cæterùm ſive is falſam eam exiſtimaverit ſive non, ſic reverà eſſe, credo me extra omnem controverſiam poſuiſſe.

4. Verùm quod *Joſephus* de opinione Gentis ſuæ commemorat, eos putâſſe ſcilicet *Meſſiæ* ſui adventum fore circa ea Tempora, idem in ſcriptorum olim Paganicorum Hiſtoriam ſe ingeſſit. *Cornelius Tacitus* tam propè accedit ad ea quæ *Joſephus* ſcripſit, ut videatur ſanè quaſi quædam eorum tralatio. Quemadmodum, ubi loquitur de Prodigiis quæ Excidium urbis anteceſsêre: *Viſæ per cœlum concurrere acies, rutilantia arma, & ſubito nubium igne collucere Templum. Expaſſæ repentè delubri fores, & audita major humanâ vox, Excedere Deos, ſimul ingens motus excedentium.* Et poſtea ſtatim addit: *Quæ pauci in metum trahebant: pluribus perſuaſio inerat, antiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipſo Tempore ut valeſceret Oriens, profectiq; Judææ rerum potirentur: quæ ambages Titum & Veſpaſianum prædixerunt.* In quibus planè inſinuat quòd opinio propè inſtantis Adventûs *Meſſiæ* tam fortis erat, ut contra omnia mala omina ac prodigia obniteretur eáq; vinceret, immò efficeret ut in ſenſum fauſtum interpretarentur; tanquam ſi *Excedere Deos*, nihil aliud eſſet niſi feſtinatio ad poſſidendas Gentium terras; Quod nullo alio ſenſu verum erat quàm quòd Chriſtus, qui peculiaris Angelus cuſtos, ſi fas ſit ità loqui, *Judæorum* antea erat, factus ſit poſtea totius Imperii Numen. Vel ſi malles, Deus, qui Topicus quodammodo antea erat & ad *Judæos* reſtrictus, manifeſtò ac propalàm factus ſit poſtmodùm totius terrarum orbis Deus.

Tacit. Hiſtor. ab exceſſu Neronis, lib. 5. cap. 13.

Vide lib. 6. cap. 2. Sect. 8.

5. *Suetonius* in vita *Veſpaſiani*, (cap. 4.) verbis diſertis, hanc *Judæorum* expectationem veterem & conſtantem opinionem appellat. *Percrebuerat*, inquit ille, *Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis ut eo tempore Judææ profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum eventu poſtea prædictum patuit*, Judæi *ad ſe trahentes rebellârunt.* Ex quibus verbis *Suetonii* intelligere poſſumus quàm conſtanter perſuaſi eſſent *Judæi*, illud tempus fuiſſe adventûs *Meſſiæ* ſui, quódq; illius Rei fama intra *Judææ* limites non continebatur, ſed in univerſum Orientem emanârat, & quòd totus deniq; Mundus attonitus ſtabat in expectatione magni Principis *Judæorum.*

CAP. VII.

1. *Cùm tam evidens ſit* Meſſiam *veniſſe, continuò ſequi* Jeſum *eum eſſe.* 2. *Prophetas dum vaticinabantur de eminenti aliquo* Rege, Sacerdote *vel* Propheta, *interdum raptu ſuo Prophetico in iſtiuſmodi locutiones ablatos fuiſſe, quæ magis propriè ad* Meſſiam *pertinerent quàm ad eam Perſonam quam inceperant deſcribere.* 3. *Alluſiones has duûm eſſe generum*, purè Allegoricas, *vel* mixtas. *Déq; uſu* purè Allegoricarum *apud Apoſtolos & Evangeliſtas.* 4. *De Allegoriis hoc genus* mixtis, *déq; earum vi ad argumentandum.* 5. *Eminens illud vaticinium* Eſaiæ *quod tam plenè perſonam Chriſti illuſtrat.* 6. Judæos *veteres illud de* Meſſia *ſuo intellexiſſe, recentiores hinc cogi duos ſupponere* Meſſias. *Anima* Meſſiæ *ad hoc munus ab orbe condito deſtinata, quemadmodum apparet ex* Peſikta. 7. *Novem characteres Perſonæ* Meſſiæ *ſupradicto vaticinio contenti.* 8. *Indicatio brevis quibus verſibus vaticinii lateant.* 9. *Vaticinium hoc ad populum* Judæorum *applicari non poſſe, nec adæquatè ad* Jeremiæ *perſonam.* 10. *Specialia quædam loca vaticinii quæ nullo pacto ad* Jeremiam *ſunt applicabilia.*

1. ABundè, opinor, demonſtravimus tempus adventûs *Meſſiæ* jam exiiſſe, ac proinde, (cùm Prædictiones de ipſo ac Promiſſa conditionalia non ſint, quemadmodum ſuprà inſinuavi, ſed abſoluta) manifeſtò conſequi eum veniſſe. Ex quo immediatè inferre poſſimus, præſertim ſi tempus illius adventûs conſideremus, *Jeſum Chriſtum* eum eſſe. In quemnam enim alium oculos animúmve defigere poſſunt? Verùm accuratè magis procedemus ac gradatim, ſuſpendemúſq; illationem uſq; dum illa vaticinia propoſuerimus quæ perſonam illius illuſtrant. *Qualiſnam* utiq; *futurus ſit, quæ facturus, & quæ tandem ipſi ſint eventura.*

2. Quâ

2. Quâ de re nullum locupletius pleniúſve eſt vaticinium quàm illud *Eſaiæ* cap. 53. Verùm antequam illud ullúmve aliud aggrediar, valde commodum erit, ad cavillationes omnes ac tergiverſationes anticipandas, hypotheſin quandam ponere quæ &, in ſe, rationi conſona eſt, & approbata inſuper, immò magni æſtimata, in eis locis ubi res ipſos non attingit, à doctiſſimis *Judæorum.* Eſtq; hæc; Quòd ſcilicet, cùm eminens illa Perſona, quem illi *Meſſiam* ſuum appellitant, tandem ipſos inviſura eſſet in hac Terra, & quemadmodum ipſa nominis ratio innuit, (quod *unctum* ſignificat) apex futurus ac flos trium illarum Functionum in quibus unctio adhibebatur, in *Prophetica* ſcilicet, *Sacerdotali* ac *Regia*; admodum conſentaneum eſt admittere, Prophetas dum ab illapſu Divini Spiritûs movebantur & de præluſtri aliquo vaticinabantur *Sacerdote*, *Propheta*, vel *Rege*, (cùm eos illa regeret Sapientia quæ omniſcia eſt motúq; omni mobilior, & quæ ab extremo ad extremum pertingens potenter penetrat, ordinátq; omnia ſuaviter) ità agitatos fuiſſe ablatóſq; ut in hoc fatidico raptu, quo correpti eſſent, ſenſus animorum verborúmq; ultra illam Perſonam proveheretur quam primò deſcribere inceperant. Adeò ut juxta hanc Hypotheſin, multa eſſe eáq; præclara vaticinia, quæ Perſonæ Chriſti characterem exhibent, quæ primò aliam aliquam perſonam reſpiciebant, quæ non niſi obſcurior quædam umbra illius eſſet, ſponte ſimus agnoſcituri: Verùm poſt levem hanc perſtrictionem ac tranſultum ad præcipuum quò collineant ſcopum ferri, ubi penetrant & infiguntur, ut ſagitta metæ infixa.

3. Eſt verò Tranſultus hic vel alluſio duorum generum, aut *perfecta* Allegoria aut *mixta.* Illam *perfectam* appello *Allegoriam*, quando omnes deſcriptiones quæ de prima Perſona adhibentur, ipſi probè ac naturaliter conveniunt, ſed intelligi tamen poſſunt (idq; fortean magis accuratè) de aliqua illuſtriori perſona olim ventura. Hujuſmodi Alluſiones uſurpantur ab Apoſtolis & Evangeliſtis, cum inſigni ſanè confirmationis fidei fructu, utcunq; indè *Judæi* offendantur. Etenim nullus alius hujus rei ſenſus eſſe poteſt quàm hic; Quòd ſcilicet, aut interpretationes quas Prophetis imponebant, non erant Interpretationes *Judæorum*, ac proinde ad *Judæos* tunc perſuadendos admodum accommodatæ (& argumento quidem eſt eas veras fuiſſe Interpretationes, ex eo quòd antè factæ eſſent, quàm *Judæi* præjudicio occæcati:) aut certè hæ expoſitiones ſuæ erant, hoc eſt, è ſuis propriis mentibus eas primùm eruebant. Quod tamen impoſſibile eſt ut fieret, cùm Alluſiones ſint ſolummodò, niſi cognitio certa earum rerum quæ Servatori Chriſto contigerunt, illos eo pertraxiſſet. Adeò ut argumenta illa alluſoria validæ nobis ſint confirmationes, quòd Hiſtoria Evangelii etiam eis in rebus quæ maximè incredibiles videntur, ſit indubitanter vera. Unicâ ego contentus ero inſtantiâ (quamvis plures afferre poſſim) de Chriſto ſcilicet è virgine nato. Certè niſi reſciviſſent reverà ſic fuiſſe, aut ſaltem quòd Sapientes eorum, illud *Eſaiæ* cap. 7. ad eum ſenſum interpretati eſſent, incredibile eſt illos hunc locum ad eam rem confirmandam unquam fuiſſe allaturos. Cúmq; nullum alium locum adhibeant præter hunc, qui ſolummodò alluſorius eſt, manifeſtum eſt certitudinem Eventi fuiſſe quæ ipſos in hanc Interpretationem conjecit.

4. *Mixtam* appello *Allegoriam*, quæ partim *alluſoria* eſt, ut quæ applicari poteſt ad aliquam perſonam inferiorem ſive *Rex* ſit, ſeu *Propheta*, ſive *Sacerdos*, & dein ad *Meſſiam*; partim *ſimplex* & determinata, & quæ applicari non poteſt niſi ad *Meſſiam* ſolum; Prophetâ à Divino Spiritu ità agitato, ut in ſumma exæſtuatione *Divini* illius ardoris in quo eſt conſtitutus, ſenſus animi verbáq; ultra eam perſonam excurrant, qui *Typus* eſt, & in tales penetrent circumſtantias, quæ omninò veræ non ſint niſi in *Antitypo.* Atq; hujus generis prædictiones de *Meſſia* æquè demonſtrativæ ſunt eis qui intolerandi non ſint Cavillatores, atq; ſi Vaticinium *Meſſiam* ſolum reſpexiſſent, abſq; ulla perſtrictione tranſultúve ab alia aliqua perſona ad *Meſſiam.*

5. His præmiſſis redeamus jam ad *Eſaiam*, totúmq; pervolvamus Vaticinium, ut accuratiùs de eo judicemus. Cap. 53.

1. *Quis credet orationi noſtræ, & Jehovæ brachium cui patefit?*

2. *Cùm creverit ille coram eo ut virgultum & ſtirps ex æſtuoſa terra, informis, indecorus, nullam ut in eo formam cerneremus quo eum appeteremus.*

3. *Contemptus & minùs quàm Homo: Homo dolorum ægritudiniſq; gnarus, quaſiq; aſpectu averſandus, adeò contemptus ut eum eſſe non arbitraremur.*

4. *Sanè morbos noſtros ac dolores ipſe tulit, ac toleravit, & nos eum exiſtimavimus vulneratum, cæſum divinitùs & oppreſſum.*

5. *Atq; ipſe ob peccata vitiáq; noſtra peremptus atq; contuſus pœnas nobis ſalutares dedit, ejúſq; vibicibus ſanati ſumus.*

6. *Omnes*

6. *Omnes nos ut oves erravimus, ſuam quiſq; viam ſecuti, & Jehovah in eum omnium noſtrum crimen conjecit.*

7. *Mulctatus ipſe oppreſsúſq; nè mutivit quidem; ut pecus dum ad cædem agitur, ut agnus ante ſuum tonſorem obmuteſcens, nè mutivit quidem.*

8. *Ex vinclis & judicio ereptus eſt, & generationem ejus quis ennarrabit? quippe quòd ex vivorum terra exciſus eſt, accepto ob mei populi peccata vulnere.*

9. *Illiq; mortuo tributum eſt cum impiis & cum divite ſepulchrum, quòd neq; violentiam fecerit nec fraudem habuerit in ore.*

10. *Libuit autem Jehovæ eum ægritudine contundere: quia ſi animam ſuam piaculo expoſuerit, videbit ſemen ſuum diéſq; prolongabit, & voluntas Jehovæ in ejus manu proſperè ſuccedet.*

11. *Per animæ ſuæ laborem adipiſcetur ſatietatem, cognitione ſui juſtos reddet, juſtus ipſe ſervus meus, multos; eorúmq; crimina feret.*

12. *Itaq; impertiar ei inter Magnates, cúmq; potentibus ſpolia participabit, quoniam animam ſuam profuderit in mortem, & ſontibus annumeratus multorum peccatum tulerit, próq; ſontibus interpellaverit.*

6. Antiquiſſimi ſapientiſſimíq; *Judæorum* ſemper interpretati ſunt hoc caput de *Meſſia* ſuo. Et *Rabbini* recentiores cùm de perſpicuitate hujus vaticinii ſatìs perſuaſi eſſent, rationémq; haberent autoritatis ſapientum illorum Interpretum qui ipſos anteceſſerunt, coacti ſunt, aliqui ſaltem ex ipſis, duos potiùs *Meſſias* agnoſcere, unum *Joſephi* filium, alterum *Davidis*, priorem *Meſſiam* ærumnoſum, poſteriorem victorioſum ac triumphantem, quàm Evidentiam hujus vaticinii negare. Ex quo etiam ſpecialis Traditio memoratur in libro antiquo apud *Judæos* qui vocatur *Peſikta*, quæ aſſertionem noſtram porrò confirmat, quòd utiq; illi hoc vaticinium interpretati ſunt de ærumnis *Meſſiæ*; nimirum quòd *Meſſiæ* anima deſtinata erat (& lubenter accepit conditionem) ad patiendum ab ipſo mundo condito. Traditio ſic ſe habet: *Quòd ſcilicet, poſtquam Deus mundum creaverat, exeruit manum ſub thronum gloriæ eduxitq; animam* Meſſiæ *cum toto ſuo ſatellitio, dixitq; ei, Num tu vis ſanare ac redimere filios meos poſt ſex millia annorum? Reſpondit, ſe velle. Rurſus igitur ei dixit Deus, Numnam & ſupplicia perferes ad expurgandas eorum iniquitates (juxta illud quod ſcriptum eſt (eſt ipſiſſima *Rabbini* applicatio) Certè morbos noſtros tulit) Reſpondit anima Meſſiæ, Perferam, ídq; animo lubentiſſimo.* *Vide* Halſium *de Meſſia pag.* 309. *&* Hornbeck *lib.* 6. *cap.* 1.

7. Hoc ſufficit ad fidem faciendam, quòd opinio erat antiquorum & nullo adhuc præjudicio laborantium *Judæorum*, hoc vaticinium intelligendum eſſe de *Meſſia*. Et certè, quod dixi, nullum unum eſt vaticinium quod adeò notis ſcatet ac Characteribus perſonæ illius utì hoc, quanquam æquè omnes non ſunt conſpicui; verùm auſim dicere hos novem ſaltem aliquo modo in eo contineri. 1. Ejus à *Judæis* rejectionem. 2. Sacrificium expiatorium eum fore pro peccato. 3. Reſurrectionem ipſius. 4. Aſcenſionem. 5. Apotheoſin. 6. Doctrinæ præſtantiam. 7. Receptionem à Gentibus. 8. Abolitionem ſuperſtitionis ipſarum, Diviníq; cultûs inidoneis perſonis præſtiti. 9. Et Regni deniq; illius perpetuitatem. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

8. Subindicabo jam breviter in quibus vaticinii verſibus ſinguli inſinuentur: *Rejectio* ejus à ſuis ſatìs manifeſtò prædicitur verſ. 1, 2, 3. *Paſſio*, ſive quòd ſacrificium futurum ſit pro peccato, verſ. 4, 5, 6, 7, 10. *Aſcenſio* & *Reſurrectio*, verſ. 8. 10. Ἀποθέωσις, verſ. 9. *Ipſiq; mortuo tributum eſt cum impiis & cum divitibus ſepulchrum*, hoc eſt, cum impiis divitibus, cum poteſtatibus terrenis, cum hominibus opulentis, potentibus & injurioſis, cum *Nimrodibus* illis mundanis quorum ſepulchra ac monumenta poſtea magnifica facta ſunt ipſíq; pro Diis habiti. *Quòd neq; violentiam fecerit nec fraudem habuerit in ore.* Ratio ſuprà quàm dici poteſt ſolida eſt. Nam ſi mundani Principes ac Imperatores Divinum cultum ſibi præſtitum habuerint poſt ipſorum mortem, qui tamen non erant niſi *magnifici Latrones* ut quidam appellat, réſq; ſuas aut vi aut malo dolo adminiſtraverant; longè potiori jure debet *Meſſias*, *qui nullam fecit violentiam nec dolus erat in ore ipſius*, ad hunc honorem ſubvehi, Templa ſibi extructa habere, & coli tanquam Deus. Verſus duodecimus hunc ſenſum ulteriùs confirmat. *Itaq; impertiar ei inter magnates, cúmq; potentibus ſpolia participabit, quoniam objecerit animam ſuam morti.* Quæ ſpolia de nulla re tam aptè intelligi poſſunt quàm de hac Ἀποθέωσι, cùm illius mentio facta ſit ob hanc rationem, quòd animam ſuam objecerit morti. Verſus, alter alterum, ità ſe illuſtrant, ut nullus ſcrupulus eſſe poſſit, quantum ego exiſtimo, quin hic verus ſit ac genuinus ſenſus. *Præſtantia doctrinæ* intelligitur ex verſ. 11. qui ſucceſſum Evangelii præmonſtrat. *Receptio à Gentibus*, è verſ. 10, & 11. Nam ſi Gentes non adveniſſent & adjunxiſſent ſe Eccleſiæ, parum ſatietatis adepturus fuiſſet per laborem Animæ ſuæ, cùm

Characteres, 1. 2. 3. 4. *Character* 5. *Character* 6. *Character* 7.

Character 8. cùm *Judæi* excluſi eſſent vel potiùs ſeipſos excluſiſſent. *Abolitio ſuperſtitionis* earum & illiciti cultûs quem præſtabant perſonis inidoneis, in ipſarum Chriſti *Recep-*
Character 9. *tione* includitur. *Diuturna* deniq; *Regni illius duratio*, è verſ. 8. Et *quis enarrabit generationem illius?* i. e. Perpetuitatem Regiæ ſuæ Perſonæ, & ſucceſſionis Eccleſiæ quæ æternùm ipſi eſt adhæſura.

9. Accurata hæc eſt rationiq; maximè conſona hujus vaticinii Explicatio. Cæterùm utcunq; ſit, hoc ſaltem extra omnem Controverſiam poſitum eſt, *Paſſionem* & *Glorificationem Meſſiæ* hîc præfigurari; atq; niſi hoc in genere intelligatur, nullum ſenſum commodum fieri poſſe hujus vaticinii. Nam ad calamitates *Judæorum* illud detorquere valdè durum eſt, immò impoſſibile, quemadmodum apparet ex verſ. 8. *Ex vivorum terra exciſus eſt, accepto ob mei populi peccata, vulnere.* Quamobrem non erat populus Dei qui percuſſus erat, ſed una aliqua Perſona propter eos percuſſa. Maximè tolerabilis applicatio vaticinii eſt ad afflictiones *Jeremiæ* de quo *Grotius* illud interpretatus eſt, Chriſtum tamen non excludens; tótq; locis ſenſum tam commodè adaptavit ut non diffitear quin de *Jeremia* poſſit ſenſu primo minúſq; illuſtri intelligi. Applicationem verò ad Chriſtum non eſſe merè alluſoriam manifeſtiſſimum eſt, taliáq; prædici in hoc vaticinio quæ non niſi admodum manco & inepto ſenſu ad *Jeremiam* poſſint applicari.

10. Et certè ipſum initium hujus vaticinii multò magnificentius eſt quàm ut rebus *Jeremiæ* conveniat. *Quis credet orationi noſtræ* &c? nihil enim eſt adeò creditu difficile in univerſis illis quæ Jeremiæ contigerunt. Rurſus, verſ. 5. *Ejúſq; vibicibus ſanati ſumus.* Ridiculum eſt vel adniti velle ea verba *Jeremiæ* applicare. Ille enim nullum erat ſacrificium expiatorium ad ſedandam iram Dei, ſed quod ille paſſus eſt in damnum potiùs populi cedebat. Idq; æquè ineptè ipſi adaptatur quod occurrit verſ. 8. *Et quis enarrabit generationem illius?* tanquam intelligendum eſſet de *Jeremiæ* longævitate, cùm tamen homines longè obſcurioris notæ, ipſo multò diutiùs vixerint. Tam frigida ac frivola eſt hæc Interpretatio. Nec niſi per vim poteſt illa Locutio, *Quippe quòd ex terra vivorum exciſus eſt* (præſertim ſi conſideremus mentionem ſepulchri in proximo verſu factam) ad alium ſenſum trahi, quàm de morte inferenda: Quæ tamen non erat *Jeremiæ* conditio. Sic verſu 10. *Quia ſi animam ſuam piaculo expoſuerit*; Interpretari hoc de *Jeremia* planè eſt deſipere. Nam אשם ſignificat aut *ſacrificium pro peccato*, hoc eſt, piaculum, vel *peccatum ipſum.* At verò *Jeremias* nec peccatum erat, nec pro peccato populi ſacrificium. Et poſtremò, ut taceam quàm inepta ſit illa Locutio, *Impertiar ei inter magnates cúmq; potentibus ſpolia participabit*, ut applicetur ad minutum illum caſum *Jeremiæ*, cap. 40. verſ. 5. ubi magiſter Equitum dicitur ei dediſſe viaticum & munus & ſic eum dimiſiſſe, ad iter nempe ità accinctum & inſtructum (nam & ipſa vox ארוחה oſtendit totum munus ferè rationem habere viatici, nec decebat ſanè Prophetam quicquam ampliùs accipere, aut ditare ſe ſpoliis ſuorum popularium) ut taceam, inquam, quàm inepta ſit locutio ut ad tam puſillam rem applicetur, verba ſubſequentia tam plena ſunt & appoſita [*Quoniam animam ſuam profuderit in mortem*] ut nihil levivius ſignificare poſſint quàm actualem necem, nec ullum occurrit exemplum quo aliter ſignificant. Ac proinde participatio ſpoliorum cum potentibus neceſſariò poſt mortem futura intelligitur, ejúſq; Apotheoſin denotare. Manifeſtum eſt igitur tam ex confeſſione ipſorum *Rabbinorum* quàm ex verbis vaticinii, non eſſe ſolummodò alluſoriam *Meſſiæ* præfigurationem ſed expreſſam ipſius deſcriptionem ex ejuſmodi circumſtantiis quæ nulli alii præterquam ipſi competant. Et propterea, quod dixi, æquè validam eſſe atq; ſi de ipſo ſolo tota foret intelligenda.

Cæterùm cùm omnes illius characteres hîc incluſi non tam pleni ſint ac conſpicui quàm in aliis locis, cúmq; illi qui maximè conſpicui ſunt tanti ſint momenti ut nullum futurum ſit operæ diſpendium plures ſuperaddere confirmationes, equidem eorum ſingulos ex aliis etiam vaticiniis pleniùs adhuc & luculentiùs demonſtrabo.

CAP.

CAP. VIII.

1. *Plures demonſtrationes è vaticiniis, Quòd* Meſſias *futurus erat ſacrificium pro peccato.* 2. *Quòd ſuſcitandus erat è mortuis*; 3. *In cœlos aſcenſurus*; 4. *Et colendus tanquam Deus.* 5. *Quòd futurus erat Lux eximia Gentibus*; 6. *Eiſq; acceptiſſimus. Quid intelligendum per* [Et erit requies ejus glorioſa.] 7. *Quòd abolendæ per eum erant ſuperſtitiones Paganorum.* 8. *Regnúmq; ejus nullum finem habiturum.* 9. *Quòd hi cuncti characteres* Jeſu *competunt quem nos colimus, & nemini præterea.*

1. PRima nota Meſſiæ, ejus erat *Rejectio*, quòd utiq; rejiciendus eſſet à *Judæis.* Character 1. Verùm cùm illa loca quæ Trucidationem illius prædicunt, à fortiori hanc ejus Rejectionem arguant, nihil opus eſt ut ea de re quicquam ſpeciatim ſuperaddamus. Quòd *Meſſias* perimendus erat, faciendúſq; pro peccato ſacrificium, præter Character 2. plenam illam ac copioſam *Eſaiæ* prædictionem, manifeſtum porrò eſt ex *Daniele* qui prænarrat fore ut poſt ſexaginta novem ſeptimanas *Meſſias* abſcinderetur; cúmq; addat poſtea in medio ſeptimanæ abolitum iri ſacrificium, manifeſtum eſt mortem ejus & Judaicorum ſacrificiorum atq; oblationum abolitionem in una futura fuiſſe ſeptimana, & propterea mortem ſacrificium fuiſſe quo oblationes *Judaicæ* antiquarentur. Nam ſatìs notum eſt, Templum eorum atq; oblationes triginta ampliùs annos poſt paſſionem Chriſti durâſſe; adeò ut intelligi non poſſit de externa Templi demolitione & prohibitione ſacrificiorum, ſed de tollenda eorum validitate ac efficacia, cùm Lex ſacrificandi abrogata eſſet per tranſcendens illud ſacrificium corporis *beati Servatoris* in cruce. Nihil enim excogitari poteſt præterquam hoc quod ſacrificia *Judaica* in medio ſeptimanæ poſſit abolere. Adjicere huc poſſumus Pſal. 22. & Zachar. 12. 10. Sed quod jam allatum eſt ſatìs eſt ac ſupér.

2. Videamus jam potiùs quid prædictum de illius *Reſurrectione* è mortuis. Et Character 3. meo quidem judicio, illa admodum perſpicua ipſius eſt prædictio, Pſalm. 16. v. 8. Ubi David per Divinam quandam vim ſpiritu raptus longè ſublimiora ſcribit quàm quæ ulli homini competere poſſint præterquam vero *Davidi*, *Meſſiæ* utiq; ipſi: *Jehovam mihi jugiter habeo propoſitum, quo mihi dextero non labefiam. Itaq; non tantùm animo ac mente lætor & exulto, verùm etiam caro mea habitat ſecurè, quoniam tu animam meam non relicturus es in ſepulchro, non es paſſurus ut pius tuus corruptionem patiatur, ſed mihi vitæ ſemitam tu monſtrabis, apud quem plena gaudiorum adeſt copia, cujus in dextra perennes ſunt voluptates.*

Hæc tam naturalis viváq; deſcriptio eſt cujuſpiam è ſepulchro antè ſuſcitati, quàm paſſus ſit corruptionem, & aſcendentis ad præſentiam Dei in cœlis, ad æternam vitam fruendam, ut nihil eſſe poſſit enarratius: verùm ipſe *David* nunquam ſuſcitatus erat è ſepulchro, ſed caro ejus ſenſit corruptionem. Unde manifeſtò apparet, quòd vaticinium erat de aliquo alio, viz. de *Meſſia* cujus *David* erat Typus.

3. Aſcenſio Meſſiæ admodum graphicè præfiguratur Pſalm. 68. *Curruum Dei ſunt vi-* Character 4. *ginti millia, etiam millia Angelorum, Dominus cum illis eſt ut in Sinai, in ſanctuario ſuo. Aſcendiſti in ſublime,* * *Captivitatem captivam abduxiſti, dona pro hominibus accepiſti etiam pro rebellibus ut Jehovah inter ipſos habitet.* * *Vide lib.* 1. *cap.* 9. *ſect.* 1, 2, 3, 4, 5.

Si hoc applicetur Chriſto, ſenſus facilis eſt, præſertim ſi notaveris quonam modo Dominus inter eos eſſet in *Sinai*, quòd utiq; unus erat Princeps Angelus, quem quidam volunt eſſe Chriſtum, qui ſuſtinebat perſonam Dei, qui habere poſſet nomen *Adonai*; quemadmodum & Chriſtus habet qui nuncupatur Angelus fœderis, Malach. 3. 1. Hujus loco hic ipſe Chriſtus eſt innumeris comitatus Angelorum turmis, dona recipiens à Patre ſuo quæ cum hominibus communicet, ut Deus inter ipſos habitare poſſit, ut ad fidem poſſint lucrifieri & in Eccleſiam ipſius cooptari.

4. Hoc vaticinium etiam ἀποθέωσιν illius planè indicat. Verùm ſunt & alia loca Character 5. quæ eam adhuc manifeſtiùs illuſtrant, ut Pſal. 110. *Dixit Jehovah Domino meo, Sede ad meam dextram donec tuos hoſtes effecero ſcabellum pedum tuorum.* Et deinde verſ. 4. *Jurat Jehovah non mutaturus ſententiam, te Sacerdotem eſſe in æternum, ad rationem Melchiſidechi.* Ipſi *Judæi* olim agnoſcebant hunc Pſalmum vaticinium eſſe de *Meſſia.* Primúſq; ac quartus verſus tales ſunt ut nullum alium ſenſum ferre poſſint, quàm quòd *Meſſias* major futurus eſſet *Davide*, & quòd Rex eſſet futurus, Sacerdos & Interceſſor ad dextram Dei in æternum.

Item Pſalm. 45. 6. *Solium tuum ô Deus, in omnem permanet æternitatem, ſceptrum æquitatis ſceptrum Regni tui eſt. Juſtitiam amas peroſus impietatem: propterea Deus, tuus deus, oleo te lætifico inunxit præ ſociis tuis.* Hunc de quo hic Pſalmiſta loquitur אלהים appellat, nec ſignificare poteſt vulgarem aliquem Re-

gem vel Magiſtratum, quippe quòd dicit Thronum ejus eſſe עולם ועד hoc eſt, in æternum abſolutè, quemadmodum R. *Moſes Ægyptius* illas voces exponit. Quapropter jure merito *Chaldæus Paraphraſtes* hunc Pſalmum vaticinium facit de *Meſſia*, cujus Ἀποθέωσις vel *Divinitas* planè exprimitur in iſtis verſibus quos recitavi.

Unum ſuperadjiciam locum è Propheta *Eſaia*, cap. 9. v. 6. *Nam filius nobis natus eſt, filius nobis eſt datus, qui humeris ſuis Principatum gerat, qui nomine vocatur Admirabilis, Conſiliarius, Deus potens, Pater æternitatis, Princeps pacis. Amplificationi illius principatûs & paci nullus erit finis in ſolio Davidis & in Regno ejus, ad id jure juſtitiâq; condendum & ſtabiliendum in omnem deinceps æternitatem, zelus Jehovæ exercituum illud eſt effecturus.* Nullus dubito quin hoc vaticinium aliquo modo referri poſſit ad *Hezekiam* eúmq; primo loco tangere; verùm præcipuus illius ſcopus eſt *Meſſias*. Et certè quòd ejus *Divinitas* inibi Regniq; æternitas illuſtratur, tum *Chaldæi Paraphraſtæ* teſtimonium, tum *Septuaginta* Interpretum Tralatio, tum ipſæ deniq; vaticinii dictiones ac verba juxta Textum Hebraicum, fatìs evidenti ſunt argumento. Illi enim vertunt וקרא שמו פלא יועץ אל גבור אבי עד שר שלום (*Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus potens, Pater æternitatis, Princeps pacis*) ad hunc modum; Καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτῦ μεγάλης βυλῆς Ἄγγελος, θαυμαςὸς συμβυλὸς, θεὸς ἰσχυρὸς, ἐξυσιαςὴς, ἄρχων εἰρήνης, πατὴρ τῦ μέλλονῦος αἰῶνος· tanquam ſi intellexiſſent de העולם הבא. Cujus expoſitionis nullus poteſt eſſe ſenſus ſi ad *Hezekiam* referatur, ſed optimè convenit cum *Meſſiæ ἀποθέωσει*. Ut taceam Tralationem illam [*Amplificationi illius principatûs & paci nullus erit finis*] tam accuratè cum Hebraica veritate conſentire, ut manifeſtum ſit omnes locutiones quæ in vaticinio occurrunt, *Hezekiæ* competere non poſſe. Ipſéq; *Grotius*, qui ſenſum ſingularum dictionum hujuſmodi vaticiniorum ad eam perſonam extendere amat quam primò reſpiciunt, ingenuè tamen fatetur, eas magìs aptè & perſpicuè ad *Meſſiam* hìc poſſe applicari. Quod cuivis æquo rerum æſtimatori abunde poſſit ſatisfacere, illas de eo ipſo eſſe intelligendas, præſertim ſi conſideraverit, quòd antiqui *Judæi*, quos meritò exiſtimare poteſt Prophetarum ſuorum indolem geniúmq; optimè intellexiſſe, longè ante inveteratum illud altercandi ſtudium *Judæos* inter & *Chriſtianos*, ità eas ſint interpretati.

Character 6. 5. Sextus character Perſonæ, eſt ejus doctrinæ præſtantia. Hæc ſubindicatur, prout dixi, Eſai. 53. *Cognitione ſui juſtos reddet, juſtus ipſe ſervus meus, multos*; ſed pleniùs illuſtratur Malach. 3. *Et repentè veniet in Templum ſuum Dominus* (quod produci etiam poterat tanquam aliud vaticinium de *Divinitate Meſſiæ*) *quem vos quæritis, & Angelus fœderis quo vos delectamini, ecce venturus eſt, ait Jehovah exercituum. Quis autem ſuſtineat diem adventûs ejus, aut quis conſiſtat quum apparuerit? Erit enim quaſi ignis conflatoris & ut ſmegma fullonum; ſedénſq; conſtabit & expurgabit argentum & expurgabit Levitas, & tam puros reddet quàm eſt aurum aut argentum, ut Jehovæ munus offerant in juſtitia.* Quibus planè ſignificatur puritas ac ſanctitas illius Legis atq; Spiritûs quem *Meſſias* communicaturus eſſet cum ſeriis ſinceríſq; ſuis ſectatoribus, quòd ipſos penitus purificaturus eſſet & expurgaturus ab omni ſua vitioſitate atq; Hypocriſi.

Et Rurſus, Eſai. 42. *Ecce meus ſervus cui adminiculor, quem mihi ex animi mei ſententia delectum meo ſpiritu donavi; jus ille edet Gentibus. Non clamabit, non queritabitur, non voce ſuâ foris ſtrepet. Quaſſatam arundinem non perfringet, langueſcens ellychnium non extinguet, jus ad veritatem perducet. Non langueſcet neq; fatiſcet, quin jus in terris ſtatuat, ab ejúſq; lege pendeant Inſulæ. Sic dicit Deus Jehovah, qui cœlos creavit atq; diſtendit, qui terram ejúſque progeniem porrexit, flatum incolentibus eam hominibus, ſpiritum verſantibus in ea dans. Ego Jehovah te cum juſtitia voco, prehenſúmq; manu tueor, & humano fœderi Gentiúmq; colluſtrationi deſtino. Ad aperiendos cæcos oculos, ad vinctos & in tenebris habitantes ex ergaſtulo & carcere educendos.*

Et *Eſai.* 49. *Audite Inſulæ me, & attendite remoti populi. Jehovah me ex utero vocavit, ex ventre meæ matris meum nomen memoravit. Meúmq; os ſimile reddidit acuti gladii, me in umbra ſuæ manûs abdidit & poſitam ex me fecit ſagittam, méq; in Pharetra ſua recondidit.* Et verſ. 5. *Itaq; dicit Jehova, qui me jam ab utero ſervum ſibi formavit ad reducendos ad ipſum* Jacobæos, *quamvìs Iſraëlitæ ei non ſint allegendi, ero tamen in oculis Jehovæ glorioſus, eritq; meus Deus potentia mea. Dixitque, Parum eſt ut mihi ſis ſervus in ſuſcitandis Jacobidarum Tribubus inſtaurandiſq; ruinis Iſraëlitarum; etiam te cæteris Gentibus lumen dabo ut pateat mea ſalus ad extrema Terrarum.* Mea ſalus ישועתי cum alluſione ad ipſum nomen *Eſaiæ* ישעיה quod ſignificat *ſalutem Domini.* Cui etiam alludi videtur in primo verſu,

Ex

Ex ventre meæ matris meum nomen memoravit. Quod ſanè ità affine eſt nominis Jeſu, ut *Meſſias* videri poſſit præfigurari in ipſo nomine Prophetæ *Eſaiæ* æquè ac in illius Perſona; prout ingenuè fatendum eſt, utraq; hæc vaticinia aliquo modo ad *Eſaiam* ipſum primò pertinere. Cæterùm conſiderando quòd eminentiores eorum Reges ac Prophetæ Typi futuri eſſent *Meſſiæ*, quódq; oratio tam alta ſublimíſq; ſit, dubitari non poteſt quin in Divinis his raptibus ſpiritúſq; elevationibus mens linguáq; *Eſaiæ* ferretur ultrà quàm quod propriæ ipſius perſonæ competeret, & propterea per ipſam rei rationem transferri debeat ad *Meſſiam.* Siquidem perſpicuum eſt ex aliis locis, quòd venturus eſſet tandem unus quiſpiam maximè tranſcendens *Princeps* & *Propheta* præcellentiori modo gradúq; unctus quàm alius quiviſcunque, quem *Judæi* expectabant appellabántq; ſuum *Meſſiam.* Ac proinde ſimul manifeſtum eſt, quòd *Meſſias* eorum eximius futurus eſſet Doctor, Propheta vel Legiſlator.

6. Septimus Character eſt læta illius *receptio à Gentibus*; id quod & ultima hæc vaticinia etiam innuunt. Verùm alia inſuper adjungam. Ad hunc ſenſum *Judæi* ipſi interpretati ſunt antiquum illud Vaticinium Jacobi ולו יקהת עמים, Et *ad eum erit Gentium aggregatio*; Septuaginta, ᾧ ἀυλὴς προσδοκία ἐθνῶν, Atq; ille *ſpes* vel *expectatio Gentium.* Eſtq; alterum illo adhuc antiquius, quod idem denotat, Promiſſum utiq; * Abrahamo factum quòd *is futurus eſſet Pater multarum Gentium, quódq; in ejus ſemine omnes nationes terræ eſſent felicitandæ.* De quo etiam alia vaticinia teſtificantur: Eſai. 2. 2. *Erit ergo in poſtremis temporibus ut mons ædis Jehovæ in vertice aliorum montium fixus ſit & elatus ſupra colles; & ad eum gentes omnes confluent.* Ipſi Doctores *Judæorum* agnoſcunt hoc intelligi de Temporibus *Meſſiæ.* Et cap. 11. 10. *Atq; illo tempore Iſæam ſtirpem, expoſitum populis vexillum, conquirent Gentes, eritq; requies illius glorioſa.* Vel Gentes quærent eum, modo nempe religioſo ſupplicantes ei, laudéſq; illi cantantes. Nam דרש ſæpenumerò illo ſenſu uſurpatur, ζητῆσαι τὸν θεόν. *Eritq; requies illius glorioſa*, i. e. Et ſepulchrum ejus erit glorioſum; ità quidam vertunt, & ſanè non temerè nec ſine cauſa. Etenim נוח in multis locis ſignificat requiem mortuorum, Job. 3. v. 17. ושם ינוחו יגיעי כוח quod Septuaginta reddunt, Ἐκεῖ ἀναπαύσαιτο καλάκοποι τῷ σώματι, eſt in *Jobæa* deſcriptione ſtatûs mortuorum. Item Proverb. 21. 16. בקהל רפאים ינוח *In mortuorum congregatione requieſcet*, Ἐν συναγωγῇ γιγάντων ἀναπαυσῆται. Verùm νεκρῶν præſtat. Nam רפאים & מתים idem ſunt, prout apparet ex Pſalm. 88. v. 11. Poſtremò Pſalm. 23. v. 2. מי מנוחות, *Aquæ requietum*, talem requiem innuunt qualis ſomnus eſt frater mortis. Nihil enim magis in proclivi eſt quàm procumbere ac dormire in umbroſis fluvii ripis. Quamobrem מניחתו כבוד meritò ſignificare poteſt, *Dormitorium* ejus vel *ſepulchrum ejus erit glorioſum*, hoc eſt, Ad ſpeciem templi tandem exaltabitur, Diviníq; ipſi præſtabuntur honores, & orabunt eum Gentes ac venerabuntur, quemadmodum innuitur è verbis proximè præcedentibus. Sed enim, hoc plus erat quàm quo hoc vaticinium neceſſariò erat onerandum, quanquam ſatis veriſimile ſit illud in ipſo contineri. *Character 7.* * *Gen. c. 12. 3. c. 18. 18. cap. 22. 18.*

Multa alia ſunt loca quæ confirmationi hujus ſeptimi Characteris inſerviant. Cæterùm cùm ſatis jam demonſtratus ſit, parúmq; controverſiæ de eo oriri ſoleat, ad octavum pergo.

7. Qui eſt *ſuperſtitionum Ethnicarum per Meſſiam abolitio*, hoc eſt, iſtiuſmodi cultuum quibus per Divinum jus eis non licebat uti, cùm tam craſsè errarent in Objecto. Hic tam manifeſtò includitur in duobus ultimis characteribus, ut nihil opus ſit aliis confirmationibus. Verùm ſi opus eſſet, illa quæ occurrunt in Pſalmo 2. & 110. ulteriorem facere poſſent fidem. Ubi ſcilicet *Meſſias* novus conſtituitur Rex & Sacerdos. Quod igitur novam innuit Religionem ac Leges, taléſq; quarum Gentes antea eſſent ignaræ, quibúſq; eas obedire jam cognitis, ſub pœna extremi ſupplicii, oporteret. *Character 8.*

8. Poſtremus character eſt diuturna Regni *Meſſiæ* duratio. Pſalm. 89. v. 35. *Semel juravi per Sanctitatem meam Davidi non mentiturus, Ejus ſemen æternum fore ejúſq; ſolium ut Solem apud me. Utq; Lunam duraturum ſemper, ut teſtem in cœlo fidelem.* Item Pſalm. 45. v. 6. *Solium tuum ô Deus! in omnem permanet æternitatem, ſceptrum æquitatis ſceptrum Regni tui eſt*, &c. Quod vaticinium ſenſum explicat prioris, oſtendítq; quòd implendum ſit in ἀναστάσει *Meſſiæ.* Vide etiam Pſalmum 72. quem *Hebræorum* Doctores agnoſcunt intelligendum de *Meſſia*; item Daniel. 2. 44. & cap. 7. 27. Hic character tam manifeſtus eſt ut nihil opus ſit illi diutiùs inſiſtere. *Character 9.*

9. Hæ ſunt præcipuæ Notæ ac Characteres Perſonæ *Meſſiæ* per quos certò dignoſcere

ſcere poſſumus quiſnam ille ſit. Et quis obſecro is eſſe poteſt juxta hos Characteres niſi ipſe *Jeſus* quem nos Chriſtiani colimus? Quemnam enim pro *Meſſiatu* competitorem, qui *Judæus* exiſtens rejectus eſſet à *Judæis*, reperire poſſumus præter ipſum? Quis è mortuis reſurrexit aſcendítq; in cœlos niſi ipſe? Quis deniq; præter ipſum ad expurgandum mundum à vitiis, & ad illuminandas Gentes tam puram doctrinam tradidit? Is igitur eſt quem expectabant olim Nationes, eúmq; læto plauſu receperunt. Is eſt cujus gratiâ vanas impuráſq; ſuperſtitiones dereliquerunt, cujus doctrinâ ad veri æterniq; Dei notitiam pervenerunt. Et is deniq; eſt quem Deus propter acerbas ſuas ærumnas & afflictiones ſupra Angelos & Archangelos & univerſas cœleſtes copias exaltavit collocavítq; ad dextram ſuam, ut Sacerdos ſit & Rex ſuper Eccleſiam in omnem perpetuitatem.

CAP. IX.

1. *Uſus peculiaris argumentorum è vaticiniis veteris Teſtamenti ductorum ad convincendos homines Atheos & Melancholicos.* 2. *Applicatio vaticiniorum ad notos eventus ad evincendam veritatem noſtræ Religionis.* 3. *Veriſimile non eſſe quin æquè diu duraturum ſit Sacerdotium Chriſti atq; generationes hominum in terris.* 4. *Concluſio ex eis quæ hactenus allata ſunt.* 5. *Chriſtum non eſſe perſonam fictitiam probatum ex Hiſtoriis ſcriptorum Paganicorum, ut ex* Plinio; 6. *Et* Tacito. 7. *Uti etiam ex* Luciano; 8. *Et* Suetonio. 9. Joſephi *Teſtimonium ſuppoſititium eſſe, cum rationibus cur ſilentio præteriret quæ ſpectabant ad Chriſtum.* 10. Juliani *Propoſitum reædificandi Templum Hieroſolymis, cum miro ejus rei ſucceſſu, ex* Ammiano Marcellino.

1. NON mediocrem ſanè progreſſum jam fecimus in probanda *Realitate* Chriſtianæ Religionis, quòd plus ſit quàm *mera Idea.* Subſiſtamus hîc pauliſper & reſpiremus, contemplemúrq; apud noſmetipſos peculiarem uſum ac commoditatem hujus præſentis argumenti ad os obturandum audaci *Atheo* æquè ac ſuſpicioſo *Melancholico.* Etenim nimis quàm verum eſt, & quiſq; vir bonus ut res aliter ſe haberet, animitùs exoptat, recentiora Eccleſiæ ſecula bonâ fide cum mundo non egiſſe; verùm ultra omnes modeſtiæ & conſcientiæ limites, hiſtoriolas fatuas, & fictitia miracula populo obtruſiſſe, tanquam ſi in eorum manus tradita eſſet plebs ut deciperetur ab ipſis & luderetur. Quæ quidem Conſideratio quoſdam homines in fixam quandam & inconcuſſam incredulitatem circa totam rem Chriſtianitatis conjicit, efficítq; ut eam tanquam figmentum merum conſiderent ac fabulam. Illi enim etiam Primitivæ Eccleſiæ Genium ex eis quæ nunc dierum ante oculos fieri obſervant, metiuntur, atq; ſic univerſam Sacerdotum Tribum habent pro Impoſtoribus. Quæ cenſura quamvìs impensè ſit injuſta, difficile tamen admodum erit hoſce Cenſores convincere quin valde vera ſit, niſi ex tali aliquo argumento quale nunc nobis ante oculos jacet; Ex eo ſcilicet, Quòd antiqua veteris Teſtamenti vaticinia à Chriſtianis Sacerdotibus fingi non poſſent, quódq; *Judæi* ea nollent fingere cùm tam apertè contra ſeipſos faciant. Immò verò ii qui vel levem aliquam de *Judæis* notitiam hauſerint, agnoſcent ſtatim eos tam religioſè ipſi *literæ* horum ſacrorum Oraculorum addictos eſſe ut ſcientes prudentéſq; nè unum quidem apicem auſint mutare. Quapropter omnia illa vaticinia quæ nos attulimus realia ſunt, demonſtravimúſq; porrò, quàm perſpicuè Meſſiam ante multos centenos annos prædixerint venturum. Unde & eum jam adveniſſe manifeſtum eſt.

Vide Cap. 1. Sect. 4.

2. Quæro igitur ex *Prophano* quolibet vel *Melancholico*, quis ille *Meſſias* ſit ſi *Jeſus* non ſit ipſe? Immò verò appello ipſos, ſi ipſius Perſonæ characteres per proprios ipſorum ſenſus, juxta prædictionem infallibilium eorum Oraculorum, certò non ſunt dignoſcendi. Vaticinia dixerunt, Eum rejectum iri à ſuis. Roga *Judæos*, ipſi agnoſcent ſe eum rejeciſſe. Vaticinia prædixerunt, Eum abſciſſum iri ab ipſis vel occiſum. Roga *Judæos* qui non inficias ibunt quin ad mortem turpiſſimam eum condemnaverint, quamvìs id meritò ſe feciſſe in ſuam defenſionem contenderint. Vaticinia prædixerunt, Doctrinam ejus illuminaturam Gentes. Roga oculos tuos ſi Gentes non ſint converſæ à vanis & illegitimis ſuis ſuperſtitionibus ad notitiam unius illius Dei qui cœlum fecit & terram, Jeſúq; Chriſti quem ille miſit. Vaticinia

præſi-

præfigurârunt *Reſurrectionem* ejus à mortuis & in cœlos Aſcenſionem. Et interroga, obſecro, propriam tuam conſcientiam ſi non credis hanc ſemper fuiſſe Chriſtianorum fidem. Et conſule propriam rationem ſi poſſibile fuit ut mors Chriſti totum ferè orbem ad ſe attraheret niſi ejus Reſurrectio eam fuiſſet inſecuta. Proculdubio ii qui in eum crediderant, poſt mortem ejus eum deſerturi fuiſſent ſi è mortuis non reſurrexiſſet. Sed ea de re pleniùs poſthac agemus. Poſtremò, vaticinia prædixerunt, *Meſſiam* cultum iri tanquam Divinam aliquam Perſonam, & Divinos honores eſſe recepturum, quódq; Deus eum facturus eſſet Regem & Sacerdotem in omnem perpetuitatem. Interroga ſenſus tuos proprios, ſi non rem reperis ità prorſus ſe habere. Quot millia Templorum extructa ſunt ipſiúſq; nomini conſecrata ? In quot Nationibus Regníſq; Terræ colitur is, tanquam filius Dei, precéſq; ipſi offeruntur & in ejus nomine, laudéſq; illi cantantur ſummâ, quæ concipi poteſt, ſolennitate & affectu ?

3. Et quantùm ad durationem Regalis illius Sacerdotii ; Per tempus haud mediocre id ſanè jam permanſit, per mille circiter & ſexcentos annos, quemadmodum infallibiliter colligi poteſt ex Hiſtoria. Perſona verò is eſt (utì ex antiquis *Judæorum* vaticiniis apparet) tam ſacra ſanctáq; & in quam Providentiæ oculi tam mirandis modis defixi ſunt, infinitò ſuprà quàm in ullum alium virum qui unquam hactenus extitit, ut impoſſibile ſit Teſtimonia ei perhibita ullâ temporum ſucceſſione obliteratum iri ; cùm nihil præter univerſalem Conflagrationem omnia Oraculorum Judaicorum & Chriſtiani Evangelii exemplaria poſſit conſumere. Ac proinde res eſt citra omnem veriſimilitudinem, immò verò, dixerim, citra omnem poſſibilitatem ut hic cultus Regnúmq; Chriſti in terris unquam ceſſatura ſint, donec terra ipſa Incolas alere ceſſaverit. Equidem non inficias eo, quin intoleranda Chriſtianorum Impietas, quin ipſorum Infidelitas, Ferocitas & Impuritas, execranda Hypocriſis & aperta Prophanitas efficere poſſint ut hoc Chriſti Regnum admodum mobile ſit & itinerans, ut ab una Natione tranſeat ad alium populum ; verùm alicujus gentis populíve Religio ſemper Chriſtianitas eſt futura. Sin autem, erunt tamen ſaltem ſinceri Profeſſores illius nominis in diverſis Nationibus & Regnis, utì factum eſt in afflicto Primitivæ Eccleſiæ ſtatu. Qui pro certo orbem Terrarum Chriſtianâ Religione iterum imbuent, ídq; majori cum gloria ac puritate quàm unquam hactenus, niſi vindicta flammifera cœlitùs proruens intervenerit, Chriſtúſq; in nubibus apparuerit viſibiliter rediens ad Judicium.

4. Illud igitur quod ego hìc præcipuè urgeo hoc eſt ; Quòd tametſi quiſpiam tam cautus ſanè ſit ſuſpicáxve aut verſutus, ut, ex eo quòd recentiora Eccleſiæ ſecula, tanto adulterationis & falſimonii reatu ſint dehoneſtata, nullis omnino Eccleſiæ ſcriptis monumentíſve credere vellet, nè ſacroſanctis quidem Evangeliis Epiſtolíſq; Apoſtolorum exceptis, ſufficientem tamen certitudinem haurire poteſt ex veteris Teſtamenti vaticiniis (quæ niſi egregiè fatuus eſſe velit rationíſq; exſors, nullum prætextum habere poteſt ſuſpicandi ſuppoſititia.) Quòd Chriſtianitas *figmentum* non ſit, ſed *realis* veritas, modò vaticinia comparaverit cum eventis rerum quæ ipſi ante oculos jacent, cúmq; libera confeſſione eorum qui pro inimicis Chriſtianæ Religionis ſe gerunt, Nationem intelligo *Judæorum*.

5. Ad firmiorem cujus rei faciendam fidem adhibere porrò poteſt ea quæ apud profanos Autores ſparſim ſcripta reperiuntur. Etenim ſi cui lubet tam prodigiosè Melancholicum eſſe ac ſuſpicacem ut dubitet utrùm unquam extiterit hujuſmodi homo qui dictus ſit *Chriſtus*, ipſa Paganorum Hiſtoria, ea de re ipſum certiorem facere poteſt, cùm apud ipſos tam matura facta ſit earum rerum mentio, ut nullus ſubeſſe poſſet error circa exiſtentiam perſonæ de qua loquuntur, utrùm ſcilicet in mundo unquam extiterit necne. Nam *Plinius*, *Tacitus*, *Lucianus*, & *Suetonius* florebant cuncti tam prope ea tempora quibus *Hieroſolymorum* Civitas capta erat (*Plinius* ſcilicet circiter viginti, *Tacitus* triginta, *Lucianus* & *Suetonius* quadraginta circiter vel quinquaginta annis poſt urbem captam) ut certam non poſſent non habere à diſperſis *Judæis* notitiam, utrùm *fictitia* eſſet Perſona an *realis*, utpote qui ſedulò adnixuri fuiſſent Religionem ſibi adeò inviſam, ſi fictitium omninò habuiſſet fundamentum, maturè ſuffocare. *Plinius* in Epiſtola ſua ad *Trajanum* Chriſtianos invenit ſeriò Religionem ſuam profitentes, nec mortis metu ab ea poſſe dimoveri. Quorum errorem improbum ac periculoſum facilè confutare potuiſſet, ſi Hiſtoria Chriſti figmentum fuiſſet Poëticum. Verùm ille immotos eos invenit, nec iſti malo medicari potuit : Quam conſtantiam ipſorum is vocat *pervicacem & inflexibilem obſtinationem*. Quam ſanè ridiculum eſt opinari obvenire poſſe hominibus in re ficta quam per temporis proximitatem leviſſima quævis perveſtigatio facilè detectura ſit, eſſe falſam ; ídq; eò uſq; ut conſtanter

stanter se exponant cruciatibus ac morti. In eadem etiam Epistola scribit se duas ancillas ad Torturam adduxisse, *Sed nihil aliud*, inquit, *inveni quàm superstitionem pravam ac immodicam.* Et de eis qui præ metu à Professione suæ Religionis destiterunt, *Affirmabant*, inquit, *hanc fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris, quòd essent soliti stato die ante Lucem convenire Carménq; Christo quasi Deo dicere*, &c. Quod indicium est Christianos maturè Christum secutos fuisse, non ut merum aliquem, quantumvis eminentem, Præceptorem *Moralem*, & qui præstantissima vitæ præcepta dederit, longéq; meliora quàm quivis alius unquam præcepisset; sed personam illius reverà divinam tenuisse, & ob stupendas aliquas rationes sanctè eum adorâsse.

6. Verùm inquisitio hæc & sanguinolenta Persecutio Christianorum etiam ante *Trajani* tempora inceperat, in *Neronis* scilicet, qui ad occultandum abominabile suum facinus in concremando urbem Romæ, Christianos perquam barbarè puniebat tanquam illi hujus sceleris fuissent autores. Tacit. Annal. lib. 15. *Ergò abolendo rumori Nero subdidit reos & quæsitissimis pœnis affecit quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis ejus Christus, qui* Tiberio *imperitante, per procuratorem Pontium* Pilatum *supplicio affectus erat. Repressáq; in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modò per Judæam originem ejus mali, sed per urbem etiam quò cuncta undiq; atrocia aut pudenda confluunt celebrantúrque. Igitur primò correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendii quàm odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi; atq; ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur.* Hæc Persecutio vix triginta annis erat post Passionem Christi. Appello jam quemlibet, si possibile judicare potest ut illi, qui vixerunt tam prope illa Tempora quibus Christus dicebatur crucifixus, ut accuratè possent in eam rem inquirere, appello inquam, si possibile potest judicare, ut illi vitas fortunásq; suas odio & crudelitati Ethnicorum exponerent, nisi quòd pro certo rescivissent hujusmodi hominem fuisse qui Hierosolymis esset crucifixus. Quæróq; porrò, cùm tam ignominiosam mortem oppetiverit, annon rursus impossibile sit quin extraordinarium aliquod in Persona Christi esset, quo illi, cum omnium mortalium odio, propriarúmq; vitarum periculo, post mortem ejus tam firmiter ipsi adhæresceret.

7. Ac proinde *Lucianus*, in *Peregrino* suo, meritò *Christum* nuncupat *τὸν μέγαν ἐκεῖνον ἄνθρωπον τὸν ἐν Παλαισίνῃ ἀνασκολοπισθέντα, magnum illum virum in Palæstina crucifixum.* Nam opinionem saltem sectatorum Christi eloquebatur si non suam. Et doctrinam Christianorum appellat *θαυμασὴν σοφίαν τῶν χειστιανῶν, mirandam Christianorum sapientiam.* Quos ille affirmat Ethnicorum numinibus renunciare, *τὸν δὲ ἀνασκολοπισθέντα ἐκεῖνον σοφισὴν ἑαυτῶν προσκυνεῖν*, & *crucifixum illum suum Sophistam*, i. e. magistrum, vel præceptorem colere. Et in *Philopatride* suo, si modò suus sit (& sanè si non sit non multùm refert, cùm necessariò sit scriptor aliquis ipsi coætaneus) sunt quædam sublimium quarundam speculationum in Christianitate intimamina, ut de *Trinitate*, de *Vita æterna*, de *Galilæi ascensu* in cœlum tertium; *εἰς τρίτον ὑπερνὸν διαβαλήσας, ὅπου τὰ κάλλιστα ἐκμεμαθηκὼς δι' ὕδατος ἡμᾶς ἀνακαίνισεν, Per aërem proficiscens in tertium cœlum, ubi postquam præstantissima quædam edoctus esset, per aquam nos renovavit.* Quam verisimillimum est subindicationem aliquam esse ascensionis Christi in cœlos, aut saltem raptûs *Pauli* in cœlum tertium, quanquam narratio sit depravata. Et verò *Critias* in illo Dialogo jurat *νὴ τὸν υἱὸν ἐκ τοῦ πατρός, Per filium è Patre.* Atq; is ac *Triephon* Divinam deridentes inter se Providentiam, ut quæ per Religiosos quosdam ità exhibebatur, tanquam si res humanæ scriptæ essent in cœlis, alter alterum interrogat, *Critias* utiq; *Triephonem*, si res universæ, etiam *Scytharum*, illîc erant scriptæ. Ad quod *Triephon* respondet, *πάντα εἰ τύχοι γε χρηστὸς ᾖ ἐν Σκύθαις, Etiam res universæ, si quidem Christus sit inter gentes.* Quæ omnes Locutiones indicant quàm venerabilis de *Christo* disseminata sit per Orbem Opinio, quódq; propterea extraordinaria aliqua dignitas ac præstantia illius inesset Personæ. Cujus conclusionis utilitas suo loco patebit.

8. Intereà loci mentionem solummodò addam de eo factam apud *Suetonium* in vita *Claudii*, cap. 25. Ubi *Chrestus* vocatur quemadmodum antea in *Luciani Philopatride* appellabatur χρηστός. Judæos *impulsore* Chresto *assiduè tumultuantes Româ expulit.* Quod maturrimum est Religionis nostræ monumentum quod apud prophanos Scriptores reperiri potest; nec mirum, cùm tam prope ad *Passionem Christi* pertingat, unde Religio nostra incepit. Nam regnum *Claudii* initum est annis circiter septem post Passionem Christi & intra tredecim annos finitum. Et quòd Christus

passus

paſſus ſit ſub *Pontio Pilato* ipſe *Tacitus* teſtimonium perhibet, in eis quæ ex eo ſuprà recitavimus. Verùm accuratior harum rerum Chronologia expectari non poteſt niſi ab eis quorum magis intereſt, ab ipſis ſcilicet *Chriſtianis*.

9. *Joſephi* teſtimonium longiùs ſe extendiſſet, ſi certi eſſe poſſemus ea quæ videtur de Chriſto ſcripſiſſe, per ineptam fraudem malefidorum quorundam *Superſtitioniſtarum* aut lippientium *Politicorum* non fuiſſe ſuppoſita: qui Chriſtianæ Religionis ſoliditatem nihil opus habere eorum fictionibus & mendaciis ad ſe ſuſtentandam haud ſatis prævidebant. Sed enim, quantùm ad me, ego minimè verisimile judico *Joſephum*, cùm Chriſtianus non eſſet, ad eum modum de *Chriſto* ſcripturum fuiſſe, ut alias rationes præteream quæ afferri poſſint. Et propterea majoris compendii causâ lubens agnoſcam ea quæ occurrunt in illius *Antiquitatibus*, de *Jeſu crucifixo*, non ſua eſſe ſed ab aliis fuiſſe ſuppoſita. Quam omiſſionem partim illius prudentiæ imputo, partim integritati. Etenim cùm res *Jeſu* tam accuratè cognoſceret, nihil mali de eo per judicium ac conſcientiam dicere poterat, niſi quòd erat *crucifixus*, quod illius culpa non erat ſed eorum qui injuſtè ac crudeliter eum trucidârant. Nominare verò ſolummodò, nihílq; de ejus rebus geſtis commemorare, manca profectò res fuiſſet ac frigida, honorificè verò de ipſo loqui popularibus ſuis *Judæis* ingratum, ut & ipſis Paganis. Quamobrem cùm vilificare eum ejúſq; Sectatores & convitiis proſcindere, ut Paganici Hiſtoriographi ſolent, per *conſcientiam* non poſſet, nec, cùm perſuaſus non eſſet eum fuiſſe *Meſſiam*, quàm eximia eſſet Perſona, per *prudentiam*, declarare, reſtat certè ut veriſimillimum ſit, eum eò uſq; aſtutiæ indulſiſſe, ut nullam omninò mentionem de ipſo faceret. *Antiquitat. Judaic. l.*10 *c.*4.

10. Non niſi unum jam producemus porrò teſtimonium ex *Hiſtoriographis* Paganicis, ídq; ex *Ammiano Marcellino* de *Juliani* propoſito reædificandi Templum *Hieroſolymitanum*, ut *Judæi* illîc denuò poſſent juxta antiquum ſuum morem ſacrificare. Quod quidem per invidiam potiùs adversùs Chriſtianos factum exiſtimabatur, quàm per ullam benevolentiam erga *Judæos*, & in contumeliam univerſalis illius & inæſtimabilis ſacrificii corporis Chriſti in cruce ſemel oblati, quod abolere debebat omnia *Judaica* ſacrificia, & *Moſaicarum* Ceremoniarum uſui finem imponere. *Ruffinus* & *Sozomenus* hanc rem fuſiùs enarrant. Verùm nos eorum recitatione contenti erimus quæ *Ammianus* ſcripſit (lib. 23. proximè ab initio) qui cùm Paganus eſſet, ſenſu quàm poterat pulcherrimo, Imperatoris inceptum incruſtat. Eventum verò ſatis perſpicuè eſt deſcriptum; quod quidem ejuſmodi eſt quod Chriſtianæ Religionis veritatem multùm confirmet. Julianus *imperii ſui memoriam magnitudine operum geſtiens propagare, ambitioſum quondam apud* Hieroſolymam *Templum (quod poſt multa & internecina certamina obſidente* Veſpaſiano, *poſtea &* Tito *ægrè eſt expugnatum) inſtaurare ſumptibus cogitabat immodicis: negotiúmq; maturandum* Alipio *dederat* Antiochienſi, *qui olim* Britannias *curaverat pro præfectis. Cùm itaq; rei idem fortiter inſtaret* Alipius, *juvarétq; Provinciæ Rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris aſſultibus erumpentes fecêre locum, exuſtis aliquoties Operantibus, inacceſſum; hócq; modo elemento deſtinatiùs repellente, ceſſavit Inceptum.*

CAP.

CAP. X.

1. *Plura argumenta, quòd tum* Judæi *tum* Pagani *agnoscebant* Christum *reverà extitisse, & miracula fecisse.* 2. *Harum allegationum vis vaticiniis de tempore Adventûs Christi Personæq; Characteribus superadditarum.* 3. *Characteres Personæ adhuc accuratiores esse, sed quibus antè non sit insistendum quàm Historiæ Evangelii veritas sit probata.* 4, 5. *Transcendentem Personæ Christi eminentiam ex eis quæ jam allata sunt & ex ejus Resurrectione, absq; recursu ad Evangelia posse demonstrari. Unde necessariò sequi, Quòd vita ejus esset scripta.* 6. *Vitam maturè scriptam fuisse, dum oculati Testes adhuc vivebant, per admodum validam demonstrationem probatum.* 7. *Æternam felicitatem per Christum, spem fuisse primorum Christianorum, probatum ex* Luciano *&* S. Paulo*: & de peculiari* αὐλοσυλλ. *veritatis in illius Epistolis.* 8. *Primum ac maturrimum Christianitatis sensum in illis scriptis contineri.* 9. *Impossibile esse, cùm æterna salus à cognitione Christi penderet, quin Apostoli maturè curarent ut miracula Christi literis mandarentur.* 10. *Quòd non poterant Apostoli quin vitam Christi scribendam curarent ad erratiles conatus temerariorum prævertendos, ad satisfaciendum desideriis fidelium, & per Obedientiam Divino instigatui.* 11. *Æquè incredibile esse ut descriptionem vitæ Christi negligerent, quàm ut vir quispiam rerum mundanarum gnarus Testamenti scriptionem negligeret cùm scribendi haberet opportunitatem.* 12. *Cùm adeò incredibile sit quin vita Christi scripta esset, scriptáq; quædam inveniantur eandem complectentia, planè consequi ea ipsa esse.*

1. HÆC Testimonia è scriptoribus Paganicis ad abolendam ineptam illam & absurdam suspicionem de tota Christi Historia quasi mera Allegoria esset vel Fabula, abunde possunt sufficere: Quæ certè res est quam vel maximi illorum hostes nunquam ausi sint Christianis objicere, nec *Judæi* nec *Pagani*, nec recentiores *Athei*, nasutiores præsertim, quales fuerunt *Pomponatius* & *Vaninus*, qui non solùm personam Christi agnoscunt, verùm etiam illius miracula: tantùm referunt ad Stellarum influxus cœlestésq; Intelligentias, de quibus in proprio suo loco agemus. *Judæi* etiam agnoscunt ejus miracula, verùm addunt præterea *Magum* fuisse. Et ipse *Julianus Celsúsq;* qui scripserunt contra Christianos, nusquam eò impudentiæ provecti sunt ut negarent *Jesum Nazaræum* in *Judæa* olim vixisse & res miras illîc patrâsse, quanquam alter eorum ab ipso defecit, alter in eum nunquam credidit. Et *Hierocles* egregius ille Paganus moralis miracula Christi non negat nec Personæ præstantiam, sed contendit *Apollonium Tyaneum* cum eo saltem conferri posse. Et ut taceam *Tiberii* propositum conscribendi eum in album *Romanorum* numinum per senatusconsultum, quia hujus rei narratio est à Christianis, apud *Eusebium* scilicet ex *Tertulliano*, subjungemus magis appositè quòd *Adrianus Severus* & *Heliogabalus*, quanquam incassùm eandem tamen rem postea tentârunt. Et particulatim de *Severo*, *Lampridius* Historiographus Ethnicus scribit, quòd utiq; hic Imperator cùm templum Christo erigere apud se instituisset, eúmq; inter reliquos Deos colere, prohibebatur à Sacerdotibus, *qui consulentes sacra repererant omnes Christianos futuros si id optatò evenisset, & templa reliqua deserenda.* Adeò ut admodum magnifica & venerabilis opinio de Christo vigeret etiam apud illos qui Christiani non erant.

2. Quæ testimonia ex Scriptoribus Profanis vel sola certè non mediocrem vim habent ad fidem faciendam illius rei pro qua jam contendimus, Christum utiq; olim in terris vixisse, personámq; fuisse admodum illustrem atq; nobilem, propter ea quæ ipsi inessent, quæ ab ipso facta sint, vel ipsi divinitùs contigissent. Quibus testimoniis si perspicua illa addas vaticinia quæ prædixerunt *Judæorum Messiam* venturum esse circa ea tempora quibus Christus dicitur vixisse, (in quo Christiani Ethnicíq; Historiographi conveniunt) characteréſq; illos quos pro certo novimus ad eum pertinere, eosdem scilicet quibus satìs fusè jam institimus, impossibile est, nisi *Scepticismus* eò usq; invaluit, ut in morbum transierit æquè perfectum, atq; est dementia quælibet atq; stupiditas, quin plus de Christo quivis crediderit quàm pro quo impræsentiarum nos contendimus.

3. Et tamen Personæ illius characteres in vaticiniis exhibiti etiam adhuc accuratiores sunt, quàm quos hactenus attulimus, ad probandum eum reverà fuisse expectatum

ctatum *Meſſiam*; ut, verbi gratiâ, quòd oriundus foret è ſtirpe *Davidis*, è tribu *Judæ*, quòd oporteret eum è *virgine naſci*, & in oppido *Bethlemæ*, quòd *aperturus* eſſet *cæcorum oculos* & *claudos* facturus *ambulare*, aliáq; id genus miracula; quòd ejuſmodi morte multandus eſſet quâ *manus pedéſq; eſſent perfodiendi*; quòd *ſuper veſte ſortem jacturi eſſent*, & *acetum porrecturi* ad ſedandam ſitim; quòd *oraturus eſſet pro eis qui eum crucifixerint.*

Verùm hæc Particularia cùm nullam vim antè habitura ſint quàm Evangelii Hiſtoriam veram probaverimus, eorum uſus differendus eſt uſq; dum eam expediverimus difficultatem. In qua abſolvenda his tribus probandis allaborare debemus. 1. Quòd vita Chriſti, ejúſq; Mors modo quodam ſerio ac perquiſito ab aliquibus deſcriptæ ſint; nec *Poëticè Allegoricéve*, ſed *Hiſtoricè* quemadmodum *Plutarchus*, *Tacitus*, & *Suetonius* exiſtimantur vitas ſcripſiſſe virorum illuſtrium & Imperatorum. 2. Quòd hæc ſcripta maturè exarata eſſent etiam dum in vivis erant oculati earum rerum teſtes quæ ibi referuntur. 3. Quódq; hæc Evangelia quæ nunc dierum apud nos recepta ſunt, vera ſunt exemplaria eorum quæ tam maturè eſſent ſcripta.

4. Prima quidem pars videtur mihi plenè demonſtrari poſſe ex illo quod jam probavimus, abſq; omni recurſu ad Hiſtoriam Evangelii; Admodum tranſcendentem ſcilicet fuiſſe Eminentiam in Perſona Chriſti, utpote cui & Tempus & præcipui Characteres expectati *Meſſiæ* tam accuratè conveniebant. Unde non poterat quin omnium oculos in ſe converteret, & valdè fervidos fidóſq; ſectatores ſibi lucrifaceret, qui ſaltem orali traditione omnia quæ in ipſo miranda ſtupendáq; viderant & obſervaverant pervulgaturi eſſent. Ex quo neceſſariò ſequitur, quòd fieri non poterat quin vita mórſq; ejus per unius ſaltem alicujus calamum deſcribendæ eſſent, præſertim cùm tam * certò conſtaret eum è mortuis reſurrexiſſe.

* *Vide plura c. 16. ſect. 4, 5. & cap. 8. ſect. 2.*

5. Etenim cùm *Judæi* eum crucifixiſſent, nihil magis inviſum eis eſſe poterat quàm illa ſectatorum ſuorum Narratio, quòd Deus per miraculum eum è mortuis ſuſcitaverat; Quo Chriſtus juſtificatus erat per ſpecialem Providentiam ab omnibus eorum calumniationibus impiiſq; ac falſis accuſationibus, ipſi verò ſummi criminis quod in ſe cadere poſſe poterant putare damnati, trucidationis ſcilicet *Meſſiæ* ſui. Quamobrem illius rei teſtificatio quæ eos redditura erat etiam in ſuis ipſorum oculis, ſi modò vera fuiſſet, adeò inviſos & execrabiles, neceſſariò teſtificatores, apud ipſos, effectura eſſet admodum inviſos ac odioſos, ipſóſq; ſtimulatura, ad mala quàm poterant maxima contra illos machinanda. Unde impoſſibile eſt ut diſcipuli Chriſti tam enormem falſitatem etiamſi à mentiendo per conſcientiam non abhorruiſſent, vellent defendere; verùm adhuc magis impoſſibile, ſi eorum conſideremus ſimplicitatem & innocentiam, quibus qualitatibus eos præ cæteris mortalibus imbutos fuiſſe nemo quiſquam adhuc unquam dubitavit. Concludo itaq; Perſonam tam manifeſtò ſacris antiquis vaticiniis præfiguratam, tam refulgentem ſtupendis virtutibus, & inauditis Providentiis ſplendidam; Perſonam, quæ propter miracula quæ edidit à *Judæis* infidelibus *Magus* habebatur, à Philoſophis Ethnicis, Atheíſq; effector miraculorum, & à propriis ſuis ſectatoribus *Meſſias* expectatus prædicabatur & unigenitus Dei filius quem per miraculum è mortuis ſuſcitavit poſtquam *Judæi* eum crucifixerant; Perſonam, inquam, tam mirificè decoratam, ſuprà quàm quiſquam alius qui unquam uſquam gentium extiterit, nec habere tamen vitam ſuam ac res geſtas literis à quoquam mandatas, res eſt longè incredibilior quàm vel maximum miraculum quod unquam hactenus à quoquam literis ſit traditum.

6. Jam verò in ſecundo loco, Quòd hiſtoria hæc vel narratio vitæ necíſq; ejus ſatìs maturè ſcripta ſit, dum oculati ſcilicet Teſtes earum rerum quas aut fecerit aut ipſi obtigerint, adhuc in vivis erant, ſi conſideremus quantum eſſet operæ pretium hujuſmodi Hiſtoriam maturè perfici, eſt etiam valde manifeſtum. Etenim non potuit profectò non videri res perquam maximi momenti, cùm diſcipuli Chriſtum tam ſanctam ac Divinam Perſonam crederent, fidelémq; ſuam ei adhærentiam unicam ſibi fore æternæ vitæ fruendæ certitudinem. Quam præclaram veritatem de beata fruenda Immortalitate, illi evidenter edocti erant ex ſucceſſu illo quem *Meſſias* habuit in terris, qui ſanè erat omnium infauſtiſſimus; quippe qui per contumeliam tam miſerè tractatus erat & tam ignominioſo modo crucifixus. Cùm tamen illi cum reliquis *Judæis* expectare poſſent, eum jugum Romanum cervicibus ipſorum excuſſurum eſſe, ac glorioſum victorioſúmq; Principem, cum magna ipſorum utilitate etiam in hoc mundo, futurum. Verùm videbant illi Providentiam, hanc viam declinare, & manu exertâ eum in aliud exaltare Regnum, ſuſcitando è mortuis, & viſibli pompâ recipiendo ipſum in cœlos. Quæ tam conſpicua immortalitatis animæ erat Demonſtratio & tam peculiaris utilitatis ſectatoribus eximii hujus *Intimi* Omnipotentis,

cùm & ipſis intrandum foret in alterum ſtatum, ut conſcientiæ vis ſenſúſq; proprii commodi in altera vita effecturi eſſent ut admodum ſolliciti evaderent & officioſi memoriæ *ſui Divini Præceptoris* conſervatores, qui tum viam ad beatam Immortalitatem tum ejus certitudinem ipſis tam apertè demonſtraverat. Ad quod gratitudinis genus præſtandum etiam adhuc conſtrictiùs obligabantur cùm adeò ipſis in proclivi eſſet *eum* conſiderare tanquam *donum Dei publicum* humano generi datum, nec reſtringendum ad illud præſens ſeculum ſed ad omnem poſteritatem tranſmittendum, nec claudendum intra parvum illum diſcipulorum manipulum quos poſt ſe reliquit, ſed toti *Iſraëli* impertiendum: Nec diu ignorare poterant etiam Gentes in ipſo partem habituras, præſertim poſt rejectionem à *Judæis*; quódq; ſic futurus eſſet *lux ac ſalus omnium Nationum* à ſeculo in ſeculum ſecundùm effata Prophetarum.

7. Quòd hic maximè maturus Eccleſiæ ſenſus erat de cognitione Chriſti quantùm ad *æternam ſalutem*, ipſa rei Natura, quemadmodum jam inſinuavi, manifeſtò demonſtrat. Quam enim mentem? quem ſenſum elicere poterant ex illius per divinam virtutem à mortuis ſuſcitatione, viſibilíq; aſſumptione in cœlos, præterquam quòd conſpicuum pignus ſic foret futuræ felicitatis, quæ eis eſſet obventura, qui fideles illius diſcipuli fuerint & ſectatores? Hæc proculdubio fides erat Apoſtolorum & omnium ſuccedentium Chriſtianorum, quemadmodum & ipſi Ethnici teſtificantur de ipſis, quanquam per modum deriſionis. *Lucian. Philopatr.* Ἀλλὰ καλῆχέμεν☉ πείθυ παρ' ἐμοῦ, ὅπερ ζῆν χρήζεις εἰς τὸν ἀιῶνα, *Verùm catechizatus, perſuaſus eſto per me, ſi quidem æternam vitam indipiſci cupias.* Huic argumento multùm inſiſtitur apud Apoſtolum *Paulum* paſſim in ſuis Epiſtolis. In quibus tam præpoſterè nominandis quamvis nimis præceps videri poſſim, ut qui jam in eo tantùm ſum ut methodum eruam quâ demonſtrari poſſit, admodum matura facta fuiſſe Chriſtianitatis monumenta, etiam intra ſeculum oculatorum Teſtium earum rerum quæ monumentis ſunt mandata; ego tamen nequaquam exiſtimo me præpoſterè feciſſe, ſi conſideremus, quòd peculiaris quædam ſit ἀυλοδηλία in illius Apoſtoli ſcriptis, ea neutiquam ſuppoſititia eſſe ſeu fictitia. Quippe quòd, meo quidem judicio, extra vires humanas ſitum videatur inaffectatum illum imitari fervorem, naturalia illa & inexpectata ſublimis ſeriíq; zeli ſchemata, Parentheticas illas ponderoſarum rerum ſenſúſq; exundationes, exæſtuantes, penè dixerim, ultra Logicæ cohærentiæ limites, & vividam illam ac vigoroſam Paſſionem, ſpiritúſq; elevationem, idq; omne adeò citra omnem humani artificii ſuſpicionem, ut non poſſimus quin firmiter credamus eum qui has Epiſtolas ſcripſit, penitùs perſuaſum fuiſſe, vel potiùs abreptum plenâ earum rerum fide quas ſcripſerat. Equidem certus ſum quòd ipſe non poſſum quin firmiter credam, méq; nè minimè quidem ea de re addubitationis capacem inveniam. Qui tamen per naturam æquè ſum melancholicus ac ſuſpicioſus atq; alius quivis mortalis, prout per nimis quàm præcocia hoc genus argumenta demonſtrare poſſem, ſi modeſtia mihi permitteret ineptias pueritiæ meæ ac errores, cum maturis ac deliberatis concluſionibus eorum, qui allaborârunt ut longè maxima Orbis ingenia exiſtimentur, conferre.

8. Quamobrem cùm ipſe tam plenè apud meipſum perſuaſus eſſem, nec in quenquam unquam hactenus eâ impudentiâ inciderim, quin fateretur Epiſtolas S. *Pauli* ſcripta eſſe alicujus qui ſeriò ſinceréq; illas res tractabat, provocationem certè meam ad illas hoc in loco de ſenſu mentéq; primævæ ac Apoſtolicæ fidei non potui judicare intempeſtivam. Eſt enim evidens ex his Epiſtolis ſcriptorem vixiſſe intra ſeculum oculatorum Teſtium earum rerum mirabilium quæ aut factæ ſunt à Chriſto aut illi contigerunt. Unde manifeſtò porrò apparet ſenſum Evangelii quem *Paulus* in his Epiſtolis declarat, primum fuiſſe maximéq; maturum ſenſum quem Apoſtoli de Chriſtianitatis Myſterio conceperunt. Quòd Chriſti ſcilicet Paſſio Expiatio erat pro peccatis, quódq; nos purificandi ſumus per fidem in ipſum, & quòd æterna noſtra ſalus ab illius cognitione dependet.

9. Appello jam quemlibet, etiam omnium qui vivunt, maximè Scepticum, ſi res tam immenſi momenti quàm hæc eſt, quæ ad communem humani generis ſalutem in altero ſtatu ſpectat, ab eis qui & veritatem & momentum illius rei noverint, & obligationem habuerint ad eam curandam pluſquam ordinariam, quorúmq; conſcientiæ ipſis comminaturæ eſſent æternæ vitæ jacturam, niſi omnibus legitimis probatíſq; modis uterentur ad firmiter radicandam, quàm efficaciſſimè poterant, ſinceram certámq; tam ſalutiferi Myſterii cognitionem, frigidè potuit & negligenter promoveri? Et an poſſibile ſit primos imaginari Chriſtianos tam ſtupidos fuiſſe ac vecordes, ut non viderent quàm neceſſarium eſſet circumſtantias *Nativitatis*, *Vitæ*, & *Necis* Servatoris, omniáq; miracula quæ fecit, maturè, dùm infidelium hominum ac repugnacium ora obturari poterant, provocatione ad oculatos Teſtes earum rerum quæ de eo commemorentur, literarum monumentis commendare?

10. Et

10. Et certè ſi imaginari poſſemus hujuſmodi ſupinam negligentiam vel averſationem in ipſis Apoſtolis, qui maximè idonei futuri erant harum rerum ſcriptores, aut ii ſaltem quos illi de ſingulis certiores fecerint, aliorum tamen (qui à ſcribendis hujuſmodi rebus mirabilibus quæ in *Judæa* contigerunt, quanquam non ſatis edocti de earum veritate, manus abſtinere non poterant,) præcipitantia ac temeritas eos compulſura eſſet ad conſcribendam adeò maturam de rebus Chriſti Hiſtoriam; & ad præfigenda monumentis ſua nomina, ad omnem errorem prævertendum. Ut importunitatem taceam recèns converſorum Chriſtianorum qui non poterant non eſſe oppidò quàm cupidi notitiæ earum rerum omnium quæ ad illam divinam Perſonam ſpectabant, cujus nomen nunc religiosè profitebantur, quémq; unigenitum Dei filium agnoſcebant. Quocirca aut ipſi Apoſtoli aut ſaltem alii aliqui ab ipſis plenè inſtructi, non poterant quin narrationem facerent literiſq; mandarent factam de *Nativitate*, *Vita* ac *Morte* Chriſti, multiſq; illis memorabilibus inibi contentis, ad ſolatium confirmationémq; Proſelytorum ſuorum, & ut vera eſſe poſſet harum rerum Deſcriptio ad omnem uſq; Poſteritatem tranſmittenda. Quibus demum addere potes, ſi poſſibile eſſet ut hæc omnia deficerent, (quod ego incredibile exiſtimo) Providentiam tamen non defuturam nec ſupernaturalem Inſpirationem quæ eos ad tempeſtivè ordiendum finiendúmq; tanti momenti opus impelleret.

11. Equidem, meo judicio, inexpugnabilis hæc Demonſtratio eſt, Hiſtoriam Chriſti tam maturè ſcriptam fuiſſe aut ab ipſis Apoſtolis, aut ab eis quibus cum Apoſtolis ſumma erat neceſſitudo & familiaritas, quàm nos ſcriptam contendimus. Infinitóq; probabilius eſſe hoc non fuiſſe factum, quàm ut quis magnâ fortunâ multiſq; liberis homo, rerúmq; mundanarum ſciens, etiam tunc cùm facultatem habet ſcribendi Teſtamentum, illud tamen ſcribere negligeret, quod profectò nemo quiſquam crederet niſi poſt obitum ejus teſtamentum inveniri non poſſet, nec tunc fortaſſis, ſed ſuſpicaretur potiùs aliquem flammis illud commiſiſſe. Verùm ſi reperiatur taléq; appareat quale condeceret hominem id ſapientiæ rerúmq; peritiæ feciſſe, nemo de ipſo dubitare poterit, cuja res ibi nullo modo agitur. Et certè ſi dubitet, pro ſtulto ſtatim habebitur aut homine fraudulento, qui aliquid emolumenti ſibi quærit in dubium vocando Teſtamentum.

12. Et valdè ſanè conſimilis eſt ratio in his monumentis Chriſtianitatis de quibus agimus. Etenim ſecundùm manifeſtam rationis deductionem videmus impoſſibile eſſe quin tam maturè eſſent ſcripta. Et externum certè Eventum internis mentis noſtræ demonſtrationibus accuratè reſpondet. Sunt enim duæ Hiſtoriæ *vitæ mortiſq;* Chriſti à duobus è ſuis Apoſtolis ſcriptæ, *Matthæo* ſcilicet & *Johanne*, tertia à *Marco* qui cum *Petro* Apoſtolo multùm verſatus erat, & quarta à *Luca* cui multus uſus & conſuetudo erat cum S. *Paulo*, cujus acta unà cum Actis reliquorum Apoſtolorum ille commemoravit, finítq; narrationem ante *Pauli* diſceſſum à *Roma* in *Hiſpaniam*. Unde concludi poteſt *Lucam* Evangelium ſuum ſcripſiſſe dum *Paulus* erat in vivis. Cujus factorum ipſe teſtis oculatus erat, quemadmodum *Matthæus*, & *Johannes* omnium eorum quæ ipſi ſcripſerunt, aut ſaltem plerorumque, reliqua accipientes ab aliis Apoſtolis qui, ipſis abſentibus, rebus geſtis interfuerant; aut ab ore ipſius Servatoris. Hæc concluſio ità manifeſta eſt ut æquè ridiculum ſit eam negare, atq; ſi quis ſupradictum negaret Teſtamentum. Quod nemo facere poteſt quin omnium clamoribus pro ſtulto explodatur. Etenim quando externa Eventa talia videmus, quæ perſpicua & irrefragabilis Ratio non potuerit non concludere neceſſariò eventura, oportet aut *Stultitiam* eſſe aut *Fraudem* quæ quempiam faciat negare ea eveniſſe, poſtquam tam manifeſtò externis ipſius ſenſibus ſint exhibita.

CAP. XI.

1. *Nova methodus probandi vitam Chriſti ſcriptam eſſe temporibus Apoſtolorum.* 2. Lucam, & Pauli *comitem fuiſſe in pleriſq; ſuis Itinerationibus, Actorúmq; ſcriptorem & Evangelii ſecundùm* Lucam. 3. *Argumentatio ex* Lucæ Johanníſq; *Evangeliſtæ profeſſione quòd* Jeſu Nazareno *coætanei eſſent ad probandum duo illa Evangelia tam maturè eſſe ſcripta.* 4. *Eadem ferè argumentandi ratio ex nominibus* Matthæi & Marci *præfixis reliquis Evangeliis.* 5. *Objectio proponitur & diluitur.* 6. *Authoris gratificatio, quòd eandem rem quam methodo magis* exoticâ *tam firmiter probaverat, rationibus videat* inſitis *luculentè denuò demonſtrari.*

1. ATq; hactenus quidem ea ferè argumenta adhibuimus ad probandam vitam Chriſti tam maturè, quàm contendimus, ſcriptam fuiſſe, quæ extrinſecùs ſunt accerſita. Eſt autem & altera eódem ſpectans minimè contemnenda argumentandi ratio, quæ ex lectis confuſaneis quibuſdam *Adami Borelii*, viri pii ac eruditi, chartulis primùm mihi innotuit, quæq; ex locis ipſorum ſcriptorum Evangelicorum, vero ſcopo Evangeliſtarum priùs ſuppoſito vel intellecto, eſt eruenda. Priori Methodo, proprio obſequens genio, uſus ſum; hanc aliunde mihi occurrentem, quàm breviſſimè luculentiſſiméq; potero, jam proponam atq; abſolvam. Huc autem res tendit ut argumentis quaſi *inſitis*, i. e. Dictis aliquibus quæ in quatuor *Evangeliis* (adde etiam ſi lubet & *Acta Apoſtolorum*) occurrunt, demonſtremus omnes illos libros ætate Chriſti aut ſaltem ante Excidium Hieroſolymitanum fuiſſe ſcriptos.

2. Incipiemus ab Evangelio quod *Lucæ* nomen præ ſe gerit. Cujus ſcriptor planè ſignificat ſe vixiſſe ætate *Pauli* ac Apoſtolorum. Nam Actorum cap. 16. v. 9, 10. ſic narrat. Et hujuſmodi viſum noctu *Paulo* occurrit. *Vir quidam aderat* Macedo, *qui eum his verbis hortabatur. Proficiſcere in Macedoniam* ad ſuccurrendum nobis. *Id viſum ſimul ac ille vidit, in* Macedoniam *contendere cupivimus, affirmantes à Domino nos advocari ad illos in Evangelio inſtituendos. Ergo ſolvimus à Troade*, & ſic porró. Et cap. 27. & 28. tricies quadragiéſve innuit ſe *Paulo* fuiſſe itineris comitem à *Cæſarea* uſq; ad *Romam*, idem utiq; ille qui Actorum Apoſtolorum eſt ſcriptor. *Et conſcensâ navc*, inquit, *Adramyttenâ ſecundùm Aſiæ loca navigaturi ſolvimus*, v. 2. Et ſequenti verſu, *poſtridie ad* Sidonem *appulſi ſumus, &c.* Et ſic tricies quadragiéſve in rebus quæ in communi omnibus vectoribus obtigerunt, ſe etiam cum reliquis connumerat. Unde manifeſtum eſt hunc *Actorum* ſcriptorem naufragio, quod *Paulus* cum reliquis paſſus eſt, his capitibus commemorato interfuiſſe. Actorum autem ſcriptor idem eſt qui ſcriptor Evangelii ſecundùm *Lucam*, quemadmodum patet ex ipſo Actorum exordio [*Primum quidem librum feci de omnibus*, Theophile, *quæ* Jeſus *& facere & docere inſtetit*, &c.] cum præfatione Evangelii comparato, viz. *Quandoquidem aggreſſi ſunt multi narrationem contexere compertarum apud nos rerum, quemadmodum nobis tradiderunt qui ab initio & ſpectatores & adminiſtratores rei fuerunt, viſum eſt etiam mihi qui omnia à capite diligenter conſectatus ſim, tibi ordine ſcribere, optime* Theophile, *ut quas auditione accepiſti res, eas certò cognoſcas.* Nihil proferre potuit hujus Evangelii Actorúmq; ſcriptor, quò diſertiùs teſtaretur ſe Apoſtolorum temporibus vixiſſe, atq; ſic opportunitatem habuiſſe certam nanciſcendi notitiam earum rerum quas ſcripſit.

3. Quemadmodum verò *Actorum* ſcriptor & *Evangelii* ſecundùm *Lucam*, Jeſu *Nazareni* ætate ſe vixiſſe perhibet, ità ſcriptor *Evangelii* ſecundùm *Johannem*, cap. 19. v. 34, 35. *Sed unus militum lanceâ latus ejus pupugit & continuò exiit ſanguis & aqua. Atq; hoc idem qui vidit, teſtatur, éſtq; verum ejus teſtimonium, iſq; vera ſe dicere ſcit, ut vos quoq; credatis.* Quid poteſt eſſe expreſſius?

Jam verò cùm hi duo *Evangeliſtæ* tam apertè aſſerunt ſe Chriſti temporibus vixiſſe, cúmq; ipſum Inſtitutum conſcribendi illos libros totum ſpiret pietatem ſinceram, ſummámq; probitatem, non videtur ſanè veriſimile ejuſmodi homines qui tam ſeriò Pietati operam navarent, ſi iſtis temporibus non vixiſſent, adeò turpiter voluiſſe mentiri, addo, aut tam ſtultos eſſe ut ſcriptorum ſuorum autoritatem enervare vellent tam ſplendido mendacio, cùm iſta fraus latere non poſſet, nempe ſi ſeculo uno aut altero pòſt iſti libri primùm exiiſſent, & tamen præ ſe tuliſſent ab hominibus *Jeſu Nazareno* coætaneis fuiſſe conſcriptos. Quis enim non ſtatim collecturus eſſet malo dolo rem agi, cùm impoſſibile prorſus videretur ſi tam maturè ſcripti fuiſſent,

ut

ut in lucem antea non prodirent, multorúmve Christianorum manibus non extarent cùm parva volumina sint, quanquam maximi profectò momenti, iterúmq; ac millies parvo cum negotio transcribi possent?

4. Estq; ferme par Ratio de Evangeliis secundùm *Matthæum* & secundùm *Marcum*, quatenus scilicet ipsorum nomina eis præfixa sunt. Etenim cùm *Matthæus* absolutè & simpliciter nominetur absq; omni ab aliis ejusdem nominis adjecto discrimine, palàm est eum *Matthæum* qui inter discipulos *Jesu Nazareni* recensebatur, intelligi oportere. Idémq; dicendum de *Marco*, quòd utiq; intelligi oportet de noto *Barnabæ* consobrino, (quorum mentio subinde occurrit in *Actis Apostolorum*) cùm nulla adjecta sit discriminatio quâ alius aliquis indicari significetur. Ea, inquam, Evangelia, alterum *Matthæi*, alterum *Marci* nomine insignita, in publicum illis cum Titulis dari non potuerunt, quin suspectæ fidei statim habenda essent ob supradictam rationem. Nemo enim est qui non statim quæreret, si *Marcus Matthæúsq;* illa scripserint Evangelia, cur Christianorum manibus antea non versarentur, cùm tam facili negotio transcribi potuissent, & cum multis communicari. Nunquam ergo pro *Matthæi Marciq;* Evangeliis accepta fuissent nisi intra tempus Apostolorum essent scripta. Et si serò post ea tempora ab Ecclesia aliqua viróve pio & earum rerum diligenti ac curioso scripta essent, nempe nè aliquando Narrationes traditæ corrumperentur succedentibus seculis aut prorsus exolescerent, proculdubio magis è re Ecclesiæ factum fuisset, si apertè fassi essent, librum recèns concinnatum esse ab ejusmodi viro qui summam fidem ac diligentiam in colligendis undiq; Ecclesiæ traditionibus adhibuisset, quas & ejusmodi esse vulgò esset notum, quàm ut ementito nomine etiam notissimarum Traditionum fidem in discrimen vocarent, & suspicionem moverent populo Ecclesiam secum bonâ fide non agere, sed fraudes ac imposturas meditari. Nulla igitur ratio excogitari potest cur *Marci Matthæiq;* nomina istis Evangeliis præfixa sint, nisi quòd ab eis ipsis Authoribus sint scripta.

5. Quod autem quidam hîc objici posse putant de quinq; illis libris universis, quatuor scilicet *Evangeliis Actisq; Apostolorum* (quæ omnia tam apertè præ se ferunt tempore *Jesu Nazareni* Apostolorúmve fuisse conscripta) fraudem nimirum latere potuisse populo per subdolos suos Doctores persuaso, dictos libros, quanquam eâ ætate scripti erant, latitare tamen per aliquot centenos annos potuisse & nunc demum in lucem prodire; Quemadmodum & *Dianæ Ephesiæ* Sacerdotes populo persuaserunt simulachrum quoddam per Artificem ex materia vitiginea reverà factum, de cœlo à *Jove* delapsum esse, adeò ut universa *Asia* aliæq; Regiones id pro certissimo deinceps habuerint, quamvis initio apud prudentes facilè potuerit fraudis esse suspectum; hoc profectò minimè opportunum mihi videtur suffugium, sed valdè coacta & aliena comparatio.

Quod enim simulachrum illud attinet, propter antiquitatem illius, ut erat admodum vetustum, quodlibet ferè de illius ortu, quod manifestâ ratione confutari non posset, vafris illis *Dianæ* Sacerdotibus dabatur fingendi copia, modò nullâ insitâ absurditate oneraretur narratio, sed ejusmodi esset de qua testibus potiùs agi oporteret quàm rationis robore. Nam simulachrum sive aureum sive vitigineum ante aliquammultos centenos annos è cœlo lapsum fuisse, quid incommodi secum trahit repugnantiæve, quo eam falsam argui possit esse Fabulam? Majora istoc profectò effici possunt Dæmonum ministerio, sive bonorum sive malorum. At librum de *vita miraculisq; Christi*, summâ fide ab oculato teste aut ab eo qui ab oculatis testibus res acceperit conscriptum, (cùm res tanti sit momenti ut æterna nostra indè pendeat salus) per aliquot centenos annos, immò multo minore tempore, latitâsse, nec cum Christiano populo communicatum fuisse, tam incredibile est ut fungum esse oporteat, qui fidem istiusmodi fraudi sit habiturus. Unde manifestum est quòd quinq; illi libri Evangelici suprà memorati, qui planè se temporibus Christi & Apostolorum indicant esse scriptos, si non nisi multis annis pòst innotuissent, nunquam pro talibus ab Ecclesia fuissent accepti. Jam verò accepti sunt, unde clarè patet eos etiam intra eam ætatem innotuisse, ac proinde tam maturè scriptos esse.

6. Atq; hæc pars quidem præsentis methodi est, quâ *libros Evangelicos* etiam ætate *Jesu Nazareni*, ejúsq; Apostolorum scriptos demonstrari volumus. Et certè mihi res pergrata est quòd domesticâ hâc methodo rursus demonstratum videam quod magis exoticâ suprà mihi videor tam firmiter demonstrâsse.

CAP.

CAP. XII.

1. *Præcipuus Hiſtoriæ Evangelicæ ſcopus.* 2. *Quòd quædam ſcopo hujus Hiſtoriæ adverſa ſcripta ſint, argumento eſſe eam & ſincerè & maturè ſcriptam fuiſſe.* 3. *Hiſtoria Evangelica ſi humanum eſſet figmentum, diſcipulorum Chriſti character longè futurus fuiſſet nobilior.* 4. *Quæ dedecoris notæ apud* Matthæum *ipſis inuſtæ ſint.* 5. *Quæ apud* Marcum. 6. *Quæ apud* Lucam & Johannem. 7. *Ex his breviter deducta concluſio.* 8. *Quæ occurrant apud* Evangeliſtas *& in* Actis Apoſtolorum *primo aſpectu abſurda.* 9. *Horum locorum vis ad evincendam* Hiſtoriam Evangelicam *tum ſumma cum fide tum maturè fuiſſe ſcriptam.* 10. *Loca apud* Matthæum *quæ ipſius* Jeſu *gloriam obſcurare videantur contra præcipuum* Hiſtoriæ Evangelicæ *ſcopum.* 11. *Quæ apud* Marcum. 12. *Quæ apud* Lucam & Johannem. 13. *Citatorum locorum ad fidem Hiſtoriæ Evangelicæ faciendam Applicatio.*

1. CÆterùm, nondum tota, quod dixi, exhauſta eſt vis hujus Methodi. Supereſt pars altera, quæ niſi brevitati ſtuderemus longè uberiùs ſe diffunderet. Nos autem argumentationem intra hos cancellos continebimus, ut ea primo loco proferamus quæ vix ultrà pertingere videntur quàm ut Hiſtoriam Chriſti in *Evangeliis* nullo humano ingenio confictam demonſtrent, ſed ità ut res geſtæ erant, conſcriptam: Dein verò ea quæ eam ætate Chriſti vel ante excidium *Hieroſolymitanum* conſcriptum eſſe magìs inſigniter evincant.

2. Verùm ut horum locorum proferendorum vis rectiùs intelligi poſſit, oportet primùm præmonere, quis ſit præcipuus & principalis ſcopus Hiſtoriæ Evangelicæ. Eum autem eſſe ut *Chriſti Nazareni*, tanquam Prophetæ ſummi adeóq; expectati *Meſſiæ* veríq; Dei filii, Divinâ voce ità cœlitùs declarati, exiſtimatio ac gloria quàm diligentiſſimè ampliſſiméq; illuſtretur, evidentiſſimum eſt. Si igitur ea paſſim occurrunt quæ huic fini apertè videntur adverſari, manifeſtum eſt indicium Evangelicæ Hiſtoriæ ſcriptores non pro libitu ſuo res confinxiſſe, iſtiuſmodi enim proculdubio tunc omiſſuri fuiſſent, ſed ità prorſus utì certò cognoviſſent eas geſtas eſſe, fideliter narrâſſe. Certò autem eas cognoſcere non potuerunt, niſi non auditione tantùm ſed oculatâ experientiâ edocti eſſent, aut ab oculatis teſtibus eas accepiſſent. Unde & hæc prima loca agnoſcere licet aliquantum facere ad tam maturam Hiſtoriæ Chriſti conſcriptionem evincendam.

3. Dico igitur primùm, ſi hiſtoria *Evangelica* humano Artificio conficta eſſet, non autem utì res ſe habebant, fideliter deſcripta, Diſcipuli ſanè Chriſti, ut eſt humani ingenii amœnitas & elatio, meliori lætioríq; charactere deſcripti fuiſſent; cùm virum tam ſanctum, tam ſapientem, tantum Prophetam, immò ipſum Dei filium, ex ſententia humana, magis dociles ſaltem ſi non docti condecerent diſcipuli, meliúſq; morati ac fideles, addo & honeſtiùs nati & meliori vivendi ratione occupati.

4. Nunc verò, ut Piſcatores omittam, *Matthæus* ſe publicanum fuiſſe ipſe prodit cap. 9. v. 9. & alibi. Quin & diſcipulos à Chriſto ὀλιγοπίστους appellari multis in locis memorat; c. 6. v. 30. & cap. 8. 26. ut & *Petrum*, cap. 14. v. 31. Johannem etiam Baptiſtam interrogantem introducit num *Jeſus* eſſet *Meſſias*, cap. 11. 3. *Petrúmq;* timidum narrat mari inambulantem, c. 14. 30. *Jeſum* diſcipulos increpantem tanquam ἀσυνέτους, quòd tam tardo eſſent ingenio, c. 15. 16. item, cap. 16. quòd rudes tardíq; eſſent denuò ipſis exprobrantem. *Chriſtum* porrò narrat *Petro* dixiſſe, *Abi ponè me, Satana*, v. 23. Diſcipulos non potuiſſe ejicere dæmonium, c. 17. 16. nec habuiſſe fidem ut granum ſinapis, *ibid.* Eos prohibuiſſe Infantes nè venirent ad Chriſtum, eóq; nomine ab eo fuiſſe reprehenſos, c. 19. v. 13. Neſcire quid petant, cap. 20. v. 22. Omnes diſcipulos relicto Jeſu fugiſſe, quamvìs promiſiſſent ſe eum nunquam relicturos, etiamſi ipſis moriendum eſſet, c. 26. v. 35. *Petrum* verò poſtea non ſolùm Chriſtum abnegâſſe, verùm etiam cum juramento diríſq; affirmâſſe ſe non noviſſe hominem, v. 74. Quoſdámq; è diſcipulis de Jeſu reſuſcitato dubitâſſe, cap. 24. 17. Hæc *Matthæus* aliáq; id genus plura.

5. *Marcus* autem memorat diſcipulorum cor fuiſſe obduratum, πεπωρωμένην, cap. 6. v. 52. Et rurſus *Jeſum* diſcipulis ſuis exprobrâſſe quòd non intelligerent nec conſiderarent & adhuc haberent obduratum ſuum cor, cap. 8. v. 17. Quòd habentes oculos non viderent, & aures habentes non audirent neq; meminiſſent, v. 18. Diſputâſſe inter ſe quidnam ſit ex mortuis reſurgere, c. 9. 10. Contendiſſéq; in via quiſ-

nam

nam eorum reliquis major eſſet, v. 34. Non credidiſſe iſtis qui *Jeſum* reſuſcitatum viderant, ídq; à *Jeſu* ipſis fuiſſe exprobratum, cap. 16. v. 11, 13, 14.

6. *Lucas* verò narrat *Mariam* (quanquam olim ab Angelo ſalutatam eáq; de re monitam) miratam fuiſſe ſuper verbis *Simeonis*, cap. 2. v. 33. Et nec *Joſephum* nec *Mariam* intellexiſſe cùm *Jeſus* duodecennis eis dixiſſet *ſibi agenda eſſe Patris ſui negotia*, v. 50. *Petrum* autem in monte exiſtentem neſciviſſe quid dicebat, c. 9. v. 33. Et poſtea diſcipulos ignorâſſe cujus eſſent ſpiritus, v. 55.

Johannes etiam ſcribit *Johannem Baptiſtam* dixiſſe ſe non eſſe *Eliam*, c. 1. v. 21. cùm tamen *Chriſtus* eum eſſe noverit, *Matth.* 17. v. 12.

Et *Lucas* rurſus in *Actis Apoſtolorum*, *Barnabam* narrat & *Paulum* exorto inter ipſos παροξυσμῷ ab invicem ſeceſſiſſe, c. 15. v. 39. Item *Paulum* aliósq; cum ipſo impeditos fuiſſe à Spiritu ſancto loqui in *Aſia*, c. 16. v. 6. Quoſdam verò diſcipulos nè audiviſſe quidem Spiritum ſanctum eſſe, c. 19. v. 2. Et *Paulum* deniq; poſtquam increpitus eſſet, quòd convitiatus fuiſſet Pontifici maximo, dixiſſe, *Neſciebam, fratres, quòd is eſſet ſummus Sacerdos*, c. 23. 4, 5.

7. Quis voluntarius Hiſtoriæ Evangelicæ ex proprio cerebro fictor & concinnator, iſtiuſmodi res de ſummi Prophetæ veríq; *Meſſiæ* diſcipulis principalibus commemorare voluiſſet, ac non omittere potiùs, atq; ſi quid hujuſmodi fando accepiſſet ſilentio ſupprimere? Unde videmus quantâ fide ac ſimplicitate Hiſtoria Evangelica ſit conſcripta.

8. Quam fidem ac ſimplicitatem majorem in modum mihi illuſtrare videntur quædam in illa Hiſtoria occurrentia, quæ primo quidem aſpectu aliquam abſurdi falſive ſpeciem præ ſe ferunt; à quo maximoperè ſibi caveret quivis hujuſmodi rerum ſcriptor fabuloſus & ſimulatitius, ſed ſemper intra τὸ πιθανὸν diligenter & cuſtoditè ſe contineret. Hujuſmodi non pauca huc congeri poſſent, modò paululùm liceret digredi. Sed nonnulla utcunq; in medium proferre non gravabimur.

Qualia ſunt iſta apud *Matthæum*; Dixiſſe *Jeſum Jairi* filiam non eſſe mortuam ſed dormire, c. 9. v. 24. Granum ſinapis minimum omnium ſeminum eſſe, c. 13. v. 32. *Judæis* ſignum non datum iri niſi ſignum *Jonæ*, c. 12. 39. Diſcipulis modò habeant fidem ut granum Sinapis nihil fore impoſſibile, c. 17. 20. Si vel duo *Jeſu* diſcipuli in petendo conſenſerint, omnia ipſis datum iri, c. 18. v. 19. Nullum bonum eſſe niſi unum Deum, c. 19. v. 17. Facilius eſſe ut Camelus tranſeat per foramen acûs quàm ut dives ingrediatur in regnum cœlorum, v. 24. Qui *Jeſu* causâ omnia réliquerit centupla recepturum eſſe (in hac vita, Luc. 18. 30.) ibid. v. 29. Diſcipulos quæcunq; oratione petant credentes, ea eſſe accepturos, c. 21. 22. *Jeſum* fructum vitis quem bibebat cum diſcipulis, novum cum ipſis bibiturum eſſe in Regno Patris, c. 26. v. 29. Omnes qui gladium ſumunt gladio perituros eſſe, v. 51. *Judæos* illius ætatis ἀπ' ἄρτι viſuros eſſe *Jeſum* ſedentem ad dextram Poteſtatis, & venientem in nubibus cœli, v. 64. *Jeremias* citatus pro *Zacharia*, c. 27. v. 9. Ambos latrones Chriſto convitiatos eſſe, v. 44.

Apud *Marcum*; *Jeſum* curato ſurdo mandâſſe præſentibus nè cui id dicerent, c. 7. v. 36. Juvenem quendam anonymum nudum aufugiſſe, qui Jeſum in Paſſione ſecutus eſt, c. 14. v. 52. Qui Dei fidem habet, montem verbo poſſe transferre in mare, c. 11. v. 22. *Et qui non diſceptârit in corde ſuo ſed crediderit quæ dixerit fore, ipſi futurum eſſe quicquid dixerit*, ibid. v. 23. Horâ ſextâ in Paſſione Chriſti extitiſſe per univerſam terram tenebras uſq; ad horam nonam, c. 15. v. 33.

Apud *Lucam*; *Deum daturum eſſe* Jeſu *Thronum Patris ſui* Davidis, *eúmq; regnaturum eſſe ſuper domum Jacob in æternum*, c. 1. v. 32, 33. Omnem mundanam felicitatem, pacem ac ſecuritatem, Abramidis de nato Johanne promittit Pater *Zacharias*, v. 68, 69. &c. Πᾶσαν οἰκουμένην tunc temporis deſcriptam fuiſſe, c. 2. v. 1. Gaudium nunciatum omni populo *Judaico* ob *Jeſu* nativitatem, v. 10. Eum eſſe populi *Iſraëlitici* gloriam, v. 32. Tunc temporis Redemptionem eluxiſſe *Hieroſolymis*, v. 38. Tempore *Jeſu* & deinceps *omnem vallem impleri, omnem montem & collem humiliari, diſtorta recta fieri & loca aſpera in lævorem reduci, omnémq; carnem videre ſalutare Dei*, c. 3. v. 5, 6. Diabolum Jeſu oſtendiſſe in excelſo monte omnia Regna τῆς οἰκουμένης (& eorum gloriam, Matth. 4. 8.) ídq; in puncto temporis, cap. 4. v. 5. Jeſum præcepiſſe parentibus puellæ reſuſcitatæ nè cui Reſuſcitationem ejus renunciarent, c. 8. 56. Staturam ſuam augere uno cubito, ἐλάχιστον, pro re minima habitum, c. 12. v. 25.

Item in *Actis Apoſtolorum*; Diſcipuli *Paulo* dicunt per Spiritum nè aſcendat *Hieroſolymam*, c. 21. v. 4. & mox *Agabus* Propheta *Paulo* apertè per Spiritum pronunciat ei *Hieroſolymam* eundum eſſe, *Judæósq;* illîc ipſum eſſe vincturos & in manus Gentium

Gentium traditurus, v. 11. Homines qui cum *Paulo* erant in itinere ad *Damaſcum* non audiviſſe vocem, lucem autem vidiſſe, c. 22. v. 9. Et tamen c. 9. v. 7. vocem quidem eos audiviſſe, vidiſſe verò neminem.

9. Hæc pauca notâſſe ſufficiat ad oſtendendum quàm ſine omni fuco fallendíve ſtudio Hiſtoria Evangelica ab his Autoribus ſcripta ſit, neminémque, niſi qui certò ſcit ea quæ ſcribit vera eſſe, ità nempe dicta factáve utì narrat, cupítq; ſe veracem haberi, iſtiuſmodi res Hiſtoriæ admiſcere vellè, quibus fidem ſuam ſuſpectam reddat; multóq; minùs eos, qui fictam meditantur Hiſtoriam, quam tamen tanquam veram credi volunt, unquam audere committere ut cùm integrum ſit eis quidlibet fingere, ea affingant, quæ primâ fronte conſpicuam falſitatem abſurditatémve præ ſe ferre videantur, quo de tota Hiſtoria ſuſpicionem moveant. Nihil igitur in cauſa eſſe poteſt cur hujuſmodi, ſpecie quidem falſa abſurdáve, reipsâ tamen vera ac ſolida in ſcriptis his Evangelicis occurrant, niſi quòd ſcriptores aut ipſi certò cognoſcerent vera eſſe, aut vivos adhuc teſtes appellare poſſent de ipſorum veritate quando ea ſcripſerunt. Quod de reliquis omnibus intelligendum dico præterquam de *Jeremia* pro *Zacharia* perperàm citato. Quod quidem, ſiquis cum *Auguſtino* σφάλμα μνημονικὸν ſtatuat, nihil incommodi video. Qui fallere ſtudent, cautè & circumſpectè ſe gerere oportet in rebus minutioribus ubi falſitas facilè detegi poteſt. Qui verò ſibi conſcius eſt nulli rei ſe ſtudere niſi veritati, certóq; ſcit res ipſas quas narraturus eſt veras eſſe, haud ità mirum eſt, ſi omiſſiori ſit animo in levioribus rerum circumſtantiis, adeò ut lapſus firmitudinem hîc pariat rerum narratarum fidei, certúmq; ſit pignus ſcriptorem fraudibus & impoſturis minimè operam dare, ſed de ſumma rei propriam conſcientiam vivóſq; adhuc Teſtes appellare audere. Tam intimè præſentem ſcopum attingit hæc, ut fortè videbitur, paulò divaricatior Digreſſio.

10. Redeamus verò jam in viam, propoſitámq; Methodum paulò ſtrictiùs proſequamur, cáq; loca notemus quæ, cùm tam clarè conſtet illuſtrationem gloriæ Chriſti, tanquam Prophetæ ſummi veríq; Dei filii carne manifeſtati, præcipuum Hiſtoriæ Evangelicæ finem eſſe, gloriam tamen illius & exiſtimationem planè diminuere videntur: Cujuſmodi ſunt hæc.

Apud *Matthæum*. Omittemus hîc mentionem de *Thamar*, de *Rahab*, de *Ruth*, de uxore *Uriæ*, c. 1. v. 3, 5, 6. & ad ea quæ ad ipſam perſonam Chriſti ſpectant nos propiemus. Dicuntur igitur Diaboli in porcos intrâſſe Jeſu mandante & in aquis periiſſe, c. 8. v. 32. *Jeſus* dicitur miratus eſſe, v. 10. Scribas quoſdam ſecum cogitâſſe, quòd blaſphemaret, c. 9. v. 3. Publicanum ſibi in diſcipulum dicitur elegiſſe, v. 9. Phariſæorum ſententiam fuiſſe quòd per Principem Dæmoniorum ejiceret Dæmonia, v. 34. & c. 12. 24. *Johannem Baptiſtam dubitâſſe* an *Jeſus* eſſet *Meſſias*, c. 11. v. 3. Veniſſe eum edentem & bibentem, dictúmq; fuiſſe hominem voracem, vinoſum, publicanorum & improborum amicum, v. 19. Civitates pœnitentiam non egiſſe ad *Jeſu* prædicationem & miracula, v. 20. Vocatur filius fabri, c. 13. v. 55. *Jeſum* Gentiles vocâſſe κυνδεια, c. 15. 26. Abiiſſe, cùm ab eo ſignum de cœlo peterent *Phariſæi* & *Sadducæi*, c. 16. 4. Reprehendiſſe eum qui bonum ipſum vocabat doctorem, c. 19. v. 17. Fatetur ſuum non eſſe dare ut quis ſedeat ad dextram vel ſiniſtram ejus, c. 20. v. 23. *Jeſum* ſumptis ſecum *Petro* & *Zebedæi* filiis cepiſſe contriſtari & ἀδημονεῖν, c. 26. 37. Iſtíſq; Diſcipulis dixiſſe, *Anima mea undiquaq; triſtis eſt uſq; ad mortem. Manete hîc & vigilate mecum*, v. 38. Dixiſſe porrò, *Si poſſibile ſit, tranſeat à me calix hic; veruntamen non ſicuti ego volo ſed ſicut tu*, v. 39. Magnâ deniq; voce in cruce exclamâſſe, *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquiſti?* c. 27. v. 46.

Apud *Marcum*. *Jeſum* ἐυθέως permiſiſſe Dæmoniis ut porcos invaderent qui ad duo erant millia, c. 5. v. 13. *Jeſum* interrogâſſe quis eum tetigerit, & circumſpexiſſe ut videret qui eum tetigit, v. 30, 31. Dicitur Faber, c. 6. 3. Nullúmq; miraculum *Nazarethæ*, propter ipſorum incredulitatem, niſi quòd paucos infirmos ſanaverit, facere potuiſſe, v. 5. Jeſum *miſiſſe digitos ſuos in aures ſurdi difficulter loquentis, & ſpuentem tetigiſſe linguam ejus, ſuſpicientémq; in cœlum ingemuiſſe, & poſtea dixiſſe*, Aperitor, c. 7. v. 33, 34. Suſpirâſſe rurſus cùm *Phariſæi* ſignum è cœlo peterent, iterúmq; transfretâſſe, c. 8. 12, 13. Curaturum cæcum, manu eum prehenſum eduxiſſe vico, in ejus oculos conſpuiſſe, eíq; manus impoſuiſſe, & eum interrogâſſe ecquid videret, cúmq; reſpondiſſet ſe homines ut arbores videre ambulantes, rurſus ejus oculis manus impoſuiſſe, tandémq; effeciſſe ut clarè diſtinctéq; videret, v. 24, 25. Item diſcipulos increpuiſſe nè cui dicerent ſe eſſe Chriſtum, v. 30. Interrogâſſe patrem pueri obſeſſi quantum ſit temporis ex quo hoc ei fuit, c. 9. v. 21. Ficui maledixiſſe ità ut areſceret quòd nihil præter folia in ea inveniſſet, cùm tamen necdum eſſet tempus ficuum, c. 11. v. 13, 14. Diem noviſſimum ipſummet Jeſum ignorâſſe, c. 13. v. 32.

12. Apud

12. Apud *Lucam.* Multas mulieres *Jeſum* fuiſſe ſecutas, eíq; de bonis ſuis miniſtrâſſe, c. 8. v. 3. *Moſem* & *Eliam* dixiſſe *Jeſu* exitum quem habiturus eſſet *Hieroſolymis*, c. 9. v. 30, 31. In Parabola Lazari *Moſes* & *Prophetæ* nominantur Chriſto omiſſo, quaſi ipſe major non eſſet *Moſe* & Prophetis, c. 16. v. 29. Angelus *Jeſum* confortat, c. 22. v. 43. *Cleopham* alióſq; ſperâſſe *Jeſum* eum fuiſſe qui Iſraëlitas liberaturus eſſet, c. 24. v. 21.

Apud *Johannem. Jeſum* matri ſuæ dixiſſe τί ἐμοὶ καὶ σοὶ γύναι; c. 2. v. 4. Noluiſſe Jeſum in *Judæa* verſari quia *Judæi* eum ſtudebant trucidare, c. 7. v. 1. Eum interrogâſſe de *Lazaro* ſepulto, ubinam poſuiſtis eum? c. 11. v. 34. Inſidiis ipſi ſtructis à *Judæis* noluiſſe ampliùs in propatulo verſari, ſed in locum deſertum ſeceſſiſſe, v. 53, 54. *Jeſum* dixiſſe, Nunc turbata eſt anima mea, & quidnam dicam! Pater ſerva me ex hac hora, c. 12. v. 27. Poſt datam à Chriſto *Judæ* offam Satanam eum ingreſſum eſſe, Chriſtúmq; dixiſſe, *Quod facis citò fac*, c. 13. v. 27.

13. Hæc ferè loca ſunt quæ in chartulis illis *Borelianis* producuntur tanquam ad imminutionem tendentia gloriæ & exiſtimationis *Jeſu Nazareni*, quem tamen ſummè honorare & hominibus commendare Scriptores hi *Evangelici* pro præcipuo ſuo ſcopo habuerunt. Et certè hoc ſaltem planiſſimè arguunt Hiſtoriam Evangelicam ſumma cum fide & ſimplicitate ſcriptam eſſe, ità ut res geſtæ ſunt, non autem pro libitu ex cujuſvis cerebro eſſe confictam. Quàm enim aliena hæc ſint ab omni humano artificio & dolo palàm eſt, nihílq; præter veritatem ipſam ſibi certò cognitam ab his Scriptoribus extorquere potuiſſe ut hæc quæ principali ſuo ſcopo tam apertè adverſari videantur, uſpiam admiſcerent. Certò cognitam verò veritatem habere non potuerunt per traditionem, præſertim poſt trecentos circiter annos, quo tempore, ſi unquam, tutum & opportunum erat hujuſmodi Hiſtorias, Traditionum prætextu, concinnare. Nam detriviſſet proculdubio ætas omnia quæ principali ſcopo minùs conſentanea viderentur: ut præteream prorſus incredibile eſſe tam varios Chriſti ſermones eóſq; aliquando bene longos orali traditione tranſmitti poſſe, rerúmve tam variarum, tam minutarum, támq; primâ quidem ſpecie inter ſe diſſonarum, niſi ſtatim atq; geſtæ ſunt, libris mandentur, memoriam poſſe conſervari. Ex quibus meritò rurſus proclive eſt concludere omninò fieri non poſſe quin Hiſtoria Evangelica, qualem extare videmus, ſtatim à rebus geſtis fuerit conſcripta. Quod & ultimâ hâc ratione firmiùs adhuc evincemus.

CAP. XIII.

1. *Argumentum ultimum, Multas utiq; occurrere in* Evangeliis Actíſq; Apoſtolorum *Prædictiones, quæ niſi dictorum librorum Scriptores ætate Chriſti vixiſſent, nunquam fuiſſent ſcriptæ.* 2. *Veluti apud* Matthæum; 3. *Apud* Marcum; 4. *Apud* Lucam; 5. *Apud* Johannem; 6. *In* Actis Apoſtolorum. 7. *De ſcriptore* Evangelii *ſecundùm* Lucam *&* Actorum Apoſtolorum *peculiare quippiam.* 8. *Eximia hujus ultimi argumenti vis quæ nullis objectionibus eludi poteſt.* 9. *Res geſtas Chriſti maturè ſcriptas eſſe ex* Apocalypſeos *ſcriptione argumentum.* 10. *Noſtræ methodi &* Borelianæ *felix conjunctio ac conſpiratio.*

1. ULtimi verò illius Argumenti vis breviter hæc eſt; Quòd utiq; ſi falſum ſit Scriptores horum quinq; librorum (*Evangelia* ſecundùm *Matthæum* intelligo, ſecundùm *Marcum, Lucam* & *Johannem, Actáq; Apoſtolorum*) *Jeſu Nazareni* ætate vixiſſe, ſed centenis aliquot annis pòſt (circa ea putà tempora quibus Imperium *Romanum* Chriſtianitatem accepiſſet, Canónq; librorum ſacrorum eſſet conſtituendus, cùm id ſeculum videatur huic rei maximè opportunum) nunquam profectò commiſiſſent ut aut ſic ſcriberent, aut talia, quæ ſimul atq; ſcripta prodirent, manifeſtò falſa viderentur, hoc eſt, maximoperè caviſſent nè iſtiuſmodi narrarent aut *Jeſu Nazareni* aut *Apoſtolorum prædictiones*, quibus Eventuum diſcrepantiæ planè jam viderentur omnem abrogâſſe fidem. Iſtiuſmodi autem Prædictiones in ſingulis illis libris occurrunt, ſaltem cum illis ſerioribus temporibus, quibus libri ſic ſcripti ſupponuntur, comparatæ; Quædam verò nec illâ quidem indigent comparatione.

2. Apud *Matthæum*; *Cùm autem vos inſectabuntur in aliqua urbe, fugite in aliam. Amen dico vobis, non vos antè perluſtraveritis urbes* Iſraëliticas *quàm veniat filius hominis,*

hominis, c. 10. v. 23. Cùm tam obviam ſit adventum filii hominis intelligere de noviſſimo Die Judicii, quis fallax & ſuppoſititius Scriptor unquam auſurus fuiſſet ſic ſcribere trecentos putà annos poſt Apoſtolorum tempora, cùm tam certò conſtaret Apoſtolos Civitates *Iſraëliticas* jam perluſtrâſſe, nec tamen filium hominis eo ſenſu adveniſſe?

Rurſus cap. 24. v. 29. *Protinus autem poſt illius temporis calamitatem ſol obſcurabitur, neq; luna ſuum ſplendorem emittet, & ſtellæ de cœlo cadent*, &c. *Amen dico vobis, non priùs hanc ætatem præterituram eſſe, quàm fiant hæc omnia. Cœlum & terra præteribunt, verba autem mea non præteribunt*, v. 34, 35.

Quis fraudulentus ſcriptor ac falſarius animum unquam inducere potuiſſet ut ſic ſcriberet trecentis putà annis poſt ætatem *Jeſu Nazareni*, aut vel paulò poſt Excidium *Hieroſolymitanum*, aut quî potuiſſet ſtylum ſic conſtituere ut proclive faceret omnibus exiſtimare omnia illa evenire debuiſſe (obſcurationem ſcilicet Solis atq; Lunæ, Stellarum caſus, clangores tubarum Angelicarum, Adventum filii hominis in nubibus cœli, &c.) intra eam ipſam ætatem quâ *Jeſus* vaticinabatur? A nullo igitur falſario hæc ſcripta ſunt, ſed ab aliquo Apoſtolo qui hæc ab ipſius Chriſti ore audierit, & ſic ut audiverat ſcriptis mandavit, certò ſciens ea à Chriſto dicta eſſe, rectéq; intellecta non poſſe non eſſe vera.

3. Apud *Marcum*; *Et docebat* Jeſus *dicens illis, Nonne ſcriptum eſt, Domus meæ domus precationis vocabitur omnibus Gentibus?* c. 11. v. 17. Quibus verbis proculdubiò etiam tunc aliquid Prophetici ſubeſſe innuit Chriſtus opportuno tempore implendum. Quis verò ſcriptor mendax & fraudulentus poſt exciſum Templum ex proprio cerebro hujuſmodi ſermonem Chriſto affingere voluiſſet, multóq; adhuc minùs aliquot centenis annis póſt?

Item c. 16. v. 15. *Et dixit* Jeſus *Apoſtolis, Ite in mundum univerſum & prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Porrò ſigna eos qui crediderint hæc ſubſequentur; Per nomen meum Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi quid lethale biberint non nocebit illis, ſuper ægrotos manus imponent & bene habebunt.* Nemo falſarius hæc auſus fuiſſet ſcribere de ſignis eos qui crediderint ſubſequentibus poſtquam ejuſmodi miracula deſiiſſent, quoniam Eventum ipſius repreſſurum fuiſſet audaciam, metuiſſétq; nè ſtatim manifeſtus deprehenſus eſſet mendacii. Unde palàm eſt ſcriptorem hunc ſcripſiſſe quando iſtiuſmodi miracula in Eccleſia vigebant, hoc eſt, ipsâ ætate *Jeſu Nazareni* & *Apoſtolorum*.

4. Apud *Lucam*, c. 1. v. 67. *Zacharias autem Pater* Johannis Baptiſtæ *ſancto Spiritu plenus vaticinatus eſt his verbis. Laudandus Dominus Deus* Iſraël, *qui viſitavit & fecit Redemptionem populo ſuo. Et erexit cornu ſalutis nobis in Domo* David *pueri ſui. Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo fuerunt, Prophetarum ſuorum. Fore ut ſervaremur ab inimicis noſtris & de manu omnium qui oderunt nos. Ut uteretur miſericordiâ erga Patres noſtros, ac memor eſſet ſancti ſui fœderis, præſtarétq; jusjurandum quod juravit ad* Abraham *patrem noſtrum, ac daret ut ſine timore de manu Inimicorum noſtrorum liberati ſerviremus ipſi cum ſanctitate & juſtitia coram ipſo cunctis diebus vitæ noſtræ.* Proculdubio hoc *Zachariæ* vaticinium primâ ſpecie ſecularem felicitatem promittit *Judæis* & ſecuritatem ab inimicis, quaſi *Jeſus* is futurus eſſet qui à mundana ſervitute liberaturus eſſet *Iſraëlem*, quemadmodum & *Cleophas* aliíq; putaverunt, Luc. 24. 31. Ecquis igitur ſcriptor mendax & ſuppoſititius poſt *Hieroſolymæ* excidium *Judæorúmq;* diſperſionem in omnes Gentes, tam ſtolidus futurus fuiſſet, cùm quodlibet fingere ipſi integrum eſſet, ut iſtiuſmodi vaticinium ori *Zachariæ* inderet, quando res planè contrà acciderant atq; illud videretur præfinire? Vaticinium verò ſtylo myſtico & Prophetico rectè intellectum veriſſimum eſt, qui ſenſus à Spiritu ſancto intendebatur, quicquid *Zacharias* ex privatæ mentis motu intellexerit.

Rurſus, c. 2. v. 10. *Et dixit Paſtoribus Angelus, Nè timeatis. Ecce enim annuncio vobis gaudium magnum quod futurum eſt omni populo. Quia natus eſt vobis hodie ſervator, qui eſt Chriſtus Dominus, in Civitate David.* Et verſ. 32. *Jeſus* vocatur gloria populi *Iſraëlitici*. Quæ quidem verba ſenſu obvio magiſq; literali videntur ingens aliquod bonum promittere univerſo populo *Judaico*, quaſi *Jeſus* iſtiuſmodi *Chriſtus* Dominus ſive *Meſſias* futurus fuiſſet qui & gloria & columen totius populi *Iſraëlitici* eſſet, cùm tamen longè maximæ *Judæorum* parti ſummæ ignominiæ ſummíq; infortunii facta ſit occaſio; cùm & Excidium urbis, omnéſq; quæ illud aut comitatæ ſunt aut ſubſecutæ miſeriæ, turpiſſimo illo *Meſſiæ* ſui parricidio imputentur. Unde manifeſtum eſt neminem falſarium poſt excidium *Hieroſolymæ Judæóſq;* diſperſos

diſperſos iſtiuſmodi alloquium Angeli ad paſtores fingere voluiſſe, ac proinde ſcriptorem hujus Evangelii ante Excidium *Hieroſolymitanum* vixiſſe, non aliquot centenis annis póſt.

5. Apud *Johannem*; *In noviſſimo autem Die magni feſti ſtabat* Jeſus *& clamabat dicens, Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, ejus ex ventre fluent perennis aquæ flumina. Id autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant qui in eum crederent. Nondum enim erat Spiritus ſanctus, utpote cùm Jeſus nondum eſſet glorificatus.* Spiritus autem ille potiſſimùm hîc intelgitur per quem, poſt aſcenſionem Chriſti, credentes in eum varia miracula edebant, c. 7. v. 37.

Eſt autem & alius locus adhuc luculentior, c. 14. v. 12. *Amen Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora hic faciet, quia ego ad Patrem meum vado.* Quis ſuppoſititiam de Chriſto meditans Hiſtoriam poſt trecentos ferè annos cùm miracula ceſsâſſent, tam diſſona admiſceret & quotidianæ Experientiæ repugnantia? Verba igitur illa ſunt verba ſcriptoris, qui & certò *Jeſum* ità dixiſſe novit, & eâ ipsâ ætate vixit quâ hujuſmodi vigebant miracula, præclara admodum ac manifeſta (qualia ipſe Chriſtus edidit) eáq; per homines vivos facta non per defunctos Martyres, quæ & obſcura erant nec huic generi accenſenda.

6. In *Actis* deniq; *Apoſtolorum*; *His auditis compuncti ſunt corde & dixerunt ad* Petrum *& reliquos* Apoſtolos, *Quid faciemus, viri fratres?* Petrus *ait ad illos, Delictorum pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſq; veſtrûm in nomine* Jeſu Chriſti *in remiſſionem peccatorum, & accipietis dona Spiritûs ſancti. Vobis enim facta eſt repromiſſio & filiis veſtris, & omnibus qui longè ſunt, quoſcunq; advocaverit dominus noſter*, c. 2. v. 37, 38, 39. Si ſcriptor hic centenis aliquot annis poſt Jeſu ætatem vixiſſet, ac proinde mendax ac fraudulentus eſſet, nunquam ſcripſiſſet promiſſionem doni Spiritûs ſancti factam eſſe omnibus qui longè ſunt, quandoquidem tunc temporis eventum promiſſioni non reſponderet.

Huic tamen conſimilis & paulò luculentior locus de donis Spiritûs baptiſmum ſtatim ſubſequentibus occurrit, c. 19. v. 2. ubi *Paulus* ad diſcipulos quoſdam *Epheſinos, An Spiritum ſanctum*, inquit, *adepti eſtis cùm credidiſtis? Cui illi, Nos verò nè quidem an Spiritus ſanctus ſit audivimus. Quâ igitur ratione baptizati eſtis?* Johannis *Baptiſmate*, inquiunt. *Et Paulus*; *Johannes quidem pœnitentiæ baptiſmate baptizavit, vulgò monens, ut in venientem poſt ſe crederent, hoc eſt, in Chriſtum Jeſum. Hoc audito, illi in Domini Jeſu nomen baptizati ſunt. Cúmq; manus Paulus eis impoſuiſſet, venit ſuper eos ſanctus Spiritus, linguiſq; loquebantur & vaticinabantur. Erant autem in ſumma viri circiter duodecim.* Videmus hîc iterum planè aſſeri, quòd proprius quidam ac peculiaris effectus ſit baptizationis in nomen *Jeſu*, ut mirifica dona ſancti Spiritûs in baptizato ſtatim ſe prodant. Quamobrem nemo falſarius fictitiam Hiſtoriam concinnans poſt horum donorum ceſſationem, multóq; minùs poſt aliquot centenos annos quàm ceſsâſſent, hujuſmodi narrationes libro ſuo inſereret, cùm præſens experientia fidem dictis ſit abrogatura. Ac proinde manifeſtum indicium eſt hæc *Acta Apoſtolorum* ab aliquo ſcripta eſſe qui, cùm eâ ætate vixerit quâ hæc dona Spiritûs vigebant, certò novit ea baptiſmum comitari.

7. Quibus omnibus addas, cùm *Actorum Apoſtolorum* & *Evangelii* ſecundùm *Lucam* idem ſit ſcriptor, cúmq; utriuſq; ſcopus ſit perfectiſſimam pietatem ac probitatem omnémq; honeſtatem ac ſimplicitatem veritatémve in dictis factíſq; hominibus commendare, incredibile prorſus eſſe ſcriptorem tam pium ac ſerium, ut videtur, tam operoſi totiéſq; repetiti mendacii ſibi velle eſſe conſcium, quòd centies ferè in hoc libro *Actorum* ſubindicaverit ſe *Pauli* Apoſtoli fuiſſe in ſuis itineribus Comitem. Libros fingere aliorum nomine non eſt adeò inſolens. Suam verò perſonam Hiſtoriæ ſuppoſititiæ intexere, omni credo carere exemplo. Id verò obiter dictum eſto. Ad rem redeo.

8. Eximium profectò poſtremum hoc argumenti genus eſt, quo & veritas & antiquitas ſuprà dictorum quinq; librorum demonſtrentur. Ex eo utiq; quòd talia in ſingulis reperiantur quæ, fieri non poteſt, quin falſarius quivis metueret nè omnem ſibi abrogarent fidem. Nec ulla vim evadendi hujus argumenti ſuppetit ratio. Si quis enim objiciat eos ſimulare hac in re potuiſſe ac ſi ſinceri eſſent, ut fides per hoc ipſis haberetur in re multò majoris momenti, nempe ut hoc pacto hominibus perſuadere poſſent ſe ætate *Jeſu Nazareni* vixiſſe & ſcripſiſſe, quo prædictiones & miracula quæ narrant, poſteris probari poſſe ſperarent, in promptu reſponſum eſt: Nam præterquam quòd impoſſibile ſit, iſtâ ſimulatione perſuadere hominibus fictitios ſuos libros tam maturè ſcriptos fuiſſe, & per aliquot centenos annos, aut per longum

ſaltem tempus latitâſſe, cùm tam ingens tamen Eccleſiæ futura fuiſſe videretur ipſorum utilitas ſi ſtatim atq; ſcripti eſſent, innotuiſſent: Præterquam, inquam, quòd hæc Impoſſibilitas eis non potuerit non eſſe cognita, ut quæ tam craſſa eſt & conſpicua; nec ipſi quidem præterea abſtinere ſe valuiſſent, quin metuerent, ſi ſuprà commemoratas Chriſti prædictiones apud *Matthæum*, *Marcum* & *Johannem*, *Vaticiniúmq*; *Zachariæ* ità ſcripſiſſent quemadmodum eas jam ſcriptas videmus, nè omnem iſtoc pacto autoritatem Chriſto adempturi eſſent adeóq; ſcripta ſua prorſus inutilia reddituri, omnémq; fidem & reliquis vaticiniis ac miraculis per ipſos narratis omnino abrogaturi: Et ſi cui vaticinio eventum reſpondeat, effecturi, ut caſui potiùs imputetur quàm ſpiritui prophetico. Manifeſtum eſt, inquam, cùm ipſum finem ſimulationis ſuæ hâc ſcribendi ratione ſe fruſtraturos eſſe tam neceſſariò prævideren̄t, ſcriptionem horum librorum ab hujuſmodi Falſariis non fuiſſe factam, ſed à quibuſdam qui ætate *Jeſu Nazareni* vixerunt, certóq; noverunt quæ ſcripſerint, vera eſſe, ſic utiq; *Jeſum* ſic *Zachariam* locutum eſſe, de eventu aut interpretatione nihil ſoliciti. Ità verò ſimulare ut ſimulandi finem perdas, ſtultiſſimum eſt, nec niſi apud ſtultiſſimos poſſibile.

9. Quod autem ad Chriſti vaticinia attinet, Matth. 24. commemorata, minimè mirandum eſt Oracula illîc tam confuſè & acervatim effundi, támq; obſcuris temporum diſtinctionibus, cùm ille Spiritus per quem Chriſtus locutus eſt, illius confuſionis uſum noverit, ſcirétq; ſe idoneo tempore omnia Fata & *Eccleſiæ* & *Mundi* pariter, quatenus pertineant ad Eccleſiam, per diſtinctas ſeries eſſe deducturum. Quod in libro *Apocalypſeos* eum præſtitiſſe manifeſtum eſt. Qui Liber tam divino Artificio conſcriptus eſt, & tam multis & inſignibus Eventis comprobatus & confirmatus, ut ſummæ profectò vecordiæ foret, eum ullius Falſarii opus eſſe poſſe ſuſpicari. Spiritum autem ſanctum res omnes Eccleſiæ à Temporibus Chriſti ad finem mundi propheticè præfigurandas curare voluiſſe, nec tamen res Chriſti & Apoſtolorum eâ ætate geſtas literis maturè mandandas, perquam ridiculum eſt opinari.

10. Quin & id factum eſſe nos duplici ratione, & illâ noſtrâ magis exoticâ & hâc *Borelianâ* ex ipſis ſcriptorum Evangelicorum viſceribus erutâ, firmiſſimè demonſtravimus. Ego enim per *exteriorem* meam illam Methodum evidentiâ irrefragabili evici, fieri non poſſe quin vita *Jeſu Nazareni* maturè, etiam intra ætatem quâ vixit, ab aliquibus fide dignis Autoribus ſit conſcripta, aut ab oculatis utiq; rerum geſtarum Teſtibus aut ab eis qui res geſtas ab eiſdem accepiſſent, ac proinde hujuſmodi fuiſſe quatuor vulgò notos *Evangeliſtas*. Jam verò ad majorem concluſionis noſtræ confirmationem, per magis *intrinſecam* hanc *Borelii* methodum porrò ſuperadditur, *Quatuor* illa *Evangelia*, ut & *Acta Apoſtolorum*, libros eſſe ſic ſcriptos ut ſatis manifeſta in ipſiſmet appareant Indicia eos aliâ ætate ſcribi non potuiſſe quàm quâ vixit *Jeſus Nazarenus*; nec poſſibile eſſe ut ſint ſuppoſititii, ſed à talibus Autoribus quales præ ſe ferunt, bonâ fide exarati.

Unde ſumma rei huc aſſurgit; Manifeſtò ſcilicet conſtare aliquos libros de vita Chriſti rebúſq; geſtis Apoſtolorum, etiam ipſorum ætate ſcriptos fuiſſe, eóſq; quinq; quos Eccleſia recepit ut canonicos, eos inſitos habere characteres ut planè de ſe fidem faciant eos alio tempore ſcribi non potuiſſe. Adeò ut non *Scepticum* ſolummodò ſed & ſtupidum eſſe oporteat qui de re tam certa dubitare poſſit.

CAP. XIV.

1. *Alia argumenta, Quòd vita Chriſti ſcripta eſſet ab Apoſtolis vel diſcipulis, ex* Grotio. 2. *Reſponſum ad ineptam ſuppoſitionem quòd hæc monumenta ab Apoſtolis exarata omnia ſint combuſta.* 3. *Exemplaria non fuiſſe corrupta nec per incuriam nec per fraudem.*

1. ATq; duplex hæc quidem demonſtrandi Methodus abunde poteſt ſufficere ad probandam Hiſtoriam vitæ Chriſti tam maturè ſcriptam eſſe quàm ego affirmo, ídq; ab aliquibus è ſuis Apoſtolis iíſve qui ipſis erant coætanei, ſpeciatim, à *Matthæo*, *Marco*, *Luca*, & *Johanne*, quemadmodum & ſingulorum Evangeliorum Tituli indicant. Verùm eorum argumentorum mentionem non præteribimus quibus *Grotius* hoc in loco utitur; Quòd ſcilicet hæc Evangelia ſub his ipſis nominibus citantur

citantur à *Juſtino*, *Irenæo* & *Clemente* primis Eccleſiæ patribus. Quòd *Tertullianus* affirmat quorundam ipſorum autographa etiam ſuo tempore extitiſſe, quanquam centum ducentíſve annis poſtquam erant ſcripta. Quòd univerſæ Eccleſiæ ea pro Authenticis habebant antequam ulla convocata eſſent ſuper ea re Concilia. Quòd nec *Judæus* nec *Paganus* hoc unquam vocabat in controverſiam. Quòd *Julianus* quanquam Chriſtianitati inimicus, expreſsè confeſſus eſt hæc ſcripta quæ veniunt ſub nominibus *Petri*, *Pauli*, *Matthæi*, *Marci*, *Lucæ* reverà eorum eſſe ſcripta. Et deniq; quòd æquè ineptum eſt atq; abſonum de hoc dubitare, quàm in quæſtione habere, utrùm illa Poëmata quæ ſub *Homeri* & *Virgilii* nominibus veniunt, ſint reverà ipſorum Poëmata necne. Quæ profectò argumenta non poſſunt non habere debitum ſuum pondus apud eos qui non ſint prænimìs pervicaces. Cæterùm credo me concluſionis veritatem ſatìs antè eviciſſe.

2. Contra quam non video quid vel perverſiſſimum Ingenium excogitare poſſit aut objicere, niſi fortè dicturus ſit quòd prima monimenta ab Evangeliſtis exarata omniáq; exemplaria ab ipſis fideliter deſumpta combuſta eſſent, quódq; hæc quæ nunc dierum habemus non ſint niſi quædam Eccleſiæ Poſt-figmenta, ſcriptáq; ab ipſa ementita & ſuppoſititia. Quæ æquè temeraria & ſtolida eſt Allegatio, atq; ſi quis filius, cui bonorum pars in Paterno Teſtamento aſſignatorum minùs placeat, quanquam Teſtamentum authenticum apparet ut quod maximè, prætenderet tamen verum Teſtamentum concrematum eſſe novúmq; hoc in ipſius damnum, ſuppoſitum, cùm nè minimum quidem apicem hujus accuſationis probare poſſit. Immò verò auſim dicere quòd illa Allegatio impendiò ſit ſtolidior quàm hæc. Quandoquidem hoc factu facile ſit ſcriptum aliquod ſingulare comburere novúmq; poſtea ejus loco ſupponere. Verùm impoſſibile omnino erat inimicis Eccleſiæ prima illa vera Evangelii exemplaria, ut quæ proculdubio in cuſtodia erant multorum millenorum hominum in diverſis terræ partibus, unquam ſupprimere aut diſperdere. Nam ſcripta cùm eſſent mole tam exiguâ & tam immenſi momenti, quis, obſecro, Chriſtianus qui vel legere ſciret, exemplari carere voluerit? Ut præteream, nulla in Hiſtoria eſſe hujuſmodi rei geſtæ veſtigia. Nec poteſt profectò ullus Hiſtoricus de hoc genus factis teſtimonium perhibere. Quis enim ipſi præſtare poterat, ſi tentâſſent comburere, quòd univerſa eſſent combuſta? Et ſi aliqua relicta eſſent, momento rurſus multiplicarentur. Et ſatìs certi eſſe poſſumus quòd non niſi pauca traditurí eſſent, cùm eam veritatem quam complectebantur, tanto proſequerentur amore, ut eam propriis ſuis vitis præferrent. Ut omittam ex inſitis horum ſcriptorum characteribus ſatìs conſtare eadem planè eſſe quæ olim ab Apoſtolis Apoſtolorúmve diſcipulis ſunt exarata.

3. Eſt igitur abſq; omni dubio verum, Exemplaria quæ nunc habemus Evangeliſtarum, tranſcripta eſſe à primis ſuis Autographis abſq; omni interruptione. Solus ſcrupulus qui jam reſtat eſt de tertia ultimáq; concluſione, an poſſint alterari aliquo modo & depravari in tam longa temporis ſucceſſione, ſive id fortuitò fiat ſive per pias Eccleſiæ fraudes. Ad quod primùm hoc reſpondeo, Incredibile eſſe quin Evangelia hoc periculum æquè evaſerint, atq; ſcripta *Platonis*, *Ariſtotelis*, vel *Marci Tullii*, ſi ejuſmodi ſolummodò alterationes ſpectemus quæ per incuriam tranſcribentium proveniant; & nemo tamen dubitat quin ſcripta eorum plenè nunc ipſorum mentes mundo impertiant, de eis rebus quas declarant, æquè plenè ſanè & perfectè, ac ipſi primitùs eas per illa ſcripta expreſſerint. Et quantùm ad pias Eccleſiæ fraudes, reſpondeo, Eccleſiam magìs ſimplicem fuiſſe & ſinceram in temporibus Apoſtolorum & aliquot pòſt ſeculis; intra quod temporis ſpacium tot exemplaria Evangelii extiterunt, & per terrarum orbem diſperſa ſunt, ut ea ſcripta, etſi maximè id vellent, adulterare tamen non poſſent. Nam quemadmodum jam dixi, cùm ſcripta ea mole eſſent tam exiguâ, & ex conſequenti tam facilis eorum tranſcriptio, fieri non poterat quin exemplaria pro numero ferè Chriſtianorum (eos intelligo qui legere ſcirent) multiplicarentur, tranſcriptióq; fieret, cùm ſcriptum tam ſacrum eſſet, ſumma cum cura & diligentia; nam pro certo Chriſtiani ſeriò dabant operam Religioni in diebus illis. Præterea, valde conſentaneum eſt ut credamus, quòd ſpecialis Providentia & caſum & fraudem coërcere vellet à violandis tam ſacris ſcriptis, in re qualibet quæ ullius futura eſſet momenti; & ſi nullius momenti futura ſit, ecquid indè fiunt deteriora? Ut præteream quàm naturaliter formido ac reverentia erga tam ſacroſancta ſcripta eos inhibituræ eſſent à miſcendo quicquam per fraudem cum ipſis, eáve corrumpendo. Ipſúmq; Eventum, verum eſſe hoc præſagium ſatìs præſtat. Nam in eis perlegendis planè deprehendimus eam eſſe concordiam ac conſenſum unius partis cum altera, eúmq; congenerem rerum tenorem, ut certi eſſe poſſimus

possimus nihil spurii aut adulterati in Textum unquam fuisse suffarcinatum. Multitudo etiam variarum Lectionum conclusionem nostram ulteriùs confirmat, quod & argumentum est magnæ illius exemplariorum copiæ quam dixi. Ut & harum variarum Lectionum collectio testimonium fidelitatis etiam recentiorum horum seculorum Ecclesiæ, summæq; illius Reverentiæ quâ tenebantur erga hæc monimenta; ex eo scilicet quòd nè varias ipsorum Lectiones interire paterentur, sed ad exercenda prudentiorum peritiorúmq; Judicia eas conservarent; Et postremò, ex perlectis his variis Lectionibus, nihil omnino, per ipsas, veritatis Religionis Christianæ deperditum esse (& ex consequenti nullum damnum cuiquam aut detrimentum factum, nisi iis, qui factiones & opiniones magìs sapiunt quàm realem Evangelicæ Pietatis vim ac virtutem) manifesta detectio, hæc etiam eam veritatem confirmat pro qua contendimus; Quòd Exemplaria scilicet Evangelii quæ quotidiè evolvimus, sint incorrupta, quódq; ea proinde quæ in ipsis continentur sunt certissimè vera, ut quæ scripta erant per calamos eorum qui sufficientem notitiam habuerint earum rerum quas enarrant, cùm & earundem oculati essent Testes aut saltem cum eis essent versati qui ipsas viderant, & utriq; tam illibatæ fidei & integritatis ut nihil per totum terrarum orbem par reperiri possit aut consimile.

CAP. XV.

1. *Plures characteres particulares personæ* Messiæ *in Vaticiniis.* 2. *Ut, quòd natus sit in* Bethlehem; 3. *Idq; à Virgine.* 4. *Ejus curatio claudorum & cæcorum.* 5. *Manuum ejus ac pedum perfossio.*

1. ATq; sic *Veritatem Evangelii* rerúmq; in eo contentarum irrefragabilibus demonstrationibus confirmavimus, & consequenter *Religionis Christianæ* Certitudinem ac *Realitatem.* Quo jam effecto, paucos aliquos Personæ *Messiæ* Characteres tempestiviùs superaddere possumus, tam sanè particulares atq; expressos ut meritò in admirationem nos rapere possit tam accurata Providentia in prædictionibus ac vaticiniis detegenda. Non multa quidem proferemus exempla, quoniam propositum nostrum jam absolvimus, & qui hujusmodi rerum copiam affectant, alios consulere poterunt qui ipsas uberiùs ac copiosiùs tractârunt. Nos ea tantummodò resumemus quorum mentionem suprà fecimus. Quòd natus sit in *Bethlehem*, è stirpe *Davidis*, ídq; è virgine. Quòd cæcos videre claudósq; ambulare fecerit. Quòd manus pedésq; perfossi sint. Quòd super vestem ejus sortem jecerint; quódq; oraverit pro crucifigentibus. Hæc de ipso vera esse Evangelium planè testificatur, & quidem de ipso fuisse prædicta æquè manifestum est ex vaticiniis veteris Testamenti quæ hîc recitabimus.

Micha. 5. 2. 2. Et primùm, illud *Michææ*; *Et tu* Bethlehem Ephratah *parvulus es in millibus* Judah, *ex te mihi egredietur qui sit dominator in* Israël, *& egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Hæc admodum particularis descriptio est Personæ *Messiæ* à loco Nativitatis; erátq; hoc confessum Principum Sacerdotum ac Scribarum glossema super hoc Textu, quemadmodum apparet, Matth. 2. v. 4, 5. Ad quod *Episcopius* adjicit *Chaldæi Paraphrastæ* & R. *Salomonis Jarchi* suffragium. Verùm id quod hanc prædictionem divinámq; Providentiam adhuc admirabiliorem facit, sunt impletionis circumstantiæ. Quippe quòd *Bethlehem* non erat oppidum ubi habitabant *Josephus* & *Maria*, nec eo tempore illuc suâ sponte ibant, nec sanè ex occasione ordinaria; sed *Augustus* (& certè non nisi aliquo speciali divinitùs instinctu) decretum fecerat ut totus orbis, hoc est, omnes sub imperio Romano, describerentur, h. e. ut eorum nomina in tabulas publicas conscriberentur. Quocircà omnes ibant ut describerentur, in suam quisq; urbem; unde factum est ut *Josephus* etiam à *Galilæa* iret ex Civitate *Nazareth* in *Judæam*, ad Civitatem *Davidis*, quæ vocatur *Bethlehem*, quoniam erat è domo & prosapia *Davidis*, ut describeretur cum *Maria* desponsa sibi uxore, quæ tunc prægnans erat. Unde, quemadmodum inferre vult *Grotius*, evidens est *Mariam* è familia *Davidis* fuisse, æquè ac *Josephum*, alioqui ad suæ stirpis vel familiæ Civitatem proficisci debuisset, & non ad *Bethlehem.* Verùm miranda Providentiæ manus quam hac in re omnes suspiciunt hæc est; Quòd utiq; ex hoc facto adeò toti mundo manifestum esset, Christum oriundum esse è stirpe *Davidis*, natúmque,

natúmque, juxta vaticinium, in *Bethlehem*. Quod ſi verum non fuiſſet, *Judæi* facilè illud potuiſſent refutare. Cæterùm Chriſtiani parati erant probare quod aſſerebant, provocando ad memorias publicas in Romanis Archivis cuſtoditas, quæ videndæ erant, ut *Juſtinus*, *Tertullianus* & *Chryſoſtomus* affirmant, ſuis etiam ſeculis. Quod uno quidem flatu omnes iſtos ineptos & fabuloſos Judæorum Parachroniſmos de tempore *Jeſu* difflat atq; diſſipat.

3. Proximus Character illius perſonæ eſt, quòd debebat *naſci è Virgine*. Quemadmodum factum eſſe affirmant Evangeliſtæ, duóq; vaticinia ità fore prædixerunt. Quorum primum eſt Geneſ. 3. ex ipſius Dei ore prolatum. *Semen* ſcilicet *fœminæ contriturum eſſe caput Serpentis*. Quod ſemen proculdubiò Chriſtus erat, qui propriè appellari non poterat ſemen mulieris magìs quàm ſemen viri, niſi quòd præfiguratio eſſet, Chriſtum è virgine, ſine viri ope, naſci oportere.

Alterum vaticinium occurrit Eſai c. 7. v. 14. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum, Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus* Immanuel.

Hoc vaticinium, fateor, exponi poteſt, & ſumma quidem cum facilitate & perſpicuitate, de certa aliqua puella, virgine putà, quam ipſe Propheta *Eſaias* ducturus eſſet in uxorem eo tempore quo *Achazo* Regi is vaticinium pronunciabat. Cujus primus ſenſus hic ſolummodò eſt, Quòd intra illud temporis ſpacium quo hæc virgo nuberet, pareret & infantem educaret, hoc eſt, intra tempus ejus infantiæ, *Syrorum* & *Iſraëlitarum* copiæ *Judæam* relicturæ eſſent re infectâ, nec tamen foret intereà loci ea rerum penuria quam *Achazus* metuebat, quod inſinuatur iſtâ Locutione, *Butyrum & mel comedet*, &c. Nomen etiam infantis vocabatur *Emanuel*, *Deus nobiſcum*, quippe qui adhibebatur ut ſignum ſpecialis Aſſiſtentiæ ac Providentiæ divinæ ſuper *Achazum* & Regnum ſuum.

Præterea, affirmare equidem non poſſum antiquorum quenquam aut recentiorum *Judæorum* hoc vaticinium unquam interpretatum eſſe de *Meſſia*. Cujus tamen rei nullum majus conſequetur incommodum quàm hoc, Quòd utique, cùm primus illius ſenſus tam facilis ſit & obvius & ipſo Evento comprobatus, cúmq; nulli è *Judæis* unquam auſi ſint illud *Meſſiæ* applicare, nihil præter certam notitiam quam Evangeliſta habebat Chriſtum ſic reverà natum fuiſſe, efficere potuit ut ipſe illud huic nativitatis circumſtantiæ applicaret. Hoc verò pro certo cognito, ut & illo magìs reconditæ diſciplinæ Principio, apud *Judæos*, de ipſorum מרש & de ſublimiori plenioríq; ſenſu Hiſtoricis Propheticíſq; Teſtamenti veteris locis adjudicando (quandoquidem omnia ipſis contigerunt in Typis) impoſſibile planè erat quin hæc interpretatio hujus vaticinii daretur, cùm perfectiùs magiſq; propriè ad Chriſtum pertineret quàm ad *Eſaiæ* filium; cujus mater *virgo* ſolummodò erat antequam illius mater facta eſſet: verùm *Mariæ* mater *Chriſti* virgo erat & antè & pòſt: & verò Prophetæ filius, *nominalis* tantùm *Emanuel* erat, Chriſtus *reverà Nobiſcum Deus*, utpote in quo *plenitudo Deitatis habitabat corporaliter*. Et poſtremò, ex eo quòd Propheta jubebat *Achazum* ſignum petere à Deo ſive in profundo ſive in cœlo deſuper, manifeſtum eſt quòd per ſignum intelligitur ſignum aliquod prodigioſum & præter aſſuetam Naturæ legem. Ac proinde quando Propheta dicit, *Deus ipſe dabit ſignum, Ecce virgo concipiet & pariet filium*, &c. manifeſtum eſt quòd hoc ſignum debet eſſe prodigioſum ſive præternaturale. Quod nunquam plenè ac propriè impletum erat antequam verus *Emanuel* natus eſſet ex ſemper-beata matre virgine *Maria*. Nam Liberatio *Judææ* à duobus illis Regibus intra ſpacium Infantiæ pueri, ſignum non erat ſed res ipſa ſignificata, Typúſq; magnæ Redemptionis per Chriſtum olim perficiendæ. Quod verò *Judæi* cavillantur de voce עלמה valde frigidum eſt & frivolum. Qui vel mediocriter linguam *Hebraicam* callent, ſatìs certi ſunt עלמה propriè ſignificare virginem, talem utiq; quæ virum nunquam ſit experta. Quod appareat tum à derivatione vocis, tum à conſtanti uſu ipſius ſignificationis. Quibus potes addere hoc ipſo in loco ſic etiam reddi ab *Aquila* & *Jonathane*, & à *Septuaginta* interpretibus. Adeò ut hoc vaticinium mihi videatur magìs certò ad Chriſtum in ſuo ſenſu maximè proprio applicari poſſe quàm aliud ullum quod è vaticiniis illis, quæ ad quenquam alium præterquam ad ipſum ſolum referri poſſent, unquam ab ipſis *Judæis* ad *Meſſiam* ſuum hactenus fuit applicatum.

4. Illud de claudis, ſurdis & cæcis occurrit, *Eſai.* cap. 35. v. 5. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt: Tunc ſaliet, ſicut cervus, claudus, & cantabit lingua mutorum*. Quæ verba quamvìs impletionem metaphoricam habere poſſint in diebus *Hezekiæ*, nulla tamen eſt controverſia quin propria & realis eorum impletio ad *Meſſiam* referretur, quod aptiſſimè convenit cum illo quod immediatè præcedit, v. 4. *Ecce deus veſter veniet, ille veniet & ſalvabit vos*. Et certè Deus

nunquam

nunquam tam propriè dici potest ullo in tempore venisse quàm in persona semperbeati *Servatoris*, qui meritò nuncupatur *Deus benedictus in secula*, Rom. 9. 5.

5. Ultimum exemplum petitur è Psalm. 22. quem antiqui *Rabbini* liberè & apertè fatentur vaticinium esse de *Messia*. In quo particulares quædam Periochæ, res scilicet in ipsis significatæ, quantumlibèt expressæ & præcisæ, nemini alii unquam contigerunt, cui illi hunc Psalmum ascribere possint, verùm examussim & ad literam contigerunt ipsi. Quemadmodum id quod legitur v. 18. *Vestimenta mea inter sese partiti, super veste mea sortem jecerunt.* Cui eventum exactè respondet Matth. 27. v. 35. Et rursus vers. 16. *Me circumvallat improborum caterva qui mihi manus ac pedes persoderunt.* Nescio an possim insuper etiam addere è vers. 14. *Sicut aqua effusus sum*, illúdq; comparare cum *Johan.* 19. v. 34. Atq; id ex *Esaia* hîc memorare, dum in *Passione* Christi versamur, & *pro sontibus interpellavit*, cúmq; illo Luc. 23. 34. similiter conferre, *Pater remitte eis, nesciunt enim quid faciant.* Sed particularis prædictio primæ illius circumstantiæ planè admirabilis videtur, nempe ut ipsum mortis genus modúsq; tam accuratè describeretur à Propheta. Illud enim realiter omnino ac literaliter impletum est in illius crucifixione, in qua manus pedésq; malefactorum perfodiebantur clavis, quibus cruci affigerentur. Nec sanè debent lectiones variæ in כארי & כרו prædictionis hujus vim ac perfectionem quoquam modo delumbare. Nam postquam hoc ad rem suam quàm scitissimè possint accommodaverint, cogentur tamen nolentes volentes agnoscere specialem aliquam violentiam ac laniatum in manus pedésq; factum ex ipso sensu Textûs. Quòd verò ità omnino sit interpretandum quemadmodum vulgò interpretamur, suffragium doctissimorum ex ipsis *Judæis* ut *Jacobi Ben Chaiim*, Mosis Hadarsan, & Septuaginta interpretum abunde confirmat. Cui etiam Chaldæi Paraphrastæ expositio, *Aquila* & *Masora* nonnihil contribuunt. Quibus addere possumus quòd כארי solùm sine alterius vocabuli adjectione non est sensus integer, quódq; per scribarum indiligentiam, primò mutatio fieri poterat vocis כרו in כארו quæ utræq; eundem haberent sonum, & deinde כארו in כארי quæ consimili ferè modo scribuntur, cùm nullum fere discrimen sit inter ו & י præter literarum magnitudinem, neq; id sanè multum, unde sæpe admodum confunduntur. Hoc certè verisimilius est quàm ut integrum vocabulum omissum sit, quod qui כארי legunt supponunt. Illa etiam *Grotii* allegatio contra hanc Lectionem suo non caret pondere, nempe quòd Leonis similitudo ante tres tantùm versus adhibetur, ac proinde non verisimile esse, quòd tam continuò rursus usurpetur, præsertim cùm post quatuor versus iterum illius mentio fiat. Postremò ipsum Eventum huic criticæ controversiæ finem imponere debet apud eos qui nullo laborant præjudicio. Et certè quanquam pervicacium *ora* obturare non potest, mirabili tamen voluptate exhilarabit piorum hominum *corda* ac rationi deditorum tam accuratæ Providentiæ, quæ rebus humanis invigilat, contemplatio.

CAP. XVI.

1. *Evangelium Christi, si falsum fuisset aut fabulosum, cum successum* Hierosolymis *ex prædicatione Apostolorum non fuisse habiturum.* 2. *Præceptorum etiam severitas, aliæq; asperitates subeundæ, homines à Christiana Professione avertissent.* 3. *Vtì & incredibilitas Resurrectionis Christi, nostræq; Remunerationis in conflagratione mundi.* 4, 5. *Vilitas etiam & contemptibilitas primorum Authorum homines abacturа fuisset, nec quenquam habituri fuissent ipsis auscultantem nisi Resurrectio Christi firmiter ab ipsis fuisset probata.* 6. *De qua Apostoli abunde certi esse poterant, cùm facti esset tantùm notitia: nec omnino credibile esse eos, nisi de ea certi essent, illam voluisse declarare, propter pericula quæ indè essent subituri.*

1. POssim equidem plura *particularia* memorabilia ex hoc Psalmo aliisq; locis quæ ad accuratiorem Personæ Christi characterem describendum faciunt, notare. Sed Propositi mei limites jam excessi, ut qui me hisce rebus immiscere statui eò tantùm usq; quò sufficienter demonstrare possem illius Mysterii *Realitatem* de quo agimus. Quam postquam confirmaverimus unico insuper argumento, Objectioniq; uni & alteri responderimus, imponemus tunc finem huic tertiæ parti nostri Tractatûs.

2. Ultimum

Ultimum igitur argumentum breviter hoc eſt, Quòd Religio adeò nihil ab hominibus adjuta, immò verò ipſorum tum opinioni naturali tum mundano commodo ità contraria, nunquam ad eum modum ſe per terrarum orbem diſſeminare potuit, ſi falſa fuiſſet & fabuloſa, nec ullo fundamento vero & reali ſubnixa. Quàm latè autem ſe propagaverit ex Hiſtoria *Evangelii* & *Actorum Apoſtolorum* apparet, quemadmodum & ex Epiſtolis S. *Pauli*, etiam tum cùm maximi illius Adverſarii, *Judæi* ſcilicet, in procinctu ſtabant in campo ad obſiſtendum; Quibus primùm neceſſe erat ut Evangelium prædicaretur, quíq; opportunitatem habebant diligenter inquirendi explorandíq; veritatem Facti, de re qualibet quæ affirmaretur ab Apoſtolis poſt *Paſſionem Chriſti* tanquam ab ipſo facta, ipsíve alicunde obveniens, vel à ſeipſis patrata, poſtquam recepiſſent donum Spiritûs ſancti juxta promiſſa, & miracula edidiſſent, quemadmodum & ipſe priùs fecerat. Multa verò millia Judæorum converſa erant quos impoſſibile eſt ut cogitemus, ſaltem univerſos (& diligentiores exploratores magíſq; naſuti ab errore reliquos revocare poterant) tam ſupinos fuiſſe ac incurioſos ut omnia minutiùs & ſcrupuloſiùs non perſcrutarentur in re tanti momenti quanti erat æterna ipſorum ſalus, & quæ tam præſentaneum damnum ac detrimentum illatura eſſet quàm erat jactura favoris omnium ſuorum popularium, ipſóſq; neceſſariò ipſorúmq; proceres reos faceret criminis maximè nefarii quod ab ullis mortalibus committi poterat.

2. Cæterùm ſucceſſus hìc non ſubſtitit, ſed ex Judæa ſe extendit in omnes Romani Imperii partes, cùm innumerabiles ubiq; hominum multitudines lucrifactæ ſint Eccleſiæ, donec tandem integræ Gentes, Regna ac Sceptra, &, ut verbo abſolvam, univerſum Imperium *Romanum* factum eſſet Chriſtianum. Hæc eſt ipſius *Hiſtoriæ veritas* quam nemo poteſt negare. Quódq; hæc *hiſtoria vera* eſſe non potuit niſi Religio Chriſtiana vera etiam fuiſſet (res illas intelligo *miraculoſas* quæ de Chriſto ejúſq; Apoſtolis commemorantur) demonſtrari porrò poteſt tam ex *auſteritate* quàm *incredibilitate* doctrinæ hujus Religionis, ut & ex *imbecillitate* & *contemptibilitate* eorum qui eam fundârunt primùm & diſſeminârunt. Etenim ſive *præcepta* Chriſtianitatis conſideramus, quæ facienda ſunt, ſive *res credendas*; *Præcepta* ſanè admodum *ſtricta* ſunt ac *ſevera*, admodum injucunda atq; ingrata carni atq; ſanguini, taliáq; quæ *Vita animalis* nullo pacto ſapere poſſit aut amplexari, niſi res aliqua extraordinaria adjuncta ſit quæ per vim cogat ut ea admittamus. *Suiipſius negatio*, *Mortificatio*, Præcipitatio hominis in viam aut neceſſariarum aut difficúlter evitandarum *perſecutionum* & *afflictionum* ab extrà, præter renunciationem earum voluptatum quas nulla nobis externa poteſtas prohibet, nuncium eſſe non poteſt naturali homini quoquo modo acceptum. Ut præteream ſcommata mundi & dicteria quæ proculdubiò inſecutura eſſent Religionis mutationem. Quæ mutatio non poterat non videri etiam adhuc gravior & intolerabilior, propterea quòd perfectam eſſe oportebat atq; integram, ab ea utiq; ſuperſtitione in qua educati eſſent omninò immunem, cui in ſolidum debebant renunciare. Unde non potuit non augeri periculum eorum ac infamia.

3. In quibus tamen aſperitatibus ſuſtinendis nihil habebant quo ſe ſuffulcire poſſent præter fidem iſtiuſmodi rerum quas meritò quis judicare poſſit maximè effecturas ut à Religione Chriſtiana reſilirent. Remunerationem intelligo poſt hanc vitam, non aliter ipſis confirmatam quàm per Reſurrectionem cujuſpiam è mortuis poſtquam triduum ſepultus jacuerat. Quod ipſis exhibebatur tanquam pignus beatæ illius Reſurrectionis quam illi qui doctrinam Chriſtianam amplexi ſint, obtenturi eſſent in conflagratione mundi terræq; converſione in cineres: Id quod humano ſanè ingenio tam incredibile eſt, ut nemo niſi viâ aliquâ reali ac infallibili reverà ſic eſſe convictus eſſet, ipſi fidem unquam eſſet habiturus, aut cohibiturus ſeſe ab illo repudiando non ſine ſcommatis additis & deriſione; quemadmodum factum eſt ab *Epicureis* & *Stoicis*, Act. 17. v. 18. Quocirca citra omnem controverſiam qui Chriſtianitatem primi amplexi ſunt, eam, nullis aliis rationibus moti quàm manifeſtâ oculatorum teſtium probatione, ſuſceperunt, & affirmationibus ejuſmodi hominum quos ipſi viderent admodum ſinceros eſſe ac ſerios, quíq; ipſi virtutem magnæ illius poteſtatis Dei quæ Jeſum Chriſtum è mortuis ſuſcitaverat, manifeſtò in ſeipſis reſidentem haberent, quâ & ipſi miracula edere poterant; quemadmodum commemoratur in *Actis Apoſtolorum*.

4. Jam verò quod primos ſpectat Autores hujus Religionis ac fundatores, quàm imbecilli eſſent ac contemptibiles quantùm ad res mundanas, indè planè apparet, quòd nec ob ſtirpis nobilitatem, nec ob humanarum Artium ac Scientiarum peritiam mundo commendabantur; nec ullam habebant poteſtatem ſecularem quæ ipſis aſſi-

ſteret, nec armorum vim quibus aut alios ſubdomarent aut ſeipſos defenderent, quanquam tantis ac tam imminentibus periculis perpetuò exponebantur. Ipſe Servator ex humili erat familia, Carpentarii filius, inter duos latrones crucifixus tanquam nefarius malefactor. Quid igitur excogitari poteſt quod movere poſſet Apoſtolos ejus ac Diſcipulos ut ipſi poſt mortem ejus tam fideliter adhærerent, ſéq; ipſos omnigenis periculis, omnigeníſq; afflictionibus, Verberationibus, Incarcerationibus, longis Itinerationibus, intolerandis cruciatibus, ipsíq; adeò Morti tam conſtanti animo exponerent? Quid efficere poterat, ut ſuam turbarent pacem, pacémq; aliorum omnium, ſi non aliquod admodum miraculoſum ſubeſſet & quod dignum eſſet quod totius mundi expectationem excitaret? Quod nuncium afferre poterant diverſis illis gentibus quò proficiſcebantur, cujus ipſos non puderet, ſi nihil aliud allaturi fuiſſent quàm quòd *Judæi* quendam, *Jeſum* nomine, *Joſephi* Carpentarii filium, inter duos latrones *Hieroſolymis* crucifixerant; virum ſanè honeſtum ac juſtum? Fieri poteſt, reſponderent Gentiles, quod in majorem eorum cedit infamiam. Sed quid ad nos id attinet? Verùm hic vir erat ipſe promiſſus *Meſſias*, fecítq; admodum ſtupenda miracula, Dæmonia ejecit, omne genus morbos ſanavit, filiúſq; Dei per audibilem de cœlo vocem declaratus eſt. Quantùm ad miracula, adderent ſtatim Gentiles, quorum mentionem facitis, res ſanè mirandas accepimus ab eis aliquando factas qui Magi appellantur, nec ullam nos habemus illius perſonæ notitiam qua de vos loquimini quò diſcernere poſſimus an reverà tam bonus eſſet quàm vos eum fuiſſe prædicatis. Nam judicia hominum ſæpenumerò partium ſtudio laborant, & per affectus atq; amicitias perverſuntur. Mirum autem videtur nobis ſi reverà tam bonus fuit quàm vos eum facitis, declaratúſq; à nubibus filius Dei, quòd Deus paſſus ſit eum inter duos latrones per tantam in cruce ignominiam mori. Quod indicium eſt, tametſi miracula fecerit, ea tamen ab iſtiuſmodi tantùm *Poteſtatibus* profecta eſſe quæ Magiſtratui ſubjiciantur, quæq; propter fidelem illam Providentiam quæ rebus humanis invigilat, nihil efficere poſſint, poſtquam Magus prehenſus ſit, incarceratus & condemnatus. Certè ſi nihil amplius in Hiſtoria fuiſſet quàm hoc, videtur impoſſibile ut Chriſtiana cauſa eum habitura fuiſſet ſucceſſum, quem reverà habuiſſe deprehendimus.

5. Quamobrem proculdubiò primi Evangelii prædicatores ad hæc omnia addebant, & cum admiratione ſanè & conſternatione Audientium; Hunc *Jeſum*, quem *Judæi* hoc modo crucifixerant, per mirificam Dei manum ſuſcitatum eſſe è ſepulchro tertio die; Poſt ſuam reſurrectionem converſatum eſſe cum ſuis diſcipulis & figillatim & conjunctim, viſum eſſe ab ampliùs quingentis fratribus ſemel; In terris commoratum eſſe quadraginta dies, & poſtea conſpectum viſibiliter aſcendere in cœlos. Quæ quidem, ut erant ſupra omnem expectationem mirabilia, planéque, modò vera eſſent, non ſolùm innocentiam ſed ſingularem Divinitatem Perſonæ Jeſu arguebant; ità certè erant tam incredibilia, ut nemo ipſis fidem habere poſſet, præſertim cum tam præſentaneo periculo conjunctam, niſi ab eis narrata eſſent qui oculati eſſent teſtes & illibatâ vitæ integritate, aut in majus rei compendium, qui ſe veros eſſe Dei nuncios per ſigna aliqua vel miracula in ipſo loco ad confirmandam veritatem ſuæ narrationis edita, demonſtrarent.

Act. 1. *v.* 3.

6. Hæc igitur ſumma erat ipſorum nuncii; Quòd nihil erat niſi notitia Facti, quod ipſi pro certo verum eſſe cognoſcebant, & ſeriò ac fervidè mundo declarabant abſq; omni arte & eloquentia. Apoſtoli enim homines erant omnino illiterati, Piſcatores, Publicani, & conſimiles, neq; ulla arma habebant quibus homines ad fidem ſubigerent, præter ſimplicem, quanquam affirmatiſſimam & ſeriam, narrationem earum rerum quas ipſi pro certo nôrint, affirmabántq; ea cum conſtantia, ut pacem ſuam ac quietem, fortunas, vitáſq; tanquam pignus veritatis rerum earum quas affirmârint, deponerent. Quod certè teſtimonium falſum eſſe non poterat, quippe quòd erat, utì dixi, de notitia facti, de *Reſurrectione* ſcilicet *Chriſti*, in qua tam multos decipi impoſſibile erat: Nec in opinionem quidem cujuſquam cadere poteſt, quòd aut contra proprias ſuas conſcientias aliis decipiendis operam darent, aut fine ſufficienti cognitione rem affirmare vellent quæ nihil præter odium & offenſionem, præter carceres, cruciatus, ac mortem, ipſis eſſet conciliatura. Intereà verò loci per miſella hæc ac contemptibilia Inſtrumenta, (quæ nec Politicâ autoritate adjuti erant (ſed ab ea oppreſſi) nec Arte ullâ aut eloquentiâ inſtructi, (*Paulo* ſolùm excepto, qui neutrâ tamen utebatur) & per ſucceſſionem eorum quos ipſi converterant, intra pauca ſecula totus ferè mundus Chriſtianis ſcatebat omnium conditionum ac graduum, nobilibus pariter ac ignobilibus, literatis & illiteratis, quanquam eò nullo ſeculari commodo invitatis, ſed è contrà miſeriæ ac perſecutioni perpetuò expoſitis.

expoſitis. Quæ omnia ſeriò perpenſa, unà cum accuratiſſima congruitate & perſpicuitate *vaticiniorum* de *Meſſia*, non poſſunt ſanè quin demonſtratio veritatis Religionis Chriſtianæ, non minùs quidem certa quàm demonſtratio quævis Mathematica, cuilibet æquo rerum æſtimatori videantur.

CAP XVII.

1. *Ad objectiones* Judæorum *contra adventum* Meſſiæ *Reſponſum.* 2. *Atheorum* Ariſtotelicorum *Evaſio pompatica, ſupponendo omnia Miracula & Apparitiones Effecta eſſe* Intelligentiarum *corporumq; Cæleſtium.* 3. *Hypotheſios reſtrictio per* Vaninum *ad unam* Animam cœli. 4. *Intoleranda illius ſuperbia ac vanitas.* 5. *Confutatio illius opinionis &* Ariſtotelici *Atheiſmi à motu Telluris.* 6. Vanini *ſubterfugium cum ſeipſo collidi.* 7. *Quòd* Chriſtianitas Judaiſmo *ſucceſſerit, ſpeciali Dei conſilio factum eſſe, non Influentiâ Stellarum.* 8. *Summa* Cardani *fatuitas in calculando nativitatem Servatoris, cum demonſtratione quàm abſurda ſit* Vanini *exultatio in impia ſua opinione, quòd* Mahometes, Moſes & Chriſtus *ſyderei eſſent* Legiſlatores *& ejuſdem planè Autoritatis.* 9. *Impudentiam & impietatem horum duorum Thraſonum Authorem coëgiſſe ad pleniorem detectionem* Nugalitatis *Principiorum* Aſtrologiæ.

1. OBjectiones quarum mentionem facturi eramus, à duabus ſunt partibus, à *Judæo* ſcilicet & ab *Atheo.* Illa à *Judæo* præcipuè hæc eſt; Quòd conditio temporum ſub *Chriſto* cum Vaticiniis de Temporibus *Meſſiæ* non convenit. Non eſt ea pax & concordia, (nè in ipſo quidem orbe Chriſtiano,) nec in *Eccleſia* nec in ſtatu *Civili*; neq; hactenus extirpata eſt *Idololatria*, neb; *Iſraëlitæ* in ſuam terram reducti & reſtituti. Quæ tamen omnia tanquam eventura in temporibus *Meſſiæ* erant prædicta. Unde manifeſtum eſt, inquiunt illi, *Meſſiam* nondum adveniſſe. Sed breviter reſpondeo, 1. Quòd Promiſſa Prophetica de adventu *Meſſiæ* abſoluta erant, quemadmodum jam * ſuprà notavi; amplitudo verò effecti ipſius adventûs conditionalis, cùm homines ſint *Agentes liberi*, non *fatales* rerum ſuarum *peractores*, quod nec ipſi *Judæi* negare poſſunt. 2. Quòd ipſa Evangelii natura atq; indoles eò tendit ut implerentur illa Promiſſa de univerſali pace ac juſtitia, incepítq; ſatìs auſpicatò ac ſplendidè in primis Eccleſiæ temporibus, quantum quidem Eccleſiam ipſam ſpectabat. 3. Quòd, qualiſcunq; relapſus aut impedimentum poſtea acciderit, res non ſunt adeò in deſperato quin procedente tempore emendari poſſint, quódq; illi, in illis diebus quando converſi fuerint ad Chriſtum, poterunt, ſi id tunc ipſis adeò volupe futurum eſt, in terram ſuam redire. Sed enim, poſt hanc ſeriam eorum converſionem realémq; animorum renovationem in ſtatum verè Chriſtianum, vix equidem credo eos in tam puerili ſenſu permanſuros ut hujuſmodi res ullo pretio ſint habituri, verùm inventuros ſe in ſpirituali terra *Canaan* jam eſſe conſtitutos, & in itinere ſuo ad illam *Hieroſolymam*, quæ ſurſum eſt, quæq; mater eſt noſtrum omnium, nec penès quemquam fore præter ſeipſos, eos exturbare è via.

Cap. 16. ſect. 1.

** Vide lib. 1. cap. 1. ſect. 6.*

2. Altera Objectio vel potiùs Evaſio ſaluberrimi illius usûs qui fieri poteſt de Veritate Hiſtoriæ Chriſti, ab illo genere Atheorum eſt qui *Ariſtotelici* amant appellari. Sunt enim duo Atheorum genera, *Epicureum* unum, alterum *Ariſtotelicum.* Primi negant omnes ſubſtantias *incorporeas* quaſcunque, omnéſq; *apparitiones, miracula* ac *vaticinia* quæ eaſdem inferre poſſint. Qui quidem ex irrefragabili hac declaratione quam fecimus abunde jam ſunt confutati. Alteri ſubſtantiis incorporeis non adverſantur, nec Vaticiniis ſanè, Apparitionibus aut Miraculis, etiam maximè illuſtribus, adeò ut non diffugiant quin agnoſcant Hiſtoriam Chriſti, Reſurrectionem ejus, ſuíq; ipſius exhibitionem poſt mortem, Vaticinia etiam de ipſo, & quid non? Verùm habent ſanè argutum hoc ſubterfugium quo ſe ſartos tectos à recipiendo quicquam indè commodi, conſervent, propterea quòd nullam talem Providentiam particularem eſſe ſtatuunt qualem nos indè inferre volumus. Siquidem hæc omnia per influentiam cœleſtium corporum perfici poſſunt ab *Intelligentiis* ad ſingulas ſphæras pertinentibus actuatorum, modóq; naturali, ab eo qui in ſummo orbe reſidet, iſtiuſmodi influentias derivantium, quæ ſecundùm certas Naturæ periodos novos *Legiſlatores* producant, facultatem ipſis indentes edendi miracula, eíſq;

opitulantes per apparitiones, & viſiones Angelorum, facientes ut illîc videantur eſſe ubi reverà non ſunt, & ut appareant poſtquam eſſe deſiverint. Cùm tamen interim nec Angeli ſint nec Animæ ſeparatæ, ſed tranſitoria effecta ſint hæc omnia virtutis cœlorum & configurationum cœleſtium corporum, quæ paulatim deferveſcit: Unde ſtellarum influentiâ deficiente, una deficit ſimul Religio, alteráq; vigere incipit. Ad hunc modum *Judaiſmus* locum ceſſit *Chriſtianitati*, & *Chriſtianitas*, in multis Terræ partibus, *Mahometiſmo*, quippe quæ omnes *Leges* ſunt è mutabili Naturæ curſu profectæ, non immediato Dei digito deſignatæ, qui ſedem in octava ſphæra occupans, nullo modo particulari rebus humanis ſe intermiſcet, ſed ad diſtantiam tantummodò, cœleſtium *Intelligentiarum* ope, virtutiſq; Stellarum, generalia quædam Providentiæ ſpecimina in terreſtrium Creaturarum progenies tranſmittit.

3. Bella profectò ſpeculatio, & quæ duos iſtos argutos in Philoſophia fatuos *Pomponatium* & *Vaninum* apprimè condecet. Quorum tamen poſterior elegantulo huic figmento non uſq; adeò plenè & conformiter antiquæ Ariſtotelis doctrinæ ſeipſum videtur dedidiſſe; ſed magnas cum rebus incorporeis inimicitias gerens, oppidò quàm avidè earum numerum minuere, quantum poteſt, conatus eſſe, magnoperéq; ſibi applaudere, ſe hoc tandem aſſecutum, quòd una ſcilicet ſolummodò Cœlorum Anima æquè efficaciter atq; Intelligentiæ *Ariſtotelicæ*, ad hæc omnia obeunda ſufficere poſſit. Atq; ea propter de iſtis ſubinde dubitat, hanc verò ſeriò affirmat & tanquam unicum illud Intellectuale & Immateriale principium ſupremúmq; Numen confirmat; ſed tale quod non aliter operetur quàm modo naturali & per Periodicas cœleſtium corporum Influentias. Ubi obſervare licet aſtutiam hominis ac ſubtilitatem, quámq; ſedulò ſuæ proſpiciat incolumitati, dum in ſupernis illis ſedibus Deitatem incarcerat, nè ipſi damni quicquam ſuâ vicinitate inferret, & ut extra ejus telorum jactum pari ſpacio remotus eſſe poſſit atq; *Tellus* eſt à *Luna*. Tam cautus ſanè conſiliarius eſt in hujuſmodi rebus, mala ac degener conſcientia.

4. Hoc præcipuum eſt Arcanum quod *Amphitheatrum* illud celebratíq; *Dialogi* hujus ſtupendi Ingenii ſuppeditant, qui adeò titillatus eſt admiratione ac opinione ſuarum animi dotum & abreptus, ut in poſteriori illo libro à jactando quidem ſeipſum Deum propter egregiam ſuam ſcientiam ac ſapientiam abſtinere non poſſet: Cùm tamen proculdubiò nemo quiſquam fuerit, cujus ſuiipſius exiſtimatio & arrogantia rationem ingenii dotum æquè exceſſerit atq; miſelli hujus homuncionis ſuarum. Neq; enim apud ipſum quicquam memoratu dignum occurrit præterquam quod ſcævus ille & tortuoſus ſcriptor *Hieronymus Cardanus*, quanquam paulò modeſtiùs, mundo antè divulgaverat. *Vaninus* illuc tantum addidit magìs rancidum guſtum Impietatis ac Prophanitatis.

5. Equidem, attributionem tam nobilium Eventorum virtutibus Stellarum nihil aliud eſſe quàm putridas quaſdam veteris Paganicæ ſuperſtitionis reliquias, aliàs inſinuavi; ſatíſq; manifeſtò demonſtravi in * Libro de *Animæ Immortalitate*, nullam eſſe talem cœleſtibus corporibus inſitam Divinitatem, qualem & antiqua *Superſtitio* affirmavit & recentiores quidam *Philoſophaſtri* volunt imaginari. Atq; hîc evidenter probaturus ſum contra glorioſum hunc *Thraſonem*; Remotionem Deitatis ad illam à Terra diſtantiam planè eſſe impoſſibilem. Vix enim nunc dierum ſunt qui nomen ſuum inter Philoſophos auſi ſint profiteri, qui motionem Terræ non æquè promptè agnoſcunt ac realitatem *Antipodum* & *Sanguinis circulationem*. Hoc unicum igitur hîc rogare velim *Vaninum*, An non admiſſurus ſit Solem in illo cœlo eſſe in quo is ſuam ineſſe imaginatur *Cœli Animam*? Et an cœlum hoc non extenſum ſit longè ultra Solem, ſedéſq; ſit hujus ſuæ cœleſtis Deæ? Nemo omnium, opinor, eſt qui hæſitabit quin ſtatim ipſius vice reſponſurus ſit, Rem extra dubium ità ſe habere. Quocirca continuò indè inferam, Quòd, licèt imperita illius Imaginatio nos in *Univerſi* loco quàm volet humillimo verſari concipiat, ſex menſium tamen ſpacio æquè longè ſupra vel ultra ſolem ſubvecti erimus quàm nunc ſumus infra eum depreſſi, & tamen imaginabimur noſmetipſos æquè tunc depreſſos atq; antea. Quod planè innuit Tellurem Lunámq; in liquido Æthere natare, qui cùm ubiq; ſit, neceſſe eſt & hanc *Vanini* Deitatem ubiq; ſimiliter eſſe; quanquam illius degener animus adeò miſerè ſibi metuebat à tam ſancto vicinio, nec opinionem poterat tam *præſentis Numinis* ferre. Atq; ſic ſanè motus *Telluris* annuus omnem illam ſuperſtitioſam *vim* detrivit & *ſanctitatem*, quam antiquus Paganiſmus dederat, & *Ariſtotelici* etiamnum Athei datam volunt *Soli*, *Planetis* atq; *Stellis*, & vel inviti cogimur per Naturæ lumen humanámq; rationem, verum illud Principium agnoſcere, à quo omnes res miraculoſæ proveniunt, Deum utiq; ubiq; præſentem, in quo vivimus, movemur & ſubſiſtimus.

* *Vide Præfat. ſect. 4 & lib. 2 cap. 14.*

6. Prætereà,

6. Prætereà, ſuppone *Prodigia* omnia, *Apparitiones* & *Vaticinia* mediante influentiâ cœleſtium corporum fieri, his *Intelligentiis*, vel *illâ Animâ* cœli operantibus per ea in perſonas hominum ad inſpirandos eos, commutantibúſq; Aërem in *Repræſentationes* ac *Viſiones* quæ cum ipſis colloquantur, hoc velamentum tamen anguſtius eſt quàm ut fatuitatem hujus miſelli *Sophiſtæ* contegat, cùm ſuppoſitio hæc ſeipſam planè deſtruat. Agnoſcit enim has *Inſpirationes* & *Vaticinia* vera eſſe, quæ ſic à Sydereis illis virtutibus derivantur. Eſt verò evidens, qui maximè illuſtres Prophetæ fuerunt, verſatos fuiſſe cum Angelis, cúmq; eis collocutos, atq; rem ſic fuiſſe literis etiam mandâſſe. Ut exempli causâ, Propheta *Daniel* cum *Gabriele* Angelo collocutus eſt, Chriſtus etiam ſermonem habuit cum *Moſe* & *Elia* in monte *Tabor*, & *Moſes* cum Angelo Dei in monte *Sinai*. Prætereà *Chriſtus* qui tam mirificè inſpiratus erat cœlitúſq; adjutus, plus ſemel atq; iterum pronunciavit, bonos beatum manere ſtatum poſt hanc vitam; Quæ omnia ſupponendo pauliſper Dictata eſſe ac Repræſentationes *Influentiarum Aſtralium*, ex *Vanino* quæro quî fit ut ipſe ſapientior ſit iis quibus tam miraculoſa obtigit Aſſiſtentia; ut is utiq; has Angelorum viſiones reſciret tales non eſſe quales illi qui viderant, eas fuiſſe retulerunt; *Moſémq;* & *Eliam* non Spiritus fuiſſe *Moſis* & *Eliæ*, ſed tranſitorias ſolummodo Figurationes Aëris à cœlorum *Influentiis* excitatas? Ex ipſo porrò quererem an non cenſet *cœleſtem Aſſiſtentiam*, (quæ juxta propriam ipſius opinionem homines certiores facere poteſt de rebus poſt mille annos futuris (hujuſmodi enim erat prædictio necis *Julii Cæſaris* in Senatu, quantumvìs rei admodum contingentis) certò eos edocere poſſe, quibus illi viſum fuerit tam mirificè opitulari, utrùm *Animæ humanæ mortales ſint an immortales*, quod longè cognoſcibilius eſt *æthereis* illis *Poteſtatibus* quàm illud alterum. Quamobrem miſerum hoc Figmentum quo ſe ab agnitione *Angelorum* vel *Dæmonum*, & à ſubſiſtentia Animæ poſt mortem à qua adeò abhorret, eximere velit, nihil ipſi prodeſt, ſed eum magìs temulentum arguit, magíſq; levem ac vertiginoſum, dum veritatem hujuſmodi narrationum admittit, & genuinas tamen negat earum conſequentias, quàm illi ſint qui ipſis narrationibus omnem derogant fidem.

7. Quod verò objicitur de *Chriſtianitate* exturbante *Judaiſmum*, & de *Mahometiſmo* in multis Terræ partibus exturbante *Chriſtianitatem*, partim falſum eſt, partim nihil ad Propoſitum. *Chriſtianitatem* exturbâſſe *Judaiſmum* propriè dici poſſe, valde falſum eſt. *Judaiſmus* enim matureſcebat potiùs & adoleſcebat in perfectionem *Chriſtianitatis*, quàm ſuffocabatur, ſufflaminabatúrve adverſo quoquo flatu Syderearum earum *Influentiarum* quas ille ſomniat. Videmus enim ut res progreſſæ ſunt uno continuato Propoſiti tenore ab *Abrahamo* uſq; ad *Chriſtum*, quemadmodum vaticinia ac Prædictiones in ſacris Paginis planè teſtificantur. Deus promiſit *Abrahamo*, in illius ſemine omnes Terræ nationes felices fore. *Jacobus* in lecto moribundus, Politiam Judaicam ac Religionem non defecturam prædixit donec *Meſſias*, *Judæus* ac filius *Abrahami*, advenerit, ad quem Gentium confluxus futurus eſſet; atq; ſic in * aliis vaticiniis quæ jam recitavimus & applicavimus. Unde manifeſtum eſt manum conſiliúmq; eſſe Dei, (ut qui ſibi firmiter conſtat, cujúſq; Sapientia ac Providentia ab extremo ad extremum ſe extendit) quæ hanc rem olim inceperint promoverintque, non tumultus, adverſóſve flatus variorum aſpectuum cœleſtium corporum quæ nunc extruant, nunc deſtruant, pro diverſitatibus ac contrarietatibus Schematiſmorum ſuorum & Configurationum.

Vide lib. 5. cap. 17 ſect. 2.

** Lib. 7. cap. 5, 7, 8.*

8. Nec quicquam profectò aliud præter levitatem animi inanémq; gloriam *Cardanum* poterat ad tam temerarium auſum incitare; ut *Servatoris nativitatem* calcularet, cùm & annus ejus natalis tam incertus ſit apud exercitatiſſimos Chronologos, ipſáq; Aſtrologia res ità prorſus abſurda ac frivola, quemadmodum mox demonſtrabimus. Nec ullum ingenii ſpecimen eſt ſed craſſæ impietatis, *Mahometiſmi* ortum *Judaiſmi* ortui & *Chriſtianiſmi* tam audacter æquiparare; tanquam ſi *Moſes*, *Chriſtus*, & *Mahometes*, *Aſtrales Legiſlatores* pariter eſſent omnes, & à Stellarum Influentiis ſimiliter adjuti & inſpirati. Opinio ſanè quâ *Vaninus* tam mirificè oblectatur, ut loco ſtare neſciat dum hanc ſententiam è *Cardano* commemorat, ità totus agitatur inebriatúrq; gaudio. Cæterùm hanc exultationem ejus admodum puerilem eſſe & nullo ſubnixam fundamento, tum ex eo apparet, quòd vaticinia, Divinas leges & Miracula *Stellarum influentiis* falsò attribuat, (qui ſuperſtitioſus ſanè error eſt ex veri Syſtematis Mundani ignoratione profectus) tum etiam (id ſi verum eſſet) quòd *Mahometem* (qui verſutus vir erat & purus putus Politicus, qui nec miracula edere poterat nec vaticinari) Legiſlatorem tamen imaginetur miraculoſâ cœlorum vi excitatum, tali utiq; quæ Divinos Legiſlatores ac Prophetas ad vera edenda miracula inſtruat.

inſtruat. Quibus addere potes ridiculam pervicaciam hujus perverſi Sophiſtæ, cui quantò plus concedimus earum rerum pro quibus tantopere contendit, (quòd *Mahometes* ſcilicet etiam Propheta ſit ἀσέμνως & ab *Anima cœli* illuminatus, quod juxta illius opinionem altiſſimum firmiſſimúmq; eſt Miraculorum Divinæq; Sapientiæ Principium) eò locupletius Teſtimonium habemus contra ipſius vecordiam, qui exiſtentiam Dæmonum tam obſtinatè negat & ſubſiſtentiam Animæ poſt mortem. Quæ apertè affirmantur etiam ab hoc tertio teſte quem ipſe introduxit. Ac proinde cùm ab ejuſmodi veritatibus quæ à cœleſtibus corporibus pro certo dictatæ ſint, tantoperè abhorreat, niſi ſuperbiæ exceſſus & arrogantiæ occæcâſſet Judicium ſenſúq; eum privâſſet; non potuiſſet ſanè quin ſpeciatim aculeato illo *Satyriſtæ* dicto ſentiret ſe pungi.

O curvæ in terris animæ & cœleſtium inanes!

Verùm laſſato nimiùm, vagos inſequendo ac flexuoſos levium horum & fugitivorum Ingeniorum volatus mihi fatiſcit Spiritus; Quorum temerariæ cogitationes, imaginationéſq; ſubſultoriæ æquè quidem numeroſæ ſunt ac debiles & invalidæ contra firma & immota Fundamenta *Rationis* ſolidæ ac *Religionis*.

9. Oporteret jam ad quartam *Tractatûs* partem tranſire niſi quòd intolerandæ impudentiæ *Cardani* in calculando Servatoris Nativitatem conſideratio, & nefaria *Vanini* ſuper ea re exultatio (tanquam ſi Religio omnis nihil eſſet aliud niſi Influentia Naturæ & tranſitorius Stellarum Flatus) invitet imò cogat me provocétq; ad retegendam execrabilis ipſorum artis vanitatem, in qua conſpirârunt ad blaſphemandum Deum & ad reddendam Religionem contemptibilem hominibus atq; inutilem.

CAP. XVIII.

1. *Argumenta plauſibiliora pro Arte Aſtrologica propoſita.* 2. *Prima Rudimenta dictæ Artis.* Qualitates Planetarum *ipſarúmq; penetratio per terram.* 3. *Quòd Terra ipſis æquè pervia eſt atq; Aër, déq; diviſione* Zodiaci *in* Trigonos, *&c.* 4. Eſſentiales dignitates *Planetarum.* 5. Dignitates *eorum* Accidentales. 6. *De duodecim* Domibus cœleſtibus, *& de quinq; modis erigendi* Schema. 7. *Quàm neceſſaria ſit accurata momenti temporis cognitio, veræq;* Longitudinis & Latitudinis *loci.* 8. Directio *quid ſit, & qui præcipui* Directores *vel* Significatores. 9. *De* Apheta & Anæreta, *déq; tempore quando* Anæreta *fatalem ictum infligat.*

1. BRevem igitur hanc digreſſionem faciemus ut exponamus vobis ante oculos extremam ineptiam & futilitatem falsò nominatæ Artis *Aſtrologiæ*; Cujus præcipuæ rationes generales, particulariáq; Principia hæc ſunt quæ ſequuntur.

1. Primò, afferunt, Rem eſſe citra omnem fidem, tam innumerabilem Stellarum multitudinem, quarum lux non magni ſanè momenti ſit, nec poſitio ipſarum tam exquiſita ut ornamento mundi multùm inſerviat, in nullum alium finem factam eſſe quàm ut aſpectentur. Quamobrem aliud aliquod Myſterium, inquiunt illi, ſubeſſe oportet, Stelláſq; abditis quibuſdam Influentiis eſſe præditas, ac peculiares ſuas virtutes habere ſingulas, æquè diſtinctas quidem atq; herbas floréſq; campi, ipſorúmq; artem Aſtrologicam eſſe, quæ harum profitetur ſcientiam.

2. Rurſus, Terra & Aqua cùm ſint, ut videmus, corpora adeò ſimplicia, varias iſtas Naturæ productiones, abſq; infinita hac varietate cœleſtium corporum, Stellarum utique, diverſiſq; earum Influentiis in Terram fieri non poſſe. Hoc magnus eorum Hyperaſpiſtes *Chriſtophorus Heydonus* tanquam Principale argumentum in eorum cauſam perquam acriter urget.

3. Tertiò, manifeſtum eſſe, quòd *Luna* humidam habet Influentiam, quódq; in Pleniluniis plerorumq; Animalium Cerebra, Æturorum oculi, Conchyliúmq; viſcera in majorem molem intumeſcunt, quódq; Noviluniis viciſſim imminuuntur.

4. Quartò, Lunam etiam (quod non ſine admiratione obſervamus) Fluxum Refluxúmq; Maris gubernare, ejúſq; Influentiæ effectus perinde quando ſub *Horizonte* eſt à nobis cerni atq; cùm ſupra, quando propè à *Nadir* noſtro abeſt atq; cùm propè abeſt

abeſt à *Zenith.* Unde, inquiunt illi, manifeſtum eſt, cœleſtia corpora non ſolùm vim aliquam habere atq; Influentiam præter lucem, ſed & ſubtilem magis, magiſq; penetrantem quàm eſt ipſa Lux; quippe quæ viam ſibi fodere poteſt per ipſam Terræ craſſitiem, effectúmq; in parte ejus ulteriori ſortiri. Quorum utraq; ut ut miranda, ab acu magnetica porrò confirmant, quæ ſtellam Polarem tam conſtanter ſpectat, etiam ultra Tropicum *Capricorni* poſita; ubi *Polus Borealis* viginti trigintave gradus infra Horizontem occulitur. Unde manifeſtum eſt, inquiunt illi, Influentiam ſtellæ *Polaris* per ipſa Telluris viſcera penetrare, inſignéq; argumentum eſt ſecretæ ac irreſiſtibilis virtutis reliquorum corporum cœleſtium.

Quintò, *Stationem*, *Directionem*, & *Repedationem* Planetarum rem eſſe tam miram & myſterio plenam, ut non veriſimile ſit quòd inæquales hæ motiones ederentur, niſi irregulares iſtæ hàc illàc excurſiones, iſtæ retrogreſſiones progreſſionéſq; opus aliquod alabratorium eſſet, quoddámq; nendi ac texendi fata fortunáſq; rerum ac Perſonarum in mundo hoc inferiori, artificium. 5.

Sextò & ultimò, Experientiam Anniverſariam nos docere, quòd acceſſus Solis mundum renovat, annuámq; facit Reſurrectionem Plantarum & Inſectorum, taliúmq; Animalium quæ ex putrifactione gignantur, nullúmq; alium patrem habeant, præter flammanti barbâ Solem. Itaq; unus hic Planeta ſi tam miranda perficit, reliquos proculdubiò planetas ſtelláſq; fixas factas non eſſe fruſtrà, ſed ſuas virtutes habere atq; operationes æquè ac ille, quorum efficaciam & influentiam, noſtræ, inquiunt hi Stellarum Aſpectatores, artis eſt, præcisè ac particulatim definire. Adjicere huc deniq; potes, ſi lubet, ex *Origano*, Fervorem *Caniculæ*, humidámq; Influentiam *Hyadum* & *Arcturi.* 6. Hæ ſunt generales Rationes maximè plauſibiles quibus hi Impoſtores profeſſionem ſuam ſuffulcire conantur. Verùm nunc præcipua principia particularia, primáve Rudimenta deſcribemus hujus adeò adamatæ Scientiæ, quemadmodum illi eam exiſtimatam volunt, atq; utriſq; tunc ordine reſpondebimus.

2. Quamobrem, ſecundùm *Origanum* (quem præcipuè ſecuturus ſum in his Aſtrologicis Principiis deſcribendis, non omnibus quidem ſed quotquot deſcripſiſſe ſufficiat; nec ulla ſum deſcripturus quæ ipſi pro Principiis non agnoſcant, nec omiſſurus ulla quæ æqualis momenti ſint cum his quæ deſcribo.)

Primùm, ab ipſis docetur, *Planetas* maximam habere influentiam in terreſtria corpora; verùm *ſtellas* ſimul *fixas* æquè ac illos virtutes habere adeò potentes ut ipſa Telluris penetralia permeent. E planetis *Solem* calidum eſſe, & humidum magis quàm aridum, *Martem* calidum eſſe & vehementer aridum, *Saturnum* aliarum ſtellarum influentiam calidam impedire, ſummóq; gradu eſſe frigidum, quemadmodum & ſiccum. Ab his duabus qualitatibus quæ principiis vitæ contrariantur *Saturnum* vocari *Infortunam* majorem, *Martem Infortunam* minorem, quippe quòd calor vitæ non eſt contrarius, quamvis ariditas ſit. *Jupiter* etiam æſtimatur *Fortuna* major, quoniam ſufficientem humorem habet cum calore temperatum. Verùm *Venus Fortuna* minor, utpote cujus humiditas calorem ejus excedit. Ab hac diſtinctione *calidi*, *frigidi*, *aridi* & *humidi*, Planetæ etiam dividuntur in *Maſculinos* & *Fœmininos*, *Diurnos* & *Nocturnos*, &c. Adeò ut ſi hæ ſuppoſitiones de *Ariditate*, *Humiditate*, *Frigiditate* & *Caliditate* corruerint, reliqua omnia ſimul cum ipſis ſint corruitura.

3. Cæterùm illud Principium, ut ego quidem exiſtimo, obſervatu magis dignum eſt quod jam perſtrinximus; nempe Stellarum Planetarúmq; Influentias liberè per terram tranſire. Prout in illo *Ptolemæi* Aphoriſmo innuitur, qui ab *Origano* citatur. *Maſculeſcere* & efficaciores dici Planetas qui ab *Horizonte ortivo* vel *occiduo* deducuntur ad *Meridianum* ſupra vel infra terram, *effœminari* verò qui contrá. Quod planè indicat influentias eorum æquè facilè per Terram tranſire ac per Aërem. Alioqui proculdubio illi Planetæ qui tendunt ab *Horizonte* occiduo versùs *meridianum* ſub terra, damno ac debilitatione, quantùm ad effectus, afficerentur. Illud etiam hac Hypotheſi nititur, (*Tellurem* ſcilicet *Stellarum Influentiis* nulli eſſe impedimento;) Nempe quòd *Jupiter Conſignificator* exiſtens in domo ſecunda denotat divitias, & quò plures Planetæ in domo ſexta ſunt, eò magis ſubjectum eſſe morbis qui naſcitur. Stelláſq; fixas & Planetas potentiſſimè agere in *Cardinibus* cœleſtium Thematum, è quorum tamen numero *Imum cœli* eſt unum. Quæ quidem omnia Terram ſupponunt æquè perviam cœleſtibus Influentiis atq; ipſum Aërem.

Ut omittamus alias *Signorum* diviſiones in *Mobilia*, *Fixa*, & *Bicorporea*, in *Maſculina* & *Fœminina*, &c. deſcribam ſolummodò diviſionem illorum magis celebrem, in *Trigonos.* Ut in *Trigonum Igneum*, Arietem, Leonem Sagittarium; *Terreum*,

reum, Taurum, Virginem, Capricornum; *Aëreum*, Geminos, Libram, Aquarium; *Aqueum*, Cancrum, Scorpionem, Piſces.

4. Perbellas etiam res nos docent de *Dignitatibus* Planetarum, quæ ſunt aut *Eſſentiales* aut *Accidentales*. *Eſſentialis dignitas* nihil aliud eſt niſi incrementum innatæ virtutis Planetæ ex eo quòd in hoc vel illo loco ſit *Zodiaci*, quemadmodum *Origanus* definivit.

Prima *Eſſentialis* dignitas eſt *Domus* Planetæ. Exempli gratiâ, *Leo* eſt domus *Solis*, *Cancer*, *Lunæ*; & propterea quòd plura ſunt *Signa* quàm *Planetæ*, in ſortem reliquis cedit ut binas ſinguli habeant domos; cum tali aſpectu ad domos *Luminarium* qui bonitatem vel malignitatem naturæ eorum maximè condeceat. Verbi causâ, *Capricornus* & *Aquarius* Infortunati *Saturni* domus eſſe debent, quoniam eorum aſpectus *Luminarium* domibus eſt *oppoſitus*. *Sagittarius* & *Piſces* domus *Jovis* quia eorum aſpectus ad ſupradictas domos *Solis Lunæq*; benignus eſt, utpote *Trinus*. Verùm *Mars Arietem* & *Scorpium* pro ſuis domibus habet, quippe qui cùm ipſe ſanè malignus planeta ſit, domos ſuas habere debet ad domos *Solis* atq; *Lunæ* maligno aſpectu ſitas, nimirum in *Quartili*, &c. Et quemadmodum in ſuis eſſe domibus *Dignitas* eſt, ità in *Signo* oppoſito verſari, nuncupatur *Exilium* habetúrq; pro magno Planetæ *Detrimento*.

Secunda *Eſſentialis* Dignitas eſt *Exaltatio*; utì *Aries exaltatio* eſt *Solis*, quoniam illius Efficacia tam conſpicua eſt in Vere, & propterea *caſus* ejus debet eſſe in *Libra*: Quæ è contrà *exaltatio* debet eſſe *Saturni*, cùm ille Planeta temperamento frigido ſit, contrà ac ſit in *Sole*. *Caput Draconis* etiam exaltatur in *Geminis*, quemadmodum *Albumaſar* ex *Hermete* nos docet, & deprimitur rurſus in *Sagittario*.

Tertia *Eſſentialis* Dignitas eſt *Triangularitas* ſive *Triplicitas* quâ Planetæ quidam ſuorum Trigonorum conſtituantur τριγωνοκράτορες. *Sol* & *Jupiter* Trigoni *Ignei*; *Luna* & *Venus* Trigoni *Terrei*; *Saturnus* & *Mercurius Aërei*; & quia octo Planetæ non ſunt ſed ſeptem ſolummodò, *Mars* ſolus eſt *Aqueæ* Triplicitatis *Trigonocrator*. Omitto quicquam dicere de ὁρικοθεσία ſive *dignitate Terminorum*, qui ad duo *Luminaria* nihil ſpectant.

Carpentum, quod quinta dignitas eſt, non eſt niſi coacervatio quatuor præcedentium. *Perſona* vel *Almugea* eſt quando eadem eſt Configuratio *Solem Lunámve* inter & alium Planetam, quæ eſt inter ipſorum domos. *Decanatus* eſt Præfectura Planetarum ſuper ſingulos denos gradus ſignorum in *Zodiaco*. Ut *Martis* ſuper primos denos gradus *Arietis*, *Solis* ſuper ſecundos, *Veneris* ſuper tertios; *Mercurii* ſuper primos denos gradus *Tauri*, *Lunæ* ſuper ſecundos, *Saturni* ſuper tertios, & ſic deinceps ſecundùm ordinem Planetarum, uſq; dum omnes deni gradus *Zodiaci* peragrati ſint.

Ultima Eſſentialis dignitas eſt *Gaudium*. Quod iis tantum Planetis competit qui duas habent domos, atq; tunc accidit quando Planeta collocatur in illa domo quæ naturæ ſuæ maximè conveniat.

Præcipuæ harum *Dignitatum* ſunt *Domus*, *Exaltatio* & Triplicitas. Prima enim quinq; poteſtates habet, ſecunda quatuor, tertia tres. Verùm ὁρικοθεσία duas tantùm habet, & *Almugea* & *Gaudium* non niſi unam ſingulæ.

5. Dignitates *Accidentales* oriuntur vel ex eorum poſitura ad *Solem*, vel ex motu in ſuis orbibus, vel ex mutua ſua Configuratione.

Reſpectu Poſituræ ad Solem, aut ſunt in *Cazimi*, aut *Combuſti* ſive ὑπαυγοι, aut à *Combuſtione liberi*, aut *Orientales* & *Occidentales*. Eſſe in *Cazimi* eſt corporaliter jungi cum *Sole*, impertitq; Planetæ quinq; fortitudines. Eſſe *combuſtum* ſive ὑπαυσον eſt diſtare decem vel quindecim gradus à *Sole*. Hæc Poſitio quatuor vel quinq; *detrimentis* Planetam afficit. *Liberum* verò eſſe à *Combuſtione* quinq; fortitudines addit. *Saturnus*, *Jupiter* & *Mars* à *conjunctione* ſua uſq; ad *oppoſitionem* cum Sole *Orientales* ſunt & lucrantur duas fortitudines; verùm ab *oppoſitione* ſua uſq; ad *conjunctionem* ſunt *Occidentales* & duo patiuntur detrimenta.

Reſpectu motuum Planetæ ſunt *Directi* vel *Retrogradi*, *Celeres* vel *Tardi* aut *Stationarii*. *Directio* quatuor habet fortitudines, *Retrogradatio* quinq; debilitates, *Statio* debilitates duas.

Configuratio ſive *Aſpectus* eſt *Sextilis*, *Quartilis*, *Trinus*, *Oppoſitio* & *Conjunctio*. *Conjunctio* benignorum Planetarum quinq; addit Fortitudines, malignorum Debilitates quinque. *Sextilis* & *Trinus* benigni aſpectus ſunt, *Quartilis* & *Oppoſitio* maligni, &c.

6. Cæterùm ut propiùs ad culmen Artificii aſcendamus, deſcribemus jam ſcitas iſtas quas fecerunt Cœli formationes in *Domos Duodecim*, in Aſtrologicorum ſuorum Schematum

Schematum *Erectione* notatas. Prima domus incipit ab *Horizonte orientali* & numeranda eſt ſecundùm ordinem Signorum Orientem versùs, vocatúrq; *Horoſcopus* & *Domus vitæ*. Secunda ἀναφορὰ & *domus Lucri*. Tertia θεὰ & *domus Fortunæ*. Quarta ὑπόγειον, *Imum cœli* & *domus Patrimonii*. Quinta ἀγαθὴ τύχη & *domus Liberorum*. Sexta κακὴ τύχη & *domus Ægritudinum*. Septima δύσις & *domus Nuptiarum*. Octava ἐπικαταφορὰ & *domus Mortis*. Nona θεὸς & *domus Religionis*. Decima μεσουράνημα *Cor cœli* & *domus Honorum*. Undecima ἀγαθοδαίμων vel *domus Amicorum*. Duodecima κακοδαίμων vel *domus Carceris*. Harum domuum ſingulæ ſuum habent *Conſignificatorem*. Prima domus *Saturnum*, ſecunda *Jovem*, tertia *Martem*, quarta *Solem*, & ſic deinceps juxta Ptolemaicum ordinem Planetarum. Secundùm quem etiam conſtituunt ſuos χρονοκράτορας vel *Alfridarios* tribuentes Planetis per ſucceſſionem dominium ſeptenne à nativitate. Primum utiq; ſeptennium *Lunæ*, Secundùm *Mercurio*, Tertium *Veneri*, &c.

Jam verò hæc *Schematis Erectio* diſtributióq; cœlorum in Domos duodecim, modis fit non paucioribus quinq; quemadmodum refert * *Origanus*. Primus eſt *Julii Firmici*, qui Circulos ità per polos *Zodiaci* ducit ut incipiendo à communi Sectione *Eclipticæ* & *Horizontis* Orientalis tota *Ecliptica* in duodecim partes æquales diſpeſcatur. Secundus eſt *Aben-Ezræ*, qui *Æquatorem* dividit in duodecim æquales partes, (ut alter *Zodiacum*,) quatuor magnos ducendo Circulos per mutuas ſectiones *Horizontis* & *Meridiani*, & per trigeſimos gradus *Æquatoris* ab *Horizonte Orientali* numerandos. Tertius eſt *Campani*, qui Principalem *Verticalem* in duodecim æquales partes circulis dividit per communes interſectiones *Horizontis* & *Meridiani* ductis. Quartò, *Alcabitius* circulos ducit per Polos mundi, & certa quædam puncta æquidiſtantia in ſemidiurno & ſeminocturno arcu *Aſcenſionis* Eclipticæ. Et poſtremò *Porphyrius* duas orientales partes *Zodiaci Horizonte* & *Meridiano* ſupra infráq; interceptas, in trinas partes dividit æquales. Tot utiq; modi ſunt ædes extruendi Caſtelláve in Aëre.

* *De motibus, part. 2. cap. 11.*

7. Ut *Erectio Schematis* Infantis fatum verè poſſit prædicere, tempus Nativitatis accuratè cognoſcendum eſt. Nam unum gradum ſi peccaveris in tempore Nativitatis, totius anni errorem in prædictione progignet; ſi minuta quinque, errorem menſis, &c. In quem finem etiam neceſſarium eſt cognoſcere *Longitudinem* & *Latitudinem* Loci.

8. Poſt *Erectionem* tam exquiſiti *Schematis* præcipua vitæ humanæ Accidentia ſe prædicere poſſe prætendunt, ídq; vel per *Profectionem Annuam* & *Tranſitionem*, vel per *Directionem*. Ultima Principalis eſt, ac proinde nè aures veſtræ miſerâ ac prodigiosâ horum Præſtigiatorum Barbarie nimium quantum onerentur, poſtquam primam è duabus prioribus, *Aſpectibus* omninò niti notavero, *Tranſitionémq;* nihil aliud eſſe quàm Planetæ tranſitum per *Nativitatis* loca ſive ſua, ſive aliorum Planetarum, ſive *Horoſcopi*, &c. animum poſtmodùm ad aliquantò pleniùs ex * *Origano* definiendam vobis naturam *Directionis* adjiciam. Quæ eſt *inventio arcûs Æquinoctialis, qui circulîs* Poſitionum *duobus intercipitur, trajectis per duo loca* Zodiaci, *quorum unum* Significator, *alterum* Promiſſor *occupat, & unà cum arcu Eclipticæ vel aſcendit vel deſcendit in data Sphæræ habitudine reſpectu circuli Poſitionis ſub quo alter eorum jacet*. Terminus à quo computatio fit eſt *Significator*, terminus ad quem *Promiſſor*. Ut ſi *Sol* dirigatur ad *Martem*, *Sol* ſignificat dignitates, & *Mars* naturam earum dignitatum, & diſtantia temporis computatur per *Directionem*. Omitto omnes Planetas omnéſq; Domos capaces eſſe *Directionis*, ſi accuratè Schema examinare velimus. Verùm præcipui *Directores* vel *Significatores* ſunt, 1. Ἀφέτης, quem *Arabes* vocant *Hylech* ab חלך, *Latini Emiſſorem* vel *Prorogatorem vitæ*. 2. *Luna* pro affectibus animi. 3. *Sol*, etiam tunc cùm Ἀφέτης eſt pro conditione vitæ ac dignitatum. 4. *Horoſcopus*, pro ſanitate ac peregrinationibus. 5. *Medium cœli*, pro nuptiis & procreatione liberûm. 6. Κλῆρος τύχης vel *Pars fortunæ* pro incremento vel decremento Divitiarum.

* *De motibus, part. 2 cap. 15.*

* *Alcochodon eſt ſtella virtutis ex qua de annis quibus natus ſecundùm Naturæ curſum victurus eſt, indicium ſumitur, niſi ratione directionis vel alterius violenti & ſubiti caſûs vita nati ſubitò obrumpatur. Vide* Origan. *de effect. part. 13.*

9. Verùm præcipuus omnium eſt Ἀφέτης ut qui vitam ipſam reſpicit, qui ad Ἀναιρέτην dirigitur ſive *Interfectorem*. Qui eſt aut aliquis, putà, Planeta qui præſens eſt in octava domo, ut *Saturnus* vel *Mars*, aut *Almuten* domûs octavæ vel Planeta cum *Almuten* conjunctus, vel *Almuten* Planetæ, vel deniq; *Almuten* Domini octavæ Domûs. Cæterùm magnum jam myſterium eſt, atq; id ſanè Tragicum, quòd ſimul atq; Ἀφέτης ad locum Ἀναιρέτου venerit, hoc eſt, *Emiſſor* ad locum *Interfectoris*, væ tunc Infantulo quòd unquam ſub tam inauſpicato ſydere natus ſit; nullum enim tunc reſtat effugium, quin mortem moriatur. Nec ſane * *Alcochodon* ejus vel *Almuten Hylegii* quicquam ipſi profuturus eſt poſtquam *Hylech* ſive *Emiſſor* in Ἀναιρέτου ſeu cœleſtis illius Lanii manus inciderit.

Hæ sunt maximè Fundamentales maximéq; solennes Nugæ seu Ineptiæ (nam sic appellari oportet) totius ipsorum Artis, ad eásq; jam reverà tales esse demonstrandas, postquam ad generales illas *Rationes plausibiliores*, quibus seipsos suffulcire volunt, respondero, seriò animum appellam.

CAP. XIX.

1. *Stellas Planetásq; suo usu non carere quamvis nulla sit veritas in Astrologia.* 2. *Quòd Stellæ non sunt causæ varietatis rerum productarum in hoc mundo inferiori.* 3. Lunæ *humefactivam vim sensibilem nullum esse argumentum pro influentia reliquorum Planetarum & Stellarum.* 4. *Nec* Fluxum *ac* Refluxum *Maris, Directionémve Acùs ad Polum Borealem.* 5. Stationem *&* Repedationem *Planetarum argumentum esse adversùs Astrologos.* 6. *Influentiam* Caniculæ, Hyadibus *&* Orioni *attributam, suam non esse sed* Solis, Solísq; *Influentiam solummodò esse calorem.* 7. *Leves occasiones Inventionis illarum* Dignitatum *Planetarum quas* Exaltationes *vocant &* Domos, *quemadmodum &* Aspectuum. 8. *Inscitia Astrologorum in præferendo Planetas Stellis fixis ejusdem apparentis magnitudinis, & in Figmento* primarum qualitatum *Planetarum, earúmq; quæ indè ortæ sint.* 9. *Temeritas in assignando corporum cœlestium Influentiis tam liberum per terram transitum.* 10. *Absurda Divisio signorum in* Mobilia *&* Fixa, *ridiculáq; Effecta quæ attribuunt* Trigonis, *unà cum demonstratione Falsitatis illius Figmenti.* 11. *Confutatio* Dignitatum Essentialium. 12. *Quemadmodum &* Accidentalium. 13. Erectionis Thematum *subversio ac distributionis Cœlorum in duodecim Domos.* 14. *Inscita professio accuratæ cognitionis momenti partûs Infantis.* 15. *Confutatio* Animodar *&* Trutinæ Hermetis. 16. *Ut & Methodi rectificandi Nativitatem per* accidentia nati. 17. *Provocatio Autoris ad peritos, si non totam falsò nominatam Artem Astrologiæ fundamentaliter confutavit.*

1. QUamobrem, ad primum generalem obtentum, Quòd ipsa existentia Stellarum Planetarúmque, si Arti Astrologicæ nihil veri subesset, in nullum usum foret, respondeo, Quòd etiamsi certæ quædam in ipsorum singulis virtutes essent & Influentiæ, non sequitur tamen eas horum arte detegi posse : Et deinde, Quantumvis nullæ virtutes essent in stellis fixis præter lucem & calorem, non indè concludi eas in nullum usum fore; Propterea quòd recentiores peritiorésq; Philosophi tot * Soles esse statuerunt. Quam Hypothesin Astrologos priùs confutare oportet quàm vim ullam valeant primo argumento inesse, evincere. Et quantùm ad Planetas iidem insinuârunt, eos etiam istiusmodi aliquem usum habere posse, cujusmodi habet nostra tellus, hoc est, matres esse posse aliquorum Animalium, quanquam nihil de eorum natura definiverunt, quò ipsorum opinio magìs innocua sit & irreprehensibilis; ut in se sanè est admodum probabilis : Propterea quòd Tellus æquè ac *Saturnus*, *Jupiter* & reliqui, circa *Solem* movetur & æquè Planeta est atq; ipsorum quisquam, quemadmodum præstantissimi Astronomorum nunc dierum non dubitant affirmare. Quod quidem primum hunc generalem Astrologorum obtentum prorsus enervat.

* *Vide lib* 3. *c.* 1. *sect.* 6. *Item Immortal. lib* 3. *cap.* 19 *sect.* 4, 5, 6.

2. Ad secundum respondeo, *Stellas* non esse nisi *Luminaria* quædam ejusdem Naturæ cujus est ipse Sol, sed aliquantò longiùs remotas, ità ut ejusdem ferè generis sit ipsarum etiam contributio. Et præterea nihil esse quod subtilem illarum Influentiam defendat excludátve, etiam secundùm Astrologorum sententiam; ac proinde etiamsi esset hæc inter ipsas varietas, tamen, cùm universa hæc varietas ad quodlibet Terræ punctum perinde pertingat, productum semper idem fore, nisi particulæ Terræ ab alia aliqua causa diversificarentur, quemadmodum reverà fit. Et Tertiò, nec ipsarum varietatem nec cœlorum influentias, si merè sint materiales, sufficientes causas esse rerum in hoc infimo orbe productarum. Quartò, materiam cœlestem ubiq; esse, Terrámq; in ea natare ut lignum in aqua, adeò ut nihil opus sit ad tam remotas & incognitas causalitates recurrere. Et postremò, universalem illum λόγον σπερματικὸν seu *Spiritum Naturæ* ubiq; pariter esse paratum ad formandam materiam in hujusmodi Figuras ac virtutes ad quas dispositio ejus maximè propendeat. Atq; hoc profectò satis est & fortean plus satis ad contundendam aciem argumenti supradicti Astrologorum *Hyperaspistæ*.

3. Equidem

3. Equidem agnoſco *Lunam* in plenilunio ſuo res quaſdam tumefacere. Quod effectum tum ſenſibile & palpabile eſt, tum etiam rationi conſonum, propter proximitatem ejus, reflexionémq; Radiorum Solarium ab ipſius corpore. Qui cùm moderatæ tantùm virtutis ſint, liquefaciunt Aërem ac vapores in magis inſinuantem Humiditatem, nec eos diſſipant quemadmodum directi ejus Radii faciunt interdiu. Quem effectum non dubito quin quivis alii Planetæ præſtare poſſent, ſi ità collocarentur ut diſcus eorum appareret æqualis magnitudinis cum diſco Lunæ, ipſaq; in locum alium amandaretur. Verùm ab hujuſmodi & rationabilibus & palpabilibus effectis *Lunæ* concludere quòd alii etiam Planetæ Stellæq; fixæ æquè potentes affectus in nos habeant, quos tamen nec ratione nec experientiâ licet deprehendere, intoleranda eſt veſania.

4. Potéſtq; quid conſimile de *Fluxu* & *Refluxu* Maris reſponderi; Cujus Phænomeni rationem ſatis probabilem *Carteſius* tradidit Princip. Philoſ. part. 4. Ellipſin ſcilicet cœleſtis materiæ anguſtari per *Lunæ* corpus quod facit ut Æther celeriùs fluat: quæ perſpicua & Mechanica eſt Phænomeni ſolutio, taliſq; quæ ſano ſenſu intellecta poſſit eſſe vera. Et deinde certâ experientiâ invenimus hunc *Fluxum* & *Refluxum* à curſu Lunæ dependere, ità ut nulla fraus hac in re ſubeſſe poſſet aut deceptio. Cæterùm ubi nulla ratio eſt nec ſufficiens experientia, quòd hoc illius cauſa ſit, alterum alterius cauſam fingere, à Rationis legibus porſus eſt alienum. Et ad *Magnetem* quod attinet Stellámq; *Polarem*, quod ſuprà dixi hîc repeto; nempe primùm minimè conſequens eſſe, ex eo quòd quædam ſint à cœlis effecta ſenſibilia, certa, & conſtantia, ut ſtatim, quæcunq; libuerit effecta ab hac vel illa particulari ſtella procedere, citra omnem debitam Experientiam & Rationem nobis liceat imaginari. Et tum poſtea, non tam *cœli* Influentiam eſſe quàm *terræ Magnetiſmum* in quo hæc directio acûs versùs Boream conſiſtit. Acus enim variat in certis quibuſdam Meridianis & tria ferè milliaria à *Roſſeburg* oppido prope ipſum Angulum ubi Mare *Finnicum* & ſinus *Finnicus* junguntur, in medio multorum ſcopulorum in gyros ſe ducit, nec ſic facere deſinit per integri milliaris ſpacium. Quòd ulteriori demonſtrationi eſt directionem Acûs à magnetiſmo Terræ dependere. Et certè ſi Eventa quæ Aſtrologi prædicere prætendunt tam firmiter ac manifeſtò eas cauſas quas ipſi afferunt, indigitarent, (hunc puta Planetam, vel illam Planetarum Configurationem Stellarúmve) quàm Acus Terræq; axis Boream, etiamſi nullam harum rerum rationem reddere poſſent, ego tamen facilè ipſorum artem probarem. Verùm cùm tam perſpicuæ ſint demonſtrationes contra Artis Fundamenta, nec ulla pro ipſis experientia certa, hæ particulares Allegationes de *Luna* ſtelláq; *Polari* nihil omnino momenti ipſis addere poſſunt.

5. *Statio* verò & *Retrogradatio* Planetarum contra ipſos ſatis præſtabile eſt argumentum, oſtenditq; quàm fatua & imaginaria res ſit tota hæc ipſorum Ars quæ tam craſſis erroribus nititur. Nam qui verum Mundi ſyſtema intelliguñt ſatis nôrunt iſta Phænomena realia non eſſe ſed duntaxat apparentia. Quod valdè turpem ſanè hiſce Aſtrologis inurit labem. Verùm hoc nobis iterum mox occurret.

6. Ad ultimum reſpondeo, Quòd nec *Canicula* nec *Arcturus* nec *Hyades* nec *Orion* ullos iſtiuſmodi effectus exiſtimantur habere cujuſmodi ipſis attribuuntur, niſi tunc cùm *Sol* in talibus locis ſit Zodiaci in quibus ipſe abſq; eorum ope eoſdem eſſet productúrus. Atq; idcirco mendosè id attribuunt iſtis ſtellis quod reverà virtuti caloris *Solis*, quippe propiùs ad nos accedentis aut diutiùs nobis imminentis, eſt acceptum referendum. Et quantùm ad rabiem *Canis* quæ jam multùm quidem deferbuit, quàm cicur Animal putas eum fore poſtquam Æquinoctiorum Anticipatio latibulum ipſi ad *Capricornum* uſq; depreſſum aſſignaverit, ſi mundus utiq; tamdiu ſit duraturus? Hæc certè ut ſchemata quædam Poëtica ferri poſſunt, (quale eſt illud *Virgilii*, qui quod ad *Solem* pertinet *Signis* attribuit,

Candidus auratis aperit cùm cornibus annum
Taurus.)

verùm ſeveritatem *legum Artis*, quæ propriè nos loqui jubent nec realem cauſalitatem rebus circumſtantibus concomitantibúſve aſcribere, nunquam poterunt ſufferre. Cæterùm quod Solis efficaciam ſpectat, eam neutiquam negabo, nec tamen agnoſcam aliter quàm quoad generalem Influentiam caloris, qui fovet excitátq; ſeminalia rerum Principia in perfectionem atq; *Actum*. Quod nihilo plus Myſterii habet quàm illa *Ægyptiorum* ancillarúmq; *Liviæ* ovis incubatio excluſióq; pullorum abſq; ope Gallinæ, id quod Sol *Struthiocameli* ovis frequenter præſtat in arena re-

lictis. Agnoscámq; præterea reliquas Stellas non fruſtrà esse sed ad debitam distantiam suos edere effectus. Quales nec ipse Sol potest postquam remotus sit ad Tropicum *Capricorni*, quo radii ipsius fiunt magis obliqui. Quàm nihil igitur putas eum effecturum si æquè longè amotus esset atq; ipsæ stellæ fixæ, quarum omnium Influentiæ simul conjunctarum Absentiam ipsius brumali Tempore supplere non possunt? Unde manifestum est quàm valde inepta sit illatio, remota scilicet Stellarum Planetarúmq; corpora in nos vim aliquam habere, propterea quòd *Sol* & *Luna*, qui tam propinqui nobis sunt, habeant, qui tamen si æquè longè distarent, Influentia eorum proculdubio æquè insensibilis futura esset atq; quinq; Planetarum stellarúmve fixarum.

7. Et tamen tam intoleranda est Impudentia Inventorum Astrologiæ, ut tales proprietates etiam aliis Planetis Stellísq; passim attribuerint, quarum attribuendarum rationem solummodo habeant, si omnino uspiam, in duobus *Luminaribus*. Ut exempli causâ, Quia sensibilem aliquam mutationem in Aëre & Terra circa introitum *Solis* in *Arietem*, observare poterant, illud certè signum *Exaltationem* Solis statuere tolerabilius erat Figmentum. Nunc verò hinc, *Exaltationis* loca etiam aliis Planetis decernere, ut *Taurum Lunæ*, *Libram Saturno*, erraticus quidem & temerarius est, ab una levi occasiuncula, ad res, ubi nihil est consimilis Rationis aut Experientiæ, transultus & excursio. Similiter, Quia data erat aliqua intimatiuncula quâ *Leonem*, *Solis domum* constituerent, cùm illius calor tunc maximè sit sensibilis, & *Cancrum* domum *Lunæ*, quippe quæ tunc nobis maximè verticalis est, reliquis hinc etiam Planetis domos impertierunt binas singulis absq; omni sanè verecundia & acumine; quandoquidem nulla est ratio nec effectum quod huc aptè quadret.

Et postremò, quantùm ad *Aspectus*, verisimillimum sanè est sensibiles varietates Phasium Lunæ in *Oppositione*, *Trino* & *Quartili*, primam dedisse occasionem notandi eos: Cúmq; res aliæ acciderent quanquam nihil prorsus à cursu Lunæ dependentes, nimirum ut septimus quisq; Dies in morbis acutis sit *Criticus*, útq; ad istas plerunq; vices maximi fierent tumultus & alterationes in ægro, *Quartilisq; Lunæ* Aspectus etiam contingeret post septem circiter dies à *Conjunctione*, & deinde post alios septem dies esset in *Oppositione*; Naturalis hic fermentationum circuitus in morbis acutis, ipsis profectò occasionem in his rebus dedit calumniandi *Lunam*, illiúsq; gratiâ opprobriis afficiendi aspectus *Oppositionis* & *Quadraturæ* in reliquis omnibus Planetis. Tam leves Indicatiunculæ, quàm hæ sunt, maximè solida sunt structuræ Phantasticæ Artis Astrologiæ fundamenta; contra quam aliquantò jam propiùs bellicas nostras machinas admovebimus, itáq; quassabimus & proteremus ut nè in Imaginationibus quidem hominum locum deinceps sit inventura.

8. Ut incipiamus igitur à primo Principiorum eorum quæ proposuimus; Quòd Planetas stellis fixis præferant (illos intelligo qui tam remoti sunt ut non majoris magnitudinis quàm illustriores Stellæ appareant) omni caret ratione; Cùm Planetæ non sint nisi inertis materiæ acervi, nostræ Terræ non dissimiles, nullúmq; lumen habeant præterquam quod à Sole mutuantur. Illa enim quæ videtur innata Lux *Lunæ* non est nisi Reflexio Radiorum Solarium à Terra. Quamobrem activitas eorum & Influentia meritò debet minor æstimari quàm stellarum fixarum, quæ non mutuatitio sed innato Lumine micant. Et quantùm ad pervicacem ipsorum penetrationem in ipsa Telluris viscera, hic certè error ex fictitia Lunæ influentia natus est, in Fluxum Refluxúmq; Maris, etiam tunc quando in ulteriori parte Terræ sita est. Ad quod cum aliis istiusmodi fallacibus Conclusionibus * jam Responsum est. Nunc verò quantùm ad qualitates Planetarum, ubi definiunt Solem calidum esse & humidum potiùs quàm aridum, sed *Martem* calidum & vehementer aridum, & *Saturnum* aridum & frigidum, quid non nobis obtrusuri sunt hi perfrictæ frontis Impostores dum istiusmodi nugas effutire audent quæ per externos nostros sensus facilè confutentur? Etenim an non ipse sensus nos docet *Solem* omnium Planetarum maximè calidum esse atq; aridum? Hujus sanè calor est non autem *Martis*, qui gramen floréq; arefacit, summitates montium exurit, miseréq; orbis terrarum torret incolas, quando corpora magis directis illius radiis exponunt. Quæ verò facultas nos unquam edocere potuit *Martem* tam torridum calidúmq; Planetam esse, *Saturnúmq;* adeò frigidum? Equidem is qui caput radiis ipsorum *Acronychis* qui maximè sunt potentes, exposuerit, professúsq; fuerit se plus frigoris ab uno plúsq; caloris ab altero sensisse quàm ab aliis cœli partibus, æquè vesanum se demonstraturus sit, atq; delirus ille senex qui affirmabat se quoties auscultaret cœlestium sphærarum concentum musicum audire. Omnes Planetæ corpora sunt opaca & cujuscunq; sint coloris æquè frigidi atq; terra. Neq; enim flava nec rubra argilla majorem emittit calorem quàm

* *Vide Sect.* 4.

quàm alba. Nec habet Solum quodvis ullam sensibilem Influentiam præterquam quæ naribus hauriatur, quæ interdum salubris gratáq; reperitur, interdum verò ingrata. Cæterùm, quî fieri potuerit ut hi Stellarum Aspectatores ad eam usq; longitudinem suas proboscides producerent, ut differentes Planetarum virtutes odorarentur, equidem nullo modo intelligo. Quamobrem *Martem* definire calidum & aridum, *Saturnum* aridum & frigidum, &c. impudens est stultitia, apertáq; reliquarum qualitatum primarum Planetis assignatarum vanitatis demonstratio. Cúmq; ab his existimentur *Benigni* vel *Maligni*, *Masculini* vel *Fœminini* & similia, tota hæc pars falsò nominatæ Scientiæ Astrologorum nihil aliud est nisi odiosa Ineptiarum consarcinatio.

9. Ad secundum, quod terram adeò perviam facit Influentiis Stellarum & Planetarum; dico Primò, Principium esse quod omni probatione destituitur, quemadmodum jam evici. Et deinde si ipsis hoc concederem eos statim coactum iri illud rursus evomere, cùm totam ipsorum artem penitùs destruat. Nam radii influentiæq; Stellarum & Planetarum si per terræ corpus liberum habent transitum, tota Ceremonia *erigendi Schema* pro tali Latitudine vel Longitudine prorsus est supervacanea: immò verò, quantùm ad Cœlos, omnium mortalium Fata paria forent & consimilia. Quippe quòd abdita illa Influentia, quæ universa gubernat, ad omnia Terræ puncta ab omnibus cœli partibus se extenderet semel.

10. Tertiò, De Divisione Signorum in *Mobilia*, *Fixa*, & *Bicorporea*; *Mobilia Æquinoctialia* sunt *Signa* & *Solstitialia*. Quorum posteriora nomen *fixorum* merentur potiùs quàm *mobilium*. Et meo quidem judicio Tempestates anni æquè commodè dici possint iniri (Frigida putà) in *Sagittario*, & *fixa* esse in *Capricorno*, & (Calida) in *Geminis*, & *fixa* esse in *Cancro*, quàm iniri in *Capricorno* & fixa esse in *Aquario*, &c. Sed ad minutiora lubenter connivebimus. Illud de Igneis, Terreis, Aqueis, & Aëreis *Trigonis* magìs dignum est notatu, nec possum sanè quin submissim rideam dum eorum effecta lego. Ut exempli gratiâ, in Arte medica, prout *Dariotes* refert, *Luna* & *Ascendens* in signis *igneis* virtutem *attractivam* corroborat, in *terreis* signis *retentivam*, in *Aëreis digestivam*, & *expulsivam* in *Aqueis*. Nunquis igitur dehinc ausurus sit medicinam præscribere præceptorum Astrologicorum inconsultu? Item in Agricultura memorabile illud est quod apud * *Heydonum* occurrit, qui rationem nobis explicat faciendi ut Planta aut profundiùs in Terram aut sublimiùs in Aërem germinet, serendo scilicet ipsum sub tali *Lunæ* Aspectu. Etenim si Luna sit in Triplicitate *terrea*, radix profundiùs in terram deorsum penetrabit; si verò in *Aërea*, sublimiùs sursum in Aërem. Quod profectò secretum est selectissimum. Jam verò ut missam faciamus precariam hanc & arbitrariam divisionem Zodiaci in hujusmodi quatuor *Trigonos*, quorum unica hæc est occasiuncula, quantùm ego video, aptitudo utiq; *Leonis* ut una pars fieret Trigoni *ignei* cùm in illo signo *Sol* maximè ardeat (per quem angustum meatum cuncta quatuor Elementa in cœlum volaverunt, sedésq; in suis singula *Triplicitatibus* in *Zodiaco* magna sanè cum alacritate & agilitate capesserunt, saltûs ranarum ludum, quem vocant, imitantia, itáq; alia aliorum dorsa transilientia, ut dividendo se in tres æquales partes, unusquisq; Elementi *Trien* se *Trini* Aspectûs membrum consocium invenerit) ipse flos sanè joci ac medulla est, quòd nullus omnino sit hujusmodi in cœlo Zodiacus, vel si malles, nè cœlum quidem ipsum in quo egregii hi Artifices has suas *Triplicitates* constituant. Quippe quia cœlum hoc atq; hic *Zodiacus* quo de loquimur, vetus tantummodò error est *Ptolemæi* ejúsq; Sectatorum, qui cùm verum Mundi Systema nescirent, nec motionem terræ quæ *Anticipationis Æquinoctiorum* causas complectitur, Cœlum imaginati sunt supra cœlum stellarum, *Zodiacúmq;* qui non recedit ab Occidente in Orientem quemadmodum *Stellifer Zodiacus* facit. Atq; hoc sanè figmentum quod recentiora secula cum Cachinnis scenâ exploserunt, solum subjectum est horum celebratissimorum *Trigonorum* & *Triplicitatum* quæ proinde cum eo scenâ meritò exsibilantur. Quæ quidem detectio, manifesta demonstratio est universam Artem Astrologicam non nisi frivolis & imaginariis Principiis niti, quemadmodum ulteriùs declarabimus; Ac proinde illos Medicos qui peritiam suam commendare volunt ab hujusmodi vanis observationibus, aut *Impostores* aut *Fatuos* se planè profiteri.

11. Quartò, Quantum ad *Essentiales* Planetarum *dignitates* attinet, cùm nihil aliud sint præter incrementum innatæ virtutis, ex eo quòd in hoc vel illo signo reperiantur, cúmq; hæc signa illius *Zodiaci* signa sint qui nullum habet cœlum, nec in rerum natura existit, manifestum est universam hanc *Essentialium dignitatum* doctrinam corruere. Sed & distinctas hujus inanis Figmenti partes oculis jam usurpemus. Quantùm igitur ad primam *Essentialem dignitatem*, Planetæ *Domum*, nemo est qui

* *Defens. Astrolog. Judic. cap. 7. p. 186.*

qui vel mediocriter emunctæ naris sit homo, quin statim illi suboleat quid sibi id velit quòd *Leo* factus sit *Solis* domus; non utiq; quòd signum illud majorem vim habeat calefaciendi, sed quòd *Sol* ipse circa Tropicum *Cancri* diu tunc manserit, atq; ità plus solito terram calefecerit tam diuturnâ in tam commodo positu morâ. Atq; hoc illud est, non ipsius in sua domo constitutio, quod calorem tantoperè adauget. Nam illi, ultra Tropicum alterum, terræ Incolæ proculdubiò frigescunt satis. Idémq; dici potest de *Cancro* Domicilio *Lunæ*, quòd positura est non natura Loci quæ nobis auget virtutem ejus, minuit verò *Antœcis*. Ex tenui hac indicatiuncula à sensu, & ex erroribus rationis, citra omnem quidem rationem & sensum singulis reliquorum Planetarum domos decreverunt, operis regulam facientes, Be-
* *Vide Sect. 7.* nignitatem & Malignitatem *Aspectuum*: Quod merum Figmentum esse * jam notavi, cùm nullum Fundamentum habeat præter temerariam conjunctionem Dierum *Criticorum* cum *Aspectibus* Lunæ.

Quàm exiguum munus sit *Exaltatio* Astrologica, intelligi potest ex liberalitate *Albumazaris* qui inter Planetas etiam *Caput Caudámq; Draconis* ad eandem dignitatem promovit, quæ tamen nihil aliud sunt nisi Intersectiones Imaginariorum Cir-
* *Vide Sect. 7.* culorum *cursûs Lunæ* & *Eclipticæ*. Sed de hac dignitate satis jam * dixi, ac proinde progredior ad proximum.

Quantùm ad Τετραγωνοκράτορας sive Dominos *Trigonorum*; Magna profectò calamitas est quòd non octo omninò Planetæ sint, ut singuli *Trigoni* binos suos *Consules* habere possent, nec *Mars* solitariè in suo aqueo *Trigono* regnare. Verùm cùm *Trigonorum* ineptia satis jam confutata sit, nihil opus est quicquam ulteriùs de hac dignitate addere. Privilegium etiam Ὁρικρατόρων per primum generale argumentum abolitum est, cùm partes *Signorum* æquè fictitiæ sint atq; tota *Signa*. Et sanè quod *Carpentum* attinet, sive *Sedem Regiam* vel *Thronum*, cùm dignitas sit ex quatuor prioribus composita, manifestum est, partibus imaginariis existentibus, totum etiam merum esse nihil.

Quódq; *Persona* Planetæ sive *Almugea* tantundem valet ex eo apparet, quòd *Aspectus* inanis est imaginatio, nullo solido Fundamento subnixa, quemadmodum plus semel jam insinuavi.

Itémq; Dominos *Decanatuum*, non nisi imaginarias habere provincias ex eo rursus manifestum est, quòd totus eorum *Zodiacus*, in quem omnes istæ nugæ coacervantur, est tantùm imaginarius, ordóq; assignationis eorum juxta falsam Hypothesin, secundùm utiq; seriem Planetarum in *Ptolemaico* Systemate.

Et postremò, *Gaudium*, ultima *Essentialium Dignitatum*, duas Falsitates supponit; Quòd Domus utiq; sunt in hoc fictitio *Zodiaco*, quódq; Planetæ sunt *Masculini* & *Fœminini*: Quæ suppositio jam confutata est. Adeò ut omnes hæ *Essentiales Dignitates* substantiâ & realitate omninò careant, particulariúmq; *Fortitudinum* earum recensio, tot quasi *Nullitatum* sit incassùm enumeratio.

12. Nec melior expectanda est ratio de *Accidentalibus Dignitatibus*. *Cazimi* enim, *Combustio* & *Liberatio* à *Combustione*, quàm ineptæ sunt Imaginationes, quámq; sibi ipsis repugnantes? Primùm enim non est rationi consonum, si naturam *Planetarum* noveris, *Solisque*, ac cœlestium *Vorticum*, statuere Planetam in *Cazimi* quinq; lucrari *Fortitudines*. Nam ultra *Solem* Planeta, ad quam maximam potest à nobis abest distantiam; Et *Saturnus*, *Jupiter* & *Mars* integrâ Diametro *Solis* Orbitæ plùs tunc à nobis distant, quàm cùm sint in *Oppositione* ad *Solem*, & *Venus* ac *Mercurius* dimidiâ ferè ipsorum *Orbitâ*. Præterea quomodo potest transire virtus eorum per corpus *Solis* vel nixum *Vorticis* contra Planetam atq; nos, nec tamen eludi vel consumi? Rursus si *Cazimi* citra *Solem* bonum sit, cur ultra *Solem* non est malum? Et si *Venus* vel *Mercurius* in corpore Solis tantum valent, quantò plus valent *Solis maculæ* quæ multò sunt majores? Quarum nullam unquam rationem in Dignitatum computationibus Astrologorum Ignorantia habere poterat. Postremò, Quàm insani & malè proportionati saltus hi sunt, ut *Cazimi* quinq; valeret *Fortitudines*, & tamen *Combustio*, quæ non nisi parvam à *Sole* distantiam innuit, quinq; oneraretur *Debilitatibus*? Et *Liberatio* rursus à *Combustione*, hoc est major à corpore *Solis* remotio, quinq; iterum lucraretur *Fortitudines*? Quæ res tam citra omnem rationem sunt & tam arbitrariæ, ut nulli, præterquam qui læso cerebro sint, fidem ipsis adhibere possint.

* *Vide cap. 18. sect. 5.* Illud etiam insigniter ineptum est; Ut *Saturnus*, *Jupiter* & *Mars* à sua * *Conjunctione* cum *Sole* usq; ad *Oppositionem* duas haberent *Fortitudines*, & ab *Oppositione* ad *Conjunctionem* duas *Debilitates*. Nam in magna parte Semicirculi, qui ab *Oppositione* ducit ad *Conjunctionem*, multò propinquiores sunt terræ, ac proinde multò fortiores,

fortiores, quàm in Principio illius Semicirculi qui à *Conjunctione* ducit ad *Oppositionem.*

Præterea, quantùm ad *Dignitates* & *Debilitates* quæ Planetis conferuntur propter *Directionem*, *Stationem* & *Retrogradationem*, manifestum est quòd pro præcipuo haberent Fundamento Errorem de systemate mundano, ignorantiámq; annuæ motionis Telluris & insitam applicationem quotidianorum quorundam Accidentium loquendíq; formularum apud vulgus. Et propterea quia, cùm res malè succedunt, retrò ferri dicuntur, cúmq; defatigati sumus tardiùs incedimus, vel subsistimus parumper respirandi causâ, cùm verò maximè vigemus viribus corporis celerrimè currimus, *Stationi* idcirco duæ *Debilitates* attribuuntur, *Retrogradationi* non pauciores quàm quinque, sed *Directioni* quinq; *Fortitudines.* Cùm tamen rationi magis sit consentaneum ut *Statio* virtutem Planetæ rebus multò firmiùs imprimat quàm *Directio.* Cæterùm reverà Planeta nec *Stationarius* est nec *Retrogradus*, sed tantùm apparenter, ac proinde nec hæ *Debilitates* veræ sed imaginariæ.

Ultima *Dignitas* accidentalis est *Configuratio* sive *Aspectus*, cujus inania Fundamenta * jam exagitata sunt. Quibus addam insuper, Quòd valdè rationi absonum est statuere *Sextilem* & *Trinum* benignos esse, & *Quartilem* tamen, qui inter utrumq; interjacet, omnino malignum. Immò verò multò magis consentaneum esset, existimare, si *Conjunctio* & *Sextilis* benigni sint, *Quartilem Trino* esse benigniorem, quippe quòd ab *Oppositione* longiùs amovetur, quódq; Planetæ in hoc Aspectu habiliores sunt ambo simul ad feriendam terram radiis magis directis quàm si in *Trino* Aspectu essent. Ac proinde, ego nullam equidem rationem excogitare possum cur tam siniſtram foverent de *Aspectu Quartili* opinionem, nisi propter acutorum morborum inquietudines, quæ ferè septimo quoq; die contingunt, quod & tempus est *Quartilis Aspectûs* Lunæ. Et propterea totum *Aspectuum* Mysterium in pravam hanc ac temerariam Applicationem retexitur. * *Vide Sect.* 7.

Vidimus quàm nullius pretii sint omnes *Dignitates* Astrologicæ. Et tamen super ingentes has Artis suæ fictitiæ Inanias & nullitates, tota omnium suarum prædictionum fabrica, de quibus tantoperè gloriantur, superstruitur. Adeò ut certi esse possimus omnia vana esse & ridicula.

13. Quod *Domos* Nativitatis duodecim spectat, Divisio arbitraria est; *Erectióq; Schematis* tot diversis modis,& æquali tamen cum successu, demonstratio successum ab Arte non esse sed Fortuna. *Domorum* etiam *Configuratio* * septennésq; illi Χρονοκράτορες sive *Alfridarii* satis innuunt rem totam non esse nisi Figmentum falsâ illâ *Ptolmeæi* Hypotheſi subnixum; Quòd utiq; Planetæ Tellúsq; pro Centro *Solem* non habent. Verùm hoc totum non exhaurit quod contra hæc cœlestia Domicilia dici possit. Tellus enim aut pervia est omnibus Stellarum Planetarúmq; radiis tam infra quam supra *Horizontem*, aut illi soli qui sunt supra *Horizontem* in Infantem virtutes suas diffundunt. Si prius verum sit, omnes Nativitates pares sunt vel consimiles. Si posterius, cur plura habent domicilia quàm sex? & curnam subter *Horizontem* ulla? Serióq; porrò rogo, quæ mens, quis hujus rei sensus, ut *Horoscopus* & *Domus sexta*, cùm tanti momenti domi sint, subter *Horizontem* sint siti, præsertim cùm aliàs ipsis visum sit stellam vel Planetam *Verticalem*, maximam habere Efficaciam pronunciare? Nec potuit profectò quicquam aliud esse præter meram Imaginationem, quod eos ad faciendum *Horoscopum* induceret, *Domum vitæ*; nempe, quòd stellas indè oriri fingebant, & ex ea parte quasi in mundum nasci. Unde (quemadmodum notavi ipsorum esse in rebus cæteris morem) absq; omni rationis specie reliquas cœlestes *domos* finxerunt. Et ut adhuc certior esse possis nihil esse in his domibus (vel potiùs domos ipsas esse nihil) sunt tantùm distributio Imaginarii illius Zodiaci atq; cœli (quos (quod * suprà dixi) *Ptolemæi* error in mundum introduxit) in duodecim Sectiones Imaginarias, incipiendo ab Orientali puncto *Zodiaci.* Adeò ut Ars ipsorum perpetuò extruatur super purum putum nihil. * *Vide cap.* 18. *sect.* 6. * *Vide sect.* 10.

14. Jam verò quod ad accuratum Nativitatis tempus attinet: ut quis resciscat ipsum momentum quo Infans nascatur, Curiositas, inquam, est nullius utilitatis. Nam primùm, si dura crassáq; Terra cœli radiis sit pervia, quàm facilè possunt tenuia illa Matricis integumenta perpetuò à Stellarum virtutibus penetrari? Quibus proinde etiam tunc Infans æquè exponitur atq; quando recens est natus. Sin minùs, cur non aliqua momenta postquam natus sit, ipsarum Influentiis æquè exponi potest ac eo ipso momento quo sit natus? Etenim an non possunt hæ Influentiæ quæ ipsa viscera Telluris metallina penetrant, per tenellam Infantis cutem absq; resistentia pertransire? Verùm supponendo hanc curiositatem non inutilem fore; Quàm difficilis & lubrica res est ad tam accuratam illius cognitionem quàm illi necessariam esse

eſſe prætendunt, pervenire? Primùm enim oportet exquiſitè cognoſci loci Longitudinem (quæ res eſt ſuprà quàm dici poteſt ardua & incerta) alioqui perfecta temporis notitia nihil valitura eſt. Et tamen rurſus hæc accurata temporis notitiæ affectatio ridicula videtur, cùm, quodnam ſit proprium partûs momentum, non poſſimus certè determinare. Naſcitur enim gradatim Infans, & pauci aut nulli exeunt, poſtquam apparere inceperint, ſpacio breviori quàm ſemiquadrantis Horæ. Quamobrem cùm caput Infantis ſtellarum influentiis exponatur, cur non totum corpus contagium illud cœleſte pervaderet? Verùm ſuppone illud partûs momentum eſſe quo totum corpus primùm exit, quomodo hoc momentum cognoſcetur? Per Horologium minutarium, inquies, quale *Tycho* habuit, *Heydonúſq;* ſe habuiſſe profeſſus eſt, quod exactè minutum ſecundúmq; ſcrupulum Temporis illi oſtendebat. Sed quàm pauci Nativitatum computatores de eodem gloriari poſſunt privilegio? Et ſi poſſent, in quem uſum eſſet, cùm tam rarò contingat eos in eadem eſſe domo, multóq; minùs in eodem cubiculo ubi Fœmina fœtum enititur. Quamobrem Obſtetricis narratio maximam ipſis quam habeant, affert certitudinem; & quot, quæſo, Nativitates computatæ ſunt etiam abſq; illo adminiculo? Nec tamen abſtinent à prædicendo confidenter Fata Fortunáſq; hominum vel incerto tempore dato. Poſſunt enim, ut profitentur, datum tempus corrigere, reduceréq; ad verum Nativitatis momentum, ídq; tribus modis, per *Trutinam* utiq; *Hermetis*, per *Animodar*, & per *Accidentia Nati*. Quæ quàm audax ſit & abſurda gloriatio, nunc videamus.

15. Trutina *Hermetis* hoc fundamento nititur, Quòd gradus *Zodiaci* in quo *Luna* conſtituitur in tempore conceptionis, idem *Horoſcopus* eſt *Nativitatis*. Sed quàm ineptum hoc eſt ſubterfugium? Quandoquidem exquiſitum Conceptionis tempus æquè difficile eſt cognitu atq; illud Nativitatis? Et ſi cognitum eſſet, nulla tamen eſt certitudo temporis partûs, cùm aliæ citiùs aliæ tardiùs pariant, quemadmodum quævis Mater, Nutrix & Obſtetrix ſatìs nôrunt. Nec ex eis ulla prætenderit ſe ad diem poſſe prædicere quando fœmina ſit paritura.

In *Animodar* Nativitas aut *Conjunctionalis* eſt aut *Præventionalis*, hoc eſt, aut poſt aut ante *Conjunctionem Solis* atq; *Lunæ*. Si Interlunium præcedat tempus Nativitatis, gradus notandus eſt in quo contingit; ſi Plenilunium, ille gradus in quo *Luminare* illud eſt quod ſupra *Horizontem* eſt in tempore *Oppoſitionis*, Sol interdiu, Luna noctu. Gradibus ad hunc modum datis, inveniendus eſt *Almuten Almuſteli*, qui Planeta eſt qui plurimas habet dignitates in illo loco *Oppoſitionis* vel *Conjunctionis*; Quæ ſunt *Trigonus*, *Domus*, *Altitudo*, Ὀχλοκρατία, & *Aſpectus*. Tum gradus Signi notandus eſt in quo *Almuten* erat in tempore æſtimatæ *Nativitatis*, &c. Nec enim opus eſt ut ulteriùs pergamus; ſatìs jam dictum eſt ad demonſtrandum totam Methodum ſuperſtitioſam eſſe Ineptiam. Etenim cùm computatio debeat fieri per locum *Almuten Almuſteli*, ejúſq; electio ex dignitatibus, Dignitatéſq; nihil aliud ſint niſi deliræ Imaginationes ac Vanitates, quemadmodum jam probavi, neceſſe etiam eſt ut correctio per *Animodar* vana res ſit atq; futilis. Præterea non ſolùm *Picus*, adverſarius Aſtrologiæ, quàm falſæ ambæ hæ Methodi, *Animodar* & *Regula Hermetis*, ſint & inter ſeſe collidentes, profitetur, ſed & ipſe *Origanus*, amicus Artis, conſultius eſſe dicit auſcultare narrationibus aniculæ cujuſlibet Obſtetricis quàm utrivis horum modorum fidem adhibere.

Vide Origan. part. 2 cap. 13.

Certiſſima via corrigendi Thema Nativitatis juxta *Origani* ſententiam, eſt per *Accidentia Nati*, ſive bona ſive mala, ut ſunt Honores, Donationes, Ægritudines, Carceres, Caſus, Conflictus, &c. quæ tamen via vel primo Aſpectu admodum lubrica eſt. Eſt enim ſaltem res dubia & incerta an ſit ullum in homine liberum arbitrium. Verùm, quantùm ad me, equidem auſim paulò ulteriùs progredi, apertéq; profiteri, me exiſtimare, ex *interno Senſu*, *Ratione* Sacríſq; Oraculis demonſtrari poſſe, homines libero Arbitrio præditos eſſe. Unde neceſſariò ſequitur, multa hominibus accidere præter *naturam* prætérq; fatum. Morbi igitur, Incarcerationes, Ignominiæ, & Dignitates nobis, aut noſtris aut aliorum liberis Actionibus accerſi poſſunt, ídq; citiùs vel tardiùs prout hominum virtutes vel vitia operantur. Quod omnem tollit certitudinem Computationis per *Accidentia Nati*.

16. Præterea, ipſa ratio Computationis admodum frivola eſt & ridicula. Cùm enim triplex ſit, prout tradit *Origanus*, *Profectio annua*, *Tranſitio*, & *Directio*, harum nullæ quicquam aliud ſunt præterquam meræ Imaginationes & Figmenta. Quid enim vanius eſſe poteſt magíſve imaginarium quàm *Annua Profectio*, quæ *Horoſcopum* ſupponit reliquáſq; domos annis ſingulis triginta gradus moveri donec integra Periodus Duodecimo utiq; Anno finiatur? Nuncubi hujus natalitii Thematis Circuitus eſſe poteſt præterquam in propriis ipſorum Cerebris? Et tum poſtea, Prædictiones vel

vel Correctiones per *Aspectus Cuspidis* Radicis fiunt cum *cuspidibus* præsentis Schematis pro hoc vel illo anno calculati. Quòd verò ipsi *Aspectus* nihil sunt, semel atq; iterum notavi.

Et quod ad *Transitionem* attinet, quid monstrosius est, quàm putare, Planetam transeundo per locum in quo ipse erat aliíve Planetæ in Nativitate, tam notabiles alterationes in Persona nata efficere posse, tanquam si Planetæ odoratis soccis circuitus suos obambularent, aut fortiùs olerent in Nativitate aliqua quàm aliis temporibus, aliúsq; Planeta in pedum tractum incidens odore exultaret, idémve augeret eundem & renovaret? Et quid est quod adhærere potest his cœli punctis in quibus Planetæ inveniuntur in Nativitate? Cúrve tractus totus ejusdem non est odoris? Illéve odor non extinctus per aliorum Planetarum transitum? Sed enimverò quid est ad quod imaginandum Dementia & Effascinatio hominem non cogat, quo sua tueatur præjudicia? Et certè hos duos modos ipse *Origanus* lubens missum facit tanquam minùs sanos ac probabiles; verùm *Directionem* pro re magis solida habet & eximia.

Quæ tamen reverà invenietur æquè frivola ac reliquæ. Nam quemadmodum in *Transitione*, ità etiam in *Directione* magna alteratio accidit quando *Planeta*, vel *Cuspis* vel *Aspectus* ad locum veniunt ubi talis *Planeta* vel *Cuspis* erant in Nativitate. Quando *Significator* ad locum venit *Promissoris* tunc pro certo se prodet effectum. *Promissor* enim concipitur tanquam immobilis, talisq; qui fixus stet expectétq; *Significatoris* adventum. Quæ demonstratio est Promissorem hunc aut spacium imaginarium esse aut nihil. Utrum verò horum putas sanctiùs promissis staturum? Immò & *Significator* si *Horoscopus* sit aliáve *Domus*, est etiam imaginarius, quemadmodum demonstravi. Et certè si *Planeta* sit, cùm moveantur Planetæ non ut Aves in Aëre vel Pisces in Aqua, sed ut suber flumine delatum, manifestum est hunc *Planetam* nunquam ad illam partem venire cœlestis Materiæ in qua *Promissor* erat in *Nativitate*, *Promissore* semper labente cum materia in qua natat: Ac proinde si quam post se virtutem reliquerit, oportet iterum in Imaginario spacio deponi. Quod inexpugnabile argumentum est, totum Mysterium *Directionis* esse Imaginarium.

Quamobrem si *Profectio annua*, *Transitio* & *Directio* tam vanæ sunt ut nihil *prorsum* significent, quomodo ab Eventis possimus (quamvis de ipsis judicium & ex ipsis ratiocinatio satis accuratè fieret juxta has leges Phantasticas) accuratam indicationem temporis *retrorsum* arguere? Si de regulis aliquibus *Naturæ* vel *Astronomiæ* gloriari potuissent quibus *Genituram* rectificare possent, aliquid profectò attulissent; nunc verò cùm eorum recursus sit ad propria sua Phantastica & fictitia Principia, nihil sanè omninò efficiunt.

17. Atq; sic equidem Sectionem octavam nonámq; antecedentis Capitis percurri antequam prævideram. Quíq; vel mediocriter versatus sit in solidis *Philosophiæ naturalis Astronomiæq;* Principiis, & vel minimam habeat ad firma mea ratiocinia indè deducta attendenda patientiam, non potest non agnoscere me universam Artem Astrologicam fundamentaliter confutâsse, séq; planè percipere bellos illos omnes Terminos, *Horoscopum*, *Cœlestes domos*, *Exaltationem*, *Triplicitatem*, *Trigonos*, *Aspectus benignos* & *malignos*, *Stationem*, *Retrogradationem*, *Combustionem*, *Cazimi*, *Significatorem*, *Almugeum*, *Almutinem*, *Promissorem*, *Aphetam*, *Anæretam*, *Trigonocratorem*, *Horecratorem*, & Alcochodonem, unà cum reliquis canoris ipsorum Nullitatibus universis, his nostris contra ipsas arietationibus, tanquam aridorum ossium struem, cum strepitu in Terram corruisse. Atq; hîc quidem non dubitarem pronunciare me omninò Hostem profligâsse ac debellâsse nisi quòd cæcum quoddam Castellulum video quò se fugitivi hi plerunq; solent recipere. Et certè ex Titulo admodum firmum esse oportet, quippe quòd illi *Experientiam*, vel *Eventuum Observationem* appellitant, quos prædictionibus suis accuratè respondere gloriantur.

CAP. XX.

1. *Fallax eventorum Allegatio prædictionibus reſpondentium.* 2. *Reſponſum ad Evaſionem, Errorem in* Artifice *eſſe non autem in* Arte. 3. *Plures Confutationes importunæ ipſorum Præſumptionis, Quòd Ars eorum ſemper prædicat vera.* 4. *Certitudinem* Aſtrologiæ *ex eo non probari, quòd eventum aliquando prædictioni* Aſtrologi *accuratè reſpondeat.* 5. *Magna* Aſtrologiæ *affinitas cum* Dæmonolatria, *& de ſecreta Dæmonum operatione quâ prædictionum eventa maturent.* 6. *Propter ſecretam Operationem & Familiaritatem* Dæmonum *cum profeſſis* Aſtrologis *fieri, ut nullum argumentum duci poſſit ab Eventis ad veritatem* Artis *ſtabiliendam.* 7. *Recapitulatio totius argumenti contra* Aſtrologiam. 8. *Juſtæ occaſiones hujus Aſtrologicæ excurſionis, & quàm bellè oſtenderit ridiculam Conditionem trium illorum levium & elatorum ardelionum in Fide Chriſtiana proſliganda*, Apollonii, Cardani, & Vanini.

1. CÆterùm *Fortalitium* eorum hîc non tam firmum eſt quàm Impudentia inſignis & planè ahenea, Quòd tanta nempe cum confidentia nobis perſuadere volunt ſe virtute Principiorum *Artis* ſuæ quicquam unquam futurum prædixiſſe. Sunt multi ſanè Divinationis modi ludicri, in quibus nemo ſeriò rem agit, & Prædictiones tamen perſonaléſq; ſciſcitantium Deſcriptiones aliquando ſatìs examuſſim congruunt. Quod tamen nemo mentis compos *arti* imputaverit ſed *caſui*. Nec quicquam aliud erat præterquam fallacia in Sacerdote *Neptuni*, qui ſpectatorem in admirationem marini illius Numinis rapere voluit, ex conſideratione multorum Donariorum in templo ejus à voventibus ſuſpenſorum. Is verò cui ſic ſtuduit imponere, paulò naſutior erat quàm ut ſic deciperetur. Depoſcebat enim protinus Catalogum eorum qui æquè atq; hi *Neptuno* voviſſent, & paſſi tamen eſſent Naufragium. Atq; ego ſimiliter Syllabum depoſco earum prædictionum quibus nullum reſponderit eventum. *Cardanus* in ea facultate Princeps exiſtimatus conqueritur vix decem è quadraginta veras eſſe. Et *Picus* diligens hujus Artis explorator profitetur ſe propriâ ſuâ Experientiâ reperiſſe novendecim è viginti fuiſſe falſas, ídq; in Prognoſticationibus mutationum Cœli, ubi Agentes liberi non intermiſcent ſe ad interrumpendas vel repellendas naturales Stellarum Influentias.

2. Verùm aberrationes omnes quas vel ipſi vel alii obſervaverint, magìs devotos Aſtrologiæ admiratores ad ingenuam agnitionem vanitatis ſuæ Artis nunquam poterant abducere. Defenſio enim ipſorum eſt, Primùm, ſe ex Hiſtoria, è privatis narrationibus, & ex propria ſua Experientia certos eſſe, Prædictiones aliquando præciſè ad Annum, immò ad Diem & interdum ad Horam impleri, rerúmq; Circumſtantias tam particulatim deſcribi ut *Fors* eſſe non poſſit ſed *Ars* quæ tam accuratam rerum delineationem exhibeat. Deinde, Aliorum Profeſſionem propriámq; ipſorum Obſervationem ipſis teſtificari ſiquando peccatum ſit, quòd error in *Artifice* ſit non in *Arte* ipſa. Poſtquam enim *Schema Aſtrologicum* denuò examinaverint, ſe Eventum invenire ibi ſignificatum, & propriam ipſorum fuiſſe incuriam quòd id antea eos fugiſſet. Verùm ut ad poſterius primò reſpondeamus, dico obſervationem hanc ſuam, univerſalem eſſe, neutiquam eos prætendere poſſe, quíq; Aſtrologiam callent maximè, lubenter agnoſcere, eam eſſe plerunq; intricationem rerum & complicationem, ut admodum longum tempus requiratur ad debitum ferendum, juxta *Artem*, de propoſita *Nativitate* Judicium. Ac proinde affirmo, cùm Repræſentatio Eventi tam dubia ſit, ſi primâ vice rectè prædicere contingat, illos facilè ſibi perſuadere eam ipſam fuiſſe cœleſtis *Thematis* mentem. Si quid erraverint, viam ulteriùs moliri uſq; dum invenerint quod Evento reſpondeat. Qui tunc omninò ſenſus habendus eſt Artis, quanquam *Artifex* eum antea non deprehenderat. Nec ulteriori adhuc accuratioríq; inquiſitioni rem exponent, nè fortè in diſcrepantiam aliquam iterum inciderent, vel potiùs ex obfirmata credulitate, ſi rectè res ceciderit, id pro certo fieri ex vero ſcopo firmíſq; principiis adamatæ ſuæ ſcientiæ; Cùm tamen reverà Themata ipſorum nullam habeant in Repræſentationibus ſuis certitudinem, ſed ſimiliter hîc fiat atq; in pannorum ſericorum coloribus alternantibus, vel in Imaginibus in ſtrictas tabulas depictis, ſi ex hac parte intuearis hunc colorem, ſi ex altera alium videbis, ex hac parte pulchram virginem, ex altera videbis ſimium; vel deniq; quemadmodum in Oraculis *Apollinis*, qui meritò appellabatur *Loxias*, utpote cujus reſponſa ambigua, tam obliquis flexibus hàc atq; illàc ſe vertebant, ut nihil præter Eventum determinare poſſet, quid indigitarent.

3. Huc

3. Huc adjici porrò poteſt, quòd prætenſio ipſorum *Schematum* (quantumlibet ſint exacta) prætenſio inquam rectè *ſemper* repræſentandi Eventa, impudentiſſima præſumptio ſit maximéq; temeraria; Quippe quòd (quemadmodum jam inſinuavi) Objecta prædictionum adeò mutabilia ſint ex liberorum Agentium interpoſitu; quem idcirco neceſſe eſt ſeriem ſubinde *Cauſalitatis* in naturalibus hominum Propenſionibus interrumpere. Unde fit ut cum ratione nemo ullas certas prædictiones à Stellarum ſignificationibus expectare poſſit, nec certam ullam haurire experientiam an quicquam ſolidi huic Arti ſubſit necne. Et certè non poteſt quin cuilibet admodum audax videatur Suppoſitio, imaginari omnes qui uno prælio gladii acie cadant vel naufragium patiantur, eâdem Tempeſtate vel eâdem Peſte ſimul auferantur, *Emiſſores* & *Interfectores* in ſua habuiſſe Nativitate, necis tempori reſpondentes. Ipſi *Artifices* id affirmare non audent, ac proinde cautionem introducunt inobſervatam recurrendi ad Eclipſes, Cometáſq;, ut generalis fortunæ Loci inſtituatur Calculatio; immò Parentum & Progenitorum, & Amicorum familiarium, qua tamen de re in celebratiſſimis Aſtrologorum Prædictionibus nulla ſit mentio. Ac proinde cùm hæ & conſimiles Conſiderationes omiſſæ ſint, indicium eſt prædictiones ipſorum caſu tantummodo repertas fuiſſe veras. Quamobrem turpiſſima quædam Impudentia eſt veritatem prædictionum Arti imputare, ubi ipſius Artis Regulæ neutiquam obſervantur; immò poſſum addere, ubi experientiâ manifeſtâ confutantur. Ità enim fit in Gemellis mutuò coaleſcentibus. Quorum natura eadem prorſus debet eſſe juxta Aſtrologorum Artem, cúmq; eodem momento orti ſint idem etiam debet eſſe momentum mortis. Et tamen inſeparati illi Gemelli in *Scotia* nati, qui ad vigeſimum octavum ætatis annum vixerunt, diſſentientes fratres ſæpè reperti ſunt, rixaríq; & concertare inter ſe, unúſq; eorum priùs altero mortuus. In reſpondendo cui inſtantiæ, meo quidem judicio, ingenioſus ille Miles auratus *Chriſtophorus Heydonus* miſerè hæret, ſe cum laude hinc expedire neſcius. *Vide Defenſ. Judic. Aſtrol. cap.* 11.

4. Jam verò quantùm ad exquiſitas Eventi Circumſtantias, dico, Quòd ex accurata congruentia Eventi cum prædictione certitudinem Artis concludere mendoſa ſit Illatio. Nam & pariter verum eſt, eventum aliquando prædictioni, modis quàm perfectiſſimis, contrariari. Ac proinde hæc æquè valida eſſet Demonſtratio Artem non eſſe, atq; illa altera eſt eſſe. Sed ſatis facilè intelligitur utrumq; caſu poſſe contingere. Rurſus quantùm ad præciſam temporis rationem, veriſimillimum eſt id caſu evenire, quippe quòd (prout ſuprà probavi) nulla via ſit rectificandi Nativitatem ad eam perfectionem quam illi prætendunt. Et quod particulares circumſtantias attinet in quæſtionibus Horariis, quid obſtat quin illæ per celatam aliquam Prænotificationem intelligi poſſint, vel per technas aliquas fraudéſve ab Impoſtoribus frequenter uſurpatas? Quòd ſi Aſtrologorum Prædictiones ab his liberæ ſint, & tamen quantùm ad tempus aliáſq; Circumſtantias exactæ reperiantur; & tam multæ inſuper, ut minùs probabile videatur caſui poſſe imputari: (quanquam & caſus eam habet latitudinem ut difficile ſit quicquam ſtatuere caſu non contingere quod vel quadruplo rariùs accidit quàm contrarium) non ſtatim ſequetur, eas aliarum rerum immunes fore, quæ tamen proculdubio pejores ſint, horridiores, magíſq; execrabiles quàm illæ alteræ. Qualis eſt *Dæmonum* conſultatio *Spirituúmq;* *Familiarium* Impietas, quam ſedulus ille Aſtrologiæ Patronus *Chriſtophorus Heydonus*, agnoſcit frequenter nimis ſub hujus Artis pallio tegi.

5. Et certè, quantùm ad me, ego parùm quidem dubito, quin ipſa *Aſtrologia* veteris Paganorum *Superſtitionis* quædam ſit Appendicula, qui cœlorum exercitûs cultores fuerunt, quorúmq; Sacerdotes confœderationem inierunt cum Diabolo. Ac proinde nec mirum eſt ſi *Dæmonolatria* Aſtrologiæ ſuperirrepſerit, ambæq; denuò veterem ſuam familiaritatem mutuò renovaverint. Et proculdubio perquam lætum ſpectaculum eſt aëreis illis *Lemuribus*, iſtis óſoribus contemptoribúſq; humani generis, nobiles videre hominum facultates, ad tam vile miſerúmq; Myſterium dejectas illigatáſque, quod ad Divinationem nihil valet niſi iſti ἀπαλιῶνες δαίμονες iſti *maligni Impoſtores* ſuas etiam partes in ſcena agant. Neq; enim intellectu difficile eſt, quòd inviſibiles hi *Inſidiatores*, curioſitati hominis, qui immiſcere ſe vult & exercere in hac ſuperſtitione, ità ſe valeant inſinuare, ut incitare poſſint (in Horariis putà quæſtionibus) tales perſonas, talíq; in tempore ad ſciſcitandum hos Hariolos, ut ſecundùm præcognitas Aſtrologiæ regulas *Thema cœli* ſatis circumſtantialiter repræſentaturum ſit Perſonam ſciſcitantem, neceſſarios ejus, totámq; ejus conditionem, ac veram quæſtionis ſolutionem ſive de Ægrotationibus, Boniſve furto ſublatis, ſive aliis id genus quæſtionibus quæ in *Dariotis Introductione* occurrunt, ſit redditurum. Quod non poteſt quin mirificè novitium Aſtrologum amore & admiratione tam

ſtupendæ Artis oblectet inflammétque. Et quantùm ad Nativitates præciſáſq; prædictiones temporis Mortis cujuſlibet, & ipſarum fortean circumſtantiarum illius (quod aut ſolùm aut utplurimum in hujuſmodi contingit hominibus qui aut huic Arti addicti ſint aut devoti ſint ipſius admiratores) equidem admodum eſt ſuſpicandum, eaſdem *inviſibiles Poteſtates* ad effectum maturandum operam ſuam conferre, eóſq; ſic quorum infortunia mortéſq; prædicuntur, ad honorem Arti conciliandum miſerè debere occidi, ſacrificiáq; fieri libidini & ambitioni rebellium iſtorum Dæmonum; quorum ſecreto flagello ac dominio homines ſeipſos exponunt, quando ſe hujuſmodi ſuperſtitioſis curioſitatibus ingerunt: Quæ antiqui Paganiſmi appendiculæ ſunt, quáſq; veriſimillimum eſt ab iſtis ſuperbis & ludicris Spiritibus ad illaqueandum hominem per contemptum & ludibrium ad eúmq; ſubjugandum deceptionibus ſuarum technarum & illuſionum inventas eſſe & ſuggeſtas. Neq; enim alienum eſt cogitare per certas quaſdam magnæ Politiæ *Mundi inviſibilis* leges, jus eos poſſe contra hominem abſq; explicito contractu acquirere, ſi tam temerarius ſemel fuerit ut ſe Myſteriis *Regni tenebrarum* immiſceat, ipsíve ſe exerceat, ullóve modo eis utatur. Curnam enim non æquè hîc atq; in Ceremoniis Magicis hoc contingat? (Sed nolo nimium excurrere.) Quapropter tutiſſimam ego viam exiſtimo, ut quiſq; qui nomen ſuum Deo dedit Chriſtóque, omninò ſe ab his ſuperſtitioſis curioſitatibus Aſtrologiæ abſtineat, nec ipſe ſe in eis exerceat, nec alios qui ſe in eis exercent, conſulat, nè quid damni ipſi indè eveniat, aliíſve quorum causâ hos Hariolos conſulit, cùm utriq; hac ratione *flagello inviſibili* ſe obnoxios reddant.

6. Dico igitur, cùm vagi hi *Dæmones* Aërei aut occultè ſe ſtudiis Actionibúſq; Aſtrologorum inſinuent, aut etiam converſationi ipſorum aq familiaritati apertiùs ſe offerre non graventur, quò Artem orali rerum præteritarum, præſentium ac futurarum revelatione cohoneſtent, tali quidem ratione quæ planè ſupra humanas facultates ſit poſita, quæro, inquam, unde conſtare poſſit, *Cardani* putà mortes & * *Aſcletarionis* aliorúmq; quos nominare poſſim, ſive à ſeipſis ſive ab aliis magis præcisè prædictas, per familiaritatem Dæmonum non prædictas fuiſſe ſed per pura puta Aſtrologiæ Principia? Et ſimiliter de quibuſcunq; honoribus aliíſve Eventis quæ obſervata ſunt omninò ſecundùm Aſtrologicas prædictiones accidiſſe, equidem rogo, quomodo probari poſſit *Aſtrologiam* hîc non fuiſſe tantùm pro *Perſona*, ſed reverà *Magum* ſub ipſa latuiſſe? Quantò Prædictiones accuratiores ſunt, tantò quidem major eſt cauſa ſuſpicionis.

* *Sueton. in vita Domitiani. ſect.* 15.

7. Nunc igitur ut concludamus; Cùm Principia *Aſtrologiæ* tam abſurda ſint & frivola, immò contradictoria & inter ſe collidentia, & ſuper falſas Hypotheſes, craſſóſq; errores de *Natura*, *Mundiq;* *Syſtemate* extructa; Cùm nullum debitum habeat Objectum propter liberorum Agentium interpoſitus, tum hominum tum Angelorum, quibus imaginaria illa ſeries naturalis ac neceſſaria cauſarum & eventuum perpetuò interrumpitur; Cùm nulla ſit ſufficiens Experientia ad evincendam Artis veritatem, quippe cujus Profeſſores, leges ipſius utcunq; fictitias ſatìs religiosè non obſervârunt, unde ſi quid hactenus verum eſſe contigit, caſum eſſe oportet. Quod penitùs tollit ſua omnia Argumenta ab Eventis, ità ut Ars ipſorum omninò deſtituatur non ſolùm Principiis quæ falſa eſſe demonſtravi, ſed & ipsâ Experientiâ & Effectis, quæ hactenus fuerunt nulla. (Et certè nihil penſi habent fidenti voce pronunciare quòd hæc vel illa configuratio talem ſortitura ſit eventum, quamvìs nunquam id experti ſint aut rarò admodum, ut neceſſe eſt contingere in conjunctione *Saturni*, *Jovis* & *Martis* quæ intra ſeptingentos annos non redit.) Cúmq; inſuper illæ Prædictiones quæ dicuntur Eventis conveniſſe tam paucæ ſint ut coincidentia fortuitò facta meritò exiſtimetur, &, ſi quid prædictum ſit magis plenè præciſéque, quantùm ad ipſas circumſtantias, æquè rectè ſupponi poſſit, immò longè rectiùs, ab occulta provenire inſinuatione vel viſibili converſatione cum *Erronibus* illis *Aëreis* quàm ab indicatione Stellarum; Et poſtremò cùm ea ſit affinitas frequénſq; Aſtrologiæ cum *Dæmonolatria* veteríq; ſuperſtitione *Paganica* Aſſociatio: Equidem oportet valde impuram habere faciléq; effaſcinabilem Imaginationis Paſſivitatem, ſiquis alligari poteſt ad fidem aut affectationem tam abſonæ Ineptiæ quàm eſt Aſtrologia, & tam propè ad Apoſtaſiæ & Impietatis crepidinem appropinquantis.

8. *Aſtrologicam* hanc meam excurſionem jam abſolvi, ad quam vehementer provocatus ſum per zelum juſtum, debitámq; deteſtationem nunquam æquiparandæ præſumptionis impiæq; protervitatis gloriabundi iſtius *Cardani*, qui aut ex enormi animi elatione & admirationis hominum ſiti, aut etiam ex maligno adversùs veram pietatem conſilio nobis vult perſuadere, Divinitatem Chriſtianæ Religionis ejúſq; ſacroſanctitatem ſuis imaginariis ſtellarum legibus ſubjici, fatúmq; Chriſti Dei filii

&

& à Spiritu ſancto per miraculum geniti ſcriptum eſſe in ejus Nativitate, quam ille nempe ſe prætendit calculâſſe: Tanquam ſi omnis illa Juſtitia, Manſuetudo potentiáq; edendi miracula, in Servatorem derivatæ ſint in ſua Nativitate per naturalem Influentiam *Configurationis* Cœlorum; nec ultrò vitam ſuam depoſuerit pro mundo, quemadmodum ipſe * profitetur, ſed fato coactus, & Aſtrologici alicujus ἀναιρέτου ſive *Syderei Interfectoris* ictui expoſitus. Hanc, inquam, excurſionem *Cardani* gratiâ feci; ſed & præterea, ut condignam rependerem gratiam, veſano illi gloriatori, ſibíq; immane quantum placenti Philoſophaſtro, profano & vertiginoſo *Vanino*, immenſo ſanè plauſori & admiratori enormis hujus vanæq; ſuppoſitionis *Cardani*, quam is profectò ità deperit ut fundamentum ipſam faciat & ſuperſtructuram in univerſis ſcriptis ſuis impiis, *Baſin* & *Coronidem* omnium improbarum ſuarum & perverſarum doctrinarum contra veritatem ſanctitatémq; Religionis Chriſtianæ. Quibus duobus addere etiam potes *Apollonium*, (quanquam is multò antè floruit) Divinarum Revelationum glorioſum profeſſorem, ſervidúmq; languentis *Paganiſmi* Inſtauratorem, verùm perquam miſellum ſimul affectatorem Prædictionum * Aſtrologicarum, unde facilè detegitur quem ad modum gradúmve ipſe aut vaticinatus ſit aut philoſophatus. Et certè perquam bellum, meâ quidem ſententiâ, ſpectaculum eſt videre hos tres tam ſedulos Chriſtianæ Religionis impugnatores tanquam tres elegantulos Fatuos *Aſtromanticis* ſuis lerlis larvíſq; perquam pueriliter ridiculéq; ſplendidos, propter auſa ſua temeraria contra rem tam ſanctam ſolidámq; quàm eſt Fides Chriſtiana, ídq; ex tam ineptis frivoliſq; rationibus quàm quas ipſis ſuppeditet Aſtrologia, juſto contemptui & deriſioni hominum exponi.

* *Johan.* 10. 18.

* *Vide lib.* 4. *cap.* 4. *ſect.* 2.

MAGNI

MAGNI MYSTERII PIETATIS EXPLANATIO.

LIB. VIII.

CAP. I.

1. *Finis & utilitas Christianæ Religionis in genere.* 2. *Quòd Christus venit in mundum ut peccatum ex eo exterminet.* 3. *Ejus seria* Humilitatis *commendatio.* 4. *Eadem à Paulo Apostolo inculcata.*

1. FInivimus jam tertiam *Tractatûs* nostri partem, satísq; luculentè probavimus, Christianitatem non *rationabilem* solùm esse & *intelligibilem* rei alicujus *Idæam*, quæ digna sit cui Divina Providentia initium aliquando daret, ad instárve *Formæ esse seminalis* otiosè in semine latitantis sub terra; verùm eam se jam in *realem existentiam* emisisse, factámq; esse tanquam arborem adultam, quæ brachia sua longè latéq; extendit. Restat nunc ut consideremus *ramos* ejus *fructúsque*. Atq; ausim hîc profectò affirmatissimè pronunciare, hanc illam esse arborem cujus folia ad sanationem Gentium destinata sint, non ad prætextum palliationémve Peccati; fructúsq; ejus verè credentibus *Vitam* fore & *Immortalitatem*. Hæc brevis est comprehensio glorioſi finis magnæq; utilitatis Evangelii. Sed enim paulò explicatiùs in re tam immensi momenti agendum est. Intelligere sanè poteris ex eis quæ dicta sunt in prima parte de Natura *Mysterii Pietatis*, Evangelium *Machinamentum* quoddam esse ad attollendam *Divinam vitam* in eos Triumphos qui ipsi debentur, eíq; ab æterno per omniscìam Dei Providentiam sunt designati. Dispiciamus jam quàm idonea sit Evangelii *Dispensatio* ad hoc Propositum, hoc est, res illæ quæ in *eo narrantur*, quæ *de eo prædicuntur*, quæq; *ab eo præcipiuntur*, quàm aptæ illæ omnes ad hunc finem collineent atq; conspirent, partim suppeditando quàm efficaciſſima media, quibus Anima ad sublimiorem Justitiæ gradum etiam in hoc statu restituatur quàm per ullam aliam, quæ unquam hactenus extitit, restitui potuerit Oeconomiam, ex eóq; certiùs simul postea in beatam trajiciatur Immortalitatis statum; & partim exhibendo tam legitima fundamenta Divini cultûs Domino Jesu præstandi, in quo hæc vita qua de loquimur tam copiosè residet, quippe qui illâ inunctus est modo longè effusissimo præter socios. Ità ut hâc quidem ratione, quamvìs alterum illud Propositum tam parùm effecti sortitum sit apud homines, non possimus tamen quin agnoscamus *Divinam vitam* omnibus quidem suis pompis ac Triumphis non penitùs excidisse. Ordiemur verò à priore genere *virtutum* vel *potentiarum* hujus *Machinamenti*.

2. Quarum prima in hoc ferè consistit, *Quòd utiq; tam manifestò ac perspicuè declaretur in novo Testamento, Insignem illum Finem adventûs Christi in mundum, esse ut ex eo peccatum exterminet animásq; hominum purificet ab omni Immunditie ac Impietate.* Quemadmodum è multis locis apparet. 1 Johan. cap. 3. *Qui committit peccatum ex Diabolo est, quoniam à principio Diabolus peccat. In hunc finem filius Dei patefactus*

est

eſt ut diſſolvat opera Diaboli. Quiſquis natus eſt Deo peccatum non committit, quoniam ſemen ipſius in eo manet; nec poteſt peccare, eò quòd ex Deo natus eſt. Rurſus, Tit. cap. 2. *Illuxit enim gratia illa Dei ſalutifera omnibus hominibus, erudiens nos ut negatâ impietate & mundanis cupiditatibus ſapienter & juſtè & piè vivamus in præſenti ſeculo, Expectantes beatam illam ſpem & illuſtrem adventum gloriæ magni illius Dei ac Servatoris noſtri Jeſu Chriſti. Qui dedit ſemetipſum pro nobis ut redimeret nos ab omni iniquitate & purificaret ſibi ipſi populum peculiarem ſtudioſum bonorum operum.* Item, *Epheſ.* cap. 5. v. 25. *Viri, diligite uxores veſtras ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea; ut eam ſanctificaret, poſtquam purgâſſet lavacro aquæ per verbum: Ut ſiſteret eam ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam aut quicquam ejuſmodi, ſed ut eſſet ſancta & inculpata.*

Multa alia loca huc adjicere poſſim, verùm unico inſuper contentus ero teſtimonio ex ore beati Servatoris, qui profitetur *ſe non veniſſe ut diſſolveret legem aut prophetas, ſed ut impleret*; hoc eſt, ut ad altiorem perfectiorémq; ſenſum proveheret & explicaret, quemadmodum ex univerſo ſcopo Sermonis in monte apparet. Quorum præceptorum obſervationem ille ſeriò à diſcipulis ſuis ac ſectatoribus requirit, quemadmodum conſtat ex illa ſimilitudine quâ diſſertationem ſuam claudit, ubi declarat, quòd illi qui cuſtodiunt & præſtant ſermones ejus, tuti erunt & muniti ſicut is qui domum ſuam ſuper petram ædificaverit; ii verò qui audierint ſermones ejus nec tamen præſtent, quòd futuri ſint ſicut is qui domum ſuam ædificavit ſuper arenam, hoc eſt, ſuper falſum & evanidum fundamentum. Et paulò ſuprà apertè profitetur etiam contra tales qui in nomine ejus vaticinati ſint, Dæmonia ejecerint & ediderint miracula (quæ tamen res ſunt majoris momenti quàm aut conceptio aut auditio prolixarum precum vel Sermonum) profitetur, inquam, eis, eò quòd hanc legem Juſtitiæ quam hic proponit non obſervaverint, ſe in die Judicii eos non noſciturum, ſed juſſurum à ſe faceſſere, ut qui operati ſunt iniquitatem.

Matth. 5. 17.

Matth. 7. 24.

Atq; hoc quidem ſufficit ad demonſtrandum, Finem Evangelii Renovationem eſſe animorum humanorum in *veram* ac *realem* inhærentem Juſtitiam ac Sanctitatem, quam per Oppoſitionem ad *Animalem* vitam (quæ tamdiu in Mundo dominata erat non ſolùm in rebus *Civilibus* ſed & in ipſis * *Religioſis* Ritibus Paganorum, quemadmodum fusè jam enarravi) denominavi *vitam Divinam*, partéſq; ejus, ex quibus præcipuè conſiſtit, enumeravi, *Humilitatem* ſcilicet, *Charitatem* & *Puritatem*. Quas proinde quàm expreſſim & particulatim Evangelium nobis inculcet, non alienum erit hîc oſtendere.

* *Vide lib.* 3. *cap.* 6 & 7.

3. Chriſtus Servator Matth. 11. ad primam harum virtutum, ſeipſum pro exemplo proponens, ſolenniter nos invitat. *Venite ad me omnes qui fatigati eſtis & onerati, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos & diſcite à me quòd mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Et Matth. 5. v. 5. *Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram*, eſt ab eodem ore editum Promiſſum. Quorum utrorumq; locorum ſenſus eſt, Quòd *Humilitas* & *manſuetudo* multam pacem gignit & tranquillitatem ſuſq; ipſius fruitionem etiam in hac vita, cùm è contrà ſuperbia perpetuis offenſionibus & impatientiæ hominem exponat. Præterea, homo ſuperbus, eſt ipſe quaſi agger ſcopúſq; contra quem *Omnipotens* ſagittas ſuas dirigit ut eum lancinet, vulneret atq; vexet; laceratiſſimus Divinæ vindictæ flagrio, ac Deridiculum Infortunii & Ludibrium. *Deus ſuperbis reſiſtit; demiſſis verò dat gratiam.* Cæterùm non eſt mei Inſtituti hujuſmodi loca facilia quæ prolaturus ſum interpretari, ſed tantummodò in Lectoris conſpectum producere.

Jacob. 4. 6.

Cujuſmodi multa ſunt alia præterea, quæ teſtificantur de Excellentia hujus gratiæ *Humilitatis*. Servator enim rurſus (Matth. 11.) harum præcipuè virtutum Humilitatis ſcilicet & manſuetudinis jus eſſe declarat ut Regni Dei Myſteria cognoſcant. *Confiteor tibi Pater Domine cœli atq; terræ, quòd abſconderis hæc à ſapientibus & intelligentibus & ea detexeris Infantibus. Etiam Pater, quia ità placuit tibi.* Et Matth. 18. Chriſtus rogatus quiſnam maximus ſit in Regno cœlorum, advocat ad ſe puerulum ſiſtitq; ipſum in medio ipſorum atq; ait, *Amen dico vobis, niſi converſi fueritis & fiatis ut pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum. Quiſquis igitur demiſerit ſeipſum ſicut puerulus iſte, is eſt maximus ille in regno cœlorum.* Et cap. 20. 25. *Scitis Principes Gentium in eas dominari, & qui magni ſunt licentiâ uti in eas. Verùm non ità erit inter vos: Sed quicunq; voluerit inter vos magnus fieri, ſit veſter miniſter. Et quicunq; voluerit inter vos primus eſſe, ſit veſter ſervus. Sicut filius hominis non venit ut ſibi miniſtraretur ſed ut miniſtraret, daretq; animam ſuam in redemptionis pretium pro multis.* In quibus Periochis inſinuatur nimis ſplendidum inutilémq; honorem, locum habere non debere in Eccleſia Chriſti:

Chriſti: Verùm ſi Officia ſint alia aliis honorificentiora, quæ honorificentiora ſunt utilitati publicæ magis inſervire oportere præſertim in rebus ad Religionem pertinentibus.

* *Doctor infallibilis, imperioſus Pater vel Magiſter de ſua autoritate obtrudens alias ad Ethnicas quàm Chriſtus docuit.* || *Quò quis inter vos major em in Eccleſia dignitatem obtinebit, eò ſciat ſibi non plus imperii conceſſum, ſed plus oneris injunctum.* Grot.

Nam eódem etiam ſpectat quod occurrit Matth. 23. ubi ſuperbia & Hypocriſis Scribarum & Phariſæorum taxatur. *Ligant enim onera gravia*, inquit Servator, *difficiliáq; portatu & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere. Omnia verò opera ſua faciunt ut ſpectentur ab hominibus, dilatant enim Phylacteria ſua & producunt fimbrias Palliorum ſuorum, amántq; primos accubitus in cœnis primóſq; conſeſſus in conventibus, & in foris ſalutationes, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nè vocemini * Rabbi, unus enim eſt Doctor veſter Chriſtus; omnes autem vos fratres eſtis. Et patrem veſtrum, neminem vocetis in terra: Unus enim eſt Pater veſter qui in cœlis eſt. Nec vocemini * Doctores, unus enim veſter eſt Doctor, nempe Chriſtus. Sed qui maximus eſt veſtrum ſit || miniſter veſter. Qui ſe exaltaverit deprimetur, & qui ſeſe demiſerit exaltabitur.*

4. Hactenus Servator, ídq; admodum copioſé. In cujus veſtigiis Apoſtoli etiam inſiſtunt. Rom. 12. 16. *Eodem animo inter vos mutuò eſtote affecti, non elatè de vobis ipſis ſentientes, ſed humilibus obſecundantes. Nè eſtote prudentes apud voſmetipſos.* Et Epheſ. 4. *Precor itaq; vos, captivus in Domino, ut ambuletis ità ut dignum eſt, vocatione quâ vocati eſtis. Cum omni modeſtia & manſuetudine, cum animi lenitate, tolerantes alii alios per charitatem.* Et ad Tit. 3. *Suggere ipſis ut ſeſe ſubjiciant Principatibus & Poteſtatibus, ut obtemperent, & ad omne opus bonum ſint parati. Nè cujus famam lædant, ut ſint à pugnis alieni, æqui, omnem exhibentes lenitatem erga quoſvis homines.* Adeò ut videamus Religionem Chriſtianam æquè protervitati *Inferiorum* occurrere atq; affectatæ Dominationi *Superiorum*. Tam expreſſim *Humilitatem* Mundo commendat Evangelium.

CAP. II.

1. *Chriſtus Amorem & Charitatem tum per præcepta tum per proprium exemplum Eccleſiæ ſedulò inculcat.* 2. *Miſera Impoſtura falsíq; prætextus* Familiæ Amoris *quibus Donum hoc divinum ſibi vendicent.* 3. *Abſurditas* Familiſtarum *in rejiciendo Perſonam Chriſti, ut tam ignobili & carnali Ductori quàm eſt* Hen. Nicolai *adhæreant.* 4. *Nugatorem hunc nunquam verum ullum ſpecimen dediſſe amoris ſui erga Genus humanum quemadmodum Chriſtus ejúſq; Apoſtoli fecerunt.* 5. *Injuſta ejus uſurpatio* Tituli Amoris. 6. *Nunquam æquiparandæ Obligationes afflictionum Chriſti quas humani Generis causâ ſuſtinuit.*

1. PRoximus *Divinæ vitæ* Ramulus eſt Chriſtianus Amor ſive *Charitas*, quâ nihil profectò diligentiùs inculcatur in novo Teſtamento. Chriſtus eam reliquit pro ſuo, próq; Eccleſiæ ſuæ *Symbolo*, pro Teſſera quâ diſtingui poſſint dignoſcíq; ad quem pertineant. Johan. 13. 34. *Mandatum novum do vobis, ut alii aliqs diligatis: ſicut, inquam, dilexi vos, ut etiam diligatis alii alios. Ex hoc omnes cognoſcent vos eſſe diſcipulos meos ſi charitatem habueritis alii in alios.* Tanquam ſi dixiſſet, Inaudire nonnihil fortean potueritis ex *Moſe* de *diligendo Proximum ſuum ut ſeipſum*, Quod præceptum cùm eò uſq; ſe non extenderit quò hoc meum intendo, cúmq; præterea id ipſum ad quod ſe extendit, abjiciatur jam prorſus atq; negligatur, ego nunc illud denuò inſtauro ratúmq; reddo, & eis ſanè rationibus, ad eúmq; gradum & modum quo nunquam factum ſit hactenus. Volo enim, ut vos ſic mutuò diligatis, quemadmodum ego vos dilexi, hoc eſt, tam medullitùs ac ſincerè ut parati ſitis ad deponendas animas veſtras alii pro aliis ſi quando opus ferit. Quod magis expreſsè apertéq; dicitur, cap. 15. 12. *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis alii alios prout dilexi vos. Majorem hâc charitatem nemo habet, quàm ut quis animam ſuam ponat pro amicis ſuis.* Quod cum Chriſtus pro Eccleſia ſua præſtiterit, præſertim eis Circumſtantiis quibus præſtitit, nunquam æquiparandum profectò ſpecimen eſt veri ac ſinceri Amoris, & ad dilectionem tum ipſius, tum noſtri ipſorum invicem arctiſſima quæ excogitari poteſt Obligatio.

2. Quas quidem res dum ſeriò contemplor, equidem vix poſſum cum patientia craſſam iſtam audacis illius *Enthuſiaſtæ Amſtelodamenſis* impoſturam animo recordari: Quippe

Quippe qui cùm nullum omninò hujuſmodi Amoris qui aut *Moralis* aut *Divinus* meritò exiſtimari poſſit, argumentum dederit, ſed ingens tantummodo effuderit tumidorum verborum cum diſtortis Allegoriis levibúſq; ad hiſtorias ſacras alluſionibus profluvium; immiſcens aſpergénſq; ſubinde ſpecioſum nomen *Amoris* (quanquam nihil rationis interim adhibet quâ ad rem ipſam incitari poſſimus) pro tanto tamen ſe efferre cupit hujus Myſterii magiſtro, ut ipſa Chriſtianitas indè antiquanda ſit, omníſq; ille honor atq; cultus qui Servatori debetur abjiciendus, omnia illius Officia tollenda, Paſſio ejus contemnenda immò deridenda, viſibilis ad Judicium reditus anticipandus & eludendus, Reſurrectioni & Aſcenſioni fides demenda, Promiſſúmq; æternæ vitæ in præſentem gloriam, gaudia & opulentas Beatitates, quibus ii frui finguntur qui judicium rationémq; huic vaniloquo Impoſtori ſubmittunt, nugíſq; Floralitiis, Chironomicíſq; Tripudiis hujus ſuavis Sectæ, qui tam gloriabundè ſibi titulum uſurpant Familiæ Amoris, abduci ſe ſinunt, penitus abſorbendum. Cùm tamen hujus factionis Author, quemadmodum ego ſatis edoctus ſum, ad Lenonem propiùs accedebat alterúmq; *Sardanapalum*, quàm ad idoneum ſincerúmq; Mundi in tam ſancto Myſterio Informatorem. Quippe qui propter ſuſpectas in domo mulierculas infamis erat, ſplendidéq; vivebat ac delicatè ſuprà quàm ſortem ordinémq; ejus condeceret; ob coccineam diploidem holoſericam etiam notabilis, alióſq; huic congeneres habitus, utì etiam ob amplum ſuum auguſtúmq; ſpeculum, in quo integram ſuam Deificatam humanitatem à capite ad calcem contemplatus, componénſq; prolixam barbam, & holoſerica latera manibus demulcens, perquam magnifico profectò elatóq; greſſu per admirationem ſuiipſius ſubinde incedere potuerit; quippe qui mundum ſuis putidis Impoſturis tam facilem repererat & tam propitium. Ut præteream quàm ridiculus deniq; eſſet propter oraculorum ſuorum ſcriptatrices *Fœmellas* aliáſq; multas id genus delicatas conſuetudines, nè dicam impuras & obſcœnas. Quæ quidem cuivis homini qui vel mediocri ſagacitate ſit præditus non poſſunt non ſignificare, in Titulo hujus ſectæ, qui ſe *Familiam Amoris* appellitant, nullum alium Amorem intelligendum eſſe quàm qui merè *Naturalis* ſit & *Animalis*; quanquam hujus Amoris Myſterii præco tam altè ſe effert, adeóq; in ſublime alas quaſſat ut minorem quempiam quàm *Apocalypticum* illum *Angelum* in medio cœli volantem & Evangelium *æternum* Terræ incolis prædicantem ſe imaginari non poſſit. Et certè veriſimile eſt hoc Evangelium *Henrici Amſtelodamenſis* æquè diu duraturum ac generationes hominum, ut certum eſt æquè latè patêre ac genus hominum ac brutorum.

3. Audite ô Cœli, & auſculta ô Terra, dum adverſùs rebelles Hypocritas juſti cauſam ago & deſpicati. *Sic dicit Dominus Jehovah, Ecce ego fundo in Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, lapidem in fundamentum firmum, in quem qui crediderit non confundetur. Et ponam judicium ad lineam & juſtitiam ad trutinam, & ſubvertet grando mendaciorum ſuffugia, & aquæ inundabunt latibula ipſorum.* Quòd hic lapis angularis firmúmq; fundamentum * Chriſtus ſit qui paſſus eſt *Hieroſolymis* pro certo edocemur ab eis qui reverà *Divino Spiritu* afflati erant, à beatis utiq; Apoſtolis. Quod ſuffugium mendaciorum ac latibulum aptiſſimè ad hanc latitantem *Familiam* applicari poteſt ex eo apparet, quòd Summa ipſorum Religionis nihil aliud ſit quàm fallacium Allegoriarum & affectatorum vocabulorum faſciculus, per quæ ſubdolè cum hominibus agunt, & ſub prætextu puriorum Myſticorum ſermonum ſelectiſſimam utiliſſimámq; veritatem quæ unquam cum filiis hominum hactenus communicata eſt, è mundo eliminare ſatagunt. Veritatem intelligo Evangelii in nuda ſua ſimplicitate expoſitam, quâ tam perſpicuè erudimur quales nos eſſe oporteat, quid agere, quidq; demum expectare. Tempeſtas verò & Grando quæ opprimet ipſos, & Diluvium quod in abdita ipſorum illabetur habitacula, iſti erunt torrentes *Rationis*, & irrefragabilis *demonſtrationis*, qui à ſinceris fidíſq; Chriſti ſectatoribus in ipſos irruent & irrumpent. *Eſai.* 28. 16. * 1 *Pet.* 2. 6. *Rom.* 9. 32, 33.

Dicite igitur ô vos, qui fictitiis Inſpirationibus adeò indulgetis, quorúmq; Imaginationes flatulento quaſi turbine ſupra Oeconomiam Evangelicam vos abripuerunt, quare in Judæorum errorem incurritis ac pretioſum hunc lapidem angularem, firmúmq; fundamentum repudiatis, ſupérq; fallacem arenam paludémve putridam quæ nullum pondus ſuſtinuerit, ædificatis? Cur Chriſtum in veritate ſuæ Hiſtoriæ abjicitis (maximè conſpicuum ſanè Divinæ Providentiæ pignus & Reconciliationis Dei cum hominibus, futuræq; Felicitatis quod unquam hactenus mundo eſt exhibitum) & pro ductore vobis eligitis merum Nugatorem Allegoricum, *Idolopupum* verbis quidem ornatum & locutionibus è ſacra Scriptura ſurreptis, ſed præcipuo ſuo ſcopo utiliſſimóq; ſenſu exutis & ſpoliatis?

Cur unigenitum Dei filium dereliquistis, & vosmetipsos tutelæ tradidistis ac consilio hominis merè carnalis omníq; verâ fide in Deum Christúmq; prorsus destituti, nec id solùm sed & omni solidâ scientiâ Rationéque ? Cur tam temerarii estis ac vertiginosi, ut fidem habeatis homini qui tantum testificatur de seipso, & tam invereundus est Plagiarius ut nullas vobis merces offerat præterquam quas à vobis sit suffuratus, (si quidem ex Ecclesia Christiana vos esse profiteamini) eásq; ità veneno infectas & adulteratas ut eas recipere non possitis quin increduli circa veritatem Evangelii Christi fieri, ab eóque, cui tot illustria olim vaticinia, tot miracula per seipsum edita, cui stupenda è mortuis Resurrectio & audibiles de cœlo voces, dum in vivis erat, eum reverà unigenitum Dei filium fuisse locupletissimum perhibuerunt testimonium, deficere statim periclitemini ?

4. Quam adeò demerentem demonstrationem argumentúmve sinceri sui affectûs atq; amoris erga genus humanum vobis unquam dedit hic *Propheta Amstelodamensis*, ut vos eum tam præcellentem in hujusmodi Divino Mysterio Mystagogum venditetis, Christóq; & Apostolis non æquiparetis solùm, sed & præferatis ? Annon ille otiosam degebat vitam, desidémque, ac mollem, prout in aliis opulentis Tabernariis fieri solet, cùm è contrà non solùm ipse Servator sed & Apostoli duram *Ascetícámq;* vitam vixerint plenam periculis & afflictionibus etiam ab extrá ? S. *Paulus* pro reliquis eloquatur. Fuerunt enim omnes in eadem ferè conditione constituti, meritóq; possent cum inflatis his Fanaticis Professoribus in eisdem ferme verbis expostulare. *Ministri Christi sunt ? (desipiens loquor) ego sum ampliùs, in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter; A Judæis quinquies quadragenas unâ minùs, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, noctem & diem in profundo egi. In Itineribus, in periculis fluminum, periculis à meis Gentilibus, periculis à Gentibus, periculis in civitatibus, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis inter falsos fratres : In fatigatione & ærumna, in vigiliis sæpe, in fame & siti, in jejuniis sæpe, in frigore & nuditate*, &c. Quibus omnibus adjicere poteris malignas & cruciabiles mortes quas pleriq; eorum tandem sustinuerunt; atq; hoc omne, ex fideli amore erga Dominum suum ac Magistrum Jesum Christum, & ex charissimo affectu erga humanum genus studióq; ipsorum boni ac salutis. Verùm quid istuc est, obsecro, quo hic *H. N.* ità mundum devinxit ut omnis Religiosus Honor ac Reverentia quæ personæ Christi debeatur, illius causâ abjiciendi sint, audáxq; hic Impostor per tumidos suos prætextus, (quasi is nempe Caput Patérq; hujusmodi Familiæ sit, quam *Amoris Titulo* insigniri oporteat, cúmq; hac sua familia Deus sit Christúsque, & *Cherubini* ac *Seraphini*, *Angeli* & *Archangeli* suis jam occupati officiis judicandi vivos ac mortuos & colligendi electos ab omnibus Angulis Terræ) constanti Christianorum Fidei silentium imperet ?

2 Cor. 11. 23, 24.

5. Cæterùm meâ quidem sententiâ, vel primo aspectu demonstrat se omni prorsus carere *judicio*, si non *malitiâ* abundare, *hic vivorum ac mortuorum Judex*, dum inter *domesticos Fidei* & *Familiam Amoris* vel minimum molitur discrimen aut dissidium : Ut præteream crassam ejus & impudentem injustitiam in vendicando sibi ipsi illud honoris symbolum quod per sanguinolentam victoriam alter meritò reportavit. Etenim, quod modò dicturus eram, quid hic H. N. præstitit ut hunc Titulum mereretur, nisi quòd multas Fanaticas & confusaneas affectatitii sermonis Rhapsodias scripserit à sacra Scriptura per abusum mutuati, sensúmq; ejus perverterit finémq; supplantaverit per improbas suas elusiones vanásq; Evasiones Allegoricas, atq; sic sub prætextu inchoandi sublimiorem Religionis ac Justitiæ Oeconomiam quàm unquam hactenus extitit, reverà *Sadducismum*, *Epicurismum*, & *Atheismum*, veræ Religionis loco perquam perfidè introduxerit ? Hic luxuriosus ejus *Enthusiasmus* unà cum cohonestatione *Familiæ* per coccineæ suæ diploidis splendorem, summa prorsus est, quantum ego video, quâ subnixus Æmulum se sistat aut Competitorem veri illius Divini Amoris Magistri, quáve proprios suos sectatores devinciat.

6. Equidem fateor *Servatorem* nullos conscripsisse libros cùm res trivialis sit & ferè pædagogica, multóq; infra tam nobilis Personæ Divinitatem. Verùm brevis illa sententia quam pretiosissimo suo sanguine scripsit, *Sicut ego vos dilexi ità etiam diligite alii alios*, plus valet quàm multa voluminum millia scripta licèt verissimâ sinceriss imáq; Eloquentiâ quæ ab ullius unquam Oratoris calamo stillaverit. Nec certè is unquam ullis sumptuosis vestibus conspicuus erat nisi quando vel invito injurioso Milites ei chlamydem coccinam per contemptum & ludibrium induerant : Nec resplenduit unquam ullis coloribus nisi è tinctura proprii sanguinis in solenni sua ac tremenda *Passione*, quando tam crudeliter virgis cæsus est, quando per angorem animi

animi ſanguine ſudabat, quando clavis affixus eſt cruci, lanceáq; ſanguinem & aquam è latere ejus emiſit. Quos omnes ineffabiles & intolerandos cruciatus innocuus hic agnus Dei ob nullam ſuam culpam paſſus eſt (Quæ enim gratia eſſet, tanquam factioſum Impoſtorem aut nefarium Malefactorem pati?) ſed ex ſincero affectu ardentiſſimóq; Amore erga genus humanum, ut poſſet per hanc ſuam acerbam *Paſſionem* & glorioſas illius conſequentias, *Reſurrectionem* & *Aſcenſionem*, nos Deo lucrifacere. Et nunc ſanè totus mundus judicet an poſſibile ſit ut ſit quiſquam Author, profeſſúſve hominum Informator in illo reverà *ſancto* ac *Divino Amore*, qui cum *Domino Jeſu* ſit conferendus, qui Amoris erga nos ſui dedit hanc nunquam æquiparandam Demonſtrationem.

CAP. III.

1. *Occaſio quâ* Familiſtæ *Amoris Titulum ſibi vendicaverint.* 2. *Fervida Apoſtolorum præcepta ad Amorem inſequendum, qualiſq; ille ſit Amor.* 3. *Nos Deum diligere non poſſe niſi & diligamus proximum.* 4. *Expoſitio quinti ſextiq; verſûs, 1 cap. 2 Epiſt. S.* Petri. 5. *S.* Pauli *vehemens Charitatis commendatio;* 6. *Accurata illius Deſcriptio.* 7. *Charitatem ſummam eſſe Divinitatis participationem, illúdq; quo Dei filii evadimus. Quámq; injurii hi* Fanatici *ſint qui Eccleſiam Chriſti hoc Titulo ſpoliant, eámq; tanquam ſibi proprium attribuunt.*

1. AUdite igitur me vos *Juſtitiæ Sectatores, vos qui Jehovæ eſtis ſtudioſi, ſpectate ex qua rupe exciſi, ex quo lacûs cavo exſecti eſtis.* Intuemini eum quem transfixiſtis, cujúſq; ſanguis Eccleſiæ ſuæ eſt ſemen, cujus Sponſa è latere ſuo deſumpta eſt, ut *Eva* olim è latere *Adami.* Agnoſcite originem veſtram, & recolite apud voſmetipſos pretium Redemptionis veſtræ, inæſtimabilem utiq; ſanguinem Agni immaculati *Jeſu Chriſti.* Cujus quidem ſenſus & conſideratio firmiſſimum glutinum eſt quod excogitari poteſt ad uniendum nos cum Servatore & cum nobis ipſis invicem. *Eſai.* 51. 1.

Cæterùm cùm Eccleſia à tam longo tempore ſe factionibus & perſecutionibus, bellis ſanguiniſq; effuſioni & omni generi Inimicitiarum & Hoſtilitatis adversùs ſe invicem dediderit, cùm illi qui ſincerum Evangelii Myſterium bonâ fide cum populo communicare debebant, temeratiis ſuis perversíſq; additamentis, ſuis adulterationibus, ſubtilitatibus, inanibúſq; commentis adeò perplexum reddiderint, ut nihil aliud evaſerit niſi controverſiarum officina ſcholáq; contentionum, ex qua nihil audiatur præter altercationes & rixas circa inutiles Opiniones, nihil hinc exortum ſit præter odium, ſuperbiam & factionem, immò perquam barbaræ perſecutiones & homicidia, cùm buccinam inflaverint ex eis ipſis locis ſacris quæ erecta ſunt ad prædicandum Evangelium Pacis, & præ Antichriſtiana quadam veſania claſſicum cecinerint adversùs eos qui Deo reconciliati ſunt per ſanguinem *Jeſu Chriſti*, qui debet eſſe commune totius orbis Chriſtiani glutinum & coagulum, ad continenda corda eorum in firmam unitatem & concordiam; Cùm, inquam, ad hunc modum vacuum *Davidis* Tabernaculum dereliquerint, iſtúcne tam mirum eſt ſi peregrinus eò interim ſe clàm ingeſſerit, illúdq; aliis abſentibus poſſederit? cúmq; pretioſiſſimum illud Legatum moribundi Domini, *Amorem* ſcilicet *mutuum* tam turpiter abjecerint, ecqua injuſtitia eſt ſi alienus quiſpiam de humo tollat illúdq; in conſpectu eorum, manu vibret explicétq; in æternum ipſorum dedecus & ignominiam? hoc eſt, ut verbo abſolvam, ſi iſta *Pſeudofamilia Amoris*, amabilem iſtum Titulum occupaverit, quem ii meritò aut repudiâſſe aut jus ejus perdidiſſe exiſtimari poſſint. Quantùm ad me, equidem neſcio quam aut pro ineptis Opinionibus, aut nefariis Chriſtiani Orbis facinoribus Apologiam inſtituam. Hoc autem pro certo ſcio, *vexillum* ſuper veram Chriſti Sponſam *Amorem* eſſe; Amorem ſymbolum eſſe ac teſſeram omnium membrorum ejus fidelium; Amorem atq; Pacem Legatum eſſe noviſſimum diſcipulis Chriſti à moribundo ſuo domino ac magiſtro relictum, Hæreditatem inviolabili jure deſcendentem in veros Dei filios in perpetuum; Amorem eſſe implétionem Legis, ſinguláſq; ferè Evangelii paginas ſcriptáq; Apoſtolorum impleviſſe; cúmq; de Fide loquuntur, nullam aliam intelligendam eſſe Fidem, quàm quæ operetur per Charitatem & Amorem.

2. Ex multis illis repetitionibus & inculcationibus ſanctæ hujus & cœleſtis virtutis ſpicilegium facturus eram quarundam, quas pro dono vobis offerrem, ut indè poſſit conſtare, quàm fervidum Evangelium Chriſti ſit quámq; copioſum in urgendo hoc indiſpenſabili officio. Pergimus igitur addimúſq; eis quæ jam citavimus hæc ſubſequentia loca. Galat. 5. 6. *Nam in Jeſu Chriſto nec circumciſio quicquam valet nec præputium, ſed fides per charitatem operans.* Quòd ſi circumciſio nihil valet ſine fide per charitatem operante, quid valebit baptizatio, vel rebaptizatio ulláve alia externa Ceremonia abſq; vera fide, cujus vita & ſpiritus charitas ſit, ad quam Apoſtolus nos dirigit? Et poſtea, v. 13 & 14. *Vos enim ad libertatem vocati eſtis, fratres, tantùm nè libertatem arripite ut datam carni occaſionem, ſed ex charitate ſervite alii aliis. Nam tota Lex uno verbo completur, Diliges proximum tuum ut teipſum.* Ubi hæc Lex charitatis tam cautè & circumſpectè deſcribitur ut abuſus hujus Tituli ad libidinem & Libertiniſmum planè excludatur, adversùs illos qui loquuntur multùm de Amore, verùm Libertini ſunt interim in corde. Quæ quidem cautio iterum admodum ſobriè prudentérq; adhibetur à S. *Johanne*, Epiſt. 1. cap. 5. v. 2. *Per hoc cognoſcimus nos diligere filios Dei quum Deum diligimus & mandata ejus ſervamus.* Quæ manifeſta Demonſtratio eſt, quòd ille Amor ad quem S. *Johannes* tam copioſè nos hortatur in ſua Epiſtola, purus Amor eſt atq; Divinus, taliſq; quem nemo ſe exercere certus eſſe poſſit, niſi omnia Dei mandata ſervet. Etenim carnalis etiam homo diligere poteſt filios Dei, quippe quos experitur innocuos, pacificos, & beneficos, vel ex eo quòd ipſe ſit temperamento bene ſanguineo ac benigno. Verùm hæc dilectio in homine qui præceptis Dei religiosè non obtemperat, merè *animalis* eſt & *naturalis*, nec ex communicatione *Divini Spiritûs* profecta, quem omnes Regenerati participant, ſed ex Temperamento, quod dixi, & Amore ſuiipſius, qui cuilibet rei à qua naturale percipit ſolatium adhæreſcit. Ac proinde ſi quis filius Dei aliquantò ſpinoſior reperiatur & aſperior, in adverſando, reprehendendo, vel fortean non conſentiendo pravis aliquibus actionibus vel conſuetudinibus hujus benigniori temperie hominis, corruptus ejus ſanguis ſtatim efferveſcet contra Dei filium, odiúmq; pro amore reponet.

3. Quemadmodum verò beatus hic Apoſtolus unicéq; à Servatore dilectus tam ſtudiosè precavit, nè amor ille quem is mundo commendat tam abjectus ſit ac demiſſus ut ſyrma quaſi in cœno traheret, ità certè admodum ſapienter Hypocriſi occurrit elatorum quorundam Animorum Religioni deditorum, qui ſe amore Dei ejúſq; cultu adeò abreptos prætendunt, cùm tamen officiorum erga proximum plena ipſis abrepſerit oblivio. Ac proinde ad calcem præcedentis Capitis apertè pronunciat, *Siquis à ſe Deum amari dicit & tamen fratrem ſuum odit, mendacem eſſe. Qui enim fratrem ſuum quem vidit non amat, Deum quem non vidit, quo pacto poteſt amare? Atq; hoc ab eo præceptum habemus ut Deum qui amat, ſuum quoq; fratrem amet.* Quod officium ſecundæ Tabulæ cùm difficillimum ſit, & per Hypocriſin humanorum cordium maximè periclitetur evadi atq; eludi, ejus etiam inculcatio maximè frequens eſt apud Apoſtolos. Paulus ad Epheſ. cap. 4. v. 31. *Omnis acerbitas & odium & ira & clamoſitas, & maledicentia; deniq; omne vitium tollatur ex vobis: Ac eſte alii in alios benigni, miſericordes, condonantes inter vos, quemadmodum Deus vobis in Chriſto condonavit. Quapropter eſtote imitatores Dei ut chari filii, & cum charitate vitam agite, quemadmodum Chriſtus adamavit nos & ſeipſum pro nobis dedidit, in oblationem victimámq; Deo ad ſuavem odorem.* Et ad Coloſ. 3. 12. *Induite igitur ut Dei electi, ſancti amatiq; affectum miſericordiæ, benignitatem, modeſtiam, manſuetudinem, patientiam, alius alium ferentes & invicem condonantes ſi quis habet quod de aliquo expoſtulet; quemadmodum Chriſtus vobis condonavit, ſic vos quoq; facite. Sed ſuper hæc omnia induite charitatem quæ perfectionis vinculum eſt; vigeátq; pax Dei in veſtris animis ad quam eſtis in uno corpore vocati*, &c. *Petrus* etiam in prima ſua Epiſtola Catholica; *Animos veſtros veritati obediendo purificate per Spiritum, ad fraternum amorem non fictum, & ſincerâ mente inter vos impensè amate.* Et Epiſtola ſecunda, cap. 1. *Vos verò in hoc omni ſtudio incumbite acquirentes in fide veſtra virtutem, in virtute ſcientiam, in ſcientia temperantiam, in temperantia patientiam, in patientia pietatem, in pietate fraternum amorem, in amore fraterno charitatem.*

1 Johan. 4. 20.

1 Pet. 1. 22.

4. Aureæ hujus divinarum gratiarum catenæ cohærentia tam mirabilis eſt ut, tametſi præter meum ſcopum ſit de locis quæ profero quicquam dicere, hunc tamen abſq; aliqua interpretatione præterire non poſſim. Verùm tam plenè harum virtutum inter ſe totiúſq; catenæ cum præcedenti Textu connexionem non intelligemus, niſi

niſi ipſa prima ſententiæ verba paulò aliter exponamus. Apoſtolus in præcedentibus verſibus commemorat, quemadmodum *Deus omnia prævideriț ad vitam ac pietatem pertinentia, per cognitionem filii ſui Jeſu Chriſti, qui nos ſuâ gloriâ ac virtute vocavit, & propter quem ille nos eximiis maximiſq; promiſſis donavit, ut mundanam cupiditatis corruptelam effugientes Divinæ participes Naturæ fiamus.* Et tunc ingeritur quod recitavimus, ᾧ ἀυτὰ τῦτο δέ. Quod rectiùs redditur, *Et propterea ſine mora*, &c. Ἐπιχορηγήσατε ἐν τῇ πίςει ὑμῶν ἀρετήν. *Grotius* vult ἐν redundare; ut & Tralatio *Anglicana.* Quantùm verò ad me, ego quidem tantum abeſſe exiſtimo ut ἐν redundet, ut illud putem potiùs ſententiæ eſſentiale, datâq; operâ interpoſitum, ut majus quoddam Myſterium intelligamus quàm ſimplicem tot virtutum unius ad alteram additionem, ità ut nulla abſit. Quod ſolum eſt quod expreſſim ſignificari poſſit, ſi ἐν eſſet omiſſum. Sed enim cùm hæc propoſitio *cauſalitatem* ſignificet, plus eſt quàm nuda harum *Divinarum Gratiarum* enumeratio. Nam docemur inſuper quàm naturaliter oriantur una ex alia, quódq; *cauſalem* habeant una ab alia, per totam ſeriem, dependentiam.

Senſus igitur ſic eſt; Cùm Deus pro ſua parte, omnia paraverit ad ipſorum ſalutem, conſimilémq; *Fidem* pretioſam cum ipſo Apoſtolo obtinuerint, eos ſine mora dare operam oportere ut per efficaciam *Fidei* ſuæ, *virtutem* etiam acquirant, hoc eſt, robur animi ac fortitudinem. Præclara enim ac nobilia promiſſa animum excitant confirmántq; in aggrediendis illis difficultatibus quas ii debent ſubire, qui promiſſa cupiunt obtinere. Et certè hic difficultatum aggreſſus & conflictus, quæ in hominis Chriſtiani via inveniuntur (dummodo merus non ſit de re Chriſtiana confabulator, ſed actor ſtrenuus ſedulúſq; ſectator præceptorum exemplíq; Jeſu Chriſti) gignet profectò in eo non *verbalem* ſed veram *ſcientiam*, hoc eſt, *experientiam* ſanctam in ſemitis Dei. Atq; per hanc experientiam docebitur, quomodo carnalia iſta ac mundana deſideria ac cupiditates ſæpenumerò hominem decipiant & de via ſeducant, occæcando illius Judicium importunis ſuis ſuggeſtionibus, & extinguendo, aut ſaltem ſtupefaciendo religioſores illos divinioréſq; animi ſenſus quoties efflagitationibus ſuis auſcultatum ſit avidíſq; appetitionibus ſatisfactum. Ac proinde hæc *Scientia* vel *Experientia*, *Temperantiam* gignit, hoc eſt, magìs rigidum obfirmatúmq; conſilium cohibendi ſubjugandíq; omnia mundana & carnalia deſideria & obſtinatè aurem obturandi contra omnes ipſorum inverecundas mendicationes efflagitationéſque.

Quas res ſi quis ſeriò ad gradum modúmq; debitum aggreditur, deprehendet proculdubiò ſeipſum, penſum ſuſcepiſſe admodum arduum & intolerandum, nec ullum occurret remedium præter *Patientiam*, quam tamen inveniet ità extra ſuam poteſtatem poſitam, ut coactus fuerit in genua ante Deum cœli procidere, ipſúmq; efflictim rogare ut ſe in hoc certamine ac conflictu contra domeſticos ſuos inimicos confirmet, aſſiſtat & corroboret, útq; ſpiritum ſuum in tanto angore ac cruciatu ſuffulciat. Unde manifeſtum eſt quòd *Temperantiæ* leges ſtrictè & religioſè cuſtodire non poſſimus quin *Patientia* neceſſariò indè ſit emerſura, nec cuſtodiri in hoc ſpiritu *Patientiæ* abſq; invocatione agnitionéq; divinæ Aſſiſtentiæ, quod quidem indubitatus eſt propriè dictæ *Pietatis* fructus.

Nec poſſumus profectò animos noſtros ad hoc *Pietatis* genus ſeriò & ſincerè appellere, quin precibus noſtris ſuſpiriiſq; ad Deum, Reſponſa accepturi ſimus, & præter propriam noſtram expectationem, ſupráq; fidem aliorum, glorioſa. Et propterea, poſtquam victoriam per Divinam gratiam quæ nobis ſufficit, & tam lætum triumphum ſuper cupiditates noſtras nacti ſimus, reperientes tunc animas noſtras altiſſimo gratitudinis ſenſu erga Redemptorem noſtrum ac benefactorem abreptas, qui retributionibus noſtris ipſe neutiquam indiget, affectuum noſtrorum flumen naturaliter deorſum erga Eccleſiam ſuam derivabimus, Sanctóſq; in terra verſantes, & eos qui virtute præſtant, aut qui ſaltem eò ſe ſincerè ſuſpirare prætendunt. Atq; hic propriè dicitur *Amor fraternus*, qui affectus noſtros ad eos defert qui ejuſdem nobiſcum ſunt Religionis. Qui *fraternus Amor* non ſolùm ex hac *gratitudinis* Ratione erga Deum oritur, ſed etiam ex ipſa *temperie* & conditione *Animæ* ad hunc modum purificatæ: juxta illud quod S. *Petrus* inſinuat, quòd poſtquam animas purificaverimus obediendo veritati per ſpiritum, hujuſce rei finis atq; exitus futurus ſit *Amor fraternus*. Alioqui ad quod inſerviret hujuſmodi Purificatio? *Pſalm.* 16. 2, 3.

Num Invidia, num Odium, num Libido, num Ambitio, num Luxuria aliáq; enormia Deſideria affectúſq; ex *anima* ejiciendi ſunt per ſanctitatem atq; puritatem, ut diaphanum deinde tantummodo glaciei fruſtulum immaculatúſve nivis flocculus evadat? Num tam pura fiet, tam pellucida, tam cryſtallina, tam omni labe ac tincturis,

tincturis, omni immunditie colorúmq; fuſcedine vacua, ut nihil præter ſilentes umbras noctémque, *diaphanam* ſuam puritatem occupet? Equidem tunc nihilo meliori conditione foret quàm nocturnus Aër, nihilo felicior quàm ſtatua Alabaſtrina. Nihílq; totum hoc futurum eſſet, niſi mundior quædam emortuæ, & quaſi fame enectæ animæ ſepultura. Verùm nihil periculi eſt nè tam tenuis exitus adeò operoſos paratus conſequatur. Etenim *Amor* & Deſiderium tam eſſentiales ſunt animæ ut eos penitus *exuere* non poſſit, ſed tantùm *commutare*. Eſt enim anima, quemadmodum eam *Pſellas* appellitat, ἄϋλον ϗ ἀσώματον πῦρ, *Ignis immaterialis & incorporeus*, Activitas inextinguibilis, & quæ aliquod ſemper captabit objectum. Ac proinde ſi ab *amore mundi* propriíq; corporis cupiditatibus ceſſaverit, pro certo Chriſti corpus, Eccleſiam utique, confeſtim amabit, operámq; dabit illius commodis promovendis. Nec hîc quidem ſubſiſtere poteſt, verùm pura hæc vividáq; flamma ſurſum aſcendit & reflectitur iterum deorſum, & in omnes partes ſe vibrat, ad objecta omnia in cœlo terráq; ſe extendens, quemadmodum naturalis Ignis omnem materiam combuſtibilem penetrat. Ac proinde ex puris ſuis & ardentibus ſpeculationibus Deitatis & infinitæ illius Bonitatis, & ex obſervatione Capacitatis totius Creationis, quæ Bonum quidem tum ab ipſo Deo tum à ſe invicem recipit, anguſtas illas *Fraterni Amoris* ripas ſtatim inundat, in illámq; ineffabilis amplitudinis immenſæq; præſtantiæ gratiam ac virtutem, *univerſalem* intelligo *charitatem*, ſe expandit, quæ ſumma Perfectio eſt cujus humana Anima ſive in hac vita ſive in futura ſit capax: Atq; ſic demum *perfecta ſit, quemadmodum pater ipſius in cœlis eſt perfectus.*

5. Hæc eſt illa via excellentiſſima quam S. *Paulus* tanto cum animi raptu, tanto cum Triumpho commemorat, 1 Cor. cap. 13. Ubi poſtquam multiplicia Dei dona Eccleſiæ collata enumeraverit, ut dona prædicandi, vaticinandi, edendi miracula, ægros ſanandi, & loquendi diverſis linguis, in effuſiſſimas Charitatis ſupra omnia laudes continuò erumpit. *Si & hominum loquar & Angelorum linguis neq; charitate ſim præditus, ſum æs reſonans & cymbalum tinniens. Et ſi tantum Divinationis habeam ut omnia arcana ſcientiámq; omnem teneam, & ſi adeò omni ſim fide præditus ut vel montes tranſmoveam & tamen charitate non ſim præditus, nihil ſum. Et ſi omnes meas facultates in alendos egenos erogem, & ſi vel meum corpus comburendum tradam & tamen charitate non ſim præditus, nihil proficio.*

Et poſtquam expectationem noſtram exiſtimationémq; cœleſtis hujus virtutis magnificâ hac ſua eloquentiâ accenderit, non *imaginationes* ſolummodò noſtras inflammat (ut vani ſolent Enthuſiaſtæ, *judicium* interim tenebris relinquentes) ſed Divinæ hujus virtutis naturam nobis admodum diſtinctè & copiosè deſcribit; adeò ut manifeſtò deprehendere poſſimus ubi nos conſiſtere oporteat, quidnam oporteat quærere, & quo modo poſſit conſtare, nos, id quod quæſiverimus reverà obtinuiſſe.

6. *Charitas patiens eſt, benigna eſt; Charitas non æmulatur, non eſt temeraria, non tumet, non ſe gerit turpiter; Non ſibi ipſi ſtudet, non eſt irritabilis, non malè cogitat, non gaudet injuſtitiâ ſed veritate lætatur: omnia tolerat, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Hæc admodum plena viváq; eſt Deſcriptio *Amoris* ſive *Charitatis*, charactérq; maximè ſuavis cœleſtíſq; perfectionis quæ naturæ humanæ communicari poteſt, quæq; è ſincero corde hujus tam opulenti poſſeſſoris illius, ſancti utiq; Apoſtoli, tam fervidè effuſa eſt, ut multo plus profectò me moveat, quàm omnis illa affectatitia loquacitas ſummorum *Enthuſiaſtarum* qui in Profeſſione hujus Myſterii tam magnificè gloriantur.

7. Hæc eſt ſumma *Divinitatis* participatio, quæ citra Myſticam illam conjunctionem humanitatis Chriſti cum Deitate, in humanam naturam cadat, quæq; proinde illud eſt quo *filii Dei* evadimus, quemadmodum *Johannes* evidenter declarat in prima Epiſtola cap. 4. *Chariſſimi amemus nos inter nos, nam Charitas à Deo eſt, ac quiſquis amat, ex Deo natus eſt, Deúmq; novit. Qui non amat non novit Deum, nam Deus amor eſt.* Et verſ. 10. *In eo amor eſt, quòd Deus, non ex eo quòd nos eum amaverimus, ſed quòd ipſe nos amaverit, miſit filium ſuum pro peccatis noſtris piaculum. Chariſſimi, ſi ſic nos amavit Deus, nos viciſſim debemus amare nos mutuó. Deum nemo unquam vidit, ſi alius alium amamus manet in nobis Deus, ſumúſq; ejus perfectâ charitate præditi.* Et rurſus verſ. 16. *Deus amor eſt, & qui in amore manet, in Deo manet & Deus in eo.* Multa alia teſtimonia ſunt ſummæ illius exiſtimationis quam vera Eccleſia Chriſti de ſancta hac virtute Charitatis habet. Sed quæ jam citavimus, ad demonſtrandum ſufficiunt quàm ſedulò Evangelii Præcepta hunc præcellentem *Divinæ vitæ* ramulum urgeant, quam appellamus Charitatem, quámq; inſùper citra omnem Excuſationem injurii, impii, & blaſphemi adversùs Chriſtum Fanatici illi Impoſtores ſint qui ab Eccleſia deficiunt, Chriſti officia abrogant, Chriſtia-

Chriſtianámq; antiquant Religonem ſub prætextu introducendi altiorem quandam Oeconomiam ac Revelationem, cui Titulum ac inſcriptionem *Amoris* imponant, Eccleſiæ vexillum gerentes, ut hoc malo dolo eò tutiùs eam adoriri poſſint & profligare, ſaltem maximè ſimplicia (& optimè animata ſæpenumerò) Eccleſiæ membra à vero ſuo Capite Jeſu Chriſto ſeducere, qui ipſos pretioſiſſimo ſuo ſanguine redemit. Cujus Principatus in Eccleſiam nunquam deſinere poteſt cùm nec ipſe deſinat exiſtere: Verùm Rex eſt & Sacerdos in æternum ſecundùm vaticinia.

CAP. IV.

1. *Servatoris ſtricta* Puritatis *præceptio; unde manifeſtum ſit amorem quem is commendat,* Carnalem *non eſſe ſed* Divinum. 2. *Multa loca ex Apoſtolis illud officium urgentia.* 3. *Duo alia loca eódem ſpectantia.* 4. *Præſumptio eorum abſurda qui Chriſtianitate abutuntur ad libertatem peccandi.* 5. *Quòd Error hic maturè Eccleſiam inceſſit, & etiamnum in Eccleſia nimium quantum ſylveſcit.* 6. *Unde ipſum impugnandi apparet neceſſitas, quod ſe facturum pollicetur argumento Diſſertationis è* 1 *Johan.* 3. 7. *ſumpto.*

1. TErtius *Divinæ vitæ* ramulus eſt *Puritas.* In qua præcipienda cùm & *Chriſtus* & *Apoſtoli* tam ſeduli ſint ac fervidi, manifeſtum porrò eſt *Amorem* illum quem illi mundo commendant, ſuſpectam aliquam affectionem quidem non eſſe (illi putà conſimilem cui incerta ac præſtigioſa Enthuſiaſtarum loquela favere meritò exiſtimetur) ſed eum ipſum purum ſanctúmq; *Amorem*, quem nos jure optimo nuncupavimus *Divinum.* Et quàm ſeveriter hæc *Puritas* qua de agimus exigatur, paucas ſanè ſed oppidò quàm appoſitas jam producam Inſtantias. Matth. 5. 27. *Audiviſtis antiquis eſſe dictum, Nè adulterato: Ego verò vobis dico, quiſquis fœminam ſic aſpicit ut eam concupiſcat, jam eam animo adulteravit. Quòd ſi tibi vel oculus tuus dexter officit, erue eum & abjice; Præſtat enim tibi unum membrorum tuorum perdi quàm totum corpus tuum in Gehennam dejici. Et ſi tibi vel dextra tua manus officit, amputa eam & abjice,* &c. Quæ magìs ſeria ſedúláq; monitio fieri poteſt ad *Continentiam Abſtinentiámq;* à corporeis voluptatibus, quàm eſt hæc Servatoris? qui ſub nulla leviori pœna quàm ſuppliciis Inferni omnem nobis interdicit *laſciviam* & *impuritatem*, etiam omnia præparatoria præludia ad turpes Libidinis actus inhibens, nec ullam permittens nè imaginariam quidem ſcenam illicitorum facinorum, quibus voluntas noſtra reverà aſſenſura eſſet, ſi oblata foret opportunitas.

2. Inveniemus verò & Apoſtolos ſui Magiſtri veſtigiis hac in re inſiſtentes. 2 Cor. 6. *Quapropter exite ex medio eorum ac ſeparamini inquit Dominus; neve impurum tangite; & ego vos accipiam vobiſq; pater ero & vos mihi eritis filii ac filiæ, inquit Dominus omnipotens. Hæc igitur habentes promiſſa, chariſſimi, purgemus nos ipſos ab omni & corporis & animi labe, ſanctitate perfungentes cum Dei metu.* Et 1 Theſ. 5. *Ipſe verò Deus pacis ſanctificet vos totos, ut integer veſter ſpiritus, & anima & corpus inculpatè in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti conſerventur.* Et in præcedenti capite, verſ. 3. *Hoc enim & Dei voluntatis eſt & veſtræ ſanctitatis, ut ab impudicitia vos abſtineatis, ſciátq; quiſq; veſtrûm ſuum vas cum ſanctimonia ac honeſtate, non (ut alienigenæ Deum ignorantes) cum cupiditatis libidine, poſſidere.* Item 1 Cor. 6. v. 13. *Corpus verò non ſcortationi ſed Domino, & Dominus corpori. Deus verò & Dominum ſuſcitavit, & vos per ejus poteſtatem ſuſcitabit. An neſcitis corpora veſtra Chriſti eſſe membra? Ergo Chriſti membra tollam & ſcorti membra faciam? Abſit.* Et paulò pòſt, *Fugite ſcortationem. Omne aliud peccatum, quodcunq; committit homo, extra corpus eſt; ſed qui ſcortatur, is in proprium corpus peccat. An ignoratis veſtrum corpus templum eſſe ſancti Spiritûs, qui in nobis eſt, quem à Deo habetis; neq; vos eſſe veſtros quippe pretio emptos? Honorate igitur Deum veſtris & corporibus & animis quæ Dei ſunt.* Porrò, Coloſ. 3. 5. *Quamobrem mortificate membra veſtra terreſtria, impudicitiam, obſcœnitatem, libidinem, cupiditatem malam, & avaritiam quæ eſt Idololatria. Propter quæ invadit ira Dei homines contumaces.* Cui conſimile eſt quod occurrit Epheſ. 5. 3. *Scortatio verò & omnis impuritas aut avaritia nè nominetur quidem inter vos ſicut decet Sanctos, & obſcœnitas & ſtultiloquium & ſcurrilitas quæ non conveniunt; ſed potiùs gratiarum actio. Nam hoc nôſtis, nullum ſcortatorem, aut impurum,*

impurum, aut avarum qui eſt Idololatra, habere hæreditatem in Regno Chriſti & Dei. Nemo vos decipiat vanis verbis, propter hæc enim venit ira Dei in homines contumaces. Quare nolite eorum eſſe conſortes. Et 1 Cor. 6. 9. *An ignoratis injuſtos non eſſe Dei hæreditatem poſſeſſuros? Nè errate, nec impudici, nec idololatræ, nec adulteri, nec molles, nec cinædi, nec fures, nec avari, nec ebrioſi, nec convitiatores, nec rapaces regni Dei hæreditatem poſſidebunt.*

3. Ampliorem ſanè locorum hoc *Puritatis* & *Sanctitatis* officium urgentium collectionem feci quàm inſtitui, nec tamen abſtinere me poſſum quin duo alia inſuper addam, unum ex S. *Petro*, 1 Epiſt. cap. 2. *Chariſſimi, cohortor vos, ut tanquam inquilini & peregrini abſtineatis à corporeis cupiditatibus, quæ adversùs animam militant.* Alterum ex eo eſt quem toties laudavi, Rom. 13. 12. *Diſceſſit nox, dies autem adeſt, quare deponamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis. Honeſtè nos ut in die geramus; non comeſſationibus & ebrietatibus; non concubitibus & libidinibus; non jurgiis & emulatione: Sed induite dominum Jeſum Chriſtum, neve carnis curam gerite, ejus indulgendo cupiditatibus.*

4. Abunde jam mihi demonſtrâſſe videor, quàm apertè & explicitè Chriſtus ejúſq; Apoſtoli inſtent urgeántq; omnes homines qui Evangelium audiunt ut diligenter & religiosè ejus præceptis obtemperent, ut ſancti ſint etiam ſicut Chriſtus ſanctus eſt, in omnimoda Converſatione; ut qui tenentur ad adnitendum & ſuſpirandum ad participationem *Divinæ vitæ* in omnibus ſuis partibus, *Humilitate*, *Amore* & *Puritate*, *exoſi etiam veſtem carne coinquinatam*, quemadmodum loquitur *Judas* Apoſtolus; quámq; manifeſtum ſit hanc *Sanctitatem* & *Juſtitiam* non minùs ſanè ſeriò ac ſeveriter requiri quàm ſub pœna perdendæ ſalutis æternæ, niſi juxta hæc præcepta vitam ſuam inſtituant. Adeò ut obſtupeſcam planè dum apud meipſum *Infernale* illud & abominandum, quod quidam Evangelio impoſuerunt, gloſſema conſidero, tanquam ſi ipſa licentiæ ſchola eſſet, finiſq; adventûs Chriſti in mundum fuiſſet ut ſecum à cœleſti Rege hominibus diploma deferret, quo inſtructi peccare poſſint in poſterum cum *autoritate*, omni ſaltem cum *ſecuritate* & *impunitate*, cùm nihil ex eorum parte depoſcatur præterquam ut credant Chriſtum pro ipſis fuiſſe mortuum, nec ſanè id factum eſſe ſub alia conditione quàm ut ſic factum credant; tanquam ſi Chriſtus ſeipſum ad redimendum nos à *peccato* non dedidiſſet, ſed ad aſſerendum in *peccandi libertatem*; Quæ perverſiſſima eſt depravatiſſimáq; Divinæ gratiæ in Chriſto revelatæ Interpretatio quæ excogitari poteſt, ſcopóq; principali adventûs Chriſti in mundum ex Diametro oppoſita. *Dedit enim ſeipſum pro nobis ut redimeret nos ab omni Iniquitate, & purificaret ſibiipſi populum peculiarem, ſtudioſum bonorum operum.*

Tit. 2. 14.

5. Verùm enimverò quantumlibet repugnans ſit hic error atq; abſonus, Eccleſiam tamen admodum maturè inceſſerat, quemadmodum ex multis Apoſtolorum monitis apparet, quippe qui inter hortandum alumnos ſuos ad *ſanctitatem vitæ* ac *realem Juſtitiam*, quàm propenſi eſſent ad hanc fallacem opinionem [quòd liceret ipſis in hujuſmodi rebus eſſe negligentes ac remiſſos] ſæpe ſubindicant. Quaſdam inſtantias obſervare poteras jam allatas, quibus illud addas S. *Jacobi*; *Reipſa verò præſtate ſermonem, nec eſtote auditores ſolùm; fallentes voſmetipſos.* Verùm illud S. *Johannis* maximè expreſſum eſt & emphaticum; *Filioli, nemo vos decipiat; Qui juſta facit Juſtus eſt quemadmodum ille Juſtus eſt*; hoc eſt, quemadmodum ipſe Chriſtus juſtus erat qui non *putatitiâ* & *imaginariâ* juſtitiâ juſtus erat ſed *reali*; quanquam erant, ut videtur ex hac monitione, eis temporibus, qui operam perſuadendis hominibus dabant aliter fieri poſſe ac docet Apoſtolus; Et optarem equidem, quòd hic error non tam latas etiamnum radices in Eccleſia ſpargeret, quo tamen in nullum credo majorem incidere poſſe homines nec periculoſiorem, cùm mirandum illud machinamentum (quemadmodum appellavi) quod Deus in mundo ad vitam pietatemq; promovendam erexit, invalidum omnino reddat & inutile.

Jacob. 1. 22.

Johann. 3. v. 7.

6. Quamobrem cùm omnes ſubſequentes *Potentiæ* hujus *Inſtrumenti* ab hac *prima* dependeant, niſi *primam* hanc probemus integrámq; præſtemus, *reliquæ* nullam vim habituræ ſunt nec effectum. Quocirca ut omnia reddam glabra, facilia, & expedita, obligatum me video in his quantumlibet evidentibus Teſtimoniis non acquieſcere, *Quòd* utiq; *ſtrictè tenemur ad inhærentem proſequendam ſanctitatem*, ſed demonſtrare porrò apud idoneos judices, quàm illegitima & infirma ſint fundamenta hujus Erroris quem illi mundo obtrudere volunt tanquam præcipuum Evangelii Myſterium, nimirum, *Si modò quis credat, quamvis omni ſanctitate ſit deſtitutus, cum tamen tanquam ſanctum juſtúmq; per imputationem Juſtitiæ Chriſti approbatum iri, & conſequenter quomodocunq; vitam inſtituerit, æternam felicitatem eſſe hæreditaturum.*

hæreditaturum. Initium dissertationis sumam à gravi illo sinceróq; consilio sancti Apostoli, quod novitiis infirmísq; Christianis impertit, cujúsq; mentionem modò feci, *Filioli, nemo vos decipiat,* &c.

CAP. V.

1. *Apostoli cura nè Christiani novitii pernicioso hoc errore coinquinentur, opinandi se justos quamvis justa minimè faciant.* 2. *Quàm obnoxii sint isti contagio, ejúsq; rei causæ inquirendæ.* 3. *Primum genus scripturarum in eum finem perperam adhibituram.* 4. *Secundum genus.* 5. *Ipsum statum Christianæ Infantiæ pronos eos facere in hunc errorem.* 6. *Quæ natura sit illius Fidei ob quam* Abrahamus *adeò commendatur, quiq; sensus* τῦ λογίζεδζ εἰς δικαιοσύνην. 7. *Exploratio sensûs vocabuli,* Justificatio. 8. *Responsum ad scripturas quæ* realem *Justitiam à* Fide *videntur disjungere.* 10. *Justósq; nos facere per* Imputationem. 11. *Irrefragabilia Scripturæ Testimonia quæ necessitatem* realis Justitiæ *probant.*

1. QUod *Plato* in Legislatoribus & Institutoribus vel Gubernatoribus Rerum publicarum adeò commendat, quòd utiq; specialem primariámq; curam gerunt *Pueritiæ* & *Juventutis*, quemadmodum diligentes Agricolæ peculiaria sepimenta teneris plantis circumponunt ad defendenda pericula quibus ipsarum teneritudo eas exponat; illud etiam observari potest in beato Apostolo qui inter multa alia adminicula quæ in novitiorum Christianorum gratiam paravit, præmunivit eos etiam & circumvallavit hâc prudentissimâ Cautione contra tam periculosum in Christianitate errorem, ut imaginentur se statim justos fieri solùm profitendo se Christianos, quamvis nulla sit realis Justitia in cordibus eorum nec ulli fructus illius in manibus; Error profectò improbus ad quem multi Impostores seducere homines olim tentârunt. Quales fuerunt *Nicolaus*, *Marcio*, & *Carpocrates*, quemadmodum Historici notârunt.

2. Et verò cùm nulla melior esse possit Antidotus quàm ut Christiani Novitii convincantur se huic obnoxios esse contagio, equidem diligenter explorabo apertéq; exponam causas propter quas adeò obnoxii sint, ut dum in hac conditione se deprehendunt, majorem adhibeant operam ad conservandos se nè pestilentiali hoc veneno inficiantur.

Atq; hic certè illud reperiemus evenire in rebus *Spiritualibus* quod in *Naturalibus* sæpenumerò fieri solet. Etenim quemadmodum corpora infirma à cibo potúq; morbos contrahunt, immò verò ab illo, quod tam perpetuum ac palpabile vitæ principium est ut vix uno momento absq; eo vivere valeamus, *refrigerantem* intelligo *Aërem*, quæ teneriora corpora sæpe in febres aliásq; intemperies conjicit; ità teneræ infirmæq; Animæ ex mala sæpenumero concoctione, ipsum æternæ vitæ cibum, Dei utiq; verbum, in materiam morbificam convertunt, & cùm crescere quidem viréq; acquirere ex illius comestione debeant, Divinam è contrà in se vitam planè debilitant, atq; in ægrotationes periculosissimas miserrimásq; se præcipitant.

3. Prima igitur causâ hujus pronitatis in Novitiis Christianis ad præsentem hunc errorem sunt certa quædam Scripturæ loca, quorum sensum cùm illi minùs intelligant, in gratiam propriæ suæ *carnalitatis* corporearúmq; Cupiditatum interpretari præsumunt. Immensum esset omnia corradere quæ in hunc malum finem pervertuntur. Principaliora tantùm producere contenti erimus, ad quæ postquam respondero, reliquis, eò ipsò, satisfiet.

Atq; hæc in duo genera dispescere possimus, sunt enim aut talia quæ videantur innuere, *Nudâ Fide nos justificari*, adeóq; ex inani sola persuasione justos evadere; aut hujusmodi quæ asserere videantur, *Justitiam Christi nostram esse*, justósve per illam ipsam Justitiam quæ in illo est, nos evadere posse.

Et primi quidem generis est illud, Rom. 4. *Credidit autem Abraham Deo & imputatum est ei pro justitia. Atqui ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia sed ex debito. Ei verò qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitia.*

Et Rom. 5. *Justificati igitur ex fide pacem habemus cum Deo per Dominum nostrum Jesum Christum.* Et Rom. 10. 4. *Nam finis Legis est Christus ad Justitiam*

cuivis credenti. Et vers. 9. ejusdem capitis, *Si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum & credideris in corde tuo quòd Deus eum excitavit à mortuis, servaberis.* Quæ loca innuere videntur, meram persuasionem quòd Christus fecerit passúsve sit hoc vel illud, Justificationem nostram esse ac salutem. Possim huc adjicere Gal. 2. v. 16. verùm illud in proprium suum locum differam.

4. Venimus jam ad secundum genus Testimoniorum Scripturæ quæ videntur *justitiam Christi nobis imputare*, doceréque, eam esse quâ & nos justi evadimus. 1 Cor. 1. 30. *Ab eo autem vos estis in Christo Jesu qui factus est nobis Sapientia à Deo Justitiáq; & Sanctificatio & Redemptio.* Et Rom. 5. *Ergo quemadmodum unius delicto factum est ut omnes homines damnarentur, sic etiam unius justitia fit ut omnes homines absolvantur atq; vivant. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ità per unius obedientiam justi constituentur multi.* Ex his aliísq; consimilibus locis novitii Christiani & imperiti, proni sunt ad concludendum, se justos esse posse per *Obedientiam* ac *Justitiam* Christi *applicatam* ipsis & *imputatam*, quanquam nullam habeant realem justitiam in propriis animabus nec quicquam ipsis pensi sit vitam justè instituere. Atq; hæc est prima causa ipsorum proclivitatis ad noxium hunc errorem. Sed restat altera, cujus absq; concursu prior hæc nullam habitura esset efficaciam. Nam omnes scripturarum sententiæ proculdubio salubres sunt ac veræ, verùm animarum nostrarum insalubritas est & corruptio quæ venenum haurit ex herbis his floribúsq; Paradisi.

5. Dico igitur in secundo loco, Quòd præcipua causa propensionis pueritiæ Christianæ ad crassum hunc errorem, est ipsa conditio eorum qui adhuc *pueri infantésve* sunt in Christianitate. Nam *puerilem* hunc statum hujusmodi esse arbitror. Quando utiq; quis liberam sanè apertámq; facit Christianitatis professionem, & cum gratiarum actione ad Deum quantâ potest maximâ, propter immensam ejus misericordiam in sanguine Christi ad remissionem peccatorum, gratiam hanc firmiter quidem (ut ille opinatur) per fidem suam prehendit, infirmiores etiam aliquas fovens vitæ Justitiæ inchoationes; verùm homo vetus etiamnum valde fortis est corpúsq; peccati perquam parùm subactum aut labefactatum, adeò ut, quotiescunq; *Novitius* hic impetitur, labor admodum gravis sit, & immensa operis series adhuc restet, & tam ingrati quidem & laborioſi, ut nec *Metaphora* sit nec *Hyperbole perpetuam* eam appellare *Mortem, jugémq; Crucifixionem.* Cùm igitur hæc Conditio sit ejus qui adhuc *puer* est & ferè *infans* in Christianitate, cujusvis Judicium appello an fieri possit quin satìs magna futura sit pronitas in hujusmodi hominibus ad liberandum se ab hoc labore ac cruciatu *Mortificationis* quâ ascendere debent ad altiores gradus *Justitiæ* atq; *vitæ.* Atq; nunc sanè quandoquidem facilè inducimur ea credere quæ ad nostrum commodum faciunt, nostráſq; cupiditates adimplendas, fieri non potest quin si quid propiùs ad eum sensum sonet, nos facilè simus consonantiam expleturi, strenuâ quidem persuasione quòd sic omnino sonat, & fortassean gratias Deo insuper acturi propter amabilem hanc insaniam, propter chariſſimas has hallucinationes nostras & insomnia. Quamobrem ut tandem assumamus; cùm itaq; Scriptura primo aspectu huic aliquantulùm favere opinioni videatur, quòd *justi* esse *possimus absq; omni reali Justitia in nobismetipsis, sed per eam utiq; quæ immenso intervallo à nobis dissidet, sitáq; est in alio*, ut tanti angoris & cruciatûs quanto ad realem justitiam internam constiterit sincerus nixus & suspiratio, fiat compendium, aliter vix evenire potest, quin is, qui ad altiorem statum nondum pervenerit, de facili assensurus sit tam gratæ & opportunæ Notioni, semélq; eam amplexus, exardescat vehementer contra quemlibet qui aggressus fuerit eum exturbare ex hac tam placida requie aut à falso hoc gaudio & solatio dimovere, infirmo imbellíq; animo hujus teneræ ætatis eligente potiùs, (ad præsentem dolorem evitandum)præproperam *palliationem*, quàm *Curationem* perfectam.

Sed enimverò nè confirmare potiùs videar hos Novitios in periculoso suo errore quàm ab illo abducere, producendo in medium præcipua ipsorum loca nihílq; ad ea respondendo, allaborabo jam manifestum reddere, quòd aliter possint, si voluerint, illa loca intelligere, quàm intelligunt; & tum postea, cùm eorum glossema non sit ità rationi reliquæq; Scripturæ consentaneum, quòd relinquere debeant hunc adulterinum sensum, quem in vitiorum suorum improbitatísq; gratiam fovent.

6. Utq; jam instructiores hanc rem aggrediamur, significationem primò vocabulorum quæ tam frequenter in Epistolis S. *Pauli* occurrunt, quæq; controversiam quæ præ manibus est tam propè spectant, determinabimus. Cujusmodi sunt *Fides, Justitia, Justificatio, Imputatio* & similia.

Et primò, quantùm ad *Fidem*, quæ tantis laudibus ab Apostolo extollitur, præcipua

cipua illius vis ac natura quæ toties ab eo inculcatur, nihil aliud videtur, quàm prævalidus quidam sensus atq; fiducia in Potentia, Justitia, & Bonitate Dei, firmáq; persuasio quòd pro certo effecturus sit quicquid promisit, quantumlibet improbabile ac difficile visum id fuerit carni & sanguini. Atq; hoc est quod adeò commendatur in *Abrahamo*, quemadmodum liquet ex quarto ad Romanos. *Qui contra spem spe credidit fore se patrem multarum Gentium, ut erat promissum; sic erit tua posteritas. Itaq; Fide non infirmus non consideravit suum corpus jam emortuum (qui propemodum centenarius esset) aut enectam* Saræ *vulvam: verùm de Dei promisso, non dubitavit præ diffidentia sed Fide valuit, Deóq; gloriam tribuit: exploratum habens eum, quæ promisisset, etiam præstare posse, itaq; illud imputatum est ei pro Justitia*, hoc est, Deus approbavit eum tanquam virum bonum atq; pium, qui naturalem rei improbabilitatem non respiciens, sed promissis Dei firmam adhibens fidem illud præstitit quod & Divinæ Bonitati ac Potentiæ debitum erat, quódq; bonum justúmq; hominem decebat. Ità ut λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην nihil aliud innuat, quàm approbari tanquam virum bonum, facientémq; quod bonum ac justum est, atq; ob eam sanè causam quòd facit quod bonum est atq; justum. Quemadmodum hic Actus Animæ exerentis seipsam supra abjectum inertémq; naturæ tenorem, aláſq; quasi sibi addentis per vividum Potentiæ Divinæ ac Bonitatis sensum, quo assentiatur fidémq; habeat ejusmodi rebus quas præsens Naturæ status nunquam potuerit efficere, hic, inquam, Actus, bonus certè est atq; justus, itáq; à Deo æstimatur & censetur, atq; à bona sanctáq; animi temperie provenire, quæ δικαιοσύνη dicitur, & quamlibetcunq; significat virtutem vel Bonitatem in homine. Atq; sic de actu *Phineæ* quando tanto cum zelo vindictam sumpsit de *Zimri* & *Coshi*, dicitur, Psalm. 106. ὅτι ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην, spectabatur tanquam nobilis & insignis actus Justitiæ in omnem seculorum perennitatem, hoc est, talis reputabatur qualis reverà suâ naturâ fuit. Verùm sensus non est, quòd hoc illi erat vice reliquæ omnis justitiæ, quódq; nunc ex omni parte reputabatur justus, quanquam in aliis rebus non omnino sic esset. Rom. 4. 18.

7. Jam verò quantùm ad *Justificationem*, optimè intelligemus vim vocabuli ex Græco δικαῦν, δικαῦσθαι & δικαίωσις. Primò igitur, præter sensum *Forensem*, qui maximè celebris est atq; obvius, δικαῦσθαι significat, *justum esse*; Gen. 38. 26. δεδικαίωται Θάμαρ ἢ ἐγὼ, *Thamar* justior me est. Ità Eccles. 31. 5. Ὁ ἀγαπῶν χρυσίον οὐ δικαιωθήσεται, *Qui aurum diligit non erit justus*, quo nempe sensu dicitur, Apoc. 22. 11. ὁ δίκαιος δικαιωθήτω ἔτι, *Qui justus est justus esse pergat.* Secundò, significat *justum apparere*; Psalm. 51. 4. ἵνα δικαιωθῇς, *ut æquitas tua appareat.* Et Psalm. 143. 2. Nam in conspectu tuo nemo mortalium δικαιωθήσεται, *justus apparebit.* Sed hunc sensum fateor obscuriorem esse & incertiorem. Tertiò & ultimò, δικαῦν significat *justum* vel *purum facere*; Psalm. 73. v. 13. Ἄρα μάταιος ἐδικαίωσα τὴν καρδίαν μου, *Næ ego frustrà cor meum purificavi.* Et Eccles. 18. 22. Καὶ μὴ μείνῃς ἕως θανάτου δικαιωθῆναι, *Nec tuam probitatem usq; ad mortem differas*; ut habet Translatio. Et Rom. 6. 7. Ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, *Etenim qui mortuus est, liber est à peccato.* Item Act. 13. 39. *Et ab omnibus, quibus non potuistis per legem Mosis justificari, in hoc omnis qui credit, justificabitur*; δικαιωθήσεται, *liberabitur, purgabitur*, i. e. Perfectiùs purgari potestis & purificari à peccatis & impietatibus vestris quàm potuistis sub Lege *Mosaica.* Quod consentaneum est aliis scripturæ locis, veluti, * *Lex nihil perficit.* Et rursus, *Si data Lex esset quæ vitam conferre posset, planè in Lege sita foret justitia.* Atq; jam cùm legitimum invenerimus horum vocabulorum sensum, faciliùs indè poterimus & expeditiùs sensum etiam retegere præcedentium locorum Scripturæ, pro pernicioſa hac opinione allatorum, *Quòd Christianus justus esse potest absq; omni reali Justitia.* * Hebr. 7. 19. Galat. 3. 21.

8. Quamobrem ad illud in quarto ad Romanos: Cujus vis major erit si illud etiam addiderimus quod paulò antè occurrit in cap. 3. v. 28. *Censemus ergo Fide justificari hominem absq; legis operibus.* Et quod porrò infert, v. 9. *Convicimus enim & Judæos & Græcos omnes peccato subesse.* Ubi Propositum Apostoli videtur, magnificare, quemadmodum maximè par erat, Ministerium Evangelii, mundóq; significare, quòd quicquid adhuc extitit, ante adventum Christi imperfectum sit, lapsum, & ruinosum, totúmq; omninò peccaminosum & infirmum, etiam ipsa *Legis opera*, lævisq; illa & æquabilis *Justitia* externa *meræ Moralitatis* ac *Ceremoniæ.* Adeò ut universus Mundus reus reperiatur coram Deo, nec per opera Legis possit ulla caro justificari in conspectu ejus. *Per legem enim agnitio peccati solummodo est*, nullas ministrat vires ad præstandum quod mandatur. Sect. 3.

Quocirca hæc omnia pro nihilo habentes, debemus ab ovo rem denuò ordiri

summísq; viribus eniti ad talem Justitiam quæ sit per *fidem in Jesu Christo*, nec acquiescere in ulla re quæ præstari potest per vires Carnis ordinarias, sed aspirare ad Justitiam illam quæ nobis communicatur per illum *Spiritum*, qui excitavit *Jesum Christum* è mortuis. Sed enim nec *Abrahamus* nec quivis alius justificari potest per ullam *carnalem justitiam* de suo, verùm ille summè *Spiritualis* actus *Abrahami* ultra communem *Naturæ* viam se extendens, qui contra spem spe credidit, illud utiq; erat quod *Abrahamum* tantoperè Deo commendabat. Atq; sic ab Exemplo *Abrahami* fidem Christianam toti mundo commendare vult Apostolus, ac præsertim *Judæis Abrahami* posteris. Nam in fine quarti Capitis imputationem Fidei *Abrahami* pro justitia, huic usui accommodat; ut nos nempe adduci possimus ad *credendum*
Rom. 4. 24,25: *in eum qui Jesum Dominum nostrum suscitavit ex mortuis qui propter delicta nostra traditus est & propter justificationem nostram revixit.* In quo versu continentur duo grandia Evangelii Privilegia, hoc est, *Peccatorum remissio* propter satisfactionem mortis Christi & *nostra justificatio* quâ justi sanctíq; evadimus per fidem firmam in eo qui Jesum excitavit ex mortuis. Cui Interpretationi versus 11. cap. 8. egregiè favet. *Quòd si spiritus ejus qui Jesum ex mortuis excitavit, habitat in vobis, is qui Christum ex mortuis excitavit etiam mortalia vestra corpora* vivificabit *per inhabitantem in nobis spiritum suum*, viz. in *Justitiam:* Quemadmodum liquet ex præcedenti versu; *Si verò Christus in nobis est, corpus quidem mortuum est per peccatum, sed spiritus vita est per Justitiam*, hoc est, *Corpus mortis*, à quo liberari cupimus, ut loquitur Apostolus, apparet per præsentiam Christi in nobis tam *mortiferum* esse *corpus* ob rationem peccati, cùm nihil in præsens percipiamus nisi gravantem quandam ineptitudinem ad omnem sanctitatem ac bonitatem in *corpore* ejúsq; affectibus, omnémq; improbitatem & impuras Atheásq; suggestiones à *carne*, quæ mors certè animæ est, *Nam quæ carnis sunt sapere, mors est.* Adeò ut propter improbitatem *corporis* stupidámq; ejus inertiam, res æquè funesta & dira appareat atq; *Mezentiana* illa vivorum mortuorúmq; colligatio, postquam semel Christus in nobis extiterit: Verùm *vita* tunc nostra illa Justitia est, quæ est ex *Spiritu*, dum invenimus admodum delectabilem calorem voluptatémq; grato affluxu *sanctæ* illius ac *Divinæ sensationis.* Verùm is qui Christum excitavit è mortuis, vivificabit tandem etiam hæc nostra *mortalia* vel emortua *corpora*, faciétq; ut conspirent mirâq; facilitate & alacritate concurrant, promptáq; Instrumenta fiant & actuosa, ac *Spiritui Justitiæ* in rebus omnibus morigerantia.

Quæ quidem persuasio præcipua Christianæ *Fidei* pars est maximéq; omnium *Abrahami* fidei consimilis, qui Bonitati, Potentiæ, ac veracitati Dei confidens, postquam & ipse & uxor ejus *Sara* marcidi essent & quantùm ad naturalem generationem emortui, atq; sic omni spe videndi unquam ullum ventris sui fructum destituti, habebat tamen *Isaacum* sibi natum, qui * *Gaudium risúmq;*, in ipso nomine præfert, erátq; proculdubio Christi Typus secundùm spiritum. *Isaacus* enim Sapientia, Potentia & Justitia Dei est emanans ac penetrabili vi se disseminans per omnes facultates humanæ Animæ atq; corporis; adeò ut totus homo abripiatur cum gaudio ac Triumpho ad agenda omnia quæ reverà ac solidè bona sunt, pari profectò cum oblectatione ac voluptate atq; cùm edit esuriens aut sitiens bibit. Atq; sic per introitum progressúmq; in tam sancta vitæ conditione satìs approbamur à Deo, atq; ad hunc modum per fidem justificati pacem habemus cum Deo per Dominum nostrum Jesum Christum. Rom. 5. 1.

* Γέλως δὲ ψυχῆς καὶ χαρὰ καὶ εὐφροσύνη ἑρμηνεύεται ἔστ. *Philo in Allegoriis.* Et in τοῦ αὐτοῦ περὶ γελάω. Οὐχ ὁρᾶς ὅτι τὸν ἀυλητικὸν καὶ ἀυλομαθῆ καὶ ἀυλητικῶς τὴς ἐπισήμης ἀφυσιώμενον ὁ μεθέκοντα γέλωτος ἀλλ' αὐλὸν εἶ γέλωτά φησιν; vide etiam τοῦ ὀνόματος. Et in *De Nominum mutatione.* Οὐχ ὁ ἄνθρωπος Ἰσαὰκ ἀλλ' ὁ συνώνυμος τῆς ἀϊδίου τῶν ἀοράτων χαρᾶς, γέλως, ὁ ἐνθιάθετος ὑὸς θεοῦ τοῦ διδόντος αὐλὸν μέλιγμα καὶ ἀθυμίαν ἀφανικαλέσαντος ψυχᾶς.

Adeò ut hæc justificatio non sit mera persuasio quòd Christus pro nobis speciatim mortuus sit, quódve è mortuis sit excitatus ut alterius justitia nobis imputetur; verùm fiducia est in Deo quòd is sanguinem Christi pro Piaculo acceptavit, quódq; potens est per vim *Spiritûs* sui nos etiam suscitare ad novitatem vitæ, quò animemur ad anhelandum aspirandúmq; ad interiorem illam perfectiorémq; Justitiam. Quæ privilegia Deus omnibus Evangelii auditoribus absq; ullo respectu ad opera, aut anteactæ vitæ modestiam proponit, modò nunc velint venire & summam hanc & opulentam Evangelii Oeconomiam amplecti, & alacri obfirmatóq; animo ferri ad impugnandum ac demoliendum hominem peccati in seipsis, ut viva hæc novág; via *realis Divinæ Justitiæ* erigi possit in cordibus suis ibíq; dominari. Si animentur, inquam, ad sanctum hoc Inceptum per fidem in Christo ad remissionem peccatorum, & in virtute illius *Spiritûs* ad penitus eradicandam & extirpandam omnem internam corruptionem & improbitatem, *hæc Fides* continuò ipsis imputatur ad *Justitiam*, hoc est, & sunt & accipiuntur à Deo tanquam chari illius Filii & tanquam viri boni

&

& ex *Promissi semine* prognati. Nunc enim *nec ex sanguine nec ex voluntate carnis, sed ex voluntate Dei geniti sunt*, & voluntas eorum tota fertur ad Justitiam verámq; sanctitatem quam esuriunt sitiúntq; tam vehementer ac sincerè quàm naturalem suum cibum potúmve: Deúsq; qui corvorum pullis clamantibus dat pabulum, non ità crudelis est ut his cœlestem suum cibum deneget. Quem itaq; adipiscuntur exerendo se & quasi extorquendo eum è Dei manibus per *Fidem* in virtute illius *Spiritûs* per quem omnia se posse arbitrantur. *Philip.* 4. 13.

9. Atq; hæc est unica, quantùm ego video, legitima notio *Justificationis* per *Fidem*. Nec certè illa loca quæ suprà citavi ullam aliam ab hac disjunctam probant. Nam ille locus qui maximè omnium huic Notioni videtur adversari [viz. Rom. 4. 5. *Ei verò qui non operatur sed credit in eum qui justificat impium, imputatur Fides sua pro Justitia*] optimè exponi potest juxta tenorem illius sensûs quem jam declaravi. Hoc enim magnum illud est ac lætificum Evangelii Privilegium quòd nullâ ratione priorum operum habitâ, si modò nunc credamus, remissionem Peccatorum in Christo, fiduciámq; ponamus in illius potentia ac virtute qui improbos justificat (i. e. justos improbos facit eósq; purgat ac purificat ab omni peccato, & iniquitate, à quibus per vires suas naturales purgari non poterant, eósq; ad justitiam realem internam per sui *Spiritûs* operationem restituit) hæc Fides imputatur ad Justitiam, atq; is qui sic habet, etiam sensu *Forensi* justus pronunciatur coram Deo. Nam qui sic credunt boni sunt justíq; viri quoad sinceritatem, adeò ut pacem habeant cum Deo per sanguinem Christi; Et per virtutem illius *Spiritûs* qui nunc in ipsis operatur, magìs magísq; indies renovantur in gloriosam illam Imaginem & exoptabilem libertatem quæ ex repetitis victoriis *Divinæ vitæ* in ipsis emergit efficítq; *ut justi sint quemadmodum & Christus justus est.* *Sect.* 3.

Cùmq; jam maximæ satisfactum sit difficultati, reliqua loca allata, per applicationem eorum quæ jam de Natura *Fidei* & *Justificationis* dicta sunt, suâ sponte facilè concident.

10. Quantùm ad illa Scripturæ loca quæ videntur *Justitiam Christi nobis attribuere*, veluti ubi dicitur, *Nobis factus à Deo Justitia & Sanctificatio & Redemptio*, sensus solummodò hic est, Quòd *operatur* in nobis Sapientiam, Justitiam, &c. Alioqui inferri possit quòd imputativam duntaxat Redemptionem habituri simus, quódq; reverà salvandi non simus nec redimendi. Et quod alterum spectat, *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ità per unius obedientiam justi constituentur multi*; locus, inquam, est qui contra ipsos militat. Etenim per *Adamum* facti sumus reverà peccatores & ad peccandum proni, originali labe ex illius lumbis contractâ, ac proinde sumus per Christum reverà justi constituendi. Atq; hìc Finis erat Obedientiæ illius *qui factus est obediens usq; ad mortem crucis, ut sepulti unà cum eo per baptismum in mortem, sicut Christus excitatus est ex mortuis per gloriam Patris, ità & nos in novitate vitæ ambulemus*, Rom. 6.

Quapropter cùm reverà nullum sit fundamentum in Scriptura, hujus puerilis erroris, cúmq; æquè absonum sit ut una anima justa sit pro altera, atq; ut unum corpus sanum sit pro altero, si ostendero scripturam ipsam expressim à nobis requirere ut justi sanctíq; simus in propriis nostris personis, nihil tunc deerit ad plenam detectionem puerilis hujus absonæq; opinionis, *quòd quis justus esse possit absq; omni justitia in ipso habitante.*

11. Et, meo quidem judicio, hic ipse Textus S. *Johannis* perspicua est hujus veritatis evictio, utpote qui manifestò declarat, qui opinantur justos se esse posse tametsi justè non agant, neq; eo sensu justi sint quo Christus justus esse dicitur, omniuò decipi. Sunt verò multa alia Apostolorum Testimonia eódem spectantia, quorum quædam jam notavi; quemadmodum ubi dicitur, *Quòd Christus manifestatus est ut peccata nostra tollat*, quódq; in *eum finem venerit, ut destruat opera Diaboli*, &, *Quisquis natus est ex Deo peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet*, hoc est, perenne principium *Divinæ vitæ* atq; *sensûs* quo videt horrétq; quicquid improbum est viróq; bono indignum. Et rursus 1 Johan. 2. 3. *Per hoc scimus nos eum nôsse, si mandata ipsius observamus. Qui dicit novi eum, & mandata ejus non servat, mendax est & in eo veritas non est. Qui autem servat sermonem ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta est. Per hoc scimus nos in ipso esse: Qui dicit se in eo habitare, debet sicut ille ambulavit ità & ipse ambulare.* Quale illud est, 2 Tim. 2. 19. *Quisquis nomen Christi nominat, discedat ab injustitia.* 1 *Johan.* 3. 7.

CAP.

CAP. VI.

1. *Allegatio verſ.* 16. *cap.* 2. *ad Gal. ut & ſcopi totius Epiſtolæ.* 2. *Quid ſit* Juſtitia Fidei *juxta Apoſtolum.* 3. *In quo ſenſu illi qui in Chriſto ſunt dicantur non eſſe ſub Lege.* 4. Juſtitiam Fidei *non eſſe* Figmentum *ſed* Realitatem *in nobis.* 5. *Quòd hæc Juſtitia* nova *ſit* Creatura, *quidq;* nova *ſit hæc* creatura *juxta Scripturas.* 6. *Quòd* nova Creatura *conſiſtit in Sapientia, Juſtitia verâq; Sanctitate.* 7. *Juſtitia* novæ Creaturæ. 8. *Illius ſapientia & ſanctitas.* 9. *Quòd Juſtitia Fidei non excludit bona opera. Impia eorum perfidia qui contrà docent.*

1. QUantùm ad illum Textum cujus ſuprà explicationem differebam, illius etiam ſenſum nunc tandem excutiam. Erat autem Gal. 2. 16. *Scientes non juſtificari hominem ex operibus legis ſed per fidem Jeſu Chriſti; & nos jam in Chriſtum Jeſum credidimus ut juſtificaremur ex Fide Chriſti & non ex operibus Legis: Propterea quòd non juſtificabitur ex operibus Legis ulla caro.* Ab hoc etiam loco Scripturæ, ſunt qui inferre volunt antiquationem vel abolitionem omnis *Moralis Honeſtatis realiſq; Juſtitiæ* cujuſmodicunque, prætendentes nihil præter *nudam Fidem* requiri quo accepti ſimus Deo. Et certè totam hanc Epiſtolam imaginantur inexpugnabilia miniſtrare argumenta ad defendendam pernicioſam hanc Concluſionem, quamvìs nulla ſit apud æquos Judices, tam immenſæ confidentiæ ſolida Ratio. Quod de facili intelligemus, poſtquam notaverimus ſcopum hujus Epiſtolæ tantummodo eſſe ut *Galatas*, qui ad *Judaiſmum* Legémq; *Moſis* Ceremonialem ferè relapſi erant, reducat rurſus ad Chriſtianitatem. *Dies obſervatis & menſes & tempora & annos; Metuo equidem vobis, nè fruſtra in vobis laboraverim*, cap. 4. 10, 11.

Cæterùm præcipuus Apoſtoli ſcopus eſt contra *Circumciſionem*, ut planè conſtare poteſt vel ex prima Epiſtolæ perlectione; quam dum verbis extenuat unà cum lege *Moſis* in Genere, extollítq; Fidem in *Chriſto*, videtur aliquando eximere hominem ab ambulando ſecundùm legem *Moralem* ſub prætextu *Fidei* in *Chriſto.* Verùm ut S. *Petrus* rectè obſervavit, *Inſunt obſcura quædam*, in Epiſtolis *Paulinis*, *quæ indocti infirmique, ut & reliquas Scripturas, in ſuam perniciem detorquent.* Nos verò nè in eundem errorem & perniciem abducamur non parùm ſanè intererit S. *Pauli* veſtigia notare ut ità noſmetipſos poſſimus ex periculoſo hoc Labyrintho expedire.

2 Pet. 3. 16.

2. Cùm itaq; abolere aut ſaltem vili pendere *legem* videatur in extollendo illam Juſtitiam quæ eſt per *Fidem*, videamus quæ *hæc* per *Fidem*, quæq; illa *Legis Juſtitia* ſit. Cap. 2. 19. *Ego enim per legem legi mortuus ſum ut Deo viverem; crucifixus ſum cum Chriſto, vivo autem, non jam ego, ſed vivit in me Chriſtus. Ego per legem legi mortuus ſum*; quale hoc eſt ænigma, ut Lex ſuis diſcipulis ſe ſpoliet? Et tamen ità facit. Eſt enim *Pædagogus* ad *Chriſtum* vel potiùs *Hypodidaſcalus* qui poſtquam nos bellè inſtruxerit & caſtigaverit, ad altiorem gradum promovet, ut perficiamur utiq; in Chriſto, qui perfectio Legis eſt. Verùm ipſa Lex nihil perficit, atq; hæc ratio eſt cur Juſtitia non ſit ex Lege.

Atq; ad hunc profectò ſenſum loquitur Apoſtolus in hac ipſa Epiſtola, cap. 3. v. 21. *Ergóne Lex eſt contraria Dei promiſſis? Nequaquam. Si enim data Lex eſſet quæ vitam conferre poſſet, planè in Lege ſita foret Juſtitia.* Νόμος ὁ δυνάμενος ζωοποιῆσαι, *Lex quæ animare & vivificare nos poſſet.* Hoc verò ſupra Legis vires poſitum eſt. Is ipſe Titulus eſt & Prærogativa Chriſti, *qui via eſt, veritas ac vita. Ego ſum reſurrectio & vita; qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit reviviſcet. Et quiſquis vivit & in me credit, nunquam eſt moriturus*, Johan. 11. 25. Hæc igitur eſt *Juſtitia Fidei*, quæ longè ſuperat *Juſtitiam Legis* ſive *Literæ occidentis.*

3. Quamobrem poſtquam hæc *Fides* venerit quæ nos extruat in vivam internæ Juſtitiæ formam, ſub Lege tunc *Moſaica* diutiùs non ſumus, verùm Dei filii ſumus omnes per Fidem in Jeſu Chriſto. Jam verò nulli ſunt Dei filii niſi qui ducuntur *Spiritu Dei*, quemadmodum Apoſtolus teſtatur in Epiſtola ad *Romanos.* Hi verò qui *Spiritum Dei*, habent quales fructus edant abunde exponitur apud Apoſtolum in hac Epiſtola ad *Galatas*, cap. 5. v. 22. *Fructus ſpiritûs eſt Charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, temperantia. Adversùs eos qui ſunt ejuſmodi, non eſt Lex:* Etenim non opus eſt, cùm ipſi ſibi ipſis Lex ſint. Atq; ſic videmus

videmus quomodo illi qui in Chriſto ſunt non ſint ſub Lege, quippe quòd internus ille Fons obedientiæ, vel *Lex viva* in cordibus ipſorum, illâ ſit ſuperior : Illi verè ac ſolidè eam complent per *Spiritum* illum qui eſt ex Fide. *Spiritus* enim ille *Amoris* genitor eſt, Amórq; Legis Completio. *Nam tota Lex uno verbo completur, Diliges proximum tuum ut teipſum*, Gal. 5. 14. *Hoc autem dico, Obtemperate Spiritui, neve carnis cupiditatem exequimini. Caro enim contrà quàm Spiritus, & Spiritus contrà quàm Caro concupiſcit; atq; hæc inter ſe ità contraria ſunt, ut ea quæ vos velitis non faciatis.* Qui proculdubiò verus & genuinus ſenſus eſt verborum, ἵνα μὴ, ἃ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε, quemadmodum *Grotius* etiam notavit. *Atq; hæc inter ſe contraria ſunt*, hoc eſt, *unum alterum oppugnat, nempe ſpiritus carnem*, ἵνα μὴ, ἃ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε, *in eum finem ut ea non perpetretis ad quæ corrupta veſtra voluntas ac mens carnalis vos inclinet.* Quod aptiſſimè cohæret cum illo quod ſequitur, *Quòd ſi Spiritu ducimini, non eſtis ſub Lege. Contra tales enim non eſt Lex*, ut ſuprà dictum eſt. Quod quidem innuit, ſi non ducantur Spiritu, quòd obnoxii ſunt Legis maledictioni, Morti, Inferno & Damnationi. Nam ſic etiam loquitur Apoſtolus, poſtquam opera carnis recenſuerit, *Qui talia agunt, eos ſcilicet Regni Dei non fore hæredes.* Et v. 25. apertè declarat, *Qui Chriſti ſunt, eos carnem unà cum libidinibus & cupiditatibus crucifixiſſe.*

4. Adeò ut manifeſtò videamus *Juſtitiam* illam quæ ex *Fide* eſt, non eſſe meram *Chimæram* vel *Imaginationem*, ſed excellentiorem Juſtitiam quàm quæ eſt ex Lege. Lex enim non eſt *vivificus Spiritus* ſed *Litera emortua.* Chriſtus verò Reſurrectio eſt & vita; Iſq; Deus eſt Juſtitia noſtra, ad ſalvandum potens, qui facilè poteſtates *mortis*, *Tenebrarum* ac *Diaboli* ex anima hominis exterminat. Verùm eâ nos oportet eſſe patientiâ ut toleremus opus in nobis per eum fabricandum. *Vivo equidem, non jam ego, ſed vivit in me Chriſtus.* Quòd ſi palliare adhuc & cooperire velimus fœda noſtra corruptáq; corda fictitiis Inventis ab ipſa *Hypocriſi* conſutis, nobíſq; gratiam factam fingere quò minùs opus ſit aut ut inter nos invicem aut nobis ipſis benefici ſimus, propterea quòd Deus in Chriſto tam propitius nobis ſit & beneficus; audite quid *Apoſtolus* dicit in ſexto ultimóq; Capite hujus Epiſtolæ, v. 7. *Nè fallimini, Deus non irridetur, quicquid enim ſeminaverit homo hoc & metet; nam qui ſeminat carni ſuæ, ex carne metet interitum; qui verò ſeminat ſpiritui, ex ſpiritu metet vitam æternam.*

5. Scopus igitur Apoſtoli non eſt extenuare & deprimere veram virtutem realémq; Juſtitiam, ſed intento quaſi digito nobis oſtendere ubi reperiatur : non in Diebus nec Annis, non in Noviluniis nec Feſtis, non in Circumciſione aut in *emortua Legis litera*, ſed in *Chriſto Deiq; Spiritu*, in renovata Dei Imagine, in nova Nativitate, in nova vita, in ſecundo *Adamo* de cœlo, in nova Creatura. *A me verò abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo. Nam in Chriſto Jeſu neq; Circumciſio quicquid valet, neq; præputium, ſed nova Creatura.* Quam Apoſtolus alibi novum hominem appellat. *Ut deponatis, quod ad priſtinam converſationem attinet, veterem illum hominem qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur. Et renovemini ſpiritu mentis veſtræ; Induatiſq; novum illum hominem qui ſecundùm Deum conditus eſt ad juſtitiam verámq; ſanctitatem*; hoc eſt, non ad externam Ceremonialem ſanctimoniam, ſed per Regenerationem interni Spiritûs in *vitam novam* ex ipſo corde ebullientem. Et rurſus, Coloſ. 3. v. 9. *Nolite alii in alios mentiri, exuti veterem hominem cum ſuis actionibus, indutiq; novum, qui cognitione renovatur ad imaginem conditoris ſui : ubi non eſt* Græcus *aut* Judæus, *Circumciſio aut præputium, Barbarus*, Scytha, *ſervus, liber, ſed & omnia & in omnibus Chriſtus.*

Gal. 6. 14.

Epheſ. 4. 22.

6. Hæc *nova* igitur *Creatura* nihil aliud eſt quàm Imago Dei in Anima humana. Ità conjunctim teſtantur hi duo Textus, *Novus homo qui ſecundùm Deum conditus eſt, ad Cognitionem, Juſtitiam, verámq; ſanctitatem*; Idem quod *Plato* docet in *Theæteto* ſuo : Ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον γενέσθαι μετὰ φρονήσεως, *ſimilitudo verò juſtum ſanctúmq; fieri ac ſapientem.* Verùm cùm pleriq; omnes (etiam vetus in nobis *Adamus*) ſanctos, juſtóſque, ac ſapientes ſe exiſtimant, opportunum hîc erit diſpicere, quænam Juſtitia, ſanctitas, ac ſapientia hæc ſit quæ in nova Creatura reperitur.

7. Et quis eam tam rectè edocere poteſt quàm is qui ipſa eſt ? Matth. 5. *Audiſtis dictum fuiſſe antiquis, Non occides; quiſquis autem occiderit, tenebitur judicio : Ego verò dico vobis, Quicunq; iraſcitur Fratri ſuo temerè, tenebitur judicio : quicunq; verò dixerit fratri ſuo*, Raca, *tenebitur conſeſſu : quiſquis autem dixerit, Fatue, tenebitur Gehenna ignis. Audiſtis dictum fuiſſe antiquis, Non mœchaberis : Ego verò dico vobis, Quicunq; aſpicit mulierem ut eam concupiſcat, jam adulteravit*

eam

eam in corde ſuo. Rurſum audiſtis dictum fuiſſe antiquis, Non pejerabis, ſed reddes Domino quæ juraveris: Ego verò dico vobis, Nè juretis omnino, ſed eſto ſermo veſter, etiam etiam, non non; Quod præter hæc eſt, id à malo eſt. Audiſtis etiam ut dictum ſit, Oculum pro oculo, & dentem pro dente: Ego verò dico vobis, Non eſſe reſiſtendum injuriæ. Audiviſtis itidem dictum, Proximum tuum amato, & inimicum tuum oderis: At ego vobis dico, Amate inimicos veſtros & bene precamini iis qui vobis imprecantur, benefacite veſtris malevolis & orate pro lædentibus & inſectantibus vos, ut filii ſitis veſtri Patris qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit in malos juxtà ac bonos, & juſtos injuſtóſq; compluit. Ecce accuratam & intaminatam Juſtitiam quæ eſt in anima *Regenerata*, longè ſupra doctrinam & cogitatum aut *Legalis Phariſæi* aut *Philoſophi* merè *Moralis*! Juſtitia extrinſeca in exteriori homine, vel intrinſecùs juſtum eſſe, quatenus *corrupta Ratio* ſuggerit, ad inſtar menſtruati panni eſt, ſi cum hac Juſtitia conferatur, quam Chriſtus à nobis requirit, novâq; Creatura ſecum in nos adducit ſimul atq; in nobis ad debitam ſtaturam adoleverit. Ad hanc normam igitur quiſq; ſe examinet.

8. Et quemadmodum hæc *Juſtitia* longè præſtat, imò aliquando adverſatur Juſtitiæ *naturalis* hominis, (nam apud eum odiſſe inimicos & compenſare malum malo juſtum eſt) ità *Sanctitas* multùm tranſcendit ſanctitatem aut antiquorum aut modernorum *Scribarum* & *Phariſæorum* præfervidorúmq; Patronorum Ceremoniarum. Nam omnes Ceremoniæ Temporis, Loci, Geſtuum, Veſtimentorum & Rituum non ſunt niſi ſigna & umbræ univerſa, corpus verò Chriſtus eſt. Poſtremò nè *naturalis* homo imaginetur ſe ſapientem eſſe, (ut nemo certè eſt qui non omnium rerum bonarum illud præ cæteris maximè proclivis ſit ſibi adjudicare) nè *ſapientem* ſeipſum antè imaginetur quàm ſanctus ſit atq; juſtus, ſapientiam ſuam juxta illam regulam expendat quæ in Epiſtola *Jacobi* occurrit, cap. 3. *Quis ſapiens eſt & intelligens inter vos, oſtendat bonis moribus ſua opera cum ſapientiæ manſuetudine. Quòd ſi amaram invidiam & ſimultatem habetis in animo, nolite contra verum jactare vos atq; mentiri. Non ea eſt iſta ſapientia quæ ſupernè proficiſcitur, ſed terrena, animalis, Dæmoniaca. Ubi enim invidia eſt & ſimultas, ibi eſt tumultuatio & omne opus pravum. At ſupernè oriens ſapientia, primùm caſta eſt, deinde pacifica, æqua, obſequioſa, pietate boniſq; referta fructibus abſq; partium ſtudio, ſine ſimulatione. Juſtitia* igitur *novæ Creaturæ* Juſtitia eſt longè ſupra Legis *Moſaicæ* literam, quanquam exactè ſervatam. Ejúſq; *ſanctitas* multò ſplendidior quàm ſtola *Aaronis*, omníſq; ejus ornatus Sacerdotalis, aut quæcunq; aliæ Ceremoniæ quas aut Deus inſtituerit aut homo excogitaverit. Et illius deniq; *Sapientia* longè ſupra omnes illas tenuiter attritas aut rixantium *Sectarum* aut *Scholarum* diſputantium ſubtilitates, ut quæ ab omni contentione & amarulenta contradictione abhorret.

9. Adeò ut manifeſtum ſit ex conſtanti ſcopo Apoſtoli & in hac Epiſtola & paſſim alibi, quòd virtutem verámq; *Moralitatem* non vilificat, ſed ad altiorem ejus gradum & perfectionem collineat, quódq; *Juſtitia Fidei* quam ille *Juſtitiæ operum* præfert non introducitur ad excludenda bona opera è vita Chriſtiana, ſed ad urgendum nos ad exactiora Juſtitiæ opera quàm quæ præſtari poterant ſub *Oeconomia Legis*. Quàm improba igitur perfidia eſt contra Eccleſiam Chriſti quámq; inverecunda audacia in falſis illis Doctoribus, qui hominibus perſuadere volunt, hanc doctrinam, *quòd quis in conſpectu Dei propter aridam emortuámq; Fidem approbetur omni reali ſanctitate ac juſtitiâ vacuam ac deſtitutam*, non ſolùm Chriſtianam veritatem eſſe ſed ſelectiſſimam maximeq; principalem Doctrinam in univerſa Chriſtianitate, cùm tamen nullum illius inveniatur veſtigium per omnia præcepta documentáq; ſive Chriſti ſive Apoſtolorum?

CAP.

CAP. VII.

1. *Quòd* exiguus *Sanctitatis* modus *homini Chriſtiano non ſufficiat.* 2. *Quemadmodum apparet ex Scripturis jam allatis.* 3. *Plures ejus rei demonſtrationes ex Prophetis;* 4. *Vtì etiam ex Evangelio;* 5. *Aliiſq; locis novi Teſtamenti.* 6. *Valida Chriſtiani militis armatura.* 7. *Vehemens ejus ad perfectionem contentio.*

1. QUamobrem poſtquam ſatìs jam *primam* purgavimus inunximúſq; magni hujus machinamenti *rotam*, in cujus uſu oſtendendo tam diligenter occupamur, ad *ſecundam* nunc progredimur, ubi niſi parem induſtriam adhibuerimus, hæc certè machina neutiquam efficax erit ad illud Propoſitum ad quod deſtinatur, ad deſtruenda utiq; opera Diaboli. Cujus ſtratagematum ſubdolorúmq; Inventorum cùm non ſimus ignari, opportunè hîc quod huic loco maximè convenerit, declarare non dubitabimus, nempe, quòd, ubi animos noſtros hoc periculoſo errore inficere non poteſt, *Quòd Fides nuda & omni ſanctitate deſtituta ad ſalutem ſuffecerit*; in ſecundo loco conabitur perſuadere, *Exiguum quidem ſanctitatis modum nobis ſufficere poſſe* cùm *paſſio* Chriſti tanto pretio ſit apud Patrem, qui mortem illius pro Piaculo acceptat, cúmq; per illius ſanguinem reconciliemur Deo; & propterea, remiſſum quodvis deſiderium, quamvis ignavam inclinationem ad obedientiam ſatìs fore, cùm *Chriſti Paſſio*, ejúſq; *Juſtitiæ Imputatio* reliquum ſint ſuppletura.

2. Cæterùm, quòd hæc reverà ſuggeſtio Diaboli ſit, non ſenſus Evangelii, manifeſtum reddam ex multis Scripturæ teſtimoniis. Equidem affirmare poſſim multa ex iis quæ jam attulimus, idem planè demonſtrare. Quid enim ſibi vult illud *Johannis*, ubi declarat, Quòd *quiſquis natus eſt ex Deo peccare non poteſt, propterea quòd ſemen Dei in eo manet?* Quid illud *Pauli* ubi ait, *Quòd Chriſtus venit ad redimendum nos ab omni iniquitate & ad parandam ſibi Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, Eccleſiam ſanctam & inculpatam?* Quî fit ut Chriſtus Servator Regulam Juſtitiæ ad tam exquiſitum Perfectionis gradum evexerit, æſtimando *tacitos libidinis aſſenſus* ſuppar quiddam eſſe ipſi *adulterio*, *iram* temerariam & irrationabilem, ſpeciem quandam *homicidii*, nec ſolùm condemnaverit *retaliationem*, ſed & nobis, ut *bono malum compenſemus*, mandaverit? Quis, inquam, ſenſus eſt, quæ mens horum omnium niſi quòd nos Chriſtiani ad altiorem gradum Perfectionis in vita ac ſanctitate vocemur quàm quo unquam adhuc ulli omnino *Moralitatis* & *Religionis* magiſtri homines urſerunt? Ac proinde tantum abeſt ut *Chriſtianitatis Diſpenſatio*, vitia ulla morúmve defectus nobis indulgeat, ut non ſolùm ab iſtis nos purget, verùm etiam haud pauxillo momento altiùs nos attollat, nec unquam ceſſet donec animas noſtras ad *Divinum* planè *ſtatum* reſtituerit. *1 Johan. 3. 9. Tit. 2. Epheſ. 5.*

3. Hanc conditionem eſſe ad quam unuſquiſq; Chriſtianus vocatur, nec contentus eſſe debet, niſi ipſe ſibi ſit conſcius, ſe totis viribus huc incumbere, aliquóſq; ſaltem profectus illorſum indies facere, & Deſcriptiones Propheticæ Regni *Meſſiæ* in terris aliáq; multa Teſtimonia in Evangelio ſcriptíſq; Apoſtolorum, adhuc pleniùs demonſtrant. Nam præter iſta loca quæ Regnum *Meſſiæ* ab Abundantia *Pacis* deſcribunt & *Juſtitiæ*, quæ terrarum Gentes ſit inundatura, ut *aquæ mare tegunt*; ſunt etiam alia particularia loca quæ oppidò quàm ingentem ſanctitatis menſuram, quâ Eccleſia Chriſti illuſtris foret, præfigurant, cum clariori ſcientia majoríq; alacritate ad ambulandum in ſemitis Dei. Et nullus equidem dubito quin illud quod corporeo ſenſu impletum eſt in temporibus Chriſti, haberet etiam ſenſum *ſpiritualem* magìs, magíſq; permanentem; Illud nempe *Eſaiæ* cap. 35. 5, 6. *Tunc & cæcorum patefient oculi, & ſurdorum reſerabuntur aures; tunc cervi ritu ſaliet claudus, ovabitq; lingua muti.* Quod ad vivum depingit conditionem verè credentis in Chriſtum, dum fideles ſuos profectus facit in Chriſtianitate, *de virtute in virtutem gradiens uſq; dum apparuerit coram Deo in Sione.* Huc adjice illud *Zachar.* 12. (Etenim quòd myſticè ad præſens Propoſitum applicari poteſt, ex v. 10. apparet, *Et aſpicient ad me quem crucifixerunt:*) Quod verò citaturus eram occurrit v. 8. *Eo tempore propugnabit* Jehovah *pro* Hieroſolymitanis, *ità ut ſit eorum infimus* Davidi *ſimilis*, Davidæ *autem Deo ſimiles Angelóq;* Jehovæ *eis præpoſito.* Quemadmodum Servator pronunciat de *Johanne Baptiſta*, *Qui eſt minimus in regno cœlorum major eſt eo.* Prophetícas prædictiones cum illa *Malachiæ* claudam, cap. 3. de Angelo *Matth. 11. 11.*

 fœderis,

ſœderis, Chriſto ſcilicet, eáq; Oeconomiâ quam ille erecturus erat in mundo. *Ecce venit, dicit* Jehovah *Exercituum. Et quis ferre poterit diem adventûs ejus, quiſve poterit ſtare cùm apparuerit? Ipſe enim tanquam ignis conflans, & tanquam ſaponaria fullonum. Et ſedebit conflans & emundans argentum, purgabit enim filios Levi, conflabitq; eos ſicut aurum & ſicut argentum, erúntq; ipſi* Jehovæ *offerentes munus in Juſtitia.*

4. Quod id ipſum eſt quod *Johannes Baptiſta* de Chriſto teſtificatur, Matth. 3. v. 11. *Ego quidem baptizo vos aquâ ad reſipiſcentiam; ſed poſt me venit qui quidem adeò me præſtantior eſt, ut ego non ſim dignus, qui ejus calceamenta portem. Is vos baptizabit ſancto Spiritu & Igni. Is in manu ſuum habens ventilabrum, aream ſuam expurgabit, frumentúmq; ſuum comportabit in horreum; paleam autem igni cremabit inextinguibili.* Cui potes addere v. 10. *Jam verò ſecuris arborum radici admovetur: Itaq; arbor omnis fructum bonum non edens exſcindetur, & in ignem injicietur.* Conſimiliter illi quod occurrit Matth. 15. 13. *Omnis planta quam meus cœleſtis Pater non plantavit, extirpabitur.* Quæ Scripturæ nobis planè declarant finem adventûs Chriſti fuiſſe, ut penitùs conſumeret radicitúſq; evelleret errorem omnem ac improbitatem ex eorum cordibus qui eum ſint recepturi.

5. Atq; hoc profectò ſufficere poſſit ad detegendum quàm ſublimis gradus ſanctitatis ab eo expectetur qui abſq; omni fuco & tergiverſatione verus vult eſſe Chriſtianus. Cæterùm nolo prætermittere alia loca quæ ad eundem ſenſum ſonant; 1 Pet. 1. 13. *Quamobrem ſuccinctis mentis veſtræ lateribus ſobrii, perfectè ſperate afferendum adventu Jeſu Chriſti beneficium, ut obedientes filii, nec vos ſuperioribus ignorantiæ veſtræ cupiditatibus accommodantes; ſed quemadmodum qui vos vocavit ſanctus eſt, ità vos quoq; voſmetipſos in omni vita ſanctos præbete; quandoquidem ſcriptum eſt, Sancti eſtote, nam ſanctus ego ſum.* Idem quod Servator nobis præcipit ſermone ſuo in Monte; *Eſtote perfecti quemadmodum Pater veſter qui in cœlis eſt, perfectus eſt. Paulus* etiam ad Epheſ. cap. 6. v. 10. *Quod ſupereſt, Fratres mei, corroboremini in Domino & in robore virtutis ejus. Induite univerſam Dei armaturam ut poſſitis ſtare adversùs inſidias Diaboli. Quoniam non eſt nobis lucta adversùs carnem & ſanguinem, ſed adversùs imperia, adversùs poteſtates, adversùs mundi Dominos, rectores tenebrarum ſeculi hujus, adversùs malignos ſpiritus in Aëre habitantes. Propterea aſſumite univerſam illam armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere tempore adverſo, & omnibus confectis ſtare. State igitur lumbis circumcinctis veritate, & induti thorace juſtitiæ; calceatis pedibus præparatione Evangelii Pacis. Inſuper aſſumpto ſcuto fidei, quo poſſitis omnia jacula Mali illius ignita extinguere. Galeam etiam ſalutarem recipite & gladium Spiritûs, qui eſt verbum Dei.* Addemus ſolummodò breviuſculam orationem à Principe ſalutis noſtræ, Chriſtiano militi ſic armato oppidò commodam, Apoc 3. *Qui vicerit, ei dabo mecum in meo ſedere ſolio, ut ego quoq; victor conſedi cum meo Patre in ejus ſolio.* Quæ quidem ſic collata, & anquiſitè ſollicitéq; conſiderata, non poſſunt ſanè quin ex torpido illo & veternoſo infructuoſæ fidei inſomnio nos exuſcitent, & ex inerti illa ſordidáq; ſervitute peccati (quâ ſub *invincibilis Infirmitatis* obtentu tenemur) in fiduciam firmam, in omnipotenti virtute Chriſti ejúſq; armaturæ ac munitionis nos erigant; quibus & omnes noſtras domeſticas libidines, utcunq; ignitis Diaboli Pyrobolis accenſas & inflammatas, poſſimus devincere.

6. *Qui vicerit ei dabo.* Et quando, obſecro, vincit? An non in eodem campo victoria paritur quo committitur prælium? Et militia noſtra an non hîc in terris eſt? Ac proinde manifeſtum eſt noſtram etiam hîc victoriam fore. In hac enim vita nobis præcipitur ut occidamus & mortificemus veterem in nobis hominem, qui quamdiu vixerit, ſemper malignum aliquod inventum excogitabit quo Chriſti regnum è cordibus noſtris ſubruere poſſit & eradicare. Ac proinde oportet nos integro animo aut huc aut illuc noſmetipſos convertere. Non poſſumus & *Chriſto* & *Belial* ſimul ſervire. *Lux* & *tenebræ* in eodem nequeunt manere ſpacio. Et certè Apoſtolus tam perfectam nobis paravit armaturam, ut non poſſimus quin palàm profiteamur, fortiores nos eſſe *homine forti qui atrium hactenus cuſtodiverit*, ità ut ſi non ejiciatur, nos in culpa ſimus. *Fidelis* enim Miles Chriſtianus tam perfectè armatus eſt (quippe qui veritate cingitur, cujúſq; cor juſtitiâ & ſinceritate munitur, mens æternæ vitæ repræſentationibus reficitur; cujus pedes promptitudine, & indefatigabili ſecundùm Chriſti Evangelium ambulandi Propoſito calceantur, cujus memoria ſelectiſſimis, utiliſſimis, animoſiſſimíſq; Scripturæ præceptis inſtruitur, totáq; anima per fidem in virtute Dei contra omnes aggreſſiones ac tentationes Inimici ſalutis noſtræ corroboratur) ut facere non poſſit quin prælio victor evadat, quanquam domeſticis illius

Cor. 5. 16.

Libidinibus

Libidinibus ſuppetias ferat ipſe Aëris princeps, qui dominatur in filiis Inobedientiæ. Nam *hoc ſcutum fidei ignitâ omnia tela Diaboli extinguere valet.* Hæc illa Fides *Hebr.* 11. eſt quâ antiqui *regna expugnârunt & Juſtitiâ functi ſunt.* Atq; hoc illud eſt per quod unuſquiſq; Chriſtianus victorias ſuas contra *Regnum Tenebrarum* ac *Injuſtitiæ* prolaturus eſt quantum ipſi placuerit. Nam ſecundùm fidem ſuam ità cuiq; eveniet.

7. Quamobrem qui inerti cuidam ſegnitiei ac indiligentiæ in his rebus aggrediendis patrocinantur, *Fideles* Chriſtiani non ſunt ſed *falſi fratres* qui ſe in cætus noſtros ingeſſerunt. *Nemo qui aratro admotâ manu reſpicit in tergum, aptus eſt ad* *Luc.* 9. 62. *Dei regnum.* Rurſus, *Qui amat Patrem aut Matrem ſupra me, non eſt me dignus.* *Matth.* 10. 37. *Et qui amat filium aut filiam ſupra me, non eſt me dignus.* Immò verò qui vitam ſuam ſupra Chriſtum amat, non eſt illo dignus, nec poteſt illius eſſe diſcipulus, quemadmodum ipſe Servator declarat. Quomodo igitur is Chriſti diſcipulus eſſe poteſt, qui ullam amat libidinem, quantumlibet jucundam, quantumlibet utilem, ſupra filium Dei qui proprio ſuo ſanguine eum redemit? Quocirca omnes veri Chriſtiani in hac parte rem ſeriò egerunt, tum in actionibus, tum in profeſſione ac precibus, aſpirantes enixéq; contendentes ad omnem perfectionem ſinceritatis ac puritatis tam *Carnis* quàm *Spiritûs*, ſanctitate perfungentes cum timore Dei, quemadmodum Apoſtolus *Corinthios* hortatur. Juxta quod etiam eſt illud S. *Jacobi*; *Patientia* *Cap.* 1. *v.* 4. *verò perfectam operationem habeat, ut perfecti integriq; nullâ re careatis.* Qualis eſt illa oratio *Epaphræ* pro *Coloſſenſibus*, cap. 4. 14. qui illîc dicitur, *aſſiduis, pro ipſis, precibus certare ut perfecti abſolutiq; ſtent in omni voluntate Dei.* Quod idem ferè eſt quod illud S. Petri 1 Epiſt. cap. ultimo. *Cæterùm Deus omnis gratiæ qui vocavit nos ad æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu, is vos paulùm paſſos, abſolutos reddat, ſtabiliat, roboret, fundet.* Quibus addemus illud Authoris ad Hebræos, itáq; concludemus. *Deus verò pacis qui magnum illum ovium per æterni fœderis ſanguinem,* *Hebr.* 13. 20. *paſtorem, Dominum noſtrum Jeſum, à mortuis reduxit, perficiat vos in omni opere bono ad præſtandam ipſius voluntatem, efficiens in vobis quod acceptum ſit in conſpectu ſuo per Jeſum Chriſtum, cui ſit gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

CAP. VIII.

1. Auxilium *Chriſtiani par ſaltem eſſe ſuo* Penſo. 2. *Duæ* Potentiæ *ſive* Virtutes Evangelicæ, *quæ* officium *illius* penſúmve *complectuntur.* 3. Auxilium *primum Evangelicum*, Promiſſum *ſcilicet* Spiritûs, *cum vaticiniis ea de re ex* Ezekiele *&* Eſaia. 4. *Subindicationes quædam ſenſûs* Myſtici *poſterioris.* 5. *Alia præcellens illius rei prædictio.*

1. EVidentiſſimum jam fecimus, illam Juſtitiæ menſuram ad quam Chriſtianus vocatur non inertem eſſe nec ſomniculoſam inclinationem ad ſanctitatem, non mancam, claudicantem nec Hypocriticam Chriſti conſectationem, ſed ſinceram atq; alacrem contentionem, lætámq; tandem aſſecutionem talis gradûs Sanctitatis ac Juſtitiæ, qui præſcriptiones omnium aliarum Religionum quarumcunq; longè tranſcendat, eſſéq; reverà adeò conſummatam ac perfectam ut nihil præſtantius aut exoptari poſſit aut excogitari. Tam ſancta ac cœleſtis vocatio eſt vocatio Chriſtiani. Et certè expectatio tanta eſt, ut ſi auxilia & ſubſidia ipſi proportionata non eſſent, nunquam eſſemus ad finem noſtræ vocationis perventuri. Verùm *ſubſidia* noſtra, meo quidem judicio, majora ſunt quàm pro noſtro *penſo*, niſi quòd nos nobiſmetipſis deeſſe videamur.

2. Hactenus vidimus, quàm neceſſaria Chriſtiano ſit interna ſanctificatio, & ad quàm amplam illius menſuram vocetur. Quódq; ad contendendum aſpirandúmq; perpetuò ad hæc ambo inviolabili jure tenetur, quemadmodum manifeſtò declaratur à Chriſto, ab Apoſtolis, & Prophetis antiquis. Quamobrem hæc duo, evidentiam intelligo, primò, quòd *oportet nos internâ realiq; juſtitiâ eſſe præditos*, nec id ſolùm, ſed *perfectiſſimo* deinde *modo* & *extraordinario*, duæ ſunt Evangelii *Potentiæ* quæ ſummum illud noſtrum maximúmq; *officium* complectuntur, *ut ſancti* utiq; *ſimus, quemadmodum is qui nos vocavit, ſanctus eſt, perfectiq; quemadmodum Pater noſter qui in cœlis eſt perfectus eſt.* Subſequentes Evangelii *Potentiæ* omnes *auxilia* ſunt vel *ſubſidia* ad hunc Finem deſtinata. Quarum Prima eſt *Promiſſio Spiritûs*

per Chriſti Interceſſionem; Secunda, *Exemplum Chriſti*; Tertia, *ſuper ejus Paſſione Meditatio*; Quarta, *ſuper Reſurrectione & Aſcenſione*; & Quinta deniq; *ſuper Judicio ultimo*. Hæ *Potentiæ* tam mirabilis efficaciæ ſunt, ſi ritè applicentur, ut omnes munitiones demoliri valeant, omnémq; malam imaginationem, ac ſublimitatem omnem contra cognitionem Dei elatam ejicere, & in captivitatem omnem cogitationem, ad obediendum Chriſto redigere, ut loquitur Apoſtolus. Nulla vis habitualis peccati, nulla libidinum violentia adversùs ipſas ſtare poterunt quin ſtatim funditus neceſſariò labefactentur.

3. Prima harum *Potentiarum*, eſt *Promiſſio Spiritûs*; non ad paranda *Miracula* (illa enim res tantùm tranſitoria erat primiſq; Eccleſiæ ſeculis ſolummodò accommodata) ſed ad *perfectam ſanctificationem* purificationémq; ab omnibus noſtris peccatis, ut robur plenum ac adultum in omni juſtitia ac ſanctitate aſſequamur. Quòd hæc *Potentia*, *Diſpenſationis Evangelii* in omnibus verè credentibus ſit comes, tum è prædictionibus Prophetarum, tum ex ore Servatoris & beatorum Apoſtolorum apparet.

Eſai. 44. *Et nunc audi* Jacob *ſerve mi* & Iſrael *quem delegi, ſic mandat Author, conditórq; tuus* Jehovah, *tuus ab utero adjutor. Noli timere ſervus meus* Jacob, *& tu* Jeſurun *quem elegi*; *Nam perfundam aquâ ſitientes, aridúmq; ſolum rivis*; *Perfundam ſpiritu meo tuam ſtirpem meámq; benedictione tuam progeniem, ità ut graminum more pullulent, tanquam ad aquæ profluentem ſalices.* Quod vaticinium maximè propriè applicatur Eccleſiæ Chriſti quæ verum ſemen eſt *Jacobi*; utpote qui illi ſunt qui colluctantur cum Deo contendúntq; intrare per anguſtam portam quæ ducit ad vitam. Illi ſunt verus * *Jeſurun*, qui *recto* ſunt *corde*, ſinceríq; quæſitores Dei, qui eſuriunt ſitiúntq; Juſtitiam, ac proinde Deus ipſos ſupernaturali Influentiâ benigni ſui Spiritûs ſaturabit.

Luc. 13. 24.

* A ישר rectus.

Rurſus, Ezekiel. 36. v. 25. ubi præfiguratur beata regni Chriſti Diſpenſatio. *Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*; *& ab univerſis Idolis veſtris vos mundabo. Dabóq; vobis cor novum, & ſpiritum novum dabo, in medio veſtri, & auferam cor lapideum è carne veſtra, dabóq; vobis cor carneum. Et ſpiritum meum dabo in medium veſtri, efficiámq; ut in præceptis meis ambuletis & judicia mea cuſtodiatis & faciatis illa.*

Item Eſai. 41. 10. Ubi proculdubiò ſi ſecundùm analogiam interpretandi vaticinia locum exponamus (cùm ſemen *Abrahæ* Typus ſit ſpiritualis Eccleſiæ Chriſti ipſorúmq; militia non carnalis ſed ſpiritualis, nec illæ aquæ à Chriſto promiſſæ iſtiuſmodi latices qui in fluviis amnibúſq; profluant, ſed emanationes illius purificantis refrigerantíſq; virtutis Spiritûs Dei) ſtatim videbimus quàm præſentaneo fidóq; auxilio Deo viſum ſit *vero* ſuo *Iſraëli* ſuccurrere, in quibus nullus eſt dolus, ſed qui ſincero animo bellum gerunt & ſummis viribus reſiſtunt omnibus tentationibus *Mundi, Carnis* & *Diaboli.*

Et tu Iſrael *ſerve mi*, Jacob *quem elegi, ſemen* Abrahæ *amici mei, nè metue, nam tibi adſum*; *Nè remolleſce, nam ego te Deus tuus corroboro, te juvo, te meâ juſtâ dextrâ fulcio. Pudore quidem & ignominiâ afficientur omnes qui tibi ſunt infenſi: in nihilum redacti peribunt homines, qui à te diſſident, ità ut eos quærens non ſis inventurus: homines qui contendunt tecum redigentur in nihilum & perduelles tui abolebuntur. Nam ego* Jehovah *Deus tuus dextram tuam prehendo, dicóq; tibi Nè formida, ego te juvo. Nè formida vermis Jacob, mortales* Iſraëlis, *Ego te juvo, inquit* Jehovah, *vindéxq; tuus, ſanctus* Iſraëlis. *Ego te traham, efficiam tribulam novam dentatam, qui montes trites atq; teras, & colles pro paleis habeas, quos ventus, te ventilante, auferat diſſipétq; turbo*; *quum tu interea in* Jehovah *exultabis, in ſancto* Iſraëlis *gloriaberis. Inopes pauperéſq; aquam torridâ præ ſiti linguâ requirentes neq; nanciſcentes ego* Jehovah *audiam, Deus* Iſraëlis *non deſeram. Aperiam per excelſa fluvios & mediis in vallibus fontes, deſerta ſiticuloſáq; loca in aquarum ſtagna, lympharúmq; ſcatebras redigam.* Hoc vaticinium eſt accurata deſcriptio illarum internecinarum perfectarúmq; victoriarum quas Eccleſia contra peccatum & Satanam per ſupernaturalia Spiritûs Dei ſubſidia adipiſcitur.

Quod promiſſum iterum repetitur ſubſequenti Capite, quod tametſi prolixius ſit priori, párſq; illius jam allata ſit in aliud propoſitum, abſtinere tamen non poſſum quin totum tranſcribam, cùm tam perſpicuum ſit de Chriſto vaticinium (utì ex prima illius parte apparet) & de virtute illius Regni per *Spiritum* ad debellandum omne peccatum & improbitatem in eis qui *verè* credunt: *Ecce, meus ſervus cui adminiculor, quem mihi ex animi mei ſententia delectum meo ſpiritu donavi, Jus edet Gentibus. Non clamabit, non queritabitur*; *non voce ſuâ foris ſtrepet.* *Quaſſatam*

Eſai. 42.

arundinem

arundinem non perfringet, langueſcens cllychnium non extinguet; jus ad veritatem perducet. Non langueſcet neq; fatiſcet, quin jus in terris ſtatuat, ab ejúſq; Lege pendeant Inſulæ. Sic dicit Deus Jehovah *qui cœlos creavit atq; diſtendit, qui terram ejúſq; progeniem porrexit, flatum incolentibus eam, hominibus in ea verſantibus ſpiritum dans. Ego* Jehovah *te cum Juſtitia voco, prehenſúmq; manu tueor, téq; in humanum fœdus lucémq; Gentium deſtino, ad aperiendos cæcos oculos, ad vinctos & in tenebris habitantes ex argaſtulo & carcere educendos. Ego cujus nomen* Jehovah *eſt, gloriam meam alteri laudémve meam ſimulachris non dabo. Præterita ecce venerunt & nova ego ſignifico: nondum orta vobis eloquor. Canite* Jehovam *novo carmine,* Jehovæ *laudem extremi terrarum, qui deſcendunt in mare, & quicquid eo continetur, Inſulæ, earúmq; habitatores. Clament deſerta, eorúmq; oppida, villæq; in quibus habitat* Kedar. *Ovent Petræ incolæ, ex montium vertice vociferantes. Afficiatur* Jehovah *gloriâ, ejúſq; laus in Inſulis prædicetur.* Jehovah *Heroïs ritu prodibit, viri bellicoſi modo impetum dabit, clamánſq; ac vociferans in hoſtes ſuos ſe corroborabit. Qui jam diu tacitus, me continens diſſimulavi, more parturientis exclamabo, deſolabo & deglutiam ſimul. Deſolabo montes & colles omnéſq; eorum herbas ſiccabo, & fluvios in inſulas redigam, ſtagnáq; arefaciam, & cæcos per ignotam eis incognitámq; viam & ſemitas ducens agam, tenebráſq; in lucem ante eos, & prava in recta convertam; hæc faciam eis, edſq; non derelinquam.*

4. Eſt admodum magnifica ac exaggerata immenſæ virtutis Dei deſuper, quâ Eccleſiæ ſuæ opitulatur, Repræſentatio, docétq; ut Chriſtus per Diſpenſationem Evangelii à ſervitute Peccati nos liberat, ut aperit intellectûs ignorantiam, & in libertatem aſſerit illos qui in tenebroſæ conſcientiæ ergaſtulo clauſi erant, in captivitate detenti ſub peccato, ut illi qui aridi ſunt ac ſteriles deſertorum inſtar, cacuminúmq; rupium, vivarum aquarum ſcaturigine irrigabuntur, útq; Pagis quos * *Kedar* poſſidet, hoc eſt, illis, qui mœrore ac tenebris obumbrantur, orietur Lux, ipsíq; Dominum collaudabunt: propterea quòd ille ipſe Dux eorum erit, bellum geret ipſorum, & per vim *Spiritûs* ſui, pérq; ignem illum, per quem cum omni carne diſceptabit, arefaciet ſummitatem & florem ſuperbiæ ipſorum, exſiccabítq; reſtagnantes eorum libidines lubricáſq; cupiditates, & illuminabit ſemitas eorum ante ipſos & in terram Juſtitiæ eos introducet. Hæc ſunt vera prælia ac victoriæ Eccleſiæ Chriſti, quemadmodum illi qui velamen oculis cordibúſq; ablatum habent facilè cernunt. Et certè cum ullo alio utili ſenſu, rarò contingit ut legi poſſint conſimiles deſcriptiones victoriarum Eccleſiæ contra inimicos ejus per Chriſtum partarum, aut per illos qui ejus erant typi; ut certè *David* Typus erat eximius. Ac proinde ſi mihi legendus eſſet Pſalmus 18. [*Adamabo te Jehovah, meæ vires*, &c.] parùm profectò me indè ædificatum iri ſperarem niſi in hujuſmodi myſticum ſenſum eum reſolverem, ſupponendo utiq; illud in me quod Chriſti particeps eſt, hoc eſt, internam meam mentem vel ſpiritum bellum gerentem contra * *Saulum*, qui eſt *potentia Carnis*, avida *vorago Inferni*, Peccatum illud quod habitat in hoc mortali corpore cujus vanæ cupiditates nec fundum habent nec finem.

* A קדר *obtenebratus, atratus fuit.*

* שאול *Infernus, à* שאל *petiit.*

5. Equidem hujuſmodi allegationibus ex *Prophetis* & *Pſalmis* abundare poſſim: Verùm intelligenti clavem in manum tradidi quâ ipſe poſſit (ſi fidem ſuam, per copioſa illa Promiſſa talium ſubſidiorum, de quibus nos loquimur, ſeriis Evangelii Profeſſoribus facta, auctam cupit ac corroboratam) hujuſmodi theſauros reſerare. Unum tantummodò ſuperaddam teſtimonium, quod, meo quidem judicio, valdè expreſſum eſt. Eſtq; Eſai. 35. *Confirmate manus languidas & labentia corroborate genua: dicite feſtinis animi, Eſte fortes & impavidi. En Deus veſter ultor veniet, præmiator ipſe Deus veniet ſervatum vos. Tunc & cæcorum pateſient oculi & ſurdorum reſerabuntur aures. Tunc cervi ritu ſaliet claudus, ovabitq; lingua muti. Nam erumpet in deſertis aqua & in ſolitudine flumina, ità ut ſtagnent arida & ſcateant ſiticuloſa lymphis: ac in qua ſtatione cubuerint dracones, in ea ſit arundinis junciq; ſtatio. Erit autem ibi ſemita atq; via, quæ via ſacra vocabitur, quæ pollutis impervia erit, verùm ipſe in via cum illis incedet, & ſtulti non errabunt in ea. Non erit ibi leo, nec eam ſæva ſcandet beſtia, aut ibi extabit, ſed ambulabunt per eam Redempti.* Jehovæq; *clientes reverſi venient ovantes in* Sionem, *& ſempiternâ perfuſi caput lætitiâ voluptatem & gaudia conſequentur, mœrore atq; gemitu fugiente.*

CAP.

CAP. IX.

1. *Magna utilitas Fidei* Promiſſo Spiritûs *adhibitæ.* 2. Eſus Carnis Chriſti, ejúſq; Sanguinis Potatio *quid ſint.* 3. *Ulterior Promiſſionis* Spiritûs *demonſtratio.* 4. *Quòd nullo noſtro merito Deum poſſimus devincire.* 5. *Alia Scripturæ Teſtimonia ad priorem ſcopum ſpectantia.*

1. HÆC loca quæ ex Teſtamento *veteri* recenſuimus non poſſunt non refocillare, immò propter ſtyli Prophetici ſublimitatem inflammare, animum illius qui ipſa legerit, modò facultatem habeat res *Myſticè* applicandi ad eximium illum ſcopum quò diriguntur. Quæ verò ex *Novo* addituri ſumus, quamvis imaginationem tam altâ grandiloquentiâ non ſint perculſura, rationem tamen fortean multò certiùs penetratura ſint fortiúſq; aſſenſum extortura, etiam iis qui aliàs admodum ægrè agnoſcerent hoc verum eſſe; *Quòd nempe tanta & tam ſupernaturalia ſubſidia Divinitùs nobis ſuppetant, quàm ſit Sancti Spiritûs, in conflictationibus noſtris contra Peccatum cooperatio.* Quæ perſuaſio magni certè momenti eſt ad corroborandos animos noſtros adversùs omnes Tentationes, & ad efficiendum ut in omni Conflictu victoriam adipiſcamur. Ac proinde uberiores jam producemus hujus veritatis demonſtrationes.

2. Et prima quæ mihi in mentem occurrit, eſt illa beati Servatoris, Luc. 11. 13. *Quòd ſi vos, qui mali eſtis, ſcitis bona dona dare veſtris liberis, quantò magis Pater cæleſtis dabit ſanctum Spiritum petentibus à ſe?* Quódq; hæc diſpenſatio Spiritûs ſanctificantis commune donum ſit omnibus Chriſtianis, ex eo apparet quod jam citavimus ex S. *Matthæo*, ubi *Johannes* profitetur ſe gnarum ſolummodo baptizandi cum aqua ad reſipiſcentiam, verùm baptiſma Chriſti fore cum *Spiritu ſancto* & cum igni, hoc eſt, cum virtute *Spiritûs* qui conflabit nos & purificabit, quemadmodum ar-
Verſ. 34. 51. 54. gentum purificatur in igni. Item ex *Johan.* 6. ubi Chriſtus *Manna* ſe nuncupat *quod deſcendit de cœlo*, declarátque, *qui comedit carnem, bibitq; ſanguinem ejus, vitam habere æternam*; cum aliis id genus locutionibus. Quapropter diſcipuli ejus cœpe-
Verſ. 62. runt offendi. *Jeſus* verò reſpondit dixítque, *Hoccine vos offendit? Quid ſi videatis filium hominis eò aſcendentem ubi erat priús?* Illud mirum vobis ac ſtupendum futurum eſt ſpectaculum, taléq; quod certò vobis meam Divinitatem confirmaverit, ſed tam longè ſimul meum corpus à vobis removebit, ut non potueritis tunc, ſi volueritis, tam craſsè errare ut exiſtimetis me loqui de hoc corpore ac ſanguine quæ
Verſ. 63. nunc mecum circumgeſto. *Spiritus eſt qui vivificat, caro nihil prodeſt. Verba quæ ego vobis loquor ſpiritus ſunt & vita ſunt*, hoc eſt, intelligi debent de *ſpirituali corpore* quod intimum eſt *ſancti Spiritûs templum*, cujus & vos hîc oportet ad aliquem modum compotes eſſe, quódq; conſummatam habiturum eſt purificationem in ultimo Die, quando vos æternæ vitæ perfectione ſum coronaturus. Vel ſimpliciter intelligenda ſunt de *Spiritu vitáq;* illa quæ ſecundùm meam Divinitatem ipſe ſùm, de *æterno* nempe *verbo* in *quo eſt vita, vitáq; illa lux hominum eſt.* Hoc eſt illud quo vos oportet veſci, imbiberéq; in animas veſtras, quando non habetis particulare meum corpus præſens vobiſcum. Etenim *verbum* hoc atq; *Spiritus* præſtò ſunt ubiq; ut ab eis qui eſuriunt ſitiúntq; cœleſte hoc animarum ſuarum pabulum, hauriantur. Atq; ſic id impletur quod declarat, v. 56. *Qui meâ carne veſcitur meúmq; ſanguinem bibit, is in me manet & ego in eo.* Nam Carnis eſus eſt ſpiritualis corporis ad aliquem modum Participatio, ejúſq; Sanguinis potatio, *Imbibitio* inſimul illius *vitæ* quæ in purgata omnia & purificata hominum corda, ex æterno verbo elucet, quo Chriſtus in ipſis habitat, & ipſi in illo & Deus in omnibus.

3. Rurſus Johan. 7. 37. *Poſtremo autem die, qui erat Feſti celeberrimus, conſtitit* Jeſus *& hiſce verbis clamavit, Si quis ſitit veniat ad me & bibat. Qui mihi*
* *Vide cap.* 8. *ſect.* 3, 4, 5. *fidem habet, ut* * *perhibent literæ, ejus ex ventre fluent perennis aquæ flumina.* Id autem dixit de Spiritu quem accepturi erant, qui ei fidem haberent, quemadmodum & ipſe textus exponit. Ac proinde inſignis eſt ratificatio ſenſûs *Myſtici* eorum vaticiniorum quæ ex *Eſaia* recitavimus.

Verùm hæc apertiùs narrantur & abſq; omni Metaphora, Johan. 14. 15. *Si me amatis, mea præcepta ſervate. Ego verò meum Patrem exorabo ut alium vobis conſolatorem det, qui vobiſcum perpetuò maneat, ſcilicet veritatis ſpiritum, quem mundus conſequi non poteſt, quòd eum neq; videt neq; cognoſcit. Et vos eum cognoſcitis, quoniam*

quoniam apud vos manet & in vobis futurus eſt. Quod præceptum promiſſúmq; conſimile eſt illi, quod apud Eſaiam occurrit, cap. 58. Quòd utique, (ſi ſeriò animos appellamus ad ritè Deo obediendum) ille Spiritum ſuum in nos effundet. *Tunc erumpet auroræ modo tua lux, ſalúſq; celeriter pullulabit, téq; & tua præcedet Juſtitia,* & Jehovæ *gloria excipiet.* Et paulò póſt: *Orietur in tenebris lux tua, & caligo tua erit ut meridies,* & Jehovah *te ſemper deducens appetitum tuum in ſiccitatibus ſaturabit, oſſáq; tua impinguabit, & eris veluti hortus irriguus, & tanquam ſcaturigo aquarum cujus latices nunquam deficiunt,* hoc eſt, (prout ſpiritualis quivis Chriſtianus ad interpretandum locum proclivis erit) ſi Juſtitiam ſitias & ſummis interim viribus contendas ad externis ejus fungendum officiis erga Deum atq; homines, hìc vitæ atq; veritatis *Spiritus* intra te ad inſtar *matutinæ lucis* erumpet, *Divinæq; emanationes* tam mirificè te reficient & corroborabunt, ut cum facilitate & jucunditate in omnibus Dei ſemitis ambulaturus ſis, quæ veluti Paradiſi ambulatoria tibi erunt amœnis floribus conſita, & internum tibi externúmq; hominem modo ineffabili recreabunt. *Verſ.* 8. *Verſ.* 11.

4. Non quòd conatus noſtri vel deſideria per modum meriti noſtra ex parte Deum obligent, ſed illius eſt miſericordiæ erga animam quæ ſincerè ad eum ſuſpirat. Etenim antequam is opus ſuum in nobis perfecerit, omnia noſtra opera nullius ſunt pretii; & ſi quando res eò venerit ut ſint ullius pretii, equidem tunc noſtra non ſunt ſed illius. Ad quem ſenſum loquitur *Paulus* ad *Titum*, cap. 3. *Sed poſtquam benignitas & humanitas extitit Servatoris noſtri Dei, non ob juſtitiæ opera, quæ nos fecerimus, ſed pro ſua miſericordia ſervavit nos lavacro regenerationis, renovationiſq; Spiritûs ſancti, quem effudit in nos copiosè per Jeſum Chriſtum Servatorem, ut ejus beneficio juſti facti, fiamus hæredes vitæ, quæ ſperatur, æternæ.* Quem effudit in nos. Juxta illud Prophetæ, *Et eris veluti hortus irriguus.*

5. His adde Johan. 3. 5. *Reſpondit Jeſus, Amen, Amen, dico tibi, niſi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in Regnum Dei. Quod genitum eſt ex carne caro eſt, & quod genitum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt.* Et Rom. 8. 9. *At vos non eſtis in carne ſed in ſpiritu, ſiquidem Dei Spiritus habitat in vobis. Quòd ſi quis Chriſti Spiritum non habet, is Chriſti non eſt.* Et verſ. 26. *Adde quòd Spiritus quoq; noſtris ſuccurrit infirmitatibus. Nam quid oremus, ut fieri debet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus pro nobis ſupplicat gemitibus ineffabilibus.* Item 1 Cor. 3. 16. *An ignoratis vos eſſe templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis?* Et poſtremò, Epheſ. 3. 14. (infinitum enim eſſet omnia Scripturæ loca corradere quæ ad hoc propoſitum faciunt) *Hujus gratiâ flecto mea genua ad patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis & in cœlis & in terra denominatur cognatio, ut pro ſua glorioſa opulentia det vobis fortiter corroborari per ſuum Spiritum in interiori homine quo habitet Chriſtus per fidem in veſtris animis, & ſitis in charitate radicati atq; fundati, ut comprehendere & cognoſcere valeatis unà cum ſanctis omnibus, quam latè longéque, quàm altè ac ſublimè pateat, & quàm omnem cognitionem excedat amor Chriſti, ut omni Divinâ perfectione ſitis perfecti. Ei verò, qui eâ vi quæ viget in vobis, poteſt omnia longè longéq; copioſiùs facere, quàm nos poſcere aut cogitare, ei, inquam, ſit gloria in Eccleſia per Chriſtum Jeſum, in omnem omnium ſeculorum perpetuitatem. Amen.*

CAP. X.

1. *Recapitulatio eorum quæ hactenus dicta ſunt de* Evangelii Utilitate. *Déq; neceſſitate liberandi homines ab eis erroribus qui Chriſtianam vitam tam propè tangunt.* 2. *Mala Conditio eorum qui* juſtitiâ imaginariâ *contenti ſunt per oppugnatores* Arielis, *Montiſq;* Sionis *præfigurata.* 3. *Ineptitudinis hujus Opinionis ulterior demonſtratio.* 4. *Quòd verus Chriſtianus peccare non poteſt quin ſibi eo ipſo dolorem cruciatúmq; inferat.*

1. ABunde jam ex teſtimoniis Scripturæ, *internæ ſanctificationis atq; Realis juſtitiæ in nobis inhabitantis, intensiq; ejus gradûs* neceſſitatem demonſtravimus, unà cum efficaciſſimo ſubſidio ad hunc finem deſtinato, *Promiſſione ſcilicet Spiritûs Dei* moventis & cooperantis in *interno homine* ad finienda perficiendáq; omnia

omnia noſtra opera in nobis, quò ſancti eſſe poſſimus & inculpati abſq; macula aut ruga aut quoquam ejuſmodi.

Occurrimus etiam perverſis falſorum Doctorum gloſſematis, quibus laxare volunt & enervare robur & efficaciam *trium* harum *Potentiarum* Evangelii de quibus hactenus egimus, introducendo nudam, infructuoſam, ſterilémq; Fidem, vel externæ Juſtitiæ imputationem, quæ juxta eorum computum, longiùs ab ipſis quàm vel altiſſima ſtella eſt remota. Ad quem quidem errorem, ſi æquè noxâ careret atq; fundamento, pacificus quivis Chriſtianus non ægrè ſanè conniveret. Verùm cùm antiquum ſit ac malignum contra Eccleſiam ſtratagema, & pro tali à ſapientiſſimis Apoſtolis habitum, machinamentum malum à *Principe tenebrarum* ad ſubvertendum Regnum Chriſti excogitatum, nemo qui rem Domini Jeſu ſincerè ſapit ſerióq; ſtudet illius Regno atq; Imperio in terris promovendo, poteſt ſanè bona cum conſcientia, illud ſicco pede præterire, ſed omnes intendet nervos ad homines à tam periculoſo errore liberandos.

2. Et quanquam ad *junctturam* proximam *Evangelicæ* hujus *machinæ* quam deſcribo nunc propero, non poſſum tamen cum proprii animi pace ulteriùs progredi, antequam ad Apoſtolorum *ſuffragia* (qui unanimiter hanc opinionem, *quòd quis juſtus eſſe poſſit cùm tamen vitam ſuam juſtè non inſtituat*, admodum periculoſam Impoſturam ac deluſionem concluſerunt) addiderim porrò argumenta quædam è ratione *rei* petita, quæ majorem adhuc ſenſum malarum hujus opinionis conſecutionum animis noſtris incutiant. Equidem, quantùm ad me, ingenuè fateor minimè me deprehendere, quomodo quis *juſtus* hîc eſſe poſſit abſq; *juſtitia*, aut *beatus* in futuro ſeculo nec tamen *juſtus* hic eſſe; aut quomodo quivis *verus* Chriſtianus ſuos animi morbos palliatos malit quàm curatos, contentúſve ſit ullâ re aliâ quàm illo *Manna*, quod deſcendit de cœlo, verâ ſcilicet carne ac ſanguine Chriſti juxta eum ſenſum quo ſum interpretatus, aut abſq; ſaturatione animæ ſuæ *reali ſpiritu Juſtitiæ*, ſive *Divinâ Naturâ*, quæ verus animæ cibus eſt verúſq; potus. Neq; enim intelligo quomodo conditio horum Oppugnatorum tam Eſſentialis ac Fundamentalis veritatis ulla alia eſſe queat quàm illa quam Propheta *Eſaias* præfiguravit in eis qui oppugnant * *Arielem*, Altare Holocauſtorum, (ubi tota natura beſtialis comburenda eſt & conſumenda igni Dei) montémq; * *Sionis* obſident, montem *ſiccitatis ſitiſq;* quam promiſit Deus ſe irrigaturum vivis aquarum fontibus. *Ut enim ſomnians famelicus videtur ſibi comeſſe, deinde experrectus ſentit inanem ſtomachum ſuum*; *utq; ſomnians ſitibundus videtur ſibi bibere, deinde expergefactus laſſum ſe avidtq; appetitûs deprehendit: ſic accidet tot Gentium turbæ adversùs montem* Sionem *militantium.* Hæc eſt conditio omnium ſectarum quarumcunq; quæ adverſantur eis qui ſitiunt eſuriúntq; juſtitiam. Hi enim reverà ſaturabuntur, rore Divinæ gratiæ ubertim ſtillante in hanc *Sionem*, implebuntúrq; ſpirituali *Manna* de cœlo; cùm è contrà illi alteri, quorum *fames ſitiſque*, (id eſt, *inopia* ac *defectus*) *realis* ſanè eſt, ſed non *realem* versùs *Juſtitiam*, veſcuntur ſolummodò Imaginationibus & inſomniis, & quandocunq; ex illis experrecti erunt, invenient ſe omni bono deſtitutos.

Eſai. 29. * *Ab* אור *ignis &* אל *Deus.* * ציון a *ſiccitas.*

3. Immò, quod adhuc pejus eſt, tutò ferè concludi poteſt, eos nè capaces quidem fuiſſe ſomniandi cibum cœleſtem; Hæc enim vitæ eſt functio, ſomniare ea quæ grata ſunt huic vel illi generi Animantium. Et ſiqua talia ſomniant quæ ſuæ naturæ congrua ſint, indè ſit quòd eis aliquando antè ſint uſæ, & ſubinde illis utantur juxta Naturæ leges, ac fruantur. Et certè is qui *verus Chriſtianus* eſt, non eſt homo *merè naturalis*, ſed eſt *Nova illa Creatura* quæ formatur in juſtitia veráq; ſanctitate, ac proinde, ex eiſdem principiis ex quibus genitus ſit (non quidem ex *humana voluntate* ſed ex *Spiritu Dei*) eum nutriri oportet. Ac propterea non ſolùm ſomniat ſed reverà veſcitur illo *Manna* quod eſt de cœlo, *internâ* illâ ac *eſſentiali Juſtitiâ* quæ eſt à Deo. Et quemadmodum impoſſibile eſt ut unus homo edat, bibat ac ſpiret pro altero, ſecundùm modum *naturalem*, ità ſimiliter impoſſibile eſt ut una aliqua perſona edat, bibat, ſpirétq; pro altera ſecundùm modum *ſpiritualem.* Et certè ſi vitam illam prorſus viveremus, quæ in omni vero Chriſtiano reperitur, æquè incommodum judicaremus ut quis *juſtus* pro nobis eſſet, quàm ut quis noſtri vice eſſet *ſanus.* Quid enim ſolatii eſſet, dum nos ipſi Febris, Calculi aut Podagræ paroxyſmo tenemur, quòd alia aliqua Perſona noſtro interim loco ſanus ſit belléq; ſe habeat?

Ac proinde nimis quidem infauſta eſt indicatio, homines hâc imaginariâ perſuaſione faſcinatos, ἀπαλγησίτας evaſiſſe, ut loquitur *Apoſtolus*, ob torporem animi *callo obductos*, & omni Divinâ vitâ ſenſúq; deſtitutos, alioqui vitium ac peccatum æquè ingrata futura eſſent animis ipſorum, ac morbi corporibus dolorifici. Atq; hinc eſt

quòd

quòd S. *Johannes* ait, *Quòd is qui ex Deo natus eſt non peccat, propterea quòd ſemen Dei manet in eo*, prout ſuprà notavi. Ecquod enim vitæ Principium eſt quod contra ſeipſum peccat? Quæ beſtia lubens ſeipſam vulnerat? Quæ arbor ſiderat ſeipſam? Quæ vita ſeipſam ullo modo violabit? Num Aquila natabit in mari? Delphinúſve volabit in Aëre? An non omnia animalia cuſtoditè ſe intra proprium ſuum elementum retinent, fugiúntq; contraria tanquam quæ aut perniciem aut dolorem ipſis pariunt? Quis igitur homo renatus pati poteſt ut ad peccati regionem accedat? Quod certè non magis jucundum ei foret quàm fumus oculis aut auribus ferræ ſtridor. *Quomodo poſſum hoc malum facere & peccare in Deum meum?* Immò verò quomodo poſſum ſecare, lancinare, atq; urere meipſum, illum potiorem meipſum, Chriſtum utiq; qui vivit in me, cum quo ego patior, quoties ejus imago patitur.

Atq; hoc ſufficere poteſt ad generaliorem prælibationem abſurditatis hujus impiæ & perniciosæ Impoſturæ quæ ſemper plùs minùs Eccleſiam Chriſti infeſtavit. Producemus jam magis accuratam ſchedulam detrimentorum damnorúmq; ex unico hoc malo provenientium.

CAP. XI.

1. *Realis Juſtitiæ defectum divinâ quoq; ſapientiâ nos ſpoliare è Scriptura demonſtratum*; 2. *Ut & ex ipſius rei natura.* 3. *In naturalibus etiam ſpeculationibus animæ obeſſe.* 4. *Nobiles omnes & laudabiles actiones ſufflaminare*; 5. *Imaginariúmq; Religionis ſectatorem contumeliæ publicæ exponere.* 6. *Quòd Juſtitia merè imaginaria pacem conſcientiæ animæ eripit*; 7. *Divinúmq; Gaudium*; 8. *Sanitatem porrò & incolumitatem*; 9. *Et æternam deniq; ſalutem.* 10. *Deum etiam hoc pacto gloriâ ſuâ privari, Eccleſiámq; pace publicâ ac proſperitate.*

1. INfauſtus verò hic computus comprehendi poteſt ſub duobus hiſce generalibus capitibus; *Bono* ſcilicet *hominis* ac *Dei gloriâ.* Illa autem particularia quæ *Bonum hominis* præcipuè complectitur ſunt hæc:

1. *Vera ſapientia ſanúmq; de rebus judicium.*
2. *Nobiles utilésq; Actiones.*
3. *Honeſta exiſtimatio.*
4. *Pax & tranquillitas animi.*
5. *Divinum Gaudium, animiq; in Deo Exultatio.*
6. *Corporis ſanitas & incolumitas in hac vita.*
7. *Æterna Felicitas in futura.*

Jam verò quòd verâ ſapientiâ mentéq; ſanâ fraudamur per fatuam hanc ſuppoſitionem, *Quòd juſtus quis eſſe poteſt tametſi non ſit juſtus ut Chriſtus juſtus erat*, Juſtitiâ utiq; reali & inſitâ, hinc abunde conſtabit, Quòd Juſtitia & Sanctitas ſola vera via ſit ad *divinam ſapientiam* ſolidúmq; de rebus judicium. Quod tum innumeris Scripturæ Teſtimoniis, tum ex rei ipſius natura evinci poteſt. *Si quis voluerit Dei voluntatem exequi, cognoſcet de doctrina*, inquit Servator, *utrùm ex Deo ſit an ego à meipſo loquar*, Johan. 7. & Pſalm. 111. *Timor Domini* (per quem intelligitur Juſtitia, ut *declinemus malum* & *bonum faciamus*, ut *Pſalmiſta* ipſe ſe explicat) *principium eſt ſapientiæ, rectè ſapiunt hæc quicunq; præſtant*, &c. Et alibi, *Secretum* Jehovæ *timentibus eum, pactúmq; ejus, ut illud ſcire faciat eos*, quemadmodum rectè *Hebraicum* reddi poteſt. Et Job. 32. *Cogitabam grandævitatis eſſe loqui, & tot annorum exercere ſapientiam. Verùm afflatu aguntur homines eósq; Præpotentis aura reddit intelligentes.* Cæterùm, Afflatum hunc, Divinæq; ſapientiæ auram pro habitaculo ſuo cor reverà juſtum habere, apertè nos edocet *Sapientia Salomonis*, adeò ſcilicet ut qui contentus ſit Juſtitiam amittere, ſapientiâ etiam neceſſariò ſimul exciderit. *Siquidem in malitioſum animum non intrat ſapientia, nec habitat in corpore peccatis obnoxio. Sanctus enim diſciplinæ ſpiritus fugit dolum & ab imperitis cogitationibus abigitur & injuſtitiæ adventu increpatur. Sapientia* igitur & *injuſtitia* ſub eodem tecto manere non poſſunt. Nec corpora noſtra fieri & Dei viventis Templa & fallacis Idoli.

Pſalm. 25. 14.

Et ſanè ſi opus eſſet Allegoricum quicquam Myſticúmve apertis hiſce Scripturæ Teſtimoniis attexere, poſſemus etiam huc afferre, precioſam hanc veritatem, Quòd

ſapientia utiq; *oritur ex Juſtitia*, Diei quarti Creatione, in quo cœli facta ſunt Luminaria, eſſe adumbratam. Etenim ille Myſteriis ſcatens *Judæus* locum explicans, hoc Numeri *Quaternarii* Privilegium obſervatu dignum commemorat. "Οτι πρῶτος ἀριθμῶν ὁ τέτραγωνος τετράγωνός ἐστιν, ἰσάκις ἴσος, μέτρον δικαιοσύνης καὶ ἰσότητος, Quòd *Quaternarius primus quadratus eſt, pariter par, ſive æqualiter æqualis, menſura Juſtitiæ & Æquitatis.* Quamobrem cùm hic diei numerus, ſymbolum ſit Juſtitiæ, illa quæ creata ſunt in hoc Die, *Luminaria* ſcilicet cœli, *Divinæ ſcientiæ* vel *ſapientiæ* ſymbola meritò haberi poſſunt, *Solis* utiq; *Juſtitiæ*, quemadmodum *Chriſtus* appellatur: inſinuando ſcilicet Quòd *Divina ſapientia* concipitur paritúrque, vel ſi malles, creatur in *Juſtitia.* Adeò ut hic *Sol Intellectualis* non oriatur nec luceat in mentes noſtras ante hunc diem quartum, diem utiq; Juſtitiæ; Tunc verò id fit quod occurrit

Prov. 4. 18. in Proverbiis, *Quòd juſtorum ſemita ſit quaſi Lux ſplendens* הילך ואור *quæ pergit ſplendétq;* עד נכון היום, *uſq; ad firmitudinem* vel *ſtabilitatem Diei*, hoc eſt, uſq; ad *meridiem*, qui eſt quaſi Diei *ſolſtitium* ubi altitudo ejus non tam ſenſibiliter variat. Adeò ut ſenſus ſit, Quòd ſemita juſtorum ad inſtar curriculi Solaris eſt qui ſcandit perpetuò uſq; dum ad meridiem planè pertingat, via verò impiorum quaſi caligo (quemadmodum dicitur in ſubſequenti verſu) qui quò impingant neſciunt.

2. Atq; ſic manifeſtum eſt è *Scripturæ* teſtimoniis, Quòd divina ſapientia ſanáq; mens non obtinetur niſi per Juſtitiam *realem*, & conſequenter, quòd is qui realem juſtitiam amittit, neceſſariò ſimul amittat *veram* ſapientiam.

Cæterùm præter hæc ſunt etiam innata argumenta ab ipſis rebus deſumenda, quibus eadem veritas probari poſſit. Nam manifeſtum eſt corruptionem *Voluntatis*, rubiginis inſtar, robur exedere, pulchritudinem deturpare & ſplendorem obſcurare *Intellectûs*, naturaliſq; acuminis aciem obtundere. Sed ut paulò explicatiùs rationes quaſdam exponamus cur *Injuſtum* etiam *Inſipientem* eſſe oporteat. Prima eſt, *Impii Cordis Falſimonia*; Secunda verò, *Aſymmetria* ſive *Incongruitas vitioſæ mentis cum divina veritate.* Et quantùm ad priorem, manifeſta ſanè ratio eſt cur ſapientiæ theſauros *Injuſto* committere nolit Deus. Etenim in *falſorum* hominum cuſtodiam ipſi non viſum eſt tradere. Quàm ſolicita ſit hac in re Divina ſapientia & circumſpecta præclarè docet *Siracides*, cap. 4. *Ea quidem primùm cum eo aget obliquè, eiq; metum & formidinem incutiet, & eum ſuâ diſciplinâ torquebit, donec ejus animo fidem habeat. Deinde, ubi eum ſuo jure tentaverit, rurſus rectâ aggredietur viâ, exhilarabitq; & ei arcana ſua deteget, eúmq; ſcientiâ, & Juſtitiæ prudentiâ locupletabit.* Verùm, quòd magnum hunc ac precioſum Theſaurum pollutis & prophanis animis non commiſſura ſit, ipſorum quod jam dixi, in cauſa eſt perfidia, quippe, quum ad abutendum eo adeò ſint proni, hoc eſt, quum aut contempturi ſint eum, ut Porci margaritam, voluptates carnales, Divitias, mundíq; honores, ei præferentes, atq; ſic extinguentes ſordidis ſuis libidinibus pravíſq; cupiditatibus benignam Dei gratiam, à Deo cum condigno contemptu rejiciuntur. (Neq; enim tam vilis ac proſtituta res eſt *Divina Sapientia* ut more impudicæ mulieris in hominum familiaritatem ſe intrudat, verùm ad primum adventum conſpectúmq; Rivalium ſuorum, *Cupiditatis* ſcilicet *Carnis*, *libidinis Oculorum faſtúſq; vitæ*, ſi amicè excipiantur, tanquam correpta increpitáq; ſe ſubducit, multæq; hujuſmodi contumeliæ eam penitus tandem fugabunt; adeò ut cùm illa nos antè quæſitum iverit, eam nunc à nobis quæſitam ægrè ſimus inventuri) Aut ſaltem, tametſi eam non videantur contemnere, & negligere, tamen perfidos ſe demonſtraturi ſint abutendo eâ ad alios uſus quàm ad quos eam Deus deſtinavit. Veluti ſi indè conaremur majorem nobiſmetipſis famam colligere, propriáq; noſtrâ arrogantiâ noſmetipſos oblectaremus, faſtuosè aliis nos præferentes aut ingenii acumine, mentíſq; ſagacitate ad fraudem uteremur ac impoſturam, aut ad ullis patrocinandum malis moribus ſive in nobiſmetipſis ſive in aliis; cùm homo injuſtus, inquam, adeò proclivis eſſet ad tam perfidè abutendum magno hoc Dei dono, indè fit ut *Divina Sapientia* nunquam in falſo illius corde ſit habitatura; verùm illius vice fortuitæ quævis opiniones, quas naturalis ejus propenſio, conſuetudo, educatio, propriæve mentis & Conſcientiæ confuſio promiſcuè in ipſo coacervaverint; quibus, ille tanquam veras amplectens, abutetur tamen, oſtendétq; quàm indignis modis ipſam *Divinam Sapientiam* tractaturus eſſet, ſi quo pacto eam aſſequi poſſet, certè aut ſic aut pejùs, vel potiùs ſeipſum pejùs habiturus eſſet cum illa quàm cum iſtis alteris, ſiquidem ille cibus peſſimus ægrotis eſt, qui rectè valentibus eſt optimus.

Cæterùm præterquam quòd Deus ità apud ſeipſum ſtatuit, cordi ſcilicet impio ſe ſapientiam nunquam conceſſurum, eſt & præterea *incongruitas* quædam, ſi non *incompoſſibilitas* in re ipſa, quò minùs fiat. Homo improbus illius prorſus eſt incapax.

Animalis

Animalis homo non capit ea quæ ſint Spiritûs Dei, quippe quæ ſint ei ſtultitia; nec poteſt ea cognoſcere quia ſpiritualiter dijudicantur. ὁ γὰρ ἂν πώποτε ἴδοιν ὀφθαλμὸς ἥλιον ἡλιοειδὴς μὴ γεγενημένον. *Sol videri ob oculo non poteſt niſi ſolis ſimilitudinem in ſe receperit*, ut loquitur *Plotinus*. Quapropter admodum præpoſterè agimus, dum tantum temporis in κείμενῳ noſtro exercendo impendimus, & tam parùm in illo præparando & adaptando ut meliori cum ſucceſſu eo poſtmodum uti poſſimus. Si oculi infirmi ſint, turbidi & obſcuri, ferè ad cæcitatem uſque, non adeò ſtulti ſumus ut putemus diu, ſæpéve vel multa Objecta intuendo viſum poſſe perfici. Immò verò eum citiùs reddituri ſumus indè pejorem. Sed oculi morbus priùs tollendus eſt, & tunc facilè & uno momento plura videre poterimus quàm antea multis annis potuiſſemus, curtam oculorum aciem laboriosè objectis admovendo; vel potiùs (& quod magìs facit ad rem) talia tunc cernere valebimus, quæ in priori conditione nullo pacto potuiſſemus percipere.

Sic anima humana in ſtatu ſuo corrupto & polluto temerè & inconſultè facit, dum tanta cum curioſitate & anxietate eruendis divinis veritatibus allaborat. Propterea quòd adhuc, læſum eſt illius organum, debétq; priùs fidelis medici peritiæ committi, Chriſti utique, qui humanarum animarum ſanator eſt æquè ac olim eorum corporum; atq; ità reſtitui rurſus in ſtatum illum ſalutis ac ſanitatis (& *Juſtitia* illa animæ *ſanitas* eſt) atq; dein uti ſuâ facultate poſtquam capax ſit recipiendi illud quo objectum cerni poteſt. *In lumine tuo videbimus lucem.* Quòd ſi oculus nullum lumen recipiat, nullum poteſt cernere objectum. Similiter anima ſi nullam à Deo impreſſionem recipiat, nihil *divini* diſpicere poteſt. Eſt enim profectò veriſſimum quòd *ſimile ſimili cognoſcitur*, ac proinde niſi *Imago Dei* in nobis ſit quæ eſt *Juſtitia* veráq; *ſanctitas*, nihil de natura Dei cognoſcimus & conſequenter nihil de eo rectè concludere poſſimus. Nullam enim menſuram habemus quam ipſi applicemus, quippe qui nihil poſſidemus illius naturæ homogeneum, atq; hoc ſolum menſura eſſe poteſt; πᾶν γὰρ τὸ μέτρον συγγενὲς ut loquitur Philoſophus. Poſtquam verò ad Juſtitiam illam pervenerimus Animíve Rectitudinem, per hanc, tanquam per Quadratum *Geometricum*, nos etiam comprehendimus cum omnibus ſanctis, quæ ſit illa *ſpiritualis Latitudo*, *Longitudo*, *Profunditas* & *Sublimitas*, qua de loquitur Apoſtolus. Quod *rectus Angulus* præſtat in Menſurationibus *Mathematicis*, idem præſtat *Animi rectitudo* in concluſionibus *Theologicis*.

3. Et nè momento minorem faciamus hanc ſapientiæ jacturam quàm reverà ſit, ſuperaddimus porrò, Injuſtitiam implicari onerariq; multis morbis & impedimentis quæ *naturali* etiam Scientiæ æquè ac *Divinæ* multùm in hominibus obſtant. Cujuſmodi ſunt *Ira*, *Impatientia*, *Sui ipſius admiratio*, *majórve juſto opinio*. *Admiratio perſonarum*, *puſillanimáve ipſarum nimii Æſtimatio*. *Victoriæ cupiditas magìs quàm veritatis*. *Rebus mundanis nimis arcta adhæſio & attentio*, *ut Divitiis*, *Poteſtati ac Honoribus*. *Immerſio mentis in corpus*, *nobiliſq; illius & divini ignis Animæ per Intemperantiam & Luxuriam extinctio*; cum id genus aliis. Quæ omnia proculdubiò omni generi ſcientiæ tam *Naturalis* quàm *Divinæ* admodum ſunt inimica. Et quantùm ad *Iram* quæ in Diſputationibus apparet, eam judicium occæcare, ab omnibus agnita eſt veritas, quemadmodum & Dicta illa proverbialia teſtantur. *Impedit Ira animum*, &c. & *Ira furor brevis eſt*. Inſania verò & ſapientia unà conſiſtere non poſſunt. Hæc paſſio cùm ad objecta Religioſa fertur *Zelus* dicitur; & Apoſtolus, nequis fortè hac in re erret, ζῆλον πικρὸν, *zelum amarulentum* nuncupat. Verùm hæc inordinata *Ira* ſive in rebus *humanis* ſit ſive *Religioſis*, reverà *turbo* eſt in Anima ſecúmq; cænum, ſtramina, pulverem cunctáq; promiſcuè in Intellectum rapit ſempérq; plùs minùs Judicium occæcat. Quantúmq; impatientia adverſatur ſelectiſſimæ illi naturalis ſcientiæ parti quæ circa Mathematica verſatur, indè conſtet, quòd hæ ſcientiæ aut inveniunt aut faciunt earum alumnos animo manſueto ac tranquillo, ut rectè *Petiſcus* obſervat. Utrùm verò *noſtri ipſorum admiratio*, an *aliarum* perſonarum plus veritati officiat non tam facilè definitur. Quanquam enim procliviores ſumus ad admirandum noſmetipſos, poſſumus tamen minori Conſcientiæ reluctatione alterum admirari, cùm id aliquam Amicitiæ modeſtiæve ſpeciem præ ſe ferat; tametſi utplurimùm, ſi non ſemper, ipſi aliquod clandeſtinum aucupium illìc exerceamus, atq; ſic noſmetipſos in alio admiremur minori cum ſuſpicione ac invidia. Quamobrem via compendioſiſſima, quâ quis abjectè ſordidéq; alterum non admiretur, eſt ut nè nimiùm ineptè admiretur ſeipſum, ſuáſve opiniones majori cum favore æſtimet quàm alienas. Nam difficile admodum erit ut ei, cui *Suiipſius amor* non imponit, ab alio aliquo imponatur, quem ſeipſo meliùs amare non poteſt.

Et quantùm ad *victoriæ cupiditatem*, ſenſus hujus dementiæ eſt, Quòd quis *ſapiens* malit *videri* quàm *eſſe*, gloriámve habere ac *famam* ſapientiæ quàm illius *poſſeſſionem*. Iſq; qui ità affectus eſt, neceſſariò debet ejuſmodi ſequi ſtudia quæ maximè obvia ſunt, maximéq; plauſibilia ac popularia, atq; ità apud *ſapientes ſtultus* evadere, æquè ac *ſapiens* videri apud *ſtultos*.

Et quod *Adhæſionem* ſpectat *rebus mundanis* & *Attentionem*, plures unâ animas in humano corpore eum certè gerere oportet, qui avaris hominibus & ambitioſis ſat otii ſupereſſe tenet, quo aut divinarum rerum aut naturalium multum peritiæ nanciſcantur: Nam conſilia ipſorum de divitiis honoribúſq; acquirendis ineunda, & initorum executio, adeò totam animæ animadverſionem occupabunt, ut unica animadverſiva facultas ambabus provinciis non ſuffecerit. Unde ſanè poſſibile eſt ut illi homines qui iſtiuſmodi inſtitutis ſe non addixerint, ſed in ſapientia ſola exquirenda ſemper ſint occupati, plus intelligant in rebus *naturalibus* ac *divinis* quàm illi qui per longam diligentiam ac induſtriam vel ad ſummum Honorum ac Divitiarum apicem pervenerint. Quæ tamen ſententia eſt, quam nec *Judaici Prælati* olim, nec præſentes *Cardinales* approbant. Quod in cauſa erat, quòd alteri *Chriſtum* tam audacter perſecuti ſunt, alteri præcipuos è Chriſtianis Philoſophis, ut patet in Hiſtoria *Galilæi*.

Poſtremò, Quòd *immerſio mentis in corpus*, *ſenſualitas* & *Intemperantia*, magna ſint ſcientiæ impedimenta, manifeſtiſſimum eſt. Etenim cùm Anima in hoc ſtatu dependeat à *Cerebro* quantùm ad *Imaginationem* & *Memoriam* (ſine quibus nec ulla eſſe poteſt *Intellectio*) æquè atq; ab *Oculis* & *Auribus* quantùm ad *Viſum* & *Auditum*, ſequitur planè, quòd alterato Cerebro & per frequentem Intemperantiam malè affecto, facultas *Intellectûs* pariter deficiat. Nam ſi ipſum Clima Cœlíq; temperies in quo homines nati ſunt & educati tantum momentum habent vel ad *hebetudinem* Ingenii vel *acumen*, quantum ab omnibus habere agnoſcuntur (unde natum illud Diverbium, *Bæoticum ingenium*) cibi certè potúſq; ratio tantundem ſaltem valebit, ſi non multò plus. Conſtátq; frequenti miſeráq; Experientiâ, quàm multi homines qui naturales animi dotes præclaras quidem primùm nacti erant, eas tamen poſtea aut ingluvie ſepeliverint aut ebrietate ſubmerſerint aut exhauſerint libidine. Quæ veritas eſt quæ multò faciliùs intelligi poteſt, quàm condignè deplorari.

4. Satis luculentè jam probatum eſt, Nos *verâ ſapientiâ* ſanáq; mente, per pernicioſam hanc opinionem, *quòd quis juſtus eſſe poteſt quamvis juſtus non ſit ut Chriſtus juſtus erat*, hoc eſt, *reali Juſtitiâ præditus*, certiſſimè defraudari.

Quòd verò omnibus præterea defraudamur *præclaris utilibúſq;* *Actionibus*, æquè eſt manifeſtum. Undénam enim illæ oriri poſſunt niſi ex his duobus fontibus *Juſtitia* ac *Sapientia*? Prior verò hîc deeſſe ſupponitur, unde & alterius jactura manifeſtò demonſtrata eſt. Quapropter humani Generis *Felicitas* ac Beatitudo miſerrimè hîc naufragium patitur.

5. Ac propterea tertiò, Nullum relinquitur Fundamentum *bonæ exiſtimationis* apud homines, ſed ipſorum *ora* aut *ſilentio* claudentur, aut aperientur in *contumeliam*. Nam natura improba operabitur in eis qui *reverà improbi* ſunt, actionéſq; *Injuſtitiæ* in eis, qui nihilominùs ſe è juſtorum numero haberi volunt ob aliam aliquam rationem quàm quòd ità reverà ſint, acerbiùs prolixiúſq; taxabuntur ob id ipſum quod ſe inter pios probóſq; connumerant. Nam delicta eorum qui nullam ſpeciem Religionis præ ſe ferunt nec ſanctitatis nomen affectant, notantur ſolummodò ab iis qui ſancti ſunt, iíq; ſoli indè offenduntur; verùm quando illi qui inter Religioſos recenſentur legem tranſgrediuntur, ipſi etiam impii, qui ſuis peccatis lubenter mutuò connivent, magnoperè ab his offendentur, & elatâ voce in eos invehentur. Nefariis enim ipſorum facinoribus per externum Religionis velamen perrumpentibus, meritò profectò deridentur; ut Aſinus olim à feris ſylvaticis, cùm *incongruentes* illius *aures* per pellem *Leoninam* apparebant, ineptúſq; *ruditus* indolem prodebat *Aſininam*.

6. Hæc *imaginaria Juſtitia* ſpoliat nos etiam *Pace animi* ac *tranquillitate*. Nam qui injuſtè agit, eo ipſo contra *rationem rectam Deiq;* *ſpiritum* rebellat. Is verò qui imaginariè duntaxat juſtus eſt, non poteſt quin injuſtè agat; quippe realis Injuſtitia realem ſuum ſortietur effectum, ut venenoſæ plantæ fructum, ováq; ſerpentes edunt. Quamobrem is qui non niſi imaginariam juſtitiam habet, regnum rebellionis ſecum circumgeſtat, & niſi in mentem reprobam à Deo permiſſus ſit, pax animi ejus ac tranquillitas non poteſt non perturbari. Etenim *rationalis* profectò *Anima* hominis non eſt ità prorſus ab omni virtute ac bonitate alienata, immò verò ea inter ipſas intercedit congruitas & *connaturalitas*, ut perquam difficile ſit antiquum illud

inter

inter ipsas fœdus omnino dissolvere. Virtus enim, quod dixi, *naturalis* est Animæ, Vitium verò & Improbitas *extranea* & *adventitia*. Alioqui cur emundatio Animæ purgatio illius dicatur? Purgatio enim est ἀφαίρεσις ἀλλοτρίου παντὸς, *Alieni omnis ablatio*, quemadmodum *Platonici* definiunt. Ac propterea cùm virtus *naturalis* Animæ sit, consentaneum est eam illic meliùs radicatam statuere, quàm ut derepentè imaginatione quâvis vel opinione penitùs extirpari possit, sensúsve illius ità facilè deleri. Ac poinde cùm ibi maneat, homóq; interim juxta præternaturalem aliquam & irrationalem in quam fortè fortunâ inciderit, opinionem agat, contra nobilem hunc & innatum Animæ sensum, necesse est eum indè vulnerari & inquietari.

7. *Divinum Gaudium Animæq; Exultatio* tollitur. Quid enim est *Gaudium* & *Exultatio* nisi plenior ac facilior cujusvis Naturæ juxta *propria sua Principia* Operatio? Ut in Flamma, postquam per fumum crudáq; lignorum suffocationes in magìs liberam activitatem, magísq; incohibiles sui splendoris luminísq; vibrationes se expediverit. Et certè Anima suam propriam libertatem, virtutem, facilémq; Activitatem ac naturalem Complacentiam, postquam semel è variis Carnis mundíq; oneribus ac impedimentis in Divinam illam flammam eruperit, in spiritu Justitiæ invenit, adeóq; illud sentit, quod se suámq; felicitatem maximè omnium perficit, quódq; ipsi meliùs congruit quàm ulla unquam res cujus sensum hactenus perceperit. Quod iterum indicium est, hoc Animæ maximè esse *naturale*, quandoquidem ipsius sensus hoc maximè oblectatur eóq; acquiescit. Et inter summa illa Gaudia in tam immenso bono fruendo quid opportuniùs præstare potest quàm perceptas suas voluptates in affectuosis hujusmodi animi ejaculationibus efflare? *Gaudete in Domino semper, & iterum dicam gaudete.* Et cum *Psalmista, Ovate justi in Jehovah, probos decet Laudatio.*

8. *Sanitatem* autem & *Incolumitatem*, subst ituendo *meram Imaginationem* pro *reali Justitia* tolli manifestum est. Etenim si Legis observatio, *sanitas sit umbilico & medulla ossibus*, ut loquitur Sapiens, quid aliud futura est Injustitia nisi carcinoma in carne & ossibus putredo? Et si illud Apostoli verum sit, *Ecquis verò est qui vos lædat si bonitatis imitatores sitis*, quid demum damni aut periculi est in quod incidere non possitis, si illi quod malum est adhæresc itis? Proverb. 3. 8. 1 Pet. 3. 13.

9. Quemadmodum verò *sanitate* privamur & *incolumitate* in hac vita, ità etiam æternâ futuræ vitæ per dolum hunc & impostu ram, quâ nosmetipsos circumvenimus, felicitate fraudamur. Nam ut ea argumenta prætermittam quæ ex ipsa rei ratione ducuntur, quàm incompetens animæ injustæ cœlum sit & incongruens, ipsæ sacræ Paginæ manifestum perhibent testimonium. *Nulla enim res immunda intrabit in sanctam Civitatem.* Et 1 Cor. 6. 9. *An vos latet injustos Regnum Dei non esse adepturos? Nè errate, nec impudici, nec Idololatræ, nec Adulteri, nec molles, nec cinœdi, nec fures, nec avari, nec ebriosi, nec convitiatores, nec rapaces regnum Dei consequentur.* Et Hebr. 12. 14. *Pacem cum omnibus persequimini, & sanctitatem sine qua nemo Dominum videbit.* Atq; sic videmus totam hominis felicitatem realémq; beatitudinem per pernicios am hanc Imaginationem, *quòd quis aliter justus esse posset quàm per veram vivámq; Justitiam*, subverti funditùs & dissipari.

10. Atq; æquè porrò planum est hanc Impostu ram *Deum suâ gloriâ spoliare* ac hominem privare suâ felicitate. Etenim sive per Dei *Gloriam imaginem Dei* intelligimus hominibus communicabilem, quemadmodum *Imago*, hoc est, *Lux Solis*, gloria Solis est, sive agnitionem illius excellentiæ & perfectionis, quæ est in Deo, profundè primùm in cordibus nostris conceptam & plenè dein ac liberè ore prolatam, ambo hæc proculdubio per falsam hanc opinionem tolluntur. Et de priori quidem nullum est dubium, propterea quòd *Spiritus Justitiæ* est *ipsa Dei gloria* sive *Imago Christi*. Ac proinde quodcunq; hanc intercipit, reverà Dei gloriam obscurat. Et æquè verum est de altero. Quippe quòd, cùm locupletissimæ pretiosissimæq; excellentiæ Divinæ Naturæ ab anima detegi non possint quantum oportet nisi ipsa evadat Divina (εἰ γένοιτο τοῦτο καὶ ἔσῃ ἀνὴρ, *Si hoc ipsum feceris tum demum illud videbis*, quemadmodum *Plotinus* loquitur) necessariò sequitur nullam animam eas condignè admirari posse & extollere nisi quæ sit Divina, hoc est, quæ talis sit, in quam Deus *spiritum justitiæ* veræq; sanctitatis effuderit sine qua impossibile est Deum videre.

Quibus omnibus, quæ particulatim exposuimus, ad unumquemq; *privatum* hominem pertinentibus addere porrò potes ingentem damnorum summam ad *Publicum* etiam spectantium. Quæ enim pax fidésq; servari potest inter homines ubi professum Religionis Mysterium Realis Justitiæ est explosio? Quídve in illius locum substitui

ſtitui poteſt niſi Fraus & falſimonia, impuræ Libidines, Factiones furioſæ, Tumultus barbari, & cruentæ Rebelliones? Quibus ſuperadjicere potes ipſam ſpei noſtræ jacturam quòd mundus unquam melior ſit evaſurus, quódve ſancta Dei promiſſa ſuum unquam ſortitura ſint effectum. Neq; enim crudelius telum eſt aut immanius ad Teſtes occidendos nec inexpugnabilius *Fortalitium* contra Regni Chriſti adventum, millennémq; Beatitudinem, (quàm multi boni fideléſq; Chriſtiani expectant) quàm hæc ex *Inferno* genita Doctrina *Antinomorum*.

CAP. XII.

1. *De* attentione ad Lumen intra nos, *de quo* Spirituales *quidam tantoperè gloriantur.* 2. *Oportere eos per illud, Lumen Rationis & Conſcientiæ intelligere, niſi* Fanatici *ſint*, Maniaci *aut* Impoſtores. *Quódq; hæc Conſcientia neceſſariò informationem accipit ab extrà.* 3. *Et particulatim à ſacris Scripturis.* 4. Spirituales *hoſce ſuæ opinionis ineptiam per praxes ipſi contrarias prodere.* 5. *Provocatio ad* Lumen intra ipſos *ſi Chriſtiana Religio ſecundùm ſenſum* Literalem *non eſt vera.* 6. *Operationem* Divini Spiritûs *non abſolutè fieri ſed reſtrictè ad certas quaſdem leges & conditiones quemadmodum fit in* Spiritu Naturæ. 7. Quarta Potentia Evangelica, Exemplum *utiq; Chriſti.* 8. *Propoſitum Autoris de vindicando* Exemplo *Chriſti ab aſperſis maculis, unà cum illius rei ratione.*

1. TRes primas Evangelii *virtutes* ſive *Potentias* jam expedivimus: Quarum trium poſtrema, *Promiſſio* ſcilicet *Spiritûs*, tam ſufficiens quibuſdam videri poteſt, ſine omni additamento (quemadmodum & aliis, ſat ſcio, ſic videtur) ut ex profeſſo hîc requiem ſuam ponant, excludántq; aut ſaltem negligant omnem illam utilitatem quæ ex *hiſtoria* Chriſti redundat, atq; eo ipſo Chriſtianam abrogant Religionem. Hi ſunt præſignes illi *Spirituales* qui de *lumine intra ſe*, de *vi ac impetu intra ſe* tam magnificè loquuntur, fuſéq; gloriantur ſe nullius rei externæ indigere quâ regantur & ſuffulciantur, ſed per ſe progredi poſſe abſq; omni externo adminiculo. Nam modò ſtrictè *lumen intra ſe* obſervent, virtutem Dei *Spiritúmq; Dei* ipſis opitulaturum eſſe, eóſq; in omnem veritatem deducturum. Nec poſſum profectò quin aſſenſum præbeam his quæ declarant. Nam pro certo ſcio hoc veriſſimum eſſe, modò affectatas ſermonis formas abjicere vellent & expreſſis terminis rem definire, Quòd ſtricta ſinceráq; Obedientia Dictatis Rationis & Conſcientiæ, perpetuáq; ſui ipſorum abnegatio in hujuſmodi rebus quas aut noverint aut ſuſpicentur malas eſſe, unà cum piis interpellationibus ad Thronum Gratiæ pro aſſiſtentia & illuminatione *Spiritûs ſancti* ad detegendum devincendúmq; omnem errorem, falſitatem, ſuperbiam, & Hypocriſin quæ in cordibus ipſorum latere poſſunt; pro certo, inquam, ſcio, quòd hæc *diſpenſatio*, ſi quis illi ſe fidelem ac morigerum præſtiterit, ducet tandem in omnem ſalutarem veritatem; quódq; fieri non poteſt quin qui ſic ſe geſſerit futurus ſit ſenſu maximè ſolido plenóq; *Chriſtianus*, ad eorum utiq; formam qui Chriſto firmiter in primis puriſſimíſq; ſeculis Eccleſiæ adhærebant. Quòd ſi præfervidam quamlibet effrænémq; Imaginationem aut violentam & irrationabilem ſuggeſtionem *Lumen quod intra ſe eſt*, appellitabunt, illúdq; ſequentur, hoc non eſt religioſè ſanctéq; *Rationem* ac *Conſcientiam* obſervare, ſed in ſenſum reprobum tradi, ſéq; ipſos omnibus exponere tentationibus quibus aut *Diabolus* aut *Libido* propria ſordidáve *Melancholia* eos poteſt illaqueare.

2. Quamobrem per *lumen illud intra ipſos* intelligere eos oportet Conſcientiam in ipſis *rationalem* & *intelligibilem*, aut certè perfectos *Fanaticos* vel *Maniacos* haberi, vel quod adhuc pejus eſt, *Planos* meros ac *Impoſtores*, qui Conſcientiam prætendentes ſed irrationalem & ad nullam Legem expendendam, libertatem hoc pacto ſibi aſciſcere volunt faciendi quodcunq; ipſis placuerit, ut qui toti tandem effuſi ſint ſolutíq; in furorem ac libidinem.

Et tum deniq; hæc Conſcientia *intra ipſos*, res ità omnino *intra ipſos* non eſt ut nullam accipiat informationem ab eis quæ *extrà* ſunt. Etenim manifeſtum eſt quòd hæc *Dei lampas* quæ in nobis ardet, ab Objectis externis alitur nutritúrque. *Nam inaſpectabilia Dei, cujuſmodi eſt ejus ſempiterna Potentia ac Divinitas ex mundi Creatione, dum conſiderantur per opera, ſatis clarè perſpiciuntur*, æternæ utiq; Dei virtutes

virtutes per effecta externa. Et quemadmodum per *externum librum Naturæ* de existentia Dei erudimur, déq; ejus *generali* Providentia quantum spectat ad vitæ necessaria tum *hominum* tum *brutorum*; ità etiam possumus per *externa Scripta* vel monumenta de magis *speciali* ejus Providentia erga filios hominum, quantùm ad statum in mundo altero, æternámq; vitam in Christo manifestatam pleniùs informari. Verùm interim concedo *Lumen illud* esse *intra nos*, quod post perlecta hæc sive *Naturæ* sive *Divinæ Revelationis* volumina judicat concludítque.

3. Cæterùm, ut is qui ad res *Mathematicas*, *Architecturam*, *Agriculturam*, *Hortorum cultum* & similia, animum adjicit, si ex inepta opinione quòd *lumen ratióq; intra nos* solummodò sint & *non extrà* (ut certè nec atramentum nec charta nec ambo simul conjuncta lumen ac rationem magis participant quàm sensum vitámq;) scriptis nolit uti *Euclidis* putà ad res *Mathematicas*, nec alius cujuslibet autoris qui de hujusmodi rebus scripserit, & sic de reliquis quas nominavi facultatibus, nec sermones cum quoquam serere oculósve conjicere in ea opera quæ fecerint, sed apud seipsum tantummodo cogitare, & ad propriæ lucernæ lumen otiosus domi sedere, misellus futurus est *Mathematicus*, *Architectus*, *Hortulanus*, aut *Agricola*: ità certè quantùm ad *Morales Divinásq;* veritates, is qui sic à seipso doceri vult ut nullis adminiculis externis sit usurus, talibus præsertim quæ *sacræ Scripturæ* suppeditant, invenietur tandem discipulus fuisse admodum stolidi & imperfecti Magistri.

4. Præterea, hi homines sibi ipsis per usus suos ac consuetudines contradicunt. Nam & illud vilificant per quod edocti sunt, ipsásq; loquendi formas retinent quas è Scriptura didicissent, nec sciunt sanè absq; Scripturarum vocabulis loqui, ullámve speciem probam Religionis præ se ferre sine allusionibus ad Scripturas; Grandéq; illud documentum tam sanctè *observandi lumen illud quod intra nos est*, mutuati sunt ex Evangelio *Johannis*: & tamen tam vesani sunt ac morosi ut ipsum baculum sine quo nè unum quidem gressum facere possunt in Religione, vellent abjicere. Ad hæc, si hoc *lumen intra nos* tam præcisè *intra nos* sit ut nullâ informatione indigeat *ab extrà*, cur illi tot libellos scriptitant? Catechismos concinnant? tótq; publicant Vaticinia? Cur exhortantur, redarguunt, imò verò convitiantur rixantúrq; adversos homines quò eos convertant, si illud quod *extrà est* ad id quod *intrà est* non pertingat? Cúrve unà congregantur ad audiendum unum aliquem è cœtu suo (postquam in Ecstasin lapsus sit rursúsq; in pedes erectus) ex turbato suo pectore oracula dictantem? Verba enim quæ audiunt *extrà* sunt aurémq; verberant, non sunt lumen quod est *intrà*; unde manifestum quòd lumen quod *intrà* est informari potest ab eo quod est *extrà*, sive id vox sit, sive scriptum: Quod si sit, Obligatio planè injicitur huic lumini quod *intrà* est ità consideratum esse, ut quàm accuratissimam potest, informationem ab eo quærat, quòd verisimillimum sit, ipsum informare posse ab *extrá*.

5. Ac proinde omni cum diligentia examinare tenentur maximè veneranda *Religionis* monumenta & præsertim illius Religionis sub qua non solùm nati sunt, sed quæ ex se absolutè & simpliciter nobilissima est Religio quæ unquam extitit. Quam propterea nulli nisi qui ab omni omnino Religione alieni sunt, utpote qui totos se libidini ac prophanitati dediderint, absq; examinatione ausint relinquere; Et certè si eam examinare velint, Religionem intelligo Christianam (quatenus ad *personam* Christi refertur, qui *Hierosolymis* inter duos latrones crucifixus est resurrexítq; è mortuis die tertio, qui ascendit visibiliter in cœlos, rursúsq; visibili modo redibit ad judicandum vivos & mortuos) ad *lumen hoc intra ipsos* provoco, ad rationem ipsorum ac conscientiam, ídq; vel versutissimorum inter ipsos Impostorum, aliorúmve quorumcunq; quos socios sibi ascíscant, si evidentia hujus Religionis è vaticiniis, Historia, ex ipsáq; ejusdem Religionis Natura non talis est, quam nihil nisi ignorantia veri illius sensûs rectíq; scopi impedire possit quò minùs certissima agnoscatur veritas à quibuslibet hominibus, præterquam ab eis qui malè metuunt nè ulla Religio quæ ad sanctitatem ducit quicquámve promittit post hanc vitam, inveniatur vera.

6. Quantùm ad objectionem illam ab insigni vi *Divini Spiritûs* desumptam, quasi ea ex se adeò sufficiens esset ut fides in ea, ab eáq; profecta auxilia omnem anticiparent mentionem usúmq; alius cujuslibet *Potentiæ* qua videatur conducere ad finem Evangelii, animarum utiq; nostrarum sanctificationem; ad hoc respondeo; Qui ad hunc modum ratiocinantur, eos omnino errare nescientes Scripturas. Etenim hæc *Potentia Spiritûs* quæ credentibus communicatur, non est vis absoluta atq; omnipotens cúi nec resisti potest nec quæ potest frustrari, ubi debita scilicet media desunt peritæq; accommodationes quæ cum ipsius concurrant operationibus conatibúsve

búſve ad operandum. Verùm hujus conditio ab eo quadantenus illuſtrari poteſt quod obſervatur in *Spiritu Naturæ*, celeberrimo illo omnium naturalium Generationum Incrementorum ac Perfectionum Principio. In quo nimirum *Hypothetica* quædam *Omnipotentia* eſt quantùm ad *Naturæ* opera; hoc eſt, *hic Spiritus* nunquam committet ut defuturus ſit promovendis perficiendíſq; ſingulis modò hæ vel illæ Circumſtantiæ in Agentibus corporeis non deſint. Ità prorſus ſe res habet in *Divino Spiritu* ſive *Spiritu ſancto* quatenus eſt nobis communicabilis, aſſiſtet pro certo finiétq; opera ſua ſi ex noſtra parte nullum ſit impedimentum, quod nos oporteat amoliri de via, nec defectus alicujus rei quâ nos uti poſſumus ad promovendam fidem noſtram & ad ſanctitatem vitæ perficiendam; cujuſmodi ſunt meditationes ſuper ſacris Scripturis, Colloquia cum viris ſanctis reíq; Chriſtianæ gnaris & expertis, ac ſubmiſſus religioſúſq; uſus omnium Inſtitutorum Chriſti. Nam tametſi hæc *aſſiſtentia Spiritûs* ſupra quàm dici poteſt, efficax ſit ſincero ac diligenti, in negligenti tamen, quod dixi, & perverſo, conatus ejus fruſtrantur & eluduntur. Atq; ea propter *Stephanus* ad hunc ſenſum cum *Judæis* expoſtulat, *Duri cervice & incircumciſi corde & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto obnitimini.* Atq; aliis in locis monemur, *non contriſtare Spiritum, nec Spiritum extinguere.* Quæ locutiones planè demonſtrant communicationem *Spiritûs* non eſſe abſolutam nec omnipotentem, ſed juxta quaſdam leges viáſq; à Deo ipſo ordinatas recipi; Qui pro ſua infinita ſapientia iſtiuſmodi Methodum in Religione Chriſtiana delineavit, quæ maximè accommodata ſit ad lucrifaciendas animas ſibi. Cujus quidem partem jam audivimus, pergemúſq; nunc porrò ad *quatuor* ultimas Evangelii *Potentias* quæ ſummoperè operationi *Spiritûs* in corda omnium verè credentium, inſerviunt.

Act. 7. 51.

Epheſ 4.30. 1 *Theſ.* 5. 19.

7. Harum verò prima eſt *Exemplum* ſemper-beati Servatoris, qui non alia nobis dedit præcepta quàm quorum ipſe accuratiſſimum eſſet exemplar, taléq; adeò *exemplar vitæ*, hoc eſt, *Fidei in Deum, Humilitatis, Amoris ac Puritatis*, ut illius veſtigiis inſiſtentes minimè dubitare poſſimus an rectâ incedamus viâ, quippe qui per voces de cœlo, pérq; ſua in terris miracula demonſtratus ſit ac declaratus unigenitus filius Dei. Quapropter quò propiùs ad illius ſemitam greſſus noſtros dirigimus, eò ſumus certiores quòd ſuper ſolo ſolido ambulamus. Ut prætermittam eum Dominum noſtrum eſſe ac Principem, ac naturalem proinde Ingenuitatem urgere nos oportere ad ſic inſtituendas vitas noſtras, quemadmodum illius moribus maximè conveniat. Ipſéq; hoc expreſſim requirit tanquam certiſſimum amoris noſtri ac fidelitatis erga eum teſtimonium. *Si diligitis me mandata mea ſervate.* Quorum præcipuum eſt illud, *Sicut ego dilexi vos ut vos etiam diligatis alii alios.* Ità diſcipulis dat exemplum *Humilitatis* erga ſe invicem, ex eo quòd ipſe pedes eorum laviſſet. *Si igitur ego vobis & Dominus & magiſter pedes lavi, vos quoq; debetis alii aliorum lavare pedes. Exemplum enim præbui vobis, ut quemadmodum ego vobis feci vos quoq; faciatis.* Johan. 13. Et Matth. 11. *Subite jugum meum, & à me diſcite qui mitis ſum & animo ſubmiſſus, & invenietis animis veſtris requiem.*

Johan. 14.15. *Johan.* 13.34.

8. Cæterùm nou opus eſt ut huic argumento inſiſtam, cùm in ſecunda parte *Tractatûs* ſatìs fusè oſtenderim, totam Chriſti Hiſtoriam, omnes ejus actiones, mores ac res geſtas, ad commendandam nobis *Divinam vitam* quàm efficaciſſimè tendere. Arripiemus tantùm hoc loco opportunitatem abſtergendi iſtiuſmodi maculas quibus fœdus ac inſalubris halitus blaſphemorum quorundam labiorum ſive olim ſeu nuper conatus ſit Divinum hoc perfectionis ſpeculum contaminare. Quod non ſolum indiſpenſabile fidelitatis officium erit erga perſonam Servatoris, ſed egregium etiam ſuis ſectatoribus corroboramentum: præſertim poſtquam addiderimus Paralleliſmum iſtiuſmodi accuſationum & calumniarum in ipſos, quæ maximè affines ſint earum quæ ipſi Servatori ſunt inuſtæ. Nam & ipſe prædixit olim quid eventurum eſſet, *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, neq; ſervus ſupra dominum ſuum. Si patremfamilias* Beelzebulem *vocârunt, quantò magis ejus domeſticos?* Verùm quàm injuſtæ ſint calumniæ ſive contra ipſum *Servatorem* ſive ejus *Sectatores* nunc tandem videbimus.

Matth. 10.25.

CAP.

CAP. XIII.

1. *Chriſtum non blaſphemâſſe declarando ſeipſum Dei filium.* 2. *Nec fuiſſe Magum ex eo quòd ejecit dæmonia.* 3. *Injuſtè eum inſimulatum fuiſſe profanitatis.* 4. *Nihil deteſtabile fuiſſe in ejus* Neutralitate *quantùm ad factiones Politicas.* 5. *Nec ullam Injuſtitiam partiúmve ſtudium in eo inventum.* 6. *Severam ejus reprehenſionem* Phariſæorum *non rectè poſſe convitium appellari.* 7. *Nec è Templo Nundinatorum efflagellationem* Zelum tumultuarium. 8. *Nec horrendum Ejulationem in* Paſſione, *impatientiæ vel Deſperationi rectè imputari.* 9. *Dementiæ mentiſve alienationis ſuſpicio diluta.* 10. *Vindicatio à Prodigalitatis calumnia Moriſq; diſſoluti.* 11. *Curva ac perverſa* Phariſæorum *Natura notata, cum Servatoris defenſione quòd cum quibuſlibet hominibus promiſcuè converſaretur.* 12. *Chriſtum ſui-quæſitorem non fuiſſe in ſubeundo mortem crucis ob lætitiam ſibi propoſitam.*

1. CUjus quidem penſi pars prior quamvìs ſupervacanea videri poſſit ſi non ridicula apud *Chriſtianos*, qui nullas pravas cogitationes de perſona illa fovere poſſunt quam jure meritò colunt, nihilominùs tamen cùm non omnes qui in Chriſtianis Rebus-publicis Regníſve degunt, nè ullo quidem ſenſu, *animitùs* ſunt Chriſtiani, ad hos convincendos, ſi fieri poſſet, de excellentia Chriſti, vel ſaltem ad vaniloqua ora faciliùs obturanda nè temerè in poſterum ac imperitè judicent, non abs re fore puto *Poſtulationem Libellúmve delatorium* contra innocentem & immaculatum Agnum, *Chriſtum Jeſum*, per malignos inſulſóſq; homines exhibitum recitare, in hunc ſolummodò finem ut is quem illi tam indignè detulerunt æquè honorificè dimitti poſſit & abſolvi. *Ut innocentia ejus luce evidentior, jus ejus meridie clarius effulgeat.* Pſal. 37. 6.

Atq; hîc ſanè ut ſatìs altè in ipſo Principio inſurgere poſſint ſatíſq; profundè ictum infligere, uſq; ad condignam vitæ privationem; 1. *Blaſphemia* in fronte libelli ponitur, ut majorem ſpeciem robúrq; ſubſequentibus accuſationibus ſuppeditet.

2. *Exorciſmi* dein *Magici & tranſactiones cum Diabolo.*
3. *Sabbati profanatio.*
4. *Neutralitas*, ſive, *tepida in controverſiis publicis indifferentia.*
5. *Injuſtitia.*
6. *Convitia.*
7. *Zelus tumultuarius & injurioſus.*
8. *Impatientia & Deſperatio.*
9. *Mentis alienatio ſive inſania.*
10. *Luxuries vitáq; diſſoluta.*
11. *Profuſio ac Prodigalitas.*
12. *Ambitio* deniq; *& ſuiipſius quæſitio.*

Hæc ſunt diſtincta illa ſimeta è quibus impii ac perverſi homines ſtercus effodere tantoperè contendunt, quod in illius faciem conjiciant, qui perfectum erat exemplar *Divinæ Puritatis ac Juſtitiæ.* Verùm in ſingulis his ſordium puteis, maligno huic operi, quàm certatim velint, iſti inſudent, haud difficulter inveniemus quo omne id quod objiciant pari celeritate abſtergere poſſimus atq; illi poſſunt offundere.

Et videamus primò, quomodo ſe gerant, quídve poſſint in prima cauſa efficere, quæ eſt de *Blaſphemia.* Johan. 10. Ex eò quòd Deum declarat patrem ſuum ſéq; cum Patre unum eſſe, furioſè illîc poſtulatur *Blaſphemiæ*, propéq; factum erat ut lapidaretur. Et *Johan.* 8. Illîc etiam eum lapidaturi erant ob id ſolum quòd dixerit *ſe fuiſſe ante Abrahamum.* Et Matth. 9. 3. Hîc iterum accuſatur blaſphemiæ ob id dictum, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Atq; hîc quidem in prima hac accuſatione de *facto* conſtat. Chriſtus confitetur *ſe unum eſſe cum Deo, ſe Dei filium eſſe, poteſtatem habere remittendi peccata, & fuiſſe ante Abrahamum.* Verùm id omnino negatur, Chriſtum in ullo horum dictorum *blaſphemâſſe.*

Primò, enim, perpende ipſa verba Chriſti. *Ego & Pater unum ſumus.* Quàm ſine omni ratione ac ſequela inſulſi hi ac protervi verborum illius perverſores, quem ob bonos mores doctrinámq; tanto odio proſequebantur, ab illo dicto deducunt,

[*Ego & Pater unum sumus*] *quòd hic cùm homo esset seipsum Deum faceret?* Etenim æquè pueriliter ineptéq; ab eis illinc infertur, quòd seipsum Deum faceret, quàm si *corpus* ipsam *Animam* esse concluderent quia *corpus* & *Anima* unum sunt, hoc est, unus homo. Nec major falsitas est multóq; minus *Blasphemia*, si *Humanitas Christi* (qui tam realiter ac vitaliter actuatus, informatus, unitúsq; erat cum Deo quàm ipsum corpus cum Anima) de seipso pronunciet, quasi reverà Deus esset, quàm cùm lingua dicit, *Ego intelligo, Ego credo, Ego percipio*, cùm tamen nec *corpus* nec *ipsa* credat, percipiat, intelligátve quicquam, sed *Anima* sola cum qua tam intimè unitur, & de qua id quod lingua enunciat in istiusmodi locis est intelligendum.

Et certè si hoc observatè curioséq; animadvertatur admittatúrque, nec alterum illud Christi dictum, quòd utiq; ante *Abrahamum* extiterit, invenietur *Blasphemia*. Christus enim propter suam tam intimam unionem essentialémq; Conjunctionem cum Deo, quam *Athanasius* unioni corporis ac animæ rectè assimilat, æquè propriè potest & naturaliter profiteri seipsum ante *Abrahamum* extitisse, immò verò ante mundum conditum quàm lingua hominis effari, *Ego post hujus mei corporis mortem ero superstes*. In quo nihil sensûs incongrui subest, juxta maximè sobriorum hominum sententiam. Verùm præterea, id quod occæcati *Judæi* minimè intelligebant, quippe suæ particularis Religionis & irregeneratæ naturæ nubilis & crassitudine obnupti; Christus aliquando de seipso sub notione *Divinæ cujusdam vitæ* & *Unctionis* loquitur, quæ filiis hominum communicatur per omnia secula ac loca. Quamobrem hic sensus est, Quòd scilicet cùm Religio *Judaica*, Topicáq; ac temporaria Sanctitas longiùs non inceperit quàm usq; ab *Abrahamo*, illa certè Christi quam is mundo adeò ad plenum exhibuit, verè universalis esset & quoad tempus & quoad locum. *Lux quæ illuminat omnem hominem venientem in Mundum. Æterna Dei sapientia quæ in omnibus seculis, eos qui eam receperint, Dei amicos effecit ac Prophetas.* Sapient. 7. 27.

Nec mirum est quòd *Divini homines* pro altiori magísq; intima sua unione cum Divinitate sensum quasi perdant, ac memoriam particularium suarum *Personalitatum*, déq; seipsis secundùm eas res potiùs quibuscum tam vividè uniantur, quàm secundùm corporeas suas, evanidas, circumscriptásq; personas pronuncient.

Jam verò cùm *Blasphemia* non sit prout planè liquet, admittere, quòd quis tam vitaliter actuari possit uniríq; cum Deo, in quo si ullibi Dei mentem habitare oportet; quis magis cum ratione censeri potest peccata posse remittere quàm talis támve manifestus Propheta quàm Servator seipsum declaravit per signa & miracula apud populum facta? Verùm Servator ipse tam præclarè pro seipso respondit & ad conditionem suorum opponentium tam appositè, ut postquam responsum ejus recitave-
Joh.10.34,35. rimus, huic primæ Accusationi factum erit plùs satís. *Nonne scriptum est in Lege vestra, Ego vos Deos appellavi? Si illos appellavit Deos ad quos Dei sermo habitus est, nec scriptum rescindi potest; vos me, quem pater consecravit & in orbem misit, impiè loqui dicitis, quòd me Dei filium esse dixerim? Si patre meo digna non facio, mihi nè credite. Sin facio, si mihi minùs creditis, at factis credite ut & patrem in me & me in eo esse cognoscatis & credatis.* Et sanè vel primo aspectu pulchra hæc est, coram æquo quovis judice, atq; honesta oratio, quòd Servator utiq; tantum aberat à *Blasphemia*, ut quantùm ad vitam *sanctus* esset, vel potiùs omnis *sanctitatis exemplar* ac *Archetypum*; quantùm ad miracula, *Potentia Dei*; quantúmq; ad *Naturam* ac Relationem, *Filius Dei* in sensu tuto, scripturali, ac *Judaico*, nè humili ipsorum captui per altiores ac difficiliores sententias negotium faceßamus. Quæ tamen sententiæ non tam difficiles sunt quàm veræ; scriptísq; Apostolorum & Evangelistarum judicibus constitutis (quos Christianum unumquemq; oportet appellare) Divinitatem ad Christum realiter & essentialiter, non titulariter pertinere, (ut quæ æquè necessariò in formali ratione illius Naturæ includitur atq; anguli tres in notione Trianguli) apud homines nullo præjudicio laborantes facilè profectò probatum iri confido. Et certè quantùm ad me, equidem eos homines qui de Christi Divinitate tantas turbas cient (cùm tamen se velint & appellari & existimari Christianos) reatu absolvere non possum, non solùm quidem summæ imprudentiæ & temeritatis, sed & admodum grandis erroris in Christianitate.

Quin & ipsi *Judæi*, quibus magnum hoc Mysterium Coalitionis Dei atq; hominis in unam personam nondum innotuerat, admodum perversè tamen agebant interpretando verba Christi in talem sensum quem illi confidenter appellare possent *blasphemiam*, cùm ea interpretari potuissent sensu tali qui cum suæ ipsorum fidei tenore magis conveniret. In hoc inquam, insignis erat eorum *malitia*, quòd vulgarem candidámq; interpretationem illius dicto adhibere noluerint, cujus tamen opera

&

& actiones tam miraculosæ erant ac Divinæ, cujúsq; vita tam plena *Benignitate* ac *Innocentiâ*.

2. Verùm ea erat hujus stupidæ Nationis perversitas, ut illæ etiam res quæ promptam sui *Messiæ* agnitionem ab ipsis prolicere debuissent, eos reddiderint magìs obstinatos; minúsq; *amicos* illi præbere putârunt se oportere, quòd ipse *inimicus* esset *Diabolo*; eúmq; *Conspiratorem* contra *Deum* censuerunt, cujus tamen studium erat ac institutum *Satanam* ex *Hospitio*, ubicunq; eum invenerit nidulantem, *exturbare*.

In secunda igitur Accusatione omni opere enituntur Christum Mundo repræsentare tanquam *Magum*, *hominémq; qui pactum inierit cum Diabolo*, Matth. 12. 22. ubi postquam populus multùm consternatus erat ex magno illo Miraculo quod *Jesus* fecerat in sanando *Dæmoniaco*, cæco, & muto, adeò ut apud seipsos inceperint cogitare, quòd facilè fieri posset ut hic reverà esset *Messias*; impii invidíq; *Pharisæi* statim eum impudentissimè calumniantur, dicentes, *Iste non ejicit Dæmonia nisi per Beelzebulem Principem Dæmoniorum*. Responsum verò Christi ad tam immanem calumniam æquè solidum est atq; placidum & benignum.

Omne Regnum à seſe dissidens desolatur; & omnis Civitas aut Familia secum ipsa dissidens non stat. Quòd si Satanas Satanam expellit, ipse sibi adversatur. Quî fieri potest igitur ut stet ejus regnum? Quòd si ego per Beelzebulem ejicio Dæmonia, vestri generis homines per quem ejiciunt? Itaq; ii erunt vestri Judices. Sin ego per Dei Spiritum ejicio Dæmonia, &c. Equidem hîc seipsum purgat per duo præstantissima argumenta. Primùm supponit Diabolos tam sapientes esse tantósq; sui amatores ut & noverint conservare & *conservandæ* operam dare voluerint propriæ suæ *Reipublicæ* ac *Potestati*. Quòd si Christo facultatem darent ejiciendi consocios Diabolos, initium hoc planè esset seditionis ac dissidii cladémq; ipsorum Politiæ portenderet. Nec cum ratione suspicari quis potest, Christum adeò intimum cum tenebrarum Principibus fuisse conspiratorem, eáve apud ipsos familiaritate valuisse ac gratiâ, ut hoc factum sit per collusionem inter ipsum ac Diabolos ut in alia aliqua re Dei regnum faciliùs pleniúsq; possit subvertere. Etenim nihil excogitari potest magìs contrarium Diabolorum tum *Rei* tum *Naturæ*, quàm illa vita quam Christus dictis factísq; mundo commendavit. Ut mittam *cultûs spiritualis* præceptionem, qui *Paganismum Dæmonúmq; cultum* funditùs evertit. Ac proinde eò perversiùs à *Pharisæis* factum est quòd hoc miraculum *Diaboli* potiùs *potestati*, quàm *Spiritui Dei* imputarent, præsertim (quod est secundum argumentum) cùm ipsi filios suos ac discipulos per nullam malam artem, sed per virtutem Dei Dæmonia ejicere existimarent, quemadmodum multi scriptores testificantur, & *Judæos* & *Ægyptios*, spiritus impuros propalam ejecisse adjurando ipsos per nomen Dei *Abrahami*, *Isaaci*, & *Jacobi*, & aliquando per nomen τελεσγεγράμμενον, ᾧ τῇ ὀνόματι τῇ ὄντι θεῷ, hoc est, per nomen *Jehovæ*, ut *Theophilus* testatur.

Joh. 4. 23, 24.

Ad Autolycum lib. 2.

3. Tertium crimen est *Prophanitas*, Sabbatíq; violatio, Luc. 6. Ubi *Jesus cum discipulis iter per sata facientes, spicas vellunt manibúsq; confricatas comedunt, idq; Die Sabbati*. Hîc verò Christus suos defendit per exemplum *Davidis*, qui panes *Propositionis* sumpsit & comedit. Et versu 11. Scribæ & Pharisæi furore replentur, *quòd hominem sanaverat die Sabbati*, adeò ut consilium capiant de extrema ipsi injuria inferenda, quanquam certè quis putaverit mitem illam solidámq; pro re facta apologiam aut prævertere eorum bilem aut sedare potuisse, *Licétne sabbatis benefacere an malefacere? hominem servare an perdere?* Cæterùm nullum responsum meo quidem judicio vel fingi potest acutum magìs magísve appositum quàm illud quod occurrit Marc. 2. v. 27. *Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum. Itaq; filius hominis etiam Dominus est Sabbati*. Ubi ritè prædispositus Christianus brevi sententiâ docetur, dignâ sanè quæ literis aureis scribatur, vel potiùs quæ cordi inscribatur viri cujusq; sancti & intelligentis, non solùm equidem quod ad Sabbatum spectat, sed ad totam etiam rem Religionis. Quòd scilicet hominis gratiâ potiùs constituta est quàm Dei, quódq; tametsi *Dei honor* præcipuè in ipsa prætenditur, est tamen *felicitas hominis*, quæ per eum reverà etiam à Deo ipso intenditur. Quod miselli homunciones crassis mentibus & obtenebratis, austeróq; *Pharisæorum* fermento nimiùm quantùm fermentatis, non intelligentes, multam sanè & sibiipsis & toti mundo creant molestiam per protervam suam ineptámq; prosecutionem earum rerum quæ ad Religionem attinent, utpote qui idonei aut opinionum aut actionum eorum hominum non sunt judices quos Divina Libertas ac Benignitas in Naturam transformaverint ipsorum naturæ planè contrariam.

4. Jam verò quantùm ad *neutralitatem* quæ adeò intoleranda & detestabilis vi-

detur eis quorum effrænata mundanorum commodorum desideria proterváq; consilia faciunt, ut eos omnes odio habeant, qui cùm possint nolunt tamen se instrumenta temerariis ipsorum inceptis præstare, tantum abest ut hoc crimen sit in Servatore, ut meâ quidem sententiâ, admodum præclarum ornamentum sit valdéq; decorum in moribus tam *Divinæ* piæq; personæ, qui ad meliora obeunda separabatur, quàm ut *politicis* factionibus ac dissidiis operam daret, quæ rarò ab ullo meliori Principio inchoantur promoventúrve quàm Invidiâ, Ambitione & Avaritiâ.

Cùm Servator admodum subdolè urgeretur ad declarandam sententiam suam aut pro aut contra *Cæsarem* (Matth. 22.) per hanc quæstionem, *Liceátne pendere tributum* Cæsari *necne?* ille de hujus vel illius causæ æquitate sententiam ferre quàm cautissimè poterat declinavit, hoc solummodò scitè attemperatum reddens responsum, *Solvite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo. Ità Christus sapientissimo Responso & Seditionis motæ & violatæ Religionis calumniam in quæstione insidiosissima effugit*, quemadmodum eximius ille Interpres observat. Atq; hoc pacto liberabat seipsum ab induendo sibi speciem aut *Herodiani*, *Gaulonitici* aut *Cæsarei*.

5. Quas fingere possint *Injustitiæ* imagines *studiive partium* ex hujusmodi locis excerptum iri verisimillimum est, Cujusmodi sunt *intempestiva ficûs maledictio*, ob id quòd fructus non ferret, cùm nec tempus anni esset ut ferret fructus. *Reprehensio Pharisæorum ob prolixas suas preces*, cùm & ipse commemoretur per noctem integram orâsse. Et postremò, *absolutio fœminæ adulteræ* in ipso facinore deprehensæ.

Verùm quantùm ad primum, Ut Ficus nullum damnum sensit, ità nec ullum factum est damnum ex eo quòd exaruerit. Cæterùm factum erat purè *symbolicum* quo judicium Dei præfigurabatur contra infructuosam Religionem Judæorum, prout suprà notavi. *Vide lib. 4. c 8. sect. 5, 6, 7.*

Quantùm ad preces prolixas; Cùm Servator dictus sit (Luc. 6.) in montem proficisci ad orandum, ibíq; *pernox orare Deum*, Græcum exemplare habet, ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ θεοῦ, non πρὸς θεόν. Quod igitur verisimilius est significare, non *in oratione ad Deum*, sed in *proseucha Dei* sive *Divino oratorio*, Loco scilicet ubi Deum orant, ut patet ex illo *Satyristæ*.

Ede ubi consistas in qua te quæro proseucha?

Quicquid sit, concludendum est Servatorem Hypocrisin potiùs & *affectationem* prolixarum precum condemnâsse quàm ipsam *prolixitatem*, quippe quòd impossibile sit, ut quispiam tam consummati *Spiritûs* quàm Servator erat, aut brevitatem aut prolixitatem orationum ab hominibus adhibitarum reprehendat, modò ex affectu sobrio ritéq; regulato, non ex *affectatione* vana oriantur.

Quod *absolutionem* spectat *adulteræ*, certè sic accipi non potest quasi approbatio esset conniventiáve ad hujusmodi fœda facinora, sed opportuna potiùs *Judæis* improbitatum suarum exprobratio, quarum cùm ipsos oporteret sibi conscios esse, non debuerunt nimis proni præcipitéq; ferri ad pœnas eorum quibus ipsi fortean pares essent peccatores, præsertim cùm potestas condemnandi puniendíq; ferè è manibus ipsorum per *Romanos* esset ablata. Atq; hîc sanè Christus id fecit quod Divinam illam benignámq; naturam quæ in ipso habitabat maximè condeceret. Cujus quidem hic fructus non erat nisi manipulus si cum plena illa messe conferatur quæ filiis *Adami*, ex eis quæ is fecit passúsq; est postea, esset metenda.

6. Ad *Convitia* quod attinet; Verbum vehementissimum quod ipsius ore unquam excidit illud erat quando *Scribas* & *Pharisæos Hypocritas* appellavit, quod juxta propriam vocabuli significationem idem est quod *Histriones* sive *Ludiones Scenici*: Et profectò *Scribæ* ac *Pharisæi* olim & ab eo usq; tempore eorum posteri se suámq; Religionem ità ornârunt ut meritò ille titulus quasi jure hæreditario ipsis affigi possit ipsorúmq; semini in perpetuum. Verùm Christus alibi paulò acerbior videtur Johan. 8. v. 44. ubi planè disertéq; loquitur, *Vos ex patre Diabolo estis.* Cæterùm is Titulus tam aptè ipsis, post inanem suam gloriationem quasi *Abrahamus* pater eorum esset Deúsq; *Abrahami*, (ad cujus tamen filiatum ipsi jus suum perdiderant, quippe qui naturam habebant ipsi prorsus contrariam) in sortem obtigit, ut inexcusabilis fuisset omissio in Christo non refricâsse ipsis memoriam de vera sua stirpe ac prosapia, præsertim cùm ad id plenâ autoritate esset instructus.

7. Quantùm ad *zelum* illum, ut primo quidem aspectu videtur, *injuriosum* ac tumultuarium, ubi factâ ex loris scuticâ Nundinatores è Templo exigit, mensáq; subvertit argentariorum, ipse patrandi modus facinus profectò justum præstat, cùm miraculosa

miraculosa planè res sit ut homo privatus, & armis & humanâ autoritate destitutus, tot homines abigeret tum à statione sua tum à lucro. Nec certè zelus hic quantumlibet tumultuarius videatur, ullam Indecori speciem præ se ferret, si considerare velimus unde emanaverit. Servator proculdubiò altam indignationem ac dolorem in corde suo concepit postquam despicientiam illam observaverat, ac contemptum quem cæci illi ac superstitiosi *Judæi* erga miseros abjectósq; Gentiles gerebant, dum locum cultûs eis destinatum tam fastuosè profanabant. Verùm hìc non est immorandum, præsertim cùm hanc Objectionem alibi jam tetigerim. Hoc addam tantùm in transcursu, Quòd *nihil erat quod majori vi mitem Servatoris spiritum ad iram provocare poterat & impatientiam, quàm supercilioſa superbia vafráq; ac fucata Hypocrisis magìs eximiorum professorum Religionis.* *Lib. 4. cap. 8. sect. 3.*

8. Quod affertur de *desperatione* ipsius ac *diffidentia in Deo*, ex ultimis illis, horridis, Tragicísq; verbis colligitur, *Eli, Eli, lama sabacthani*, quæ cùm in ipsis mortis angoribus & intolerabili cruciatu prolata essent, si duriora fuissent magísq; absona quàm videntur, parùm causæ fuisset cur Christus ob ea accusaretur, quippe qui secundùm humanam naturam eisdem tenebatur angustiis quibus illi qui cum maximis ægritudinum paroxysmis conflictantur, quorum facta Actiones *hominis* potiùs censenda sunt quàm *humanæ*, ipsíq; proinde ab omni culpa absolvendi. Verùm illa verba tam sobria sunt ut hujusmodi Apologiâ neutiquam indigeant: præsertim si integrum sit ea secundùm Textûs *Hebraici* latitudinem unde desumuntur interpretari. Nam *Lama, ut*, vel *quomodo* significabit æquè ac *cur*. Atq; tum non est nisi vox dolentis miserámq; suam vicem deflentis ex præsenti sensu intolerabilis suæ desertionis.

9. Quòd verò alii mentis quandam alienationem in Servatore fractámq; ac conturbatam obliviscentiam colligunt quòd seipsum ab eo derelictum pronunciaret qui & ipse erat (nam reverà erat Deus) atq; sic de eo conquereretur quod nullo pacto possit contingere, equidem hæc accusatio majorem in ipsis arguit intellectûs defectum. Nam *Humanitas* Christi non erat *Deus*; alioqui non esset θεάνθρωπος *Deus* & *homo*, sed δίθεος *bis Deus*. Cæterùm cùm per unionem solummodò Deus esset, etiam servatâ hâc unione, desertio humanitatis fieri potuit. Quemadmodum Sol, in *Passione Christi* à mundo non disjunctus, ad id tamen temporis mundum deseruit, subtrahendo ab ipso suum lumen. Verùm si hâc non succedit aliâ ingredientur viâ, qua insaniæ labem *ipsi* impingant qui meritò appellatus est *Sapientia Dei*. Hanc tamen accusationem etiam suorum dictis confirmabunt, Marc. 3. 21. *Quo audito, sui ad eum capiendum profecti sunt, dicebant enim eum esse insanum.* Sed enimvero hoc ferè fatum est omnium hominum qui plus cæteris sapiunt, ut vix meliori conditione habeantur quàm insani & maniaci. Etenim, cùm animi conceptus habeant aut altiores aut contrarios vulgo, & ex consequenti sæpenumerò contrà ac vulgus agant, dementiæ suspicionem ægrè profectò possunt evadere, cùm multitudo suorum judicum, etiam vilissimus ex ipsis tam vilem de seipso opinionem non foveat, quin infallibilem planè se putet in eis rebus quas à longo tempore tanquam veras tenuit absq; omni contradictione aut in seipso aut aliorum. Venítq; mihi in mentem dicti cujusdam alicubi apud *Tresmegistum*, ubi altissimorum Mysteriorum præceptor postquam filium suum *Tatium* illuminaverat, tandem de contumeliis præmonet quas subiturus esset à vulgo, utiq; pro certo affirmans, eum ipsis visum iri hominem vesanum ac *Maniacum*. Atq; hæc etiam erat *Democriti* conditio, quem, populus ex commiseratione nimia ac officiositate ab *Hippocrate* petiit, ut summâ adhibitâ arte ac diligentiâ tanquam mentis malè compotem sanaret. Cui rei cum Die proximo operam daturum apud se statuisset, monebatur præcedenti nocte per Divinum visum vel Insomnium, *Democritum* non insanire sed populum. Et ut redeamus ad allatum Textum, si conjecturas quorundam haud ità sanè improbabiles sequi velimus, Populus hìc rursus insanire reperietur non Christus. Nam ἐξέστη æquè consentiet cum ὄχλῳ atq; cum Christo. Factáq; multitudinis magìs affinia sunt vesaniæ quàm eorum quicquam quæ illìc de Christo commemorantur. Populus enim tam tumultuosè unà confluebat, adeóq; erat turbulentus, ut videtur, ut hominibus cibum pacificè per ipsum capere non liceret. Quamobrem cùm ille fervor esset atq; æstus in multitudine, Christi familiares proficiscebantur κρατῆσαι αὐτὸν, Christum manu prehendere eúmq; deducere ex Turba sive ὄχλῳ, ex multitudine, Ἔλεγον γὰρ ὅτι ἐξέστη, Dicebant enim *multitudinem* seu *populum insanire*, vel mente captum esse. Quæ res nimis sæpè credibilis est, sive hic Textus eò faciat, sive non.

10. Quantùm ad decimam undecimámq; Accusationem, de *Luxurie moribúsq; dissolutis*, de *Prodigalitate* inutilíq; rerum profusione, quæ quidem proximè accedunt

dunt ad summum pessimúmq; genus vesaniæ, istæ quidem expressim in Scriptura describuntur. Ipséq; Servator novit quàm siniſtra Fama de ipso spargeretur, Luc. 7. 33, 34. *Venit enim Johannes Baptista qui nec panem comedit nec vinum bibit, & dicitis eum habere Dæmonium. Venit filius hominis qui & comedit & bibit, & dicitis hominem esse edacem vinosúmq; & amicum Publicanorum & peccatorum,* ἁμαρτωλῶν. Nam in sequentibus versibus illa mulier in Civitate, quæ ἁμαρτωλὸς dicitur, quæq; tantum sumptûs affectûsq; in Servatorem effudit, hujusmodi erat, *prostitutæ pudicitiæ mulier*, quemadmodum *Beza* interpretatur: Quomodo verò se gesserit erga Christum Servatorem, illic describitur. *Ei à tergo flens, adstitit ad pedes, cœpitq; ejus pedes lacrymis rigare, & capitis sui capillis abstergere, ac deosculari, & unguento ungere.* Quod unguentum in alio Evangelio, *Alabastrum* dicitur *unguenti spicatæ nardi pretiosi.* Quæ familiaris & affectuosa officiositas profusúsq; sumptus, unà cum siniſtra illa fama quâ hæc mulier notabatur, non potuit non magno esse scandalo *Pharisæis* illic præsentibus. Etenim cùm Legis *Oeconomia* sub qua vivebant, nihil perfectum redderet, sed externas tantùm actiones hominum coërceret, facilè fieri poterat, cùm ipsi sibiipsis nullarum meliorum motionum intùs conscii essent, ut ut sese gerebant ad extrà, quàm aut *Acerbitatis* aut *Libidinis*, ut Christi acceptationem tam familiaris & affectuosi officii à fœmina istius famæ, à nulla alia re provenire quàm ex vano aliquo vitæq; dissolutæ principio existimare valerent, Prophetámque propterea leviculo animo & inconstanti factum esse concluderent, aut nullum potiùs reverà fuisse Prophetam. Sed enim & Propheta erat, & animo constanter sobrio, & hac etiam in re prorsus inculpabilis. Novit enim eam jam aliquandiu conversam esse æquè ac olim fuisse peccatricem, cujus conversionem Servator, quippe qui sæpiùs cum ea conversatus est, aut inchoabat aut per hanc suam conversationem confirmabat. Nullas enim is societates declinabat, ut nec bonus Medicus ullum declinat ægrotum, aut morbum. Et proculdubiò magnum illud miraculum quod *Jesus* operatus erat in ipsius fratrem (hæc enim *Maria* erat soror *Marthæ* & *Lazari* quem Christus è mortuis suscitaverat) non potuit non firmiter eam stabilire in fide ac amore Dei ac *Jesu* Christi quem ille miserat. Unde factum est, cùm cor ipsius plenum illo tempore esset lætis recordationibus Divinæ misericordiæ ac Bonitatis per virum hunc *Jesum Christum* sibi tam ampliter exhibitæ (ut Remissionis peccatorum, verorum documentorum Justitiæ, novitatis vitæ & recuperationis charissimi sui fratris *Lazari* è sepulchro) ut ex profundo sensu Divini Amoris gratóq; animo erga eum per quem hoc omne ipsi manifestatum erat ac præstitum, benevolentiâ affectúq; mirum in modum abundaret. Quorum effecta cùm nullum mali sensum Servatori moverent (quippe cujus corpus æquè purum & immotum erat ac consecratum marmor, alæve Cherubinorum in Templo aureæ, ipsúmve Alabastrum quod precioſum unguentum in se continebat) non solùm profectò *Incivilitas* fuisset sed & *Impietas* devotam hanc *Proselytam* ullo modo inhibuisse, fervidóve ipsius cursui amoris sinceri, gratíq; affectûs frigidam suffudisse. Qui proculdubio cuicuimodi videri potuerit miseris illis spectatoribus, istis angusti pectoris *Pharisæis*, odor tamen bonæ fragrantiæ erat Deo, sacríq; suffimenti instar cœlestem aulam replebat, haud absimili modo atq; alabastri unguenti confractio totam odore perfundebat domum; eóq; grato sanè omnibus, præterquam *Judæ* (cujus avaritia fecit ut scito prætextu pro pauperibus, contra factum exclamaret tanquam profusum ac prodigum) & supradictis præterea Pharisæis qui sine dubio, quicquid odorati suffitûs proprias suas nares non attigerit demulserítque, id omne inanem sumptum reputarent.

11. Cæterùm observatu dignum est, tam perversam impiámq; fuisse horum tortuosorum *Superstitionistarum* indolem, ut vera bonitas quamcunq; externam induerit speciem, ipsis nunquam posset placere. In *Johanne Baptista*, ea erat præsignis severitas vitæq; austeritas cum irreprehensibili integritate cordísq; puritate conjuncta, ut facilè quis putaverit eum vel nutu suo ac autoritate ipsos potuisse ad id quod honestum est compellere. Verùm hunc tanquam *Dæmonio Melancholico* correptum considerabant. *Servator* speciem jucundam magìs, magísq; remissam induit, verendam illam seponens rigidámque, quæ in altero reperiebatur, severitatem, omnibus se societatibus immiscens, nihil vultuosè agens imperioséve, sed vitam similiter aliis hominibus componens, peccato solo excepto; (quod vitæ genus, ut perfectius est illo altero, quippe quod majorem naturæ benignitatem firmiorémq; radicationem supponit in Bono, ità pauci sunt qui illius sunt capaces, minimè verò omnium auceps & instabilis juventus, quam suspectas societates tanquam voracem pestem oportet devitare) hi tamen, quod dixi, miseri hi, inquam, Pharisæi, tanquam jurati omnis

realis

realis ſanctitatis probitatiſq; deteſtatores ac hoſtes, quicquid de umbra ipſius prætenderint, nè uno quidem benigno verbulo Servatorem nôrunt impertiri. Verùm benignum ejus ingenium & ad convictionem facilè, ità interpretantur, quaſi ad victum abſumendum natus eſſet, merúmq; cibi potúſq; mancipium; utilémq; ſuiipſius in omne genus hominum conventus ingeſtionem, (pubicanis & peccatoribus non exceptis) in eorum bonum, tanquam ſi amicitiam coleret fœdúſq; iniviſſet cum eis rebus quæ reverà ſint malæ. Chriſtus verò Servator ſufficientem hac in re pro ſeipſo apologiam contexuit hiſce paucis verbis. *Non egent valentes medico, ſed malè affecti.* Et in altera ſimilitudine perverſam eorum naturam per id quod in cantico à pueris in foro ſedentibus cantato occurrit aptè repræſentat, *Nos vobis fiſtulâ cecinimus, neq; ſaltâſtis; vobis luximus, neq; plorâſtis*; hoc eſt, Inepti hi ſpiritúq; ſegni & inhabili homunciones Phariſæi, nec per triſtem auſterámq; vitam *Johannis* nec per mores magìs liberos & inaffectatos *Servatoris* ad id quod reverà bonum eſt moveri poterant.

12. Atq; ea propter relinquamus tandem ipſos tanquam incurabiles, ultimámq; criminationem examinemus, quæ ex uno è propriis ſectatoribus & amicis deſumitur. Hebr. 12. v. 2. *Spectantes in fidei ducem perfectorémq; Jeſum, qui pro lætitia ſibi propoſita, ſuſtinuit, contempto pudore, crucem, & ad dextram ſolii Dei conſedit.*

Cavillatores hìc ad derogationem perfectæ illi Juſtitiæ in Chriſto, inſinuabunt, quòd ſuiipſius quæſitor eſſet in omni illo labore ac dolore quem ſuſtinuit pro filiis hominum, immò verò ambitioſus Regni quæſitor (Illa enim lætitia qua ipſum ſuffulciebat hoc ſolium erat in Textu memoratum; quod à nemine fateor negari poſſe) quódq; propterea omnes illæ Actiones Perpeſſionéſq; Servatoris, quæ adeò *Heroicæ* videbantur, non niſi à principio mercenario provenirent. Verùm huic objectioni facilè reſpondetur. Etenim ſive per Solium Regnúmve, magìs imperturbatam intelligimus magíſq; *plenam Divinitatis poſſeſſionem*, quæ potentiorem innuit ſublimiorémq; exaltationem humanæ naturæ Chriſti, liberiorémq; fruitionem *Divinæ*; (atq; hoc certè proprium Chriſti Servatoris bonum ſpectat;) ſive poteſtatem illam quâ donandus erat, ad *captivam ducendam Captivitatem, & acquirenda dona hominibus*, & ad poteſtates *Inferni* ac *Tenebrarum* conculcandas, ut *Adami* filii à tam diuturna ſervitute liberentur; Hoc ſolium, hoc regnum, hæc poteſtas quò collineabat Servator, nec ambitioſum in eo animum nec mercenarium arguebat. Nam plenioris Dei fruitionis cupiditas *Ambitio* non erat ſed *Divinus Amor*. Quam is modo illo *Luciferiano* non affectans, (*ſimilis ero Altiſſimo,*) ſed per humilem animi raptum in venerabunda recordatione *Divinæ pulchritudinis*; tantum aberat ut peccati quicquam admiſerit, ut certè id fecerit, quod aut *Infirmitas* fuiſſet aut *Peccatum* non admiſiſſe. Et quemadmodum *Jacobus* propriè dici non poterat, aut *ſui-quæſitor* aut *mercenarius* reſpectu *Rachelis*, propter quam tot annos ſerviebat, *quámq;* adeò animitùs diligebat; ſed reſpectu *Labanis* ejúſq; ovium cuſtodiæ rectè dici poterat *mercenarius* ſuíq; quæſitor (nam illi, *Rachelis* tantùm causâ, ſerviebat) ità Chriſtus *Divinæ Naturæ* cupidine accenſus, per amorem cujus, tantum laboris ac miſeriæ in terris ſuſtinuit, non poterat reſpectu illius glorioſæ animúmq; ad ſe rapientis pulchritudinis, quâ frui adnitebatur, aut *ſui-quæſitor* rectè dici aut *mercenarius*, ſiquidem ipſa Dei erat præſentia quâ tantoperè capiebatur, ut Amicus amabili perſonâ ſui Amici.

Jam verò quantùm ad poteſtatem illam quâ ſe inveſtitum iri prævidebat, *ducendi captivam captivitatem & acquirendi dona hominibus*, cùm in commune aliorum bonum eſſet, cur non ipſi licebat in hoc ſibi ipſi placere, & ſeſe conſolari in mediis ſuis ærumnis ac laboribus abſq; omni ſuſpicione *Ambitionis* aut *Culpæ*?

Quamobrem harum omnium Objectionum ingratiis, & aliarum quarumcunq; quæ excogitari poſſunt contra *conſummatiſſimum* illud *exemplar Juſtitiæ*, immaculatum illum Agnum *Jeſum Chriſtum*, cum cantico illo laudum in Apocalypſi per Seniores ante Thronum Agni cantato, concludemus. *Rev.* 5. 12, 13.

Dignus eſt mactatus Agnus qui poteſtatem accipiat & divitias & ſapientiam & vim & honorem & gloriam & laudem. Omníſq; rerum natura quæ & in cœlo eſt & in terra & ſub terra & in mari, hæc & quæ in eis ſunt omnia cœleſtem chorum adaugeant, dicántq; ſedenti in ſolio, & Agno, *Laus & honos & gloria & imperium in ſempiterna ſecula.*

CAP.

CAP. XIV.

1. *Ratio cur tam diu vindicationi vitæ Christi à calumniis malevolorum immoratus sit.* 2. Realis Christiani *verus* character. 3. *Verus* character falsi Christiani *ac* Pharisaici. 4. *Quàm facilè vera Christi membra accusentur* Blasphemiæ *à Christianis* Pharisaicis; 5. *Suarúmq; Gratiarum operationes vitioso alicui principio imputentur.* 6. *Quomodò qui superstitioſi non sunt, habeantur tanquam pro* profanis. 7. *Tepiditas in infructuosis Religionis controversiis quantoperè* Pharisæis *displiceat.* 8. *Ipsorum ignorantia in* Æquitatis *lege ac* Charitatis. 9. *Quàm proclivis res sit ut sincerus Christianus pro convitiatore habeatur propter suam veriloquentiam.* 10. *Quòd vel levissima corruptionis Pharisaicæ impugnatio de facili ab ipsis accipiatur tanquam zelus tumultuosus ac amarulentus.* 11. *Quòd maximè solida scientia perfectissimorum Christianorum vesania existimari posset à* Pharisæo *formali.* 12. *Pronitas ejus ad judicandum de vero Christiano ex propriorum suorum vitiorum indomitorum motibus.* 13. *Prudens ejus ac versuta Avaritiæ præ aliis vitiis electio.* 14. *Absurda ejus in eos qui ad* Perfectionem *anhelant Censura.* 15. *Quódq;* nemo ex ipso amore virtutis virtutem colat, *inscita Opinatio.* 16. *Utilitas hujus Paralleliſmi inter Christi contumelias & verorum ipsius membrorum.* 17. *Exemplum Christi piis animabus quàm ingens Privilegium.*

1. ATq; sic Christum vidistis ab omnibus illis suspicionibus & calumniis per malitiosos ac imperitos homines in eum conjectis vindicatum; quibus eum tanquam non tam nobilis ac *Divini* Principii Justitiæ compotem nec ab eodem res suas tam constanter administrantem repræsentare satagunt, quàm ipse profitetur, quámq; omnes ipsius sectatores de ipso semper testificati sunt. Cui quidem negotio plus operæ me impendisse fateor quàm in causa personæ adeò undiq; integræ ac innocentis expectari potuerit. At enim cùm Christum Servatorem non tam in seipso considerarem quàm in membris ipsius, in veris utiq; ipsius membris, qui unum habent communem cum ipso spiritum, quíq; proinde eisdem accusationibus pravísq; perversorum & inconsideratorum hominum censuris obnoxii sunt quibus ipse erat in carne, perquàm utile profectò fore putabam solicitè excutiendis & justè rectéq; interpretandis universis Christi factis majori cum diligentia insistere; ut hoc pacto illi qui se illius membra appellitant, melìùs cognoscant quemadmodum oporteat se invicem interpretari, vel si ipsi Christi membra non sint, ut discant saltem non temerè nec inconsideratè de eis judicare qui sunt, & reverà sic ambulant ut & ille ambulabat.

Utq; anteacti mei labores huic instituto accuratiùs inserviant, eò usq; eis addere non dubitabo quoad ostendero, quemadmodum homines, utplurimùm, idem stercus cœnúmve verissimis Christi membris injiciant, quod ipsi Christo olim injecerunt.

2. Atq; ut hoc majori cum evidentia accipiatis, permittite mihi brevi descriptiunculâ genuinam Imaginem veri Christiani seu vivi membri Christi in animis vestris præfigere. Atq; hujusmodi quidem is est, qui ejusdem vitis palmes est, quíq; in se eundem succum vitámq; derivatam habet, unúmq; ac eundem cum Christo Divinum spiritum participat. Cujus fructus est *Deum amare toto corde totóq; animo, suúmq; proximum ut seipsum, idémq; aliis facere quod ab aliis nobis fieri volumus.* Et nè illud solummodo nominem quod ferè pro nihilo apud nimiùm multos habetur, addo insuper, *Solum illum verum Deum cognoscere agnoscerèque, & quem ille misit Jesum Christum.* Et proculdubio quisquis hoc in debita sua mensura ac vigore vitæ obtinuerit, is sibi conscius est percipítq; tantæ & tam glorioſæ perfectionis animi dulcedinem, ut quicquid ingenium sensúsve humanus eò addere poterit, haud majoris sanè valoris visum fuerit, quàm pulvis straminâve quæ pedibus conculcamus.

Marc. 12. 33. *Matth.* 7. 12.

Johan. 17. 3.

3. Atq; nunc postquam quid verum vivúmq; Christi membrum sit explicaverim, finite me quid *falsus, titularis*, vel *Pharisaicus* Christianus sit vobis itidem enarrare. Atq; hic certè is est qui *Divinum succum spiritúmve* in se derivatum non habet, utpote qui non inexistit & incrementum capit, coalescítve in unum cum vera vite *Jesu Christo*, nec compos est, ullámve perceptionem habet illius Sufficientiæ, Gaudii, Animíq; satisfactionis quæ in *interna vita Christi* spiritúq; Justitiæ, æternáq; ac indispensabili veritate Dei reperitur; sed maximè necessariis in Christianitate rebus emortuus, maximéq; pretiosis ac salutaribus, *vivúsq;* solùm existens aut præcipuè

spiritui

ſpiritui mundi, ſeipſum toto corde totóq; animo diligit, Deum verò ac Proximum ſuiipſius ſolummodò gratiâ; vel pro jumento potiùs, ſuo proximo utitur, eíque, poſtquam aliquibus aſſutè callidéq; collatis beneficiis tanquam capiſtro illaqueaverit, inequitat: Deúmq; *colit* potiùs quàm *diligit*, utiq; nè noceat. Multis eum obſecrans, ut ex gratia ſpeciali quamvis nihilo melior ſit cæteris, nec intendat ſperétve ſe unquam meliorem fore, ut meliùs tamen ipſi ſit in noviſſimo, quàm cæteris mortalibus. *Utinam ipſe eâdem morte moriar quâ probi, ſitq; meus idem qui eorum exitus.* Num. 23. 10. Vel fortean ità erit, (quod tamen nihilo eſt præſtabilius) ut loco vivæ Chriſti Juſtitiæ, egregiè ſe in affectatitiis quibuſdam ſpeciminibus electitiæ ſanctitatis ſit elaturus. Imaginatur enim Deum eſſe tutúmq; fore eum aliquâ ratione demereri, ac proinde ut conſcientia ipſius in eis rebus quæ maximi ſunt momenti ac utilitatis excuſari poſſit, alias de ſuo ſenſu ac conſilio aſſumet, ut Jejunationem bis in Hebdomade, prolixarum Precum effuſionem, auditionem prolixarum Concionum, præciſámq; aliquibus non neceſſariis, incertis, & infructuoſis Opinionibus de Deo ac Religione adhæſionem, hujuſmodi ſanè quæ nec per Scripturas nec per Rationem probari poſſint; & incaleſcens admodum in harum rerum agitatione ac zelaſcens; (quanquam in perturbationem Eccleſiæ Dei & in proximi ſui injuriam) hæ tamen nugæ ac affaniæ ſuo cerebro ſenſúq; prognatæ, hic Ardor, Æſtúſq; ac ſtrepitus ſunt Altare, Ignis, & Holocauſtum, quibus per hunc zelum Deo ſacrificat, ſiſtítq; ſe tanquam Oblatorem coram Omnipotente. Atq; id omne ut excuſetur in eo ab eóq; liberetur quod ipſiſſimus ſcopus eſt omnis Religionis ac Cultûs, mactationem intelligo propriæ vitæ corruptæ, & acquiſitionem magni illius præmii quod nobis propoſitum eſt, qui *ſanctus eſt Spiritus Juſtitiæ, Æquitatis ac Puritatis*, cujus moderatio ductúſq; mundi lux eſt ac vita hominum.

4. Cúmq; jam, laxè licèt rudíq; Minervâ, horum duorum oppoſitorum Chriſtianitatis Profeſſorum lineamenta deduxerim, *(veri* ſcilicet Chriſtiani ac *Phariſaici)* equidem hinc tanquam ab ipſa cauſa ac origine, evidentiam in id, lucémq; derivabo, quod nunc eo propoſitum; Qui *Paralleliſmus* eſt inter falſas eas accuſationes & contumelias quas Servator in propria ſua perſona ſuſtinuit, atq; illas quibus vera viváq; illius membra, propter Spiritum Phariſaiſmi, qui ſemper in mundo dominatus eſt & etiamnum in eo dominatur, ſunt obnoxia.

Primóque, de prima accuſatione quæ Servatori intendebatur, de *Blaſphemia* ſcilicet; *Blaſphemavit*, Matth. 26. Manifeſtum eſt, cùm natura *Phariſaica* demoliendi annihilandíq; in nobiſmetipſis omnia elata & ambitioſa propoſita, omnem ſuiipſiusquæſitionem, avaritiam & intemperantiam ſibi gratiam fieri tantoperè diſcupiat, quòd de facili, (quò hanc negligentiam compenſet pacificétq; conſcientiam ac gratiam ineat cum Deo,) præclaris ſublimibúſq; ſubtilitatibus omni ſtudio contexendis, ſtupendíſq; Myſteriis è qualibet occaſiuncula è Scripturis deſumpta eruendis, naturæq; Dei ac Religionis diligenter adornandæ juxta ementititium naturalis Imaginationis nitorem humaníq; ingenii curioſitatem, gnaviter datura ſit operam. Unde fieri poteſt, cùm *Phariſæi* hi traditionarii in maximo negotio habuerint omnes naturalium ſuorum ac irregeneratorum animorum nervos contendere ad magnificos aliquos conceptus (quemadmodum ipſi exiſtiment) quos Deitati impertiant, inveſtigandos, ut unus quiſpiam per Chriſtum liberatus (qui veritas eſt quæ reverà nos liberos facit) non admittendo vel contradicendo ſublimibus his Diviníſq; ipſorum Inventionibus de Deo Chriſtóve, quibus eum involverint veſtierínt ve, (quanquam nihil aliud fecerint quàm quod *Jovis* veſtimentis aureis *Dionyſius* olim feciſſe dicitur, aurea utiq; exuerint ut induant linolaneis; fatilè ſuſpectus eſſe poſſit accuſatúſq; *blaſphemiæ* ac injuriæ adversùs Deum, cùm tamen non ſit niſi rejectio abſurdarum Concluſionum temerariorum ac inconſideratorum hominum, vel quod pejus eſt, eorum profectò qui vel datâ operâ Deum Chriſtúmve ſic veſtierint, eóq; ornatu populo ſpectandum exhibuerint, qui ad fucatam ſuam Hypocriſin, lucrúmq; ac utilitatem maximè faciat. E multis inſtantiis unam duntaxat in medium proferam. Ut torſerunt ſua ingenia Clerus *Romanus* excruciarúntq; in defendendo magno illo Tranſubſtantiationis Myſterio, ſiquidem ordinarii ipſorum Sacrificuli majora habent poteſtatem edendi miracula quàm ipſe Diabolus excogitare poterat, quibus Servatoris facultatem exploraret. Etenim quantilla res eſt lapidis in panem commutatio, ſi cum panis commutatione conferatur in Deum incarnatum? Et tamen Sacrificulus poſt verba pauca formalia Conſecrationis prolata rem effecit, ut ut videatur prodigioſum? Et quicunq; nunc *panem* auſit *panem* appellare non autem *Deum Chriſtúmve*, quî fieri poterit ut non exiſtimetur *blaſphemare*? Veruntamen hæc blaſphemia adversùs naturam Dei Chriſtíve non eſt, ſed adversùs figmenta mendaciáq; hominum, ac proinde non

magìs *blaſphemia* eſt quàm *panis Chriſtus* eſt, *humanâve Imaginatio* ipſa *Eſſentia Divina*. Lex igitur quam Chriſtiani hoc in loco obſervare debent hæc eſt; Cùm ea ſit morum protervia, mundani commodi ſenſus, educationiſq; ſtupor, qui aut inchoare poſſint falſos de Deo conceptus, eoſdémve continuare, ſi quis fortè ſe profitetur ejuſmodi res, quas quidam tam imperiosè ac peremptoriè ipſi credendas proponant, concipere non poſſe, eum ſtatim non exiſtimandum eſſe, *Deum* blaſphemare, cùm facilè fieri poſſit ut diſſenſus ſit tantummodo à fictitiis *hominum* opinionibus.

5. Secunda Accuſatio adversùs Servatorem erat, *Quòd facta illa miraculoſa ac benigna quæ fecit, à poteſtate Satanæ proficiſcebantur non Dei.* Nec difficile profectò mihi videtur aliquid huic conſimile invenire in illis contumeliis quibus vera illius membra afficiantur per cenſuram temerariam ac *Phariſaicam*. Quod hoc quidem eſt; Vita nimirum bonorum ſanctorúmq; hominum eximia & exemplaris, ab illis qui tali *veſtitui externæve* formæ Religionis ex certis quibuſdam ceremoniis ac opinionibus conſtitutæ magìs addicti ſunt quàm ipſius *Religionis veritati* ac *Eſſentiæ*, naturalibus ſæpenumerò corruptíſq; Principiis imputatur; qualia ſunt, *inanis gloria*, *mundana exiſtimatio*, *emolumentum Politicum* & ſimilia; Quod non inſcitè illi *Phariſæorum* declarationi reſpondet quòd Chriſtus Dæmonia ejecerit per *Beelzebulem* Principem Dæmoniorum. Ità moderni *Phariſæi* de eis pronunciant qui de ſua ſecta non ſunt, quantumlibet ſanctè inculpatéq; in hoc præſenti ſeculo vixerint, virtutem colentes ac devitantes vitium, quòd hoc ſcilicet non ſit ab ullo *Divino* in ipſis *principio*, ſed ex *ſpiritu ſuperbiæ* omnium vitiorum *Principe*.

6. Sic in tertio loco, Illi qui rigorem plùs quàm *Judaicum* in obſervatione *Sabbati* affectant (quanquam profectò nimis id ſæpe fit ut conſcientiæ ipſorum magìs liberæ ſint ad operandam iniquitatem per totam inſequentem ſeptimanam) hi tamen tantum ſibi aſſument ut non minoris ſanè criminis quàm Prophanitatis eos inſimulaverint qui eandem non obſervant menſuram aut *Superſtitionis* aut *Hypocriſeos* cum ſeipſis.

7. Quartò, *Neutralitas* tepidáq; in Controverſiis publicis indifferentia, quî fieri poteſt quin valdè abominabilis videatur *Phariſæo* formalíve *Profeſſori?* Etenim cùm nullam aliam Religionem noverint præter eam quæ in certis quibuſdam diſpenſabilibus ac non neceſſariis opinionibus & conſuetudinibus conſiſtat, quando illæ concutiuntur periclitantúrque, is qui non extremo tunc ſe objecerit periculo tanquam ſi Deus ipſe veráq; illius Religio in diſcrimen adduceretur, non poteſt quin exiſtimetur homo admodum ignobilis ac deteſtabilis. Cùm tamen interea frigidè & indifferenter affici in rebus indifferentibus, ſi ad rectam rationis normam res expendere velimus, æquum juſtúmq; debeat exiſtimari.

8. Nec certè iſtuc adeò mirum eſt, ſi Tribum Phariſaicum audiamus de veris regeneratíſq; Chriſtianis tanquam injuſtis conquerentem; quandoquidem *illi* ſecundùm externam aliquam agunt Regulam vel Traditionem, quæ ut improbis ipſorum indomitíſq; corruptionibus obviàm iret erat conſtituta, (malo nodo malus cuneus) & quâ nihilominus ii aſtutè perverſéq; abutuntur ad injuriam ſibi ipſis mutuò inferendam, iíſve qui ipſis multò ſunt meliores; *veri* autem *Chriſtiani* ſecundùm vivam *Æquitatis* legem æternúmq; *Dei Amorem* in cordibus ipſorum ebullientem agunt judicántque.

9. Sextó. Quantùm ad *Accuſationem convitiandi* ac maledicendi, certò vel ſobriùs benéq; moratus Chriſtianus huic calumniæ facilè obnoxius eſſe poteſt. Etenim cùm *Phariſæus* per opinionem ſuæ aut *formalis* aût *phantaſticæ* juſtitiæ magnificè ſe efferat, ubivis potiùs perfugium quærens quo ſibi perſuadeat ſe juſtum piúmq; eſſe quàm veram participando juſtitiam ac pietatem, agátq; propterea ſecundùm illam naturam quam reverà habet, non ſecundùm id quod ſeipſum eſſe fingit; fieri profectò non poteſt quin verus Chriſtianus Divinâ Naturâ ſpiritúq; Juſtitiæ imbutus, dum minimè apud ſe aut convitiari aut maledicere inſtituit, ſed facillimâ maximéq; inaffectatâ verborum proprietate *ligonem*, ut diverbio dicitur, *ligonem* appellitat, sícq; ſe gerit ut *Adamus* olim in ſtatu Innocentiæ, qui nomina creaturis juxta ſuas naturas impoſuit; fieri, inquam, non poteſt, cùm Actiones eorum ac Perſonæ turpes fœdæq; ſint, qui tamen ſe probitate nemini ſecundos exiſtimant, quin quotieſcunq; eis nominibus appellentur quæ veritatem omnino ipſorum naturæ exprimant, ſtatim nihilominus judicaturi ſint *ὑπομαθὴν*, convitiatorem ac maledicum.

10. Jam verò quantùm ad *zelum tumultuarium*, equidem fateor Hypocriſin *Phariſaicam* rem eſſe adeò abominabilem ac provocatoriam in conſpectu filiorum Dei, ut vix fieri poſſit quin teneros ipſorum vividóſq; ſpiritus, non certè minùs quàm

quàm naturalis flamma carnem noſtram naturalem, urat pungátque, quod nemo noſtrum tanta cum patientia ſuſtinere poſſumus, quin proclives ſimus ad teſtificandum dolorem geſtibus noſtris, actionibus ac verbis: ut præteream, quòd in benigniori benéq; moderato zelo contra rem *Phariſaicam*, cùm omnia ibi adeò putreant adeóq; ulceroſa ſint miſeríſq; obducta emplaſtris, vel leviſſima actio oppugnantiáve eos antè exclamare coget, quàm quoquo modo lædantur, quippe qui ſibi ipſis conſcii ſunt quàm inſinceri ſint atq; ſuſtinendo vel minimo momento rudioris contrectationis impares. Adeò ut remiſſiſſimus oppugnationis vigor qui contra injuſtas ipſorum vias ac Hypocriticas ſeriò dirigatur, ab eis habitus erit pro zelo amarulento ac tumultuoſo.

Octavò, Juſti ac tempeſtivi *planctus ejulatúſq;* chariſſimorum ſervorum Dei conſociorúmq; membrorum Jeſu Chriſti, quando natura nimiùm quantùm rebus adverſis ſæviſſimíſve Tormentis opprimitur, *Impatientia* ac *Deſperationis* ſymptomata non ſunt temerè judicandi. Nam vocalis miſeriarum ſenſûs expreſſio vitium non eſt, ſiquidem hujuſce ſenſûs ſuppreſſio nec virtus aliquando eſſe poteſt, ſed potiùs *ſuperbiæ* ſymptoma vel *Spartaniſmi* affectatio.

11. Nunc verò loco nono, quantùm ad illam *Inſaniam* atq; Phreneſin quæ vero Chriſtiano à ſuperſtitioſo *Phariſæo* perquam ſæpe objicitur, hujus rei cauſa manifeſta eſt ex utrorumq; naturis, vel ex ipſa natura inſaniæ. Nam quemadmodum ſtupiditas mentíſve imbecillitas extinctio eſt rationis in intemperie *frigida*, ità inſania eſt inordinatio, conturbatio & diſſipatio Imaginationis ac Rationis in *calida* intemperie. Quamobrem, ubicunq; *calor* ſenſum excedit rationémq; illius qui loquitur agítve, tantum ſe ingerit *inſaniæ* quantum eſt hujus caloris exceſsûs. Cæterùm quod ſenſum ac rationem ſpectat, cùm non apparere perinde ſit atq; non eſſe, neceſſariò indè ſequetur, qui multo cum zelo ac vigore res enunciant in ſe quidem admodum veras aliis verò valde incredibiles parúmve intelligibiles, quòd ab eiſdem habiti erunt pro *Maniacis*. Atq; hinc factum eſt quòd *Feſtus Paulo* dixerit, *nimias literas eum ad inſaniam adegiſſe*. Atq; hinc forſan oriri poſſit dictum illud vulgare, *Nullum magnum ingenium ſine admixtura inſaniæ*. Partim ex eo quòd nullum magnum facilè eſſe poteſt Ingenium, quin bonam menſuram *Caloris* naturalis Activitatíſq; Animi inſuper habeat, & partim, vel potiùs præcipuè, quòd exercitium augmentúmq; harum ingenii dotum per ſubtiles rerum indagationes ejuſmodi produxerunt Concluſiones tam paradoxas támq; vulgarium hominum conceptibus oppoſitas, & tamen tam evidenti ratione ſubnixas, prout ipſarum Inventores judicabant, ut pari eas ardore ac confidentiâ veras eſſe aſſerentes apud iſtiuſmodi homines qui capaces non eſſent ſubtilitatis rationum quibus eas inferebant, non poſſent profectò quin ſibi pro mercede exiſtimationem acquirerent talium hominum, quorum cerebra aliquibus ſaltem granulis condirentur ſeminibúſve inſaniæ ac Phrenitidis. Et juxta hanc Analogiam jure merito dici poteſt, *nullus inſignis Chriſtianus, &c.* Quòd nullus eſt præſtabilis Chriſtianus qui non videbitur aliquam in ſe habere ſpeciem veſaniæ, præſertim ſi formalis rigidúſq; *Phariſæus* judex ſedeat. Cujus geſtus & actiones ſemper quaſi ligneâ aliquâ externâ fabricâ coërcentur, puelli inſtar in ſellula ſua ſtataria; quippe cujus traditiones conſuetæq; opiniones tam profundè in illius memoria exaratæ ſunt & inſculptæ, quàm externæ primóq; aſpectu obviæ rerum in Univerſo formæ ſpeciéſve craſſioribus inſcriptæ ſulcis cerebelli Idiotæ. Et quemadmodum imperitus Ruſticus eum vix mentis compotem eſſe ſuſpicaretur qui confidenter eloqueretur quicquam quod craſſiuſculas illas lineas quas ſenſibiles hujus mundi ſpecies in ejus Imaginatione deſcripſerint manifeſtò decuſſaret cancellarétve, ità proculdubio formalis *Phariſæus* eum veſanum judicare non dubitaret, qui cum zelo ac confidentia ejuſmodi res quæ nullo modo ſui præjudicio laborantis animi præconceptionibus & præfigurationibus conformes eſſent, pronunciaret; maximè verò omnium ſi iſtiuſmodi quarum nullum conceptum formare poſſet, utpote quæ non ſuper eandem quidem Planitiem oppoſitæ eſſent, ſed tam altè ſubmotæ ut ejus apprehenſio ad eas non poſſet pertingere. Certè quò verum quodvis Chriſti membrum vehementiùs de hujuſmodi rebus diſſereret eò furioſiùs inſanire videretur, frigido prudentíq; *Phariſæo* Judicis ſedem capeſſente.

12. Quantùm ad tres ultimas calumnias quæ in Servatorem conjiciebantur, quibúſq; vera ipſius membra, ſi merè *formalis* Chriſtiani ſententiæ ſtaretur, ſimiliter forent obnoxia; *Luxuriam* intelligo *vitámq;* diſſolutam, Profuſionem ac Prodigalitatem & *Ambitionem* deniq; & *ſuiipſius-quæſitionem*: breviter expediam univerſas. Et ad primam hæc generalis conſideratio attinet; Quanto quiſq; in ſe infirmior eſt magiſq; tentationibus obnoxius; tanto eſt ad ſuſpicandum proclivior, alios ibi pec-

care ubi occurrit quicquam quod humanas corruptiones possit prolicere aut irritare, ubíve aliqua signa sunt effectáve illius quod in aliquibus hominibus vitiosum est, quanquam illa ipsa signa effectáve in seipsis nec bona sint nec mala. Hic Christianus *formalis* id consulens quod in ipso vivit agítque, suam internam utiq; corruptionem, de optimis hominibus ex suo ingenio judicat, concludítq; quemadmodum ipse afficeretur, quódq; ipse ageret pateretúrve in his vel illis circumstantiis, omnes in eisdem circumstantiis & conditionibus idem agere vel pati. Et eò plus profectò scandali & offensionis hominum perfectissimorum maximéq; purificatorum conversationi inesse potest, quòd ipsorum invulnerabilitas & insensibilitas in mediis istiusmodi vanitatibus quibus alii moveantur, qui etiamnum vivi sunt peccato, eos redditura sit magis innocenter liberos, nec tam custoditè sibi caventes ab eis rebus quæ nihil in se habent realis malitiæ vel pravitatis.

13. Et quod *Prodigalitatem* spectat, obvium est concipere quòd Avaritiâ Judicis partes obeunte, ipsi etiam *Frugalitati* nomen illud inuratur; quódq; cùm Avaritia tam mundum siccúmq; ac authenticum peccatum sit (utpote quod tam perfectè adversatur vesanis debacchationibus moribúsq; dissolutis perditi ac profusi Nepotis) vix inveniatur *Pharisæus* qui adeò imprudens erit ut tam utile vitium non retineat. Quamobrem *Pharisæus* cùm avarus sit, equidem verus Christianus, quem nobilis illa ac Divina natura juxta quam regeneratus est magis liberalem reddidit, necessariò ab ipso judicabitur prodigus & improvidus.

14. Postremò, quantùm ad *Ambitionis* & *suiipsius-quæsitionis* Incusationem; non est certè Ambitio nec superbia quàm contentissimè possumus allaborare, ut in gloriosam illam ac Divinam Christi Imaginem renovemur, summóq; opere ut ea in nobis perficiatur eniti. Nam in hac Imagine modo quidem eminentissimo continetur saluberrima illa ac pulcherrima Animi dispositio, inaffectata *Humilitas*. Etenim cùm *Imago Christi* non adolescat in nobis nisi ex destructione & (si fieri possit) perfecta *annihilatione* effrænatæ nostræ ac indomitæ voluntatis, quæ semper avidè ac pertinaciter suam propriam quærit satisfactionem, & ubicunq; invenerit statim gloriatur, sibíq; ipsi arrogat successum; necessariò indè consequitur, quòd quantò perfectiùs vera *Imago Christi* in nobis recuperatur, tantò pleniùs liberemur ab omni superbia & arrogantia. Adeò ut quemadmodum superbiæ flatus neutiquam esse potest sed cœlestis Dei halitus in Anima qui nos ad aspirandum ad tam sublimem perfectionis gradum propellat, ità nec gradus hic perfectionis postquam eum assequuti simus, ulla causa esse potest superbiæ; siquidem humilitas de ipsa ejus essentia est. Est enim res æquè contradictoria & repugnans atq; si dixeris, *superbos nos fieri evadendo humiles.*

15. Quod *suiipsius-quæsitionem* spectat, equidem Accusatio ejusdem ingenii videtur cum illa Diaboli adversùs *Jobum*, *Quasi verò gratis religiosus sit Jobus.* Homines sanè *Justitiæ spiritu* destituti & in virtutibus ac voluptatibus *Divinæ Præstantiæ* ac *Gratiæ* hospites planè ac peregrini, nihil imaginari illîc possunt præter externos ipsius fructus, cujusmodi sunt Honor & Existimatio apud Homines, Præmiúmve futurum apud Deum. Quamobrem necesse est, cùm *Pharisæus Formalisve Christianus* nihil voluptatis ac dulcedinis in virtute *ipsa* ac sanctitate percipiat, si alios eisdem magnoperè addictos observaverit, ut eos statim judicet *uti* tantummodo hisce rebus ad alias res jucundiores acquirendas, laudem putà plausúmq; vel *futurum* aliquod post hanc vitam *præmium*, rebus verò ipsis quibus utantur minimè omnium *oblectari.* Cùm tamen proculdubiò vivum Christi membrum ac reverà in Imaginem ejus regeneratum, non certè magis posset à placendo sibi desistere sibíq; indulgendo sensum & conscientiam hujus *Divinæ vitæ* amabilísq; illius fructûs, omnes Actiones intelligo *sanctas* ac *decoras*, quàm naturalis homo à gaudiis sui corporis abstinere, etiamsi noverit brevì fore quando corpus hoc nulla ipsi deinceps suppeditaturum sit Gaudia. Et tamen hîc insuper adjicias oportet, Quòd proximè accedit ad impossibilitatem, ut is qui adeò evasit *Divinus*, cor suum non habeat abunde repletum preciosâ spe futuræ Immortalitatis & Gloriæ. *Vitam petiit à te & ætatis longitudinem dedisti perennem.* Psalm. 21.

16. Paralleliſmum jam perfeci inter contumelias in Servatorem conjectas eásq; quibus verissima ipsius membra obnoxia esse possunt. Quam operam malè collocatam minimè existimo, quippe quæ ad obturanda ora *carnalibus* rerum *æstimatoribus* tam commodè inserviat, & ad animandos sinceros Christianos nè ab imitando tam excellenti exemplo propter injurias ac contumelias hominum deterreantur, sed recognoscant propriam suam Innocentiam, Securitatem ac Libertatem dum in vera via incedunt, hoc est, in *Jesu Christo* Dei filio, *qui si nos in libertatem vindicat, reverè liberi*

liberi evadimus, id est, liberi à propriarum nostrarum libidinum deceptionibus, & liberi à metu ac terrore imperiosorum ac superstitiosorum hominum, qui errores suos nobis pari importunitate & zelo obtrudere volunt, eósq; æquè indispensabiles facere ac ipsa infallibilia Dei oracula.

17. Atq; sanè tam ingens est, hoc Christi Exemplum, seriò Religioni operam dantibus privilegium, ut si ei contemplando, æterno obtutu defixi inhæreremus, immensas illius utilitates mente vix possemus assequi, ut habeamus utiq; tam certum, tam Divinum, tam infallibilem qui nobis exemplo præeat contra omnes *Animalis vitæ* stupores, subdolæve ac serpentinæ *carnalis sapientiæ* sophismata, *viæ ducem*, ut tam apertè cognoscamus quid *æterna Sapientia incarnata*, quid *ipse Dei Filius* à cœli nubibus sic declaratus, aut egerit aut acturus esset in datis circumstantiis; unde & quid nobis agendum sit, in ferendis injuriis & contumeliis, in honoribus mundanis contemnendis, in voluntatibus nostris cœlesti patri omni in re ex integro resignandis, in doloribus tolerandis, ipsáq; adeò morte in Dei gloriam veritatisq; testimonium quantumvis acerbissima subeunda, si res tulerit, facillimo negotio colligamus; *Omni scilicet abjecto pondere decurrendum nobis esse constanter, propositum stadium, intuentibus in fidei ducem & perfectorem* Jesum Christum, *qui pro sibi proposito gaudio pertulit crucem, ignominiâ contemptâ, & ad dextram throni Dei consedit.* Ex qua re vel sola judicari potest certitudinis Historiæ Christi, cui suprà tantoperè insudavimus, quanti à piis sincerisq; animabus æstimanda sit, Demonstratio. Atq; hæc de *Exemplo Christi* dicta sunto. De quo postquam ea enarravimus, quæ maximè putavimus fore necessaria, pergemus jam ad illius *Passionem*, quæ est quinta *Potentia Evangelica.*

CAP. XV.

1. Passio *Christi quinta* Potentia Evangelica, *cujus virtus speciali modo notatur ab ipso Servatore.* 2. *Quòd* Serpens æneus *in deserto Typus erat Propheticus Christi, quòdq; morbos non per* Artem, *sed per* Divinam virtutem *curavit.* 3. *Quòd Præparationes* Telesmaticæ *superstitiosæ sunt, manifestum esse ex eorum* Collectionibus *qui de ipsis scripserunt.* 4. *Particulatim ex* Gaffarello & Gregorio. 5. Telesmatum *effecta esse supra leges Naturæ.* 6. *Si qua sit vis naturalis in* Telesmatibus *eam esse à* similitudine; *cum illius etiam rationis confutatione.* 7. *Ulterior rationis illius confutatio.* 8. *Quo sensu Serpens æneus* Telesma *esset, cúmq; necessariò Typicum esse de Christo vaticinium.* 9. *Accurata perfectáq; in eo Christi præfiguratio.* 10. *Superbia impia ac protervitas eorum qui admirabili hoc invento* Divinæ Providentiæ *non tangantur.* 11. *Intoleranda eorum Blasphemia qui unigenito Dei filio convitiantur ob ejulationem in horribili sua Agonia in cruce. Ubi speciatim detegitur* Inamabilitas Familiæ Amoris.

1. ET certè quinta hæc *Evangelica Potentia, Passio* utiq; Christi, tanti est momenti atq; efficaciæ ut ipse Servator cum majori solito voluptate miranda illa Effecta quæ in mundo productura esset animo revolvisse videatur, Johan. 12. 32. *Et ego si à terra evectus fuero, omnes ad me traham. Id autem dicebat significans quo letho moriturus esset*, prout Textus testificatur. Hoc verò ostendit quàm potens *machinamentum* ipse Servator ad trahendum ad se universum. mundum, suam mortem fore putaret. Quæ Demonstratio est, quòd animus Christiani meditationi Mortis ac *Passionis* Christi multùm debet immorari. Cujus usus in altera Intimatione Servatoris, tametsi magis Typicâ, apparet; Analogia autem tam manifesta est ut neminem possit latere. Johan. 3. *Et quemadmodum* Moses *extulit serpentem in deserto, ità extolli oportet filium hominis, ut quisquis credit in eum non pereat sed vitam habeat æternam.* Hæc tam perfecta *Passionis* Servatoris nostri est repræsentatio, ut nequeam profectò quin mihi ipsi dem vitio quòd eam inter alia vaticinia quæ ad probandam Messiæ *Passionem* attuli, non enumeraverim.

2. Et adhuc verò apertiùs apparebit, quòd in præfigurationem Typicúmve Christi vaticinium decernebatur, si consideremus, quòd *Moses* ex nulla naturali peritia ad hoc moveretur, quasi effigies hujus ænei Serpentis per ullam vim Artis Naturæve *Israëlitas* ab ignitis Serpentibus morsos sanaret. Sed immediatum erat à Deo consilium,

ſilium, per cujus poteſtatem ſupernaturalem cura perficiebatur. Quemadmodum
Cap. 16. 6. & Author *libri Sapientiæ* expreſsè notavit; *Quòd is ſcilicet qui reſpiciebat ad σύμβολον σωτηρίας*, quemadmodum ille appellat, *ad ſignum ſalutis, non ſervabatur per rem viſam ſed per eum qui eſt Servator omnium.* Nam præterquam quòd totum Myſterium *Teleſmatum* non eſt niſi ſuperſtitioſa ineptia, maximè affinis connexáq; abſurdo prætextui iſtiuſmodi mirabilium Influentiarùm quas veterum Paganorum ignorantia ſtellis attribueret, ipſa præterea materies hujus ſerpentis ad hunc effectum incommoda erat atq; inidonea, quemadmodum Interpretes in ipſum locum obſervârunt. Ad quod addere poſſim nullum extare exemplum ullorum *Teleſmatum* quæ obſervata ſunt morbum ad hunc modum curare, ſolo ſcilicet aſpectu. Eáq; quæ facta ſunt adversùs Scorpiones aliáve pernicioſa Animalia fugâſſe quidem eos è loco aut in ipſo ſolo necâſſe; verùm ſi quis morſus eſſet à venenoſis his ſerpentibus, tactualem remedii applicationem adhibitam fuiſſe quò, qui læſus eſſet, curaretur.

3. Nec tamen hoc tantùm urgebo, quàm quòd totum negotium *Teleſmaticarum* Præparationum ſit ſuperſtitioſum, quódq; nullum per ullam naturalem virtutem vel Influentiam ſortiantur effectum. Hoc ipſe mihi videor manifeſtò deprehendiſſe ex eorum *Collectionibus* qui videntur in exhibendis aſpectui hominum hiſce *Curioſitatibus* ſibi maximè placuiſſe. Ex *Gaffarelli* verò præ cæteris, qui magnâ ſanè verborum copiâ, ratione verò nullâ nobis perſuadere adnititur *Teleſmatum* vim eſſe naturalem. Verùm nunquam uſquam Gentium cauſam novi magìs levibus laxíſque, magíſq; frivolis rationibus defenſitatam. Cæterùm ex proprio ipſius ore deſumam quo eum convincam, ídq; ex his duabus rationibus. Primò, Ex eo quòd ſecundùm ejus conjecturas & narrationes erectio & præparatio horum *Teleſmatum*, quemadmodum & nos contendimus, ſuperſtitioſa ſit vel *Paganicè* Religioſa. Et tum dein, Quòd eorum effecta, ſi quando ulla habent, ſint planè ſupra virtutem ullius cauſæ naturalis.

4. Quantùm ad primum, ipſe ſe ea eſſe in opinione profitetur, quòd primi Dii *Latinorum*, quos illi appellabant *Averruncos* ſive *Deos Tutelares*, alii non erant quàm hæ *Teleſmaticæ* Imagines. Ejúſq; ratio eſt, quòd quoſdam è Diis hiſce *Tutelaribus* ſub certis quibuſdam *Conſtellationibus* fecerint. Quod quidem ego minimè mirum eſſe judico, cùm cœlorum copiæ *Paganorum* numina eſſent, & *Teleſmata* ac *Aſtrologia* utræq; perinde antiquæ Superſtitionis Laciniæ. Atq; equidem *Apollonius Tyaneus*, qui tanto ſtudio ac labore totum terrarum orbem peragrabat ut Religionem Paganicam inſtauraret, præclaram habebat Facultatem (niſi Hiſtorici de ipſo ſplendidè mentiantur) conſecrandi *Teleſmata* contra *Ciconias*, *Culices*, *Fluviorum inundationes*, *Ventos*, ac *Tempeſtates* aliáſq; res noxias. Quam tamen naſutus ille Sophiſta *Philoſtratus* ſciens prudénſq; omiſit in illius vitæ *Fabula*, ut qui valde erat ſolicitus, quò ſartum tectum eum ſervaret ab omni ſuſpicione rerum magicarum; quemadmodum quivis obſervare poteſt è multis *Philoſtrati* locis. Adeò ut utrâlibet viâ *naturalis Teleſmatum* efficacia figmentum merum reperiatur.

Cæterùm quòd eorum Formatio non niſi Paganica Superſtitio ſit, accuratiores illæ *Collectiones* ac Tranſcriptiones *Gregorii* ulteriùs manifeſtabunt, ſi quis eas perlegerit. Ibi enim obſervare poteſt, ut in urbibus ædificandis non ſolùm *Aſtrologicas* Regulas conſulebant, ut apta eſſet cœlorum Configuratio, ſed loci *Genio* præterea ſacrificabant ídq; aliquando cum humano ſanguine, figurámq; erigebant æneam in quam, quemadmodum illi putabant, *Tutelare* Civitatis numen *Teleſmaticè* deferebant. Quæ proinde Statua in aliquo tuto receſſu vel in loco aliquo eminenti collocabatur. Verùm ubicunq; ſita eſſet, ibi ſummam fati fortunæve rerum ſuarum contineri arbitrabantur. Hujus proculdubio generis erat *Trojanum Palladium*, *cæciq;* ac *claudi Davidi* adeò inviſi, 2 Sam. 5. prout *Gregorius* ratione quidem ſolidâ, quantùm ego video, concluſit.

5. Hoc ſufficit ad innuendum ex quo *Principio* hæ *Teleſmaticæ Ineptiæ* ortæ ſint, cujuſcunq; fuerint generis. Ipſorúmq; *Effecta*, qualia commemorantur, iſtiuſmodi planè ſunt quæ cœleſtibus Influentiis imputari non poſſint, ſi Circumſtantias rerum cautè circumſpectéq; conſideremus. Exempli causâ: Quæ cœlitùs Influentia derivari poteſt in Civitatem ex eo quòd primum lapidem vel unum aliquem lapidem ſub tali cœli aſpectu habeat collocatum? Quid hoc ad totam Civitatem quæ per multos
Lib. 7. cap. 15, menſes, imò annos fortean poſtea eſt extruenda? Ut taceam quàm clarè ſuprà de-
16, 17. monſtraverim univerſam *Aſtrologiæ* Artem merum eſſe nugamentum. Adeò ut tota hæc Ceremonia nihil aliud ſit quàm conſecratio Civitatis, ejúſq; tutelæ alicujus *Dæmonis* commendatio. Et tametſi figuram admitteremus *Teleſmaticam*, putà *Ciconiæ* vel *Scorpionis*, Scorpiones abigere poſſe & Ciconias, quomodo tamen poteſt

Teleſmatica

Teleſmatica hominis ſtatua hominem abigere & Fortalitium Provinciámve inexpugnabilem conſervare ab inimicorum incurſionibus? quemadmodum fecerunt argenteæ Statuæ in *Thraciæ Illyriæq;* conſiniis conditæ, quas *Valerius* mandavit ut effoderentur auferrentúrque, ex quo illæ Regiones paucis pòſt diebus *Gothis Hunniſq;* inundabantur. Præterea res mira eſt, quòd humanæ ſtatuæ tale diſcrimen inter homines ponerent, ut ab horum quidem partibus ſtarent, illis verò adverſarentur, quando figuræ *Teleſmaticæ* aliorum Animalium, ſui generis omnia promiſcuè fugant. Quæ quidem ejuſmodi ſunt quæ ex *Naturæ* legibus nullo pacto poſſint explicari.

6. Si qua ſit vis naturalis in hiſce rebus, eam certè à *ſimilitudine* oriri oportet; verùm quàm ridiculum eſt cogitare hanc ſimilitudinem quicquam commercii habere cum Aſtris? Etenim tametſi nomen ibi ſit, putà, *Scorpionis*, nullus tamen ibi eſt Scorpio, nec ulla ejus Imago. Quòd ſi vis aliqua *Antiſcorpionia* in iſta Conſtellatione eſſet, materies metallúmve quod eam ullatenus recepturum eſt, reciperet eam in alia quavis figura æquè ac in figura *Scorpionis* & in aliquibus fortè commodiús. Cæterùm hæc Influentia, cùm nihil aliud ſit præterquam tenues quædam particulæ quæ Scorpionis ænei poros pervadant, æquè facilè poteſt exire atq; intrare, locúmq; cedet proximè ſubſequenti Influentiæ, atq; ſic eadem nunquam permanebit. Eſt igitur omnino *Similitudo Scorpionis ænei* quam oportet Scorpios abigere. Cujus rei nemo quiſquam, ſi vera eſſet, ullam rationem excogitare poſſit præter communitatem *ſpiritûs Naturæ*, & Inſtantiam illam unius chordæ trementis ad ictum alterius ſibi uniſonæ, ſympathiæq; in perſonis propter rationem ſimilitudinis & cognationis; ut in duobus illis fratribus Infantibus, per omnia oppidò quàm ſibi invicem ſimilibus, *Rhegii* natis in *Gallia*, quorum unus ſi ægrotabat, contriſtabatur, ſomniculoſus erat, alter ſtatim eodem modo afficiebatur. Quæ maximè plauſibiles ſunt rationes quas *Gaffarellus* affert pro ſua adeò adamata concluſione. Si igitur *Scorpii* & *Culices* à loco fugiebant ex poſitione *figuræ Culicis* vel *Scorpii*, ex ære putà vel alio aliquo metallo conflatæ, hanc ego rationem eſſe augurarer, quia *ſpiritus* ſcilicet *Naturæ* dum duriter diſſonéq; afficitur in hujuſmodi corpore quod perfectam talis alicujus animalis ſimilitudinem gerit, poteſt aliquatenus durum abſonúmq; ſenſum in talibus etiam Animalibus excitare, quæ proinde in hujuſmodi loco deprehendentia ſeipſa duriter ingratéq; affici, nunquam profectò committent ut ſatis longè ſe ab eo non contineant. Cæterùm ſi hæc vera ſit cauſa, hujuſmodi *Teleſmata* fieri poſſunt abſq; omni reſpectu ad cœleſtes Configurationes. Unde rurſus omnes iſtæ Aſtrologicæ Ceremoniæ demonſtrari poſſunt meræ nugæ eſſe ac næniæ.

Quin & hoc ipſum ego demonſtrabo nugamentum eſſe nugaciſſimum, nullámq; omnino vim eſſe naturalem in *Teleſmatis*; quod ex ipſorum Hiſtoria evincam. Etenim *Gregorius* nobis narrat aut *Gaffarellus*, ſi pars aliqua *Teleſmatis* abrumpatur, effectum ceſſare, (quod quidem afferre potuiſſemus tanquam argumentum quòd virtus *Teleſmatis* in ipſa figura omnino ſita ſit) Exemplum autem adducunt *Crocodili Teleſmatici* cujus maxilla abrupta erat. Crocodili enim exinde ſtatim redierunt. Quod mihi profectò indicium eſt effectum non eſſe à *Spiritu Naturæ* ſed à ludicris quibuſdam & præſtigioſis Dæmonibus quibus cordi eſt humano Generi imponere. Nam ſi *Ani Teleſmatici Phallúſq;* in eas partes operantur, cur non & ſupradictus Crocodilus qui maxillâ mancus erat, operaretur in omnes partes Crocodilorum præterquam maxillas, quod certè ſatis cruciatûs eſſet ad eos à locorum finibus abigendos. Atq; ille *Phallus* cujus mentionem facit *Gregorius* (quem is rectè, ut opinor, inter *Teleſmata* numerat) curabat cruciabátve *Athenienſium* pudenda, perinde ut illi numen recipiebant cui conſecrabatur. Unde conjecturam quivis capere poteſt de reliquis hoc genus nugamentis.

7. Rurſus, Hæc *Teleſmata* contra iſtiuſmodi res fabricantur quæ nullam vitam ſenſúmve in ſe habent, ut contra Ignem atq; Aquam. Quorum Inſculpturæ nullas tales habere poſſunt Similitudines, quemadmodum cuivis patet, quibus *Spiritum Naturæ* ulli omnino operationi illigent, & tamen *Gaffarellus* venerabilem narrat Hiſtoriolam de *Teleſmate* contra Ignem ſub ponte *Pariſiis* reperto. Quod certè ſi vim ullam naturalem haberet ad conſervandam Civitatem ab immanioribus incendiis quæ ædes conſumerent ac demolirentur, impediviſſet etiam Incolas ab accendendis candelis per Ignarium, digitíſq; calefaciendis pruinoſo mané. Curioſus tamen hic Philoſophus videtur nihilominus dolere hujus *Teleſmatis* jacturam, quaſi inde eſſet, prout ille ait, quòd Civitas ab eo uſq; tempore crebris incendiis ſit expoſita. Verùm ſint ſculpturæ *Teleſmaticæ* Ignis atq; Aquæ, eis rebus quàm ſimillimæ, adeò ut eas ſperare poſſimus aliquo modo *Spiritum Naturæ* affecturas, tamen cùm nulla ſit ſagacitas nec ſenſus in fluvio putà *Lyco* quem *Apollonius* hac Arte cohibuit, nec in

Igni

Igni jam exiſtenti, (multóq; minùs in eo qui nondum exiſtit) quomodo ſe ſubducere poſſunt ab eis locis ubi *Teleſmata* reconduntur, cùm nullam habeant, ſicut Animalia, facultatem ſe movendi ſpontaneam?

Poſtremò ſunt ſanè *Teleſmata*, quæ nullam omnino habent ſimilitudinem cum eis rebus quas debent abarcere; ut ſtatua illa ænea Equi cum Seſſore *Conſtantinopoli* erecta adversùs contagium peſtilentiale; quæ, prout illi narrant, poſtquam erat deſtructa, Civitas præter ſolitum ſubjecta eſt Peſtilentiis diríſq; Mortalitatibus. Navis etiam illa ænea illîc *Teleſmaticè* conſecrata adversùs pericula tempeſtuoſi illius maris, nullam omnino habebat ſimilitudinem cum Aqua Ventóve, & tamen ejuſmodi virtutis erat ut, poſtquam pars ejus erat abrupta atq; perdita, mare ſtatim ad priſtinum ſuum ingenium ac furorem redierit; verùm parte eâ poſtea repertâ, & ad reliquam navim agglutinatâ, mare continuò factum eſt tranquillum. Divellebant igitur denuò experimenti faciundi causâ, Ventíq; cum eo ac mare ſubitò turbidi erant ac tumultuabantur, adeò ut Navis commodè appelli non poſſet ad portum; verùm Navi æneâ rurſus ritè compactâ ac ferruminatâ Venti Maréq; rurſus miteſcebant ſilebántque.

Quamobrem ſi quis oculos ſuper totum argumentum abſq; omni præjudicio conjecerit, vix poteſt ſanè quin pronunciet eum qui ſibi perſuadere valeat virtutem *Teleſmatum* eſſe naturalem, eſſe quidem magìs abſurdè credulum quàm vel ſimpliciſſimum *Superſtitioniſtarum*, qui unquam extiterunt.

8. Ex his quæ dicta ſunt ſatìs conſtat, Serpentem æneum à *Moſe* in deſerto erectum, non fuiſſe *Teleſma* eo ſenſu quo *Gaffarellus* vocem vult intelligi, hoc eſt, non fuiſſe ſculpturam, ſtatuam, vel ſimilitudinem alicujus rei arte *Aſtrologicâ* fabricatam, cujus effecta, aut in malis futuris averruncandis aut in medendis præſentibus, omninò ſint à cauſarum naturalium concurſu, (tametſi earum Applicatio ſit artificialis;) quarum præcipua ſit cœlorum Influentia & figura *Teleſmatis*. Manifeſtum enim eſt nihil quicquam hujuſmodi fieri poſſe. Verùm ſi intelligant per *Teleſma* talem figuram alicujus creaturæ ritu Religioſo in prædictos fines conſecratam, nihil impedit quò minùs *Serpens æneus Teleſma* appellari poſſit, ſive à voce *Hebraica* צלם quæ ſignificat *imaginem*, ſeu à *Græca* τέλεσμα, quæ conſecrationem denotat. Factus eſt enim ex præſcriptione Divina, abundéq; ad quod erigebatur, præſtitit effectum. Verùm ſanationes cùm ſupernaturales eſſent, cúmq; nec figura nec materia Serpentis quicquam ad ſanandos eos contribueret qui ab ignitis ſerpentibus morſi eſſent, manifeſtum eſt quòd *Moſi* integrum fuiſſet aliâ quâvis figurâ *Teleſmaticâ* æquè ac *Serpentis* uti, (cùm nihil rei ipſi ſubeſſet quod ad eam ipſum invitaret) ſi Deus ipſe utiq; illum eò non moviſſet. Neq; imaginari poſſumus ullam aliam cauſam cur Divina Revelatio ei hanc formam ſuggereret præterquam quòd magnum aliquod ſuberat Myſterium. Aliquid igitur quod ſummoperè ad Eccleſiam Dei ſpectat, in eo denotabatur; Et quod initio dicturus eram, remotis jam omnibus obſtaculis, rurſus hîc reſumo, & fidenti voce pronuncio, Quòd manifeſtum erat, quantumvis Typicum, de *Paſſione Meſſiæ* vaticinium, déq; illius uſu, ídq; tam perſpicuum ut nulla verba eam accuratiùs nobis præfigurare potuiſſent. Analogia enim ac ſimilitudo exquiſitiſſima eſt, modò oculos in totam rerum ſcenam conjicere velimus.

9. *Iſraëlitæ* enim in deſerto quàm naturaliter repræſentant Chriſti Eccleſiam in mundo? Iidémq; ab ignitis ſerpentibus morſi nos ipſos libidinum veneno infectos & vexatos, excruciatóſq; conſcientiæ morſu, poſtquam peccatum intraverit in animas noſtras? Quid magìs ad vivum repræſentare poterat *Servatorem in cruce pendentem* (qui cùm *peccatum non noverit* pro nobis tamen *factum* eſt *peccatum*) quàm hic *Serpens æneus* ligno tereti in caſtris *Iſraëlis* impoſitus? Qui quidem externam habebat figuram *igniti Serpentis*, verùm tantùm à ſerpente aberat ut nihil commune cum ſerpente haberet præter *externam* ipſius formam, & ſanabat præterea omnes qui morſi eſſent à venenoſis illis ac lethiferis ſerpentibus. Ità beatus Servator immunis peccati ipſe exiſtens, & tamen in externa peccati ſpecie maximè deformi quæ ipſi indui poterat, (utpote qui inter duos capitales malefactores paſſus eſt, quemadmodum de eo prædictum erat *quòd cum ſceleratis reputandus eſſet*) eſt certè in hac poſitura (ubi tam vivam peccati gerit Imaginem) univerſæ Dei Eccleſiæ, quoties ignitis peccati percellantur incitamentis mortiferíſve pungantur angoribus morſúq; Conſcientiæ, quæ exulcerata ſunt iſta vulnera, quæ peccatum relinquit in anima poſtquam ſemel ab ipſo morſa ſit; eſt, inquam, ad hunc modum in cruce pendens, ſi in ipſum cum oculo fidei reſpiciant, Remedium præcellentiſſimum, præſentiſſimúmq; delenimentum dolorum ſuorum ac morborum quod cogitationibus hominum poteſt offerri; ejuſmodi ſaltem hominum qui humili animo ſunt atq; ſincero.

2 Cor. 5. 21.

Eſai. 53 12.

10. Quantùm

10. Quantùm verò ad eos, qui ſui exiſtimatione intumeſcunt, qui perverſæ ſunt rationis, & ingenii elati ac *Luciferiani*, qui ſubtilitatem opinioſi ſui Acuminis curioſámq; arcanorum omnium inquiſitionem tanto in pretio habent, majoríſq; faciunt naturales ſui animi dotes quàm Amicitiam illius qui amavit nos uſq; ad mortem, hi profectò homines non ſunt exuberantis dulcedinis illius benignitatis ſuavíſq; condeſcenſionis Divinæ Providentiæ in ſua manifeſtatione Jeſu Chriſti filiis hominum factâ idonei guſtatores & æſtimatores, utì nec præfervidus *Enthuſiaſtes* fatuarum ſuarum Revelationum, Divinarúmq; (prout is eas opinatur) viſitationum ſenſu repletus, tam intrepidus, tam inflexilis, tam perfectus (quemadmodum vana Imaginationis ſuæ blandimenta ſibi perſuadere volunt) ut nihil ſanè præter Deum ac ſeipſum dignum ſuis cogitationibus judicet, nec omnino dubitet immediatum ſe præſtare Omnipotentis Clientem abſq; omni Medioxumi interpoſitu cujuſmodicunque. Ad eam uſq; duritiem tumorémq; cordis accrevit hic, ſui opinione turgeſcens, Enthuſiaſtes. Cæterùm verus hujus Character is eſt qui apud Apoſtolum *Judam* occurrit, *Quòd non ſit utiq; niſi os loquens prætumida, inflatus, animalis, Spiritum non habens.* Et ejuſdem ferè farinæ ii etiam ſunt qui meditationem *Paſſionis* Chriſti omninò negligunt, quanquam tam inſignem vim habet ad extinguendos ſupprimendóſq; in ipſis omnes igneos motus peccati. Cæterùm *blaſphematores* ſuprà quàm dici poteſt execrabiles ſunt iſti quorum ſuperbia ac opinioſitas fecit ut perſonæ Chriſti in altiſſimis ſuis angoribus in cruce convitiarentur, illúdq; peccaminoſæ alicui infirmitati & imperfectioni imputarent, quod non niſi congruum erat immenſi ponderis perpeſſionum *illius* effectum, qui totius mundi peccatum portavit quíq; factus eſt pro ipſis Piaculum apud Deum. Et tamen quia exclamavit in verbis illius Pſalmi, qui valde graphicum eſt de *Perpeſſionibus* illius vaticinium, *Deus mi, Deus mi, cur me dereliquiſti?* jus ſibi idcirco datum putavit fatuus ille *Fanaticus* ab *Amſtelodamo*, ſuíſq; Senioribus illuminatis gloriandi ſe perfectiores eſſe ipſo Dei filio, cujus tamen certus adventus in mundum tam clarè demonſtratur ex antiquis vaticiniis *veteris* Teſtamenti, támq; manifeſtò confirmatur commemoratis miraculis *Novi.*

11. Atq; jam judicium omnium hominum appello ſi ipſe *Satanas* quicquam potuit effutire malignum magìs magíſve contemptuoſum adversùs demerentes Perpeſſiones ſemper beati Servatoris (qui ex chariſſimo ſuo affectu erga genus humanum horrendos illos mortis angores ſubibat, pérq; graviſſimam vadabat Dei indignationem pro peccatoribus) quàm perditi hi homunciones, qui ſe mundo commendare volunt ſub ementita ſpecie Titulóq; Hypocritico *Familiæ Amoris*, cùm tamen uſum *Paſſionis* Chriſti antiquando ipſíq; Chriſto tam nefariè in cruce convitiando toti mundo demonſtrent ſe nè minimum quidem habere ſenſum experientiámve tam Divini Myſterii, ſed & improbos Apoſtatas eſſe à Deo qui purus ille eſt ac Divinus Amor, ſubverſoréſq; regni filii ſui Jeſu Chriſti: In quo nec elati hujuſmodi Enthuſiaſtæ nec ulli aridi aſperíq; Ratiocinatores ac Diſputatores unquam habituri ſunt partem aut jus, uſq; dum Giganteos hoſce mores depoſuerint factíq; ſint (quemadmodum Servator Chriſtus qui illa eſt infallibilis veritas, præſcripſit) tanquam pueruli, talium enim ſolummodò eſt regnum cœlorum, prout Princeps illius Regni declaravit. Hos igitur amplexatus eſt & benedixit, quando in vivis erat; his moribundus in cruce brachia extendit ut eos reciperet; his guttas ſanguinis lacrymavit, ut illi viciſſim lacrymas amore ſaucii effunderent. Pro his cæſus eſt flagellis, ut illi propriarum ſuarum libidinum malarúmq; concupiſcentiarum exorbitantias caſtigarent. Pro his pretioſum ſuum ſanguinem profudit ut illi morerentur peccato & Juſtitiæ viverent per illam virtutem quæ Jeſum Chriſtum excitavit è mortuis. Hæc eſt crucis ſtultitia, ſcandalum ſanè non ſolùm Infidelibus, ſed multis etiam eorum qui haberi volunt fervidi ac intelligentes Chriſtiani. *Matth. 19. 12.*

CAP. XVI.

1. *Finem* Perpessionum *Christi non esse solummodò* Conscientiæ pacificationem *sed &* extirpationem peccati, *testimonio Scripturæ probatum.* 2. *Plura Testimonia eòdem spectantia.* 3. *Inutilitas ac Jejunitas* Allegoriæ Passionis *Christi si conferatur cum Applicatione* Historiæ. 4. *Applicatio* Perpessionum *Christi contra Superbiam & Avaritiam*; 5. *Ut & contra Invidiam, Odium, Vindictam, inanem Lætitiam, Angores Mortis & Amorem inhonestum.* 6. *Generalis Applicatio mortis Christi ad mortificationem omne genus peccati.* 7. *Celebrationis* cœnæ Dominicæ *sensus atq; utilitas.*

1. CÆterùm quòd hic sensus sit *Perpessionum* Christi, hoc est, quòd nos debeamus in carne pati ac mortificare membra nostra peccato obnoxia, præter id quod ipse Servator insinuavit comparando seipsum *Serpenti æneo* in Deserto, cujus aspectus non *dolorem* solum sedabat eorum qui morsi essent, sed auferebat etiam *venenum* (unde tutò concludere possumus, quòd intuitus Christi in cruce non solùm *sanationi stimulorum Conscientiæ* post peccatum commissum inservit, sed & abolendo veneno & corruptioni Peccati nè quando in posterum peccatum committamus) manifestum est porrò ex eo, quòd ipsi Apostoli utilitatem urgent Christi crucifixi ad hos utrosq; fines ac proposita. *Johannes* 1 Epist. cap. 2. *Filioli mei, hæc vobis scribo, ut non peccetis*; *Quòd si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum, justum, qui idem piaculum est peccatorum nostrorum.* Hunc verò Crucis usum, *Propitiationem* utiq; pacémq; Conscientiæ, omnes sibi arripiunt. Nobis incumbit magis ut producamus ejusmodi loca quæ alterum usum, *Mortificationem* utiq; peccatorum, ostendant. Illud S. *Petri* 1 Epist. cap. 4. valde expressum est. *Igitur Christo pro vobis corpore supplicium passo, vos quoq; eâdem mente armamini, siquidem qui corpore supplicium tulit is peccare desiit, nè deinceps ad hominum cupiditates sed ad Dei voluntatem reliquum in corpore tempus vivat. Satis enim est vobis præterito vitæ tempore extraneis morem gessisse, versantes in libidinibus, cupiditatibus, vinolentiis, commessationibus, potationibus, & nefariis simulachrorum culturis.* Ad quem sensum æquè plenè loquitur cap. 2. v. 19. *Hoc enim gratiam emeretur si quis, quoniam sibi sit Dei conscius, dolores fert, patiens injustè. Ad hoc enim vocati estis, siquidem Christus quoq; pro nobis injuriam passus est, vobis præscriptum relinquens ut ejus vestigia subsequamini*; *qui peccatum nullum commisit nec extitit in ejus ore dolus: qui convitiantibus convitia non regerebat, injuriam patiens non minabatur, sed rem justè judicaturo committebat. Qui peccata nostra ipsa suo corpore sustulit in patibulum, ut peccatis defuncti justitiæ vivamus: cujus vibice vos estis sanati. Eratis enim quasi palantes Oves: sed nunc ad Pastorem & animorum vestrorum curatorem convertistis.* Quid manifestius hoc ipso confirmare potest usum Crucis ad curandum abolendúmve peccatum?

2. Sed & audiemus insuper quid S. *Paulus* dicat, 2 Tim. c. 2. v. 11. *Certa res est, si simul mortui sumus, simul etiam vivemus*; *si toleramus, etiam unà regnabimus*; *si negamus, ille quoq; negabit nos.* Equidem hoc certissimum est tam de *interna mortificatione* quàm de afflictionibus *externis.* Mentióq; fit mortis Christi ad sustentandos animos nostros in utrisq; perferendis. Et Philip. 3. v. 10. *Ut Christum cognoscam & vim Resurrectionis ipsius & communionem perpessionum ipsius, dum conformis fio ipsius morti.* Ut quemadmodum Christus scilicet in cruce mortuus est, ità ille per crucem mori possit mundo omnibúsq; illius vanis cupiditatibus. Eósq; qui aliter ambulant non potest quin *crucis hostes pronunciet, utpote quorum Deus est venter, qui gloriam sibi in sua turpitudine collocant*; *quiq; terrestria sapiunt*, v. 8. Et Gal. 6. 14. *A me verò absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*; *per quem mundus mihi crucifixus est & ego mundo:* hoc est, mundus mihi non est nisi mortuum spectaculum, siquidem affectus mei erga ipsum sunt mortui. Concludam cum præclaro illo loco Rom. 6. 3. *An ignoratis quicunq; sumus Christi Jesu nomine baptizati, ad ejus mortem esse baptizatos? Sumus ergo unà cum eo per baptismum ad mortem sepulti: ut quemadmodum Christus ex mortuis in paterna gloria resurrexit, sic & nos in vitæ novitate gradiamur. Si enim ejus mortis similitudine insititii facti sumus, etiam Resurrectionis erimus: illud scientes veterem nostrum hominem*

nem ſimul eſſe crucifixum ut peccati corpus aboleatur, nè nos ampliùs peccato ſerviamus. Etenim qui mortuus eſt, à peccato eſt liber.

3. Videtis ut vehementiſſimæ Apoſtolorum Exhortationes ad enecandas ſuperandáſq; libidines noſtras acuuntur conſolidantúrq; opportunis recurſitationibus ad *Crucifixionem* Servatoris. Quæ alluſiones ſi nihil ampliùs eſſent, quàm quod abſurda illa ac perverſa Secta, quam toties nominavi, eas ſignificare volunt, (qui tanto ſtudio univerſæ Chriſti *Hiſtoriæ* in meram *fabulam Allegoricam* à capite ad calcem convertendæ allaborant, tanquam ſi nihil eſſet præterquam fictitia rerum repræſentatio in nobis moraliter tranſigendarum) argumentum profectò nullius planè eſſet momenti. Nam *mors Arietis Hircive* etiam multò aptiùs repræſentandæ mactationi ſenſualium noſtrarum cupiditatum inſerviret quàm *mors Chriſti*, ut qui erat tam innocens perſona. Cæterùm vis Argumenti in hoc omnino conſiſtit; Ut perſona non ſolùm tam immaculata atq; innocens, ſed tam ſancta ſacráque, tam venerabilis ac Divina, filius Dei viventis, ſic de cœlo declaratus, evidentérq; prædictus per ora infallibilium Prophetarum, ídq; ad tot ſeculorum diſtantiam, talíſq; indubitatò per propria ſua miracula demonſtratus, & per illud miraculum miraculorum, Reſurrectionem ejus à mortuis, viſibilémq; Aſcenſionem in cœlos in conſpectu ſuorum Diſcipulorum, ut tam illuſtris ac Divina perſona, ut hic Dei filius, per chariſſimum affectum atq; amorem erga Genus humanum ſe non ſolùm paupertino ac deſpicabili vivendi modo committeret, ſed nec cædi diffugeret nec flagellari mortíq; tandem tradi & dolorificæ & ignominioſæ, cum latronibus & malefactoribus, atq; id in eum duntaxat finem ut iram Dei ſedaret cœlíq; portas humano Generi huc illuc palanti longiúſq; indies à primæva ſua felicitate aberranti aperiret; hoc profectò iſtiuſmodi Argumentum eſt quod vel duriſſimum cor liquefaceret, tardiſſimúmq; ingenium ad promptam alacrémq; perfunctionem illius officii quod tantoperè ipſi incumbit, excitaret, nimirum ut obfirmatiùs ſi fieri poſſit apud ſe omnibus ſuis peccatis mundaníſq; vanitatibus mori ſtatueret, quàm Chriſtus olim vitam ſuam deponere ſtatuit, ut ab eis ipſum liberaret.

4. Ingens hæc mortis Chriſti *Potentia* tam invincibilem habet efficaciam apud eos qui meditationi ipſius ſeriò volunt immorari, ut nullum Peccati Fortalitium ei reſiſtere potuerit, nec ullus ſit malus ac inordinatus Affectus quem conſideratio hujus *Paſſionis* non ſedaverit, ſuppreſſerit, prorſúſq; ſubjugaverit. Vel ipſa Circumſtantiarum *Perpeſſionum* ipſius enumeratio etiam ea ipſa vitia ſordere faciet quibuſcum maximam contraxerimus familiaritatem, tranquillabítq; omnes illas perturbationes animíq; inquietudines quibus adverſiſſima vitæ Accidentia propriáve noſtra Infirmitas nos poterunt exponere. Nummorum amator es? Quin erubeſcis ô homo dum apud teipſum recolis, quòd *Avaritia* Servatorem tuum prodidit nummíſq; vendidit triginta argenteis? Quîve abſtinere potes à communicando bona tua cum pauperibus, cùm Chriſtus tuâ gratiâ proprii ſanguinis tam prodigus fuerit? Superbia turgeſcis? Quî fit ut non pudeat efferre teipſum, poſtquam unigenitus Dei filius formam aſſumpſit hominis, immò hominis conditionis infimæ, ſubmiſítq; ſeipſum factúſq; eſt obediens uſq; ad mortem, etiam ad ignominioſam mortem crucis, ut nos doceret *Humilitatem*, ut *eadem in nobis mens eſſe poſſet quæ erat in ipſo*, ut loquitur Apoſtolus? Num neglectus incedis, deſpicatui habitus, aut convitiis laceratus? Servatori tuo alapas impingebant, illudebant, ſputúmq; in faciem ejus expuebant. Tui Inferiores tibi præferuntur? *Barabbas* vir probior habitus eſt quàm *Jeſus*. Num amici tui malè tibi ſervant fidem? Chriſtus à *Juda* proditus eſt per oſculum. Num de acquiſitis decidis, vel ab expectatis excidis honoribus? Jeſus nullam terreſtrem Coronam geſtabat, præterquam è ſpinis contextam, nec Sceptrum præter calamum, nec Chlamydem coccinam niſi quam injurioſi milites ei induiſſent ut ei genuflecterent & illuderent. Traduceríſne per hominum ora tanquam is qui non rectè ſentiat in Rebus Religionis? Servator tuus accuſatus eſt blaſphemiæ. Qui igitur motus vel perturbationes *ſuperbiæ* inquietare poterunt animum tuum modò perpeſſiones Servatoris in memoriam revocaveris?

Philip. 2. 5.

1 Pet. 4. 1.

5. Et quantùm ad *Invidiam*, *Odium* & *Vindictam*, quî horum in te ferre potes vel leviſſimum tactum ſenſúmve dum eum contemplaris qui *ex amore* propriam ſuam vitam pro nobis depoſuit, etiam *tum cùm inimici* ejus eramus, immò pro eis ipſis hominibus qui eum crucifixerunt, Deum orans pro ipſis, *Pater, ignoſce eis, neſciunt enim quid faciunt?* Et ſi in *inanem lætitiam* facilè abriperis, quidnam meliùs ſedare poteſt levem illam ac vertiginoſam Intemperiem, quàm mœſtitiæ illius recordatio *cujus Anima undiquaq; triſtis erat uſq; ad mortem?* Et ſi maximæ & penetrantiſſimæ afflictiones te adoriuntur, quid fortiùs poterit patientiam tuam munire

Luc. 23. 34.

Matth. 26. 38.

quàm si cogitaveris de amaro illo poculo, cujus consideratio Servatorem in tantam Agoniam adegit, *ut sudaret quasi grumos sanguinis descendentes in terram?* Et postremò si Libido ac lascivia animam tentant tuam, maximè præsentaneum remedium est contemplatio moribundi tui Domini ac magistri; qui cum extensis suis brachiis in cruce rivalem se præsentat fortissimis tuis affectibus. Contemplare inclinatum Caput non coronatum quidem Rosis sed Spinis vulneratum. Aspice semiclausos oculos spiritibus olim lucidis repletos ac venustatos (quorum mites lenésq; motus perpetui erant benignitatis ejus ac commiserationis erga filios hominum interpretes) jam verò gravissimâ mortis nube obductos & oppressos. Exosculare frigida ac pallentia labia, extremúmq; spiritum excipe, & dic quæso an non in eo hunc audiveris susurrum, Potésne quicquam me intensiùs amare qui ex amore hanc dolorificam & ignominiosam mortem tuâ causâ sustineo?

6. Cæterùm quod ineptæ huic lasciviæ Passioni tanquam proprium applicavi, æquè locum habet in quolibet alio inordinato affectu; meritóq; Servator quàm inhumanè quámq; ingratè secum agitur expostulare potest & queri, quoties professi ipsius discipuli quamlibetcunq; libidinem mortificare recusent illius causâ qui ipsorum gratiâ ignominiosissimæ morti se tradidit. Ac proinde quicquid opinionis elatíq; Fatui imaginari possint de *cruce Christi* & meditatione super ipsius Crucifixionem, tanquam si res esset quæ infantes potiùs condeceret in Christianitate quàm homines adultos, ego eam profectò confidenter pronuncio *magnam Dei Potentiam* ad Salutem: Et quamdiu quisquam peccatum in se inveniat eum huc recurrere debere, ut curetur, quemadmodum olim *Israëlitæ* in Deserto, quoties morsi essent ab ignitis serpentibus ad *Serpentem æneum* quem *Moses* in castris suis erexerat, debebant respicere. Atq; eos sanè qui hujus utilitatem non agnoscunt, equidem facilè suspicor *Israëlitas* non esse, sed ipsam viperarum ac serpentum progeniem, quibus peccati venenum ità congener sit ut in naturam ipsis transierit ac oblectamentum, nè minimum quidem ipsis creans dolorem; unde nec ullam sibi quærunt curationem, sed crucem fugiunt ut Scorpii locum ubi *Telesma* contra ipsos sit erectum.

7. Verùm Christus Servator vim *Passionis* suæ ac efficaciam tam probè intellexit ut præcepto speciali de crebra Commemoratione *illius* provideret, *quòd* eum par erat non nisi semel pati. Hanc vulgò appellamus *Eucharistiam* sive sacram *Communionem*. Quæ sanè solennitas est quæ nunquam, usquedum Servator in nubibus visibiliter redierit ad Judicium, sit antiquanda, prout S. *Paulus* innuit, 1 Cor. 11. 26. *Quotiescunq; enim editis panem hunc & poculum hoc bibitis, mortem Domini annunciatis usq; quò venerit.* Usus enim ejus solidus cessare antè non potest quàm omnia sint completa. Etenim quamdiu homines profectus facere in Pietate oportet, aut animare se invicem ad sacra aliqua Incepta, aut conflictari cum peccato, aut pro victoriis Crucis gratiarum actiones concelebrare, equidem impossibile est ut sancta Eucharistia cesset.

Nam maximè propria ad Sacramentum ritè recipiendum Præparatio, est seria de *Passione* Christi quæ in eo commemoratur meditatio. Cujus consideratio quàm ingentem vim ac efficaciam habeat ad devincenda perdomitandáq; omnia genera vitiorum ac corruptionum, satìs jam indicavi. Adeò ut *Communionis* quæq; celebratio quasi repetita quædam animi destinatio esse debeat firmáq; in sanguine novi fœderis conspiratio, omni opere adnitendi ad subvertendam potestatem *Peccati*, *Tenebrarum* ac *Diaboli*; ídq; ex sensu magni illius Amoris ac Fidelitatis quam debemus charissimo nostro Servatori ac Principi Jesu Christo, qui mortuus est pro nobis, suúmq; sanguinem ad astringendum agglutinandúmq; nos sibi ipsi & nobismetipsis invicem effudit. Adeò ut Mysterium Religionis Christianæ Mysterium sit profundissimæ charissimæq; Amicitiæ, maximéq; indissolubilis Unionis atq; Affectûs qui ullo pacto concipi potest. Ubi nec loci distantia nec temporis, ullam faciunt divisionem; sed cœlum terrámq; uno vinculo continet, adnectítq; præterita præsentibus, præsentiáq; actuat ac vegetat ad prosperam felicémq; maturationem futurorum. Sic se res habet apud omnes eos qui veri sunt Christiani, sanguinémq; Christi realiter participant. Unam illi habent mentem unúmq; cor. Unum illi votum habent, quæ amplificatio est Regni Domini nostri Jesu Christi in Mundo per veritatem ac sanctimoniam, ut Pax Christiana, Fides atq; Amor florere possint usq; ad extremos fines terræ.

CAP.

CAP. XVII.

1. *Sexta* Potentia Evangelica *quæ eſt* Reſurrectio *&* Aſcenſio *Chriſti. Privilegium hujus demonſtrationis Immortalitatis Animæ præ ea quæ è* Ratione ſubtili *ac Philoſophia deducitur.* 2. *Magna vis quam hæc conſideratio habet ad impellendos homines ad vitæ probitatem*; 3. *Avellendóſq; à mundanis voluptatibus, eíſq; aſſuefaciendos quæ ſunt æternæ*; 4. *Et ad habendum ſuam Converſationem in cœlis.* 5. *Conditiones æternæ Hæreditatis.* 6. *Plures ad officium inſtigationes à conſideratione Immortalitatis Animæ.*

1. SExta *Potentia Evangelica* eſt *Reſurrectionis* & *Aſcenſionis* Chriſti contemplatio, propter quem ſtupendum Eventum Apoſtolus declaravit Chriſtum eſſe qui *mortem abolevit, & vitam in lucem produxit ac immortalitatem per Evangelium.* 2 *Tim.* 1. 10. Etenim profectò quæcunq; traditiones fuerint apud *Rabbinos Judæorum*, quæcunq; diſquiſitiones concluſionéſve apud *Philoſophos* ſive *Platonicos* ſeu *Ariſtotelicos*, de *Animæ Immortalitate*, erant certè aut in ſeipſis tam dubiæ ac fallaces, aut tam ſubtiles, & ad commune judicium popularémq; intelligentiam tam parùm accommodatæ, ut de re ſanè tanti momenti mundo neutiquam poſſent ſatisfacere. Atq; equidem ſi quis de hoc argumento ſcriberet, quantumlibet accuratè ac Apodicticè, hujus tamen ſcripti utilitas non niſi ad paucos ſe extenderet, ad eos utiq; qui ingenio ſint patienti admodum & capaci, multóq; abundent otio, & perlegendis examinandíſq; ſubtilibus hujuſmodi preſsíſq; rationis contexturis magnoperè oblectentur, quod pleriſq; profectò hominibus ingentis eſſet laboris atq; tædii. Et poſtquam quis ſcripſerit legerítq; quicquid poteſt de hoc Argumento, & vel in optimas maximéq; demonſtrativas rationes inciderit, quantùm tamen ad uſum atq; accommodationem, Recollectio ſanè earum res voluminoſa eſt ac oneroſa æquè, ac Collectiones ab ipſis incertæ ac fallibiles; ſaltem eis qui perfecti Rationis ſuæ domini non ſunt ac magiſtri. Verùm è contrà *Reſurrectio* & *Aſcenſio* Servatoris, quemadmodum res certa eſt, quippe ſic de facto eſſe per ingentem teſtium multitudinem comperta & confirmata, ità & ipſius Recordatio & Repræſentatio animis noſtris ſit ſemel, fortitérq; ferit Imaginationem, Rationémq; noſtram tam potenti convictione penetrat ut hoc credentes non poſſimus aut de *Dei Exiſtentia* aut de propria *noſtra Immortalitate* diutiùs dubitare. Et certè poſtquam ſemel ſatìs perſuaſi ſimus de *Exiſtentia Dei ſtatúq*; noſtro *immortali* poſt hanc vitam, vel hoc ſolum, quantùm ego quidem ſentio, ad ſuſtollendos nos ſufficeret ſupra omnes illos laqueos quos nobis *Satanas* in hoc mundo jacturus eſt quibus nos queat illaqueare.

2. *Mortalitas* ſanè, ſi ritè à quopiam perpendatur, non poteſt quin aliquid impedimenti nimiùm avidis Honorum & Divitiarum proſecutionibus, mundaníſq; omnibus Conſiliis ac machinationibus, quemadmodum & (ob morborum mortíſq; accelerandæ metum) profuſiori indulgentiæ voluptatum corporis ac intemperantiæ injiciat. Cæterùm futuræ vitæ certitudinem, cujus conditio talis futura eſt, qualis converſatio noſtra in hoc ſtatu ſemina jecerit, ſive in felicitatum ſive in miſeriam, ídq; ineffabiliter ſuprà quàm quod contingit vel contingere poteſt in hac vita; hanc ſanè conſiderationem tantam in ſe vim habere oportet, ſi ritè perpendatur, ut nobis ſumma cum alacritate omnes illicitas voluptates ac molimina *hujus mundi* tranſitorii relinquere perſuadeat, ut jus aliquod acquiramus in *futuro*, nec omnia uni carinæ concredere, ſi quicquam omnino, fatiſcenti nimirum vaſculo hujus *mortalis* corporis, quod propè ſubinde abeſt ut aut ſubſidat aut ſubvertatur, atq; ſic ſpes noſtras omnes ſubmergat quas in eo collocaverimus. Quamobrem quemadmodum à S. *Petro* accepimus, *Debemus tanquam advenæ ac peregrini abſtinere à carnis cupiditatibus quæ adverſùs animam militant*, ut Animi noſtri exeuntes impolluti ac puri à ſordibus ac contagio hujus contaminatæ terræ in qua peregrinantur, in beatam Societatem recipi poſſint *ſpirituum hominum juſtorum conſummatorum*, ut loquitur Author ad *Hebræos*. Cum è contrà ſi polluti exeant & impuri, par omninò eorum futura ſit & conſimilis receptio. Siquidem tradendi ſunt in poteſtatem deformium illorum incolarum *Inferni*, quorum aſpectûs & ſocietatis vel ipſa cogitatio ſufficere poſſit ad deterrendum quemlibet, qui ad Atheiſmum uſq; non ſit dementatus, ab aſſimilando ſeipſum per repetitos vitii ac improbitatis actus ſordidis hiſce ac fœtidis Carceronibus: Ut prætermittam ſupplicii dolorem qui & ad externos ſenſus ſontéſq; Conſcientias inevitabili Dei vindictâ in ipſos ingruente, pertinget. *1 Pet.* 2. 11. *Hebr.* 12. 23.

3. Quam-

3. Quamobrem rationi omninò conſentaneum eſt, ut *mundo hoc utamur, tanquam ſi ipſo non uteremur*, útq; addicamus noſmetipſos ejuſmodi voluptatibus quæ maximè propriæ ſint ſtatui futuro; Cujuſmodi ſunt delicioſiſſimi illi tactus ſenſúſq; *Divini Amoris*, purúſve ille ac *intellectualis* affectus quem S. *Paulus* appellat *Charitatem*: Quâ alieno bono oblectamur æquè, ac ſi noſtrum eſſet: Quâ exultamus in Divina Sapientia ac Bonitate quæ è creaturis eluceſcit: Quâ amplificationem cupimus Regni Chriſti ardentiùs infinitò, quàm ullam privatam cuicuimodi ſit utilitatem, fidelitérq; promovemus avidéq; expectamus lætam conſummationem perfectionémq; magni Myſterii Pietatis in pleniſſima ſua Periodo uſq; ad finalem Triumphum in *Peccatum* & *Satanam*, perfectámq; Redemptionem Eccleſiæ Chriſti in glorioſam libertatem filiorum Dei.

Coloſ 3. 1. 4. Hæ ſunt legitimæ voluptates Animæ quæ conſilium iniit de fruenda vita futura; Animæ, quæ ſurrexit cum Chriſto, ac proinde quæ ſuperna ſunt quærit, ubi Chriſtus ad dextram Dei ſedet. Et ex hac ipſa ratione Apoſtolus ſuam urget exhortationem, Coloſ. 3. *Mortificate igitur membra veſtra terreſtria, ſcortationem, impuritatem, mollitiem, cupiditatem* malam, & *avaritiam quæ eſt Idololatria.* Et *Matth.6.19.* Servator in Sermone ſuo in monte: *Nè congerite vobis opes in terris ubi & ærugo tineaq; corrumpunt & fures perfodiunt ac furantur. Sed vobis opes in cœlo congerite ubi nec ærugo nec tineæ corrumpunt nec fures perfodiunt aut furantur. Nam ubi veſtræ erunt opes, ibidem erit & veſter animus.* Atq; idcirco S. *Paulus* de ſeipſo profitetur (& exhortatur alios ut eum imitentur) quòd animus ejus totus occupetur in ſupernis, Philip. 3. 17. *Eſte mei imitatores, fratres, & eos conſiderate qui ità ſe gerunt, ut nos exemplum habetis. Nam noſtra quidem obverſatio,* τὸ πολίτευμα ἡμῶν (Res noſtræ municipales, noſtræ maximi momenti negotiationes) *in cœlis eſt, qua de Civitate nos ſumus, & de qua Servatorem expectamus Dominum Jeſum Chriſtum qui humile noſtrum corpus ſic transfigurabit, ut eandem cum ejus glorioſo corpore formam habeat, pro ea vi quâ ipſe ſibi ſubjicere poteſt omnia.*

5. Et certè is qui per fidem ſemel hæc poſſedit, perquam mirum ſanè mihi videtur, ut de re quapiam alia cogitaret. Quemadmodum nec *Captivus* abſtinere ſe poſſet à voluptate cogitandi de ſtato Die ſuæ libertatis, vel *pauperculus* quis de hæreditate quæ poſt certos aliquot annos ad ſe ſit deſcenſura. Et ſi conditionalis eſſet, quemadmodum hæc Regni cœlorum eſt, facilè concludere poſſimus quanti ſuâ intereſſet omni ſtudio curare ut conditiones propoſitæ obſerventur, omnéſq; nervos intendere ad qualitates ejuſmodi acquirendas quæ faciant ut nè jus perdat fruendi illâ Fortunâ quæ aliter illi naturaliter in ſortem eſſet ceſſura. Quæ verò neceſſariæ qualitates ſint eorum qui æternæ illius Hæreditatis Hæredes ſunt futuri, Scriptura ma- *Apoc.* 21. 27. niſeſtò declarat. *In civitatem ſanctam non intrabit quicquam profanum.* Nulli poſſunt eſſe *Hæredes* hujus Regni præterquam *Dei filii:* Nec ulli *filii Dei* præterquam qui *Dei Spiritu aguntur*, Rom. 8. Et quinam fructus effectúſq; hujus domeſtici Ductoris ſint, ipſe Apoſtolus jam perſpicuè enarravit, Galat. 5. *Fructus ſcilicet Spiritûs eſſe Charitatem, Gaudium, Pacem, Lenitatem, Benignitatem, Bonitatem, Fidem, Manſuetudinem, Temperantiam. Et qui Chriſti ſunt* (ſub cujus ſolius Titulo nobis licet regni cœlorum jus nobiſmetipſis vendicare) *carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentiis.* Atq; rurſus, Rom. 8. 13. *Nam ſi carnis arbitrio vixeritis, morituri eſtis; ſin ſpiritu corporis actiones peremeritis, vivetis*; hoc eſt, vivetis vitam pacis, gaudii & juſtitiæ hîc in terris, & æternæ poſtea gloriæ in cœlis.

6. Videtis igitur quàm vehementem vim habeat *futuræ Beatitudinis Meditatio* in verè credentem, quámq; eum excitet ad allaborandum quàm enixiſſimè poteſt ut *Divinæ* fiat *Naturæ* particeps, & ad aſpirandum ad debitam menſuram ſanctitatis, ſine qua neceſſariò expectatâ noſtrâ felicitate excidemus. Quæ quidem conſideratio non poteſt quin animum ejus ab enormibus voluptatum, utilitatum atq; honorum hujus mundi cupiditatibus abalienet. Quæ tametſi multas non haberent ſibi intermixtas vexationes & amaritudines nec curam multam ac ſolicitudinem, ſed certæ pro hac vita eſſent ac integræ, cùm ipſa tamen vita incerta ſit, & longiſſima ejus duratio non niſi inſtar inſomnii curſoríſve qui velociter præterit ſi cum noſtra alibi futura commoratione conferatur, auſim equidem proprio cujuſvis hominis *mundani* computo relinquere, quàm miſerum pepigerit pactum, perdendo quod futurum eſt pro hiſce temporariis fruitionibus; multò certè pejus quàm is qui ſuum *jus primogeniti* unico rufo edulio vendidit. Cæterùm nolo in argumento tam facili ac perſpicuo longiùs expatiari. Omnis certè ſapientia, omnis eloquentia humana eum movere non poteſt quem ſatìs nota illa ſed admodum ponderoſa Servatoris verba non

non moverint, *Quid verò proderit homini ſi vel totum mundum lucratus fuerit, & animæ ſuæ jacturam faciat? Aut quam dabit homo animæ ſuæ compenſationem.* Marc. 8. 36.

CAP. XVIII.

1. Dies Judicii *ſeptima & ultima* Potentia Evangelica, *digna quam Regenerati æquè ac Irregeniti animis ſuis recolant.* 2. *Illius Dici incertitudo, quòdq; impios inopinantes opprimet.* 3. *Qui oblatam hîc gratiam obſtinatè rejiciunt, in nihilo meliori conditione fore poſt mortem quàm ſint ipſi Diaboli.* 4. *Fœneſtiſſimi* Crepuſculi veſpertini *terribilis illius Diei Domini Deſcriptio.* 5. Matutinæ *ejus* Apparentiæ *terror hominibus improbis.* 6. *Ulterior ejus Deſcriptio.* 7. *Tranſlatio Eccleſiæ Chriſti ad* æthereas *ſuas* manſiones, *cum brevi Deſcriptione* cœleſtis *eorum* Beatitudinis.

1. VEnimus jam ad ſeptimam & ultimam *Evangelicam Potentiam*, quæ *conſideratio eſt tremendæ illius ſolennitatis Diei Judicii*; Cujus vel ipſa mentio ex ore *Pauli Felicem* Prætorem fecit contremiſcere. Atq; equidem fateor tam durum eſſe telum, ut magìs idoneum videatur ad contundenda obdurata *Infidelium* corda & Irregenitorum quæ ferro incruſtata ſunt atq; ſilice, quàm ad molitiones ullas adversùs verè *Regeneratos*, ac *ſincerè credentes*. Nam illæ alteræ *Potentiæ Evangelicæ* magìs accommodatæ ſunt ac abunde ſufficientes ad faciendum ut ii cum alacritate & conſtantia in divinis ſemitis incedant. Verùm eſt & in hoc Die Judicii Objectum vel maximè ſeriis ipſorum cogitationibus haud ſanè indignum; Quæ perfectio eſt & conſummatio Redemptionis Piorum. *Omnes quidem non obdormiemus ſed omnes mutabimur*, ídq; in melius. 1 Cor. 15. 51. Quicquid enim mortale eſt immortalitatem tunc induet, nullíq; Sanctorum viliori veſte circumveſtientur quàm corpore *cæleſtis* ſeu *ætheræ* conſiſtentiæ. Hæc eſt incorruptibilis illa Corona Gloriæ, Vitæ, ac Juſtitiæ cujus Apoſtoli mentionem faciunt ſanctúſq; *Paulus* expreſsè declarat ſibi reſervatam eſſe in eum Diem, in *Diem* ſcilicet *Judicii*. *Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi Juſtitiæ corona quam reddet mihi Dominus in illo Die, juſtus ille Judex; non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus qui illuſtrem illum ipſius adventum expetiverint*; hoc eſt, quorum affectus & conſcientiæ adeò ſinceri ſunt ut nihil longius ipſis ſit quàm ut conſummatam perfectámq; Eccleſiæ felicitatem videant; tantúmq; abſunt à timore, ut corda eorum exultarent præ gaudio dum clangorem tubæ audiant cœlúmq; cernant propter cœleſtes ipſius copias per univerſum aërem diffuſas, reſplendeſcere. 2 Tim. 4. 8.

2. Hæc igitur meditatio cùm ad *Inconverſos* juxtà pertineat atq; *Converſos*, perperàm ſanè à nobis fuiſſet omiſſa. Et ut meliorem habere poſſit effectum, noſtri ſanè officii eſt ea ſuggerere, quæ aut diruere valeant aut prævertere ejuſmodi falſa fatuáve munimenta quæ mens humana contra ipſam extruere poſſit, quò fortes illius impetus in animam conſcientiámq; eludat. Atq; hæc duo præcipua ſunt. Unum, *longum illud hinc temporis intervallum ad Diem illum*, quod terrorem illius admodum diminuit, ſicut ea visûs objecta minora videntur quæ longiùs ab oculis removentur. Alterum eſt, *ſpes quædam quod intra tam longum temporis ſpacium data erit pœnitendi convertendiq; opportunitas, quamvìs totam hîc ſuo arbitrio vitam inſtituant.* Poſſunt enim ſeipſos præparare in illum Diem vitâ illâ alterâ quæ eſt futura. Verùm ad primum reſpondeo, quòd hujus Diei appropinquatio valde incerta eſt (propter obſcuritatem vaticiniorum ipſarúmq; adeò eorum completionum) atq; ſic relinquitur ad præſens bonorum exercitium & perpetuam vexationem impiorum tam in hoc rerum ſtatu quàm in futuro. Adventus igitur ejus ſubitus erit, ad morem Cometæ Stellæve crinitæ, quam nemo prædicere poterat quando primùm eſſet apparitura, ſed terribilior multò longéq; minacior, mortem quidem huic vel illi Principi, hujúſve vel illius Reipublicæ mutationem non minitans, verùm communem cladem ſubverſionémq; omnium Regnorum ac Rerumpublicarum ipſiúſq; Terræ concremationem cum ejus operibus Incoliſq; per ignem inextinguibilem. Et certè illud màlum quod quis non novit quin Die craſtino incepturum ſit, ſi rectè conſideretur, non poteſt videri longè diſtans ſed propinquum eſſe, ſtatímq; nos oppreſſurum.

3. Ad alterum reſpondeo, Qui repudiat ſcilicet gratiam oblatam, oblatáſq; opportunitates

portunitates quibus probus ſanctúſq; evadat in hac vita, nullum majus habiturum eſſe privilegium in altera quàm ipſi habent Diaboli, qui, quemadmodum S. *Judas* nobis expreſsè enarrat, *in æternis vinculis ſub caligine magni illius Diei Judicio reſervantur*, quíq; inevitabiliter tunc fatum ſubibunt *Sodomæ* ac *Gomorrhæ*, *quæ ſempiterno igni pœnas luentes ad exemplum jacent.* Quales verò homines hi ſint, *Judas* & *Petrus* admodum graphicè deſcribunt; tales utiq; qui ſe totos exuiſſent omni Obligatione ad veram Sanctitatem ac Juſtitiam, impuræq; eſſent ac ſordidæ Converſationis; *Fœdi ſomniatores qui carnem quidem polluunt, Dominatum verò rejiciunt, convitiíſq; inceſſunt Dignitates*, Balaami *ſectatores deceptione mercedis veritatem pervertentes*; *labes in Chriſtianorum conviviis, irreligiosè conviventes, & abſq; omni metu ſeipſos paſcentes, nubes aquâ carentes ventis circumactæ, arbores emarcidæ, infrugiferæ, bis emortuæ, eradicatæ, undæ maris efferatæ, deſpumantes ſua ipſorum dedecora, ſtellæ erraticæ, quibus caligo tenebrarum in æternum eſt ſervata.* De quibus nihilo plus ſpei ſupereſt quàm de *Lucifero* & execrabilibus ſuis ſociis. Sanctúſq; *Petrus* de ipſis eandem planè ſententiam pronunciat, nam iidem prorſus ſunt homunciones; Spiritus utiq; confidentes & audaces, arrogantes & nimiùm quantùm ſibi placentes, deſpicientes Dominatum, Dignitatéſq; convitiis inceſſentes. *Qui prætumida vanáq; loquentes ineſcant libidinoſi corporis cupiditatibus eos qui propemodum eos effugerant qui in errore verſantur. Comeſſatores diurni, oculos habentes plenos adulterii, & qui à peccando ceſſare neſciant*, nec abſtinere ab eam aliis commendando libertatem; verùm *inſtabiles animas decipiunt, cor habentes ad avaritiam exercitatum, fontes aquâ carentes, nebulæ à turbine agitatæ, quibus tenebrarum caligo ſempiterna reſervatur.* Nam cum Diabolis *deturbantur in Infernum, traditíque*, ſicut ipſi, *in tartarearum tenebrarum catenas, in Diem Judicii cuſtodiuntur*, 2 Pet. 2. Adeò ut nihil melius ſperandum ſit de hujuſmodi impœnitentibus peccatoribus poſt hanc vitam qui ſuas vaſtârint conſcientias obſtinatéq; neglexerint aut reſtiterint convictionibus multifariis, claríſq; illuminationibus, atq; oblationibus crebris gratiæ & aſſiſtentiæ per diſpenſationem Evangelii, quàm de antiquis iſtis Apoſtatis, impiis illis ſpiritibus qui captivi cuſtodiuntur in *Inferno* ad tremendum illum ac terribilem Diem Domini.

2 Pet. 2. 10, 14, 17.

4. Ad diem illum Domini in quo omnis caro infidelis contremiſcet, omníſq; facies nigrorem contrahet. Hæc enim reverà invenietur *ſævitiæ Dies, anguſtiæ angoríſq; Dies, calamitatis ac miſeriæ Dies, tenebrarum & caliginis Dies, nubiloſa nebuloſáq; Dies, tubæ clangoríſq; Dies adversùm munitas urbes adverſúmq; pinnas altas* non *Judæ* ſolùm ſed adversùm omnes Nationes Terræ. Nam ipſe Dominus deſcendet de cœlo ut ſibi vindictam ſumat de inimicis ſuis. *Sumet armaturam ſuæ vehementiæ, & rerum naturam armabit in hoſtium ultionem. Sumet inexpugnabilem ſanctitatis clypeum & ſeveram iram acuet in enſem, ipſéq; adeò mundus unà cum eo dementes oppugnabit. Ferentur collimantia jacula fulgurum, & tanquam ex ritè curvato nubium arcu in ſcopum deſilient, ac ex lapidante furore grandines plenæ jacientur: Sæviet in eos aqua maris, calidíq; amnes inundabunt eos ſubmergéntque. Diffiabuntur ventis ignitis, rapidíſq; turbinibus defatigabuntur, nec pacem ullam invenient nec ſolatium in æternum.* Lunæ ac Stellæ lucem ſuam ſubducent, ipſéq; adeò Sol in ſanguinem convertetur. Nihil enim præter caligines, nebulas ac fœtores, nihil præter vapores ſulphureos, æſtus ſuffocantes, nubes piceas horrendo tonitru ac fulgure onuſtas, immenſos terræ motus & innumeras ſubterranearum flammarum eruptiones, vulcanos crepitantes, fumantes montes, alta tortuoſáq; ignium flumina ac volumina ab ardentibus ſylvis nemoribúſq; conſurgentia, ſonoras ejulationes miſeróſq; ululatus perterritorum hominum ac brutorum, apparitiones tetricas ac truculentas, profundos horridóſq; excruciatarum animarum gemitus, nihil præter hujuſmodi calamitoſa Objecta, poſtquam ſemel finalis vindicta impiorum turbam oppreſſerit, Terræ Aëríſq; ſcenam explebunt.

Sophon. 1. 15.

Sapient. 5. 17.

5. Hujuſmodi eſt funeſtum illud *Crepuſculum veſpertinum* terribilis Diei Domini; Aſpectúſq; ejus *Matutinus* non multò lætior erit aut *profano homini* aut *Hypocritæ.* Spes enim Hypocritæ non poteſt quin eum fallat, córq; ipſius ad inſtar lapidis ſubſidat, dum juſtum videt Judicem, qui cor perſcrutatur atq; renes, venientem in nubibus cœli ad vindictam ſumendam de improbis, & ad bonos ab imminenti fato, quod tellurem manet, liberandos. Atq; equidem ſuperbus dicaculúſq; Epicureus, qui Religionem irridebat tanquam Imbecillitatis quandam ſpeciem & Fatuitatis, impudentérq; negabat Deum exiſtere ullámve eſſe Providentiam, tunc ſanè ſummo cum ſuo dedecore ac confuſione propriam ſuam agnoſcet Philoſophiam, quam tam egregium ingenii ſpecimen putaverat, infeliciſſimam in quam incidere potuiſſet ſtultitiam eſſe

ac

ac dementiam. Confutabitur enim etiam ad externos ſuos ſenſus quando ipſum Chriſtum videbit adventantem, omnibus ſuis cœleſtibus copiis comitatum, quando Tubæ clangorem audiet, ſpectabítq; continuò totum aërem rutilantibus Sanctorum Angelorúmq; Legionibus repletum. *Clangetur enim*, inquit Apoſtolus, *atq; tunc ii qui jam ex hac vita exceſſerunt*, apparebunt ſtatim in cœleſti ſua armatura in corporibus ſuis glorificatis. Neq; enim ii qui in vivis ſunt, eos prævenient qui ſunt mortui, ſed potiùs è contrá. Nam eos qui obdormierint in *Jeſu* Deus adducet ſecum, armabítq; eos ſplendidâ armaturâ vitæ ac Immortalitatis, quò pars fiant glorioſi illius exercitûs Angelici cum quo ſummus noſter Princeps ac Servator *Jeſus Chriſtus* Tellurem pauliſper aſpectabit in conſternationem maximam ac terrorem Turbæ Impiorum.

6. E quibus per Miniſterium Angelicarum cohortum Sanctos ſuos colliget, qui vivi in carne inveniantur, ab omnibus partibus terræ, ut Angeli olim *Lotum* eripiebant è *Sodoma* quando Civitas deſtruenda erat igni ac ſulphure de cœlo; Qui Typus erat proculdubio hujus *Judicii finalis*. Et certè ſive per celerem fiat deſcenſum curruum igneorum *Eliano* conſimilium, qui tutò ſic ſubvectus eſt in cœlos, & mille circiter annis pòſt cum Servatore in monte verſatus eſt, ſeu clarè nitentes nubes aurigarum ſuorum cœleſtium gloriâ ac ſplendore rutilantes ſupponantur ipſis tanquam ſcabella quibus conſcendant (neq; enim periculum eſt nè corporum pondus perrumperet, terrâ tunc carnéq; tam ſubitò in purum ætherem mutatis) ſeu quæcunq; alia pompa & ſolennitas eſſe poſſit in ipſorum tranſportatione à reliquis Mundi Incolis ad glorioſum illum cœtum qui omnium hominum oculos in cœlos aſpectantium perſtricturus eſt & conſternaturus; hæc viſibilis bonorum ſelectio ac ſecretio à malis, improborum corda neceſſariò impletura eſt terrore ac horrore ineffabili.

Idq; partim propter prodigioſa Accidentia inexpectatæ hujus viſitationis ſupernaturalis quæ ipſos propter infidelitatem ſuam adeò inopinantes oppreſſerit, & partim ex triſti rerum futurarum præſagio, horridæ nimirum illius funeſtæq; Tempeſtatis quàm modò deſcripſimus, noctis utiq; perpetuæ tonitruum & fulgurum & terræmotuum, rugituum & ululatuum, omnigenæq; confuſionis & deſtructionis in æternum.

7. Quæ dira vindicta poſtquam execrabilem illam turbam derelictam à Deo, rabidæq; irritatorum Elementorum ſævitiæ traditam invaſerit, victorioſa Chriſti Eccleſia cum reliquis Angelicis copiis recedent, in æthereas Regiones perquam pulchro ordine aſcendentes amabilíq; apparatu; & reſonantem ætherem, dum incedunt, canticis Gaudii & Jubilationis replentes. Etenim hic maximæ eſt ſolennitatis Dies Feſtúmq; ſplendidiſſimum quod celebrari poteſt in cœlis; quorum Incolæ ſi unius peccatoris converſione lætentur, quæ gaudia, quas ovationes eos agere oportet in completa totius Eccleſiæ Redemptione? Ubi *Jeſus Chriſtus* ſalutis noſtræ Princeps qui *ad plenum ſervare* novit, perfectè nos redimit, *corpus* pariter atq; *animam*, captivámq; Captivitatem ducens, nóſq; ex poteſtate aſſerens *Inferni*, *Mortis* ac *Diaboli*, in propriam noſtram patriam reſtituit, rurſúſq; nobis confirmat antiqua illa filiorum Dei Privilegia, concives nos conſtituens cum puris & impollutis Angelis, plenóſq; participatores omnium Jurum atq; Immunitatum ejus Regni cœleſtis; etiam illius Regni ubi Ordo eſt & Regimen ſine Invidia & Oppreſſione, & ſine omni Superſtitione Religio. Ubi eſt pulchritudo ſine labe, amor ſine libidine, dulcedo ſine ſatietate. Ubi ſplendor eſt externus ſine ſuperbia, concentus muſici ſine aſperitate & diſcrepantia, amicitia ſine omni ſordido propoſito, ſapientia ſine rugis, & ingenioſitas ſine inani gloria. Ubi eſt beneficentia ſine omni malo dolo, activitas ſine laſſitudine, ſanitas ſine morbo, & voluptas ſine dolore. Et deniq; ubi viſio eſt Dei, ſocietas Chriſti, Angelorum familiaritas & communio Sanctorum; ubi eſt Amor & Gaudium & Pax & Vita ſempiterna.

Ex cujus ineffabilis felicitatis conſideratione quæ Concluſio magis genuina inferri poteſt quàm ea quam S. *Paulus* ſuper eodem argumento jam intulit, *Itaq; fratres mei dilecti, firmi eſtote, immoti, abundantes in opere Domini ſemper, quum ſciatis laborem veſtrum non eſſe inanem in Domino.* 1 Cor. 15. 8.

Hebr. 7. 25.

CAP. XIX.

1. *Quòd nulla poteſt eſſe Religio quæ majorem vim habeat ad promovendam* Divinam *illam* Vitam *quàm Chriſtianitas.* 2. *Externus* Divinæ vitæ *Triumphus quàm bene firmatus, quámq; plenè celebratus.* 3. *Religioſus orbis Chriſtiani ſplendor.* 4. *Spiritus Religionis Ceremoniarum onere ſuffocatus.* 5. *Voluptas quam fideles devotiq; ſervi Jeſu Chriſti à Divino honore Perſonæ ipſius etiam ab improbis præſtito percipiunt.*

1. SAtis jam conſpectui veſtro naturam uſúmq; hujus ſeptifarii *Machinamenti*, h rum ſeptem *Potentiarum Evangelicarum* expoſuimus, quàm validæ ſint ad diruendum quodlibet peccati munimentum, & ad *divinam* in nobis *vitam* ſpiritúmq; Juſtitiæ extruendum. Quòd verò tam parùm in orbe Chriſtiano hactenus præſtiterint, eam ſanè diſquiſitionem in debitum ſuum locum tempúſq; differam. Intereà loci univerſum Mundum appello an ulla excogitari poſſit Religio quæ magis idonea ſit ad hoc propoſitum quàm ſit Religio Chriſtiana.

2. Quantùm verò ad externos *Divinæ vitæ* Triumphos reſpectu *perſonæ* Chriſti, Religionis noſtræ uſus hac in re demonſtrabilis eſt non ſolùm ab ipſius natura ſed etiam à diutinis conſtantibúſq; effectis quæ hactenus obtinuit in orbe Chriſtiano. Nam quantùm ad Religionis noſtræ naturam, plenum ſanè nobis conſtituit jus exhibendi *Divinum* Chriſto *honorem*, ſummum quem exprimere poſſumus; cùm tam perſpicuè in ea declaratus ſit *verus Dei filius* non ſolùm per multa de cœlis teſtimonia, ſed etiam per modum ſupernaturalem ipſius generationis in utero virginis per inumbrationem Spiritûs ſancti, per unionem myſticam cum *æterno verbo*, per miraculoſam Reſurrectionem è mortuis, per viſibilem Aſcenſionem in cœlos, & à dextra nunc Patris ſeſſionem. Hoc ſatis ſecuritatis nobis præſtat omnem faciundi *Divinum honorem* beato Servatori tanquam unigenito Dei filio. Et certè Eccleſia, nequid juſtæ illius laudi detrahere videar, hac in re minimè parca fuit, cùm ipſa Religionis noſtræ conſtitutio ad hoc propoſitum tam efficaciter conduceret. Etenim in tam *Divina Perſona* quàm eſſet Chriſtus (qui verus utiq; erat Dei filius, & tamen ad tam horridam mortem humani Generis causâ ſe demiſit) quî potuit Gens humana adeò devincta, in exhibendis ipſi omnigenis amoris ſui ac devotionis Teſtimoniis modum ſibi imponere?

3. Innumeras itaq; erexerunt Templorum, Sacellorum aliorúmq; religioſorum ædificiorum ſtructuras magnificas illiúſq; nomini conſecraverunt, Sacerdotium Chriſtianum ampliſſimis Reditibus ac Dignitatibus donaverunt, Inſtrumenta muſica in Eccleſiis erexerunt, Hymnóſq; Divinos in honorem Servatoris cantaverunt; Ornârunt Templa, Paſſionem ejus cum ineffabili affectu ac reverentia celebrârunt, Feſta inſtituerunt, omnéq; tempus locúmq; tantâ ornamentorum varietate repleverunt, ut maxima pars ſplendoris pompæq; Orbis Chriſtiani Religionis gratiâ facta videretur. Quod certè ſpectaculum futurum fuiſſet pulchrum admodum & amabile, niſi quòd *Superſtitio*, *Hypocriſis* & *Tyrannis Eccleſiaſtica* per eandem feneſtram in Dei Templum irrepſerit.

4. Verùm externus hic cultus ejúſq; Ceremoniæ, res quidem, quæ à malis æquè ac à bonis præſtari poſſunt, & à merè *Naturali* perinde homine atq; à *Regenerato*, hæ ſanè enormiter creſcebant & ad inſtar noxiarum herbarum luxuriantium Triticum ſuffocabant; vel, quod in plenis contingit nimiúmq; pinguefactis corporibus, (in quibus naturalis calor atq; activitas multùm diminuitur) Rituum viſibilium ingens onus atq; moles vitam ſpiritúmq; Religionis extinguebant.

5. Cæterùm utcunq; exterior hic honos Servatori præſtitus continuavit, & magna ex parte etiamnum per totum Chriſtianum Orbem continuat, quanquam ipſius ſignificationes ubiq; non ſunt perinde ſplendidæ atq; urbanæ. Quæ Divini honoris ipſi præſtiti continuatio non poteſt quin fidelibus ſuis devotiſq; ſervis plurimùm gratificetur, ut qui profundum ſenſum habent dedecoroſarum perpeſſionum quas Dominus ſuus ac Magiſter ex chariſſimo erga ipſos affectu ſuſtinuit, naturalitérq; proinde Tributo hoc Divinæ Adorationis lætantur tam ſanctæ ſacræq; perſonæ ab Hominibus collato, cùm tam congrua pars ſit præmii Humiliationis illius ac Ignominiæ. Nec mediocrem ſanè porrò percipiunt voluptatem, ex eo quòd Divina Providentia de veris etiam Chriſti membris (quorum mores animíque ſenſa mundanis moribus ac rudimentis adeò ſunt oppoſita, Perſonæq; tam inviſæ aut

aut contemptibiles) ità rem ordinaverit ut mundus tamen submississimis prostrationibus id in Christo adorare cogatur, quod in suis membris despicatis adeò proterit proculcátque.

Verùm huic Argumento diutiùs non immorabor, cùm satìs copiosè alibi de eo sim locutus. Demonstravimus jam *utilitatem Mysterii Pietatis* quantùm ad rationes omnes *Sacras* ac *Religiosas*. Quantùm ad res hujus præsentis vitæ valeat, verbo absolvam, partémq; *Tractatûs* quartam sic concludam.

CAP. XX.

1. Utilitas *Christianitatis ad bonum hujus vitæ per* Servatorem *sanctúmq;* Paulum *testificata.* 2. *Ejusdem ab ipsa rei natura probatio.* 3. *Objectiones contra Christianitatem quòd ad res* politicas *minùs sit idonea.* 4. *Concessio, primariam Evangelii intentionem non esse* Regimen Politicum, *cum illius concessionis usu.* 5. *Nihil esse in Christianitate quod Regnis ac Rebuspublicis non magnoperè prosit.* 6. *Eas ipsas res, quas Christianitati objiciunt, finem Regiminis Politici quàm efficacissimè promovere. Quemadmodum facit* Charitas, *exempli causâ.* 7. Humilitas, Patientia, *& inordinatarum Cupiditatum* Mortificatio. 8. *Invincibilis Fortitudo quam* Amor Christi *&* consociorum suorum membrorum *Christiano militi inspiret.*

1. QUòd *Christianitas aliquid felicitati etiam hujus præsentis vitæ contribuit*, evidens est tum à testimonio Christi & Apostolorum, tum ex ipsius rei natura, Matth. 6. Ubi Servator postquam nos hortatus est ut nimis solliciti non simus de rebus hujus vitæ, cibo ac vestitu, exponens nobis ante oculos Divinæ Providentiæ curam in creaturis multò minoris pretii quàm nos simus, quàm pulchrè provisum sit *volucribus aëreis quæ neq; serunt neq; metunt, nec in cellas congerunt, quámq; splendidè vestiantur agrorum Lilia neq; laborando neq; nendo*; concludit demum, nos tanta cum cura hujusmodi res quærere, quantâ mundano ingenio homines solent, minimè oportere. Sed *quærite primùm*, inquit ille, *Regnum Justitiámq; Dei, & ista omnia vobis addentur.* Et *Paulus* ad *Timotheum*, *Pietas ad omnia utilis est, promissiones habens & præsentis & futuræ vitæ.* 1 Tim. 4. 3.

2. Et si consideremus ipsius rei naturam; Præsenti felicitati à vera Christianitate, non quidem solummodo *virtute promissi* sed ex *naturali* etiam *dependentia causarum* & eventuum magna profectò fit accessio, præsertim postquam Christianus ille animi tenor ad aliquem notabilem gradum pervenerit perfectionis & maturitatis. Neq; enim *persona* est in universo mundo *magìs devinciens* quàm *Christianus maturus & adultus*, nec ulla verior prudentia quàm alios devinciendi studium. Quæ quidem animi modificatio quantò sincerior est eò est amabilior, eóq; securius contra Fortunam adversam munimentum. Quam igitur utilitatem *Humanitas* habet, eam certè habet in gradu summo. Ut taceam *tranquillum* ejus *castigatúmq;* *spiritum cautum* eum efficere & suprà quàm dici potest *consideratum*, sagacémq; sanè supra omnem opinionem hominis irregeniti. *Fidelitatem* etiam ejus atq; *honestatem alacrémq; industriam* propriæ suæ comitantur Beatitudines. Et *moderata Divitiarum* ac *Honorum cupiditas commendabiliſq;* eorum *usus* nullâ conspurcatus labe aut avaritiæ sordidæ aut inanis ostentationis, malignè intentata spicula secretæ *Malitiæ* & *Invidiæ* aut prævertit aut repellit. Et si mediocris tantùm rerum hujus mundi portio ipsi in sortem obtigerit, nihilo tamen minor est ejus animi acquiescentia dum illud verum reperit quod & *David* & *Salomon* pronunciaverunt, *Multò utiq; præstare rem tenuem justorum, quàm impiorum opulentiam.* Et quando magìs intolerandæ pressuræ & afflictiones in eum incidunt, cujusmodi sunt magni morborum Paroxysmi, Incarcerationes, ipsiúsq; adeò mortis aggressiones; tamen etiam in his ejus conditio (suprà quàm dici potest) superior est, præquam ut alius quivis mortalis sit capax. Etenim quò magìs hæc *externum hominem* urgeant, eò magìs *internus* inflammatur accenditúrq; ad exercitium earum facultatum quæ maximè sanctæ sunt ac pretiosæ; & nullâ quidem indigentem admonitione (quanquam tam aptâ sanè ac appositâ quàm sit illa *Epicteti*, Νῦν ἐστιν ὁ ἀγὼν ἤδη πάρεστι τὰ Ὀλύμπια) ipsæ rerum circumstantiæ Christianum hunc *Athletam* ad exerendas omnes animæ vires & ad felicitet *Psalm.* 37. 16. *Prov.* 16. 8.

armis utendum spiritualibus, quibus accinctus est in hunc diem Conflictationis, sine mora excitabunt. *Fides* enim & *Devotio* & experrectiores de *statu altero Meditationes* ità munient illius spiritus, animúmq; corroborabunt, ut in tota hac afflictione plusquam victor evasurus sit per virtutem Christi quæ eum ad omnia reddit idoneum. Et quò magis hujus præsentis vitæ gaudia minuantur, tantò magis mens ejus defigetur in ea quæ sunt futura.

3. Brevis hæc subindicatio sufficerit ad ostendendum quàm unicuiq; vero Christiano ad hujus præsentis vitæ solatia in *privata* sua conditione utilis sit Christianitas. Verùm prætermittere non possum quin eam porrò utilitatem exponam quam *Communitas* hominum percipiet ex eo quòd veri facti sint Christiani. Ad quod equidem eò vehementiùs moveor quoniam quidam de Christianitate tanquam de Religione corporibus *Politicis* nunquam destinata, rebúsq; publicis admodum incommoda non dubitârunt pronunciare. Quasi Christiana *Humilitas*, *Carnis Mortificatio*, & *Tolerantia injuriarum* ità debilitaret gentem & effœminaret, ut eam æquè *inermem* redderet ac *innocentem*, armísq; infestantium Finitimorum ac ferocitati victrici proderet. *Charitatis* verò præcepta tam acriter inculcata manus omninò laxarent eorum qui ad laborandum satis robusti sint, itáq; totam terram Mendicis desidiosis implerent. Hujusmodi cavillationes malevoli quidam non solùm adversùs Religionem Christianam, ut opinor, sed adversùs omnem omninò Religionem quæ inordinatos eorum affectus coërcere possit, adinvenerunt & in vulgus sparserunt, sed in ignorantiæ propriæ detectionem magis atq; ignominiæ, quàm ullius imperfectionis aut ineptitudinis in Christianitate quò minùs Religio esse possit florentissimorum Regnorum ac Rerumpublicarum quæ possunt constitui.

4. Ut propositis igitur Objectionibus respondeam. Equidem in primo loco cum ipsis agnoscam, Evangelium primariò, ad utilitates hujus vitæ non fuisse destinatum, nec habere in se Propositum ullum Politicum de rebus publicis administrandis, sed de efficiendis hominibus, in privata sua conditione, bonis ac beatis, & de formandis ipsorum animis in eam vitæ ac sanctitatis formam quæ eos maximè certos facere possit de illa lætitia ac gloria quæ verè credentibus in mundo altero sit reposita. Verùm intereà loci non possum quin simul adnotem, quantò manifestius est nullum Politicum mundanúmve Propositum esse in Evangelio, tantò esse evidentius nullam ipsi fraudem malúmve dolum subesse, nec technam ullam esse machinationémve *astuti* alicujus *Legislatoris*, sed sanctum, sincerum & infallibile Testimonium voluntatis Dei de vera via ad salutem, æternámq; Animarum humanarum felicitatem.

5. Cæterùm tametsi hoc ipsis tam liberè concesserim, nego tamen quicquam omninò esse in Religione Christiana, nisi quod non solùm cum felicitate Reipublicæ Regnive quod *reverà* factum sit Christianum consistat, sed eam maximoperè promoveat. Inanes enim verborum sonitus rerúmq; nomina nihil efficiunt. Itaq; affirmo, quòd quascunq; habere præcellentias aliæ Religiones existimari possunt ad sinceram obedientiam supremo Magistratui præstandam, & ad res bonâ fide transigendas inter homines privatos, (qui generalis est omnium Religionum scopus, quatenus corporibus *Politicis* inserviant) has certè habet Christianitas & ex fundamentis magis evidentibus & indubitatis quàm ulla alia Religio cujusmodicunque. Quæ enim per universum terrarum orbem Religio est quæ eam demonstrationem exhibere potest vitæ futuræ, quam Christianitas in Resurrectione beati Servatoris, infallibili illo pignore immortalis felicitatis, omnibus suis sectatoribus exhibet? Veritas igitur Christianæ Religionis ritè repræsentata cùm tam irrefragabiliter *literatos* juxtà atq; *illiteratos* convincat, Cor ac conscientia non *Populi* solius sed etiam *Magistratûs* eò magis indissolubiliter devincietur ad sua sibi officia mutuò præstanda. Cujus effectus est pax inviolabilis, & simul cum ea omnia ea vitæ solatia quæ optimæ Leges ac Regiminum formæ ad felicitandum quamlibet Nationem collineare prætendunt.

6. Immo addo porrò eas ipsas res quas illi contra Christianitatem objiciunt, tales esse, quæ si natio reverà evadat Christiana, efficacissimè omnium, Politici Regiminis fines sint promoturæ. Quorum is unus è præcipuis est, ut *mutuò nobis invicem opitulemur prout res nostræ efflagitaverint.* Quid autem ad hoc magis conducere potest quàm *Charitas?* Neq; sanè ullum periculum est nè hæc mutuò nobis succurrendi propensio *communitatis Politicæ* studia ac conatus relaxaret, cùm curam eorum tantummodò lenitura sit demulsúraq; industriam, & excruciantem illam exemptura solicitudinem, quæ eos necessariò invadit qui nimis certo nôrunt, nisi ipsi se sustinere valuerint, fieri non posse quin pereant. Quæ rerum suarum desperatarum consideratio eos ad omnimodas fraudes technásq; compellit quibus seipsos possint conservare. Quæ quidem vitæ inconsolabilitas malæq; illius tentationes in Republica

lica verè ***Chriſtiana*** ac charitati proinde ſincerè dedita, maturè præciduntur. Nec tamen deſidia indè aletur increſcétve, ſiquidem eadem Chriſtiana animi temperies univerſos facit beneficiorum conferendi magìs cupidos quàm accipiendi, juxta generoſum illud Servatoris dictum, ***Beatius eſt dare quàm accipere.*** *Act.* 20. 35.

7. Et quemadmodum extra controverſiam eſt, quòd ***Humilitas***, ***Injuriarum Tolerantia***, atq; ***enormium carnis cupiditatum Mortificatio*** in Republica Chriſtiana ad pacem certiſſimè tendunt fidelémq; Juſtitiæ adminiſtrationem in rebus omnibus (unde enim bella ac diſſidia, violentia ac injuſtitia, niſi ab inordinatis carnis noſtræ cupiditatibus, à ſuperbia nimiæq; vindictæ cupidine?) ità etiam veriſſimum eſt, quòd nè minimo quidem momento nos magìs obnoxios reddant hoſtium Invaſionibus, tanquam magìs ignavos indè ac puſillanimos factos. Debita enim cupiditatum carnis Caſtigatio corpus reddit magìs ſanum, rerúmq; aſperarum & labòrum patiens, cùm è contrà luxuria ipſum putridum ac effœminatum faciat & morborum omni generi expoſitum. Et inſcita ſanè res eſt & planè ridicula exiſtimare, Quòd ***Humilitas*** Chriſtianos tam cicurata effectura ſit animalcula, ut hoſtis eos pro libitu manu tollere poſſit de humo & quaſi loculo impoſitos ſecum deportare. Etenim ***Chriſtiana Humilitas*** in eo non conſiſtit, quòd contenti ſimus in ſervitutem redigi ab hominibus, ſèd in non contemnendo alios, nec nobiſmetipſis quicquam arrogando, injuſtúmve Dominium quærendo in alios pro noſtra voluntate ac libidine.

8. Nec certè ***Patientia*** erga injùrias particulares Chriſtianum omnino aſſuefacit ad remiſſiùs reſiſtendum injuſto patriæ ſuæ ac libertatis Invaſori. Nam illud ipſum Principium, ***Divinus*** utiq; ***Amor***, qui ad privatas injurias ferendas eum inſtigabat, quarum damnum faciliùs computare poterat, æquè vehementer eum urgebit ad repellendam publicam violentiam in Chriſti corpus ingruentem, qui chariores ipſi ſunt quàm propriorum oculorum pupillæ, quorúmq; res, etiam ipſius judicio, tantum rem ſuam privatam excedit quantum eorum numerus perſonam ſuam ſingularem. Hujus amor igitur erga Chriſtum qui pro ipſò mortuus eſt, cujuſq; cauſa tunc reverà periclitabitur; Hujus ſincerus erga conſocia ſua membra affectus quibus moribundus eorum Dominus ſacrum illud amoris mutui Legatum reliquit, ipſorum etiam animis id ſtupendo ſuo exemplo imprimens, qui cùm eis tot gradibus præſtaret demiſit ſe tamen ad ignominioſam & acerbam mortem crucis ut ipſi ardenter integréq; ſe invicem amarent, & ſi quandò res tulerit, proprias ſuas vitas non hæſitarent deponere pro ſe invicem; Firma hujus fiducia in Providentia Divina ſpecialíq; aſſiſtentia eorum qui bella ejus gerant; Hujus deniq; præſentis mundi moderatus amor, certáq; felicitatis fruendæ in altera vita ſtatim poſt hujus perditionem, expectatio: Conſideratio, inquam, harum rerum omnium ità milites Chriſtianos armabit (ſint in privatis ſuis moribus quàm mites humiléſque, quàm agnini cicuréſq; volueris) tantâ animoſitate ac fortitudine ut non poſſim quin præſagiam Benedictionem illam ***Moſaicam*** Incepta eorum ſemper eſſe comitaturam; ***Ut quini utiq; centenos & centeni decies mille in fugam verſarent.*** ***Eos enim*** Jehovah ***præcedet, eos Deus Iſraëlitarum colliget.*** Quæ igitur natio cum tali populo, qualis hic, conflictari poteſt? Etenim neq; vis eſt nec conſilium contra Omnipotentem. *Levit.* 26. 8. *Eſai.* 52. 12.

MAGNI

MAGNI MYSTERII PIETATIS EXPLANATIO.

LIB. IX.

CAP. I.

1. Myſterii Pietatis *proprietates* derivativæ. 2. *Certum quendam modum* Obſcuritatis Venerationem *gignere, nobis ab ipſis ſenſibus ſuggeſtum*; 3. *Confirmatúmq; omnium Religionum ſuffragiis, & à natura animi* reconditi reſervatíq; *in hominibus illuſtratum.* 4. Ignorantia & Ruſticitas *eorum hominum qui unamquamq; Divinam Scripturæ veritatem Objectum fore intellectûs ſui* comprehenſibile *expectant, etiam in ipſis* modis *ac* circumſtantiis. 5. Repugnantias *nihilominùs è Religione excludi debere.* 6. Divinitatem Chriſti *ac Divini* Numinis Triunitatem *nihil* repugnantiæ *in ſe continere.*

1. EXpedivimus jam quatuor primas *Myſterii Pietatis* proprietates, ſiquidem de illius *Obſcuritate, Intelligibilitate*, de ejus *Veritate* ac *Utilitate* tractavimus. Supráque, ex his alias quatuor Proprietates oriri monuimus, (quas, ſi lubet, appellare poteris *Derivativas*) ut exempli causâ, Ex *Obſcuritate* hujus Myſterii, illius oritur *Venerabilitas*; ex *Intelligibilitate, Communicabilitas*; è *Veritate, vis extorquendi Aſſenſum*; & ex *Utilitate* deniq; *affectuoſa* illius *Exiſtimatio, zelúſq;* ac deſiderium promovendi quantum poſſumus ejus cognitionem ac virtutem per totum terrarum Orbem. Reſtat igitur ut de his ſingulis aliquid dicamus ſed quantâ poſſumus brevitate.

2. Debitum quendam *Obſcuritatis* modum *venerabilius* Myſterium efficere, veritas eſt quæ nobis à multis Obſervationibus ſuggeritur. Quomodo *Umbræ* & *Silentium* ipſos ſenſus afficiant quilibet teſtificari poteſt qui non tam durâ rudíq; corporis texturâ filóq; ſit ut eum *craſſa* ſolummodò & *vehementia* Objecta moveant. Is verò cujus ſenſus *paſſivi* magìs ſunt ac *delicati*, quomodo, dum in aliquod umbroſum inviúmq; *nemus lucúmve* intrat, affectus ſit, cujus arborum conferta denſitas umbræq; multiplicatæ aſpectum ejus prohibent ac ſpem unquam tranſeundi per omnia quæ in ſacro illo ſolo creſcunt, cum haud mediocri voluptate narrare poteſt: verùm quæ videt tanquam jucunda admodum atq; amœna approbat, & peculiarem interim percipit voluptatem ex divinatione illa confuſa obſcuráq; repræſentatione rerum illîc videndarum, quò oculi ejus in præſens penetrare non poſſunt nec pedes appropinquare. *Silentium* etiam loci multùm ejus auget *ſolemnitatem*, in quo (quod rectè monet *Plutarchus*) *aliquid Profundi ſubeſt & Myſterioſi.* Atque ſanè propter hanc ipſam cauſam Umbroſitas Taciturnitásque noctis videtur, utplurimùm, perquam venerabile Objectum eis quorum ſenſus adeò acuti ſunt ac ſubtiles ut omnimodas Naturæ mutationes facilè perſentiſcant ſapidéq; dijudicent. Quæ quidem impreſſio Poëtæ imaginationem illâ deſcriptione ditavit,

Nóxq; tenebrarum ſpecie reverenda tuarum.

3. Communia

3. Communia etiam omnium Religionum ſuffragia à nobis ſunt quæ ſemper aliquid primo ſanè aſpectu haut ità facilè intelligibile affectârunt; Ipſarúmq; Templa ità extructa ſunt, ut *Adyta* etiam ſua haberent, hoc eſt, Locum aliquem magìs ſacrum & inacceſſum. Et notare porrò poſſumus quòd ſermo parcus, Animúſq; reconditus ac reſervatus in homine, naturaliter ei conciliat reverentiam. Quippe quòd reſtat adhuc aliquid in eo impervium atq; inacceſſibile, quod ſi cum aliis communicaret, honorem ſuum diminuere poſſet ac ſeipſum reddere magìs deſpicabilem. Eſt enim humana natura admodum proclivis ad miram aliquam & majorem juſto opinionem fovendam de eis rebus quas ignoret, & ad eas quas ſemel nôrit negligendas ac vili pendendas. Hi ſunt fures illi qui lubenter domum relinquunt poſtquam omnem ex ea theſaurum exportaverint. Verùm expectatio perpetua honorem continuat atq; conſervat. Et quid noſtrâ refert, ſi fundum putei ſit profunditatis immenſurabilis, modò aqua quam indè exhaurimus pura ſit ac ſalubris? Quamobrem illi qui pro abſoluta perſpicuitate ac claritate in omnibus Religionis articulis tantoperè contendunt, plus ſanè *Ruſticitatis* & *Inſcitiæ* oſtendunt quàm aut *ſubtilitatis Ingenii* aut *Judicii*, ipſorúmq; zelus non tam ex *veritatis* ſtudio quàm ex *ſuperbia* & inani gloria oritur, utpote qui animo id oppidò quàm iniquo ferunt, ut quicquam in *Pietatis Myſterio* eò uſq; *myſticum* ſit, ut ipſorum ſibi nimiùm placens ratio illud *comprehendere* non valeat.

4. Perlubenter autem ex his quæro qui tantos ſe *Rationis* Magiſtros gerunt, quíq; ſibi ſolis illum Titulum in rebus Religionis arrogant & uſurpant, per quam facultatem nobis demonſtrare poſſint Divina Oracula nullarum rerum mentionem nobis facere debere præterquam earum quæ *adæquata* ſint *Intellectûs* noſtri *Objecta*, adeò ut hærere nequeamus nec confundi in adnitendo modos & circumſtantias *comprehendere* illius generalis veritatis quam nobis proponunt. Generalis enim illius propoſitio nobis utilis eſſe poteſt etiam tum cùm circumſtantiarum curioſitas nulli alii rei inſerviat quàm fatuæ cuidam cupiditati fovendæ omnem deglutiendi veritatem quæ nobis fit obvia, & nobiſmetipſis poſtea magnificè efferendis in tam opimo ſpolio. Hæc autem dico obſcuriſſimorum Articulorum noſtræ Religionis gratiâ, de *Triunitate* ſcilicet *Divini Numinis Chriſtiq; Divinitate.* Sacram enim Scripturam utraſq; affirmare abunde ſuprà demonſtravi; cúmq; hæ Aſſertiones eâdem Autoritate nobis commendentur quâ univerſum novum Teſtamentum, quâ fronte committere poſſumus ut eas negare audeamus, & noſmetipſos interea Chriſtianos profiteri? Adverſarii enim nullam afferre poſſunt cauſam præter *modi* rei *Incomprehenſibilitatem.* Quæ certè objectio admodum iniqua eſt & nugatoria. *Lib. 1. cap. 4. ſect. 8, 9, 10 & cap. 5. ſect. 1, 2, 3, &c.*

Quod enim nobis per *Divinam Revelationem* communicatur æquè certum eſt ac ſenſus noſtri. Verùm ſenſus noſtri nos certos faciunt de ejuſmodi rebus quas nulla facultas concipere poſſit quomodo tales ſint, quales ſenſus noſtri nobis eas eſſe præſtant. Exempli causâ; Immediatam unionem materiæ cum materia, & facultatem quam habemus per voluntatem ac cogitationem movendi quodlibet corporis membrum; has res certò novimus eſſe, quæ tamen æquè *incomprehenſibiles* ſunt atq; eorum quicquam quæ Scriptura declaravit de *Deitatis Triunitate* vel *Divinitate Chriſti.* Ac proinde omnia eorum argumenta contra duos hos Articulos vana ſunt ac invalida. Sufficit enim ut in fines illos utiles quorum mentionem ſæpenumero feci, in Scriptura proponantur, verùm modo quodam magìs obumbrato, obſcuro & generali, ſiquidem hoc ſatìs eſt ad illud Propoſitum ob quod proponuntur. Et ſi quis ſe tanto Myſterio concipiendo parem non invenerit, religiosâ hic ſtatim admiratione humilíq; veneratione damnum reſarciat. Quæ affectiones quidem hominem pium magìs condecent quàm vehemens ac peremptoria rationis ſuæ opinioſæ proſecutio, & temeraria affectatio inſpectandi in ea quæ Deo viſum ſit ab oculis ſuis abſcondere. Quod æquè protervum eſt & agreſte ac peplum nobili cuivis matronæ modeſtæve virgini earum etiam ingratiis per vim vultibus abripere.

5. Cæterùm ut nulla fraus fiat veritati, nec humanum genus omnibus incredibilibus fictionibus avarorum Sacerdotum, impiorúmq; Impoſtorum fabulis obnoxium relinquatur, magìs accuratè jam præciſéq; hanc noſtram *Reverentiæ* præceptionem ad iſtiuſmodi Religionis Articulos determinabimus, qui non ob rationem ſolummodò Divinæ Revelationis utilitatiſq; ad laudabilem aliquem finem, ſed ob eorum etiam immunitatem ab omni *repugnantia & incompoſſibilitate* nobis commendentur. Nam quantùm ad me equidem ſatìs certus ſum, Deum qui facultates noſtras creavit, nihil nobis credendum unquam oblaturum eſſe quod poſt diligentiſſimam diſquiſitionem ipſis planè contradicat. Alioquin omnes Religiones perinde credibiles eſſent, Lunæq; exitus è manica *Mahometis* æquè tolerabilis narratio foret ac Hiſtoria *Jonæ*, qui

qui postquam tres dies & tres noctes in ventre Ceti mansisset, vivus dicitur exiisse. Quod tametsi *miraculosum* quidem sit, non est tamen *impossibile.*

6. Quamobrem Confidentiâ pronuncio quantâ possum maximâ, *Divinitatem Christi* & *Deitatis Triunitatem* quatenus de his Articulis Scriptura determinaverit, nullam in se habere *Repugnantiam* seu *Impossibilitatem.* Immò verò addo insuper, Quantùm ad symbolum *Athanasianum* (quod meo quidem judicio, in hoc Mysterio explicando satis distinctum est & expressum, si modò certa quædam inibi verba sensu varientur secundùm eam latitudinem cujus non solùm capacia sunt sed quam etiam necesse est ea in hoc Symbolo habere) talem equidem ejus interpretationem conflari posse, contra quam vel captiosissima ratio nullam excogitare possit Cavillationem.

CAP. II.

1. *Quòd latitudo sensûs sit in verbis Symboli* Athanasiani, *quódq;* unus *&* unitas *non idem ubiq; significent.* 2. *Similiter se rem habere in vocibus* Deus *&* Omnipotens. 3. *De voce* Æqualis, *& in quem finem tam distincta Deitatis cognitio Ecclesiæ communicata sit.* 4. *Quo sensu* Filius Spiritúsq; sanctus *Deus sint. Divinam Adorationem indubitatum eorum jus esse, sensúmq; esse* Symboli Athanasiani *satis intelligibilem, talémq; qui nec* Polytheismum, *nec* Idololatriam *nec ullam omnino* Repugnantiam *involvat.* 5. *Nullam esse difficultatem in* Divinitate *Christi nisi quam Scholæ per falsas suas Notiones* Suppositi *&* Hypostaticæ Unionis *introduxerint.* 6. *Unionem* Christi *cum* æterno Verbo *nullam implicare contradictionem, & quàm legitimum is sit Divini cultûs Objectum.* 7. *Hujusce rei Applicatio ad* Judæos. 8. *Unio Christi cum Deo cum illa Angelorum comparata qui in veteri Testamento nomen* Jehovæ *gestabant.* 9. Rationabilitas *unionis Servatoris cum* æterno Verbo, *cúrq; cum illa Hypostasi distinctim ab aliis.*

1. JAM verò necessariò supponi hanc varietatis latitudinem in sensu aliquorum verborum *Symboli*, manifestum est ex eorum consensu qui hoc quidem Mysterium summa cum subtilitate & curiositate tractaverunt. Est enim planè impossibile ut aut illi aut alii quivis existiment totius *Triunitatis* Deitatem eodem sensu unam esse quo *Pater* per se solus consideratus, vel Filius Spiritúsve sanctus sic consideratus unus sit; Tunc enim cùm nihilo plus esset *unitatis* in singulis *Hypostasibus* quàm in tota *Trinitate*, unaquæq; Hypostasis foret *triuna*, quod nemo quisquam, opinor, asseret. Unde manifestò efficitur, latitudinem sensûs in vocibus *unus* & *unitas* admittendam esse in *Symbolo.*

2. Ad eundem modum quando *Pater* dicitur esse *omnipotens*, *Filius* omnipotens, & *Spiritus sanctus* omnipotens, manifestum est vocem *omnipotens* eundem non habere sensum in illis omnibus. *Pater* enim habet potentiam æternæ generationis *Filii*, & tam *Filius* quàm *Pater* æternæ emissionis Spiritûs: *Filius* verò non procedit à *Spiritu*, nec *Pater* à *Filio* generatur. Verùm *Spiritus Filiúsque*, qui ambo à *Patre* sunt, quàm infinitis vicibus creatum mundum dignitate antecedunt. Idémq; dici potest de voce *Deus*, per quem si illud intelligis quod absolutè omnium primum est, tali utiq; sensu ut reliqua omnia sint ab ipso ipsúmq; à nullo, nec *Filius* nec *Spiritus* præcisè sumpti *Deus* dici possunt juxta hanc significationem, siquidem *Pater* ab ipsis non est sed ipsi à Patre.

3. Ac proinde porrò manifestum est vocem *Æqualis* non intelligendam esse *Mathematicè* & absolutè, sed cum utili respectu ad nos. Quæ quidem clavis est quæ totum *Symboli* Mysterium facilè aperiat; Quod Deus mundo non communicavit ad nendas indè texendásve infructuosas Aranearum telas, sed Divinæ suæ gloriæ cognitionem tam explicitè nobis impertiit, ut distinctam Deitatis in *Triunitate* naturam intelligentes *Divinitatem Christi* eò faciliùs concipiamus, & quàm legitimum is sit Objectum Divini cultûs, & Adorationis. Etenim cùm *Humanitatis titulos* pertranseat ad *æternum Dei filium*, nè minimus quidem scrupulus subesse potest umbráve Idololatriæ in hujusmodi *cultu Divino.*

4. Nam *Filius* Deus est, *Spiritúsq;* sanctus Deus æquè ac *Pater*; hoc est, omnes tres sunt *Æterni*, *Omnipræsentes*, *Omniscientes*, & *Omnicreantes.* Ac proinde Divina Adoratio citra omnem Controversiam, toti *Trinitati* à *Creaturis* debetur. Nec ob hanc solummodo rationem, sed etiam ex eo quòd adeò perfectè *unum* sunt, eandémq;

eandémq; habeant indiviſibilem Omnipræſentiam, atq; una integra propterea ſint Deitas, una coæqualis Gloria & coæterna Majeſtas. Dico igitur hâc ſignificationis latitudine ſemel admiſsâ, quæ & neceſſariò ſupponitur, talem erui poſſe Symboli *Athanaſiani* ſenſum, contra quem nulla *Polytheiſmi* involutio, vel *Idololatriæ*, ulliúſve *Repugnantiæ* vel *Impoſſibilitatis* objici poſſit, & tamen finem hujus Myſterii in hujuſmodi intelligibili Interpretatione ad plenum obtineri. Verùm talem Paraphraſin hoc in loco perficiendam in me non ſuſcipiam. Atq; id in quo jam periculum feci, per modum *Tentaminis* potiùs factum intelligi volo Invitationiſve ad alios ut ipſi vires ſuas experiantur, quàm definitæ Aſſertionis in tam profundo Articulo, qui humilem noſtram admirationem requirit potiùs quàm diſquiſitionem curioſam. Sufficit ſanè quòd quouſq; Scriptura de hoc Articulo determinaverit, extra omnem exceptionem ſit ac contradictionem.

5. *Divinitas Chriſti*, meo quidem judicio, facilius objectum eſt Fidei noſtræ, quippe quæ æquè intelligibilis eſt atq; *unio Animæ* & *Corporis*. Nam ut ambo illa unum efficiunt hominem, ità Deus & homo unum efficiunt Chriſtum, prout ipſe *Athanaſius* rem explicavit. Hoc *Scholæ* unionem *Hypoſtaticam* appellitant, quæ nullam in ſe habet perplexitatem niſi quâ ipſæ eam intricaverint. Omnis enim *ſubſtantia* ex ſeipſa ſubſtantia eſt *individua*. *Univerſalis* verò ſubſtantia non niſi Notio *Logica* quæ ex noſtra multarum ejuſdem naturæ ſubſtantiarum comparatione emergit. Neq; ulla omninò eſt ſubſtantia quin per debitas modificationes præparatorias capax fieri poſſit unionis cum alia aliqua individua ſubſtantia, hæq; *duæ* individuæ ſubſtantiæ *unà* ſic queant integra ſubſtantia evadere. Quæ tamen non ità *una* ſunt ut *duæ Numericæ* ſubſtantiæ eſſe deſinant, quippe quæ non aliter dicuntur *una* eſſe, nec ſunt, ſat ſcio, aliter una, quàm per aptam unius *Unionem* cum altera. Quod nihil impedit quò minùs etiamnum ſint, & certè ſi ſunt, neceſſe eſt eſſe *duas*; nimirum, *Animam* meam *corpúſq;* etiamnum eſſe *hanc* individuam Animam atq; *hoc* individuum corpus, quamvis ſint, quemadmodum appellitant, *Hypoſtaticè* unita. Conjunctionem enim ſolummodò arguit non ſubſtantiarum confuſionem nec ullam deperditionem *Individualitatis* ſubſtantiarum ad hunc modum conjunctarum. Nulla enim ſubſtantia conjungi poteſt cum altera quin hæc individua maneat ſubſtantia, etiam ob eam ipſam cauſam quòd ſit ſubſtantia, cùm quælibet ſubſtantia per ſe ſit Individua, quemadmodum ſuprà monui, & tamen unibilis cum altera ſubſtantia; unde manifeſtum eſt Scholaſticam *Suppoſiti* notionem merum eſſe delirium.

6. Ex quo facile eſt intelligere, *Humanitatem* Chriſti *æternúmq;* *Verbum Hypoſtaticè* poſſe uniri abſq; omni repugnantia Rationi humanæ Scholarum nugis nondum adulteratæ, & utraſq; ipſorum interim *Hypoſtaſes* naturáſve *individuas* integras manere. Cujus quidem rei ſenſibiliorem hanc exhibebo Repræſentationem. Supponamus immenſum globum ex ſolido auro conflatum, exceptâ unicâ parvâ ſectione quam argenteam ſupponemus. Hoc individuum aurum atq; hoc individuum argentum, individuum hoc aurum argentúmq; etiamnum permanentia, unum integrum globum conſtituunt, qui ſanè globus dempto eorum alterutro, integer non eſt. Similiter ſe res habet in *Chriſto*, quippe quòd cùm ex ſecunda Trinitatis *Hypoſtaſi* & humana illa Perſona, (ſeu individua, ſi malles, natura) quæ *Hieroſolymis* obverſata eſt, conſtituatur, hæc individua natura humana illud *argentum* individuum eſt, alteráq; illud *aurum* individuum; verùm utraq; ſimul *unus* ille *Chriſtus* cujus *Divinitatis Sphæra* omnia implet, cúmq; ubiq; præſtò ſit non poteſt quin legitimum ſit objectum Orationum Invocationúmq; noſtrarum, quemadmodum & *paſſiva Chriſti humanitas* fulcrum fidei noſtræ atq; confidentiæ per acerbam ſuam *Paſſionem* aſſiduámq; *Interceſſionem* apud Deum.

7. Quæ igitur ſuperſtitio ſubeſſe poteſt, minimáve Idololatriæ ſuſpicio in dirigendis orationibus noſtris ad Chriſtum, modò de eo cogitemus ad quem preces noſtras dirigimus? Nam æterna Deitas immenſo ſuo ſplendore in hoc Devotionis objecto ità omnia obruit ut mens noſtra tota ferè in Deum ipſum feratur, quanquam cum debita honoris reflexione in perſonam Servatoris, virtute cujus *Mortis* & *Interceſſionis* noſtros acceſſus facimus ad Deum. Quæ quidem veritas etiam à *Judæo* recipi poſſit abſq; omni ſcrupulo, modò meminerit quanta cum devotione atq; humilitate ipſorum Patres Angelorum præſentiam * adoraverint. Quibus in eorum Lege *Jehovah* nomen Dei ſanctiſſimum etiam attribuitur. Et ſi Angelus qui perſonam ſolummodò Dei ſuſtinet per modum Legationis, hunc Divinum habet honorem, quantò magis is debetur Chriſto qui *Jehovah* eſt non ſolùm Titulo externóve munere ſed reali unione cum *æterno Filio* Dei, quem *Platonici* in ſua Triade τὸ ὄν appellant, quod idem *Græcè* quod *Jehovah Hebraicè* ſonat.

* *Exod.* 24. 8. *Gen. c.* 18. *&* 19. *Exod c* 3. 14. 32 *&* 34.

8. Verùm ſi adeò extraordinariam illîc fuiſſe Angelorum unionem cum Deo, ubi tam ſanctum nomen illis attribuitur, imaginari velint (quæ non inſcita eſt defenſio) ut ejuſmodi raptu ſuſpenſorio abrepti eſſent quo propriarum ſuarum *Perſonalitatum* ſenſum perdiderint totíq; actuati fuerint à Deo, qui eis uteretur eodem planè cum imperio quo animæ noſtræ propriis ſuis corporibus; hæc tamen duplici nomine inferior eſſe poteſt illâ unione quæ eſt inter *Humanitatem Chriſti* & *Æternum Verbum*. Nam primò fieri poteſt ut ejuſdem non ſit Generis, ſed tantò fortean differat quantò *ſpiritûs* unio cum corpore vitâ caſſo ab unione humanæ Animæ cum ſano vivóq; corpore. Et deinde ſi admitti poſſit quòd principium aliquod excitetur & expergiſcatur modóve quovis inſeratur Angeli Eſſentiæ, quò realem habere poſſit vitalémq; unionem cum Deo; tamen cùm hæc temporaria tantummodò ſit, cum perlonga illa ac durabili *Meſſiæ* unione non eſt profectò conferenda. Nec certè Angeli præſentia viſibilis eum magìs idoneum Divini cultûs objectum reddit quàm eſt Chriſtus. Chriſtus enim ſecundùm excellentiorem ſuam magíſq; adorabilem naturam, præſens eſt ubique. Vide *Caſtalionem* in Cap. 3. *Exodi*: Unde fortean hæc controverſia rectiùs tutiúſq; poſſit dirimi.

9. Concludo igitur *Divinitatem Chriſti* humanæ rationi non repugnare; realem illius intelligo Phyſicámque, ſi ità fas ſit loqui, cum *Æterno Verbo* unionem. Etenim cùm hoc ipſum *Verbum* ſive *æterna Sapientia* eſſet per quam Deus creavit omnia, equidem res admodum decora eſt & congrua ut inſigne illud inſtrumentum inſtaurandi tam nobilem partem Creationis quàm ſit homo, particulariter cum λόγῳ ſive *Æterno Verbo* ſit unitum. Nec tam difficile eſt conceptu, quomodo particulariter immediatéq; cum hac *Hypoſtaſi* uniri poſſit, nec tamen cum alteris duabus, etiam ex eo quod in Natura obſervamus. Nam & facultates animæ in eadem animæ parte reſidentes poſſunt, prout pars corporis attemperatur vel modificatur, aliæ ſe *exerere* in dicta parte, aliæ *ſilere*, nullámve actuationem in eam exercere. Eſtq; porrò evidens, tametſi ſanctus *Dei Spiritus*, *Spiritúſq; Naturæ* ubiq; præſentes ſint in mundo & in eiſdem planè ſpacii punctis jaceant, actiones tamen ipſorum, applicationes, colligationéſve cum rebus admodum eſſe diſtinctas. *Spiritus* enim *Naturæ* materiam tantùm prehendit, craſſiora corpora deorſum Terræ centrum versùs dejiciens, ac vegetabilia omnia efformans in eam Pulchritudinis varietatem quam in ipſis deprehendimus, non agit verò omninò in animos ſpiritúſve noſtros *Illuminatione* ullâ *divinâ*, non certè magìs quàm *Spiritus ſanctus* immiſcet ſe, ſuámve dat operam depellendis lapidibus deorſum vel diffractis tegulis ab ædium culmine deturbandis. Quæ quidem res ſi rectè perpendantur ſcitéq; excutiantur, hoc Myſterium ſatìs intelligibile reddet eis qui idonei ſunt ad hujuſmodi ſpeculationes obeundas. Adeò ut nihil opus ſit quicquam ſuperaddere, cùm jam ultrà quàm intenderam progreſſus ſim, per zelum utiq; contra *Fraudem* quorundam & *Imprudentiam* aliorum, qui tam confidenter affirmant quoſdam Chriſtianæ Religionis Articulos non ſolùm *obſcuros* eſſe (quod lubens agnoſco, Religionémq noſtram eò fieri *venerabiliorem*) ſed & *rationi repugnare*, quod omninò nego, oſtendámq; ſuo loco funeſtas tam temerariæ Aſſertionis conſequentias.

CAP. III.

1. Quòd Communicabilitas *Chriſtianæ Religionis ejus* Rationabilitatem *innuit.* 2. *Recta methodus* communicandi *Chriſtianum Myſterium.* 3, 4. *Exemplum breve illius methodi.* 5. *Ulterior illius continuatio.* 6. *Quomodo* Myſtagogus *gerere ſe debeat erga magìs tardos vel illiteratos.* 7. *Periculum demittendi Evangelium ad tarditatem vel exiguitatem cujuſlibet imbecillis Ingenii.*

1. SEcunda Myſterii Pietatis *Proprietas Derivativa* eſt *Communicabilitas*. Nam ex eo quòd *Intelligibile* eſt, fit etiam *Communicabile*. Unde porrò apparet quam ego *Communicationem* intelligam; non talem utiq; quæ Picis Pſittacíſve competat, id eſt, verborum ſtrepitum phraſiúmve quas vel aves iſtæ, nobis præeuntibus, poſſint repetere, ſed *rationalem* impertitionem quâ humano intellectui de veris fidei noſtræ Fundamentis ſatisfiat. Hoc certè officio veterum Chriſtianorum conſcientia onerabatur, quemadmodum conſtat ex 1 Pet. cap. 3. v. 15. *Eſtote autem ſemper parati ad reſpondendum*

reſpondendum cuilibet petenti rationem ejus ſpei quæ in vobis eſt cum Lenitate & Reverentia. Ἕτοιμοι πρὸς ἀπολογίαν παντὶ αἰτοῦντι ὑμᾶς λόγον. Quòd ſi *ratio* fidei noſtræ à nobis petitur, ipſéq; Apoſtolus nos jubet petenti reſpondere, proculdubiò is nullius *Irrationabilitatis* conſcius erat quæ in fide eſſet Chriſtiana ſuis quidem temporibus. Illud verò arguti illius Patris Eccleſiæ, *Credo quia impoſſibile*, quomodocunq; *Reſpondenti* placere potuerit, nunquam profectò potuit ſatisfacere *Opponenti.* Hoc enim non inveniretur ἀπολογία καὶ βεβαίωσις τοῦ εὐαγγελίου, ut S. *Paulus* loquitur, *Defenſio & Confirmatio Evangelii*, ſed potiùs illius expoſitio deriſioni & contemptui. Is enim qui *impoſſibilia* in ſua Religione agnoſcit, cauſam deſerit ante diſceptationem, totúmq; id ſemel concedit Adverſario pro quo ille tantoperè contenderet, nempe Religionem ejus nihil aliud eſſe quàm *Fictionem* quandam vel *Ineptiam.* *Philip.* 1. 7.

2. *Intelligibilitatem* igitur *Communicationem* præcedere oportet apud eum qui Myſterium communicat cum altero, eò uſq; quò par eſſe putet illud communicare. Alioqui ſi linguæ ſemel licentiam permiſerit præcurrendi intellectum, quam ſpem is habere poterit ab altero ſe intellectum iri qui nec ipſe intelligit quæ dicit? Unde niſi in *ſtultum* aliquem inciderit, neceſſe erit ut ipſe *talis* reperiatur, habeatúrve pro *Impoſtore* vel *Maniaco.* Tam parùm futurum eſt ædificationis in hujuſmodi ſermonibus.

Verùm ſi quis reverà prudens eſſe velit Chriſtianæ Religionis *Myſtagogus*, eum certè non ſolùm dare operam oportet ut nihil de Myſterio pronunciet quod ipſi non ſit intelligibile, ſed etiam admodum circumſpectè cavere nè quicquam cuiquam effutiat cujus non ſit capax. Ac proinde ſi rectâ Methodo uti velit, *incipere* debet à talibus quæ facillima ſint intellectu, maximéq; omnium demonſtrabilia, & certiſſima præterea pignora illius felicitatis quam illi expectant, qui Chriſtianitatem ſincerè fervidéq; amplecti cupiunt.

3. Exempli cauſâ; Declarare debent, Chriſtum Meſſiam *eſſe*, *expectatum olim à* Judæis, *quanquam ab eiſdem rejectum poſtquam venerat. Eum* Dei *eſſe* filium *miraculosè è virgine genitum: Sacrificium fuiſſe pro peccato, & ignominioſam crucis mortem ſuſtinuiſſe noſtri cauſâ: Reſurrexiſſe tertio Die è mortuis & viſibiliter in cœlos aſcendiſſe, & expectari indè rediturum tanquam Judicem vivorum ac mortuorum; cóſq; tunc qui in eum credunt coronandos eſſe ſummâ gloriâ ac immortalitate, corporibus eorum humilibus in cœleſtis ejus corporis ſimilitudinem commutatis: Reſurrectionémq; Chriſti manifeſtum eſſe pignus hujus Divini propoſiti, nos æternâ utiq; vitâ remunerandi.* Hujuſmodi ſanè primo loco *communicanda* ſunt ac proponenda, quippe quæ humanum intellectum vel imaginationem nullâ concipiendi difficultate vexant aut fatigant, & tamen tam mirabilia ſunt ut vel attentiſſimam noſtram animadverſionem inquiſitionémq; acerrimam elicere poſſint quò nobis de ipſorum veritate ſatisfiat.

4. Quæſtionis igitur terminis tam facilè intellectis proximo loco expectandum eſt ut *veritatis narrationis evidentia* demonſtretur; Quod è perſpicuis in veteri Teſtamento vaticiniis de Adventu *Meſſiæ* déq; eis quæ is aut facturus eſſet aut paſſurus, effici oportet, & ex ſolida demonſtratione quòd Hiſtoria Chriſti in Evangeliis reliquíſq; novi Teſtamenti ſcriptis incorrupta ſit & authentica. Poſtea verò ordinatè & gradatim ducendi ſunt ad eas res quæ magis obſcuræ ſunt ac myſterioſæ, & tamen patienti ritéq; præparato animo & veræ & intelligibiles. Nam tametſi res quædam in Chriſtianitate *obſcuræ* eſſe poſſint; tamen quouſq; Scripturæ de ipſis quicquam definiverint, ſunt & *intelligibiles* & *veræ.* Adeò ut *Veritas* & *Intelligibilitas* in unaquaq; legitima parte ſit Chriſtianitatis, ſaltem eis qui intellectum ſuum habent rationalibus ſpeculationibus exercitatum. Quantùm verò ad illos quos ingenii tarditas vitæve ratio minùs idoneos reddiderit ad meditationes ſubtiles & obſcuras, ii profectò tutâ adhæſione *exemplo ſanorum dictorum* in Scripturis tradito contenti eſſe debent.

5. E quibus ſatìs luculentè erudiri poſſunt de *Divinitate Perſonæ Chriſti*, ex eo quòd illíc legunt eum vocibus de cœlo filium Dei fuiſſe declaratum: Eum à viro non eſſe genitum ſed per inumbrationem Spiritûs Altiſſimi: Talia eum miracula edidiſſe quæ verum Dei filium condecerent, quippe quæ planè excedebant naturæ poteſtatem: In eo *habitâſſe plenitudinem Deitatis corporaliter*, cùm in Templo *Judæorum* typicè tantùm habitaret. Ac proinde multò majorem rationem eſſe ut *Chriſtianorum* orationes dirigerentur ad *Chriſtum* quàm *Judæorum* ad Templum *Hieroſolymis*, verſùs quod Deo ſupplicantes ſemper venerabantur etiam tunc cùm longè ab eo diſtarent. *Verbum* denique dici *carnem factum eſſe*, illud ipſum ſcilicet verbum *quod erat in principio apud Deum, quando omnia creabantur, atq; verbum hoc Deum* *Apoc.* 21. 22. *Johan.* 1. 14.

1 Tim. 3. 16. *fuiſſe*, *Deúmque manifeſtatum eſſe in carne* per Chriſti adventum in Mundum.

6. Quòd hæc reverà ità ſe habent, ipſa Scripturarum Autoritas ſatìs nobis demonſtrat. Quantùm verò ad eos qui *Metaphyſicis* ſpeculationibus inexercitati ſint, & nè unionem quidem propriæ ſuæ animæ atq; corporis conſideraverint, fandóve quicquam unquam de diſtinctione *Reali* ac *Formali* inaudiverint, aliiſq; præciſis determinatiſq; Notionibus quæ ad magìs expreſſam intellectionem tam ſublimium ſpeculationum quàm eſt *conjunctio Divinitatis* & *Humanitatis Chriſti*, *Numiniſq; Divini Triunitas*, requiruntur; optima profectò monita quæ *Myſtagogus* ipſis dare poterit, hujuſmodi ſunt; Debere utiq; eos ſuæ ſcientiæ defectum humiliori Adoratione ſupplere; Deum ex immenſa ſua bonitate Myſteria hæc mundo ad uſum impertiviſſe non ad curioſam ſpinoſámq; ſpeculationem; támq; modeſtè de ſeipſis eos ſentire oportere ut non ſtatim id alîus cujuſlibet captum excedere ſtatuant, quod ipſi in præſens non poſſunt intelligere.

7. Veritatem Evangelii rem eſſe ſtabilem & immutabilem, non alterandam mutandámve pro variis humanorum captuum gradibus, &, ſi nihil exhiberetur fidei noſtræ præterquam quod omnes affirmaturi ſint ſe planè plenéq; concipere, Religionem certè tandem ad nihilum prorſus redactum iri. Neq; enim hîc ſubſiſtent, limitéſve ſibi ponent, in rejectione nimirum *Divinitatis Chriſti* & *Triunitatis* in *Deitate*; ſed & notiones *Angelorum* & *Spirituum* ac *immaterialis* Animæ, omniúmq; deniq; rerum quarumcunq; *reverà ſpiritualium*, ità *incomprehenſibiles* quibuſdam apparebunt, ut Religio tandem ad æquè abjectum rerum ordinem atq; ſunt *corpus* & *materia*, deturbanda ſit, nullum alium inventura Objectum præterquam *mundum viſibilem*. Et tunc *Sol Stellæq;* maxima omnium erunt Numina. Atq; ſic aut antiqua ſuperſtitio Paganica aut purus putus Atheiſmus in illius locum ſuccedet.

CAP. IV.

1. *Chriſtianum* Myſtagogum *quomodo porrò oporteat ſe gerere in* communicanda *Evangelii veritate.* 2. *Maximam eum curam adhibere debere nè quid loquatur quod ad* vitam *ac* pietatem *ſit inutile.* 3. *Zeli erratici quorundam vanorum* Boanergium *hujus ſeculi juſta Reprehenſio.* 4. *Abuſum* Miniſterii *ad ſubvertendos præcipuos Evangelii fines ejus perpetuationem in diſcrimen poſſe adducere.* 5. *Quemlibet ardorem zelúmve* Miniſterium vivum *non conſtituere.*

1. HUjuſmodi reſponſum aliquod, prudens peritúſq; Myſterii Chriſtianitatis *Communicator* illi dabit qui rationem ſuæ fidei ab ipſo requiſiverit, ſuum
1 Pet. 3. 15. ſenſum de ſingulis aperiens μετὰ πραότητος καὶ φόβου cum *lenitate* & *timore*, ut loquitur S. *Petrus*, hoc eſt, cum *patientia* & *manſuetudine* erga eum quem inſtruit, & *ſanctæ cum obſervantia* & *reverentia* erga Deum cujus aliquo modo Legatus eſt, ac proinde ſummam operam adhibere debet nè quid in mandato ſibi nuncio erret, néve quicquam de ſuo intermiſceat cujus nullam ſibi datam habeat poteſtatem eloquendi, néve veritatem diſtorqueat præ timore vel favore, nec ſeipſum ob levitatem ullam affectatámve vanitatem in ſtylo verbíſve, quæ argumentum tanti momenti dedecuerint, reddat ſuſpectum. Nam Ingenii concinnitas eloquentiáq; meditata aurem quidem ad tempus titillare poteſt ad morem cantilenæ Muſicæ dum peritè contatur; *fidelis* verò ac *ſeria* ponderoſiſſimarum Religionis noſtræ partium Declaratio cor audientis vulnerabit, ipſámq; adeò animam captivam ducet in obedientiam Chriſti.

2. Verùm præter cætera, is qui vel de ſuo conſilio aggreditur, vel meliori quopiam jure ad hoc munus vocatur, ſemper ſibi ante oculos proponat *Utilitatem* Myſterii cui communicando allaborat, eandem reminiſcens *univerſalem* illius eſſe *proprietatem*; quódque, ſi quando eum ipſius ſive incuria ſive curioſitas in ſpeculationes *inutiles* tranſvexerit, extra viam proculdubio vagatus ſit, humanáſq; jam communicet Inventiones quæ ad Chriſti Evangelium nihil pertinent; nec gregem quidem nunc ſincero verbi *lacte* paſcat, ſed ſalſugineo cerebri alicujus plus juſto fervefacti *ſudore*. Hic maximè communis maximéq; periculoſus error eſt qui in hac functione ſolet obſervari; tanquam ſi ars ipſorum ac facultas nihil eſſet aliud niſi ejuſmodi verborum per horas aliquot integras ejulatio, quorum nè unum quidem

dem dirigatur intendatúrve in metam scopúmve Evangelii, quæ extirpatio est peccati Reguíq; Diaboli demolitio.

3. Et tamen res profectò mira est, quantum observare liceat zelum ac ardorem quámq; turbinosum strepitum audire horum *Boanergium*, horum *filiorum tonitrui*, tanquam si quælibet sententia ignis esset ac fulgur de cœlo contra Peccati Satanæq; munimenta, omnémq; cogitationem redacturi essent ad obediendum Christo, qui in mundum venit ut *redimeret nos ab omni iniquitate, Ecclesiámq; sibi compararet puram, sanctam & incontaminatum, absq; omni labe ac macula.* Qui finis tamen nihilominus non solùm non intenditur sed nimis sæpe oppugnatur supplantatúrq; Hypocriticis Insinuationibus aut *Supervacuitatis* harum rerum aut earundem *Impossibilitatis.* Et nè longum faciam, maxima ex parte tam parùm sibi constat ipsorum Dissertatio, ut nesciat profectò quispiam quid sibi velint: Verùm haud absimile est atq; si quis canes leporarios in agrum introduceret cósq; laxaret cum clamore, cùm tamen nulla coram ipsis sit præda. Qui strepitus tametsi efficere possit ut exultim se moveant ad tempus attentéq; in omnes partes circumspiciant, statim tamen deprehendent suâ nihil interesse, cùm in ipsorum conspectu non sit quod prosequantur.

4. Quòd si exhortari velint *ad sequendam pacem & sanctitatem sine qua nemo Dominum videbit*, hoc certè studium nostrum ac conatum meritò possit excitare, ut qui notus est certúsq; Evangelii prædicandi scopus. Veruntamen si nullum hujusmodi finem in eo deprehendimus, ipsíq; proinde cæco impetu contraimus vilíq; pendimus *diluculum* Diei Justitiæ, qui tandem in terrarum orbem eluceſcet, ad lætificandas habitationes Christianorum reddendámq; Orbem Christianum Terram Gaudii & Pacis; Deíq; populum exanimamus portentosas enarrando Historias de filiis *Anak* invictis illis *Gigantibus*, cùm tamen nihil sit adeò difficile nedum invincibile vero *Josuæ*, Domino utiq; *Jesu*, *Sapientiæ* ac *Potentiæ* Dei. Equidem verendum est nè hanc functionem, quæ à Deo ad munimentum adversùs peccatum destinata est, si per imperitum zelum propugnaculum fiat Injustitiæ, nè eam, inquam, diruat Deus atq; amoveat tanquam murum Horti ruinosum, cujus segnia rudera lapidésq; in innocuas herbas floréſq; subinde decidentes eos suffocant atq; enecant, vel tanquam vetustam aridámq; sepem, quæ viviradicibus jam adultis, evellenda est funditùs & auferenda.

5. Cæterùm, si opus Domini fideliter exequi velimus & secundùm Evangelii propositum, nosmetipsi tandem è *viviradicum* numero erimus, vivíq; lapides evademus sustinentes alii alios in templo Dei. Et verò nè illi qui nondum ad hunc modum vivificati sunt, se tamen sic esse propter extraordinariam suam promptitudinem ac vivacitatem existimare præsumant; non possum me abstinere quin pronunciem hanc vitam de qua loquor nullum esse æstum ardorémve naturalem, nec ulla externa illius effecta. Nec *vivum* illud esse *Ministerium* juxta hunc sensum, quod maximam zeli speciem præ se fert. Nam notissima profectò res est, *Medicinam frigefactivam in jusculo admodum calido ministrari posse.* Atq; equidem usu venire nimis quàm proclive est, ut quæ ardore æstúq; traduntur quàm fieri potest maximo, in auditorum mentes semel recepta, tantùm absint à calefaciendo ipsos postea animandóve ad sanctitatem veram ac justitiam, ut omne ejus è contrà desiderium in ipsis extinguant. Quod tamen non minus crimen est quàm suffocatio *vitæ Divinæ* in mundo quantum in nobis est, Regníq; Christi in terris supplantatio. Hæc profectò non potui quin notarem de *Communicatione* Evangelii, ut quæ in insignes usus & *Auditori* pariter ac *Doctori* inserviunt, quò nimirum nec alter ipse se fallat, nec alter ab ipso fallatur.

CAP. V.

1. Fidei Historicæ *natura.* 2. Fidem *veram ac salvificam propriè* Fœdus *esse*; *déq*; *variis significationibus vocis* διαθήκη. 3. *In quo* Lex & Fœdus *conveniant.* 4, 5. *In quo* Fœdus & Testamentum *conveniant.* 6. *Quòd Ecclesia Doctrinam Christi appellare poterat vel* Novam Legem *vel* Novum Fœdus. 7. *Quare appellata sit* διαθήκη *potiùs quàm* Νόμος. *Prima ratio.* 8. *Aliæ ejus rei rationes.* 9. *Occasio reddendi τὴν καινὴν διαθήκην,* Novum Testamentum.

1. TErtia *Derivativa Proprietas* hujus Mysterii, *vis est eliciendi Assensum*, quæ oritur ex manifesta claritate veritatis Evangelii. Hic *Assensus* qui communis est omnibus manifestis veritatibus cuicuimodi sint Naturæ, *Divino* huic *Mysterio* propriè applicatus, *Fides* appellatur: Atq; hæc *Fides* in personis, quarum nihil interest, in *Angelis* putà vel *Dæmonibus*, (quibus Evangelium fortean non omnino intenditur, & qui tamen verum illud esse credunt, saltem *Angeli* boni) atq; in eis etiam personis quarum interest Evangelium recipere, nec tamen illud volunt amplecti quanquam verum esse credunt (si modò tales sunt qui sic effici possunt) in his, inquam, *Fides* hæc vulgò appellatur *Fides Historica.* Haud dissimiliter atq; cùm quis plenè intellexerit quempiam prædium pagúmve hoc vel illo pretio emisse, hæc in ipso *Historica* est *cognitio*, potéstq; ad unguem totam rei transactionem enarrare, credítq; omnia sic facta esse; verùm interea loci is nullum illîc jus habet, ut qui profitetur se aut noluisse aut non potuisse hujusmodi conditionibus contrahere. Talis est *Fides Historica*, quæ sola nihil omnino nobis prodest ad salutem, nec ullum nobis jus partémve acquirit in Regno cœlorum.

2. Quòd si ex hac *Fide* ac *cognitione*, nos seriò acceptamus amplexamúrq; *Evangelii conditiones*, hæc certè *salvifica Fides* evadit, nec Cognitio *Fidésve* merè *Historica* est sed *Fœdus.* Cujus pacta ac promissa luculentè in *Novo* comprehenduntur *Testamento*, quemadmodum è Tralatione Latina illud vulgò appellamus. Verùm Græca Inscriptio est ἡ καινὴ διαθήκη, quod rectiùs reddi potest, *Novum Fœdus*, sed potest etiam præterea exponi *Nova Lex.* Tantæ enim latitudinis est significatio vocis διαθήκη, cùm & *Legem*, *Fœdus* & *Testamentum* denotet, prout *Hugo Grotius* observavit è *Platone*, *Aristophane* & *Isocrate.*

Vide Grot. in Inscriptionem Novi Testamenti.

3. Et meritò sanè hæc tria juris genera sub una veniunt communi notione ac nomine διαθήκη, si convenientiam & affinitatem quam inter se habent consideremus. Primùm enim *Lex* & *Fœdus* conveniunt in *Sanctione*, *Fœdera* præsertim *publica*, quæ olim facta erant pecudis alicujus mactatione. Unde *Sanctio* à *sanguine* est, à sanguine scilicet Sacrificii. Quam ob causam etiam Doctores *Hebræorum* ברית à ברא *succidere* sine omni hæsitatione deducunt, ut *Latini* fœdus à *feriendo.* Unde & ipsa phrasis *feriendi Fœdus* ità obvia est tum apud *Hebræos* tum etiam apud *Græcos Latinósq*; autores. Quòd *Sanctio* sit in *Legibus* æquè ac in *Pactis publicis* ac *Fœderibus* ex eo manifestum est, quòd *Sanguis Transgressoris Legi* debet satisfacere. *In legibus* Sanctio *dicitur ea pars*, inquit *Grotius*, *quæ sanguinem delinquentis Legi consecrat.*

4. Rursus, *Lex* & *Testamentum* hoc habent commune, quòd neutra sint absq; *sponsione* vel contractu. *Nam & hæres, eo ipso quòd hæres est, præstare debet factum defuncti*; *& subjectus alterius imperio, eo ipso quòd subjectus est, ejusdem legibus parere debet*, quemadmodum idem Author nos monet.

5. Postremò, *Fœdus* & *Testamentum* in hoc conveniunt, quòd initio integrum est homini paciscí vel non paciscí, & similiter administrationem obire, hæreditatémve hanc vel illam adire vel non adire. Sed non semper homini integrum est hujus vel illius imperio subjici vel non subjici, siquidem subjectio inevitabiliter in quempiam descendere potest, tanquam talibus parentibus prognatum, atq; in talis Principis jurisdictione.

6. Ex hac distincta intellectione harum diversarum significationum vocis διαθήκη, quænam ex illis Naturæ Evangelii aptissimè conveniat faciliùs judicare possumus, sapientiámq; Antiquorum observare in eligendo hanc Inscriptionem præ qualibet alia. Poterant enim τὸν καινὸν Νόμον appellare, duplicem eò habentes invitationem. Primò enim *Judæi Pentateuchum* suum ut & reliquos suos libros sacræ Scripturæ תורה appellabant, hoc est, Νόμον. Et Doctrina Christiana ità etiam nuncupatur à *Paulo*

Paulo & *Jacobo*, Galat. 6. *Alii aliorum onera portate, atq; ità Chriſti lege perfungimini.* Et Jacob. 2. *Si quidem Legi paretis regiæ quæ ſic literis eſt prodita, Alterum ut teipſum diligito; rectè facitis.* Poterant etiam Inſcriptionem facere ἡ καινὴ συνθήκη, cujus determinatus ſenſus futurus fuiſſet, *Novum fœdus*; Hoc verò ſpecialem illum ſenſum vocis διαθήκη ad quem Author ad *Hebræos* alludit, occultâſſet, cap. 9. v. 17.

7. Sed enim illi διαθήκην potiùs appellaverunt quàm Νόμον, Primò, quia videntur ab ipſo Chriſto non obſcurè moneri ut ſic Evangelium nuncuparent. Matth. 26. 28. Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, *Hic eſt enim ſanguis meus novi Fœderis.* Idem etiam legere eſt apud *Marcum* atq; *Lucam.* Adeò ut cùm *ſanguinis* hìc fiat mentio, *ſanctio* propriè ſic dicta, quæ res eſt in natura fœderis maximè conſpicua, manifeſtò ſe prodat. Authórq; ad *Hebræos* accuratiùs pleniúſq; hoc argumentum proſequitur cap. 7, 8 & 9. ubi verſ. 19. Chriſti ſanguinem cum ſanguine fœderis à Deo cum *Judæis* facti planè comparat. *Effatus enim omnia mandata ex Lege* Moſes *universo populo, ſumpto vitulorum & hircorum ſanguine cum aqua & lana coccina ac hyſſopo, ipſum librum & universum populum conſperſit, dicens; Hic eſt ſanguis Teſtamenti quod ad vos mandavit Deus.* Quo quidem cum ſanguine Teſtamenti fœderiſve *Judaici*, perpetuò ad finem uſq; capitis, ſacrificium Chriſti comparat, & pretioſi illius ſanguinis effuſionem, quando pacificum fœdus feriebat cum Deo in Remiſſionem peccatorum univerſi Generis humani. Exod. 24. 8.

8. Altera ratio cur διαθήκην appellaverint potiùs quàm Νόμον eſt, quia hæc Inſcriptio planiùs nobis ſuavem illam Dei Omnipotentis condeſcenſionem inſinuat ſingularémq; Bonitatem in Evangelio, qui Chriſtum mittendo non egit nobiſcum jure ſummo, nec imperiosè nos tractat ac minaciter, ut ſeveri ſolent *Legiſlatores*, ſed manſuetè clementérq; ad inſtar eorum qui benigno quodam modo ac familiari inter ſe paciſcuntur. Sacríq; Scriptores tantùm abſunt ab ullam notabilem præbendo occaſionem Νόμου nomine inſigniendi Evangelium, ut *Legi* quaſi datâ operâ frequenter illud opponant. Et ſi quando illi Titulum iſtum attribuunt, fit ſanè utplurimum non ſine aliquo emollienti mitigantíve adjectamento, ut quando vocant *Legem fidei* non operum, & *Legem Libertatis*, Jacob. 1. 25. Adeò ut videamus ſufficientem ſubeſſe cauſam cur, tametſi *Judæi Pentateuchum* ſuum aliáq; ſcripta ſacra תורה appellaverint, primitiva tamen Eccleſia ſcripta Evangelica appellaret διαθήκην, *Fœdus*, cùm & *Teſtamentum* præterea ſæpenumero ſignificet, ad quod Author ad *Hebræos* alludit, cap. 9. 17. quod quàm proximè etiam accedit ad naturam fœderis, ubi quis conditionaliter Hæres conſtituitur.

9. Ipſe igitur Titulus Voluminis illius Authentici Religionis noſtræ generalem aliquam ejus Naturæ notitiam nobis miniſtrat, nempe ſi aptè è *Græco* fuiſſet tranſlatus. Verùm Chriſtiani *Latini* tam in *Veteri* Teſtamento quàm in *Novo*, cùm ſemper reddiderint Διαθήκην *Teſtamentum* (etiam ubi διαθήκη θεοῦ nominatur, quemadmodum *Grotius* notavit, cùm Deus tamen mori neſciat, nec proinde unquam occaſionem habiturus ſit Teſtamentum conſcribendi ultimámve ſuam voluntatem) Tranſlatoribus noſtris *Anglicanis* aliiſque, opinor, quamplurimis, ſe, in hujus libri Titulo, ſequendi Occaſionem dederunt, reddendíq; *Teſtamentum* potiùs quàm *Fœdus*: per quod tamen *Fœdus* reverà eſt intelligendum. Alioqui ſi Voluntas ultima vel *Teſtamentum* hìc intelligatur, quemnam obſecro ſenſum *Vetus* præ ſe feret *Teſtamentum*?

CAP. VI.

1. Vetera *fuiſſe* Fœdera *plura uno.* 2. *Quodnam* vetus *illud* fœdus *eſſet à quo* novum *diſtinguitur, cuive ſpeciatim opponatur, cum brevi ſignificatione diſcriminis eorum.* 3, 4. *Objectio adversùs datum eorum diſcrimen, cum Reſponſo.* 5. *Ratio cur ſecundum fœdus non facilè frangatur.* 6. *Ponderoſam* ſecundi Fœderis *conſiderationem autorem ad ampliorem totius argumenti deductionem è S.* Paulo *inſtituendam urgere.*

1. IN genere igitur Religio noſtra Chriſtiana *Fœdus* eſt, cujus conditiones pactáve particularia in illis libris comprehenduntur, quod *Novum* vulgò appellamus *Teſtamentum*, quod meliùs ſignificantiúſq; redderetur *Fœdus Novum.* Cujus naturam

ram tam commodè intelligere non poſſumus niſi ad *vetus* retrò *fœdus* reſpectando quod *novum* præceſſit, cujúſq; mentio fit in Scripturis; cúmq; plura uno ſint, notando cuinam præcipuè ex illis *novum* hoc *Fœdus* opponatur. Mentionem fieri plurium uno fœderum manifeſtum eſt ex *Epheſ.* 2. 12. Et ſpeciatim Circumciſio in libris *Moſis* ac Prophetarum vocatur ברית καθ' ἐξοχὴν, & διαθήκη in *Inſtrumento novo*, Act. 7. 8. Καὶ ἔδωκεν αὐτῷ διαθήκην περιτομῆς, *Iniitq;* *Deus cum* Abrahamo *fœdus circumciſionis.*

2. Sed enimvero illud unum eminentiſſimum maximéq; formale ac ſolenne Fœdus quod Deus pepigit cum filiis *Iſraëlis*, illud inchoans quidem in ipſorum exitu ex *Ægypto*, conſummans verò in *Sinai* Monte *Arabiæ*, hoc proculdubio *vetus* illud *Fœdus* eſt ad quod præcipuè illi reſpexerunt qui Religionem noſtram *novum Fœdus* nuncupârunt. Quod profectò fecerunt ſatis grandi ſuffulti Autoritate, Prophetâ
v 31, 32. *Jeremiâ* hac in re ipſis præeunte, c. 31. *Tempus erit, inquit* Jehovah, *cùm feriam cum* Iſraëlitica Judæáq; *Domo* novum *fœdus, non quale fœdus percuſſi cum eorum majoribus tum cùm manu prehenſos eduxi ex* Ægypto, *quod quidem meum eis imperantis fœdus violârunt, inquit* Jehovah. *Sed hoc erit fœdus quod cum* Iſraëlitica *Domo poſt illa tempora percutiam, inquit* Jehovah, *Meam Legem in eorum pectora dabo, inſcribámq; cordi, & ego eis Deus, & ipſi mihi populus erunt.* Quod promiſſum commemoratur etiam Eſai. 54. *Erúntq; tui nati omnes à* Jehovah *docti & in multa pace degent tui nati.* Adeò ut inveniantur *vetus novúmq; fœdus* ſibi invicem ex adverſo poſita etiam ſecundùm ipſorum Prophetarum ordinationem. Naturæ quorum differentia in hoc præcipuè conſiſtit, Quod *vetus Fœdus, externum Fœdus* ſit, aliquod extra hominem poſitum; alterum verò *principium quoddam vitæ intrinſecùs inſitum.* Hoc eſt Verbum illud quod in corde noſtro eſt æquè ac in ore, cujus & *Paulus* prædicatorem ſe profitetur, unde neceſſe eſt illud eſſe *Jeſu Chriſti* Evangelium.

3. At verò, inquies, *Evangeliſtarum Apoſtolorúmq;* ſcripta etiam *extra* nos ſunt æquè ac *Litera Moſaica.* Eſto; manifeſtum tamen eſt nihilominus apertéq; conſtat eos ad *veram* Evangelii *Oeconomiam* non perveniſſe qui *interuum* vitæ principium non ſunt aſſecuti. Quod cùm ſit Evangelii maximè proprium ac peculiare propoſitum, Evangelium conſiderare debemus juxta hoc propoſitum finémve, illúdq; judicare ſuum opus nondum perfeciſſe, nihílq; ferè nobis antè prodeſſe quàm hoc effectum
Johan. 7. 38. ſit. *Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, ejus ex ventre fluent perennis aquæ flumina.* Et Johan. 6. *Qui meâ carne veſcitur, meúmq; ſanguinem bibit, is in me manet & ego in eo. Quemadmodum vivit pater qui me miſit, ità & ego per patrem vivo, & qui me veſcitur is quoq; per me vivet.* Quæ loca manifeſtò innuunt maximè *intima* vitæ *principia* quæ concipi poſſunt, *divinâ* utiq; *Naturâ* quaſi in ſuccum & ſanguinem in nobis conversâ.

4. Cæterùm Converſatio noſtra, ſub Fœdere *Moſaico*, ſpiritúſq; tenor, non eſt niſi aſſueta ordinariáq; temperies, habitúſve hæc aut illa agendi vel non agendi; & conſequenter omnis illa Juſtitia non niſi quædam animi carnalibus rationibus affecti Forma, quam *Mctus* ac *Conſuetudo* in externam quaſi Animæ ſuperficiem inſculpſerint; quos characteres eadem Inſtrumenta legibiles conſervant. Verùm ſub Chriſti fœdere nec *Mctus* nec *Conſuetudo* ſed *internus* vitæ *Spiritus* in æternam ſanctitatem nos efformat permanentémq; renovationem naturæ, occultíq; hominis regenerationem.

5. Unde & ratio intelligenda eſt illius differentiæ quam Propheta *Jeremias* innuit, inter *Vetus Fœdus* atq; *Novum*: *Vetus* utiq; *Fœdus* violatum fuiſſe à populo ſuo, nunquam verò fore ut violetur *Novum.* Etenim cùm unum jugum ſit externum, alterum verò interna voluptas vitæ ac radicatum Animæ deſiderium; minimè mirandum eſt id quod violentum eſt non eſſe diuturnum, nóſq; primâ datâ occaſione, indomitorum Equorum more, ſarcinam abjicere quæ nos adeò lædit atq; obterit, quippe quæ, cùm noſtri pars nulla ſit, tanquam ſuperfluum pondus miſerè nos onerat gravátque. Verùm perfecta *Lex Libertatis*, cùm noſtra fiat quaſi *vita* ac *natura*, maximam profectò gravamen eſſet ſecundùm eam non agere, & contra quidem agere, onus intolerandum. Eſſet enim quædam quaſi vulneratio excruciatióq; *vitalis Principi ſpiritúſve Chriſti* in nobis, quo non ſolùm adjuvamur corroboramúrq; ad omne bonum opus, ſed eodem naturaliter oblectamur: cùm è contrà ſub *Lege Moſaica*, nullam habemus ſpiritûs conformitatem cum *puris præceptis Moralibus*, nec ullam in prolixa illa inſipidarum & faſtidioſarum Ceremoniarum ſarcina complacentiam: Et nihilominus, Oeconomia *Moſaica*, tametſi nullum robur miniſtrat ad præſtandum quod requirit, requirit tamen, durorum *Pharaonis* Penſi-exactorum ritu, eandem laterum ſummam, etiam cùm nulla Paleæ ſit copia. 6. Atq;

6. Atq; hoc aliquam ſanè nobis affert lucem ad detegendam duorum fœderum naturam, quatenus à Propheta *Jeremia* deſcribuntur. Cæterùm cùm ſit tam immenſi momenti argumentum, brevi hâc curtâq; illius ratione non ero contentus, ſed copioſiorem totius rei deductionem ex *Paulo*, (Gal. 4.) inſtituam, ut pleniùs tam utile intelligamus Myſterium: Et poſtquam indè præſtantiam ſtatûs *Novi fœderis* detexero, ea tandem ſuperaddam quæ ad magìs fructuoſam tendant tum ritè illud ineundi, tum felices in eo faciendi profectus, notitiam.

CAP. VII.

1. *Status differentes* duorum Fœderum, *Gal.* 4. *per duplicem Similitudinem illuſtrati.* 2. *Natura* Veteris Fœderis *adumbrata in* Agar; 3. *Et præterea in filio ejus* Iſmaële. 4. *Natura* Novi Fœderis *adumbrata in* Sarah; 5. *Vtì etiam in* Iſaac *ejus filio & in* Iſraële *prole ejus.* 6. *Neceſſitas imitandi fidem* Abrahami *ut ſpiritualis* Iſaac *ſive* Chriſtus *in nobis naſci poſſit.* 7. *Diſcrimen ingens inter* primùm ſecundúmq; Fœdus *in quo conſiſtat, cum indicatione eminentiſſimi Objecti noſtræ fidei obiter facta.* 8. *Alterum Caput principale, in quo hoc diſcrimen conſiſtat,* Libertas *utique, idq; primò, à* Ceremoniis & Opinionibus. 9. *Secundò, ab omne genus* Peccatis, maliſq; affectibus. 10. *Poſtremò, ad* omnimodam Juſtitiam & Sanctitatem.

1. *DIcite mihi qui ſub Lege eſſe vultis, legem non auditis? Scriptum eſt enim* Abrahamum *duos habuiſſe filios, unum ex ancilla alterum ex libera, quorum ancillæ filius ſecundùm carnem natus eſt, liberæ autem filius ex promiſſo: per quæ aliud figuratur. Nam ea ſunt duo Fœdera: Vnum à monte* Sinai *in ſervitutem gignens, videlicet* Agar. *Nam* Agar Sinai *mons eſt in* Arabia, *qui cum ea quæ nunc eſt* Hieroſolyma *congruit, quippe quæ unà cum filiis ſuis ſerviat. At ſuperior* Hieroſolyma *libera eſt, quæ mater eſt noſtrum omnium.* Gal. 4. 21, 22, 23.

Hiſtoria de *Agar* & *Sarah*, de *Iſmaële* & *Iſaaco* hîc introducitur ad illuſtrandum (quod ſanè admodum appoſitè graphicéq; facit) duas differentes conditiones eorum qui ſub *Lege* ſunt, & eorum qui ſunt ſub *Evangelio*, ut præcellentiâ præſtantiáq; alterius ſupra alteram ante *Galatarum* oculos expoſitâ, non eſſent deinceps titubanti fluctuantíve animo, nec pretioſam *Evangelii* puritatem ſuperfluitatibus *Judaicis*, & inutilibus, ſi non pernicioſis Ceremoniis coinquinarent, adulteraréntque; ſed ſoli *Chriſto* firmiter adhærerent, non relabentes rurſus ad *Moſem*, nec *Moſaicos* ritus Ceremoniáſq; cum ſimplicitate & ſinceritate *Chriſti* commiſcentes.

Verbis quæ recitavimus, duplex ineſt ſimilitudo. Exponemus primùm, in utraq; *Protaſeon* partes ſingulas, & pergemus dein ad *Apodoſes.* Prioris quidem partes ſunt *Agar Abrahami* ancilla, *Iſmael* ancillæ filius, *modúſq; generationis* hujus filii ex ancilla. *Secundùm carnem natus eſt*, hoc eſt, ſecundùm ordinarium Naturæ curſum. Jam verò in *Apodoſi*, *Hieroſolyma* quæ nunc eſt, id eſt, Eccleſia *Judaica* reſpondet *Agar Abrahami* ancillæ; Iíq; qui ex ea ſunt Eccleſia, *Iſmaëli* ancillæ filio; & generationi ſecundùm *carnem*, externâ Legis *literâ* naſci.

Poſterioris *Protaſeos* partes ſunt *Sarah* fœmina libera, & *Iſaacus Abrahami* filius ex hac libera genitus. Et poſtremò *generationis modus*, qui κατὰ σάρκα non erat, ſed διὰ τῆς ἐπαγγελίας, non erat ſecundùm ordinarium Naturæ curſum, ſed per *Extraordinariam Dei potentiam* ejus *promiſſo* ſignificatam. Atq; nunc in *Apodoſi*, ſuperior vel *quæ ſurſum eſt Hieroſolyma*, hoc eſt, vera Eccleſia Chriſtiana reſpondet *Sarah* liberæ, iíq; qui ſunt ex illa Eccleſia *Iſaaco* liberæ filio, ipſorúmq; *Generatio* ex *ſpiritu* non ex litera, *Iſaaci* generationi quæ per *promiſſionem*, non ſecundùm *carnem* facta eſt.

Jam verò, ſi partes ſingulas harum duarum *Protaſeon* inter ſe invicem ſuo debito ordine comparemus, inſignem profectò deprehendemus in eis differentiam vel potiùs contrarietatem. Nam *Agar* & *Sarah* differunt ut *Servitus* & *Libertas*, & *Iſmael* & *Iſaacus* ut *Servus* & *Liber*, ipſorúmq; generationis via modúſve tantum à ſe invicem diſtat alter ab altero quantum *Deus* à *Natura.* Unde & realem neceſſe eſt oriri differentiam vel contrarietatem in partibus *Apodoſeon*, nimirum, inter *veterem* ac terreſtrem *Hieroſolymam*, & *novam* quæ eſt ſurſum; inter *Judæum*, *Phariſæum*,

externúmve *Legaliſtam*, ſi fas ſit ità loqui, & verum realémq; *Chriſtianum*, & poſtremò inter *Carnem* atq; *Spiritum*. Atq; ſic ut agam compendiò, Textus hic Apoſtoli nihil aliud eſt quàm differentium ſtatuum ſive conditionum duorum *Fœderum* deſcriptio Allegoriâ Hiſtoricâ illuſtratorum ab *Agar* & *Sarah* deſumptâ, & duobus ipſarum filiis, &c. Cujus partes ſingulas jam aggrediar, eodem ordine quo propoſui, explicare.

2. Ac primò igitur agemus de *Agar* Ancilla, quæ Legis *Fœdus* ſignificat in *Sinai* monte latæ. Nam hoc *Agar Sinai* mons eſt in *Arabia*. Quod *Synecdochicè* dicitur ab oppido illîc ſito, quod à *Plinio Agra*, à *Dione Agara* appellatur, populúſq; Ἀγεῖς & Ἀγαρηνοὶ apud *Græcos* Geographos, quemadmodum peritè appoſitéq; notavit *Grotius*. Hæc Alluſio igitur ad *Agar* in monte *Sinai* ubi Lex lata eſt, equidem magìs ſcitè nobis commendat faciliorémq; reddit Allegoriam ab Hiſtoria *Agar* & *Sarah* deſumptam. Veruntamen, tametſi Geographica hæc concinnitas non eſſet, Applicatio nihilominus ſatìs commoda appoſitáq; etiam abſq; illa inveniretur. Multúmq; naturæ *veteris noviq;* Fœderis etiam in ipſis nominibus ſignificatur; ut in hoc nomine *Agar*, quam *Peregrinam* vulgò interpretantur. Et quæ ſanè relatio ſit vel habitudo humanam Animam inter ac res *veteris* Fœderis, admodum aptè in ſignificatione hujus nominis deſcribitur. Nam quantùm ad eas res quæ *poſitivæ* in Lege *Moſaica* erant ac *Ceremoniales*, non ſunt niſi ἀλλότρια, niſi res *alienæ* nulliúſq; cognationis cum humana Anima; & ſanè quantùm ad eas res quæ pretioſiſſimæ ſunt in Lege *Moſis*, & ratione maximè indiſpenſabili bonæ; Anima, priuſquam meliorem conditionem aſſecuta ſit quàm quæ ſub Lege reperiatur, ipſis profectò eſt peregrina. Lex enim *vitam* non impertit; Cùm tamen omnis Congruitas, ſympathia vitaliſq; cognatio ex *vitali* Principio debeat oriri. Atq; hinc fit, quòd *Lex nihil perfectum reddat*, quódq; *Juſtitia ex Lege eſſe non poſſit*, quemadmodum ſuprà monui ex Apoſtolo. Lege igitur *vitam* non impertiente, qui purus putus eſt *Legaliſta*, etiam eis rebus *peregrinus* eſt quibus ſe ſub Lege exercet, agítq; ſit ut Pſittacus loquitur, per externam utiq; imitationem, non à debita facultate interna atq; inſita.

Lib. 8. cap 6. ſect. 2.

Secundò, Hujuſmodi erat hujus *Agar* conditio ut eſſet *ancilla* ſive *ſervula*. Et quid obſecro eſt in *ſervitute* eſſe, *ſuive non eſſe juris*, quàm ad agendum compelli ad nutum alterius? Atq; in hac certè conditione omnes illi ſunt qui ſunt ſub Lege. Neq; enim illi agunt ſecundùm internum aliquod, liberum, vivúmq; principium, ſed cohibendi ſunt, externiſq; quaſi vinculis, injunctionibus conſtringendi, quæ propria perfectáq; ſervitus eſt. Nec ulla alia eſt ſervitus niſi aliter quàm ipſe velis, agere vel pati.

3. Tertiò, Ex hac *Agar* genitus eſt *Iſmael*. Quid verò iſtuc rei eſt? *Iſmael* hæc duo ſignificare poteſt; Nimirum aut eum, qui Dei cognitionem habet tantùm ex *auditione à שמע *audire* & אל *Deus*; Eatenúſve quatenus eam *externa* aliqua *litera* ipſi impertit, quippe qui totam ſuam fidem in rebus quæ ad Deum pertinent, in externam aliquam Scripturam reſolvit, & tam *terreſtris* eſt forſan & *carnalis* ut vix creditурus ſit Deum eſſe, niſi Scriptura eum id doceret: Aut eum ſignificat qui *obedit* quidem *Deo*, à שמע *obedire*, ídq; *propriè*, *modo* ſcilicet *ſervili* ac coacto. Obedientia enim aliquam reluctationem innuit, illúdve in quo obedientiam noſtram præſtamus, naturæ noſtræ aliquantùm adverſari, nos verò nihilominus interim per obſequium erga imperantem mandatum exequi, ut qui Lege ad ipſi obediendum tenemur. Atq; hoc eis qui ſub *primo Fœdere* ſunt, maximè omnium eſt proprium; Lege enim *vitam* non impertiente, nullum vitæ Principium eſt naturaliſq; ac genuina congruentia mentis humanæ cum *ſpiritualitate* Legis ſub *primo Fœdere*; ac proinde id legis quod præſtare conatur, neceſſariò ipſius ingenio adverſabitur, eritq; ſola *Obedientiæ* præcepto, non rei præceptæ *Amor* qui faciat ut conetur eam præſtare. Atq; hæc verò conditio eſt *Iſmaëlis* filii *Agar*. Neq; hîc intempeſtivum eſſet ſuperaddere ferocem eum eſſe ex *litera* ‖diſputatorem, Theologúmq; *Polemicum* inſignem, Ignorantiámq; ac Immanitatem Animi ſui *carnalis* admodum audacem eum reddere ac moleſtum; infeſtum quidem omnibus, utì & ab omnibus infeſtatum; *Manus ejus contra omnes & manus omnium contra eum*, prout de ipſo Scriptura teſtatur. Verùm nolo his rebus diutiùs inſiſtere.

* *Philo* περὶ φυγάδων· Ἑρμηνεύεται δὲ Ἰσμαὴλ ἀκοὴ θεοῦ, ἀκοὴ δ' ὑπάρχων τὰ δίκαια φύσει, ὅρασιν δὲ ὁ χρησμὸς αὐτῷ καὶ πρωτόγονος Ἰσραὴλ κεκλήκασι, μεταληφθεὶς γάρ ὅστις ὁρᾷ θεόν.

‖ *Philo.* περὶ φυγάδων. Αἱ χεῖρες αὐτοῦ ἐπὶ πάντας καὶ αἱ χεῖρες πάντων ἐπ' αὐτόν. Σαφηνῆ δὲ βάλημα τοῦτο, τὸ λίαν σκεπτικὸν ὁπωσοῦν ἀποφαίνοντος καὶ λόγους χαίροντος ἐλεγκτικοῦς.

Quartò & ultimò, Hic *Iſmael* filius *Agar* κατὰ σάρκα γεγέννηται, *natus* eſt *ſecundùm carnem*, vel ſecundùm *ordinariam* vel conſuetam *Naturæ vim*. Atq; hujuſmodi quidem is eſt qui ſub *primo* tantùm *fœdere* eſt. Non eſt natus è *ſpiritu*, nec per *extraordinariam vim* opémq; *Divinam* regeneratus, quam is qui ſub *ſecundo fœdere* eſt, per fidem in promiſſo, apprehendit; ſed pro eo intellectu eáq; ordinaria ac naturali facultate quæ ipſi inſit, ad propoſitæ Regulæ, modo quodam extrinſeco, ſe confor-

conformandum laborat ſudátque. Atq; certè ſub egena hac ac mendica *Oeconomia*, poſtquam ad ſummum pervenerit aut partûs aut incrementi gradum, non eſt niſi κατὰ σάρκα γεννηθείς, non eſt niſi *Caro* non autem *Spiritus*. Nam quod genitum eſt ex *carne*, hoc eſt, ex propriis noſtris naturalibus facultatibus, *caro* eſt; id verò quod ex *ſpiritu* genitum eſt, hoc eſt, ex Deo, Divinóq; ejus in nobis ſemine, id *ſpiritus* eſt, Homo *verè ſpiritualis*, *Dominus* de cœlo *cæleſtis*, in ſenſu quidem Myſtico. Hic verò ſub Lege, non eſt niſi *carnis terræve filius*, non autem filius *Hieroſolymæ*, quæ ſurſum eſt, *cæleſtis Hieroſolymæ*, quæ realium omnium verorúmq; Chriſtianorum eſt mater. Hæc enim eſt *Sarah* illa libera. *Vetus* verò *Hieroſolyma* ſervit cum filiis ſuis, quemadmodum apertè nobis enarrat Apoſtolus.

4. Atq; hactenus quidem conditionem deſcripſi naturámq; veteris Fœderis *Moſaici*, quatenus ſcilicet hoc Textu illuſtratur. Pergo jam ad ſecundum *novúmq;* *Fœdus* ſub *Chriſto*. Primúmq; hîc *membrum* in *Protaſi* eſt *Sarah*, (*Domina* prout vox ſignificat) quæ hîc *libera* dicitur. Libera utiq; à *vitiis* ac *ritibus*, (quemadmodum & Interpres rectè monet) talis quæ ad obedientiam ab aliis non compellatur, ſed ſui juris ſit, faciátq; quod ipſi ſit libitum. Quod certè illa jure ac meritò facit, quippe cui nihil libet præterquam quod bonum eſt, ac proinde quod fieri par eſt. Nam *Sarah*, ſive *nova* quæ ſurſum eſt *Hieroſolyma*, ejuſdem ſpiritûs atq; animi eſt cum *Chriſto*. Atq; hæc eſt vera Chriſtianorum Eccleſia, in quibus cùm peccati corpus mortuum ſit, & ipſi ab eo liberi fiunt, quemadmodum Apoſtolus loquitur ad *Romanos*, eóq; ſic penitùs immunes, liberè tutóq; ambulant etiam *cuſtode remoto*, tetrico utiq; illo Pædagogo, Legem intelligo, non ampliùs jam eos ad tergum inſequente. Quicquid enim illa ab *extrà* poteſt ſuggerere, *Spiritus* Dei intus ipſis inſuſurrat, vel ſi malles *viva* illa *Forma* omnis Sanctitatis ac Juſtitiæ, *Imago Chriſti* in ipſis reſtituta, ad id æquè facilè ac naturaliter eos ducit, atq; externi ſenſus naturalem hominem ad viſibilia hujus exterioris mundi objecta. Hæc igitur conditio eſt Eccleſiæ Chriſti & veri cujuſq; illius membri, ſaltem poſtquam ad debitam ſuam maturitatem ac perfectionem pervenerit, ut quælibet ibi Anima *Sarah* ſit, *Domina* ac quaſi *Regina* in parvo ſuo mundo, cùm ipſa nihil coactè faciat ſed liberè; tanquam à vivo principio, ſuóſq; ſubditos debito ordine ac imperio hac lege contineat. Quam conditionem proculdubio Scriptura hujuſmodi locutionibus indigitat. *Et fecit nos Reges ac Sacerdotes Deo*; & alibi, *vos autem eſtis Regale Sacerdotium*, & ſimilia.

5. Secundò, ex hac *Sarah* genitus eſt *Iſaacus*, qui * *riſum* ſignificat, ſymbolúmq; eſt *alacritatis* & *gaudii*. Quippe quòd is qui verus eſt Chriſtianus, cum gaudio & alacritate in Sanctitatis ſemitis ac Juſtitiæ verſatur ambulátque. Atq; hac in re præcipuè ab *Iſmaële* diſtinguitur, qui ſolummodo ex *obedientia* externæ alicui Formæ agit, atq; ſic ſeipſum compellit, adverſante ſuâ Naturâ, agere vel omittere illud quod, niſi per obedientiam teneretur agere vel omittere, nihil penſi haberet omninò negligere; interno ejus vitæ principio contra ejuſmodi mandata ſemper reluctante. Exempli causâ; Inimicum ulciſceretur ob illatam injuriam, niſi id illi Lex interdiceret; immergeret ſe in omnia voluptatum ſenſualium genera, niſi pœnâ Legis deterreretur, ut Canis famelicus ſcuticâ; & ſic in reliquis. Anima autem *veri* Chriſtiani, in quo genitus eſt *Iſaac*, non agit quod bonum eſt, omittítve quod eſt malum, per vim vel ex formidine externi ullius incommodi, ſed *naturaliter*, ut ità loquar, hoc eſt, ex *Divina* quadam *Natura* & virtute quæ ipſi ineſt, ac proinde pari cum alacritate & prolubio, atq; naturalis homo edit bibítve. Atq; ex hoc *Iſaaco* natus eſt *Jacobus* qui appellatus eſt *Iſrael*, quem *Philo Judæus* interpretatur, *hominem** *Deum videntem*, ὄρασιν θεοῦ μηνύοντα· *Iſmaëlem* verò meminiſſe poteris juxta primam ſui nominis ſignificationem hominem denotare qui ex ſola *auditione* *Deum novit*, quæ *viſioni Dei* planè opponitur. Illud enim privilegium *vero* Chriſtiano proprium eſt cui natus ſit *Iſaac* & ex eo *Iſrael*. Verùm is omninò extra lineam *Iſmaëlis* eſt, ſiquidem illi nihil rei nunc eſt cum *Auditionibus* & *Conjecturis* & infructuoſis diſputationibus ſuper *litera* perperàm intellecta, nec cum Theologia *Polemica*, vaníſq; ac ridiculis illius altercationibus ac jurgiis; quippe qui nunc Civis eſt *Novæ* quæ ſurſum eſt *Hieroſolymæ*, quæq; ſola vera eſt *Hieroſolyma* juxta Nominis notationem (quod ſignificare volunt *viſionem Pacis*) vivúſq; lapis in Templo illius, qui major eſt *Salomone*, ubi *non auditur ſtrepitus ullius aſciæ aut malleï*.

Tertiò & ultimò, *Iſaacus* hic non erat genitus ſecundùm *carnem* ſed διὰ τῆς ἐπαγγελίας, i. e. *per eam vim extraordinariam quam Deus promiſerat*. Eſt enim *Metonymia*, prout interpres rectè notavit. *Iſaacus* ex virtute *naturali* genitus non erat (nam naturalis facultas gignendi pariendiq; liberos extincta tunc erat in *Abrahamo* & *Sarah* propter eorum grandævitatem, quemadmodum Textus nos docet) ſed genitus

* *Vide lib. 8. cap. 5. ſect. 8.*

* Philo περὶ μέθης. Ἰακὼβ μὲν οὖν μαθήσεως καὶ προκοπῆς ὄνομα, ἀκοῇ ἐξησκημένων δυνάμεων, Ἰσραὴλ δὲ τελειότητος. Ὄρασιν γὰρ θεοῦ μηνύει τοὔνομα· tanquam ſi vox *Iſrael* deducenda eſſet à שור *videre*, & אל *Deus*.

erat per *virtutem Divinam* modo extraordinario in Natura operantem, in qua virtute *Abrahamus* fiduciam ponens, fidémq; habens promiſſo, vidit præſtituto tempore, fruebatúrq; illius effectu. Atq; hæc eſt illa pretioſa fides Chriſtiana, tam inſigniter neceſſaria, & tamen tam parcè apud eos qui res Theologicas ſatìs fusè tractaverunt commemorata. Etenim abſq; *hac Fide* in virtute potentiáve Divina, *Iſaacus* in nobis nunquam gignetur, & certè ſi in nobis genitus non ſit, nullam video rationem cur noſmetipſos Chriſtianos concludamus, hominéſve ſub *ſecundo Fœdere* conſtitutos. Quamobrem hæc res eſt apprimè neceſſaria cui inſiſtatur, ut id tandem reverà eſſe poſſimus quod pretendimus, hoc eſt, ut Filii eſſe poſſimus *Liberæ* non *Ancillæ*. Ut verus in nobis exiſtat *Iſaacus* qui *Chriſtus* eſt ſecundùm ſpiritum, Dei ſapientia ac potentia, Divinus quidam vigor atq; vita, quibus freti ſumma quidem cum alacritate & gaudio in Divinis ſemitis ambulare poſſimus.

6. Atq; hæc profectò ea erat tam neceſſaria utiliſq; Fides, quæ in *Abrahamo* adeò commendabatur, ut imputaretur ei ad Juſtitiam quemadmodum ſuprà notavi. Confidentia utiq; illius in Divino Promiſſo in eis rebus quæ ſupra ordinariam Naturæ potentiam ſitæ ſunt. Ità enim plerunq; comparati ſunt etiam illi homines qui amplas de Deo Divináq; Providentia profeſſiones faciunt, ut nunquam tamen ipſi ultrà quàm in naturalibus cauſis ac probabilitatibus humanis, fidem habeant. Hoc verò non tam *Deo* confidere eſt quàm *Naturæ*, nec tam ab eo dependere quàm à frigida noſtra ac inefficaci Ratione, quæ à conſuetis Probabilitatibus ſemper concludit. Quod *Abrahamus* ſi feciſſet, multam ſanè commiſiſſet, feciſſétq; jacturam promiſſi partûs filii ſui *Iſaaci*. Atq; hîc profectò minimè alienum erit noſmetipſos examinare an non & nos ſpiritualis *Iſaaci* partum per infidelitatem noſtram impediamus. Etenim dum homines pleroſq; omnes tam pravos deprehendimus, ac nobiſmetipſis corruptionis multæ omnimodæq; infirmitatis ac proclivitatis ad id quod malum eſt conſcii ſumus, rémq; tam vulgarem apud homines eſſe obſervamus in depravatis ſuis viis perſiſtere, habitúſq; ſolitos non exuere,& nos ipſos etiam in noſtris conſiliis ac conatibus ſæpenumerò victos deceſſiſſe, retróq; fuiſſe repulſos, valde profectò proclives ſumus ex ſpiritu Infidelitatis ad concludendum id quod tam difficile eſt carni ac ſanguini, quódq; tam rarò in rebus humanis contingit, nunquam in nobis effectum iri. Et propterea prout fors tulerit ſic vitam inſtituimus, aut ſaltem perquam tenues facimus profectus in vera Religione ac Pietate; ut ut eſt, deficimus, ſat ſcio, longéq; abſumus à præclara illa vocatione ad quam vocamur, ad glorioſam ſcilicet illam filiorum Dei libertatem à ſervilibus inutilium Ceremoniarum realiúmq; peccatorum illaqueamentis. Quod quidem indè proficiſcitur quòd illâ *Abrahami* fide deſtituimur, qui contra omnem naturalem probabilitatem credidit, (non obſtante vieto ſuo corpore, ſterilíq; *Saræ* utero) Deum ſibi ſemen excitaturum eſſe ſéq; filium in extrema ſua ſenectute procreaturum. Oportet igitur nos *Abrahamum* Patrem fidelium imitari, nec diffidere quin id, in quo noſmetipſos infirmos deprehendimus, Deus opportuno tempore nobis ſit ſuppleturus, ac propterea cum patientia ac perſeverantia contentiſſimè porrò pergere, & per *fidem in Dei potentia*, qui Chriſtum ſuſcitavit è mortuis, expectare, quòd & nos poſtquam conformes facti ſimus illius morti, participes etiam erimus ejus Reſurrectionis è mortuis. Chriſtus enim in animis noſtris per mortem nobiſcum vadans, hoc eſt, ſuſtentans nos corroboránſq; in maximis noſtris angoribus, ſeipſum pariter ac nos in glorioſam è mortuis Reſurrectionem effert. Quam,*Nativitatem*, ſi lubet, æquè aptè appellare poteris atq; *Reſurrectionem*, tali tantummodò libertate utendo quæ jam in Scriptura uſurpata ſit, ubi Apoſtolus de *Reſurrectione* Chriſti loquens illud citat è Pſalmo ſecundo, *Tu filius meus es, ego hodie te genui.* Atq; hic ille filius eſt, qui, prout ipſe de ſeipſo profitetur, *ſi nos liberos fecerit, reipſa liberi erimus.* Eſt enim filius *Sarah* fœminæ *liberæ*, cúmq; nos ejuſdem cum ipſo ſpiritûs ſimus, eo ipſo liberi evadimus.

7. Et certè ſi inſigne illud diſcrimen inter primum ſecundúmq; fœdus declarare velimus per compendium, in his duabus potiſſimùm rebus conſiſtit in quibus jam inſiſtimus. Primò, *verum* Chriſtianum, eúmve qui finem ſcopúmq; *novi fœderis* ſit aſſecutus, id eſſe quod eſt per fidem in *ſupernaturali* virtute in ipſo operante. Secundò, hanc conditionem quam aſſecutus eſt, conditionem eſſe *veræ ac perfectæ libertatis* propriè ſic dictæ. Qui verò ſub *primo fœdere* eſt, id eſſe quod eſt per *ſolas Naturæ vires* & componendo ſeipſum quantum poteſt ad externam Regulam ipſi ante oculos propoſitam. Et ſanè is qui nihil hôc præclarius præſtat vel in ipſa Chriſtianitate, hoc eſt, qui extrinſecùs ſolummodò ſe ad *Literam* Evangelii componit, nondum ad Evangelii finem appulit, nec *Iſaacus* adhuc in ipſo eſt genitus, verùm ſub externa forma *Legali* degit, vice *Legis Spiritûs vitæ*. Nec *liberè*

natus

natus eſſe poteſt, ſiquidem *Lex Spiritûs* vitæ ipſi deeſt, quæ reipſa *nos liberat à Lege peccati & mortis.*

Jam verò, quia verus Chriſtianus ad felicem illam conditionem in qua ſitus eſt per *ſupernaturalem potentiam* pervenit (quæ conditio eſt ut *liberè* quis & *naturaliter* bonus ſit atq; juſtus, hoc eſt, θείᾳ φύσει, *Divinâ Naturâ*; quam poſtquam aſſecuti ſimus, *naturaliter* & ſine coactione illud agere quod bonum eſt atq; juſtum propriè dici poſſumus) innoteſcit illinc nobis eminentiſſimum quoddam *Fidei noſtræ* Objectum: *Divina* ſcilicet *Potentia*, cujus ope formandi ſumus in hunc felicem ſtatum vivæ internæq; Juſtitiæ, quæ nobis tam intima eſt quàm ſunt animæ noſtræ, quæq; ipſa vita eſt ac ſpiritus animarum noſtrarum ut Animæ corporum: Atq; ſic *fide juſtificamur* quemadmodum alibi monuimus, *fide* utiq; in *virtute Dei* quâ Jeſum Chriſtum in nobis excitare poteſt è mortuis, vel quod idem eſt, quâ poteſt facere ut *Iſaacus ſpiritualis* creſcat in vietis noſtris ac ſterilibus uteris, ídq; in nobis efficere, Gratiâ ſuâ aſſiſtente, quod ſolis Naturæ viribus nunquam fuiſſet effectum. Hoc, inquam, eminentiſſimum eſt & perquam nobiliſſimum noſtræ Fidei Chriſtianæ Objectum. Et de hujus Fidei defectu, ſenſu quidem Myſtico Propheta meritò exiſtimari poteſt conqueri ubi ait, *Quis credidit Orationi noſtræ? &* Jehovæ *brachium cui patefit?* *Eſai.* 53. 1. hoc eſt, Homines admodum tardi ſegnéſq; ſunt ad credendum Potentiam Dei in Chriſto tam efficacem eſſe, quàm reverà eſt, ad diruendum quodlibet munimentum Satanæ & ad occidendum interimendúmq; Peccati corpus in nobis ut ſpiritus Juſtitiæ reſtituatur in nobis ac reviviſcat. Atq; hæc breviter de primo *membro* in quo *ſecundum fœdus* differt à *primo*. Secundum hoc eſt, Quòd ſtatus *ſecundi fœderis* ſtatus eſt *libertatis*, quemadmodum ille ſub *primo* ſtatus *ſervitutis*.

8. Atq; hæc *libertas* in his tribus potiſſimùm rebus conſiſtit. Primùm, In eo quòd liberati ſimus à faſtidioſis prolixíſq; Ceremoniarum impedimentis, nec ſuperſtitioſis ſuperfluarum opinionum laqueis retibúſve ampliùs ſimus implicati, talium utiq; quæ ſuâ naturâ ad *Divinam vitam* promovendam minimè tendant, Chriſtíve regnum amplificandum in Terris. Atq; equidem animum nuſquam inducere potui ut zelum crederem circa ſpeculationes non neceſſarias quicquam aliud eſſe quàm naturalis caloris ebullitionem in illius rei gratiam quæ æquè chara ſit, immò verò charior ipſi *Diabolo* & *Animali homini* quàm *veris* Dei filiis. Apud quos ſcientiæ ſpeculativæ curioſitas ac deſiderium multùm minuitur, propter ardentem eorum appetitum atq; ſitim *Divinæ vitæ* ac *ſenſûs*: qui modo quidem admodum vivido eos poſt debitum *Regenerationis* gradum *Reſurrectioniſve* è mortuis eſt poſſeſſurus, poſtquam ſcilicet reſurrexerimus perinde cum Chriſto ac olim cum eo mortui fuimus. Intereà verò loci dum per dolorificos *Mortificationis* angores tranſimus, omnes profectò bellæ opiniones curioſitatéſq; Religionis, ſparſæ tunc circa nos jacebunt neglectæque, ut nugamenta & crepitacula pueruli lethaliter ægrotantis.

9. Deinde, altera pars *libertatis* noſtræ in eo conſiſtit, Quòd liberi ſumus à peccato. Ipſa verba ſunt Apoſtoli, *Si enim ejus mortis ſimilitudine inſititii facti ſumus, etiam Reſurrectionis erimus; illud ſcientes, veterem noſtrum hominem ſimul eſſe crucifixum, ut peccati corpus aboleatur, nè nos ampliùs peccato ſerviamus. Etenim qui mortuus eſt à peccato eſt liber.* *Rom.* 6. 5,6,7. Atq; hinc manifeſtum eſſe autumo, qui debitos fecerit profectus ſub *ſecundo fœdere*, ſub Chriſti ſcilicet Evangelio, eundem à rebellione ac tumultu corporis peccati eſſe liberum. Et nè in tam generali notione tergiverſari poſſimus ejúſq; vim eludere, magìs particulatim rem proponam. Liberum igitur eum dico à *Superbia*, ab *Invidia*, ab *Odio*, ab *Iracundia*, à *Dolore*, ab *Avaritia*, & ab omni *turpi Cupiditate*. Et quædam ſanè ex his naturæ Chriſtiani ità repugnant, *Superbia* putà & *Invidia* ut adinſtar ſint præſentiſſimi veneni, nec vel minimo gradu cum illa conditione qua de loquimur, unà poſſint conſiſtere. Et tametſi aliquid per argumentationem afferri poſſit pro *odio*, credo tamen illud admodum perversè obtortéq; locum occupaturum in corde boni cujuſvis Chriſtiani, nec certè quicquam illo opus eſſe video, ſiquidem *Ira* & *Dolor*, hoc eſt, commiſeratio, ejus vices ſupplere poterunt. Et obſervatu quidem dignum eſt, Chriſtum Servatorem *Irâ* aliquoties abreptum fuiſſe & *dolore*, ac *commiſeratione* colliquatum; verùm nè minima quidem intimatiuncula eſt odii per totam Servatoris vitam. Adeò ut tutiſſimum ſit maximéq; ſecurum aut iraſci aut miſereri improborum hominum, non autem odio proſequi, nè & noſmetipſi aliquo modo inviſi evadamus nos induendo tam deformi larvâ. Quantùm verò ad *Libidinem* ac *voluptates corporis*, tam conſpicuum illud eſt mortificationis Objectum, ut is ſanè qui hîc metam non transfigit jugulúmq; percutit, nihil omninò necaverit. Eſt enim vitioſitas omnium craſſiſſima & lutulentiſſima (ut taceam quantum in ſe habeat ſcandali) & inquietatrix hominum

num importuniſſima qui ſerio ſtudio ad Deum feruntur, maximáq; Fidei ſenſúſq; in rebus Divinis ſuffocatrix, itáq; alas Animæ delibutas reddit & quaſi viſco illitas, ut ſursùm ſe movere non valeat nec ſeipſam ab impedimentis corporis ullo modo liberare, nec imaginari quicquam animóve concipere quod *cœleſte* ſit ac *Divinum.*

Jàm verò *Superbiâ Voluptatéq; corporeâ* exterminatis, manifeſtum eſt *Avaritiam* actutùm hinc ſubmotum iri; ſiquidem illa utplurimum non eſt niſi iſtorum duorum vitiorum opſonatrix. Iíq; qui maximè ſordidè avari ſunt, probè ſibi ſunt conſcii, cùm pecunia ad omnia valeat (quicquid homines obgannierint) ſe nec eſſe nec unquam fore deſpicabiles.

10. Tertia ultimáq; *Libertatis* pars eſt quæ nos liberos reddit ad *Juſtitiam.* Quódq; ſic ſe res habet, ex eo quod jam dictum eſt planè apparet. Etenim poſtquam quis ab *onere inutilium Ceremoniarum*, ab *infructuoſarum & ſuperſtitioſarum Opinionum* illaqueationibus, & à *corpore* deniq; *Peccati* liberatus ſit, quid nunc, obſecro, *Divinum* illud *Principium Regenerationis* ab operatione alacri, libera ac delectabili poteſt impedire? Nam omnis collis jam depreſſus eſt, omníſq; vallis exaltata, omniáq; plana & æqualia coram eo facta, ut cum voluptate, pace ac gaudio ambulare poſſit in viis æternæ illius Juſtitiæ quam Chriſtus in mundum introduxit. Nam æternum verbi ſemen ipſi inſitum, viváq; Lex Juſtitiæ cordi ipſius inſculpta, æquè naturaliter eum regit actuátque, quàm anima corpus ſolutum vinculis movet; nec major illi coactio eſt ſervitúſve illud agere quod reverà *bonum* eſt atq; *ſanctum*, quàm homini irregenito id facere quod *naturale* eſt aut *peccaminoſum.*

Atq; ſic perſpicuè fidelitérq; nobis ante oculos propoſui bene adulti Chriſtiani Ideam, qui debitos ſuos profectus fecit ſub ingentibus ſubſidiis *novi Fœderis* ſeu Evangelii; ut cognoſcere indè poſſimus quò nos aſpirare oporteat atq; anhelare, nec unquam quieſcere donec facti ſimus hujus tam beatæ felicíſq; conditionis compotes. Quod ſanè Propoſitum tanti momenti eſt ut huic penſo abſolvendo me defuiſſe exiſtimavero, niſi ea etiam quæ directioni in ineundo hoc *Novo Fœdere* quod deſcripſi, & ad progreſſus faciundos in eodem inſervire poſſint, inſuper addidero. Quod *adæquatum* oſtendendo illius *Objectum*, *Principium verum* quo moveamur ad paciſcendum, & *Media efficaciſſima* quibus nos fideles præbeamus proſecutores illius quod initio deliberatum habuerimus pactíq; ſimus, præſtitum iri cenſemus.

CAP. VIII.

1. *Adæquatum Objectum* Fidei ſalvificæ *ſive* Fœderis *Chriſtiani.* 2. *Quòd obligatio etiam ex* noſtra parte *ſit, manifeſtum eſſe ex ipſa* Novi Teſtamenti *Inſcriptione.* 3. Sanguis *in fœderibus quid ſignificet.* 4. *Et quid per Analogiam* Sanguis Chriſti *in fœdere Chriſtiano.* 5. *Periculoſus error execrabiliſq; Hypocriſis eorum qui ſibi aliiſq; perſuadere volunt pacti præſtationem ex eorum parte in hoc* Fœdere *nullam requiri.* 6. *Cœleſtem Hæreditatem, ſub* conditione *tantùm, nobis promitti è multis Scripturæ locis demonſtratum.*

1. OBjectum adæquatum *Fidei ſalvificæ* ſive *Fœderis Chriſtiani* (per *Fœdus* enim intelligo fidelem noſtrum ſincerúmq; conditionibus Evangelii aſſenſum) illud eſt quod vulgò appellamus *Novum Teſtamentum*, hoc eſt, omnes illæ utiliſſimæ veritates quæ illîc commemorantur, tam *Præcepta* quàm *Promiſſa.* Quibus omnibus fidem adhibendum eſt iiſq; firmiter aſſentiendum. Vel ut majori cum compendio loquar; Quicquid Chriſtus illîc dicitur feciſſe pro nobis aut paſſum eſſe, noſtri causâ egiſſe nobíſve procurâſſe; quicquid boni nobis jam effecit, promiſítve ex ſua parte in poſterum, hoc omne ſine ulla mala ſuſpicione animíve fluctuatione eſt credendum. Et quicquid ex noſtra parte agendum requiritur, id etiam libero plenóq; animi propoſito acceptandum eſt ac ſpondendum, & ſumma cum conſtantia ac ſinceritate eò allaborandum, ſine omni fraude ac tergiverſatione, ſine ullis technis & eluſionibus perverſíſq; interpretationibus ſanctorum præceptorum Evangelii.

2. Ipſa enim Inſcriptio hujus Inſtrumenti quod *Novum* appellamus *Teſtamentum*, ἡ καινὴ διαθήκη, *Fœderis* notionem præ ſe fert, hoc eſt, *mutuæ obligationis*; quanquam & *Novam Legem* poteſt etiam ſignificare. Qui Titulus ſeveriùs quidem refutaret Hypocriticos illos & ſui ipſorum & ſectatorum ſuorum palpones, qui fallacibus & præſtigioſis

præſtigioſis ſuis interpretationibus perſuadere ipſis volunt, nihil ex eorum parte in hac Evangelica Oeconomia expectari. Et præterea Lex non temerè apud *Ariſtotelem* definitur per Συνθήκη *Fœdus*, cùm ſit ἐγγυητὴς ἀλλήλοις τῶν δικαίων, quemadmodum eam *Lycophron* deſcripſit; cùm *Lex ſponſor ſit & ſuſceptor quòd res juſtè bonáq; fide tranſigetur partem inter atq; partem.* Nec veritatem ad quam collineamus eludere poterunt prætendendo τὴν καινὴν διαθήκην eo ſolo ſenſu Novum *Teſtamentum* eſſe quo ad homines moribundos refertur, atq; idcirco ſignificare poſſe jus alteri conceſſum ſine ulla mutua Obligatione: Hoc enim ſenſu *Novum* Teſtamentum appellari non poteſt, quippe quòd nullum ſit *Vetus* quod illi reſpondeat. Etenim Lex Dei Fœdúſve per *Moſem*, *Teſtamentum* appellari non poterit in hoc ſenſu: Deus enim Pater non moriebatur, nec certè eſt Lex *Moſaica* Legatum quodpiam ultimáve Voluntas ac Teſtamentum ad mortem *Moſis* relatum.

3. Reſtat igitur Chriſtianitatem *Fœdus* eſſe *obligatorium*, quo pars parti obligetur, Deus ſcilicet homini, homóq; Deo; Hujúſq; Fœderis Mediatorem eſſe *Jeſum Chriſtum*, cujus *ſanguis in Cruce* effuſus, hujuſce *Fœderis ſanguis* eſt, quemadmodum & maximè ſacra & ſolemnia Fœdera apud Gentes, ipſóſq; adeò *Judæos* (prout ſuprà memoravi) ſanguine aſpergebantur. Quæ Ceremonia ſacrificandi effundendíq; ſanguinem nihil aliud erat quàm inſinuatio mutuæ imprecationis comminationiſve extremi mali ſibi invicem, ſi fraudulenter egerint in concepto fœdere. *Grotius* antiquam Religionis Paganicæ formam producit quæ expreſſim ad hoc propoſitum facit. *Qui prior defexit, tu illum*, Jupiter, *ſic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantóq; magìs quantò magìs potes polléſque.* Atq; ſic *Trojanis Græciſq;* ſolenne fœdus ineuntibus, ejúſq; ſe mutuò ſtare conditionibus religiosè obligantibus, pronunciabat unus quiſpiam hanc imprecationem ſeu comminationem utrivis parti qui fidem fefellerint.

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε, κὴ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι,
Ὁππότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν,
Ὥδε σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι ὡς ὅδε οἶνος.

Jupiter *auguſtiſſime, maxime, cæteríq; immortales Dii,*
Utri priores contra fœdera noxam intulerint,
Sic cerebrum ipſorum in terram fluat ſicut hoc vinum.

4. Ex hac generali notione ſignificationéq; *ſanguinis* in fœderum *Sanctione*, quis illius ſenſus ſit in illo fœdere quod Deus nobiſcum pepigit per ſanguinem Chriſti, faciliùs intelligemus. Etenim ſub Paſſionem ſuam ultimam, *vinum* appellabat *ſanguinem novi Fœderis* pro multis effundendum in remiſſionem peccatorum, hoc eſt, in pacem ac reconciliationem Deum inter atq; hominem. Cæterùm in his publicis Pactionibus, Pacificationibus ac Fœderibus quæ fiebant per ſanguinem, quanquam ea benevolentiæ ac conſenſûs ceremonia erat, Sanguinis tamen effuſio non ceſſabat ſignificationem etiam habere comminatoriam iis qui infidi futuri ſint in ſancito fœdere. Multóq; magìs ſic ſe res habet in ſanguine filii Dei. Ut pax multò majoris eſt momenti, ità & *fœderis* violatio multò majoris periculi. Hoc Author ad *Hebræos* expreſsè notavit, oſtendítq; quòd in voluntariis impietatibus perversíſq; defectionibus à Deo, pars *expiatoria pacificatoriáq;* ſanguinis Chriſti virtutem ſuam amittit, párſq; *comminatoria* vim ſuam tunc inceptat exerere. Hebr. 10. 26. *Nam ſi poſtquam veri cognitionem aſſecuti ſumus, datâ operâ peccamus; non jam ſupereſt ullum pro peccatis ſacrificium, ſed horrenda quædam expectatio Judicii, igniſq; ſævitia adverſarios confecturi. Siquis contra Moſaicam Legem commiſit, is citra ullam miſericordiam ex duorum triúmve Teſtimonio moritur: Quanto graviori putatis afficiendum pœnâ, qui Dei filium proculcaverit, fœderiſq; ſanguinem, per quem luſtratus eſt, pro profano habuerit, & gratiæ Spiritum affecerit contumeliâ?* Ac proinde, quemadmodum ſtatuit S. *Petrus* 2 Epiſt. 2. *Satius eis fuiſſet juſtitiæ viam nunquam cognoviſſe, quàm eâ cognitâ, à tradita ſibi ſancta diſciplina retrò receſſiſſe.* Quos homines is deſcribit in antecedenti verſu; Tales utiq; eſſe, qui cùm ex mundanis fœditatibus elapſi eſſent per cognitionem Domini noſtri ac Servatoris Jeſu Chriſti, eiſdem iterum intricabantur devicti, rurſúſq; in peccati ſervitutem redacti, auſcultando præſtigioſis doctrinis *Libertiniſmi*, quemadmodum pleniùs in illo Capite licet videre.

5. Quamobrem apertè conſtat ex eis quæ jam allata ſunt, conditiones eſſe in *Novo Fœdere* ex noſtra parte præſtandas æquè ac promiſſa ex parte Dei, nec Chriſtianitatem

nitatem esse tam laxam, remissam ac inertem Religionem quàm quidam Impostores eam facere volunt; quod & adhuc clariùs ex multis aliis Scripturæ testimoniis evincemus. Matth. 11. *Regno cœlorum vis adfertur, & violenti illud rapiunt.* Ex quo planè innuitur nullos segnes remissósve conatus nos perducturos esse ad fruitionem Promissorum Fœderis. Atq; alibi, *Nemo qui, aratro admotâ manu, respicit in tergum, aptus est ad Dei Regnum.* Et Luc. 13. 24. *Contendite intrare per angustam portam, quia multi (dico vobis) studebunt intrare & non poterunt. Quia angusta est porta & stricta via quæ ducit ad vitam; sed lata est porta & spaciosa via quæ adducit in exitium, multiq; sunt qui introëunt per eam.* Prout occurrit in consimili loco *Matthæi.* Quæ manifesta Scripturæ loca quivis judicaverit satis valida esse ad expergiscendum fœdos hos somniatores è pernicios suis commentis ac opinionibus, per quas persuadere nobis volunt *Oeconomiam Evangelicam* rem esse tam mollem ac delicatulam, ut nulla sit manuum ad aratrum admotio, nulla contentio nec colluctatio, verùm nos ad cœlos in plumea culcitra *otiosæ Fidei Fa-*
Philip. 2.12. *vaticive Libertinismi* sublatum iri. Cùm tamen Oracula Evangelica nos doceant,
Ephes. 6. 12. *cum timore ac tremore nos nostram ipsorum salutem conficere oportere; curreréq;* nos
Hebr. 12. 4. debere ac *colluctari, pugnare* & *resistere, atq; id usq; ad sanguinem.* 1 Cor. 9. 24. *An nescitis ut, qui currunt in curriculo, omnes quidem currant, sed unus certaminis pretium obtineat? Sic currite ut assequamini. Enimvero omnes qui certant omnia perferunt, illi quidem ut interituram assequantur coronam: at nos immortalem. Equidem sic curro ut non incertò; sic luctor ut qui non aërem verberem; quin contundo subigóq; meum corpus nè fortè cùm alios docuerim ipse sim rejectaneus.* Et tamen S. *Paulus* æquè electum erat vas atq; selectissimus horum egregiorum Pietatis Professorum qui per propriam sui ipsorum palpationem ità sibi imponunt, ut opinentur se faciliorem reperisse ad salutem viam, quàm *Paulus* ipse noverit, sperántq; se victoriam obtenturos ac coronam, non quidem pugnando contra proprias suas corruptiones, sed affectatitiis blandorum verborum formulis inaníq; grandiloquentiâ aërem verberando; quæ ad nihil aliud tendunt, quàm ad palliandam propriam suam Hypocrisin ac Infidelitatem in facto Fœdere & ad seductionem exitiúmq; aliorum.

6. Sanctus verò *Paulus*, ut ut illi quibusdam apud ipsum locis in pravæ suæ causæ favorem abuti volunt, apertissimus est hujusmodi falsæ doctrinæ redargutor, atq; adhuc expressiùs nos monet, Promissa Evangelii esse conditionalia. *Certa res est* (inquit ille ad *Timotheum* 2 Epist. cap. 2.) *Si simul mortui sumus, simul etiam vivemus; si toleramus, etiam unà regnabimus. Si negamus, ille quoq; negabit nos; si infidi sumus,* (putà in Fœdere) *ille tamen fidus manet, seipsum negare non potest.* Ille stabit pacto fœderi, juxta omnes illius rationes ac proposita, sivè in *pœnam* sive in *præmium.* Et Rom. 8. *Nulla igitur nunc est condemnatio iis qui sunt in Christo Jesu,* verùm ipsorum conditio sive descriptio statim subnectitur, *qui non secundùm carnem incedunt sed secundùm Spiritum;* & vers. 8. *Qui verò in carne sunt, Deo placere nequeunt. At vos non estis in carne sed in spiritu, siquidem Dei Spiritus habitat in vobis. Quòd si quis Christi Spiritum non habet, is Christi non est. Si verò Christus in nobis est, corpus quidem mortuum est per peccatum, sed spiritus vivus per justitiam.* Et rursus, *Nam si carnis arbitrio vixeritis, morituri estis; sin spiritu corporis actiones peremeritis, vivetis.* Et vers. 16. *Ipse Spiritus animis nostris testatur nos esse Dei liberos; quòd si liberos, etiam hæredes; hæredes, inquam, Dei, Christi autem cohæredes; si modò simul patiamur, ut simul etiam glorificemur.* Quod planè innuit Hæreditatem cœlestem Regnúmve Gloriæ conditionale Regnum esse seu Hæreditatem. Et ut Regna taceamus, nè remissionem quidem peccatorum obtinebimus nisi sub conditione. Matth. 6. 14, 15. *Si enim remiseritis aliis hominibus sua delicta, remittet & vobis pater vester cœlestis. Sin minùs remiseritis aliis sua delicta, nè Pater quidem vester vestra remittet delicta.* Quid isthoc potest esse evidentius?

CAP.

CAP. IX.

1. *Quid sit reverà* Novum *hoc* Fœdus *inire.* 2. *Hujus fœderis pactionem, actualem supponere* Resipiscentiam. 3. *Quòd* Fœderator novus *ex aqua & spiritu sit genitus.* 4. *Necessitas peritè tractandi recèns natos in Christo Infantulos.* 5. *Doctores quosdam meras* Striges *esse &* Infantisugas.

1. NOvum hoc igitur *Fœdus Evangelicum*, Fœdus esse *conditionale* evidentissimè demonstravimus. Et certè nisi Hypocrisis & Impietas animas hominum tam degeneres effecerit ut Rationi consona absonáve eis perinde sint, ab ipso quidem sono & significatione vocabuli percipere possint capitulationes quasdam mutuas & conditiones subindicari, alioqui non posset esse *Fœdus*. His igitur præmissis quinam ille debitus sit affectus qualitásq; animi, quæ in eo requiritur qui *Novum* hoc *Fœdus* vult inire, quídve illud sit quo reverà illud jam iniisse intelligatur, faciliùs dispiciemus. Neq; enim est *Fides* merè *Historica*, seu Persuasio illa vera esse quæ in novo Testamento occurrunt, agnitióq; quòd ea omnia ad pacem salutémq; hominis tendant, quódq; homo ad vitam, quoad poterit, obligatur, juxta sancta illa Præcepta quæ inibi continentur, instituendam; sed *amorem* præterea oportet esse & *existimationem dictorum præceptorum æquè ac perfruendi æternæ vitæ Promissi desiderium*, sincerúmq; porrò institutum adnitendi sic vivere quemadmodum Leges Evangelicæ præscribunt, & hilarem deniq; expectationem *Divinæ assistentiæ*, quòd Deus utiq; vires illi per Spiritûs sancti cooperationem suppeditaturus sit ad tales faciendos in vita pietatéq; progressus qui verum Fidei Christianæ professorem condeceant.

2. Qui, post perlectas Evangelii capitulationes prout in *Novo* occurrunt *Testamento*, vel quocunq; alio modo ipsius substantia illi sit communicata, póstq; intellectos suos indè errores & deviationes, sive in opinione sive in praxi, ità affectus est quemadmodum declaravimus, manifestum, inquam, est, hunc *peccatorum suorum errorúmq; jam pœnituisse*, priorémq; Conversationem eatenus reverà improbâsse quatenus menti Christi erat incongruens. Adeò ut status suprà descriptus planè supponat *Resipiscentiam*, quæ rejectionem complectitur talium opinionum quas falsas esse detexerimus, & dolorem ac abhorrentiam ab omnibus nostris delictis cum voluntate compensandi injurias quantum in nobis est, si quid cuiquam nocuimus, & pronitatem ad vindictam quandam de nobismetipsis sumendam, in coërcendo nosmetipsos & inhibendo à fruitione earum etiam rerum quæ in se licitæ sint, sed quæ in præsens fortean haud ità nobis expediant, sed potiùs noxiæ sint & pernicioſæ.

3. Qui sic affectus est, quemadmodum descripsi, quíq; tam lubenti potest sinceróq; animo Christum amplecti, eúmq; recipere ut *Regem* æquè ac *Sacerdotem* & *Prophetam*, & se jure obligatum sentit sic vivere in mundo sicut ille vixit, illius exemplum in omnibus sequens, quíque (quod dixi) amat approbátq; illas virtutes quas ille mundo commendavit, hic profectò perquam idoneus est *Novus Fœderator*. Nam caro & sanguis hæc non revelavit ipsi, sed Spiritus Dei qui est in ipso, quippe qui genitus est non ex corruptibili semine sed incorruptibili, ex verbo Dei quod vivit manétq; in æternum. De hoc statu intelligi potest illud *Johannis*, *Quisquis professus fuerit Jesum esse filium Dei, Deus in eo habitat & ipse in Deo.* Et cap. 5. *Quisquis credit Jesum esse Christum illum, ex Deo natus est.* Atq; hæc nova illa est Nativitas sine qua nullus est introitus in regnum cœlorum, nempe, nisi quis genitus sit ex *Aqua* & *Spiritu*, hoc est, nisi sit genitus ex *Spiritu*, qui per *aquam Baptismatis* significatur. Quod externum *symbolum* est internæ *Regenerationis*, quâ homo capax fit hujus *Divini Fœderis*, remissionem peccatorum per Christum obtinet, & reale ac visibile membrum ejus Ecclesiæ constituitur.

1 *Johan.* 4.15.

1 *Johan.* 5.1.

4. Et postquam ad hunc modum in Ecclesiam genitus sit, nec tunc certè receptus est in brachia absolutæ Omnipotentiæ ad eum sustinendum, defendendum ac nutriendum; sed eadem ferè hîc ratio est quæ in tenera Planta recèns è terra nata, vel in Infante recèns in mundum edito; qui nisi in manus incidant una periti hortulani, alter bonarum nutricum, ambobus profectò periculum est nè funesto aliquo casu pereant. Accretio saltem ipsorum impediri potest per negligentem inscitámq; curationem si non & ipsa vita extingui. Etenim Influentia Gratiæ non est semper irresistibilis, nec Propositum illius indeclinabile; verùm ità ferè se habet ut *Spiritus na-*

turæ ejúſq; conatus ac tentamina ad perficiendas earum rerum ſpecies quas produ-
Vide lib 8. cap. 12. ſect. 2. cit, quemadmodum ſuprà notavi. Illa certè ſemper ad optimum enititur, ſed inhiberi poteſt, & ſufflaminari, & ipſe *Spiritus ſanctus* (quod ait Apoſtolus) *extingui poteſt* æquè ac ignis naturalis. Et tametſi Natura jucundum illud vitæ Principium liberaliter ſuppeditet, refrigerantem ſcilicet Aërem; pulmones tamen infantis ità farciri poſſunt inſalubri lacte miſeræ ac infidæ nutricis, ut eum trahere non poſſit ad vitam tuendam ac ſanitatem: ſed infelix infans immanitati morbi cedere cogatur, & per eorum manus occidere, qui vitam ei ac nutrimentum prætendebant miniſtrare.

5. Eſtq; par ratio in eis qui adhuc Infantes ſunt in Chriſtianitate, qui reverà vitam habeant ſenſúmq; ac deſiderium illius quod bonum eſt, verùm ad id ætatis nondum pervenerint, quin opus habeant ab aliis lactari. Si illi igitur qui prætendunt eos nutrire, venenum pro ſincero verbi lacte impertiunt, minimè dubium eſt quin permagno verſentur in periculo nè vitam illam perdant in quam recèns geniti ſint, & à *novo fœdere* deficiant. Quòd hujuſmodi erant olim Nutrices, vel *Striges* potiùs, quæ cùm Infantes nutrire deberent, ipſum ſanguinem vitámq; Religionis eis exuge-
* *Lib 8 cap. 5.* bant, multa in Apoſtolorum Epiſtolis loca ſubinſinuant, quemadmodum jam *notavi. Parvulos nimirum eos fuiſſe infantes quibus iſti Impoſtores perſuadere volebant eos juſtos eſſe poſſe, quamvis non eſſent juſti ut Chriſtus juſtus erat. Quod profectò frigidum torpidúmve venenum ipſis in ora exprimere eſt, non ſalutari verbi lacte nutrire. S. *Paulus* fidelior nutrix erat, ipſúmq; *Titum* ſic eſſe docebat, cap. 3. ubi poſt mentionem factam de *novo* hoc *Fœdere* ineundo per Lavacrum Regenerationis & Renovationem Spiritûs ſancti, ſtatim ſubjungit, *Fidus eſt hic ſermo, & hæc volo te affirmare, ut ii qui Deo crediderunt bonis operibus ſtudeant perfungi.*

CAP. X.

1. *Primum Principium quod* novus Fœderator *ſtrictè debet obſervare.* 2. *Secundum Principium quod obſervare debet.* 3. *Tertium ultimúmq; Principium.*

1. QUamobrem ut nemo retrò cedat gradúmve ſiſtat, ſed debitos profectus faciat, ritéq; in Chriſtiana vita adoleſcat; Primum Principium cui *Novus Fœderator* adhærere debet fixus & immobilis, hujuſmodi eſt; *Indiſpenſabilem* utiq; eſſe *Obligationem* in hoc *novo Fœdere*, vitam quantum poſſumus inſtituendi ſecundùm illa præcepta Evangelii quæ aut ipſius Servatoris ore aut per ſanctos ſuos Apoſtolos ſint tradita: Nec indulgere nobiſmetipſis oportere in re qualibet quam propriæ noſtræ conſcientiæ nos monent eſſe peccaminoſam, nec animo quidem dejici tanquam omnis ſpei expertes, ſi quando nos contra proprium noſtrum inſtitutum ac conſilium errâſſe quicquam lapſóſve eſſe inveniamus, ſed cum alacritate & confidentia, per mediationem Servatoris, obfirmatiores in poſterum addere conatus majorémq; circumſpectionem, adminiculum etiam aliquod ex lapſibus noſtris (in quos ſubita erroris alicujus infirmitatiſve anticipatio nos conjecerit) ad celeriores altioréſq; profectus in *Divina vita* nobis comparantes. Has duas conſiderationes *indiſpenſabilis obligationis ad officium, Chriſtiq; pro nobis Interceſſionis & Propitiationis*, S. *Johannes* ſcitè prudentérq; conjunxit, 1 Epiſt. cap. 2. *Filioli mei, hæc vobis ſcribo ut non peccetis: Quòd ſi quis peccaverit, Patronum habemus ad Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum, qui idem piaculum eſt peccatorum noſtrorum: nec ſolùm noſtrorum, ſed etiam totius mundi. Ac in eo nobis eum eſſe notum intelligimus, ſi ejus præceptis paremus. Qui eum ſibi notum eſſe dicit, & tamen ejus præceptis non paret, mendax eſt, nec eſt in eo veritas. Qui verò ejus dictis paret, is verè perfecto Dei amore præditus eſt.* Quemadmodum hic Articulus valde perſpicuus eſt, (prout alibi fuſiùs probavi) ità
Lib 8 c. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 10, 11. profectò maximè neceſſarius eſt qui credatur animóq; recolatur perpetuò, ut nos tutos conſervemus à guſtando, tangendo, propiúſve modo quovis accedendo ad aſpectum odorémve dulcoroſi illius veneni Libertiniſmi (coloretur licèt, dulcoretur, & aromatizetur verbis quidem gratioſiſſimis, glorioſiſſimiſq; locutionibus quibus humanæ Eloquentiæ fraus illud exornare poteſt) halitúmq; hujuſmodi Impoſtoris devitemus, pari profectò ſtudio atq; hominis peſte infecti, quippe cujus converſatio mors eſt & æterna animarum noſtrarum pernicies.

2. Secundum

2. Secundum Principium cui adhærere debet, *Fides eſt*, penè dixerim, *Omnipotens in Deo per Chriſtum. Fiduciam* intelligo *in Aſſiſtentiâ Sancti Spiritûs ad devincendum ejiciendúmq; è nobis omne genus peccati.* Nam ſi fortiter fidelitérq; huic adhæreſcimus, nihil ſanè nobis poterit obſiſtere, ſed per patientiam & perſeverantiam ex omnibus ſuis munimentis Satanam exigere valebimus. *Secundùm fidem tuam ità fiat tibi*, æquè verum eſt in ſanationibus animarum noſtrarum per Chriſtum atq; olim erat in curandis ægrotorum corporibus quando erat in terris. Hic principalis eſt *Fidei ſalvificæ* ramulus, maximúmq; robur & adminiculum quod habemus, quo ſuſtinere nos poſſimus nè ſubſidamus in peccatum nec fluminibus impietatis immergamur & abripiamur. Si hoc retinaculum perdimus, perimus. Etenim ii qui non credunt ſe poſſe peccato reſiſtere, neceſſe eſt ut ſeipſos illi dedant captivos. Atq; hoc eſt quod facit ſanctum *Paulum* tanto fervore ac affectu Deum orare pro *Epheſiis* ut dignetur eis largiri ſpeciale hoc donum *Fidei* in confirmationem corroborationémq; interni Hominis, cap. 3. *Hujus rei gratiâ flecto mea genua ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut pro ſua glorioſa opulentia det vobis fortiter corroborari per ſpiritum in interiorem hominem, quo habitet Chriſtus per fidem in veſtris animis, & ſitis in Charitate radicati atq; fundati, &c.* quemadmodum aliàs recenſui. Et in Doxologia hanc Orationem proximè ſubſequenti, quàm ineffabilis efficaciæ in nobis ſint Spiritûs operationes non vulgari grandiloquentiâ enarrat: *Ei verò, qui eâ vi, quæ viget in nobis, poteſt omnia longè longéq; copioſiùs facere, quàm nos poſcere aut cogitare, ei, inquam, gloria in Eccleſia per Chriſtum Jeſum, in omnem omnium ſeculorum perpetuitatem. Amen.* Quæ verba planè innuunt ejuſmodi eſſe inexhauſtam Gratiæ & Aſſiſtentiæ opulentiam à Spiritu Dei ut effectus operationum illius in nobis in præſens nè cogitari quidem poſſit nedum exprimi. Quapropter fides noſtra in hoc ſupernaturali Principio non poteſt juſto major eſſe, quóq; major eſt eò major erit fortitudo, victoriáq; celerior & perfectior. *Lib. 8. c. 9.*

3. Et tamen aliud adhuc ſupereſt Principium quod fidem noſtram ulteriùs actuabit, nóſq; reddet magìs adhuc vivaces, obfirmatos & invincibiles, atq; hic *Amor Chriſti* eſt, quo ſe Novitius quiſq; Chriſtianus calefacere debet animúmq; magìs magíſq; inflammare: Quod quidem optimè præſtabit frequenti meditatione in *Paſſionem Chriſti*, quam ignominiam, quos dolores ac ærumnas ſuſtinuerit ad conciliandum ſibi amorem animarum humanarum, & ad devinciendas eas ſibi dulciſſimis illis ac inviolabilibus vinculis ſinceri Amoris & Amicitiæ, ut hâc aureâ catenâ eas poſſit ad ſe à terra ad cœlos attrahere. Quocirca Novum oportet Fœderatorem, quoties ingentem Servatoris Amorem ſecum recolit, pectúſq; ſentit jam incaleſcere cœleſtis illius flammæ radio tactum, illuſtris utiq; Solis Juſtitiæ ad Dei dextram ſplendentis, oportet, inquam, reminiſci quam is compenſationem pro omni illo Amore ac Charitate quam nobis præſtitit, requirat. Præceptum breve eſt, ac proinde nunquam obliviſcendum, *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* *Johan. 14. 15.*

CAP. XI.

1. *Examinatio diligens quam Novus hic Fœderator inſtituere debet ad inveniendum quicquid in ipſo ſit corruptum & vitioſum.* 2. *Verè* Regenitum *non poſſe quieſcere donec omnis ex eo exacta ſit corruptio.* 3. *Ferventiſſimarum precum* vivi Chriſtiani *objectum.* 4. *Diſcrimen inter* filium Secundi Fœderis & Mancipium Primi. 5. *Vaticinii* Eſaiæ *de hoc ſtatu* Myſtica *Impletio.*

1. CHriſtianus igitur *Novitius* ad hunc modum *Fide* & *Amore, confirmatiſſimóq; ſenſu officii ſui armatus*, quòd utiq; eum ſanctum eſſe oportet, quemadmodum is qui eum vocavit ſanctus eſt, promptus tunc erit paratúſq; ad aſpectum hoſtis ſuſtinendum, & ad eos exquirendos, ſi primo circumtuitu non inveniat, & ad extrahendos ipſos ex omni latibulo Hypocriſeos & in apricum educendos trucidandóſque. Et ſi poſt diligens ſcrutinium nullos inveniat, ità tamen modeſtus erit ut diffiſurus ſit propriæ ſuæ peritiæ, & ferventiſſimis precibus apud Deum contenderit ut dignetur ipſi detegere quicquid internæ abditæq; impietatis in ipſo adhuc latere poſſit; in eum utiq; finem ut vetus fermentum prorſus expurgetur, nihílq; omnino relinquatur quod adverſetur Chriſti Sceptro Regnóq; Dei in ipſius corde.

2. Eſt enim reverà impoſſibile ut is, qui verè regenitus ſit actúq; ſemen Dei vitámq; ejus Spiritûs in ſe habeat, quieſcat unquam donec omne id quod pollutum corruptúmq; eſt ex ipſo ejiciatur. Verùm res ad imaginem illius quàm proximè accedit quod ſit in naturali corpore quando ægrotat; aut *Mors* aut *Sanitas* mediocri tempore totum corpus poſſidebit. Si materia morbifica non egeratur per ſudorem, purgationem aliámve aliquam evacuationem, vita ipſa mox egeretur. Quòd ſi id quod adverſatur vitæ, tempeſtivè amoveatur, ſanitas certiſſimè ſuccedet.

3. Atq; ità prorſus ſe res habet in ipſa *Divina vita* poſtquam radices egerit atq; adoleverit, quicquid ei contrarium eſt odioſum etiam eſt & oneroſum, ad inſtar Inventi Tyranni illius qui mortuos vivóſq; ſimul colligavit. Quamobrem verus Chriſtianus nunquam ſe quietè habebit ac pacificè, donec moleſtum hoc onus dejecerit, *corpus* utiq; *peccati*, *veterem hominem*, qui terreſtrem rancidúmq; emittit fætorem, ſi vel ulla ex parte percipiatur, & ſanè tam intolerabilem, ut *Divina vita ſenſúſq;* in homine eum nullo modo pati poſſit. Nec certè in conditione eſſe tam inſenſata ut quicquam ſuperſit illius acidi fermenti, nec tamen ulla illius fiat perceptio. Ac proinde maximè importuna Dei ſollicitatio apud Thronum Gratiæ in *vero vivóq;* Chriſtiano, hæc eſt; nempe, ut dignetur Deus ei detegere, quicquid in ipſo ſuperſit turpitudinis aut deformitatis ſive in praxi ſeu in opinione. Quod Deus pro ſua miſericordia gradatim facit, non totum ſimul, nè nimium diſtractionis confuſioníſq; animi indè oriatur. Verùm ſi nobiſmetipſis non defuerimus, opus ſuo quidem tempore perfectum erit, regnúmq; cœlorum æquè intra nos atq; extra ad inſtar grani erit ſinapis. Criſis morbi opportuno fiet tempore, quod paulò antè monui, totúſq; Homo Dei Spiritu revivificatus erit, reſtitutúſq; ad ſtatum Juſtitiæ, Pacis & Gaudii in Spiritu Sancto.

Lib. 8. cap. 5. ſect. 8.

4. Etenim quibuſvis aliis conditionibus acquieſcere, non eſt profectò Filii *ſecundi Fœderis*, ſed Mancipii cujuſpiam deſidis ſub *primo*, qui non operatur ex principio *Amoris internæq; vitæ* ac *collibentiæ*, ſed ob rationem aliquam *externam*, minimè curans quàm parùm operæ abſolvat, qualíve animi tenore, modò ſeveram in præſens fuſtigationem devitet, promiſſámq; tandem à Domino recipiat mercedem. Verùm ſub *ſecundo Fœdere* res multò aliter ſe habet. *Verus* enim hic Chriſtianus impatiens eſt peccati, eo ipſo nomine quòd peccatum ſit, eandémq; rationem habet ad *ſenſum* ipſius *animæ* quam moleſtus dolorificúſq; morbus ad *ſenſum corporis*, ac proinde intolerabili conditione eſt uſq; dum ab ipſa liberetur, eóq; magis, quantò eſt certior illud menti voluntatíq; Chriſti adverſari qui in mundum venit ad ſanandas noſtras iniquitates, & ab omni peccato nos liberandos.

5. Ac proinde poſtremò, nunquam debemus contenti eſſe donec noſmetipſos per Divinam potentiam ad eum ſtatum tenorémq; animi ſenſerimus perveniſſe (ídq; ad eum uſq; gradum quo humana natura ſit capax) ut nihil prorſus ſuperſit non demolitum, quod *Divinæ* in nobis *vitæ* contrarium ſit aut inimicum. Ut illud impleatur quod vaticinatus eſt *Eſaias*, *Eos nimirum qui contra* Iſraëlem *pugnant tanquam nihilum fore; Eóſq; qui cum ipſo contendunt perituros. Quæres eos & non invenies, etiam eos qui tecum contendunt. Erunt tanquam nihil ac veluti nihilum qui contra te bellum gerunt.*

Eſa. 41. 11, 12.

CAP.

CAP. XII.

1. *Quòd peccati abolitio non sit sine aliquo confligendi spacio. Methodus maximè infallibilis ad eam rem exequendam.* 2. *Externarum actionum constans Regulatio.* 3. *Hypocritica eorum querela de defectu potestatis qui ea bona opera non faciunt quæ jam sint in eorum potestate.* 4. *Periculum mutandi* Novum Fœdus *in fœdus operum, Amorémq; Christi in Amicitiam mercenariam.* 5. *Ardentissimæ preces ad Deum ut Imago Christi perficiatur in nobis.* 6. *Circumspectio perpetua ac vigilantia.* 7. *Vilificationem externorum Institutorum nullum signum esse* novi Fœderatoris, *sed insolentis animi ac carnalis.* 8. Novo Fœderatori *monitum de sua conversatione apud homines.* 9. Divinæ vitæ *Ramulos sine* Fide in Deo & Christo *in meram degenerare* Moralitatem. *Examinatio omnium motuum & excursionum proprii spiritûs quàm bene cum* Humilitate, Charitate, & Puritate *conveniant.* 10. *Monita de exercendo* Humilitatem *nostram*; 11. *Ut & Puritatem*; 12. *Amorémq; vel* Charitatem.

1. ATq; hoc quidem inservire potest generaliori directioni ac animationi, veruntamen ea etiam subnectemus quæ rationem habent magìs particularem. Ità enim hactenus locuti sumus quasi, simulatq; quis sub *secundo Fœdere* constitutus sit, nihil illi jam ampliùs opus esset præterquam peccatorum suorum investigatio: quippe quòd tunc *Fide* armatus & *Amore*, ea subitò posset conficere. Verùm nè quis me perperam intelligat, id sanè fieri non potest sine aliquo confligendi spacio. Cæterùm quantò his Divinis virtutibus instructior est, tantò erit victoria facilior & celerior. Intereà verò loci *caro* adversùs *spiritum*, & *spiritus* adversùs *carnem* semper aliquid machinabitur, & patientia ac fidelitas ex nostra parte requiruntur ut id omne præstemus quod Deus jam in potestate nostra posuit. Et proculdubio in potestate *novi Fœderatoris* positum est, idoneo tempore omne genus corruptiones & immoderata desideria per brevem hanc & infallibilem methodum mortificare, *Per constantem* scilicet *ipsorum repulsam.* Pauperi ad fores tuas mendicanti si nihil des, nunquam te inviset. Desiderium non explendo extinguitur. Et res nota est hominem sæpenumerò appetitum perdere nimis diu expectando prandium.

2. Desiderium inordinatum in morem febris nos frequentabit si indulgeamus ipsi, eíq; satisfaciamus. Satanas intinctáq; offula in ventres nostros unà descendent. Verùm Fame expugnare poteris & *Desiderium* & *Diabolum* in eo latitantem, per obfirmatam *temperantiam*, & cohibitionem tuiipsius in externis tuis actionibus. Noli affectare *inanem gloriam plausúmve* in actionibus tuis externis & sermonibus, sed modestè ea declina, & *superbia* mox concidet in anima tua, videbísq; suo tempore *Humilitatem* orientem in tuo corde dulcéq; in te nitentem suo miti lumine. *Iræ* tuæ exitum nè permitte, & extinguetur ad instar ignis suffocati. *Lascivíæ Libidinive* te solicitanti noli respondere, & desistent te inclamare, arescéntq; ut herbæ noxiæ in pulverem pedibus conculcatæ. Aude beneficus esse vel adversante degeneri abjectóq; tuo animo, & inimicis tuis gratificare, eis utiq; qui te oderunt invidéntque. *Avaritia* enim atq; *odium* sæpiùs sic frustrata, præ indignatione & ægritudine tandem te derelinquent.

3. Quòd si fallaciter agas cum Deo cúmq; Anima tua in eis rebus quas ille in potestate tua posuit (& externum quidem hominem planè posuit in tua potestate) eásq; perficere negligas, & tamen de defectu virium conqueraris, non possum quin apertè pronunciem te Hypocritam esse, perfidioséq; agere cum Christo in sancito fœdere, & Diabolum falsúmq; tuum cor te decepisse. Assentaris quidem ac blandiris labiis tuis, bellásq; narras Historias de Benignitate liberáq; Dei gratia in Christo, verùm cor tuum procul ab eo abest. Nam *quisquis nominat Christi nomen, eum oportet recedere ab injustitia*, quemadmodum suprà notavi ex Apostolo.

4. Jam verò in secundo loco, quemadmodum fideliter debemus in constanti abstinentia à malis actionibus externis persistere eásq; exercere perpetuò quæ sunt bonæ; ità certè summoperè cavere debemus nè in his ipsis acquiescamus, vertamúsq; hoc pacto *Novum Fœdus* in merum *Fœdus operum*, quasi externis his nostris peractionibus ità nos Christum devinciremus ut is obligaretur per modum gratitudinis nobis cœlum dare, aut vi contractûs seu emptionis, cùm tamen hac in re subdolè nos geramus, ut homines pauperculi aliquando agunt cum Magnatibus qui ipsis vilius aliquod munusculum

sculum præsentant ut præmium longè majoris pretii ab eis extorqueant, nullo interim sincero amore eos prosequentes, sed hamo tantùm escam indentes ut piscem capiant. Immò verò addo insuper, Quòd personalis amor atq; affectus ex sola ratione quòd Christus externo aliquo modo nobis beneficus fuerit nósq; ab æterno exitio liberaverit, nè hoc quidem plenè attingit finem ac propositum *secundi Fœderis*. Hoc enim vix quicquam aliud esset præterquam *Amicitia* quædam *mercenaria*, talísq; quæ vel *homini* merè *naturali* competet. Nam & is eum diligere potest qui tale bonum illi impertit, quòd ipsi *Animali vitæ* ac Appetitui gratificetur. Verùm *Amor* noster atq; *amicitia cum Christo* adhuc penitior esse debet atq; intimior, quandoquidem nos non solùm sensu externorum Beneficiorum sed & Spiritûs unitate ipsi alligamur, cùm eadem in nobis *vita Spiritúsq;* sit qui in ipso erat hîc in terris. Ac proinde in ipsis Animabus nostris summa sympathia erit ineffabilísq; voluptas ac prolubium in illa *Natura* atq; *Spiritu* qui in omnibus Actionibus spirat sermonibúsq; Servatoris in Evangelio commemoratis, animúmq; mirificè in universis ejus præceptis (sive per seipsum sive per sanctos suos Apostolos traditis) abreptans oblectatio. *Dulciora erunt favorum nectare & optabiliora quàm multa aureorum argenteorúmq; millia*, ut Propheta *Davides* loquitur.

5. Quamobrem nunquam cessandum est usq; dum nosmetipsos omninò abreptos deprehendamus & quasi absorptos amore ipsius *characteris* & *Genii*, ut sic loquar, beati Servatoris, & inveniamus nos sic affectos esse ut ille affectus erat in hoc mundo. Ac proinde externæ nostræ professioni preces fervidas ad Deum superaddere debemus, non solùm ut Tentationibus resistere possimus externísq; bonis operibus fungi, sed ut dignetur etiam naturam nostram nobis in integrum renovare, ut *Regeneratio* nostra perfecta esse possit, itáq; in vivam Domini nostri ac Servatoris Jesu Christi Imaginem in solidum transformemur. Quod profectò non statis solùm temporibus præstandum est sed perpetuò, prout opportunitas se dederit vacatióq; à rerum mundanarum turba ac tumultu. Tunc enim oportet nos sermocinari cum cordibus nostris Divinámq; illam Imaginem ac Characterem contemplari, *Christi* utiq; *vitam*, observaréq; ubi nos maximè deficiamus, & ad quam illius partem affectus nostri maximè frigescant, atq; sic cum seriis vehementibúsq; ejaculationibus Deum versùs, opem auxiliúmq; illius Spiritûs implorare ad consummandum bonum illud opus quod in nobis inchoavit. Atq; ità quidem præceptum illud Apostoli explebimus, *Continenter orate*; hoc est, sive ob emergentem aliquam Tentationem, seu in ipsis nostri ipsorum Examinationibus ac meditationibus Religiosis.

1. *Thes.* 5. 17.

6. Et quemadmodum debemus *continenter orare*, ità certè oportet & *continenter vigilare*, hoc est, transire ab una actione ad aliam cum *debita circumspectione*, ipsam nostram conversationem cum hominibus, negotiáq; mundana in usum ad principale nostrum trahentes Propositum, promovendi scilicet in nobis *Divinam vitam*. Nam prodeuntes ad hunc modum in communem vitam lucémq; hominum, præsentem eo ipso habemus illius gratiæ quæ in nobis est exercitationem, faciliúsq; indè possumus infirmitates nostras & defectus deprehendere, quásq; vires similiter nacti simus, quósq; fecerimus profectus in via illa quam elegimus, experiri. Atq; sic quod nacti sumus eò magìs corroborabitur, & quod nobis deest, cùm nobismetipsis illius jam simus conscii, distinctiùs profectò sciemus, qua ratione sit petendum à Deo.

7. Sic prosperè proculdubio opus procedet per *perpetuam Meditationem*, *Preces* ac *Vigilantiam*. Et dum ad hunc modum in teipso occupatus es, vide ut aliorum hominum te rebus immiscеas. Et speciatim tibi cave *nè publica Ecclesiæ Instituta contemnas*. Eadem enim monita ac consilia accipere potes in *Congregatione publica*, quibus in propria tui ipsius conscientia assensus es, ab ore fidelium & peritorum Ministrorum Evangelii. Quæ, si is sis quem te esse simulas, oblectabunt cor tuum, tum ex eo quòd testimonium sit veritatis, tum etiam quòd per divinam benedictionem suum effectum habere possint in aliis perinde ac in teipso. Quapropter *novi Fœderatoris* indicium non est sed *Animi insolentis* & carnalis, & mali aliquid molientis, hujusmodi res vili pendere.

8. Præterea & hæc etiam monita tecum reportare debes de *conversatione tua cum hominibus*. Primò, Neminem debes ob ullas res externas indifferentis interpretationis, in *victu*, in *vestitu moribúsve* civilibus judicare, sive quis more magìs aulico, sive rurali se gerat, sive vultu subtristi sit, sive magìs hilari & explicato, sive vinum bibat, seu à bibendo abstineat, sive splendidè vestitus sit, seu neglectiori ornatu incedat, & sic de id genus aliis; non debes, inquam, sententiam, nè in tacitis quidem tuis cogitatis, de hujusmodi rebus ferre, sed unumquemq; æstimare ex eo quod reverà Christianum ipsi insit, veræve Christianitati contrarium. Et tum dein, circumspectè tibi cavendum

cavendum est nè justa alterius libertas te ad aliquod incommodum adducat, pelliciendo te ad illius imitationem. Tu verò id strictè observare debes quod propria tua Conscientia te monet ad tuam incolumitatem maximè esse facturum, ut bonum opus felliciter in te procedat, útq; justitia firmam suam radicationem habeat suúmq; plenum incrementum. Interim verò sic te curare debes ut infantem temerum, hominémve ægrotantem quibus ea rectè interdicuntur quorum utendi adultis saníq; semper datur copia. His duobus monitis omne *scandalum* præcavebitur, quo aut tibi ipsi nocere possis aut injuriam aliis inferre.

9. Postremò, magìs particulatim expressímq; tibi commendabo frequentem Meditationem de his tribus *Divinæ vitæ* ramulis, *Humilitate*, *Charitate* & *Puritate*, unà cum altissima ipsarum radice, *Fide in Deum per Jesum Christum*. Nam si hæc non adjungatur, progressus tuus in *novo Fœdere* in *Moralitatem* quandam facilè degenerare potest *mercè consuetudinariam* vel complexionalem, nihíq; in se habere quod reverà sit *Divinum*. Ejusmodi eum non fore sat scio qui idoneum te reddat ad salutem illam adipiscendam quæ omnibus *verè* credentibus promittitur. Et quantùm ad tres illos *Divinæ Radicis* ramulos, volo te eos semper ante oculos tuos proponere, omnésq; motus & excursiones spiritûs tui in externa opera, examinare, quàm bellè cum his conveniant, attentéq; observare, quando teipsum putas unius horum Principiorum stimulo, tanto cum zelo ferri, an non interim in id incurras quod alteri eorum alicui sit oppositum. Immo verò ardor tuus Enthusiasticus eò te fortean abripere potest, ut contra illud ipsum etiam Principium pecces à quo te moveri maximè existimes.

10. Sic dum nimis quàm enormes affectas indicationes *Humilitatis* tuæ, prudentes quidem gnaríq; rerum Religionis, *Superbiam* tuam ex eisdem deprehendent. Ut si contentus non esses homines pauperes ad mensam tuam excipere, sed ministrares ipsis insuper, quadrâ in manum sumptâ, apertóq; capite, omniáq; ministri mensarii officia ipsis præstares, tanquam si vetera jam instaurares *Saturnalia*. Cave tibi nè quid inanis gloriæ sapiat tam insolens actio, néve famam tibi quæras hominúmq; sermone celebrari. Et vide porrò an non peccatum sit contra *Charitatem*, & offendiculum futurum eis qui sunt extrà, qui si imaginari possunt te esse sincerum, vel inviti ferè trahentur ad credendum te valde Fanaticum esse & Melancholicum, totámq; forsan rem Religionis nihil esse præterea. Sed vera *charitas* nihil agit indecoré.

11. Et si quando *Puritatis* studium te impellit ad subigendum castigandúmq; corpus tuum, tam occultè rem illam perage ut contra *Humilitatem* nihil pecces Pharisaicâ tuâ ostentatione. Quamobrem si carnis mortificationi seriò operam das, noli id ostentare hominibus aut *vestitu sordido*, aut *aspectu tristi*, acerbóq; vultu; sed hoc tu tecum habe quàm potes secretissimum, ut *is qui in secreto te aspicit, reddat tibi in propatulo.*

12. *Charitatis* sensu incalescis, quam *Amorem* tu malles appellari? Cave nè quid contra *Puritatem* pecces deflectendo in impuram *Fanaticámq;* *Libidinem*, Foveam illam lutulentam in quam multi grandiloquorum *Enthusiastarum* corruerunt, itáq; illius cœno occæcati sunt, ut principalem Illuminationis suæ fructum statuerint, eas obire Actiones sine modo ac pudore ad quas & Naturæ lumen & Evangelium Christi nos docuerunt erubescere. Hujusmodi circumspectionibus tibi opus erit, si tutò tuum cursum dirigere cupias. Quòd si fidelis esse velis *interno* tuo *Ductori*, fidémq; in *sancto Fœdere* illibatam servare, nullo profectò indigebis monitore. Via tua coram te tam plana fiet ut nec errare potueris nec titubare, sed pervenies tandem ad exoptatum scopum omnium laborum tuorum ac conatuum, ad firmam utiq; Pacem peremémq; Justitiam, *impleberisq; omni plenitudine Dei.*

MAGNI

MAGNI MYSTERII PIETATIS EXPLANATIO.

LIB. X.

CAP. I.

1. *Affectum & existimationem quam habere debemus de Religione nostra, non consistere in damnando universos ad infimum* Inferni *Barathrum qui eam non profiteantur.* 2. *Intempestiva Christianis hujus sententiæ inculcatio.* 3. *Quòd Christianum spiritum ea approbare magis condecet quæ bona sunt & laudabilia in aliis Religionibus, quàm tam fœdè eas vituperare.* 4. *Quæ sint debitæ demonstrationes Amoris nostri erga Christi Evangelium.* 5. *Quàm exigua pars mundi Christiana nuncupetur, & quàm pauci veri Christiani sint in ea parte sic nuncupata.* 6. *Imperitam aliquam fuisse aut perfidiosam* potentis illius machinamenti Evangelici *tractationem, quòd tam parùm exitii hactenus Diaboli regno intulerit.* 7. *Authoris Propositum in lucem protrahendi præcipua debitorum ejus effectuum impedimenta.*

1. QUarta ac ultima *Derivativa Proprietas* Mysterii Pietatis, & quæ ex illius utilitate oritur, magnóq; illo commodo cui non solùm, quantùm ad hanc præsentem ac transitoriam, verùm etiam ad futuram æternámq; humani Generis felicitatem inservit, est summa illa *Existimatio* atq; *Honor* quem aut extorquet à nobis aut saltem debet extorquere. Qui quidem non exprimendus est, quemadmodum vulgò fit, vilificando convitiisq; proscindendo omnes alias Religiones, damnandóq; vel optimos integerrimósq; *Turcas*, *Judæos* & *Paganos* ad imum Inferni, foréq; tunc in eos obserando clave bis versâ, excubandóve illic ad ostium cum prælongis contis ad detundendos eos fundum versùs, si qui fortè ipsorum emergere adniterentur vel quovis modo erepere: Hic fervor zelus omninò falsus est, nec ulli usui Evangelio, tam apertè statuere quòd impossibile sit ullis hominibus, qui nati non sint sub Christianitate nec ad eam visibiliter conversi, Infernum evitare, cùm tamen nunquam audiendi opportunitatem habuerint veram Evangelii vocem. Nam si Providentia tam severa repræsentetur & arbitraria, Incredulitatem potiùs gignet de omni omninò Religione, quàm nostram propriam promovebit, præsertim apud Animos liberos & intelligentes.

2. Et quid obsecro opus est ut tam funestas Historiolas illis enarrent qui Evangelium audiunt de istis qui non audiunt, nec unquam occasionem nacti sunt illud audiendi? Illorum profectò nihil interest, sed & hos perturbat qui audiunt, facítq; ut Divina Providentia minùs sit intelligibilis quàm antea. An non hoc sat esset eorum Auditoribus, nempe ut intelligerent eos qui Evangelium audiunt & tamen illud repudiant, esse in statu damnationis, siquidem Fidem ipsi habere, ipse lapis *Lydius* salutis est eis, quibus Evangelium offertur. Quòd si operam dabunt curiositatibus (qui tamen mos est haud ità laudabilis) hoc tantùm possunt superaddere, Nullos salvos factum iri nisi virtute illius veritatis quæ comprehenditur in Evangelio, hoc est,

antequam

antequam aggregati ſint ad unicum illud Caput Eccleſiæ, qui eſt Jeſus Chriſtus, quippe quòd *nullum aliud nomen eſt ſub cælo apud homines datum per quod ſervandi ſimus*, quemadmodum Apoſtolus declarat. Cæterùm quomodo Religioſi *Judæi*, *Pagani*, & *Turcæ* quibus Chriſtianis mori non datum videatur, poſſint ad hoc Caput aggregari, equidem admodum decoræ in nobis modeſtiæ pars erit, ignorantiam noſtram apertè profiteri.

3. Proculdubio multùm præſtaret, multóq; magìs ſpiritum Evangelii condeceret ea quæ laude digna ſunt in *Judaiſmo*, *Turciſmo* & *Paganiſmo* admittere & commendare, & cum benignitate ac commiſeratione eos monere quibus in locis errent, quibúſve deficiant; quàm in os illis involare, ipsíſq; conſummatiſſimam in quam humana Natura circa res Religionis labi poteſt, exprobrare impietatem, atq; ſic ab immoderata depreſſione aliarum Religionum propriam noſtram extollere conari. Quod profectò mihi Schema Rhetoricum videtur perinde ridiculum atq; ſi quis *Salomonem* compararet cum univerſis per terrarum orbem fatuis, poſteáq; gloriaretur quantò is omnes iſtas ſapientiâ anteiverit, vel *Helenam* cum maximè deformibus fœmellis quæ unquam extiterint, atq; indè excellentiam illius pulchritudinis argueret, quippe quæ fœdas illas miſeréq; diſtortas formas tanto intervallo ſuperaret. Quæ meo quidem judicio, admodum exigua frigidáq; eſt commendandorum hominum ratio.

4. Verùm hujuſmodi demonſtrationes Amoris noſtri erga Evangelium & venuſtate carent & judicio. Is qui profitetur ſe fidem habere veritati Evangelii *novúmq;* hoc iniit *fœdus*, ſi ſolidum erga illud ſui affectûs reverà exhibere velit teſtimonium, oportet eum id vitâ ſuâ præſtare ac converſatione. Nam ſi illud approbat eíq; credit, non poteſt profectò quin monita ſequatur inibi contenta. Quòd ſi ſtrictè fidelitérq; faciat, inveniet ſanè ea tam ineffabilis præſtantiæ, támq; immenſæ utilitatis, ut hoc ſolummodo contentus eſſe non poſſit, quòd ipſe ſcilicet indè tam uberes fructus decerpſerit, ſed ingenti tenebitur deſiderio, idem bonum, ſi fieri poſſet, cum univerſo mundo communicandi.

5. Atq; equidem quantùm ad me, quoties ſeriò apud meipſum irrefragabilem claritatem & evidentiam veritatis in Evangelio Chriſti ſupra reliquas omnes Religiones, perpendo, magnámq; illam ac penè irreſiſtibilem vim ac efficaciam quæ in eo latet ad efficiendos homines pios probóſque, non poſſum quin multo animi ardore latiorem illius in mundo diffuſionem diſcupiam. Admodúmq; demiror, majores illud non feciſſe profectus quàm reverà fecit. Etenim *Idololatria Paganica*, (quemadmodum *Brerewoodus* in libro *Inquiſitionum*, probabiliter collegit) duas tertias Orbis cogniti etiamnum poſſidet, *Mahometiſmus* partem quintam, *Chriſtianiſmus* non niſi ſextam. Et (quod adhuc magìs deplorandum eſt) perquam magna pars Chriſtianæ Eccleſiæ incurſione *Turcæ* devaſtata eſt, & ad hunc uſq; diem miſeræ ſub illo ſervituti ſubdita jacet. Et ut nihil deſit quo augeatur admiratio, etiam earum mundi partium quæ purè, quantùm ad *Titulum*, ſunt *Chriſtianæ*, tanta profectò earum portio, ſive ſub nomine *Reformatorum* veniunt ſive *Catholicorum*, tam craſsâ Hypocriſi, tam apertâ Prophanitate profeſſóq; apud ſuos clandeſtinos cœtus impiáq; Conventicula Atheiſmo inficiuntur, ut res haud parùm difficilis ſit ſincerum Chriſtianum in maximè ſpecioſis Orbis Chriſtiani Eccleſiis invenire, talem utiq; qui profeſſionem ſuam non neget aut corde aut opere aut utroque.

6. Quæ triſtis rerum ſcena non poteſt quin quemlibet ſerium moveat Chriſtianum, qui animitùs Religioni ſuæ bene optat, ad exquirendum quantum poteſt, veras cauſas hujus deplorabilis conditionis Orbis Chriſtiani, quæq; impedimenta ſint quæ obſtent Evangelio (quod ex ſe tam potens eſt Inſtrumentum ad ſalutem) quò minùs effectum apud noſmetipſos ſortiatur minúſve per alias Regiones quæ adhuc ſunt Paganicæ, liberè currat. Peccata noſtra in cauſa eſſe promptè reſpondebit quilibet piè animatus Chriſtianus. Cæterùm quæſtio adhuc manet, cùm machinamentum ſit apud nos omnium ſanè efficaciſſimum quod ſapientia Divina excogitare potuit ad peccatum è mundo exterminandum, cur major clades peccati viribus *regnóq; tenebrarum* nondum ſit illata. Inquiſitionem igitur inſtitui oportet qualiſnam hujus machinamenti tractatio fuerit? quæ adjectiones ablationéſq; factæ quibus efficacia illius eludatur aut aboleatur? qui errores in illius uſu admiſſi, & ſimilia. Etenim quòd alicubi miſerè in uſu Evangelii per totum Chriſtianum orbem peccetur, valde manifeſtum eſt ex eo, quòd illius propoſitum ferè ubiq; ex toto fruſtretur, *Prophanitáſque*, *Infidelitas* & *Atheiſmus* penè omnium corda occupârint. Quod pleriq; omnes ſine hæſitatione confitentur, quidam ſanè cum dolore verè Chriſtiano, aut ſincera indignatione, alii cum tacito quodam gaudio rictúve ſubriſorio, quippe gratulantes ſibi corrupta ſua cogitata & actiones tot hominum ſuffragiis confirmari & cohoneſtari.

7. Ut missa igitur faciamus istiusmodi Principia quæ nunquam intelligenda sint, sed æternùm obsignata ab aspectúq; nostro longè remota, ea saltem aspiciamus quæ intelligibilia sunt atq; visibilia. Eas, inquam, in medium causas producamus, quas nemo quisquam negare potest æquè latè patere atq; horrendos hosce morbos, vehementérq; inclinare, si non efficaciter ac necessariò præcipitare Orbem Christianum in hanc abominandam conditionem quâ his temporibus multísq; antè seculis est repertus.

CAP. II.

1. *Maximè fundamentalis error radixq; omnium corruptionum in Ecclesia Christi.* 2. *Superstitionem etiam esse posse in oppugnando Ceremonias & in prolixis precibus & concionibus.* 3. *Religionem* electitiam *veram Pietatem ubiq; extinguere.* 4. *Insalubre ac flatulentum pabulum affectatæ* Ὀρθοδοξίας, *cum malis illius consequentiis.* 5. *Professorum* Hypocrisin *mundum* Atheis *replere.* 6. *Auctoritativam obtrusionem crassarum Falsitatum* Incredulitatem *gignere, circa totum Mysterium Pietatis.* 7. *Ecclesias Christiani orbis ferè omnes reas esse hujus pernicioſi erroris.* 8. *Immensum Incommodum doctrinæ* Supralapsariorum.

1. QUamobrem ut liberè eloquar quod ex constantissimo propriæ Conscientiæ suasu verissimum esse sentio. *Universalissimum maximéq; fundamentale in Christiano orbe Erratum,* idq; unde omnis Ecclesiæ corruptio incepit & etiamnum continuatur & invalescit, *est tumida illa Orthodoxarum Opinionum & externarum Ceremoniarum præ indispensabili obedientia Mandatis Christi existimatio, fideliq; studio perveniendi ad debitos gradus realis Renovationis interni Hominis in veram vivámq; sanctitatem & justitiam:* In cujus locum plerunq; *Opinionum Curiositas* in rebus inscrutabilibus juxtà atq; inutilibus substituitur, & *Obtrusio Ceremoniarum,* numerosarum, onerosarum, & non solùm supervacanearum sed & illibatam modestiam & castimoniam sponsæ Christi minimè condecentium; quæ sibi cavere debet ab omni specie umbráve *Idololatriæ,* quæ *Spirituale Adulterium* est seu *Fornicatio.* Etenim dum cor pruritu meretricio ad externas istas pompas fertur, majúsq; justo pretium ipsis imponit, interna Pietatis vita facilè extinguitur Amórq; indispensabilis Legis Christi frigescit & emoritur. Immò verò ii qui zelum maximum habent, &, si fas sit ità loqui, furorem erga res Religionis, adinventus est tantus & tam onerosus externorum exercitiorum cumulus, ut vel hujusmodi quidem *Zelotæ* omnes vires suas in exteriora munimenta antè absumere possint, quàm ad *castellum Regium* capiendum accedere vel ad *Legem perfectæ libertatis* ullum introitum invenire, ad *Divinam* illam utiq; *vitam* quæ in vera *Humilitate* consistat, perfecta *Puritate* & *Charitate* sincera. Nam omnes hoc genus Ceremoniæ ad nihil aliud faciunt nisi ad pulchram speciem in Carne, nec mentium nostrarum Regenerationem in fraternam Charitatem omnis simulationis expertem possunt attingere. Unde vel *speciosissimè pii* in hoc Religionis genere interim esse queunt maximè *immaniter crudeles* & *injusti,* maximéq; *implacabiles* & *malitioſi* omnium quidem mortalium. Et tamen juxta falsam illam Religionis formam quam humana inventio mundo proposuerit, possunt profectò & seipsos censere, & censeri pariter ab aliis modo plusquam *Seraphico* pii & Religiosi; quantumvis judicio Christi veræq; suæ Ecclesiæ, in felle amarissimo nexúq; Injustitiæ positi.

2. Atq; in aliis Christiani orbis partibus, ubi *Ceremoniarum pompa exteriórq; Superstitio* tanto non urgentur opere, quanquam primâ quispiam conjecturâ sperare possit res meliùs illîc succesſuras, Experientia tamen eum docebit eas conditione haud multò illîc esse meliori, Causáſq; degenerationis crassæq; Hypocriseos & Impietatis æquè prolificas hîc esse æquéq; bene instructas ad producendos suos effectus atq; in aliis locis. Etenim & hæc quædam *Superstitionis* species est totam Religionem in superstitiosis oppugnandis Ceremoniis collocare, & unumquemq; eò magis pium existimare quantò majori contra illas zelo exardescat. Quamobrem affectibus animi in calidam hanc contentionem exhaustis exhalatísque, corda nostra ad indispensabilia Evangelii Officia, cujusmodi sunt *Amor, Patientia, Mansuetudo, Fraterna Benevolentia,* cum reliquis fructibus qui arborem vitæ, vitam utiq; Christi nobis

nobis inſitam demonſtrant Spiritúmq; Dei in nobis manere, penitùs frigeſcant. Ut præteream, meminiſſe nos oportere *prolixas preces* & oppidò quàm *crebras conciones Idolorum* loco ſuccedere poſſe, & *externam Religionem* nobis conſtituere, vicéſq; illius explere *Pietatis quæ indiſpenſabilis* eſt & *interna*, perenníſq; fons & ſcaturigo omnium venuſtarum & utilium actionum, probæq; Converſationis coram Deo & coram Hominibus.

3. Dico igitur Religionem hanc *electitiam* per omnes Chriſtiani Orbis partes (quanquam aliuſmodi non ſit quàm quæ ab impio ſanè homine æquè dextrè ac plauſibiliter coli poſſit atq; à verè juſto ac regenerato) cùm tantoperè extollatur populóq; commendetur, penè irreſiſtibilem eſſe tentationem occaſionémve unde pleriq; homines *reverà* ac *moraliter* improbi evadant. Illâ enim naturali inclinatione & appetitu in humano genere ad Religionem per inſalubre hoc pabulum ſatiato aut conſopito, nullo flagrare poſſunt deſiderio illius Religionis, quæ omnino ſolida eſt ac vera, ſummoperéq; gaudebunt ſibi illius gratiam factam eſſe, quippe quam initio difficilius ſit amplecti & exercere. Unde neceſſe eſt propemodum ut eam omittant vel derelinquant.

4. Eóq; faciliùs ab ea abſtinebunt, quòd aliud venenoſum ſit ferculum quod ità eos tumefacit ut parùm abſit quin diſrumpantur, quæ illa eſt magni æſtimata Doctrina ſeu eruditio quam ὀρθοδοξίαν ſive *opinionis rectitudinem* appellitant. De qua Apoſtolus, *Scientia inflat, Charitas verò ædificat.* Hæc ſanè ipſis res tam pulchra ac glorioſa videtur ut ſeipſos hinc planè Angelos Lucis imaginentur; ſumméq; idoneos, qui, modò nitidè elegantérq; ſplendidis his *Orthodoxiæ* ornamentis conveſtiantur, ad Divinam Præſentiam accedant. Vecordes Fatuos! cæcos & carnales! qui, ex eo quòd maculoſis his tunicis, verſicoloribus his pannis, quos ipſi ſibi neverunt contexuerúntque, induti ſint, ſe cœleſti Majeſtati commendaturos ſperaverint. Dum favorem Dei ad hunc modum opiniosâ ſuâ cognitione ambïunt, heu! quàm craſsè ſuam produnt ignorantiam ac ſtultitiam! Quî enim fieri poteſt ut id quod plùs naturali homini gratificatur, imò auſim dicere, ipſi Diabolo, quàm Animæ regeneratæ, quî, inquam, fieri poteſt ut id quempiam acceptum reddat Deo? Et tamen in univerſis Eccleſiarum Sectis & Diviſionibus ſummum huic rei pondus ineſſe judicant, maximum pro ea zelum gerunt, & vehementiſſimè eam populo commendant, qui Paſtorum ſuorum exemplum ſequentes, modò in dilacerantibus hiſce controverſiis diligentes ſint ac fervidi, vitam profectò Chriſti pleniſſimo modo ſe poſſidere putant, quanquam interim *Charitas* erga vicinum planè friget, nec ad minimum *veræ* Juſtitiæ ac Sanctitatis gradum adhuc pervenerunt. In hoc præcipuè conſiſtit *Myſterium Hypocriſeos*, per omnes Chriſtiani Orbis Eccleſias, quòd utiq; eos pios eſſe exiſtimant qui pro viis opinionibúſq; ſuæ Sectæ magnum zelum fovent. Ii verò qui non fovent, ſint aliàs quantumlibet inculpati & ſinceri Chriſtiani, aut odio habentur tanquam *Hæretici*, aut ubi benigniſſimè cum ipſis agitur, contemnuntur tanquam miſelli *Moraliſtæ*, hominéſq; *merè Naturales*.

1 Cor. 9. 1.

5. Hæc verò maximè generalia ſunt & admodum valida ſanè *Obſtacula*, ad impediendum Evangelium à producendo ejuſmodi effectus quos aliter in Chriſtiano Orbe produceret, & ad reddendos pleroſq; Chriſtianitatis Profeſſores *Hypocritas*, hoc eſt, tales qui magnam Pietatis ſpeciem præ ſe ferant, verùm illius interim vim negent & efficaciam; quæ in officiis noſtris erga proximum maximè apparere debet, atq; in ſobria juſtáq; converſatione ſinceritatéq; in rebus omnibus obeundis tanquam in conſpectu Dei. Jam verò hæc Profeſſorum *Hypocriſis*, *Profanitatem* gignit, *Atheiſmum* & *Infidelitatem* in iſtiuſmodi hominibus qui tam validam naturaliter ad res Religionis propenſionem non habeant, hoc eſt, qui ingenium non habeant tam *ſuperſtitioſum* ut ad Religionem ſub quibuſvis conditionibus alligentur, ſub forma qualibet & à quibuſlibet illius commendatoribus. Naturalis enim ipſorum *Sagacitas* ſuggerit, ſi ulla omnino ſit Religio, eam à ſolida *Moralitate* neutiquam eſſe ſeparandam. Cui profectò tum *Prophetæ* tum *Apoſtoli*, præceptáq; *Chriſti* locupletiſſimum teſtimonium perhibent. Verùm iſti obſervantes eos homines qui circa Religionem maximas turbas ſtrepitúſq; excitant, ſummúmq; pro ea zelum gerunt, Honeſtatis leges negligere communíſq; Humanitatis, in aliena jura facilè involare, colludere, diſſimulare, & in rem ſuam ſplendidè mentiri, ſuperbos itidem eſſe & opinioſos, auræq; popularis avidos captatores, invidos porrò, feroces & implacabiles, quin & impuros etiam ac ſenſuales, atq; immiſericordes deniq; & crudeles, nec quicquam penſi habentes, ſi integra Regna in ſanguine natent, modò ſic ſuam in miſerè deluſarum animarum conſcientias Tyrannidem tueantur, (cùm tamen contentio non ſit niſi circa fœnum ac ſtipulam, combuſtibiles humanæ Inventionis ſuperſtructuras,

quarum ſuperſtitioſus quiſq; inanem affectans gloriam, pulchráq; ſpecie in carne ſe venditare, manipulum ſaltem ſi non plenum ſinum ſuperinjecerit ad occultandas ſuffocandáſq; indiſpenſabiles Evangelii veritates, ad adigendos homines in angores laboréſq; pro illo quod non eſt panis, ad diſcruciandas eorum mentes Repugnantiis, Contradictionibus & Impoſſibilitatibus, ad conficienda corpora infructuoſo tædio prolixarum ſuperfluarúmq; Ceremoniarum, ad corda illaqueanda nugis tricíſque, & ad efficiendum deniq; hoc pacto ut ſancta ac ponderoſa Servatoris præcepta negligantur, quæ tamen omnibus intelligibilia ſunt & aliquatenus ab univerſis approbata; Cujuſmodi ſunt, *Sic alterum tractare, quemadmodum nos ab aliis tractari volumus*; *Proximum diligere ſicut nos ipſos*, & ſimilia :) Ii, inquam, qui tam religioſo per naturam non ſunt ingenio, verùm ſat interim habent acuminis & ſagacitatis ad olfaciendas corruptiones, dijudicandáſq; actionum hujuſmodi Profeſſorum incohærentias, dum hæc obſervant, vehementiſſimè profectò hoc offenſaculo irritantur (atq; admodum ægrè quidem diffugere poſſunt quin devincantur tam perversâ ſimulatæ Pietatis ſcenâ) ad concludendum totam rem Religionis nihil aliud eſſe niſi intemperiem quandam animi ac inſaniam, vel ad ſummum Technam duntaxat Politicam ad ditandum Sacerdotem, populúmq; in officio continendum.

6. Hoc magnum ſanè ſcandalum eſt, nimiúmq; efficax contra vim *Evangelii* machinatio, *Moralis* nimirum *honeſtatis* per eos qui præſignes Zelotæ ſunt ſummíq; Religionis Profeſſores, *deſpicientia* ac *vilificatio*. Hoc *Atheiſmum* & *Profanitatem* immane quantum promovet. Eſt autem & *alterum Erratum* quod jam ſubindicavi æquè Epidemicum & univerſale, & ad minimum æquè ad malum hoc Propoſitum efficax atq; illud prius. Vix ulla eſt per Chriſtianum Orbem his temporibus Eccleſia quæ non ſolùm *Falſitates* non obtrudit, ſed iſtiuſmodi quidem falſitates quæ libero cuivis animo puræ putæ apparuerint *Contradictiones* & *Impoſſibilitates*, eáſq; demum eadem cum Gravitate, Auctoritate & Importunitate qua ipſa ſacroſancta Dei Oracula. Cujus quidem rei funeſtam neceſſe eſt fore conſequentiam. Quis enim vir pius peritúſq; ab Eccleſia non abigetur ſi ipſi Veritatem profiteri non licuerit abſq; aperta aſſertione craſſiſſimi Mendacii? Si bonum vinum ex uno utre, ex altero verò venenum præſentaneum effundi videt in eundem calicem, quis unquam ipſi perſuadebit ex eo bibere? Triſte hoc profectò ſpectaculum eſt verè Religioſis, ſed hominum profanorum gaudium atq; ovatio, qui lubenter hanc occaſionem ſibi arripiunt vilificandi *totum Pietatis Myſterium*, perinde ac ſi nulla omnino in ipſo eſſet veritas, quia tam craſſæ *Falſitates* in ipſos urgentur imponuntúrque eadem cum Indiſpenſabilitate eâdémq; Religionis ſolennitate, quâ eæ res, quæ (abſq; ſeria illa eſſet Sacerdotum impudentia in aliis apertis Falſitatibus) etiam apud ipſos pro veris haberentur. Cæterùm hi tanto non abundantes otio ut res poſſint penitiùs introſpicere curioſiúſq; explorare, nec tamen forſan multùm averſi à fidem adhibendo fideli narrationi à viro probo atq; honeſto factæ, dum narratorem in aliquibus rebus quas vehementiſſimè urget, turpiter offendunt cæſpitantem, toti fidem abrogant Hiſtoriæ, perfectíq; ſic evadunt *Athei* & *Infideles*, quanquam in propriam ſuam ſecuritatem colludunt cum Colluſoribus, hoc eſt, ſubmittunt ſe publicámq; Religionem colunt, externam exhibendo reverentiam, tametſi non poſſunt quin in ſinu derideant aut ignorantiam aut callidam fraudulentiam *Spiritualium* ſuorum Ductorum.

7. Et certè nè injuſtè videar Chriſtiani Orbis ſtatum criminari, univerſam intelligo Eccleſiam viſibilem, in quacunq; ſub cœlo natione ſitam, equidem, ſi qua fides Hiſtoricis, nulli ſunt nec *Græci*, nec *Romani*, nec *Lutherani*, nec *Calviniſtæ*, quin hujus criminis inventi ſint rei. Singulare aliquod exemplum in ſingulis producam. *Græci* æquè ac *Romani Tranſubſtantiationem* tenent, *Lutherani Conſubſtantiationem*, opiniones profectò, quæ nullum habent in Scriptura fundamentum, quæq; rationi apertiſſimè repugnant. Nec tamen apertiùs quàm *abſoluta Reprobatio*, prout rigidi noſtri *Reprobatores* eam definiverunt: *Deum ſcilicet ineluctabili decreto ab omni æternitate ſtatuiſſe, introducendas in rerum univerſitatem innumeras certarum animarum humanarum Myriadas, numerum earum quæ ſalvandæ ſunt longè longéq; ſuperantes, quæ, quemadmodum in mundum detrudendæ erant inconſultu vel ſine conſenſu ſuo, ità quicquid egerint vel quantumcunq; contrà allaboraverint, ad ineffabiles cruciatus ſimul atq; ex eo exiverint certiſſimè deſtinandæ, & ad altiorem adhuc miſeriæ gradum Die noviſſimo adjudicandæ, tantum ſanè ac tam vehementem ut omnes equulei, omniáq; tormenta quæ efferatiſſimorum Tyrannorum ingenium aut crudelitas unquam excogitare potuerit aut exercere, luſus præ eo eſſent ac deliciæ; háſq; pœnas ac cruciatus quaſi recentes in eas incubituros eſſe in omnem ſeculorum perpetuitatem.*

8. Hæc vera eſt acerbi illius dogmatis Repræſentatio. Quod rationi perinde repugnans

pugnans eſt atq; ſi quis *Circulum quadrangulum Lucémve nigram* dixerit, æquéq; durum auribus ac horridum verè regenitorum in naturam Dei qui *ipſe Amor* eſt, quàm vel ſumma Blaſphemia quæ proferri poteſt. Nec ſanè mentes eorum, qui ſatìs aliàs irreligioſi ſunt, à notitia Dei ità prorſus ſunt alienæ, quin apud ſe concludant, ſi omnino Deus ſit, talem eum eſſe non poſſe qui tam occultum profundúmq; inierit conſilium ſempiternis deſtinandi ſuppliciis miſeram ſuam ac impotentem nunquámq; ſibi reſiſtentem Creaturam, quæ nihil unquam commiſit niſi ad quod agendum ipſa Divina Decreta eam determinaverint, quæq; proinde ſemper ſervus erat obſequentiſſimus Omnipotentis; ob quod tamen ad æternas pœnas tandem eſt damnanda, per eum cui ſemper obſecundabat. Seria ac imperioſa tam diræ opinionis pro uno è ſummis ſelectiſſimíſq; Religionis Arcanis obtruſio, efficiet profectò ut animi liberi nimiúmq; ad prophanitatem propenſi, univerſam Religionis fabricam nihil aliud niſi Fatuorum Terriculamentum concludant, nullúmq; prorſus eſſe Infernum; ſiquidem homines tam innocentes conſtantéſq; Divinorum Decretorum obſecundatores illius futuri ſunt Incolæ.

CAP. III.

1. *Vera menſura Opinionum ſumenda à Propoſito Evangelii, quod in genere eſt,* ſuperabundantis Miſericordiæ ac Bonitatis Dei erga Genus humanum Illuſtratio. 2. *Et tum dein,* Triumphus *Divinæ vitæ* in perſona Chriſti per divinum honorem illi legitimè exhibitum. 3. *Tertiò, Divinæ vitæ* in vivis illius membris Promotio. 4. *Quarta & ultima Regula, quâ probentur opiniones*; Commendabilitas utiq; Religionis noſtræ peregrinis & extraneis.

1. MUltas alias Opiniones in diverſis Chriſtiani Orbis partibus invaleſcentes, quæ ad fruſtrandum eludendúmq; ſcopum ſerium ac propoſitum noſtræ Religionis magnoperè tendunt, huc adjicere poſſim. Verùm antequam ulteriùs progrediar, notabo primùm præcipua Evangelii Chriſti Propoſita ut magìs perſpicuam certámq; habere poſſimus Regulam ac menſuram quâ opiniones examinemus. Scopus igitur Evangelii in Genere eſt *Bonitatis ac Miſericordiæ Dei* magnificatio, qui humano Generi tam glorioſam lucem in qua incedant, ſuppeditavit, támq; efficacem extulit rationem ad redimendos eos ab amore caducarum vanitatum hujus præſentis mundi, & ad revocandos ad ſeipſum & ad participationem ineffabilium gaudiorum ac voluptatum regni ſui cœleſtis. *Sic enim amavit Deus mundum ut filium ſuum unigenitum dederit, ut quiſquis ei fidem habeat non pereat ſed vitam obtineat ſempiternam. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum ut mundum damnet, ſed ut ſervetur per eum mundus.* Et Tit. 3. *Fuimus enim aliquando nos quoq; dementes, contumaces, errantes, variis ſervientes cupiditatibus & voluptatibus, in pravitate invidiâq; degentes, odioſi, alii aliis infenſi. Sed poſtquam benignitas & humanitas extitit Servatoris noſtri Dei, non ob Juſtitiæ opera quæ nos fecerimus, ſed pro ſua miſericordia ſervavit nos, lavacro renaſcentiæ renovationiſq; Spiritus ſancti quo nos largè perfudit per Jeſum Chriſtum Servatorem noſtrum, ut ejus beneficio juſti facti, fiamus hæredes vitæ, quæ ſperatur, æternæ.* Ad quem ſenſum Apoſtolus etiam loquitur, *Epheſ.* cap. 2. *Vos quidem mortui fuiſtis delictis & peccatis, in quibus aliquando verſati eſtis, ut eſt hujus mundi vita, ad Principis aëreæ Poteſtatis arbitrium, videlicet ſpiritûs qui nunc in contumacibus viget hominibus. In eiſdem peccatis nos quoq; omnes verſati ſumus aliquando, in noſtræ carnis cupiditatibus facientes quæ vellet caro atq; cogitationes: fuimúſq; naturâ digni ſupplicio ſicut & cæteri. Verùm Deus miſericordiâ dives tantâ nos charitate complexus eſt, ut cùm delictis eſſemus mortui, revocaverit nos in vitam, unà cum Chriſto, (gratiâ eſtis ſervati) ſimúlq; ſuſcitaverit & in Chriſto Jeſu in cœleſtibus collocaverit, ut oſtendat in futuris ſeculis ſuam tam divitem beneficentiam quâ pro ſua benignitate uſus eſt in nos in Chriſto Jeſu.* Ad quæ deniq; addere poteris Tit. 2. 11. *Illuxit enim gratia illa Dei ſalutifera omnibus hominibus, erudiens nos ut negatâ impietate & mundanis cupiditatibus, ſapienter & juſtè & piè vivamus in præſenti ſeculo, &c.* Hæ Scripturæ manifeſtum perhibent teſtimonium generalioris hujus ſcopi Evangelii.

Regula prima.

Joh. 3. 16, 17.

2. Proximum Evangelii Propoſitum eſt, *Divinæ vitæ, quæ tam inſigniter conſpicuéq; apparuit in perſona Chriſti Servatoris externa Exaltatio*; quemadmodum abunde

Regula ſecunda.

abunde jam declaravi Myſterium Chriſtianitatis hoc præcipuè Inſtitutum complecti, ut ſubvehatur utiq; in Triumphum *Divina vita* ſupra *Animalem* ac *Naturalem*; ídq; aut *ad extrà* in Religioſo illo cultu quem Servatori præſtamus, quémq; etiam Hypocritæ, hominéſq; impii eidem præſtant, aut *ad intrà* in Propagatione vera Fidei ac Sanctitatis, in vivis illius membris ſinceríſq; diſciplinæ ſuæ ſectatoribus, Philip. 2. *Nam ſic animati eſſe debetis ut Chriſtus Jeſus, qui cùm in Dei forma eſſet non rapinæ habuit ſuam cum Deo æqualitatem, ſed ſeipſum eò uſq; ad nihilum redegit ut ſumptâ ſervili formâ factus ſit hominum ſimilis, & figurâ repertus ut homo ſeſe adeò dejecit ut obediens ſucrit uſq; ad mortem & quidem mortem Crucis. Quapropter Deus eum ſummoperè extulit, & nomine donavit omnium nominum ſummo, ut ad Jeſu nomen omne ſe genu flectat, cœleſtium & terreſtrium & ſubterraneorum: omníſq; lingua confiteatur Dominum eſſe Jeſum Chriſtum ad Dei Patris gloriam.* Et Hebr. 1. *Solium tuum, ô Deus, in omnem permanet æternitatem, ſceptrum æquitatis ſceptrum Regni tui eſt, Juſtitiam amas peroſus improbitatem; propterea Deus, tuus Deus, oleo te lætifico inunxit præ tuis ſociis*, hoc eſt, Exaltavit te ad debitum hunc honorem atq; imperium, omnia ſubjiciens pedibus tuis, ipſis Angelis non exceptis, quemadmodum S. *Petrus* nos docet, 1 Epiſt. 3. 22. *Qui eſt ad dextram Dei profectus in cœlum, ſubjectis ipſi Angelis & Poteſtatibus ac Virtutibus.* Eſt verò ulterior Angelicarum claſſium Enumeratio, Coloſſ. 1. ubi Apoſtolus de ſublimi hac perſonæ Chriſti exaltatione agens, inſinuat etiam non ſolùm Ordinum Angelicorum ſub ipſo *Subjectionem*, ſed & *Reconciliationem* eorum per ipſum Deo, pleniorémq; illorum, quemadmodum quidam volunt, *Confirmationem* in Divina Gratia, verſ. 15. *Qui Imago eſt inaſpectabilis Dei, totius rerum naturæ Primogenitus, utpote per quem condita ſunt omnia, tum quæ in cœlis tum quæ in terris ſunt; tum aſpectabilia tum inaſpectabilia; & Solia & Dominatus & Principatus & Poteſtates. Omnia & per eum & propter eum condita ſunt, & is eſt ante omnia & per eum conſtant omnia, & is corporis Eccleſiæ caput eſt. Is eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit is in omnibus Princeps. Quoniam per eum viſum eſt Patri omnem Plenitudinem inhabitare, & per eum omnia ſibi conciliare (pace per ſanguinem Crucis ejus factâ) tum terreſtria tum cœleſtia.* Tam mirificus ac illuſtris erat fructus *Humiliationis* Servatoris, támq; conſpicuum eſt ille & legitimum Divinæ Adorationis Objectum.

Regula Tertia. 3. Atq; ad hunc modum *Divina vita* triumphos agit in *perſona Chriſti* qui caput eſt Eccleſiæ. Sed & alterum inſigne Evangelii Propoſitum eſt ut *Vita Divina in nobiſmetipſis promoveatur*, hoc eſt, ut *Fides in Deum per Chriſtum*, ut *Humilitas*, *Charitas*, & *Puritas* debita ſua in nobis incrementa habeant, ut indè idonei fiamus ad recipiendam immarceſcibilem illam coronam Gloriæ quam omnibus verè credentibus ille donaturus eſt die noviſſimo, quando univerſam ſuam Eccleſiam cum canticis Gaudii atq; Ovationis ad regnum ſuum cœleſte deducet. Quòd hic præcipuus ſit Evangelii ſcopus ſatìs fusè jam probavimus, ac proinde nihil neceſſe eſt ut quicquam hoc in loco ſuperaddamus.

Regula quarta. 4. Quarta & ultima Regula ſeu menſura Opinionum eſt *Religionis noſtræ eis qui ſunt extrà Commendabilitas*, hoc eſt, Summoperè quidem cavere debemus nè illi affigamus quicquam propriarum noſtrarum Inventionum Interpretationúmve Scripturæ (tanquam Dogmata Chriſtiana) quod peregrinis videri poſſit, iíſq; qui adhuc liberi ſunt, abſurdum atq; inſolens. Nam tametſi illi qui propter educationem ſuam, pleniorem Chriſtianitatis notitiam habuerint, Religioni ſuæ quantumvis per multa gloſſemata falſa corruptæ ineptáſq; hominem opiniones modo æquè indiſpenſabili atq; ipſam Scripturam Canonicam obtruſas, mordicùs adhærebunt; *extranei* tamen qui illis nondum illigati ſint nec aſſueti, facere non poterunt quin ab eis abhorreant; cúmq; ipſis pari prorſus autoritate atq; ipſum Dei verbum offerantur, cogentur profectò reſilire, ſanctámq; veritatem derelinquere propter indiſſolubilem ejus connexionem cum iſtiuſmodi craſſis falſitatibus quas ei intertextas conſpiciant: id quod ſeriò certè conſiderandum eſt ab omnibus iis qui ullum Amorem habent erga Evangelium, ſinceréq; illius cupiunt propagationem & promotionem in Mundo. Nam deſtinabatur proculdubio in Bonum magìs generale, latiorémq; diffuſionem quàm hactenus contigit, ex eo quòd in manus infidorum incidit ac perfidioſorum hominum qui inſtrumentum illud duntaxat faciunt colligendi ſibi opes & acquirendi poteſtatem, dominandíq; populo non lucrifaciendi animas Deo.

CAP.

CAP. IV.

1. *Præcedentium* Regularum *uſus generalis.* 2. *Specialis earum uſus in favorem hominum mutuum qui Opinionibus diſſentiant.* 3. *Examinatio* Electionis & Reprobationis *juxta has Regulas; quàmq; bene conveniant cum illo* Divinæ vitæ *ramulo quam appellamus* Humilitatem. 4. *Diſcrepantia* abſolutæ Reprobationis *cum prima Regula;* 5. *Quemadmodum & cum tertia;* 6. *Cum ſecunda etiam & quarta.*

1. HÆ ſunt *quatuor illæ præcipuæ Regulæ* quas ego admodum utiles judico ad examinandas tum proprias noſtras opiniones tum alienas. Et ſi quando aut propriorum noſtrorum ſpirituum ardor aut confidentia aliorum ſpecioſas *veritates* nobis obtrudere voluerit (nam apertas *falſitates* vel figmenta, in quemcunq; id finem fiat, admittere, res intoleranda eſt) quæ ſupradictis ſcopis non inſervierint, meritò eas tanquam inutiles curioſitates æſtimare poterimus, & ſi fortè inſuper Revelationem vel Inſpirationem prætenderint, totam rem concludere nihil aliud eſſe niſi veſaniam ac deluſionem *Fanaticam.* Quòd ſi non ſolùm non promoveant fines ſuprà nominatos ſed eos etiam impediant atq; impugnent, æſtimandæ profectò ſunt non tanquam frivolæ, ſed tanquam noxiæ atq; impiæ, atq; adeò omnibus modis evitandæ. Et poſtremò, quanquam tales videntur, quæ ſi recipiantur eiſq; obtemperetur nonnihil ad illos fines conferre poſſint, oportet tamen hanc cautionem ſuperaddere quòd ità urgendæ non ſunt ut niſi quis eas receperit, bonus non habendus ſit Chriſtianus. Etenim cùm à fallibili ac *dubitabili* judicio proveniant, non certè æquum eſt ut *indubitatum Chriſtianæ libertatis jus* infringant, quandoquidem ipſa Scriptura ſola ſufficit ad Chriſtianum perfectum reddendum & quantùm ad vitam & quantùm ad doctrinam.

2. Sed enim & ulterior uſus eſſe poteſt harum *Regularum* in favorem utiq; mutuum eorum qui diſſentiant opinionibus, obſervando ſcilicet bonum illud ad quod collineent æquè ac malum ad quod tendant. Quod multùm profectò facit ad pacem & amorem fraternum, & ad obtundendum ferocis acerbíq; zeli ſtimulum, qui efficit ut nimiùm fervidus *zelota* eum exiſtimet qui adverſæ ipſi ſententiæ ſit, nihil præter noxam oppoſitâ ſuâ doctrinâ intendere. In examinanda igitur qualibet opinione notare debemus cuinam Evangelii propoſito conſentaneum ſit æquè ac cui adverſetur. Et ut uſus *Regularum* noſtrarum manifeſtiùs appareat, praxin earum jam oſtendam, paucas quaſdam opiniones probando per hunc *Lydium* lapidem; Immenſum enim eſſet univerſas examinare, ut & ſupervacaneum. Quippe quòd is cui libitum fuerit reliquas ad hæc exempla examinare poterit, atq; adeò quamcunq; quæ adhuc extiterit in rebus Religionis, aut in poſterum ſit extitura.

3. Prima Opinio quæ occurrit, *Talis eſt Electio & Reprobatio quæ liberum Arbitrium prorſus excludat.* Controverſia tam vulgò nota eſt, ut nihil neceſſe ſit eam delineare. Applicando hanc doctrinam *quatuor Regulis* quas deſcripſi, in *tertia* invenio, eam aliquem habere cum eximio illo *Divinæ vitæ* ramulo conſenſum ac congruentiam, cum *Humilitate* ſcilicet & ſuiipſius ſubmiſſione totiúſq; mundi Divinæ voluntati; *Dominus eſt, quod illi videbitur, faciat.* Quódq; proinde fieri poteſt ut ſeria humilíſq; Anima multùm hac conſideratione occupata & abrepta de nihilo præterea cogitet, ſed pro ipſiſſima veritate hanc doctrinam habeat, immò verò in ea vivat ac immoriatur, & ad beatas poſtea ſedes proficiſcatur. Unde *Satanici* planè furoris eſſet hujuſmodi *Dogmatiſtas* perſequi, & defectûs quidem charitatis, cùm hi æquè piè probéq; vivant ac alii Chriſtiani, amorem erga eos parem non habere atq; erga alios, immò verò non augere noſtrum in ipſos affectum ſuperadditione *commiſerationis* erga ipſos, utpote qui in domicilio magis fuſco tenebroſóq; habitent quàm alii Mortales. Quod manifeſtò, poſtquam opinionem ipſorum reliquis *Regulis* quas perſcripſimus earúmq; partibus applicaverimus, apparebit. *1 Reg. 3. 18.*

4. Nam ſi eam applicemus *primæ*, illa certè nos docet finem Evangelii Manifeſtationem eſſe ſuperabundantis Miſericordiæ ac Bonitatis Dei erga homines *qui neminem vult perire ſed omnes redire ad ſanitatem*, ut S. *Petrus* nos monet. Funeſta verò hæc *Prædeſtinantium* Opinio vel primo aſpectu huic fini Evangelii adverſatur, quippe quæ *Divinam Bonitatem* adeò ſemi-plenâ facie induit, immò meritò dixerim, vultu magis exili ac macilento, quàm ſit quævis ſubtiliſſima nova Lunula, infi- *2 Pet. 3. 9.*

nitiſve

nitiſve vicibus exiliori, ſiquidem lamentabiles eorum narratiunculæ ſint veræ. Nam ut rem uno verbo abſolvam; Numerus hominum ſuprà quàm dici poteſt exiguus *neceſſariò* quidem per liberam Dei gratiam, æternùm ſalvabitur, reliquum verò humanum genus ad ineffabile, æternum, ac intolerabile ſupplicium ac cruciatum æquè *neceſſariò* damnabitur. Hæc eſt glorioſa illa ac ſuperabundans Gratia Evangelii ſecundùm eorum ſententiam. Quod Animi ſanè liberi *peſſimum* nuncium, maximéq; *perniciosum* judicabunt quod ad aures hominum unquam adhuc pervenerit. *Peſſimum*, quippe quòd tam pauci ſalvandi ſint; *Maximè perniciosum*, ut quod univerſos homines in damnationis diſcrimen præcipitabit juxta ordinariam rerum rationem. Etenim, ſi res jam prædeterminatæ ſint, quis tenebitur vel uno paſſu pedem promovere niſi ad indulgendum ſuo genio, carpendúmq; præſentia hujus vitæ gaudia?

5. Eſt enim à ratione admodum alienum ut ſolleiti ſimus faceſſamúſve nobis negotium quò illud efficiamus quod æquè certò ac celeriter ſine opera noſtra effectum iri putamus. Adeò ut niſi quis ſupra omnem opinionem demens ſit atq; ſtolidus, ſuáq; circa res ratione uti neſciat, cogetur profectò tantùm non, admodum vehementer, ſat ſcio, pellicietur, ad diſſolutiſſimos actus maximéq; impios, quos aut cor proprium aut mundanæ tentationes ipſi ſuggerere poterunt. Unde manifeſtum eſt hanc doctrinam in ſeipſa, quamvis quibuſdam ſub ſpecie *Humilitatis* poſſit imponere, ſupplantatricem eſſe ac vaſtatricem univerſæ *Divinæ vitæ*, *Radicis* pariter ac *Ramulorum*, hoc eſt, Infirmat etiam *Fidem* hominum in Evangelio, (nempe ſi hoc ſeriò ſeveréq; illis inculcetur tanquam ſpeciale Evangelii Propoſitum) omnes eorum conatus ad bona opera ſufflaminat, eóſq; prorſus ab omni ſtudio revocat beatæ illius Regenerationis Renovationiſq; mentium ſuarum in *Amorem*, *Puritatem*, *ipſámq;* adeò *Humilitatem*, quam maximè omnium prætendunt. Ac proinde utplurimum, quanquam videntur ſubmiſſiſſimè ſe gerere erga Deum, ſunt tamen valde proclives ad præbendos ſe nimis quàm rigidos, acerbos, & ferè crudeles erga homines, utpote qui pleni ſunt ſuperbiâ, diſſenſione ac confuſione. Adeò ut hujus opinionis pravitas etiam per *tertiam Regulam* detegi poſſit.

6. Et aliquantum ſanè peccat contra *ſecundam*. Etenim cùm juxta propria ipſorum conceſſa tanti eſſet ſanguis filii Dei ut pro decies mille mundis pretium Redemptionis eſſe potuiſſet, quantum obſtaculum hoc erit affectuoſiori cujuſvis veneratioñi illius in Cruce, dum ſecum recolit eum *Paſſionis* ſuæ Propoſitum ad tam valde paucos reſtrinxiſſe? Nihil profectò præter ſuiipſius Amorem, ſuíve adulationem ſuſtinere hìc quempiam poteſt in ſuo cultu religioſo. Quàm adorabilem obſecro rem fecerunt eximiam illam Dei clementiam in *Jeſu Chriſto*, dum repræſentatur nobis, juxta explicationem Myſterii per ipſos factam, eodem tempore & plenam inveniſſe ſatisfactionem Juſtitiæ ſuæ pro peccatis totius mundi, & tamen eo ipſo momento univerſum ferè mundum ad æternam damnationem deſtinâſſe, atq; id ſanè ad manifeſtandam ſuam Juſtitiam, quæ ſufficienter per mortem filii ſui manifeſtatur? An non illa Gratia magìs libera eſt quæ omnibus deſignatur, cujúſq; amplectendæ omnes capaces fiunt, niſi ipſi ſibi defuerint, quàm illa quæ non niſi certis quibuſdam iiſq; valde paucis Divinâ quâdam neceſſitate quaſi impingitur, cujúſq; defectu reliqui mortales neceſſariò peribunt? Quamobrem rebus ſic conſtitutis, nemo quiſquàm amorem illum & venerationem Servatori debitam aſciſcere poteſt, nec fidem profectò narrationi, apud homines magìs naſutos ac ſagaces, procurare. Quod peccatum eſt etiam contra *quartam* Regulam. Quæ cohibere nos debet ab affigendo quicquam, modo quoquò peremptorio, Religioni noſtræ quod eam redditurum ſit extraneis minùs commendabilem. Quod proculdubio hæc opinio facit apud omnes homines nullo præjudicio laborantes. Quod quidem me planè attonitum reddit dum ſedulam conſidero ejus obtruſionem per quoſdam homines, quos ego per charitatem facilè judicare poſſum, ut habentur, ità reverà eſſe ſuo quidem modo pios ac Religioſos. Eſt enim intolerandæ ſuperbiæ animíq; plus æquo ſibi tribuentis ſeipſos infallibiles fingere in ea Controverſia de qua homines Judicii liberi, & ſaltem æquè pii ac religioſi, ſi non magìs, ſerió ac datâ operâ, contrà ſtatuerunt, præſertim cùm ipſorum ſententia tam manifeſtis incommodis oneretur.

CAP.

CAP. V.

1. Electionem & Reprobationem *nonnihil ad* Humilitatem *conducere.* 2. *Quoſdam homines irreſiſtibili virtute* Diſcriminativæ Gratiæ *ſalvari.* 3. *Reliquum Genus humanum gratiam habere ſufficientem, multóſq; ex ipſis ſalvatum iri.* 4. *Hujus viæ* mediæ Calviniſmum *inter &* Arminianiſmum *præſtantia.* 5, 6. *Periculum ingens atq; noxa antecedentium extremarum.*

1. NIhil eſt quod hanc opinionem excuſabilem reddit præter illam ſpeciem, quod dixi, quam præ ſe fert *Humilitatis*, & cui fortean aliquâ ratione, reipſa inſerviat. Atq; equidem admodum idoneum eam judicarem inſtrumentum ad tollendam ſuperbiam omnem atq; arrogantiam quâ nobiſmetipſis quicquam attribuamus, proximúmve contemnamus, ſi profeſſores ejus univerſim eſſent tam miti animo támq; humili ac ſubmiſſo; cùm è contrà nimis ſæpe inveniantur oppidò quàm aſperi, feroces, & aliorum contemptores. Cæterùm fieri poteſt ut ea *Dogmatis* culpa non ſit ſed *Dogmatiſtæ*, quanquam profectò gravis illa Dei ſeveritas quæ ſpecioſo hoc Myſterio includitur, exemplum eſt haud ità efficax ad *humanitatem* & *benignitatem.*

2. Sed enimvero ut ſelectiſſima illa atq; amabiliſſima virtus Chriſtiana, *Humilitas*, nullis careat incitamentis & animationibus, nec ſuffocetur extinguatúrve voluptas illa, quam quædam Animæ ex libera agnitione *irreſiſtibilis Divinæ Gratiæ* prævalentiúmq; ejus operationum in animos ſuos, meritò capere poſſint, talem equidem pacis redintegrationem inter utraſq; partes conſtituam, ut niſi invidia & ægritudo ex Divina bonitate erga genus humanum concepta eos etiamnum minùs contentos reddiderit, nullus dubitem quin ipſis plenè ſim ſatisfacturus. Apertè igitur profiteor prorſúſq; credo eſſe quidem rem hujuſmodi quam quidam *Gratiam Diſcriminativam* appellitant, ídq; ad eam graduum differentiam in bonum, ut pauci quidam è genere humano, hujus virtute, irreſiſtibiliter ſalvandi ſint, reliquum verò Genus humanum æternæ felicitatis ſint candidati, hoc eſt, libero prædiți ſint arbitrio, ſalutíſq; capaces exiſtant, alii magìs alii minùs, ità ut ſi quiſquam damnandus ſit, ipſe ſit in culpa. *Deus enim*, quod ait *Siracides, homine improbo non eget.* *Eccleſ.* 15. 12.

3. Et nè hoc merum videatur ſubterfugium nec multùm cuidam abſimile commento aliorum Theologorum, addo porrò, de hoc reliquo Genere humano de quo loquor, quòd *Gratia ſufficiens* aliquâ ſaltem ratione aliquóq; tandem tempore ipſis offertur, quódq; multi ex ipſis pro ſua fidelitate erga lumen virtutémq; quam Deus ipſis impertierit, reverà ſalvabuntur. Quam quidem ſententiam nec *Arminianus* ægrè ferre debet nec *Calviniſta.* Quicquid enim boni *Arminianiſmus* erga humanum Genus prætendit, totum id exhibetur parti non abſolutè electæ, & erga partem quidem alteram *Divina Beneficentia* major eſt, quàm quæ aſſignatur ab *Arminio.* Et quicquid boni prætenditur in *Calviniſmo* erga eam partem quæ abſolutè electa eſt, eadem hîc bonitas rurſus exhibetur, diráq; illa inſuper Larva avellitur quâ ignorantia & melancholia Divinam Providentiam amabilémq; Evangelii faciem induerant.

4. Huc adjicere poſſumus, Quòd is qui deprehendit ſeipſum modo quodam extraordinario ac prævalenti ad illud quod bonum eſt ferri, id omne *liberæ Dei Gratiæ* æquè plenè hîc aſcribere poteſt atq; in *Calviniſtica* Hypotheſi: Quódq; is cujus animus non fertur ad id quod bonum eſt, Deum culpare non poteſt ſed ſeipſum. Nec certè poteſt Satanas valido illo ſtratagemate homines circumvenire, eóſq; vel in *deſperationem* vel in *vitam diſſolutam* ſeducere, ſuggerendo ſcilicet ſi damnandus ſit homo, eum certò damnatum iri, ſi ſalvandus, certò ſalvum fore, ipſúmq; hominem nec unum promovere poſſe nec alterum impedire. Etenim niſi quis admodum profundè radicatus ſit in Fide ſinceráq; Obedientia, equidem judicarem animi eſſe nimiùm ſibi tribuentis ſtolidéq; ſibi aſſentantis, ſeipſum unum ex *Electis* cenſere, cùm magìs tempeſtivam profiteri poſſit *tenuram*, & pro *Candidato* duntaxat ſalutis ſe gerere; poſtquam verò ad *irrelapſabilem* eorum conditionem pervenerit quorum Animæ quodammodò perfectæ conſummatæq; ſunt in Fide atq; ſanctitate, opportuniùs tunc erit meliúſq; eum condecebit omnia illa opera intus in animo ipſius tranſacta *ſoli Deo* aſcribere, illúdq; *Jacobi* dictum uſurpare, *Certè hoc in loco* Jehovah *erat, atq; ego illud neſciebam*, locúmq; ubi dormierit *Bethel* nuncupare, *Templum* utiq; *Dei.* Tale enim eſt corpus uniuſcujuſq; Chriſtiani regeniti, & præſertim *Electorum.* *Gen.* 28. 19.

5. Hæc noſtra hactenus conceſſio, quemadmodum veriſſima eſt, & certè non inutilis ad promovendum gratum illum humilémq; Animi habitum qui omnia *liberæ* ac *irreſiſtibili Gratiæ* lubens attribuit, virtutíq; particularis ſuæ ac irrevocabilis Prædeſtinationis & Electionis; ità magnum profectò propugnaculum eſt & præſidium contra periculoſos illos errores qui in altera via nimiùm ſæpe obtingunt. Ubi cùm nullum inveniatur medium quin quis ſit aut *Electus* aut *Reprobus*, quàm proclivis res eſt ex ſui Amore ſtrenuam hanc obfirmatámq; opinionem aſſumere, ſe utiq; Dei filium eſſe, eò deſtinatum ante jacta mundi fundamenta, pariq; certitudine ſalvatum iri atq; fuit natus? Quantùm verò ad alios, miſera retrimenta ac rejectanea Creationis, eos nunquam viam ad cœlum ſalutémq; eſſe inventuros, quicquid egerint, quantumcunq; precibus Deum ſolicitaverint, propriámve Naturam vexaverint ac defatigaverint, ſed *Samſonis* inſtar cum effoſſis oculis, in hujus mundi ſcenam introduci tantùm ut ludicrum ſint *Palæſtinis* ſpectaculum, vel ad ſummum ut meræ umbræ ſint maculæve quibus pulchritudo ſplendórve *ſecurorum Sanctorum* magis emineat & emicet, qui cùm inevitabiliter capiendi ſint quodam quaſi ſalutis laqueo tendiculáve ipſis ab omni æternitate poſitâ, ſimul atq; imaginati fuerint ſe pede prehenſos ac conſtrictos, ità reſiliunt exiliúntq; lineâ retenti, tantâ ſanè & tam enormi violentiâ, ut facilè quis putaverit ipſis in animo eſſe, ferocibus ſuis vulſuris niſibúſq; tentare, propriarúmne ſuarum corruptionum vis an filum *Deeretale* ſit fortius.

6. Immò ad eum confidentiæ temeritatíſq; gradum aſſurgunt, ut impoſſibile prorſus exiſtiment ſe vel maximè veſanis diſſolutíſq; vitæ rationibus quæ fingi poſſunt ad incitas unquam redactum iri, latúmve ſe pilum, ob id, à favore Divino dimoturos. Deniq; eò dementiæ prorumpunt ut nullam legem agnoſcant præter propriam libidinem, ſuæq; indomitæ voluntatis expletionem, conſequentérq; concludunt ſe peccare non poſſe. Ità utiq; imitantes falſum illud exemplar, ſeſéq; facientes compendioſas Icunculas, Imagunculáſve portatiles illius magni ipſorum *Idoli* (neq; enim Deus eſt) *qui vult*, ut illi ſtatuunt, *ob eam ſolam cauſam quia vult.* Atq; ſic ludunt ſaltántq; circa Imaginationem proprii ſui cordis, ut filii *Iſraëlis* olim, *abſente Legiſlatore*, circa vitulum conflatilem. Ad hunc profectò modum cæca hæc & tenebricoſa Opinio, quam Animæ quædam inconſideratæ eſſentialem Chriſtianitatis partem conſtituere conatæ ſunt, multos primò quidem in *Libertiniſmum*, poſtea verò in deploratiſſimum *Atheiſmum* ſeduxit.

CAP. VI.

1. *Opiniones Scholaſticæ de* Divinitate Chriſti *antecedentibus Regulis applicatæ*; 2. *Ut & de* Trinitate. 3. Antitrinitariorum *Doctrinæ applicatio dictis regulis*; *Illius cum* tertia *diſcrepantia*; 4. *Utì etiam cum* ſecunda. 5. Antitrinitariorum *Defenſio.* 6. *Ad eorum defenſionem Reſponſio.* 7. Divinitatis Chriſti *negatio quàm vaſtè cum* tertia *Regula diſcrepat.*

1. PRoximæ opiniones quæ occurrunt illæ ſunt de *Divinitate Chriſti* déq; ſancta *Trinitate*, Primóq; illæ è ſcholis; de quibus tantùm in genere pronunciabo, Quòd tametſi induſtria ſinceritáſq; Propoſiti ipſorum laudabilis ſit, uniendi nempe *Humanitatem Chriſti* adeò *Hypoſtaticè* cum *Divinitate*, ut nulla ſupereſſet in ſummis quidem præſtandis Divinis Honoribus illi, quem Dei filium appellamus, ſuſpicio Idololatriæ, atq; propterea illud ad quod collineant valdè congruens ſit *ſecundæ Regulæ* quam propoſuimus; tamen quantùm ad me, equidem exiſtimo eos ad finem præcipuum tam parùm contuliſſe ut una illa perſpicua locutio apud *Athanaſium*, *Quemadmodum corpus & Anima unus homo eſt, ità Deus & homo unus eſt Chriſtus*, univerſis ipſorum curioſis Definitionibus longè præſtet, quæ ad nullam majorem unionem *Hypoſtaticam* pertingunt quàm illam corporis animæque. Cùm tamen auſim affirmare, ſi res à ſtirpe exquireretur, *Divinitatis*, *Humanitatiſq;* in Chriſto unionem etiam unitiorem eſſe exactiorémq; quàm ſit illa Animæ atq; corporis quam illi *Hypoſtaticam* vocant. Verùm tam imperitè perplexéq; res definiverunt, ut tametſi ſcopus eorum cum *ſecunda* noſtra *Regula* ſatis conveniat, operis tamen peracti ratio multùm digladietur cum *tertia quartáque.* Quippe quòd hujuſmodi contradictiones & inextricabiles ſpinoſitates fidem debilitant, curſúmq; Evangelii impediunt apud *Extraneos*.

2. Quod

3. Quod rectè etiam dici poteſt de ſubtilibus eorum maléq; conſiſtentibus diſquiſitionibus & concluſionibus de *Trinitate*. Ubi quanquam eorum Propoſitum eâdem ratione laudabile ſit quâ antea, Myſterium tamen tam repugnans ac intricatum effecerunt, ut Chriſtianam fidem multùm infirment etiam eis qui *intùs* ſunt, eámq; minùs probabilem, & commendabilem reddant *Peregrinis*: Occaſionémq; hinc præbuerint ingeniis quibuſdam audaculis, cùm tam perplexè aç præpeditè repræſentatum ſit, totum negandi Myſterium, unde nomen ſibi *Antitrinitariorum* comparârunt.

3. Quorum quidem opinionem tanquam *fundamentaliter* Chriſtianitati repugnantem ego conſidero; ſi modò novum Teſtamentum Chriſtianitatis *fundamentum* ſit, nihil enim iſthôc novi in eis ſcriptis expreſſius. Ac proinde *Trinitatis* negatio, negatio eſt autoritatis novi Teſtamenti. Vel ſi prætendere volunt, ſe ea quæ illîc occurrunt ità poſſe interpretari ut hanc doctrinam evadant, eâdem ſanè ratione eos exiſtimo quamlibet doctrinam evadere poſſe, atq; ſic etiamnum ſacra Scriptura pro *ciphra* erit nihílq; ſignificabit. Quod multùm tendit ad enervandam Fidem noſtram, craſſúmq; peccatum eſt contra *Regulam tertiam.*

4. Atq; ego profectò facilè demonſtrari poſſe ſentio peccatum etiam eſſe particulatim contra *ſecundam.* Nam *Divinitas* Chriſti non tam appoſitè aptéq; in eum quadrat ſine ſuppoſitione *Trinitatis*, quemadmodum alibi inſinuavi. Ac proinde tanquam ſpecialem Dei Providentiam agnoſco, quòd tam explicita Deitatis in *Trinitate* cognitio tam generaliter unà cum Chriſtianitate mundo enotuerit, ut æternus utiq; Dei filius honorari poſſit in Chriſto, & tota, ut ità dicam, Deitas diſtinctè adorari & coli. *Lib.1.cap.4,5.*

5. Cæterùm reſpondebunt, tametſi *Trinitatem* negent ac *Divinitatem* Chriſti, nempe, quòd *æternum Verbum caro facta ſit*, ſe Divinum tamen honorem illi debitum ſtrenuè aſſerere, ſéq; propterea *ſecundam Regulam* non tranſgredi: Agnoſcere enim ſe quamvis Chriſtus merus homo ſit, Deum tamen ei dediſſe omnem poteſtatem in cœlo pariter ac in terra, eúmq; viſibiliter rediturum eſſe ad judicandum vivos atq; mortuos; & *quemadmodum pater vitam habet in ſeipſo, ità eum dediſſe filio vitam habere in ſeipſo*, hoc eſt, poteſtatem vivificandi nos & ſuſcitandi Die noviſſimo, mutandíq; hæc humilia noſtra corpora in glorioſi ſui corporis ſimilitudinem. Ipſorúmq; proinde opinionem Chriſtianitatis fini æquè inſervire atq; illam alteram quantùm ad *Divinum* cultum Chriſto debitum, magíſq; præterea convenire *Regulæ quartæ*; ſiquidem perplexitates iſtæ de *Divinitate Chriſti* Numíniſq; *Triunitate* Religionem noſtram minùs plauſibilem reddunt *extraneis* minúſq; commendabilem. *Joh. 5. 26.*

6. Verùm ad hoc regero. Primùm, ut antea, Quòd *Trinitatem Divinitatémq; Chriſti* tollere, eſt autoritatem tollere *novi Teſtamenti*, aut talem ſumere libertatem violentè cogendi diſtorquendíq; rerum ſenſum, quæ illud contemptibile reddiderit & ad nihil utile. Quo quid obſecro poteſt pernicioſiores effectus producere? Peccatum erit non contra *unam* ſolummodò *Regulam* ſed contra quas perſcripſi *univerſas*. Curſúmq; Evangelii non apud *extraneos* tantùm ſed etiam apud noſmetipſos impediet, & Chriſtianum Orbem ad *Infidelitatem* rurſus reducet ac *Paganiſmum.*

Deinde, nego equidem Scripturam de *Divinitate Chriſti*, ſanctáve *Trinitate* quicquam declarare quod ſit impoſſibile, rationi repugnans, minúſve intelligibile quàm quibus homines paſſim aſſentiuntur qui liberi ſunt Philoſophi, quíq; nihil propter externam aliquam vim vel ſuperſtitionem, ſed propter rationem ſolam ſingula admittunt. Unionémq; aſſero *Æterni Verbi* cum humana Chriſti Natura æquè facilè concipi poſſe, (quantùm ad modum ejus) quàm unionem Animæ ac corporis. Spinas *Scholarum* ac perplexitates nugas eſſe nec in Religionem noſtram admittendas. Scripturas *Deitatis Triunitatem* in genere tantùm proponere, nullis obſcuratam terminis, qui quemvis irretire poſſint qui vel mediocri ingenio ſit & intellectu, niſi adeò ſtolidus eſſe velit ut exiſtimet, ex eo quòd ſecunda *Hypoſtaſis* in Trinitate *filius* dicitur, Deum *Patrem* aliquando *Maritum* factum fuiſſe *Uxorémq;* duxiſſe, quemadmodum *Turcæ* oppidò quàm ineptè objiciunt. Cum reverà nihil aliud ſignificetur quàm quòd *Filius* ſit à *Patre*, ſanctúſq; *Spiritus* ab utriſque.

Tertiò, Primum Autorem inceptorémve aut ſaltem eminentiſſimum inſtauratorem hujus Sectæ quæ tam ſtrenuè audactérq; negat *Trinitatem*, hominem fuiſſe ingenio ſanè, quanquam ſatis *leguleio*, tam inepto tamen & à *rebus Divinis* tam averſo ut Exiſtentiam Dei, naturæ ac rationis lumine innoteſcere poſſe apertè inficietur. Et poſtquam Scripturarum ope, quemadmodum ille opinatur, eum inveniſſet, deerravit tamen, nec dum eum apprehendit. Id enim quod *Eſſentiâ infinitum* non eſt, non poteſt eſſe *Deus*. Ac proinde minimè mirum eſt, quòd tam gravatim ferat, tantoperéve ab admiſſione diſtinctioris illius plenioríſq; Dei cognitionis in ſacris

manifeſtatæ Oraculis abhorreat, quódve ii qui tantum cum illius Genio conſenſum habent in aliis rebus, eum etiam imitentur in hac.

Quartò, Nobiliſſimas Animas optimóſq; Philoſophos qui unquam uſpiam extiterunt quantum ad Naturæ ſpectat Deíq; cognitionem, ídq; aliquot ante Chriſtum ſeculis, ſuâ ſponte, abſq; omni vi vel obtruſione *Triunitatem* Numinis tenuiſſe; quam tametſi nollem omni ex parte perfectam præſtare, talis tamen eſt quantùm ad rei ſummam, ut ratio pro ea ſtet, nulláq; ullius momenti ratio contra eam produci poſſit; quin & generalioribus illis Scripturæ indicationibus valdè eſt congruens. Nec certè credo Chriſtianum quenquam ad tenendum hoc Theorema in quibuſcunq; conceptis Inventionis humanæ formis obligari, quanquam eas perlegere licet tantúmq; fidei quantum par eſt eis adhibere, admodúmq; conſentaneum eſſe cenſeo ut humana ratio tam profundum Myſterium perfectè non comprehendat neq; exhauriat, ac proinde quod reliquum eſt, humili adoratione expleri oportere.

Quintò & ultimò, *Triunitatem Deitatis* negando *Chriſtiq; Divinitatem*, alios etiam Articulos Fidei indè incredibiles apparere, Divinúmq; illum cultum qui Chriſto exhibetur ſuſpectum reddi Idololatriæ. Neq; enim veriſimile videbitur Peregrinis, eis præſertim qui ab hujuſmodi ſuperſtitionibus abhorrent, quòd Deus unquam merum hominem ad eum dignitatis gradum exaltaverit ad quem ipſi *Sociniani* Chriſtum agnoſcunt fuiſſe exaltatum; ſed ſubdolam eſſe aliquam ac verſutam Dæ-
Johan. 5. 26. monum Technam quâ mundum aut dejiciant in cultus Idololatricos aut ſaltem in eiſdem detineant. Id etiam illis videbitur incredibile, ſi Chriſtus merus eſt homo, nempe ut virtute in ſeipſo ſitâ, quemadmodum is profitetur, eximium illud promiſſum præſtare valeat Die noviſſimo; ſuſcitandi utiq; nos in vitam glorioſam ac immortalem, mutandíq; hæc corpora carnis in puram ac cœleſtem ſubſtantiam. Quod profectò opus eſt quod nemo efficere poteſt præterquam ſolus Deus. Ac proinde ſi perficiatur virtute aliquâ in ſeipſo, fit proculdubiò ipsâ Deitate in eo reſidente, *Æterno* ſcilicet *Verbo* per quod omnia creata ſunt. Qui dicitur filius eſſe Dei ante Incarnationem; & poſt Incarnationem, tum is qui in tempore genitus eſt tum hoc *Æternum Verbum* ſimul conſiderantur tanquam unus Dei filius per realem ac Phyſicam unionem. Unde illud facilè intelligitur ad quod modò alluſimus. *Sicut Pater vitam habet in ſeipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſeipſo.* Adverſariorum verò ratio viáve admodum difficulter concipi poteſt aut intelligi, & propterea manifeſtò peccat etiam contra eam *ipſam Regulam* cum qua ii eam prætendunt maximè conſentire, nempe contra Chriſtianæ Religionis *Commendabilitatem peregrinis & extraneis.*

7. Quemadmodum etiam non mediocriter peccat & in *Regulam tertiam.* Nam Chriſtum ſpoliando *ſuâ Divinitate* quò minùs agnoſcatur reverà eſſe filius Dei, omnes illæ condeſcenſiones ejus ad quas in bonum noſtrum ſe demiſit, æſtimatio, inquam, ipſarum omnium multùm minuetur exoleſcétque, nec ſcopum tam fortiter attingent feriéntque, quàm ſub hac antiqua ac univerſali Hypotheſi Eccleſiæ Chriſti quem illa ſemper agnovit reverà eſſe Dei filium. Quod pretium profectò æſtimationémq; perpeſſionum ipſius non poteſt quin immensè amplificet, atq; ea propter eò efficaciùs affectus noſtros in ſinceriorem dolorem pro peccato colliquefaciat, nóſq; in obfirmatiora erigat conſilia mortificandi necandíq; omnes inordinatos motus ac deſideria, omnes perverſas corruptáſq; Naturæ noſtræ ſuggeſtiones, ut ut durum nobis videbitur, reducendíq; eas ſub ſceptro *Jeſu Crucifixi.* Quod hæc quidem Secta tam parùm conſiderat, ut admodum ægrè adducantur ad agnoſcendum Chriſti mortem ſacrificium eſſe expiatorium, atq; ſic ſterilibus ſuis, aridis, temerariiſq; ratiocinationibus, unam ex præcipuis potentiis, ſelectiſſimíſq; Artificiis Evangelii quibus homines boni reddantur, è Chriſtianitate expungunt.

CAP.

CAP. VII.

1. Juſtitia imputativa, Invincibilis Infirmitas *ac* Solifidianiſmus *quo ſenſu dici poſſint cum* ſecunda ultimáq; *Regula conſentire, & quo diſcrepare cum* tertia. 2. *Zeli pro* Juſtitia imputativa *Abſurditas*; 3. *Et pro* Solifidianiſmo. 4. *Conſpiratio* Juſtitiæ imputativæ, Solifidianiſmi & invincibilis Infirmitatis *ad excludendam omnem ſanctitatem è Converſatione Chriſtianorum.* 5. *Quòd prolixæ confeſſiones peccatorum ac infirmitatum ſine Propoſito mores noſtros emendandi, mera Dei ſit etiam in os ejus deriſio & ludificatio. Et de ingenti periculo hujuſmodi in Deum contumeliæ.*

1. EXempla ultima applicandi examinandíq; Opiniones juxta Regulas quas propoſuimus erunt in *Juſtitia imputativa*, in *Perfectione* & *Infirmitate*, in *Juſtificatione* per *Fidem ſolam*, & in *Regno Chriſti* in *terris*. Et quantùm ad *Juſtitiam imputativam*, *Infirmitatem*, *Opinionémq*; *Solifidianorum*, equidem fateor eas egregiam præ ſe ferre ſpeciem, quaſi multùm tenderent ad exaltationem *Perſonæ* Chriſti & ad incutiendum ſenſum hominibus quantoperè ipſo indigeant; cúmq; pacem videantur promittere ac ſecuritatem diſſolutis peccatoribus, facere profectò poſſunt ut Evangelium magìs acceptum ſit eis *extraneis* qui præſenti hoc mundo frui cupiunt æquè ac futuro, parémq; plauſibilitatem habent apud hujuſmodi homines ac *Indulgentiæ Pontificiæ*, *Abſolutióq;* ex *levicula quavis pœnitentia*, & id genus reliqua. Cujuſmodi erroribus praviſq; rerum adminiſtrationibus non poſſum quin magnam partem illius degenerationis imputem quæ Chriſtiani Orbis faciem ad hunc uſq; Diem adeò deturpat. Nec certè comminiſci quicquam poſſum quod in cauſa ſit, quò minùs pars maxima Eccleſiarum magìs perfectè reformatarum, Chriſtiani reperti forent reverà præſtantiſſimi, niſi quòd hæ opiniones *Juſtitiæ imaginariæ*, *Solifidianiſmi*, & *Invincibilitatis peccati*, in locum iſtorum deliramentorum & errorum è quibus evaſerunt, furtim ſucceſſiſſent. Unde manifeſtum eſt quàm inſigniter contra *tertiam Regulam* peccent, & conſequenter quàm cautos nos eſſe oporteat nè ipſi iſtas opiniones amplectamur, neve eas cum aliis communicemus.

2. Nam ad *Juſtitiam imputativam* quod attinet, valdè ſuſpicandum eſt, ſiquidem Scriptura ea de re prorſus ſilet, eam ſuggeſtionem eſſe *Hypocriſeos* atq; doli ad ſubruendam debitam illam ſanctificationis altitudinem ac gradum ad quem vocamur. Aliter enim Inventum hoc omninò eſt ſupervacaneum, quandoquidem ſacrificium *Paſſionis* Chriſti abunde ſufficit ad expianda omnia peccata in quæ nos incidere poſſumus ex principio condonationis capaci. Quod ſacrificium prorſus ſuperfluum eſſet ſi perfecta Chriſti Juſtitia ità nobis imputaretur ut eam pro noſtra habere poſſemus. Sic enim nos æquè juſti eſſemus atq; Chriſtus, quippe qui nullam habet juſtitiam ſuâ majorem quâ juſtus eſſe poſſit. Cúmq; hæc juſtitia in abſtinendo à peccatis æquè conſiſtat ac faciendo opera Juſtitiæ, manifeſtum eſt totum hoc nobis imputari oportere, ac proinde apud Deum ſic habendos eſſe tanquam ſi nunquam peccaviſſemus. Unde nihil opus erat expiatione peccatorum, Chriſtúſq; conſequenter fruſtra eſt mortuus. Nam imputatio illius Juſtitiæ omnes vices explet. Quamobrem nemo quiſquam cauſam ullam excogitare poteſt cur tam abſurda opinio tantoperè quempiam oblectet niſi eam in peccati pallium deſtinet, ſéq; ſic eximere velit ab omni obligatione ad *realem ſanctitatem* & *juſtitiam*.

3. Neq; equidem novi in quem alium finem præterquam hunc, tanto cum zelo homines urgeant opinionem quòd *ſolâ fide ſalvandi ſumus*, in tam perverſo ſenſu quàm quidam faciunt: quippe qui hîc non intelligunt *Fidem vivam per charitatem operantem*, ſed quòd juſtificandi ſumus per *fidem*, *quæ à charitate*, *obedientia*, *& quicquid juſtum ſanctúmq; ſit*, *ſeſe præſcindit*. Verùm manifeſtum eſt, niſi quis dicere velit, ſe juſtificatum iri per *fidem mortuam*, quæ non magìs *vera fides* eſt quàm *cadaver* fœtidum *verus* homo, quòd realis *Sanctitas* tam certò *Fidem* concomitatura ſit, quàm *Lumen* comitatur *Solem*; quódq; æquè ridicula controverſia moveretur de *Fide*, utrùm *ſola* juſtificet, ac ſi quis in quæſtionem duceret, utrùm *ſolus Sol* Diem efficiat. Nam ſi *Solem* intelligunt abſq; ſuis radiis, evidenter falſum eſt; ſi verò intelligunt Solem ſolum abſq; Luna atq; Stellis, eſt evidenter verum. Cæterùm, præſcindendo *vitam* à *Fide*, & contendendo tamen ſic eam juſtificare, æquè incongruum eſt, ac ſi quis aſſereret *Solem abſq; lumine* Diem efficere, atq; æquè perniciоſum

quàm

quàm insinuare internam sanctitatem non esse necessariam ad salutem. Ac proinde quando loquuntur de *Fide sola* debent profectò mentem suam ità explicare ut non intelligantur *Christianam Sanctitatem* excludere sed *Judaicam*, & quæcunq; alia supervacanea, imperfecta, & superstitiosa Justificationis Principia quibus homines passim per terrarum Orbem hactenus innixi sint, simúlq; urgere Christianam charitatem ad bona opera promptam quæ est *Legis* impletio.

4. Huic *Justitiæ imputativæ*, *Fideisq; justificatrici*, quam illi summoperè cupiunt à *reali* sanctitate disjunctam, addunt insuper *Infirmitatem Christianam*, quâ insinuare volunt *Peccati Invincibilitatem*. Ità ut duabus harum opinionum, debitum illum Justitiæ gradum de quo locuti sumus (immò verò quemlibet illius gradum) *superfluum* esse suggerentibus, atq; hâc tertiâ *impossibilem*, quorsum hoc tendere potest nisi ad universalem neglectum omnimodæ sanctitatis in conversatione Christiana? Cujus quidem modi Religionis professio, etiamsi à quibusdam pro speciali Dei cultu habeatur, ille ipse tamen Apostolus cujus locutionibus nimis sæpe abutuntur, meram esse Dei subsannationem, quasi naso eum adunco suspenderent, apertè declarat.

Gal. 6. 7. Μὴ πλανᾶσθε, Θεὸς οὐ μυκτηρίζεται. *Nè fallimini, Deus naso non suspenditur, Deus non eluditur. Nam quod quisq; severit idem metet.* Abusus enim hic perversáq; Mysterii Christianitatis ad dissolutos mores securámq; vitæ improbitatem Applicatio derisio mera est benigníq; Consilii Dei in Christo subsannatio. Est certè rictus irrisorios in faciem cœli diducere, & sub prætextu extollendi Christum, regnum ejus reverà subvertere in terris.

5. An non hæc mera subsannatio est impudénsque, coràm, Divinæ Majestatis contemptio, cùm is Christum in mundum miserit in eum finem ut mundum redimat è vana sua Conversatione, útq; aboleat destruátq; peccati opera ac Diaboli, longas Deo in precationibus nostris narrare Historias de propria nostra Carnalitate Naturáq; Diabolica, ipsíq; in os significare sic tamen liberæ ipsius Gratiositati visum esse ut ità omninò sit, & per Justitiæ Christi applicationem fieri, ut Deus nec velit nec possit ullam in nobis videre Injustitiam; atq; propterea, quod omnium pessimum est, post prolixas tædiosásq; orationes, quarum pars maxima fœdus est atérq; propriorum nostrorum peccatorum catalogus, è præsentia illius recedere, sine omni spe, proposito, conatúve emendandi nostros mores studióve evadendi quicquam meliores quàm sumus: An non hoc, inquam, est pervertere ridiculúmve reddere benignum Dei consilium etiam in auditu ipsius, ipsúmq; in os ejus irridere? Verùm utut ad tempus connivere possit ad has ineptias vel contumelias, non tamen æternùm silebit, manúsve continebit.

Non semper stolidam præbebit vellere barbam
Jupiter.

Non semper eludetur per mœstas mutitiones, per confessiones Hypocriticas, vultus tristes, brachia ulcerosa, Tibiásq; panniculis colligatas lignísq; teretibus impositas cum lamentabili agnitione voluntariæ tantùm miseriæ ac paupertatis, fictitiæ ac simulatæ mutilationis ac infirmitatis. Si indignatio illius vel pauxillum exarserit, ligneas istas tibias statim absumet & naturales nostros pedes nos coget in conspectum proferre, manibúsq; uti, quò fugiamus defendamúsve si fieri possit, Divinæ vindictæ ictus quæ meritò nos deprehendet affligétque.

CAP. VIII.

1. *Jactabunda Hypocrisis* Perfectionariorum; *undéq; ea proveniat.* 2. *Leges faciles ad quas suam perfectionem expendunt. Funestúsq; Eventus suæ Apostasiæ à* Persona *Christi.* 3. *Multò plus perfectionis esse in multis millibus eorum qui perfectionis nomen abhorrent, quàm in his qui eam tantoperè venditant.* 4. *In quo consistat salubris ac decora integritas spiritûs verè Christiani.*

1. ATq; hæc de *reptili* illa *Hypocrisi* quæ tacito suspensóq; gradu incedit in istis opinionibus *Justitiæ imputativæ*, *Fidei operibus destitutæ*, *& invincibilis Infirmitatis.* Quibus contraria est *jactabunda* illa *Hypocrisis* altè volantum *Perfectionariorum*,

nariorum, quorum tamen animi temperies utplurimum æquè insalubris est ac priorum, multóq; magìs ipsi indoli spirituíq; Evangelii oppositа ac repugnans. Immò ausim dicere, Opinionem esse, quæ astutè subdoléq; per Invidiam ipsius Diaboli in fervidos, feroces, acres, & melancholicos Animos urgetur & imprimitur, qui altè volant & oppidò quàm proclives sunt ad gloriationem in seipsis tumidámq; Arrogantiam; ut sic in ipsis memoriam *Passionis* Christi obliteret, eludátq; usum pretiosi illius sacrificii, ut extinguat amorem hominum erga eum, retrahátq; ipsos ab omni dependentia ab illius *Persona*. Qua de re certiores esse possumus si consideremus ad quàm faciles Leges suam expendant *Perfectionem* & immunitatem à peccato.

2. Nam motûs cujusvis pravi quantumlibet vehementis, modò ipsi non assentiantur, nullum profectò pudorem habent nec conscientiam; & si tentationis vi ferantur ad admittendum facinus, tunc sanè omnem culpam in assultûs violentiam conjiciunt, séq; ipsos tantùm ut violatas virgines (pro mollitie scilicet suæ Imaginationis benignáq; de propria sua sinceritate opinione) considerant contra voluntatem suam constupratas; atq; sic in suiipsorum Justificatione persistunt. Et quod adhuc magìs execrandum est, postquam ad summitatem *Deificatæ* suæ conditionis ascenderint, pervenerintq; ad plenum *Perfectionis* statum, tunc, quod de *Indorum Abdutis*, & *Illuminatis Hispanorum* dicitur, peccare non possunt: Quicquid egerint, qualemcunq; turpitudinem fœditatémve admiserint, quantacunq; Injustitia crudelitásve ipsis suggesta sit, pro Inspiratione id omne accipiunt impuri hi ac superbi Fanatici; vel eò impudentiæ tandem deveniunt (en turpem Apostasiæ à simplicitate veritatis Evangelicæ fructum!) ut apertè profiteantur nullum esse discrimen honestorum & turpium, *Peccatúmq;* nihil præter *nomen* esse vel *opinionem*, nullum reale maleficium, nisi eis qui nondum libertatem suam nôrint. Qui ultimus rerum eventus manifestò indicat quis ex occulto primus esset hujus negotii motor instigatórq; in alienandis eorum animis à *Persona* Servatoris. Et certè Divina Justitia valde observabilis est in hujusmodi Apostatis, quantâ percussi sint cæcitate, quàm insulsi imbecillíq; sint in suis ratiociniis ac imaginationibus, vitæq; ipsorum atq; actiones quàm odiosæ & abominabiles.

3. Cæterùm quòd Religio horum *Perfectionariorum* non sit nuda per Technas Satanæ ex inopinato prensitatio & illaqueatio, sed operosa quædam ac præmeditata defectio à Fidelitate sua erga Beatum Servatorem, (quanquam quidem primùm suggesta per Invidiam *Luciferi* adversùs *Filium Dei*) ex hoc nimis quàm manifestum est; Quòd utiq; etiam tum cùm maximè tolerabiles videntur aliquámq; habere conscientiam rationémq; actionum suarum, id tamen quo Christiani conturbantur cujúsq; eos pudet, hi nolunt agnoscere ullum esse peccatum, nè fortè videantur Christi sacrificio indigere, eíve quovis modo propter perpessiones suas esse obstricti. Quod indicium est, prout jam monui, *Familiſmum* inventum fuisse per malitiam Diaboli ad abolendum *officium Christi* ejúsq; *personam* deponendam; garriant illi interim quàm magnificè glorioséq; volent de statu suo *Deificato*. Quem *Infernalis* eorum Præceptor eos docuit tanto cum strepitu venditare, ut *Christus* indè videri possit minùs esse *Deus* quàm reverà est. Ego verò ausim pronunciare, multa millia simplicium modestorúmq; Christianorum qui *Perfectionis* nomen abhorrent, multúmq; loquuntur de *Justificatione* per *fidem solam*, & de *imputatione Justitiæ Christi*, gravitérq; admodum ac seriò de propria sua *Infirmitate* conqueruntur, perveniſse tamen ad longè majorem gradum *Perfectionis* quàm hi suiipsorum Magnificatores barbaríq; Insultatores in humiles hos contritísq; animis Christianos, qui nihil mali intelligentes machinantésve per istas loquendi formulas quas edocti sunt, affectuosè fervidéq; Servatori adhærent, & ex debita reverentia erga Deum & sincera aversatione ab omni specie mali, & ex horrore metúq; cujuslibet umbræ peccati & improbitatis ad *Christum* confugiunt tanquam ad *Asylum*, animásq; suas per fidem sublevant in illius Propitiatione & Intercessione pro ejusmodi Infirmitatibus quas tumidi hi Fanaticíq; Jactatores sibimetipsis aliisq; persuadere velint, minimè esse peccaminosas.

Et nunc sanè utri salubriorem animi temperiem habeant, *Elati* hi *Enthusiastæ*, an *Christianus humilis* & Orthodoxus, quilibet qui sponte non cæcutit, judicet, dicátq; quàm demum toleranda hæc sit *Perfectionariorum* doctrina, quæ tam perfidiosè ac proditoriè ipsam *Personam Servatoris* impetit, *Regalisq;* sui *Sacerdotii* antiquationem molitur, omninóq; amabili illi ac decoræ adversatur animi conditioni quæ ab omnibus hominibus requiritur, sed à *Christianis* præter cæteros, nempe ut *spiritu sint humili ac demisso*; quem Mors Christi nostráq; Fiducia in ejus Passione ac Intercessione pro gratia apud Deum naturaliter fovet alitque, & insalubrem

illam

illam tumidámq; intemperiem Arrogantiæ ſuíque plus juſto exiſtimationis procul ablegat.

4. Quæ quidem ut nemo in ſuam perniciem aliter accipiat atq; ipſe ea intelligo, dico ſalubrem decorámq; Chriſtiani ſpiritûs temperiem in hoc conſiſtere; nempe ut ſincerè quis enitatur ad omnem perficiendam ſanctitatem tum corde tum opere, nec quicquam ſibi quod peccaminoſum eſſe putat indulgeat. Et poſtquam ad eum ſanctitatis gradum pervenerit ut ſibi non ſit conſcius ſe quicquam quod illicitum eſt patrare, ut omnem laudem Deo tribuat, Illiúſq; meritis & Interceſſioni qui ipſi ſancti Spiritûs aſſiſtentiam procuravit, & virtute mortis ſuæ tam potenter obligavit ad bellum gerendum contra cupiditates ſuas & ad immoderatos ſuos affectus mortificandos; ſimúlq; recordetur, etiamſi nullius rei ipſe ſibi conſcius ſit, ſe tamen per hoc non juſtificari, nec quenquam certum eſſe poſſe quin alicubi erret, quamvis nunquam peccet contra propriæ conſcientiæ lumen, útq; id potiùs imputet Divinæ miſericordiæ quæ eum in tam violentas tentationes non duxerit quàm quidam ducti ſint, quòd ſe reperiat nulli ſubmiſiſſe malæ ſuggeſtioni, quàm ut proprium ſuum robur jactitet, protectionémq; contemnat tam benigni Servatoris, qui humanarum Infirmitatum expertus meritò putari poteſt turbinoſos illos aſſultus à nobis defendiſſe qui aliter in nos fuiſſent invaſuri. Præterea, quamlibetcunq; juſti nunc ſimus, id tamen vetus æs alienum non exſolvet, quippe quòd oportebat nos ſemper fuiſſe abſq; peccato. Ac proinde ad tam miſericordem Servatorem confugere nunquam erit intempeſtivum. Quæ quidem veritas eſt inviolabilis, utpote quæ & honorem Chriſti tuetur & noſmetipſos in demiſſo humilíq; habitu animi adversùs Deum atq; homines conſervat. Adeò ut opinio iſta horum Enthuſiaſticorum *Perfectionariorum* manifeſtò tum *ſecundam* tum *tertiam* Regulam quas perſcripſimus, tranſgrediatur.

1 *Cor.* 4. 4.

CAP. IX.

1. Sinceritas *via media inter* Infirmitatem ſimulatitiam *ac* venditationem Perfectionis, *cum illius deſcriptione.* 2. *Plenior character ſinceri Chriſtiani.* 3. *Qui ad illum ſtatum non aſpirant,* Hypocritas *eſſe; qui ſe ſupra eum eſſe prætendunt, contra æternum Chriſti Sacerdotium* Conſpiratores. 4. *Regnum Chriſti perſonale in terris &* Millennium *ſenſu magis ſobrio intellectum ad ſupradictas* Regulas *applicata.*

1. UT curſum igitur noſtrum inter hos qui *Invincibilem infirmitatem* Hypocriticè prætendunt, atq; altivolos illos de *abſoluta Perfectione* gloriatores rectè dirigere poſſimus, tutam illam ſemitam mediam non fictæ *ſinceritatis* tenere debemus. Quæ propterea nec Naturæ conditionem cauſabitur, tanquam omnino incorrigibilem, & quæ nè per vim quidem Spiritûs ſancti ad obedientiam reduci poſſit: nec culpam in Deum conjiciet, quaſi aut nollet aut ſuſq; deq; haberet Naturæ reductionem ſubactionémve ſub imperio Chriſti. Verùm ſeipſum quiſq; culpabit in omnibus ſuis maleficiis, officiúmq; ſuum reputabit (& tale quidem quod Divinâ ope præſtare poſſit niſi ipſe ſibi defuerit) *membra ſua Juſtitiæ arma præbere Deo, perinde ac olim ea injuſtitiæ arma peccato præbuerat.* Etenim cùm *Sinceritas* fidele ſupponat propoſitum voluntatémq; faciendi quicquid rectum ſit, Chriſtus eo ipſo Caſtellum Fortalitiúmve è manibus inimicorum recuperabit, omniáq; tunc inibi arma ac machinamenta in probos fines adhibebuntur.

Oculi qui antea Cogitata putida ac corrupta è falſis illecebroſiſq; objectis hauriebant, atq; ſic cor accendebant fœdis libidinibus, nunc puræ fiunt feneſtræ ad tranſmittendam lucem ac claritatem immaculatæ Dei ſapientiæ in viſibili creatione pulcherrimè depictæ. Aures quæ antea cum voluntate affabrè edolatas detractionis & calumniæ Fabulas imbibebant, nunc tantùm patent ſuſpiriis pauperum, ac honeſtæ famæ vicinorum. Pedes illi qui olim veloces erant ad effundendum ſanguinem, nunc multò promptiores ſunt ad redimendos Innocentes à violentia. Iſtæ manus quæ haud ità pridem totæ in extorquendo occupabantur rapiendóq; ab aliis, nunc porriguntur ſemper ad eleemoſynas largiendas bonáq; egenis diſtribuenda. Lingua iſta quæ vel amicum olim ſecretò vulnerare non parcebat, etiam inimicum nunc in cauſa juſta defendet.

In

In ſumma, nulla eſt externa actio veræ Sanctitatis ac Juſtitiæ, quin ſincerus Chriſtianus ſe poteſtatem habere eam faciendi & credat & inveniat, ac propterea conſtanter quod bonum eſt facit fugítq; contrarium, quicquid utiq; ipſius conſcientia reverà ſic eſſe, & in ſua poteſtate eſſe vel facere vel effugere dictaverit; hoc eſt, Pro certo declinabit quod *injuſtum* eſt; Nunquam cum altero aliter aget quàm ſecum in eiſdem circumſtantiis actum velit; Certiſſimè abſtinebit ab *Oppreſſione*, *Adulterio*, *Fornicatione*, nunquam invidum ullum malignúmve facinus per vindictam committet. Nec ità ſolùm, ſed credit inſuper ſe per Divinam gratiam ab omni malitia ac invidia poſſe repurgari, nec malevolum animum contra hominem quenquam gerere, immò nè contra inimicos quidem; & ſimiliter de omnibus aliis inordinatis affectibus, quibus tametſi vehementer ac violentè moveatur, nunquam tamen eò uſq; aſſentitur, ut eos explere vellet, quamvìs vel ſecuriſſimam explendi nactus eſſet opportunitatem.

2. Nec tamen ob hoc, ſe perfectum autumat, quanquam nulli peccato aſſenſum præbet quod ſic eſſe judicat; nec de ſalute ſua dubitat quamvìs ſit imperfectus. Et ſi per tempeſtuoſitatem importunitatémve Tentationis vel per inevitabilem aliquam inadvertentiam in malam aliquam actionem incidit, voluptas ſanè quam illîc experitur non abſimilis eſt illi, quam Infans ex lapſu in faciem ſuper acutos ſilices, vel in manus ſuper vivos carbones perſentiſcit. Quamobrem ſincerus ejus amor Juſtitiæ ſummáq; abhorreſcentia à peccato eum ſemper reddet circumſpectum. Quippe qui ſe teneri cenſet non ſolùm ut peccatum non committat quoties ſic eſſe apparet, quod impoſſibile fore exiſtimat ut unquam faciat; ſed ut perpetuæ vigilantiæ onus ſibi imponat, nè illud vel tunc quidem committat cùm ſub ſpecioſiori aliqua forma ſe inſinuare velit.

Et tametſi per Divinam aſſiſtentiam fidelémq; illi adhæſionem ſe ad eum gradum perveniſſe deprehendat ut omnes ſuas corruptiones devicerit, adeò ut ſeipſum accuſare non poſſit aut *Superbiæ* aut *Libidinis*, aut *Invidiæ*, aut *Avaritiæ*, aliúſve id genus vitii, quódve *fidem Divinis Promiſſis non habeat*, ab ejúſve *Providentia non dependeat*, *lubènſve in rebus omnibus ſe ipſius voluntati non ſubmittat* ad quamcunq; conditionem eum evocaverit; tamen cùm ipſe ſibi conſcius ſit ſe nec infallibilem eſſe nec invincibilem, præſertim ſine ope Chriſti, ac multis reipſa humanæ Naturæ incommodis circumvallari, (cujuſmodi ſunt Cogitationum aberrationes, inæqualitates Devotionis, minùs commodæ mentis habitudines propter terrenum hoc in quo degimus tabernaculum) recolátq; ſecum veteres anteactæ vitæ vanitates, quam nihil, præter ignorantiam, facere poteſt ut putemus fuiſſe ſine peccato, quomodóq; hæc omnia (quamvìs vulgaris Philoſophia ea nulla eſſe *Vitia* pronunciet ſed meras humanæ Naturæ *Infirmitates*) cùm lapſu noſtro contracta ſint, juſtè per Religionem nobis imputari poſſint, ſincerus hic Chriſtianus cujus characterem deſcripſi, tantum aberit ab aſpernando perſonam Chriſti vilificandóve ejus *Paſſionem*, *Interceſſionem* ſanctúmq; *Sacerdotium*, ut ſummâ, quâ poteſt, ac devotiſſimâ Reverentiâ ac amore eum proſecuturus ſit & adoraturus, nec dulcem illam animi quietem ac gaudium, quod experitur in recordando quàm inæſtimabilem amicum ac Patronum habeat apud Deum, pro univerſis voluptatibus locupletiſſimíſq; theſauris hujus præſentis vitæ ſit dimiſſurus; præſumpturúſve ſeper propriam vitam operáve juſtificatum iri, ſed per *fidem in Chriſto*; quem ſummoperè gaudet ſe Judicem ſuum ſpectaturum die noviſſimo.

3. Hæc eſt vera ſolidáq; *ſinceri Chriſtiani* temperies: atq; is certè qui non fideliter ad hunc ſtatum aſpirat, claudicantem Hypocritam ſe demonſtrat talémq; qui *Divinam vitam* animitùs non amet, quíq; nondum guſtaverit ſanctitatis Diviníq; Spiritûs dulcedinem, nec illius operationum vim ſit expertus. Is verò qui ſupra eum prætendit, de ſe condemnatus eſt, apertéq; ſe prodit ad quodnam Regnum pertineat, quòd ſtimulatus ſit utiq; per *invidiam Satanæ* contra Regnum Chriſti, ad abolenda ejus Officia, Perſonámq; deponendam. Quod multis animabus *Fanaticis* perſuadet ut faciant, tumefaciens ipſas opinione pròpriæ Perfectionis eo ſolo conſilio ut *Servatorem* excludat. Cujus profectò erroris periculum non levius eſt quàm æternæ ipſorum ſalutis jactura. Nemo enim vitam æternam hæreditabit niſi per donationem *Jeſu Crucifixi*, quem Deus conſtituit judicem die noviſſimo. Ut taceam quòd ipſa *vitæ moraliſq;* temperies in his à Dei filio Apoſtatis ſi cum illa ſinceri Chriſtiani conferatur, tanta inter eas intercedit differentia, apud eos ſaltem qui non jacentem habent guſtum, quanta eſt inter dulces uvas ac labruſcas. Tam difficilis res eſt aut *Naturæ* aut *Diabolo* veram imitari tincturam *ſpiritûs Chriſti*. Vitis eorum ſicut vitis *Sodomæ* eſt, & fructus eorum ſicut racemi *Gomorrhæ*, ipſorúmq; Eccleſiæ

tanquam Ager quem Dominus ſideravit, odor lacûs ſulphurei, Infernalíſq; putei eſt inter ipſos.

4. Ultima res quam propoſui, *Perſonale* erat *Regnum Chriſti in terris.* Cujus quidem opinionis rationes quemadmodum oppidò quàm exiles ſunt aut nullæ, ità ſanè illius utilitas mihi minimè eſt manifeſta, nec ullum quod ſciam, Evangelíi finem promovet.

Quòd verò *Millennium* eſſe poterit, quemadmodum vulgò vocitatur, longáve temporis Periodus in qua excellentius Chriſti Regnum, quàm quod ſe hactenus mundo manifeſtavit, locum ſit habiturum, equidem res eſt rationi tam conſentanea, & cui tot & tam appoſita Scripturæ loca patrocinantur, ut difficile putem cuivis homini qui nullo laborat præjudicio, eam inficiari. Cæterùm rerum ſtatûs Renovationem tunc exiſtimo fore, quemadmodum S. *Petrus* nos monet, in *novos cœlos novámq; terram in quibus inhabitabit Juſtitia.* In quibus realis Sanctitas univerſalíſq; Pax dominabitur. In quibus *crucifixus Jeſus* non ſolùm de longinquo adorabitur nec ſalutabitur tunc in ſtatuis & picturis, & Ipſe & Mater ejus omnéſq; ipſius Apoſtoli ac eminentiſſimi Sectatores, (dum *Mars* interim, *Venus* & *Pluto* aliáq; Ethnicorum Idola animitùs amantur & obſecundantur, toto Orbe Chriſtiano immane quantum Bello Sanguiníſq; effuſioni, Libidini & Luxuriæ, Opibus corradendis ac Avaritiæ ſe dedentibus, adeóq; hæc numina ſpiritu colentibus & veritate) ſed ut *Divinus cultus* Servatoris Perſonæ præſtitus tunc non ceſſabit, ità virtus illius Spiritûs ad repurgandum mundum ab omnimodo Paganiſmo potentiùs operabitur & ad abolendam etiam Idololatriam ſpiritualem, qui affectus ſunt inordinati, indomitíq; *Animalis vitæ* motus, & inſeminabit hominibus talem amorem ac complacentiam in vita Chriſti, ut *Pax* & *Juſtitia* omnia ſit inundatura.

Contentiones circa opiniones tunc ceſſabunt, cùm nullius pretii ſint niſi propter ſuperbiam ac curioſitatem *hominis naturalis*, Omnéſq; bellæ adinventiones ſubtiliorum Theologorum tunc evaneſcent, omniáq; inepta ac perplexa Argumenta pugnacium Scholarùm difflabuntur, ſolúmq; Evangelium exaltabitur in Die illo. Et certè *Millennium* ad hunc ſenſum intellectum mihi & admodum probabile videtur & valde exoptabile, taliſq; eſſe opinio quæ omnibus Evangelii Propoſitis non ſolùm conſentanea ſit ſed & apprimè utilis, quemadmodum quivis deprehendere poteſt modò ad *Regulas* quas propoſuimus, eam voluerit applicare.

Quarum *Regularum* uſui oſtendendo pauca hæc Exempla ſufficere poſſunt, hominíq; erudiendo, quî ſe ab ingenti illo onere numeroſarum opinionum ſive à ſuis ipſius cogitationibus ſuggeſtarum ſive ipſi oblatarum ab aliis, liberare valeat. Nam ſi eas ad has *Regulas* applicet, pleraſq; inveniet, aut tam parum facere ad fines Evangelii, aut tantum ipſis adverſari, ut alias habiturus ſit indignas examinatu, alias nè nominatu quidem dignas, multóq; minùs aſſenſu apud ſobrios Chriſtianos.

Quæ quidem exercitationes rationéſq; non poſſunt quin multùm tendant ad promotionem Evangelii Chriſti ſi diligenter vel à privatis ſolummodò Chriſtianis obſerventur. Breviter jam tantùm, ſtrictímq; attingam, quæ Magiſtratum maximè oporteat ad Chriſtianitatis promotionem conferre, & tunc concludam.

CAP. X.

1. Jus libertatis Conſcientiæ ad eos qui Deum eſſe negant vitámq; futuram non pertinere. 2. Deſcriptio ſinceri Profeſſoris Religionis in genere ad quem hoc jus libertatis Conſcientiæ pertineat. 3. Deſcriptio ſinceri Profeſſoris Chriſtianitatis ad quem dictum jus pertineat. 4. Conceſſionem hujuſmodi juris libertatis Conſcientiæ contra rem nullius ferè Eccleſiæ facere niſi Romanæ. *5. Libertatis Conſcientiæ etiam laxiori modo definitæ antiquorum Patrum autoritate confirmatio. 6. Argumenta pro libertate Conſcientiæ è re ipſa deducta. 7. Argumenta deducta à magnis incommodis quibus adverſa ſententia oneratur.*

1. ANtequam *Magiſtratûs* poteſtatem in rebus Religionis intelligere poſſimus, conſiderare primùm oportet commune humani Generis jus hoc in loco, modò in Atheiſmum profanitatémq; non degeneraverint. Etenim qui credit nullum eſſe Deum nec præmium pœnámve poſt hanc vitam, quem is colorem habere poteſt arrogandi

gandi ſibi jus libertatis Conſcientiæ? quámve alienum eſt verba facere de ejus jure, in Rebus Religionis qui ex profeſſo nullam habet Religionem, nec ullam Conſcientiæ obligationem ut tam impiam Profeſſionem faciat? *Atheiſmus* enim quemadmodum res eſt, in ſe craſsè admodum ac conſpicuè falſa cuivis homini qui quidem mentis compos ſit, ſuáq; ratione uti nôrit, ità certè & noxia ſuprà quàm dici poteſt & pernicioſa præſenti Regnorum ac Rerumpublicarum felicitati, ac proinde evitanda ac ſupprimenda tanquam funeſtiſſima humanarum Politiarum peſtis atq; lues.

2. Cæterùm quantùm ad eos qui ſeriam faciunt Profeſſionem exiſtentiæ Dei Creatoris rerum omnium, ejúſq; Providentiæ, agnoſcúntq; vitam eſſe futuram in qua Impii puniendi ſint, Pii verò probíq; remunerandi, qui animo admodum integro ſunt ac *ſincero*, nec ulli Religioſæ patrocinantur opinioni praxíve quæ ſolidæ adverſatur *Moralitati*; Qui ità circumcincti ſunt *Divinæ Majeſtatis* Reverentiâ atq; metu ut non poſſint quin bonam ſervent conſcientiam in rebus omnibus, agentes ſemper tanquam in conſpectu Dei; Qui fidelitate ſunt non fucatâ erga Principem, promptíq; ac cupidi obtemperandi Religionis Antiſtitibus in re qualibet quam ſua conſcientia ſibi permiſerit; Quorúmq; conſcientiæ tanta eſt integritas ac ſalubritas ut ſe obligatam ſentiat ad obtemperandum ipſis in rebus omnibus quas indifferentis naturæ eſſe deprehenderit, nec contra Dei mandata conſtitutas; Qui tantam rationem habent Decori ac ordinis, publicíq; Religionis commodi ut lubenter ſe quibuſlibet æquis mulctationibus ſubmittere velint, potiùs quàm ut ipſorum exemptionis jus aliis occaſionem daret abutendi hâc conſcientiæ libertate ad omnis Religionis neglectum ac deſpicientiam; Qui, inquam, ſic affecti ſunt, videntur profectò mihi naturaliter tale Libertatis jus nacti in Rebus Religionis quod planè inviolabile ſit, quódq; magiſtratui non liceat invadere, niſi aliqua fortè adſit perverſa mixtura quâ jus hoc tam liquidum perdere poſſint. Intereà loci ſi nihil ſupponamus præter errorem ſimplicem, quam qui adverſæ ſunt Religionis ſuperſtitionem appellabunt, Conſcientia tamen alterius partis cùm ad eam obligetur, naturale ipſorum jus eſt ſuâ hîc Libertate frui. Quoniam Conſcientia eorum majori hîc ſubjicitur poteſtati quàm ulla eſt in terris. Ac proinde Religionis libertatem ipſis non concedere, & inhumanitatis pars eſſet ac injuſtitiæ adversùs ipſos, quædámq; Rebellio adversùs Deum cujus legales ſunt Subditi.

3. Et certè ſi hoc verum ſit de *ſincero* Religionis Profeſſore *in genere*, manifeſtum eſt id non minùs verum eſſe de *Chriſtiano ſincero*. Hominem Chriſtianum intelligo ſimplicis cordis, verum *Nathanielem* in quo nullus latet dolus. Cujus characterem partim ex generica illa *ſinceri* Religionis Profeſſoris deſcriptione, partim è natura ſua propria non eſt difficile delineare. Eſt igitur homo converſationis irreprehenſibilis, Fidémq; habens in omnibus Chriſtianæ Religionis Eſſentialibus inconcuſſam, Conſcientiæ inviolabilis, ut qui omnes ſuas res peragit tanquam in conſpectu præſentiáq; Dei, inexpugnabilis Fidelitatis erga Principem, Eccleſiæq; obtemperans ad ſummum quod ſua Conſcientia ipſi permiſerit, hoc eſt, in rebus omnibus indifferentibus veréq; dubiis ac diſputabilibus; Cujúſq; Conſcientia tam bene ordinata eſt ut officium ſuum, ſic facere, exiſtimet; Et poſtremò qui tanto támq; profundo ordinis unitatíſq; in Eccleſia ſenſu afficitur, tantámq; curam metúmq; gerit nè commune verè Apoſtolicæ Chriſtianitatis Bonum quovis modo inutilibus perniciosíſq; ſchiſmatis minuatur lædatúrve, ut tametſi ſibi ipſi per ſortem obtingeret quòd puniendus ſit (ut qui nec ipſe propter inſuperabiles quoſdam ſcrupulos omni Eccleſiæ inſtituto ſe ſubmittere valeat) perlubenter tamen quaſvis tolerabiles pœnas ſubire mallet quàm ut impunitas aut petulantibus hominibus aut malignis, abutendi hoc Titulo Libertatis ad ſubruendam ſuffodiendámq; pacem ac ſecuritatem Eccleſiæ verè Chriſtianæ ac Catholicæ anſam præberet. Hic eſt is cui præter cæteros jus hoc naturale Libertatis Conſcientiæ ſartum tectum conſervari oportet.

4. Quod quidem ſi ipſi integrum reſervaretur, contra rem profectò nullius ferè Eccleſiæ faceret præterquam *Romanæ*, quæ quidem tam enormiter corrupta eſt & tamen tanta cum confidentia *Infallibilitatem* prætendit ut ingenuè fatear nihil illi tam formidabile eſſe poſſe quàm eſt hoc jus *Libertatis Conſcientiæ* quantumvis his irreprehenſibilibus circumſtantiis deſcriptam. Quantùm verò ad Eccleſias Reformatas, quarum Religio ſunt illa *verè infallibilia* Dei Oracula quæ ſacris Bibliis continentur, non eſt certè quòd illæ ab hujuſmodi Libertate ſibi quicquam metuant, nec ſanè illis noxium eſſet aut indecorum tam ſcitè limitatam indulgentiam erga *ſinceros* ſuos alumnos adhibere, qui tam perfectè formati Chriſtiani ſunt ut omnes Eſſentiales Religionis noſtræ partes animitùs credant, ſed hæſitent ſolummodò in aliquibus opinionibus ac ſcrupuloſitatibus quæ ſunt prætereſſentiales; verùm in reali interim verſantur

ſantur vitæ Spiritúſq; œconomia, cujus cùm bene experti ipſorum Gubernatores conſcii ſint, non magìs profectò eos dedecet aliquid ipſis ſpeciatim permittere, quàm Matrem piam indulgere aliquid Infanti dentienti, vel aliâ quâvis ratione infirmo vel malè habenti, aut Patrem familiâs permittere, ſaltem, ſi non ſeparatim proprias aliquas Accommodatiunculas eis è familia providere, quorum infirmitates malæve corporis habitudines eos minùs idoneos fecerint ad prandendum cœnandúmq; apud menſam communem. Hæc enim nulla illius autoritatis diminutio eſt ſed magìs prudens ac laudabilis ejus exercitatio. Ubi omnia ſe habent ut inanimes ſtatuæ & picturæ, quælibet res ordinari poteſt ad libidinem arbitriúmve *Pictoris* vel *Statuarii*; & otioſæ ſteriléſq; virgines minori cum periculo corpora ſua ad eam gracilitatis menſuram coarctare poſſunt, quæ cum ineptæ ſuæ imaginationis curioſitate maximè conveniat. Verùm unaquæq; Eccleſia Chriſti, ubi *Oeconomia vitæ* reperitur (nec certè unquam obliviſcendum eſt, eam reverà illius conditionem eſſe debere) ad inſtar prægnantis fœminæ eſt, quam proinde præ omnibus cavere oportet nè arctè nimis ſuccingatur, ob miſerarum obortionum metum. Hæc profectò tam æqua ſunt ac ferè neceſſaria ut neminem latere poſſint cui vita Dei apparuerit.

5. Atq; equidem antiqui Eccleſiæ Patres liberiùs hac de re locuti ſunt & abſq; huLib. 2. cap. 20. juſmodi cautione & reſtrictione. *Grotius* in *Tractatu de Jure Belli ac Pacis* multa producit Exempla. Canonem citat Concilii *Toletani: Præcipit ſancta Synodus nemini deinceps vim inferre; Cui enim vult Deus miſeretur, & quem vult indurat. Tertullianum* etiam, *Lex nova non ſe vindicat ultore gladio.* Huc etiam adducit *Clementis Conſtitutiones, Athanaſium* & *Chryſoſtomum*, qui expreſsè vim excludunt & compulſionem in adducendis hominibus ad Chriſtianitatem. Illud etiam notatu dignum eſt quod *Jewellus* citat è *Chryſoſtomo*, Homil. 19. in S. *Matthæum. Nunquid ovis lupum perſequitur aliquando? Non, ſed lupus ovem. Sic enim* Cain *perſecutus eſt* Abel, *non* Abel Cain. *Sic* Iſmael *perſecutus eſt* Iſaac, *non* Iſaac Iſmael. *Sic* Judæi Chriſtum, *non* Chriſtus Judæos. *Hæretici Chriſtianos, non Chriſtiani Hæreticos. Ergo ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Quibus planè innuit Perſecutionem Conſcientiæ causâ ſymptoma eſſe prorſus Antichriſtianum. Et præcisè iterum in eadem *Homilia, Quem videris in ſanguine perſecutionis gaudentem, lupus eſt.* Et poſtremò valde apGal. 4. 29. poſita eſt illa Intimatio Apoſtoli; *Is qui ſecundùm carnem genitus erat, perſequebatur eum qui natus erat ſecundùm ſpiritum.* Tanta intercedit Antipathia *carnalem* inter veréq; *regenitum* Chriſtianum. Quod terrorem homini incutere debet quoties motiones quaſlibet perſecutorias in animo ſuo oriri perſentiſcat, utpote quæ indicationes ſunt *Cainiticæ, Iſmaëliticæ*, ac *Lupinæ* naturæ, ſignúmq; certum eum non eſſe ex ovili Chriſti.

6. Atq; hæc obiter de *ſententia* antiquorum *Patrum* ſuper hac re. Verùm ſuperſunt argumenta è re ipſa deducta, quibus demonſtrari poteſt quanta ſit adversùs *homines Injuſtitia* contráq; *Deum* ipſum *Rebellio* tali ſincero Religionis profeſſori qualem ſuprà deſcripſi, hoc ſuum Libertatis Conſcientiæ jus non concedere. Primò enim quod loquitur agítve ſecundùm inevitabiles propriæ mentis perſuaſiones non eſt peccatum, quippe quod juxta noſtram Hypotheſin ex Ignorantia oritur invincibili, nec ſupponitur quidem quicquam agere contra *notas Naturæ leges*; ac proinde nullius jus legitimum indè læditur vel diminuitur, ſed intereà loci Divini Numinis Primatus plenè agnoſcitur, Fidelitáſq; ac Integritas ſinceri Profeſſoris Religionis pariter exercetur & exeritur.

Quamobrem quæ ratio eſſe poteſt cur quiſpiam pro tam proba actione, quæ ob nihil quicquam culpabilis ſit quod propriè ſit peccaminoſum, barbarè tractaretur, puniretur, vel quovis modo violento interturbaretur, impediretúrve? Nam quicunq; cum per vim impedire conatur, non ſolùm innocentem actionem & laudabilem ſupprimit, ſed & ipſe neceſſariò fœdam perpetrat ac facinoroſam. Nam ejuſmodi planè eſt aliorum ſolicitatio ad omiſſionem illius Fidelitatis Officii quod propria ipſorum Conſcientia eis perſuadet ſe debere Deo. Quapropter is qui *ſincerum* Religionis Profeſſorem à ſua profitenda Religione impedit, eundem urget propellítq; ad peccandum contra Deum. Quod nulli quidem Poteſtati in terris fas eſt facere quin eo ipſo rei perduellionis evadant contra ſuum Creatorem, corrumpendo ad hunc modum legales ſuos *Subditos*, & ad infidelitatem officiíq; ſui neglectum ſolicitando. Quàm *enormiter* igitur culpabiles ſunt in compellendo ipſos ac per vim trahendo ad iſtiuſmodi actiones quas perſuaſi ſunt Deum ipſis ſeveriter interdixiſſe? Equidem ſi hoc non ſit ei, qui ſub alterius imperio eſt, injuſtè imperare, ego comminiſci neſcio quid ſit, quídve peccatum reputandum ſit adversùs Deum ſi aliorum ſolicitatio ad peccandum contra ipſum non ſit peccatum. Adeò ut manifeſtum ſit ſupremam Dei poteſtatem

ſtatem *ſincerum* Religionis profeſſorem in rebus Religionis ab omni vi externa liberare.

7. Jam verò quemadmodum hæc opinio ſatìs ſe à nativa ſua concinnitate ac ſoliditate commendat, ità etiam adhuc ſolidior apparebit magíſq; rationi conſona ſi conſideramus contrariæ ſententiæ abſurditatem. Quòd libertas ſcilicet Conſcientiæ nullo pacto in Religione ſit concedenda. Hinc enim ſequitur, cuilibet Religioni licere, immò verò eam debere alias omnes Religiones ſumma cum cura ac diligentia prohibere ac depellere. Nam cujuſq; Conſcientia illi dictitat ſuam Religionem eſſe optimam, alioqui eam non coleret, imò verò nullam veram eſſe ac ſalutiferam præter ſuam. Etenim ſi agnoverit ſervari poſſe homines in aliis Religionibus, tunc præcedens noſtrum Argumentum perfecta contra ipſum demonſtratio eſt eum non tantùm adversùs homines injurioſum eſſe, ſed & reverà rebellem contra Deum, tam malè tractando eos qui legitimus ejus ſunt populus, quóſq; tantoperè amat ut apud ſe ſtatuerit eos ſervare, ipſóſq; perſequendo ob eas ipſas actiones in quibus maximè ſerio acceptam ſuam obedientiam erga illum oſtendunt, ſuámq; quærunt ſalutem.

Quòd ſi unica duntaxat vera ac ſalutifera ſit Religio unâ vice in mundo, hoc certè illi maximum incommodum eſt quod poteſt excogitari. Nam per hoc dogma illa pari curâ & violentiâ prohibebitur, ac quælibet è reliquis. Quod meo quidem judicio valde injuſtum eſt. Ac proinde hæc altera Evidentia eſt veritatis ſententiæ quam defendimus, nempe ex eo, Quòd contraria maxima eſt injuria & incommoditas veræ Religionis quæ fingi poteſt, quam nihil præter vim externam impedit quo minùs omnia repleat loca. Nam *magna eſt veritas & prævalebit.* In mentibus nimirum & conſcientiis eorum hominum apud quos liberam audientiam habere poteſt, non inter ſtrepitus ac terrores Tyrannicarum impoſitionum ac obtruſionum. Ut frequentes præteream miſerias & calamitates quas hæc opinio in Nationes ac Regna ſuperinducit; *Bella* ſcilicet, *effuſionem Sanguinis, Familiarum ſubverſionem, Principum pugionibus veneníve peremptionem, Inimicitias perpetuas* atq; odia, omniáq; opera & actiones Regni Tenebrarum. Tam diræ ſunt Conſequentiæ Opinionis quam oppugnamus. Cùm è contrà ſi univerſim agnoſceretur, Libertatem Religionis naturale jus eſſe humani Generis, omnia hæc mala præverti poſſint, Princeps nullam poteſt controverſiam contra populum movere nec populus contra Principem contráve ſe invicem niſi circa jura civilia, quæ magìs perſpicua ſunt, magíſq; facilia intellectu.

CAP. XI.

1. *Omnem Nationem ac Perſonam jus habere examinandi ſuam Religionem, audiendíq; Religionem peregrinorum, propriámq; commutandi ſi convictæ ſint.* 2. *Eas Nationes quæ agnoſcunt hoc jus juxtáq; illud agunt, naturaliter jus habere emittendi Legatos in alias Nationes. De ipſorum illîc Converſatione déq; jure ulciſcendi injurias illis illatas. Quódq; hæc Methodus* Hiſpanorum *in* Indos *expeditionem juſtam præſtitiſſet.* 3. *Præſens Theorema propter generalem mundi perverſitatem ad praxin difficulter revocari poſſe. Magna ejus Chriſtiano Orbi commoditas, congruentiáq; cum ſpiritu Chriſtiano.* 4. *Religionem morum corruptricem à Magiſtratu coërceri poſſe;* 5. *Eámq; quæ regni robur ac tutamen tolleret;* 6. *Omnémq; omninò Religionem cui perſecutionis Principia inſeparabiliter intexta ſint.* 7. *Reſponſum ad Objectionem; Sectas utiq; omnes Perſecutioni eſſe deditas, ac proinde nullam Libertatem Conſcientiæ poſſe concedi.*

1. MAnifeſtum igitur eſt *Libertatem Religionis* commune eſſe ac naturale jus omnium *Nationum* ac *Perſonarum*, hoc eſt, poteſtatem habent quatenus ſunt homines ac ratione præditi, credúntq; Deum eſſe vitámq; futuram, ſinceréq; juxta eam fidem vitam inſtituunt, examinandi quæ acceptiſſima via ſit Deo ſerviendi in proprium ſuum commodum in altera vita, nec ità religantur ad eam Religionem quæ ipſis primùm propoſita eſt, quin jus habeant ſuſpicandi, præſertim ſi ſua ipſis non placet, aliquam eſſe meliorem, ac propterea colloqui licet cum eis qui alias Religiones colunt, accerere eos ab aliis Nationibus, eóſq; recipere poſtquam advenerint, diligenter eos audire, & ſi convicti ſint, eorum Religionem apertè profiteri, vel ſi ſponte adveniunt eadem cum indemnitate excipiendi ſunt qua *Legati Politici*, júſq; liberè

liberè converſandi habent cum eis è Natione qui eos audire cupiant. Horum enim pars eſt libertatis *loqui* æquè ac alterorum *audire*. Quæ tranſactiones nullas omnino turbas excitarent, ſi hoc jus libertatis Religionis univerſim intelligeretur, agnoſceretúrq; apud omnes Nationes Terræ, prout pro certo ipſorum jus eſt.

2. Cúmq; ità ſit, videtur profectò planiſſimè ſequi, Quòd quælibet natio populúſve qui ſincerè hujus juris æquitatem agnoſcunt nec praxis eorum cum eo diſcrepat, hanc etiam eo ipſo hujus juris partem ſibi acquirunt; nempe emittendi homines ſuæ Religionis in Gentes vicinas ad Religionem ſuam cum ipſis communicandam, tendandúmq; ſi eos de illius veritate convincere poſſunt, & ad oſtendendum ipſis errores Religionis ſuæ propriæ, verùm opportunis temporibus, & ſine omni contumelia ac tumultu, & ſine omni cuicuimodi Interpellatione in ſacris ſuis peragendis; Quæ res eſt admodum barbara ac intoleranda Domi, multóq; magìs foris in Regionibus ubi peregrinemur.

Ad evitandas cujuſmodi veſanas enormitates, videtur & in ſe rationi conſentaneum, & de eo conſtitutum oportet, quòd nulla ſit indemnitas ulli Peregrino qui tantum ſibi aſſumit ut populum congreget ſub obtentu erudiendi eos in perfectiori Religione niſi *Legatus* ſit in eum finem à ſua Natione miſſus. Nec debet profectò cum rudi populo clanculùm modíſve quibuſvis ſurreptitiis incipere, ſed omnia agere in propatulo, ipſóſq; loci Præfectos quò advenerit ſuper ea re convenire, nulláſq; Inſpirationum Præſtigias prætendere irreſiſtibiléſve afflatus impetúſq; *irrationalis Conſcientiæ*; ſed primò cum prudenti candore probare & commendare quicquid in Religione loci bonum ſit ac laude dignum; & dein per inaffectatam profeſſionem Amoris ac Benevolentiæ eorum qui eum miſerint, erga Nationem ad quam miſſus ſit, prudentiſſimis quibuſq; inſinuationibus, abſurditates craſſáſq; falſitates Religionis quam celebrant eis ante oculos proponere, ac poſtea rationes producere quàm poteſt maximè demonſtrativas quibus ipſis commendet ſuam; tales utiq; de quibus conventum ſit per maturam deliberationem conſultationémq; eorum qui ipſum huic negotio præfecerint, quibus ineptas quaſlibet inventiones de proprio tanquam eorum autoritate comprobatas ſuperaddere crimen debet eſſe capitale.

Et ſi *Legati* hi pro Religione, dum nemini injuriam inferunt, illóve quod jure civili ipſi debeatur defraudant, malè tractentur ab eis quos lubenter velint erudire, ſi afflictentur incarcerationibus aliíſve malis mulctationibus, vel capite deniq; plectantur, illa Reſpublica Regnúmve ad quod pertinent, mortem eorum jure ulciſci poteſt, ipſorúmq; ſanguinem de manu illius populi requirere, utpote qui craſsè immanitérq; jus Gentium violaverint, adeóq; univerſi Generis humani, niſi quis mulctam committendo ipſum fortean perdiderit: Quod hi profectò non fecerunt, cùm hanc libertatem inter ſeipſos concedant, aliíſq; qui ejuſdem juris ſenſum habent ac conſcientiam, firmitérq; apud ſe ſtatuerint, ſi ad bellum res prorumperet, ipſíq; evaderent vicinorum victores, nullâ aliâ ratione utendum eſſe ad convertendos novos ſubditos ab antiqua ſua Religione, quàm pacificè ac patienter demonſtrando vanitatem illius & præſtantiam ſoliditatémq; ſuæ propriæ. Quæ idcirco nullo pacto appellanda eſt Propagatio Religionis per gladium, cùm nè tanta quidem in ipſos vis adhibenda ſit ad mutandam priorem Religionem, modò ſinceri inveniantur, quàm quæ vel ipſos compellat Novæ Religionis ſacris intereſſe, vel adeſſe ſolummodò ut ſpectatores vel auditores. Hoc tantùm ab ipſis requiretur, ut fidelitatem ſuam jurejurando victoribus confirment ſedulóq; dent operam ritè intelligendo communi illi Juri univerſi Generis humani, Quòd neminem debeamus perſequi propter Religionem ſuam, niſi alios perſequendo, aliámve aliquam mulctam conſimilem committendo jus hoc ſuum fortè perdiderit. Et propterea ſuâ propriâ Religione frui poterunt ſi eis uſq; adeò etiamnum arridet, eâdem ſanè cum libertate quâ ipſi victores, quantùm ad privatas ſuas capacitates. Si *Hiſpanus Indorum* ſe Dominum feciſſet cum his conditionibus & ab execrandis ſuis crudelitatibus abſtinuiſſet, ſuam cauſam coram toto mundo defendere potuiſſet. Hæc enim Religionis per gladium propagatio non fuiſſet ſed juris cujuſq; naturalis honeſta vindicatio.

3. Equidem hoc *Theorema* valde ſanum eſſe exiſtimo ſolidúmq; in radice, admodúmq; liquidò conſtare quid fieri oporteat, veruntamen propter generalem hominum perverſitatem ac corruptionem difficiliùs ad *praxin* revocari. Operæ pretium tamen fore putabam illud in medium proferre, quippe cujus agnitio maximo foret Religioni Chriſtianæ commodo quod concipi poteſt. Quandoquidem nihil majorem vim habere poteſt ad *Turcas Paganóſq;* convertendos ad profeſſionem Chriſti quàm hoc Principium quod explicavimus, cùm Religio noſtra non ſolùm in ſe ſolida ſit ſed longè longéq; demonſtrabilior omnibus rationalibus Ingeniis, quàm ulla Religio

quam

quæ unquam hactenus extitit. Præterea, quanquam ejus utilitas tam latè in Principio ſe expandere non poteſt, poteſt tamen nonnihil inſervire commodo harum orbis partium quibus oculi magìs aperti ſunt ad contuendam veritatem. Et certè meo judicio, hoc Principium quod tantoperè commendo, ut ab *omnibus hominibus* meretur recipi tanquam verum, ità à *Chriſtianis* præter cæteros, non ſolùm ob rationes *Politicas*, verùm etiam tanquam magìs congruens illi Spiritui quo illi imbuti eſſe debent, abhorrenti utiq; ab omni vi ac crudelitate. Qui propterea plenam Conſcientiæ Libertatem omnibus, qui immiſcendo ſuæ Religioni iſtiuſmodi Principia, quæ bonis moribus ac Civili juri aut huic ipſi *Libertatis* Principio, quo de agimus, adverſentur, illius jus non perdiderint, permittere debent.

4. Quamobrem illi qui ſub prætextu Religionis populum iſtiuſmodi doctrinis corrumpunt quæ vitium planè promoveant, & ad eradicandum è qualibet Natione omnem veri honoris ac virtutis ſenſum tendant, commune hoc jus pro quo contendimus perdiderunt, quippe qui ſunt communes corruptelæ ac peſtes populi apud quem degant. Ac proinde Magiſtratus publicus cujuſcunq; Gentis ſeu Religionis poteſtatem habet coërcendi ipſos, cùm doctrina eorum tam pernicioſa ſit ac detrimentoſa bono Reipublicæ, luminiq; Naturæ ſapientiſſimorúmq; hominum ſuffragiis per omnia mundi loca ac ſecula tantoperè adverſetur. Nulla Religio tam putridis onuſta mercimoniis in ullam oram recipienda eſt quócunq; appulerit, ſed ab *Extraneis* repellenda & ſupprimenda domi.

5. Rurſus illi etiam hoc Libertatis jus perderent quorum Religio aliquid in ſe contineret quod, ſi reciperetur, *robur Regni tutaménq;* eam recipientis tolleret vel diminueret. Ut ſi hujuſmodi illi ineſſet abſurda ſuperſtitio, nempe ut præ nimia virginitatis exiſtimatione ſummáq; abhorrentia à bello, evirationem urgeret tertii cujuſq; infantis Maſculi, & luxationem abſciſſionémve Indicis Pollicíſve; quo certè fieret ut Regio multo populo careret, iiq; qui ſuperſint ad defendendam ſuam patriam eſſent inutiles; proculdubio Magiſtratus inhibendi hujuſmodi Religionem plenum jus haberet.

6. Quemadmodum & in ultimo loco omnes iſtiuſmodi Religiones quæ ſibi lupinum illud inditum habeant ac ferinum Ingenium alios propter ſuam Religionem perſequendi, qui pacificè apud ipſos degere vellent, nec quenquam cogere ad ſuam fidem, nec publicum Religionis exercitium interturbare. Hi enim nullum jus habent quo ampliùs tolerentur quàm pro libitu arbitrióve Magiſtratûs, nec majori cum ratione libertatem poſſunt Conſcientiæ petere vel vendicare quàm Lupus Vulpéſve liberam ſibi fieri poteſtatem ſua cubilia cavernuláſve habendi in medio Ovilis, aut Noctua vel Nocticorax ſuos immiſcendi accentus choro Luſciniarum.

7. Verùm dices, Omnes Religiones Sectáſve hujuſmodi eſſe Vulpes atq; Lupos, ac proinde nullam omninò Religionis Libertatem eſſe concedendam. Qui ſic ſunt, equidem fateor eos Legibus eſſe obnoxios ac Magiſtratui; ut qui jus ſuum Libertatis jure perdiderunt, ejúſve mulctam commiſerunt. Quæ mulcta magìs minúſve ſeverè à Magiſtratu irrogari poteſt, perinde ut minorem majorémve ſecuritatem viderit quòd aſtuta hæc ferociáq; Animalia nihil damni publico ſint illatura. Cæterùm credo non omnes homines qui Religionem profitentur tam iniquæ eſſe Naturæ. Immò verò è contrà firmiter mihi perſuadeo eos, qui maximè verè religioſi ſunt, à perſequendo alios conſcientiæ causâ, omnium maximè abhorrere. Quamobrem quotquot parati ſunt profiteri ídq; jurejurando ſi requiratur, Ipſorum ſcilicet eſſe ſententiam (praxi interim profeſſioni non repugnante) neminem hominem incommodari debere quantùm ad jura Civilia in Libertate, fortunis, vitáve propter ejuſmodi Religionem cujus Principia nos doceant alios eo nomine non incommodare, ſanctéq; jurant ſuam illius generis eſſe, ſéq; æquè fideles fore Principi ac Reipublicæ in qua degunt atq; eos qui nationalem Religionem profitentur, hi cùm nullam quovis modo mulctam libertatis commiſerint, nec hâc ratione nec ullâ omnino aliâ, *praxes* intermiſcendo vel *Principia* quæ *lumini Naturæ* laudabilíq; *Moralitati* adverſentur, ſummæ profectò injuſtitiæ eſſet liberam ipſis Religionem profitendi poteſtatem non concedere.

CAP.

CAP. XII.

1. *Quibus perſonis quibúſq; cum Circumſtantiis* Chriſtianum *oporteat* Magiſtratum *Conſcientiæ Libertatem concedere. Magnáq; ejus veritati Chriſtianæ commoditas.* 2. *Qui Chriſtiani non ſunt, non admittendos eſſe ad munera publica per magiſtratum Chriſtianum, modò Chriſtiani ſuppetant qui ad ea obeunda ſunt idonei.* 3. *Quòd Chriſtianum oportet Magiſtratum opiniones hominum fallibiles non magni facere, ſed unumquemq; in Eccleſia ac Republica ſecundùm merita ſua in vita Chriſtiana ſuámq; facultatem promovendi rem Eccleſiæ Gentíſq; cui ſervit, æſtimare.* 4. *Quòd honorifica ac ſufficientia ſtipendia continuare debet aut providere eis qui laborant in ſermone & doctrina.* 5. *Vigilantiam Chriſtiani Magiſtratûs iſtiuſmodi Sectas ſupprimere debere quæ immediatam prætendant Inſpirationem nulli ſobriæ rationi examinandam, & quare.* 6. *Studium depauperandi Clerum* profanitatem *rancidè olere, &* Atheiſmum *ac* Infidelitatem. 7. *Chriſtianum Magiſtratum Scholas humanæ literaturæ aut erigere debere aut ſuffulcire, cum ponderoſis illius rei rationibus.* 8. *Rationum illarum in* Fanaticos Perfectionarios *ulterior proſecutio.* 9. *Horrendum periculum in abjicienda* Hiſtoria Evangelii *ſub prætextu auſcultandi* Lumini interno.

1. UT igitur tandem concludamus, brevitérq; illud tangamus Argumentum ad quod hactenus collineavimus, nempe, *Quid Chriſtianum oporteat Principem ſupremúmve Magiſtratum ad promotionem Evangelii Chriſti contribuere:* Ab his generalibus Principiis inferre poſſumus, Primò, Oportere eum *Libertatem Conſcientiæ* omnibus concedere qui mulctam circa eam non commiſerint, talibus utiq; quales ſuprà deſcripſi, præſertim ſi Indigenæ ſunt; ſi modò poſſibile ſit Indigenarum quenquam ullam aliam profiteri Religionem præterquam Chriſtianam. Veruntamen ſimul exigere publicam ſolennémq; rationem cur Religionem ſuam mutare velint, quò conſtare poſſit conſcientia ſit maláne aliqua machinatio, an mera deniq; animi levitas vel imbecillitas quæ eos fecerit ad hunc modum à Chriſtiana Religione deficere. Quæ ſive *Fraus* ſeu *Vertiginoſitas* hominem reddet iſtiuſmodi cenſuris atq; pœnis obnoxium, quas probabile ſit populum à conſimilibus temerariis defectionibus deterrituras. Verùm ſi homo ſit moribus ſeriis, inventúſq; ſit opinionem ex ejuſmodi rationibus mutâſſe, quæ, quanquam falſæ ſunt, poſſint nihilominus hominem ſincerè animatum in errorem ſeducere, tamen nequid doli fortè ſubſit, jusjurandum ipſi imponendum eſt. Quâ explorandi ratione, tametſi ad res viles abjectáſq; nimis ſæpe abutamur, non debet tamen profectò in rebus tam immenſi momenti vim ſuam uſúmq; amittere.

Quibus in cauſis, ſi qui fortè ſub ſcrupuloſitatis prætextu affectatáq; ſpecie ſeverioris Sanctitatis quàm quæ in cæteris ſit, omne omninò jusjurandum repudiaverint, proculdubio *Religio* non eſt ſed imperſcrutabilis aliqua *Improbitatis abyſſus*, quæ huic rei ſubeſt; meritóq; ſuſpecti eſſe poſſunt clandeſtinæ alicujus machinationis conſpirationíſve contra Religionem Regiménq; Politicum ſub quo degunt. Itaq; antequam ipſis aliam profiteri Religionem erit licitum, ſanctiſſimum ab eis exigetur *jusjurandum* cum vehementiſſima *Divinæ ultionis Imprecatione* in animam juxtà atq; corpus, ſi quicquam aliud eos huc moverit præter meram Conſcientiæ convictionem, ullúmve commodum Mundanum ex hac Religionis mutatione quærant, plúſve libertatis ſibi concedi cupiant quàm ipſi ſentiant ſe per conſcientiam obligatos aliis concedere. Quæ *examinatio publica* atq; *Juramentum* valde utilia ſunt atq; juſta etiam in derelictionibus publici Dei cultûs in Eccleſiis, quanquam ex profeſſo non declarant ſe deſiiſſe eſſe Chriſtianos. Nam Chriſtianis ſe non adjungere in cultu publico, proximè quidem abeſt ab aperta defectione à Chriſto.

Hæc profectò conſuetudo immenſæ foret commoditatis veritati Chriſtianæ. Sacerdotes enim hinc magis cautè proſpecturi eſſent nè Evangelium tantâ mole rejectaneorum ſcrutorum oneraretur, illíq; qui defecturi ſunt, hac *examinatione* cogerentur robur ac ſoliditatem experiri illius Religionis cui vellent valedicere & clandeſtina ſua conſilia per *ſanctitatem juramenti* prævterterentur. Et poſtremò Chriſtianus Magiſtratus concedendo hanc libertatem cum his debitis Circumſtantiis (cujus proculdubio adm dum rarò propter Religionis noſtræ evidentiam ei dabitur occaſio) comprobationem evitabit Iniquitatis aliarum Religionum, quæ non per vim Rationis ac Conſcientiæ, ſed per externam violentiam Indigenas ſuos quò minùs Chriſtiani fiant, impediunt.

2. Verùm

2. Verùm ſecundò, quanquam hi ſerii homines libertatibus, vitis, privatíſq; ſuis fortunis multandi non ſunt nec privandi, incapaces tamen reddentur munus quodlibet ſuſtinendi in Republica, præſertim ſi Chriſtianæ Religionis ſint qui idem munus pari fidelitate ac peritiâ exequi poſſint. Eſt enim planè contra naturam ſi non impoſſibile prorſus, ut quiſpiam ſeriò ſuæ Religioni addictus peregrinum præferat ei qui eandem ſecum fidem profitetur, ſi cæteris in rebus ſint pares. Ut taceam ipſas *Præcautionis prudentiæq;* leges non poſſe quin ipſi ſuggerant tam conſentaneam electionem, quibus in hujuſmodi re diligenter eſt auſcultandum. Siquidem præſens poteſtatis poſſeſſio meliorem præſtat ſecuritatem quàm juramentum hominis quidem ſincerè fortean animati, ſed qui tamen tentari poteſt, & præ tentationum violentia in officio labi.

3. Tertiò, Chriſtianus Magiſtratus ad aſſiſtendum per poteſtatem ſuam, ad opémve ferendam, ultrà quàm ipſius Chriſtianitatis res vel utilitas poſtulet, neutiquam tenetur, hoc eſt, eas ſuppetias latas oportet quæ debentur à Magiſtratu ad defendendam ac promovendam noſtram Religionem, quatenus reverà Chriſtiana eſt, itáq; eſſe ex verbo Dei ſcripto, & *literaliter* ac *Hiſtoricè* intellecto demonſtratur. Nam affectatitias ſolummodo Allegorias crepare eſt reipſa negare Fidem Chriſti. Et quantùm ad Opiniones, quanquam profectò poſſunt aliæ aliis præſtare, nullæ tamen debent quempiam impedire quò minùs jus ſuum privatum publicúmve obtineat vel poſſideat, modò nihil animi virulenti ac perſecutorii cum ipſis miſceatur vel intexatur. Quinimò quicunq; fidem Chriſti profitetur, creditq; Scripturis *Hiſtoricè* intellectis, cujuſmodicunq; fuerint opiniones ejus, is certè pro vitæ ſuæ meritis, præſtantia ingenii, rerúmq; peritia, ubiq; præferendus eſt ſive in *Eccleſia* ſive in *Republica.* Quæ quidem promovendi *Evangelium*, Mundúmq; revocandi ad bonam frugem ratio eſt, quam quiſquam excogitare poteſt, longè commodiſſima.

Cúmq; externa violentia in rebus Religionis ità in ſe indecora ſit, Chriſtianum verò Magiſtratum maximè omnium dedeceat, quicquid damni quis imaginari poſſit accidere, temperando à perſecutione, ad plenum id reſarciretur fovendo & approbando hujuſmodi liberam nudámq; repræſentationem pulchritudinis ac perfectionis Evangelii, expediti prorſus ab omnibus falsò obtentis traditionibus aliíſq; cuicuimodi offuſcationibus humanæq; Inventionis irretimentis. Tunc enim Divina veritas evaginati gladii inſtar foret, ſplendida ac rutilans, acuta ac diſſecans, & rationales hominum animos irreſiſtibiliter convincens: Cùm Religio noſtra nunc ſanè tot fœni ſtipulæq; contortis integumentis involvatur ut nemo illius aciem videre poſſit neve ſentire.

4. Quartò, cùm nulla adhibenda ſit compulſio nec prudentia excludenda (ejuſdem enim Fanaticæ veſaniæ eſſet prudentiam à rebus Eccleſiæ ac Reipublicæ procul amandare atq; rationem excludere è Matheſi ac Philoſophia) oppidò quàm manifeſtum eſt Chriſtianum Magiſtratum, *Libertati Conſcientiæ*, *auxilium* honorifici ſatíſq; ampli *ſtipendii* eis qui laborant in ſermone & doctrina ſuperaddere oportere, hoc eſt, per rationem ac conſcientiam obligatur illud continuare ubi ſit, & ordinare vel inſtituere ubicunq; deſit. Fidentíq; voce pronuncio aut craſſam eſſe ac *Fanaticam ignorantiam*, aut *occultam Satanæ malitiam* ac invidiam contra Regnum Chriſti (profanos homines atq; Atheos agitantem taléſve qui animitus non ſint Chriſtiani) quæ quicquam contrà ſuggerit. Etenim quantò minùs Religio quæpiam externâ violentiâ ſuffulcitur, tantò inſtructiores oportet eſſe eorum mentes linguáſq; qui ſolâ ſuâ doctrinâ, eloquentiâ vitæq; innocentiâ eam debent ſuſtinere. Cúmq; præſentia ſecula tanto polleant ingenio & tam pauxillo pietatis ſenſu, is certè qui ſolidam Religionis ſuæ rationem reddere in ſe ſuſcipit omnibúſq; opponentibus reſpondere, tametſi ſcrupuli ſint ac controverſiæ de iis ſolis rebus quæ planè occurrunt in Scripturis, otio debet abundare & vacatione à negotiis mundanis ut ad hoc munus ſe præparet paratámq; facultatem in hoc genere conſervet.

Faſtidioſus enim ille bombus inaníſve ſtrepitus de *Spiritu* adeò nunc demum, opinor, ſe ridiculum reddidit ac contemptibilem ut nemo prudens auſcultaturus ſit hujuſmodi frivolis Impoſturis. Unuſquiſq; tenetur ad reddendam rationem Fidei ſuæ, Sacerdotes verò vel Miniſtri multò accuratiùs cæteris, cùm ipſorum Provincia ſit unamquamq; Bibliorum ſententiam tueri præſtaréq; illi qui cum ratione inquirere cupit in illorum Oraculorum veritatem. Quis igitur hiſce rebus ſatìs vacare poteſt cui onus incumbit panem quærendi ſibimetipſi ac Familiæ? Quàm injuſto igitur ſordidóq; ingenio ſunt iſti homines qui perlubenter Clerum eò loci redactos velint ut manuum operâ victum ſibi quæritent? Quivis infimi ſubſellii homuncio garrulare poterit, ac phraſes effutire, varióſq; vultus fingere, verùm ſi quando quiſpiam homo

ſobrius ſibi ſatisfactum cupit de rationibus earum rerum quas denarrant, nè ſyllaba quidem minimúſve apex reſponſi redditur, ſolum *Spiritum* crepant, & amarulentis convitiis Rationem lacerant, eam appellitando *carnalem*, quamvis profectò *mollis caro* non ſit ſed *ferrum durum* ac *penetrans*, taléq; quod ipſis vel invitis corda pungat atq; vulneret, quantumlibet eam contemnant & aſpernentur.

5. Atq; equidem dum immanitatem malóſq; effectus hoc genus Enthuſiaſmi conſidero, non poſſum quin ſentiam Chriſtiani Magiſtratûs vigilantiam ad hoc etiam inter alia extendi oportere, nempe ad ſupprimendas ſubjugandáſq; Sectas omnes ac Religiones quæ à tam *Fanatico* capite derivantur, hoc eſt, quæ contra fidem Chriſtianam ſe credere profitentur ab illuminatione ejuſmodi Spiritûs quo de nullam rationem reddere queant; ejuſmodi ſcilicet qui Rationem ipſorum non illuminet, quo doctrina eorum examinari poſſit ab aliis atq; intelligi, ſed ardore tantùm illos incendat ac furore adversùs Eccleſiam Chriſti. Etenim præter integræ nationis dementandæ periculum (nam contagioſus profectò morbus eſt ſi non ipſa poſſeſſio Diaboli) mala aliqua Machinatio ſublatere poteſt contra Chriſtianitatem Regiménq; Politicum. Multò enim facilius eſt inflammare Imaginationes vulgi, quàm Judicia eorum informare, quanquam hoc ad ſobriam ædificationem, illud ad confuſionem rerúmq; ſubverſionem tendit. Breviter Reſolutionem dogmatum in immediatam *Spiritûs* ſuggeſtionem, Intellectus noſtros non attingentis, duo hæc peſſima comitantur. Primùm aut obliterat aut inutilem reddit eam in nobis Divinæ Imaginis partem quam *Rationem* appellamus, & deinde, *ſpecialem* illam tollit *Chriſtianitatis* præ reliquis omnibus Religionibus *præcellentiam* quòd ad tam ſolidam facultatem auſit provocare. Ac proinde is qui *rationis* uſum in *Religione* tollit, cuniculis Chriſtianitatem inſidioſè ſubruit, eámq; viliſſimis exæquat ſuperſtitionibus quæ unquam hactenus extiterunt.

6. Jam verò ut redeamus in viam; ſermocinari, inquam, more *cæcorum* iſtorum *Illuminatorum*, qui nullam nè prætendunt quidem rationem eorum quæ dicunt, nullum ſtudium requirit; nec quicquam omninò præter ardorem quendam ac impudentiam, ſupinámq; inadvertentiam quid proximè dicturi ſint, aut quàm bellè una res cum alia cohæreat: Verùm is qui ſic loquitur, ut rationem redditurus eorum quæ narrat, & eorum omninò omnium quæ jam denarrata ſunt in ſacris Paginis tam apertè, ut de ſenſu eorum ſatis conſtet (neq; enim quicquam incommodi eſt quòd quædam loca tam profunda ſint ut præſens hominum ſolertia ad certum eorum ſenſum penetrare non poſſit) hic homo profectò curis mundanis implicari non debet cogíve manuum operâ ſibi victum quærere, ſed liberale habere, certúmq; ac honorificum ſtipendium. Sed enimvero Chriſtianum Clerum contemnere eíve contemptibili reddendo operam dare, depauperando ipſos, & ad viles vivendi rationes detrudendo, *Profanitatem* valde rancidè olet, etiam *Atheiſmum* & *Infidelitatem*. Et verò convitiis eos proſcindere, *Mercenarióſq;* appellitare ob juſtas ſibi operæ mercedes conſtitutas, *invidi* illius *fratrum Accuſatoris* proculdubio vox eſt, qui per maligna illa convitia ac contumelias ſuffodere conatur ac ſubvertere Regnum Chriſti in terris, impetendo ad hunc modum neceſſaria illius fulcra & ſuſtentacula, *Miniſtros* utiq; *Evangelii*: Quorum victûs ratio à voluntate populi minimè pendere debet, ut liberiùs eos coarguere poſſint, & ut nulla ſit ad intempeſtivas conniventias, nec ad inficiendam Chriſti doctrinam mellito aliquo veneno quo divites illaqueent, crumenáſq; eorum aperiant Tentatio. Siquidem id quod ſic pendunt, propriarum animarum pretium eſt in manus proditarum hujuſmodi vaniloquorum *Agyrtarum*.

Apoc. 12. 10.

7. Quintò, Chriſtianus Magiſtratus continuare debet & erigere ubi deſunt, *Scholas literaturæ publicas*. Quantò enim doctiores fuerint ſubditi ejus, eò firmiùs adhærebunt Chriſtianitati, aliíq; eò faciliùs ad eandem fidem perducentur. Nihil eſt quod perinde valet ad prævertendas omnes deluſiones & impoſturas in Religione atq; hoc. *Mahometiſmo* nuſquam initia dari potuerant niſi in rudi Gente & illiterata. *Chriſtianitas* verò primas agebat radices in eis mundi partibus ubi Humanitas maximè florebat, ídq; inter varias perſecutiones & oppugnationes. Ut taceam inauditæ prorſus eſſe dementiæ cogitare quenquam idoneum Scripturarum Interpretem eſſe poſſe ſine illa quam quidam per contemptum appellant *humanam literaturam*. Cujuſmodi eſt *Logica* ſive rata illa ratiocinandi Principia. Quibus addam *Matheſin* ac *Philoſophiam*, *peritiámq;* *Linguarum* & *Hiſtoriam*. Nemo quiſquam ſine harum cognitione veritatem illorum Oraculorum viris doctis & intelligentibus explicare poteſt aut confirmare. Ac proinde illi qui hujuſmodi adminicula vilificant verbíſve extenuant, aut admodum imperitos rerum eſſe oportet aut mentis minùs compotes, aut perfidioſum aliquod conſilium contra *Chriſtianitatem* agitare, Religionémq; aliquam

Fanaticam

Fanaticam introducere ſtudere, aut deniq; omnis omninò Religionis hoſtes juratos ſe præbere.

8. Dicite enim mihi, ô vos altivoli *Perfectionarii*, magnificíq; *luminis* illius quod *intra vos* eſt *venditatores*, an interni veſtri Luminis perfectio vobis unquam monſtrare poterat *anteactorum ſeculorum Hiſtorias*, univerſum *præſentis ſeculi ſtatum*, cognitionem *Artium* & *Linguarum* ſine omni ope librorum aut magiſtrorum? Quî igitur intelligere poteritis *providentiam Dei*, *vaticiniorum ſcopum*, autoritatémq; illius Religionis juxta quam nobis ſpeciatim Deus præcepit incedere ſine externis adminiculis? Quomodo rectè judicare poteritis de veritate Chriſtianitatis ſine conſentanea explicatione *vaticiniorum* quæ Chriſti adventum prædixerunt, ſine conſideratione quid afferri poſſit ad demonſtrandum Hiſtoriam Evangelicam authenticam eſſe & incorruptam, & ſine penſitatione *rationabilitatis* rerum earum miraculoſarum quæ de eo inibi commemorantur, utì & earum quæ adhuc ipſi reſtant præſtandæ in viſibili ejus reditu ad judicandos vivos & mortuos? Nullum lumen *intra vos* externis deſtitutum adminiculis cognitionéq; *Hiſtoriæ*, *Linguarum* & *Scientiarum*, diligentíq; *Rationis* uſu, (præſtantiſſimi illius doni humano Generi à Deo immortali dati) vos unquam ſuper hac re idoneos judices eſt redditurum.

9. Et certè quemadmodum cognitione veritatis per ſtomachoſam hanc veſtram *internam Per-ſe-ſufficientiam* multamini, ità & æternam veſtram ſalutem adducitis in diſcrimen. Juſtam enim excuſationem hæc res non habet, quòd tam preſsè *internum* veſtrum lumen ſequamini, dum tanto id facitis cum contemptu ut ad nihil attendere velitis quod vobis offeratur ab *extrà*, quantumlibet accommodatum ſit rationalibus illis facultatibus quas Deus vobis indidit, & conſentaneum. Quamobrem cùm nulla ſit per neceſſitatem ignorantia, ſed ſpontanea veſtra perverſitas, quæ vos Apoſtatas reddidit à lege Chriſti, Incredulitas veſtra nulla vobis eſt legis abrogatio; verùm quantumcunq; aures veſtras contra eam obturaveritis, juxta eam tamen judicabimini in Die noviſſimo, ubi, cùm vos Deum non ſic colueritis ut is ſe coli voluit, idem vos ſic remunerabit quemadmodum vos remuneratos neutiquam velitis. Neq; enim aliud nomen eſt ſub cœlo per quod oporteat nos ſervari, præterquam illud *Jeſu Chriſti Nazareni*, quem *Judæi* crucifixerunt, Deus verò ſuſcitavit è mortuis. Quocirca vos qui præcipuam veſtræ Religionis partem ſtatuitis eum rurſus crucifigere, celebrando execrabilem illam *Paſcham* ſive *Phaſen* quæ deteſtanda eſt trucidatio Chriſti ſecundùm *carnem*, hoc eſt, ſecundùm *literam* vel *hiſtoriam*, quod eſt Chriſtum omnibus ſuis *Officiis* exuere ipſi à Patre aſſignatis, meróſq; denuò *Paganos* & *Infideles* evadere; Sentiatis profectò de vobis ipſis quàm molliter quámq; benignè voletis, ea tamen demum in vos feretur ſententia, (non quidem ſecundùm veſtra quæ vobis adeò blandè imponunt Myſteria, ſed ſecundùm *Literæ* veritatem) quæ omnes impios igni illi æterno adjudicabit, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus.

CAP. XIII.

1. *Autoris ad ſinceriores* Trementes *benevola compellatio.* 2. *Monitio ad eam Sectam, ut rationes explorent lucrúmq; computent ſuæ defectionis à Chriſto.* 3. *Nulla eſſe peculiaria effecta Spiritûs Dei in Secta* Trementium, *ſed potiùs* Pythoniſmi. 4. *Inſpirationes eorum non eſſe* Divinas *ſed* Diabolicas. 5. *Vana Cognitionis Myſticarum Allegoriarum venditatio.* 6. *Rationes intolerandæ eorum amarulentiæ contra* Miniſtros Chriſti. 7. *Lumen intra ſe autorem urſiſſe ad teſtimonium perhibendum veritati* Hiſtoriæ *Evangelii, & ad monendum* Trementes. *Cautio ſincerè animatis inter ipſos nè in* Familiſmum *divertant.* 8. *Pax animi ac ſatisfactio quòd hoc defunctus ſit officio.* 9. *Commiſerabilitas conditionis ſincerìorum* Trementium; 10. *Et ſpes reditionis ad Chriſtum.*

1. SCiens igitur terrorem Domini magnoperè animo commovebar ad præmonendos vos exhortandóſque, eos utiq; è vobis quos curari poſſe ſperabam & ad veritatem denuò reduci. Quidam enim è vobis execrandam illam *Paſcham* tam plenè obduratéq; celebrârunt, ut obducto callo in errore obtorpuerint, nè minimas quidem reliquias ſpei perceptioníſve earum rerum habentes quæ ad alteram vitam pertinent, Deo juſtè ipſos tradente in reprobum ſenſum quòd Dominum ſuum abnegave-

rint qui ipſos redemit. Quantùm verò ad vos quorum defectio nondum eſt conſummata, nec oculi clauſi obſignatíq; ad perfectam uſq; *Infidelitatem*, obſecro vos ut ſubſiſtatis pauliſper, manibúſq; cordi impoſitis, abſq; omni præjudicio voſmetipſos excutiatis, exquiratíſq; quid vobis velitis; ubi vos conſtitui exoptetis, quídve bonæ rei vobis quæratis quod non apertè vobis ante oculos proponitur in Evangelio Chriſti. Bellè quidem inceperatis; Quis impedivit vos? Quæ tentatio vos ſeduxit è via? Sinceréne nunc cœleſte Regnum quæritis, an terrenæ alicui prædæ inhiatis? Excutite proprias veſtras Conſcientias & vobiſmetipſis reſpondete. Neq; enim mihi in animo eſt dedecus veſtrum in apricum protrahere. Spero tamen vos me non injurium habituros ſi ea notavero quæ & vobis viſum eſt neminem celare.

2. Perſcrutamini igitur corda veſtra & voſmetipſos explorate, qualiſnam is ſit ſpiritus quo correpti eſtis ex quo tantâ amarulentiâ contra Scholam Chriſti exarſiſtis. Nulla virtus eſt quam vos prætendere poſſitis quæ in illius vita ac Doctrina ſummâ perfectione & claritate non comprehendatur. Quî poteſtis igitur novum vobis Ducem eligere, niſi id fiat ut gratum in aliquem errorem ſeducamini? Et certè non parùm gratum eſt ſuperbis ſeparatim aliquid & peculiariter habere de proprio, quò ſapientiores ſanctioréſq; videri poſſint cæteris mortalibus. Enixéq; vos rogo ut proprias appelletis conſcientias quantam vim hoc vitium habuerit ad promovendam veſtram defectionem; & computate, obſecro, ſi etiamnum ullam ſeriò colitis Religionem, quid ex hac veſtra defectione lucrati ſitis. Num *ratio* veſtra indè quicquam facta eſt perfectior? Immò verò illam abſcidiſtis & à vobis abjeciſtis tanquam *carnale* quiddam ac *profanum*. An *humiliores* facti eſtis majoríq; *charitate* præditi? Equidem ſi ſic ſitis, non rectè facitis quòd virtutes veſtras tanto ſtudio celatis, cùm tamen homines velitis tam magnificè de vobis ſentire. Affectatis quidem veſtitum vilem ſatis atq; ſordidum, verùm interim non animadvertitis quantum oleat affectata hæc veſtra ſorditas fermentum *Phariſæorum*, qui ſe conſpici cupiebant & collaudari ab hominibus, útve id omnino elinxeritis quod Paganus ille *Sophiſta Diogenes* in dolio ſuo reliquerat, ſatiúſq; judicaveritis *ſuperbos* eſſe *Cynicos* quàm *Chriſtianos civiles*.

Et ſi veſtra profectò *Humilitas* tantum ſuperbiæ exhalat, ipſa *ſuperbia* veſtra quàm rancidè olet in naribus omnium mortalium? Veſter ſuperiorum contemptus, impudentia veſtra ac protervitas, intemperata ac inſcita reprehendendi judicandíq; libertas, planè contra præcepta ac conſuetudines omnium ſanctorum hominum per omnia Mundi ſecula. Quamobrem cùm *Humilitas* tam pauxilla ſit, certè *Charitas* veſtra magna eſſe non poteſt. Quippe qui omnes præ vobis ipſis rudem pollutámq; maſſam exiſtimatis, herbas terræ noxias & erraticas ad nihil idoneas niſi ut fanatici veſtri furoris igne concrementur.

Verùm reſpondebitis, quanquam *rationem* abdicâſtis omnéſq; *bonos mores*, quòd *Dei* tamen *Spiritum* apud vos habetis, quod inſtar omnium eſt. Si habetis, cur non fructus illius oſtenditis? Nam acerbitas *Phariſaica*, Contentio cum Magiſtratu, publica Miniſtrorum Chriſti interpellatio, hi non ſunt fructus Spiritûs Dei. Et tamen hæc ſola, cum ruſticis quibuſdam formulis dicendi *Tu* pro *Vos*, & nè movendi quidem *pileum*, ubi reliqui omnes *Civilitatis* causâ, capita aperiunt, præcipua ſunt illius Spiritûs effecta qui vos à cæteris mortalibus diſtinguit.

3. Eſtne igitur hoc ingens illud lucrum quod feciſtis, obvertendo terga Chriſto, contemnendóq; illius perſonam, adeò tetricos evadere & inurbanos erga reliquum genus humanum univerſum? Verùm mihi audire videor vos rurſus ſic reſpondere: Quantùm quidem ad virum hunc, neſcimus quid de eo factum ſit. Eccè verò *Spiritus* ſenſibiliter nobis adeſt ad hunc uſq; diem. Cæterùm rogo quibus id ſignis deprehendatur? *Eho, contremiſcimus, concutimúrq; in ſingulis corporis articulis.* Id verò ego nego ullum certum eſſe *Divini Spiritûs* ſignum. An non ventus derepentè verſus erat in partem *Borealem*, *Ephemeráve* correpti eratis, nimiúmve excitata cholera irretita aut è via exturbata pituita vel melancholia? Quid miraculi huic toti rei ſubeſt? At enimvero ſunt etiam inter nos qui in *Ecſtaſes* abrepti ſunt, qui ſpumabant atq; intumeſcebant uſq; dum fibulæ diſruptæ ſint abruptæque. Quamobrem fieri non poteſt, quin hi homines pleni eſſent *Spiritûs*, realéq; hoc eſſet miraculum. Si Religio veſtra incrementum ſuum *Agyrtarum* technis & *Præſtigiatorum* non debet, aut *Epilepſiis* artificioſis, equidem lubens fatear, rem valde *miram* eſſe ſi non *miraculum*, propter hæc ſymptomata, ſi ipſe *Satanas* hoc negotium non agitet. Hæ enim planiſſimè affectiones ſunt *Pythonicorum*, ſive talis poſſeſſionis quali vates Sacerdotéſq; *Paganici* olim corripiebantur, qui omnino Dæmonum cultores erant, quorum Oraculis Chriſtus ſilentium jamdudum impoſuit. Examinate igitur voſmetipſos an non

non in propria ignominia gloriemini? Videte, ubi pedem figatis, retroſpicite, vel potiùs introſpicite in voſmetipſos & obſervate quis Inſtigator ſit primúſve hujus novæ rerum ſcenæ motor.

4. Dicite enim mihi obſecro, Quidnam *ſpumantes* iſti vates, quando ſua ſolvebant ora, in aures veſtras exonerabant quò exiſtimari poſſint ſanctiores divinioréſve Fanaticis illis Paganis? An non perpetua eorum erat cantilena, ſimul atq; in pedes erecti eſſent, *Omnium externorum Inſtitutorum Exuſtio?* Unde igitur illa vox prodire poterat niſi ex ipſis *flammis* Inferni? quídve *tumefacere* poterat *Inſpiratorum* veſtrorum corpora præter *virus venenúmve* Diaboli, quod tandem in ora ipſorum ebulliens is invidè contra externum cultum *Perſonæ* Chriſti, contráq; omnia ſancta illius *Officia* expuebat? Quæ altera Demonſtratio eſt contra obtentas veſtras Inſpirationes quòd *Divinæ* non ſunt ſed planè *Diabolicæ*, quódq; Myſterium *Satanæ* apud vos operatur, qui omni ſtudio ad eum deturbandum adnititur, quem Deus *verè* exaltavit, ut *Rex* ſit & *Sacerdos* Gentibus in perpetuum.

5. Cæterùm longè maxima animi voluptas eſt quòd modo tam extraordinario illuminati ſitis, ut Myſteria Regni Chriſti impendiò meliùs quibuſvis aliis intelligatis, & ſuperciliosâ quâdam commiſeratione ignorantiam mundi deploretis, aut cum imperioſa amarulentia in eorum ora involetis, eámq; ipſis exprobretis, populi præſertim doctoribus, quòd illi ſcilicet allegoricis veſtris ſcitamentis ſe non aſſuefecerint, nec artem nacti ſint totum Evangelium retexendi in ſenſus Myſticos à prædicatione *Johannis Baptiſtæ* uſq; ad adventum *Chriſti* ad Judicium.

Sed enimvero, vos omni verâ illuminatione interim ità deſtituti eſtis, ut hujuſmodi Inventiunculas, quantaquanta ſit veſtra ſapientia, meras tamen eſſe humani Ingenii alluſiones minimè intelligatis, quámq; parùm faciant ad urgenda ea in nos quæ ſignificare ſupponuntur, Pœnitentiam ſcilicet & mortificationem cujuſq; malæ concupiſcentiæ ac libidinis, & animorum noſtrorum renovationem in perfectam Imaginem Chriſti, ut illius Spiritus dominetur in nobis operáq; mortis ac tenebrarum penitùs aboleantur. Hæc enim veritas apertè ac *literaliter* continetur in Scriptura, adeò ut niſi animi veſtri Imaginationibus magìs dediti eſſent quàm ſalubri ſapidæq; Diſciplinæ, nihil opus eſſet ut tam properè vobis novum viæ ducem aſciſcatis qui ad hanc lucem vos deducat. Et, Deo eſt gratia, multi honeſti ſinceríq; cordis Chriſtiani, qui non ità gloriantur, nec tanto cum ſtrepitu phraſes *Myſticas* crepant; & audiunt & vivunt ſecundùm hæc præcepta Evangelica, ſecretâ tacitáq; in ſe utentes ſeveritate, non rigidum hiſpidúmq; in alios *Baptiſtam* agentes, quemadmodum vos facitis, quibus volupe eſt electitias veſtras auſteritates in mundi conſpectu, *Phariſæorum* more, oſtentare, qui mœſtos acerbóſq; vultus publicè fingebant nè populum lateret ſe corpora ſua jejuniis affligere.

Quid igitur ex *Allegoricis* veſtris *Myſteriis* lucrati eſtis niſi indè fortè impulſi fueritis ad Hiſtoricam Evangelii veritatem dimittendam, multúmq; vos relevatos eo pacto ſenſeritis & in animi quiete conſtitutos, cùm fides veſtra iſtiuſmodi miraculoſis rebus non oneretur, cujuſmodi de Chriſto narrantur, partim ab eo jam patratæ, partim patrandæ in fine ſeculorum? Nam eo ipſo vos *Infideles* eſſe declaratis, ſpiritúſq; veſtros, quantumlibetcunq; vos efferatis, tam pollutos eſſe atq; impuros ut ſacroſanctæ fidei Chriſtianæ non ſint idonea receptacula, quinimò eò loci vos depreſſos eſſe ubi *Epicuræi* ac *Athei* hærent, qui profectò harum rerum Fidei non magìs capaces ſunt quàm ipſa pecora campi.

6. Si ſic ſe res habet apud vos, equidem proprias veſtras Conſcientias auſim implorare ſi tam integrè lumen *intra* vos obſervatis, ut cæcum illum ducem *Henricum Nicolai* aliquando non conſulueritis, intinctáſq; offulas perfidioſæ illius *Paſchæ* non guſtaveritis, cujus Fanatica audacia choream duxit huic veſanæ *Apoſtaſiæ*. An non celebrâſtis aliquando deteſtandam illius *Phaſen* qui tam ſedulò navavit operam perſuadendis hominibus maximum ſolidiſſimúmq; eſſe Cœnæ Dominicæ *Arcanum*, *Judæ* inſtar, Dominum ſuum prodere, Chriſtum trucidare ſecundùm carnem, hoc eſt, rejicere, fidémq; abrogare veritati illius Hiſtoriæ? Propria veſtra corda interrogate, ſi hujus *intinctæ offulæ* calor non eſt, qui vos ità animavit imò verò inflammavit intolerandâ amarulentiâ adversùs Miniſtros Chriſti, tanquam nihil docentes præter mendacia, quia veritati credere nondum deſtiterunt. An non hæc *offula* cum *Diabolo* qui ſimul cum ea intrabat, tanto furore vos intoxicavit ut ſacroſancta biblia ſub pedibus conculcaveritis? An non hæc eſt quæ fecit ut tanto boatu ac rugitu convitiati ſitis Concionatoribus è ſuggeſto prædicantibus, cœtúſq; publicos turbaveritis rudibus veſtris ac phreneticis interpellationibus? Quæ immanitates demonſtrant quo ſpiritu ducamini, quódq; rebelles planè eſtis contra Chriſtum & ad *Regni tenebrarum Poteſtates* defeciſtis.

7. Hæc

7. Hæc quidem mihi temperare non potui quin ſcriberem, ut qui vehementer eò apud animum meum commovebar. Nam *Lumen intra me*, hoc eſt, Ratio mea ac Conſcientia firmiter mihi perſuadent Fidem antiquam & Apoſtolicam Hiſtorico ſenſu intellectam veram eſſe atq; ſolidam, officiáq; Chriſti numquam antiquanda eſſe ante viſibilem ejus reditum ad judicium ſecundùm ſenſum Symboli *literalem*; *Familiſmum* verò merum *Figmentum* eſſe *Diaboli*, Fabulámq; plauſibilem ad ſeducendos ſimplices à fidelitate ſua erga Chriſtum.

Ac proinde unumquemq; moneo in hiſce temporibus Libertatis ut ſibi caveant à divertendo huc, eos præſertim qui ingenii ſunt Enthuſiaſtici, cujuſmodi ferè ſunt honeſtiores ſinceriorésq; *Trementium*. Nam ſi in ſolitudinariis ſuis errationibus eò divertant, maximum profectò periculum eſt nè univerſis Fidei Articulis ſpolientur, omníq; exuantur *Religione* ad nudam uſq; *Infidelitatem* ac *Paganiſmum*, atq; adeò (quod omnium peſſimum eſt) hujus Incantatricis poculo intoxicentur, ut hanc injuriam in lucro ponant, falſámq; *libertatem* Chriſtianæ præferant *ſimplicitati*, pictúmq; illum Titulum ac phantaſticum *Deificationis* reali poſſeſſioni Chriſtianæ veritatis Divinæq; Gratiæ.

8. Hæc tum hoc in loco tum etiam alibi coactus ſum coram mundo effari; erat enim ad inſtar ignis intra me, atq; hæc conſcientiæ meæ exoneratio ut pacem mihi conciliat animíq; ſatisfactionem, ità nec deſpero quin ſi ſincerus is zelus ſit pro veritate ac ſanctitate quæ prætenditur, ad ſalutem redundatura ſit horum melancholicorum Erronum, qui ultrò citróq; incedunt ad inveſtigandam veritatem cum illa *lucerna Domini*, Spiritu ſcilicet illo quem ille in ipſis accendit. Sed enim utcunq; etiam ubi nullum hæc noſtra monitio ſortitura ſit effectum, ego nihilominus extra noxam ero, ipſorúmq; ſanguis ſuper ipſos erit & ſuper execrabiles ipſorum ſeductores.

9. Non me quidem latet facilè fore, ut homines ſuperbi atq; avari, qui nihil præter immeritæ ſibi reverentiæ ab hominibus extorquendæ pecuniæq; quacunq; ratione ſibi aduncis ſuis unguibus corradendæ ſtudium ſapiunt, vix ſe ab aperta deriſione hujus mei zeli ac ſolicitudinis pro tam contemptibili populo abſtineant, méq; conſideraturi ſint tanquam hominem admodum vilia abjectáq; Conſilia agitantem, qui horum miſerorum ac deſpicabilium *Peregrinorum* immiſcere me rebus volo. Verùm *mundani* hi *Sophiſtæ* non ſatìs interim apud ſe perpendunt lucrifactionem vel viliſſimæ Animæ ad æternam ſalutem magìs opimum eſſe ſpolium quàm integrorum regnorum in terris expugnationem, eíq; fore immenſum operæ pretium qui in hanc rem omni ſtudio incubuerit.

Et præterea, quantùm ad me, equidem ſenſa ſemper tam juſta æquáq; de ipſorum conditione in animo meo geſtavi, ut nullos ferè digniores putarem quibus quis operam det, quàm poteſt ſedulò, dirigendis. Siquidem imperioſiſſimæ Sectæ tam deformes Chriſtianitati larvas impoſuerunt, ut Infantes hos abſterruerint à ſe atq; abegerint, qui mihi quidem admodum cupidi videntur hauriendi ſincerum Sermonis lac. Quod cùm ubiq; ferè adeò adulteratum ſit humanis Imaginationibus & Inventionibus, hoc certè anxios hos *Melancholicos* ad *internum* exquirendum *Doctorem* impulit, & ad conjiciendum ſe in ipſum quem nôrunt eos non eſſe decepturum, vocem utiq; *æterni Verbi* intra ipſos, cui ſi fideles ſint, firmiter ſibi perſuadent eum ipſis viciſſim fidelem fore. Quæ quidem minimè abſona ipſorum eſt præſumptio cùm nihil ſupponat quod non arctiſſimè cum natura Dei ejúſq; Providentia cohæreat. Et certè quotquot eorum in ſerio hoc perſiſtunt ſinceróq; deſiderio iſtiuſmodi cognitionis quæ ad *vitam* tendat ac *pietatem*, nullus dubito quin Deus opportuno tempore eos in veritatem deducturus ſit, confirmatioréſq; facturus Chriſtianos quàm unquam fuerint hactenus.

10. Qui ipſorum ſucceſſus eò celerior futurus eſt ac certior, ſi, (quemadmodum aliis ſe vitiis opponunt) ità vires præcipuas contra *ſpiritualem ſuperbiam* omnémq; *peculiaritatis* affectationem in *Religione*, contorquere velint, ſtudiúmq; apparendi ſapientiores in ejus Myſteriis quàm vel optimi Chriſtiani hactenus ſe profeſſi ſunt. Maximè verò omnium ſi ab *Enthuſiaſmo* ſibi caveant ſive in ſeipſis ſeu in aliis, & ab imaginando donum *Spiritûs* ullam eſſe poſſe Revelationem quæ *Rationi* adverſetur notæve Chriſti *Hiſtoriæ*, quippe cujus veritas tam evidenti ratione evinci poteſt apud omnes eos qui ei penitiùs examinandæ ſine præjudicio incubuerint. Si in ſinceris ſuis intentionibus proſequendis hos ſcopulos devitent, nullus dubito quin tandem redituri ſint incolumes ad *Jeſum Chriſtum*, magnum illum animarum ſuarum *Paſtorem* ac *Epiſcopum*.

CAP.

CAP. XIV.

1. *Cultum publicum eſſentialem eſſe* Religioni, *quamdiu à perſecutione ſit immunis. Recta circumſtantiarum ipſius menſura.* 2. *De* fabrica *ac pulchritudine* Eccleſiarum *juxta hanc menſuram.* 3. *Res præcipuæ quas perſtringere intendit Author ſuper* Divino cultu. 4. Eccleſias *Chriſtianorum non eſſe* Templa, *quippe quorum Religionis præcellentia cum illa Notione minùs congruit.* 5. *Vana* Sectariorum *Cavillatio circa vocabulum* Church Eccleſia, *locis publico cultui conſtitutis applicatum.* 6. Eccleſiam *quamvis* Templum *non ſit, eſſe tamen aliquâ ratione* ſanctam. *Et qualiſnam honor ei deferri debeat, quæq; reverentia ibi adhiberi.* 7. *De* Catecheſi, Expoſitione & Prædicatione. 8. *De* Oratione, *quæq; vera ſit orandi ratio per* Spiritum. 9. *Publicarum* Liturgiarum *præſtantia.* 10. *Quis ſit genuinus* Miniſterii *finis vel ſcopus.* 11. *Speciales quædam utilitates* Concionum, *& de præſtantia* Concionis Chriſti Servatoris in monte. 12. *Optima ratio quâ quis* Miniſterium *ſuum cohoneſtet.* 13. *De ſancta* Communione, *& quinam indè excludendi ſint, déq;* poſitura *inter recipiendum, Communioniſq;* fructu. 14. *De* Baptiſmi *tempore, déq; ſigno* Crucis. 15. *De* Canticis Hymniſq; *ab Eccleſia componendis, & de* diebus Feſtis. 16. *De* Paſſionis *feriæ celebratione déq; ſacra* Communione. 17. *De* Imaginibus *ac* Picturis *in locis cultûs publici.* 18. *Admonitio ſummaria de* Ceremoniis *ac* Opinionibus.

1. POſt hanc Charitatis fœcundam digreſſionem ad *Trementes*, reſumamus rurſus negotium quod præ manibus eſt tandémq; concludamus. Res * ſexta ultimáq; quæ ad Chriſtiani Magiſtratûs curam pertinet eſt *Cultus publicus* : Qui quidem tam naturalis mihi videtur ac eſſentialis Religioni, ut non poſſit quin in propatulo fiat, niſi vis aliqua impediat, in quo rerum ſtatu in privatis conventiculis conveniendi periculum audebunt, hoc eſt, ſuos Religionis actus quàm publicè poterunt exercebunt, nec æquo ferent animo privatis Muſæis ſe domi quemq; contineri. Exercendæ igitur Religionis communio ac ſocietas ab omnibus agnoſcitur, quam proinde planè oportet *externam* eſſe & *viſibilem.* Jam verò nullæ Actiones *viſibiles* peragi poſſunt ſine *Circumſtantiis viſibilibus*, harúmq; Circumſtantiarum aliæ magis commodæ ſunt ac decoræ, aliæ minùs; quemadmodum vel primo intuitu manifeſtum eſt. Nec certè opus adeò arduum erit judicare de *aptitudine* vel *decoro* harum circumſtantiarum ſi menſuram aliquam adinvenire poſſimus, quæ certus ipſarum finis ſit atq; ſcopus. Quæ *ſignificatio eſt illius honoris ac reverentiæ quam Deo exhibemus Filióq; ejus Jeſu Chriſto, & proximi ædificatio.*

* *Vide cap.* 12. *ſect.* 7.

2. Per quam *Regulam* oſtendemus, de *Conventionis domo*, quemadmodum quidam appellare malunt quàm *Eccleſiam*, eam eſſe oportere *pulchræ* quidem ſtructuræ, & pro numero populi quem in communi Religionis ſuæ exercitio continere debet, ſatis *magnificæ.* Nam tametſi æqualis Conditionis homines familiariùs inter ſe tranſigere poſſint & convenire in quocunq; ipſis libuerit loco, ſummæ tamen haberetur inurbanitatis expectare ut Princeps infimum quemvis Ruricolam conveniret in Fœnili ſordido ſtabulóve Boario. An non igitur ſpeciem irreligioſæ cujuſdam Ruſticitatis præ ſe ferret, quæ profectò quædam profanitas eſt, expectare ut omnipotens Deus Filiúſq; ejus Jeſus Chriſtus in locis ſqualidis ſordidiſq; nos convenirent, etiam tunc cùm ſummam eis Reverentiam prætendimus devotiſſimúmq; obſequium præſtare? Etenim quanquam magnâ intèr noſmetipſos libertate uti poſſumus, & ubicunq; nobis libuerit convenire, tamen cùm meminerimus nos ad Deum accedere illis in locis, atq; ea propter Deum viciſſim ſpeciali quidem modo accedere ad nos (ſenſu enim Philoſophico ubiq; pariter adeſt) proculdubio non poteſt non eſſe debita noſtræ erga eum Reverentiæ ſignificatio, ſtructuram loci habere pro conventu populi amplam, pulchrè affabréq; ædificatam, & ſatis venuſtè exornatam, ídq; tantâ ac tam accommodatâ Religionis noſtræ ac devoti cultûs quem *Crucifixo Servatori* debemus, ſignificantiâ, quanta ſine ſuſpicione *Idololatriæ* ſcandoloſæve cujuſvis ſuperſtitionis fieri poteſt. Nam verum eſt ex ipſo Naturæ lumine (quod notitia Chriſti non extinguit ſed dirigit perficítq;) Ædes cultui publico deſtinatas aliquam habere debere magnificentiam ac ſplendorem, qui aptè exprimant Reverentiam quam gerimus erga Numen quod adoramus. Ac proinde Chriſtianus Magiſtratus in honorem ſui Servatoris qui tantum ignominiæ pro ipſo paſſus eſt, & ad reddendam Chriſtianam Religionem magis commendabilem extraneis, (nam Religio profectò vix videbitur Religio ſine cultu publico, nec exoptabilis

bilis Religio niſi publicus hic cultus peragatur innocuo ſplendore & decentia) hujuſmodi probis conſuetudinibus favere debet ac patrocinari.

3. Eſt certè extra limites præſentis meæ Diſſertationis ullas curioſas inquiſitiones aut determinationes de *Partibus* hujus *publici Cultûs* minutioribus inſtituere, quanquam temperare mihi profectò non poſſum quin generales aliquas indicatiunculas de debita Adminiſtratione rerum præcipuarum quæ ad eum pertinent, adhibeam; talium utiq; quæ cogitatu maximè obviæ ſint, maximéq; utiles conſideratu. Atq; hujuſmodi quidem ſunt inquiſitiones de natura *Loci* hujus *publici Cultûs*, ejúſq; *ſanctitate*, quomodóq; in eo nos oporteat verſari, præſertim verò de Functione *Prædicandi*, *Orandi*, *Cœnam Dominicam celebrandi*, de *Baptiſmo* deniq; ac *Diebus Feſtis*. Quibus adjicere poſſumus tanquam quædam adminicula Devotionis acceſſoria, *Muſicam* ac *Picturas*. De quibus omnibus propriam ſententiam ſimpliciter declarandam potiùs duxi quàm ſolicitè enitendum Concluſiones nimis operoſis ratiociniis demonſtrare, quippe quòd pulverem id tantummodò excitaturum ſit, turbámq; *Polemicam* irritaturum.

4. De hac *Domo* igitur *Cultûs publici* in qua Chriſtiani conveniunt, equidem nihil opus eſſe video ut eam *Templum* imaginemur, immò verò par potiùs eſſe puto ut eam non conſideremus tanquam *Templum*, quandoquidem illius Ceremoniæ uſus antiquatus ſit propter Religionis noſtræ præſtantiam ac ſupereminentiam. Nam celebratiſſimus *Jehovah* Numen *Topicum* nunc non eſt, nec *Chriſtus* ad hanc vel illam Civitatem Populúmve reſtrictus, ſed *Numen univerſale* declaratus totius terræ, nec anguſtis cujuſvis Templi parietibus continetur ſed perſonalem ſuam habet reſidentiam in cœlis; quò devotio noſtra dirigenda eſt mentéſq; ſuſpendendæ & elevandæ illorſum, non dejiciendæ defigendæve in quemlibet terreſtris Ædificii angulum, in quem poſtquam quis inſpexerit nihil ſanè inveniet adoratione dignum. Cui veritati tum *Stephanus* tum *Paulus* teſtimonium perhibent, alter *Judæis* declarando, alter *Areopagitis*, *Deum qui fecit mundum & omnia qui in eo ſunt, quum ſit cœli & terræ dominus, in manufactis templis non habitare.* Ipſéq; Servator mulieri *Samaritanæ*, quæ ſe ſolicitè habebat utrum iſtorum Templorum, illúdne *Samariæ* an verò illud *Hieroſolymis*, legitimus eſſet adorandi locus, apertè illi narrat hujuſmodi *Topicas* ac *figuratas* Deo colendi rationes brevì ceſſaturas. *Horam venire ac nunc eſſe, quum veri Adoratores adorabunt Patrem ſpiritu ac veritate, etenim Patrem tales quærere, qui ipſum adorarent; Deum eſſe ſpiritum, & qui adorant eum oportere ut ſpiritu adorarent & veritate*; hoc eſt, *internâ animarum* ſuarum *ſanctitate ac puritate*, veróq; cultu *orationum*, *laudum* ac *eleemoſynarum*. Quarum ſuffimenta ac ſacrificia non erant niſi figuræ atq; umbræ. *Habeantur apud te meæ preces pro ſuffitu, & manuum extentio pro ſacrificio veſpertino. Beneficentiam autem & liberalitatem nolite oblivi ſci, talibus enim ſacrificiis propitiatur Deus.* Et poſtremò S. *Johannes* in Apocalypſi conditionem deſcribens *novæ Hieroſolymæ*, quæ Chriſti Eccleſia eſt in optimo ſuo ſtatu, *In ea templum*, inquit ille, *non vidi, nam Dominus Deus omnipotens ejus Templum eſt, & Agnus*, hoc eſt, Adoratio ipſorum immediatè dirigitur ad Deum Chriſtúmque, non ad aliquem locum, ſicut *Judæi* olim ſemper venerabantur Templum versùs *Hieroſolymis*.

Act. 7. 48. *Act.* 17. 24.

Joh. 4. 23, 24.

Pſalm. 141. 2. *Hebr.* 13. 16.

5. At enim quamvìs natura noménq; *Templi* ad domum hanc *cultûs publici* non pertineant, ſecundùm Scripturæ ſenſum, (quod etiam effecit ut Chriſtiani primitivi ab hac appellatione diligenter abſtinerent) nullam tamen omninò rationem video cur quidam è *Sectis Fanaticis* offenderentur appellatione, **Church**, Eccleſiæ vulgò applicatâ. Etenim cùm Eccleſia domicilium ſit in quo convenimus ad colendum *Dominum*, ſive Deum Patrem ſeu Chriſtum filium ejus, qui ambo κύριοι nominantur, domicilium hoc naturaliter profectò indè denominatur κυριακὸν *Græcè*, unde & *Anglicanum* noſtrum vocabulum, **Church**, ut quivis vel è plebe Grammaticorum eos edocere poteſt.

6. Veruntamen cùm tam liquidò conſtet, Domum eſſe divino cultui deſtinatam, ac proinde ſpecialem habere relationem ad Deum, quamvìs non dedicata ſit ſolenni ejuſmodi ritu quo templum olim *Salomonis*, neceſſariò tamen *Sanctimoniam* quandam hinc ſibi conſciſcit, & cum hac Sanctimonia gradum aliquem debitum æſtimationis, ità ut ſarta ac tecta honeſtè conſervanda ſit, ab eáq; procul ableganda omnis ſorditas ac ſpurcities tam ab extrà quàm ab intrà, & cùm uſus eam Divino cultui appropriaverit, niſi ingens aliqua neceſſitas eò urſerit, ad alios minùs honeſtos uſus nunquam ſit applicanda. Qui aliter hac in re ſentiunt meritò quidem rei videri poſſunt cujuſdam, ſi ità fas ſit loqui, *incivilitatis* adversùs Deum, & periculum incurrere nè puri puti Ruſtici habeantur in conſpectu *cæleſtis Aulæ* & omnium ſanctorum Angelorum;

Angelorum; ut certè id etiam reputabitur pro imperitia quadam obſoletáq; *Civilitate*, venerabundas quaſlibet geſticulationes adhibere erga unam aliquam partem hujus domicilii, tanquam ſi *vàs* ibi eſſet *Arcáq; fœderis*. Hoc enim perinde eſſet ac ſi *Chriſti Eccleſiam* in *Templum* commutaremus. Quamobrem illi qui poſt introitum in congregationem aut in genua procumbunt, aut ſtantes orationes ſuas privatas peragunt, & apertis capitibus perſiſtunt etiam ante publicas preces inchoandas, religioſam hanc venerationem ipſi ædificio neutiquam deſtinant ſed teſtificantur tantummodo quanto cum timore ac reverentia acceſſus ſuos ad Deum faciant; dúmq; corda ipſorum ad propinquiores acceſſus præparantur, qualem ſenſum *illius* ad ipſos appropinquationis habeant,cultu hoc ac reverentiâ religioſè ſignificant. Veneratio enim in adventu illuſtrium Perſonarum ad magnas ſanè diſtantias exhibetur, nec ceſſat quidem niſi ad debita Intervalla poſt digreſſum.

7. De *Prædicandi* ratione, quod maximè notatu ſit dignum hoc eſt, quòd utiq; cùm tria præcipua ſint illius genera, *Catecheſis*, *Capitum Expoſitio*, & *Conciones* ſive *Prædicationes* propriè ſic dictæ, quorum primum optimum eſt, ultimum minimi quidem omnium momenti; ultimum tamen hoc ac minoris utilitatis quàm cætera; quaſi *Idolum* quorundam hominum eſt, duóq; altera tanquam pauxilli momenti res, rejecta. Verùm proculdubio hæc duo maximam vim habent ad Evangelium Chriſti humanis mentibus efficaciter implantandum, éſtq; quod dixi, è duobus, *Catecheſis præſtantior*; quippe quæ *Catechizatum* cogit diligenter notare quod edocetur; quódq; ſic edoctus eſt, non eſt tam prolixum quin ſecum reportare poſſit memoriæq; in perpetuum mandare; ac proinde maximè *utilis*, ut quæ ipſa Chriſtiani Symboli *Fundamentalia* complectitur primáve ac naturaliſſima ipſorum *conſectaria*, & quæ ad *indiſpenſabilia* vitæ *officia* tendunt, quæq; ſola proinde ſi credantur ſincerè, fidelitérq; obſerventur, ad cœlum quemlibet ſunt deductura.

Proxima verò utilis prædicandi ratio eſt *Capitum Expoſitio*, modò is qui ei rei operam dat, huc tantùm incumbat (omiſſis omnibus inanibus excurſionibus quibus multifariam ſuam lectionem oſtentet) ut ea loca Capitis quæ obſcura ſunt, facilia & intelligibilia Auditorum captui reddat, intermiſcendo ſubinde breves quidem ſed vehementes officiorum inculcationes ab ejuſmodi Capitis locis quæ fortiſſimè nos eò impellant. Hoc certè privatam Scripturæ lectionem jucundam reddet populo ſuo; Eóq; magìs ipſis proderit, ſi intra *novum Teſtamentum* ſe continuerit, eáq; duntaxat è *Veteri* accerſiverit quæ inſervire poſſint pleniori intellectioni *Novi*. Non eſt veriſimile quicquam conſcientias hominum æquè convicturum atq; hoc; quòd ipſum utiq; Scripturæ Textum legere poſſint & intelligere, ſenſibilitérq; vi percelli atq; impetu illius *Spiritûs* qui in illis ſcriptis ſpirat, eóq; mirificè, ultrà quàm fieri poteſt vel elegantiſſimis ſermonibus comptiſſimíſve humanæ Eloquentiæ formulis, moveri. Quod tamen rei caput eſt in illo *tertio* Genere *Prædicandi*, maximéq; genuinus illius uſus; nimirum, non inutilibus noxiíſve opinionibus mentes hominum effarcire, ſed magìs floridæ liberiúſq; fluentis orationis artificio inflammare Auditorum affectus ad ſtudium ac proſecutionem earum rerum quas *Mandata Evangelica* nobis præcipiant.

Fateor itaq; Exercitium hoc laudabilem habere poſſe uſum in Congregatione ubi totus populus in *Fundamentalibus* Chriſtianitatis probè ſit inſtructus, & in cognitione ſacrorum Bibliorum bene verſatus; alioqui ſi *duo* illa altera neceſſaria *Prædicandi genera hoc* magìs *ſuperficiarium genus* ſed & magìs plauſibile extruſerit, id certè non fiet abſq; ineffabili Gregis Chriſti incommodo. Quòd profectò etiam tunc eveniet quando vel optimâ ratione peragitur. Quàm ingens igitur malum putatis fore, ubi hujus popularis Eloquentiæ Exercitium nihil aliud ſit *Concionatori* præter oſtentationis ſcenam inaníſq; Gloriæ, nihílq; gignat in auditoribus ejus & admiratoribus præter tumorem quendam ſpiritûs & flatulentiam, quippe qui opinionibus venenatâ quadam dulcedine tinctis intoxicantur, quæ ad nihil tendunt præterquam ad extinguendum amorem atq; ſtudium veræ *Juſtitiæ* ac *Sanctitatis* & ad ingenerandum ipſis falſam animi ſecuritatem execrandúmq; *Libertiniſmum?* An non multò ſatius fuiſſet nudis *Fidei Fundamentalibus* acquieviſſe Symbolo *Apoſtolico* comprehenſis, Conſcientiâ interim obligatos ad vitam juxta leges Chriſti ſanctáq; ejus præcepta inſtituendam, quàm falſorum hujuſmodi ductorum æſtu atq; ſtrepitu tam miſerè infatuari & ſeduci?

8. De *Oratione* error *Epidemicus* eſt, Quòd pleriq; preces *extemporarias* per *Spiritum* fieri autumant, *conceptis* verò formulis *Spiritum* neutiquam adeſſe; cùm è contrà in *extemporariis* æſtibus ac ardoribus vehementiſſimis *Spiritus* verè abeſſe poſſit præſénſq; adeſſe in *conceptarum formularum* uſu, ubi videri poterit major malacia & tepiditas. *Spiritus* enim *orationis* in inventione verborum ac locutionum non

conſiſtit (quæ potiùs Naturæ donum eſt, quemadmodum extemporariè loquendi facultas in aliis cauſis, quæ à calore, imaginatione, animaliúmq; ſpirituum copia provenit) ſed in firma fide in Deum per Chriſtum & in non ficta approbatione & ſincero deſiderio rerum earum ſanctarum obtinendarum pro quibus oramus. Ac proinde is qui aut ipſe legit aut ab alio lectam *Liturgiam publicam* audit, tali animi affectu qualem deſcripſi, æquè verè orat per *Spiritum* atq; ille qui de ſuo verba phraſéſq; adhibet. Nihil enim *Divini* huic rei ſubeſt præter hanc *ſanctam fidem* ac *deſiderium*, cætera meræ *Naturæ* ſunt imputanda. Et manifeſta profectò Demonſtratio eſt ignorantiæ horum hominum qui de Spiritu tanto cum hiatu vociferantur, cùm interim nè diſcernere quidem nôrint quid reverà *ſpirituale* ſit, quid *animale* ſeu *naturale*. Quibus addere potes, ſi nemo *per Spiritum* orat præterquam is qui phraſes verbáq; adhibet de ſuo, tota ſanè congregatio miſelli erunt Precatores, Divinóq; Spiritu prorſus deſtituti, quippe qui omnes à labiis pendent Miniſtri, qui ſolus hîc agnoſcendus eſt orare per Spiritum. Cui tamen non ſemper tam potenter opportunéq; aſſiſtitur, quin incurrat ſubinde periculum res abſurdas frigidáſve effutiendi, faciendíq; publicum Dei cultum inſipidum vel faſtidioſum, aut, quod nihilò melius eſt, contemptibilem ac ridiculum.

9. Quapropter multò tutius eſt, quemadmodum & proculdubiò multò ſolemnius, *publicam* adhibere *Liturgiam* totius Eccleſiæ autoritate ſignatam, quàm opus tam *ſanctum* ac *devotionale* incertitudini privati Spiritûs cujuſvis hominis committere, qui tentabitur tantummodò affectatam ſuam oſtentare Eloquentiam, aut propriam ſuam imbecillitatem ac ſtultitiam propalare. Cùm *concepta Forma* omnem oſtentationem præventura ſit elegantulámq; nugacitatem, cultúmq; publicum in debita ſua reverentia ac honore conſervatura, præſertim ubi eâ cautione conſtituta ſit, ut nihil in ea deſcribatur quod incertis opinionibus mentem illiget ſeu illaqueet, ſed ubiq; loquatur juxta notum Scripturæ tenorem humanis Gloſſematis minimè depravatum.

10. Verùm dices ſi Miniſter tam ſtrictè curtéq; in Exercitiis extemporaneè precandi, expatiandíq; in concionibus cohibebitur, quî ullum egregium poterit ſpecimen ſuæ facultatis edere in eo munere quo fungitur? Ubi dabitur opportunitas oſtendendi ſua dona? Ad quod reſpondeo, Finem utiq; Miniſterii non eſſe oſtentationem donorum cujuſquam particularium ſed populi ædificationem, qui meliùs ædificantur diligenter catechizando fidelitérq; ac peritè exponendo Scripturas quàm luxurianti vagáq; oratione è ſuggeſto; ubi Concionator, poſtquam brevem Textum ſalutaverit, ſolo propriarum ſuarum Imaginationum ſtrepitu ac Inventionum, populi aures, pro more, implere licebit, quum in exponendo toto putà capite unâ vice, mentes auditorum attentiùs detinebuntur ad infallibilia illa Oracula, faciliúſq; Doctoris ſui aberrationes & prævaricationes notabunt. Cæterùm ad majorem ſecuritatem, nè quis munus ſuum hîc infideliter perperámq; adminiſtret, perverſæ ſacrorum horum ſcriptorum interpretationes ad licentiam vitámq; diſſolutam, Interpretem in poſterum reddent muneris ſui exercendi incapacem.

11. Præterea, neq; eò hæc dico quò prædicandi uſum excludam, ſed ut *Catecheſi* ſacræq; *Scripturæ Expoſitioni* majorem gratiam conciliem, quæ longè utiliores ſunt multóq; plus faciunt ad ædificationem. Quinimo in ea omninò ſum ſententia, aliquos bene temperatos inaffectatæ Eloquentiæ modulos in Feſtis anni principalibus occaſionalibúſq; Exhortationibus ad populum ex obſervatione in quo maximè ab ipſis peccetur, animo ſerio multáq; cum gravitate adhibitos, utì etiam in Jejuniis publicis ac gratiarum Actionibus, rem eſſe apprimè utilem, eóq; fore efficaciorem, quòd haud adeò frequenter recurrat. Quantùm verò ad dies alios, ſi Chriſti Servatoris ſermo in monte oppidò quàm reverenter, emphaticéq; ac diſtinctè legeretur, cùm tam ſanctæ infallibiliſq; Perſonæ monita contineat, cujus in ore nullus error inveniretur nec dolus, qui Dei filius erat carnis noſtræ *Formalitatibus* amictus in eum ipſum finem ut cathedram ad tempus apud nos capeſſeret, ſanáſq; ac ſalubres Prælectiones Theologicas nobis prælegeret, cujus in gratiam ipſe Deus Pater ad officium præconis ſe demiſit, ſilentium mandans è nubibus dicénſque, *Hic eſt Filius ille meus dilectus, ipſum audite*; qui tam miſericors fideliſq; gregis ſui paſtor erat, ut vitam ſuam pro ovibus deponeret, adeóq; adamatus à Patre ut per miraculum ſuſcitatus ſit è mortuis & in cœlum aſſumptus, quíq; deniq; illinc deſcenſurus eſt, & unumquemq; hominem juxta ſua opera judicaturus; Si hujus, inquam, ſalubrium monitorum ſanctorúmq; Præceptorum ſermo diſtinctè reverentérq; coram populo legeretur, equidem fieri non poſſet quin ad majorem tenderet ædificationem, fortiúſq; hominum animos in ipſorum bonum moveret quàm adulterata affectatáq; Eloquentia fallibilis cujuſvis Mortalis. Ut evitationem taceam omnis periculi nè aut ſuffocentur

tur hamatis ſpinoſiſq; *Theologiæ Polemicæ* controverſiis, aut veneficentur intoxicentúrq; inſalubribus offulis ſaccharatis *Antinomianiſmi* ac *Libertiniſmi*.

12. Et poſtremò, ut etiam adhuc preſſiùs ad hanc Objectionem reſpondeamus; Si Miniſterium tuum modo aliquo eximio magnificare cupias, loco donorum oſtentandorum, Gratias tuas exerce & adauge quantum poteris, ſummis viribus adnitere ut inculpato Gregi ſis exemplo *Humilitatis*, *Amoris fraterni*, *Obedientiæ erga Magiſtratum*, *Temperantiæ*, *Integritatis illibatæ in omnibus tuis tranſactionibus*, & *Commiſerationis* erga pauperes & egenos. Summam adhibe diligentiam prudentiámq; ad tuendam pacem charitatémq; inter eos qui tuæ curæ concrediti ſint, quemadmodum decet Chriſtianos, & ad invitandos opulentiores ad maturè benignéq; ſuccurrendum eis qui rerum inopiâ laborent, ut nulla intolerabilis calamitas vitam reddat conſociorum noſtrorum membrorum ærumnoſam ac inconſolabilem. Et ad eos porrò privatim reprehendendos, qui maleficiorum quorumlibet ſcandaloſorum ſint rei, ſed quàm ſapientiſſimis potes prudentiſſimíſq; aggreſſionibus & alloquiis, ut reprehenſiones tuæ, quemadmodum debent, ità planè appareant à nulla re alia provenire præterquam ab amore, officiíq; tui cura ac conſcientia. In quo adminiſtrando ſi autoritatem tuam perdere nolis ac confidentiam, ipſe debes juxta indiſpenſabiles Chriſti leges vitam tuam inſtituere, nec niſi ob earundem violationem graves illas reprehenſiones obire. Quòd ſi ipſe reverà in hiſce culpandus ſis, vel ut majorem tibi ſanctitatis opinionem concilies, hominem corripias ob neglectum puſillarum quarundam ſpuriarúmq; virtutum quas ipſe tibi elegeris; equidem fieri non poteſt quin aut odioſus indè aut ridiculus evadas.

Verùm hîc magna illa verſatur Hypocriſis, nempe ut compenſatio fiat negligentiæ in his indiſpenſabilibus Miniſterii ſui maximíq; momenti officiis, quòd infructuoſâ oris labiorúmve operâ nimis quàm affatim abundent, autoritatémq; ſibi conciliare conentur è donis, quæ prætendunt, ſpiritualibus *extemporaneè precandi* prædicandíque, loco *inculpatæ ſanctitatis vitæ*, utilíſq; *Prudentiæ* in ſui populi gratiam adhibendæ, ac *Chriſtianæ* deniq; *Bonitatis* & *Charitatis*. Et verò ut exiſtimationem ſuam firmiùs apud populum ſuffulciant, fundamenta profectò callidè peritéq; jaciunt, docendo nimirum nullam prorſus ſpem eſſe ſic vivendi ut debemus, nec ullam perinde neceſſitatem, atq; ſic univerſum gregem æquè putridum reddendo ac ſeipſos, cùm nemo jam ſuperſit qui falſum Prophetam aut *exemplo vitæ* aut *Doctrinæ contrarietate* coarguat, autoritatem ſuam hoc pacto ſibi ſartam tectam conſervat per mirificam illam canoræ linguæ volubilitatem, quam quidam prædicandi precandiq; *technydrium* appellitant. Quæ tamen etiam ubi in meliores fines dirigitur, æquè pauxillæ efficaciæ eſt ac obbula picaria in ſpini ramuſculo ſuſpenſa ſi cum perſonali applicatione privatáq; inſtructione ac coargutione conferatur. Hæc enim adfrictionis Paſtoritii medicamenti Ovi morbidæ planè imaginem gerit, ſine qua obbulæ in ramuſculo ſuſpenſæ Ceremonia nihil faciet ad curationem, quantalibetcunq; ſolemnitate oves circa eam congregatæ fuerint.

13. Quantùm ad *Communionem*, nulli ſanè ab ea excludendi ſunt qui ſe fidem habere *ſacris Scripturis* profitentur *ſymbolóq;* *Apoſtolico* in *Literali* ac *Hiſtorico* ſenſu intellecto; niſi craſſi alicujus & ſcandaloſi peccati rei ſint (quod deſcriptum eſſe oportet in noto aliquo ſuper hac re Decreto, non incertitudini Judicii privati cujuſquam Miniſtri relictum) & in eodem perſiſtant, pœnitentiam agere nolentes, ad bonámve frugem revocari. Perfidia enim eſſet in iſtiuſmodi hominem quanta poteſt maxima, eum ad ſacram hanc *Communionem* admittere, ſecurúmq; reddere in ejuſmodi peccatis quæ pro certo, niſi de ipſis pœnitentiam egerit, eum à *cæleſti* ſanctorum *Communione* in perpetuum excludant. Ut præteream ſcandalum ac offenſionem reliquis ſeriò & ſincerè animatis *Communicantibus* factam, quibus ſpectaculum apparebit æquè turpe atq; horridum, ac ſi quis fortè fortunà ih fœdam aliquam lacunam totus lapſus ac immerſus, in ſqualido hoc ac lutulento habitu, fimo atq; cæno madens ſtillánſq; ſe apud menſam inter illuſtri loco homines quos Paterfamilias ad ſolenne aliquod ac ſpeciale convivium invitaverit, collocaret.

Et quod *Poſituram Communicantium* attinet, quemadmodum nulli ſunt qui adeò ſunt curioſi ut ad eam reducant in qua Chriſtus ejúſq; Diſcipuli cœnam celebrabant, ità nemo debet tam ſcrupuloſus eſſe & irritabilis, ut indè offendatur ſi unus quidem genubus inſiſtens communionem recipiat per devotionem erga Deum humilémq; gratiarum actionem pro ingenti illo beneficio quod per eam ſignificatur, pro morte nimirum Chriſti cum illius effectis & participatione ejus corporis atq; ſanguinis, eo ſenſu quo alibi ea de re locuti ſumus, alter verò eam recipiat ſedens, quatenus Cœnæ celebratio eſt, útq; à ſe omnem amoliatur ſuſpicionem *Idololatriæ* erga externa

Lib. 8. cap. 9. ſect. 2. & cap. 10. ſect. 2, 3.

Elementa *panis* atq; *vini*. Etenim æquè contra *juſtitiam* peccatum eſt ac contra *charitatem*, ejuſmodi actionibus quæ tam innocentes & laudabiles rationes habeant, quovis modo offendi; Omniúmq; maximè intolerandum in talis Myſterii celebratione quod *totum* ex *amore* conſiſtat affectúq; erga Chriſtum & erga noſmet invicem. Equidem fateor *uniformitatem* pulchriorem ad extrà ſpeciem præ ſe ferre, haud tamen operæ eſſe pretium, ut vel minimæ turbæ illius ergô excitentur, ulláve adhibeatur violentia in diverſitatibus *actionum* vel potiùs *circumſtantiarum*, quas tam commodo ſenſu interpretari licet, ſolidúmq; charitatis noſtræ exercitium in relinquendo ſingulos liberos omninò æquè congruens eſſe huic ſolenni Actioni quàm exquiſitiſſimam *Uniformitatem* manſuetudinis mutuæq; Tolerantiæ ſpiritu deſtitutam.

Poſtremò, quantùm ad ſanctæ hujus *Communionis* fructus, præter corroborationem unionis noſtræ cum Deo Chriſtóq; per Spiritum gratiæ ex digna corporis ſanguiníſq; Chriſti participatione uberiùs infuſum, ſuperadditur porrò peccatorum remiſſio, nec noſtrorum ſolummodò illìc præſentium, ſed omnium, ubicunq; terrarum, ſincerorum Chriſtianorum, per hanc *ſanctam* quæ dicitur *Communionem* unitorum, quemadmodum nobis ſubindicat S. *Johannes*, 1 Epiſt. c. 1. v. 7. *Si autem in luce ambulamus ſicut & ipſe eſt in Luce,* κοινωνίαν ἔχομεν μετ' ἀλλήλων *mutuâ ſanctorum fruimur communione, & ſanguis Jeſu Chriſti Dei filii purgat nos ab omni peccato*, certóq; peccatorum remiſſionem obtinemus. Ad quod præcipuè inter cætera alludere etiam videtur ἡ κοινωνία ἁγίων in *ſymbolo Apoſtolico* memorata. Quò minùs ſoliciti ſint omnes boni Chriſtiani de *Abſolutione ſacerdotali*, cùm tam crebra ac repetita per *ſanctam Communionem* omnibus *ſinceris* Chriſtianis ſit peccatorum remiſſio, nec abſolutio *ſacerdotalis* quicquam profit *non ſinceris*.

14. Quod *Baptiſmum* ſpectat, equidem quantò diligentiùs quiſpiam in eum inquiſiverit, tantò certiùs apud ſe ſtatuet Scripturam de *tempore Baptizandi* eos, qui fidelibus prognati ſint parentibus, nihil definiviſſe. Quidam audent longiùs, affirmántq; nullum eſſe præceptum quo baptizentur omninò, verùm eos jam eſſe membra Eccleſiæ, quippe ex eis prognatos qui ſunt. Ad quorum Poſteriores reſpondeo, Si juris *membraturæ* in Chriſti corpore quæ eſt Eccleſia, capaces ſint, quî fieri poteſt ut ſigni illius ſint incapaces? Cæterùm ad eos qui agnoſcunt eſſe baptizandos, cùm manifeſtum ſit nullum tempus in Scriptura definiri, dico naturaliter relinqui poteſtati Eccleſiæ ut illud tempus præſcribat quod ipſi viſum erit maximè commodum; Nam tametſi plus videri poſſit excuſationis habere ſi quis Eccleſiæ (in ſtatuendo novas *Ceremonias*, taléſve veterum *Circumſtantias* quæ neceſſariæ non ſint) autoritatem in dubium vocaret, non poteſt tamen quin intolerandæ exiſtimetur temeritatis de ea hæſitare hoc in loco, in determinandis utiq; ejuſmodi *Circumſtantiis* ſine quibus ipſa *actionis* ſubſtantia haberi non poſſit. Etenim ſi quis baptizandus eſt, equidem oportet aliquo tempore baptizari. Et certè quanquam Adverſariorum argumenta ſpeciem tumidam ac confidentem præ ſe ferunt, quantum tamen ego intelligere poſſum, tutiſſimum profectò tempus eſt quod ipſa Eccleſia definivit. Etenim in eam ſententiam admodum pronus ſum, qui tamen me æquè parùm ſuperſtitionibus indulgere puto quàm cæteros mortales, bonum ſcilicet aliquod reale ad infantem redundare ex eo quòd per ſinceram parentum ſuorum devotionem, tam maturè Chriſto ſit dedicatus. Quam dedicationem ipſum oportet pleniùs ratificare & conſummare, poſtquam ad annos *diſcretionis* quas vocant, pervenerit, quando capax erit reſpondendi ejuſmodi quæſtionibus quas nimis quàm proclive eſt imaginari, eum tunc intempeſtivè *interrogatum* fuiſſe quando *non* poterat *loqui*.

Jam verò de *Cruce* in *Baptiſmo*, certè tam opportuna erat in prima ſua Inſtitutione dum *Pagani profeſſi* inter Chriſtianos intermiſcebantur & tam ſignificans ſemper, ut ſi Eccleſiæ non liceat hujuſmodi additamenta ſuperadjicere, nullum profectò licet. Cæterùm cùm *unitas cordium* multò præſtet *uniformitati* in actionibus indifferentibus, nullum debet eſſe diſſidium nec contentio circa has res; verùm ſive Parentes infantis baptiſmum ad annos uſq; *diſcretionis* per conſcientiam differunt, ſive eum volunt in ſua Infantia baptizari, ſi ſignationem *ſigno crucis* approbant ſive ejus omiſſionem malunt, majorem Miniſter Autoritatem ſibi conciliabit profitendo ſuam animi æquabilitatem ac indifferentiam his in rebus, ſummámq; quam habeat exiſtimationem indiſpenſabilium Officiorum Chriſtianitatis, benevolæq; indulgentiæ erga conſcientias hominum, (quæ res multò ſacrior eſt Ceremoniâ quâlibet ab ipſo Deo non inſtitutâ) quàm ſi nimiùm duriter ad uniformem conſenſum eis in rebus homines urgeret, in quibus Chriſtus nos reliquit liberos. Quippe conſpicuum *profeſſæ charitatis* benignæq; tolerantiæ exercitium ornamentum Eccleſiæ eſt longè pulchrius quàm *coacta Uniformitas*. Immò verò addam, Quòd conſtans indifferentiæ profeſſio

feſſio Eccleſiam citiùs effectura ſit *uniformem* quàm ſi Religio in hujuſmodi rebus ponatur. Ceſſat enim contentio, ubi ejus objectum nullius eſſe pretii judicatur.

15. De *Muſica*, manifeſtum eſt *Hymnos Canticáq;* maturrimam fuiſſe cultûs publici ſpeciem quæ Chriſto eſt exhibita. Et certè cùm Eccleſia poteſtatem habeat formandi *Liturgias publicas*, equidem puto eos rectè facturos, ſi nec publicas Cantationes ad *Pſalmos Davidicos* reſtringerent, ſed *Cantica* quædam de ſuo componerent, ſermone facili & inaffectato, quin & laudabili ſtylo metróque, modulóſq; muſicos ipſis adaptandos curarent, non nimis quidem operoſos ac artificiales, nec jacentes nimis ac languidos. Quos numero multos eſſe minimè quidem convenit, ſed tot ferè, quot vel pueruli maturè ediſcere poſſent, adeò ut nihil opus futurum eſſet profano merorum mercenariorum gutture ad Chorum explendum, cùm omnes *Devotiones muſicæ* à tota congregatione peragi poſſent, unoquoq; Chriſtiano partem educationis liberorum ſuorum ducente, *Modulorum Eccleſiæ Muſicorum* peritiam, qui propterea propemodum æquè citò idonei forent ad cantandum atq; ad orandum unà cum reliqua Congregatione.

Hi *Hymni* ab Eccleſia compoſiti *Feſtis* ſuis principalibus potiſſimùm aptandi ſunt, ad celebrationem inſtitutis *Nativitatis* putà, *Paſſionis*, *Reſurrectionis*, & *Aſcenſionis* Servatoris, *Miſſioniſq;* Spiritûs ſancti. Etenim res mihi profectò videtur ferè ſupra omnem fidem ut Gens quælibet Hiſtoriam Chriſti veram eſſe credat, eúmq; Deum fuiſſe tali tempore incarnatum, idémq; Numen incarnatum paſſum eſſe, &c. nec tamen tantæ rei conſideratione adeò eſſe abreptam ut hujuſmodi ſtupenda *Accidentia* Anniverſariis ſolennitatibus celebraret, ſiquidem diebus Feſtis Annum adornare ipſi dictamini Naturæ conſentaneum eſt praxíq; omnium Nationum. Quapropter qui *ſpiritualitatem* tantoperè prætendunt ut omnem Dierum obſervationem rejiciant, equidem vereor nè in ipſis ſit ſymptoma *Infidelitatis* & ſecretæ alicujus Inimicitiæ quam adversùs ipſam Chriſtianitatis veritatem in ſinu foveant. Etenim ii qui Divinis perfectionibus maximè locupletantur, ſummis illis Gaudiis quæ indè oriuntur actu frui non poſſunt niſi à ſecularibus negotiis vacent; Ad quam igitur rem *Dies Feſti* maximè ſunt opportuni. Ii verò qui minùs perfecti ſunt, per hanc à mundanis laboribus *vacationem*, opportunitatem nanciſcuntur magis obſervatè curioſéq; rimandi explorandíq; animarum ſuarum ſtatum & conditionem, magíſq; ſeriò meditandi, obſirmatioribúſq; conſiliis ſtatuendi vitæ ſuæ in poſterum ad perfectiſſima veritatis ac ſanctitatis Exempla componendæ, ſeriam ſe daturos operam.

Et in hunc ipſum finem Diei cujuſq; ſeptimæ obſervatio inviolabilis eſſe debet nec ſecularibus ullis negotiis ineptíſve Ludicris profanari, ſed in Religioſa Exercitia, quà publica quà privata, tota impendi; nec ità tamen quaſi ulla ſanctitas in diebus collocanda eſſet, ſed quòd tam bella Occaſio ſit arripienda ad conſummandum in nobis pietatis opus, & ad meditandum ſuper infinita Dei benignitate in Myſterio *Creationis* ac *Redemptionis* patefacta.

16. Quarum poſterioris cùm nos Chriſtiani tam plenam diſtinctámq; notitiam hauſerimus ut præcipua ejus progreſsûs noverimus delineamenta, equidem multò condignius eſt magíſq; decorum rem totam in unum Diem confusè promiſcuéq; non congerere, ſed præcipuas tam eximii Myſterii partes diſtinctim ſeparatímq; celebrare. Cujuſmodi ſunt *Nativitas Chriſti*, ejus *Paſſio*, *Reſurrectio* & cæteræ. Inter quas *Paſſionis* celebratio cùm ad ædificationem maximè ſit utilis, ejus profectò ſolennitas ad minimum æquè ſacra eſſe debet, æquè frequentata, ac religioſè celebrata concionando, orando, cantandóque, ac quævis alia Dies, ídq; ratione huic ſolennitati omninò congruâ, *Hymniſq;* ac canticis *Paſſioni* Chriſti appropriatis, mœſtíſq; ac emollientibus modulis hiſce canticis quæ Eccleſia compoſuerit adaptatis.

Quæ *Paſſionis* quidem Cantica, Diebus *Euchariſticis* haud inutiliter poterunt adhiberi, quippe quæ in ſe contineant deſideria fervida firmáq; conſilia crucifigendi affectus noſtros ac libidines, & fideliter diligendi Chriſtum & noſmet invicem, quæ ſunt præſignia illa Officia ad quæ *Paſſio* Chriſti digitum intendit atq; in nos inculcare ſatagit. Quamobrem Cantiones matutinæ diebus *Euchariſticis* per hæc *Paſſionis* Cantica oppidò quàm commodè poterunt ſuppleri. Cæterùm inter celebrandam *Communionem*, dum *Panis Calixq;* circumferuntur, *Davidicorum* Pſalmorum aliqui qui maximè accommodati videantur, ingentémq; Dei bonitatem ac miſericordiam declarent, vel cantica aliqua ab Eccleſia compoſita, huícq; Inſtituto deſtinata, gratiarum actionum, piorúmq; propoſitorum plena cantari poſſunt per totum tempus modulis alacrioribus, qualibus *Aſcenſionis* Cantica *Reſurrectioniſq;* cantentur. Quæ omnia Eccleſiæ *Cantica* officia in homines urgere debent ac ſanctitatem premere, ex ejuſmodi rationibus, quæ ex fide earum rerum quarum memoriam celebramus, naturaliter profluant.

Si

Si ad cantionem horum peritè compoſitorum Canticorum ſelectorúmq; Pſalmorum *Organi* inſuper adminiculum adderetur ad certiùs moderandam cantatoriam hanc Religionis noſtræ partem, ádq; magis affectuoſam illius peractionem reddendam, haud facilè profectò quis excogitaverit, quid jam deſit ad debitam & irreprehenſibilem omnium condecentium Circumſtantiarum *Cultûs publici* expletionem, quas profeſſi Chriſtiani adhibere debent; niſi quis fortè introductas velit *Imagines* ac *Picturas*.

17. Sed enimverò ut meam ſuper hac re ſententiam liberè eloquar, Ipſa *Imaginum ſtatuarúmve* in Eccleſia collocatio, admodum audax eſt infenſúmq; ſpectaculum: verùm incurvare ſe versùs eas, oraréq; flexis genibus oculíſq; Religiosè ad eas ſublatis res intoleranda, ſi modò ità ſit Idololatria Paganica. Immò verò aliquâ ratione deterior, hoc eſt, magis abſurda ac ridicula, quippe quòd hæ *ſtatuæ* non ſupponantur, ut apud ipſos, illius ſpiritûs ad quem precantur *Receptacula*. Adeò ut Devotionis hîc hominum ratio omninò abſona ſit, inepta ac ſtupida, æquè ac impia ac *Idololatrica*.

Equidem fateor picturas Repræſentationes eſſe aliquantò modeſtiores, conſiderationémq; graviſſimarum contumeliarum quas nefaria quædam ora olim in *crucifixum Jeſum* intorſerunt & etiamnum aliquando intorquent, magis devotos ejus perſonæ Amatores allicere poſſe in opinionem, ſi repræſentatio fieret ejus *Crucifixionis* in Pictura, hominéſq; in introitu in Eccleſiam versùs ipſam ſe incurvarent, innocuam tantùm ſibi animi ſatisfactionem fore, ſi ſuum tam publicè præſtarent Servatori *Homagium*, in ea ipſa utiq; Repræſentatione qua maximè proculcatur ac contemnitur, juſtámq; ipſi compenſationem pro omnibus contumeliis quas impuri impiíq; homines in ipſum conjecerint.

Verùm ad hæc reſpondeo, Primò quòd adorationis noſtræ determinatio in unamquamlibet Eccleſiæ partem perinde videretur ac ſi *Eccleſiæ* Chriſtianorum in *Templa* converterentur, contrà atq; ſcriptum eſt à S. *Johanne*, *Templum in ea non vidi*. Et tum poſtea tametſi longè petita humani ingenii Inventa admodum arguta eſſe poſſint in his cauſis atq; ſubtilia, expreſsè tamen dicitur, quòd Deus, *Deus eſt zelotes*, multíq; zeloſi ſunt ac ſcrupuloſi homines tam intra orbem Chriſtianum quàm extra; ac proinde praxis quæ nec in ſe proba eſt & tam immenſum præterea aliis ſcandalum parit, nullo modo debet obtinere in *Cultu publico* Chriſtianorum.

Apoc. 21. 22.

Si qua ſit igitur Picturarum permiſſio, in Eccleſia, ad *cultum* adhiberi non debent ſed ad *ornatum*. Cui rei haud commodè inſervient ſine ſumptu competenti, nec ſumptus hic rurſus rectè collocabitur niſi ad aliquam tendat *Ædificationem*. Ac proinde non video quî futuræ ſint ullo modo tolerabiles niſi aptæ quædam *Inſcriptiones* adjunctæ fuerint: Ut in Pictura *Reſurrectionis* & *Aſcenſionis* Chriſti hujuſmodi aliqua Inſcriptio è S. *Paulo*, *Si ſurrexiſtis cum Chriſto, ſuperna quærite*. In Pictura *Paſſionis* Chriſti hujuſmodi, *Et ego ſi ſublatus fuero à terra, omnes traham ad meipſum. Qui ſunt Chriſti, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentiis. Majorem hâc Charitatem nemo habet ut quis animam ſuam ponat pro amicis. Hoc mandatum do vobis, Sicut dilexi vos, ut vos etiam diligatis aliis alios.*

Coloſ. 3. 1.
Johan. 12. 32.
Gal. 5. 24.
Johan. 15. 13.
Johan. 13. 34.

Atq; ſic ſingulæ Tabulæ, quas quidem multas eſſe non oportet, proprias ſuas debent habere *Inſcriptiones* ſine quibus non permittendæ ſunt in Eccleſia, ut quæ ad nihil utiles ſunt niſi ad otioſos hominum oculos diutiùs quàm par ſit detinendos paſcendóſque. Jam verò ſic inſcriptæ, ſimul ac aſpectantur, ſtatim ſpectatoris animum piæ alicui meditationi illigant, eúmq; cogunt de maximè utili ſenſu præcipuorum *Accidentium* quæ in Hiſtoria Chriſti occurrunt cogitare. Inter quæ nulla majorem habent efficaciam quàm illud *Paſſionis*. Cujus ad vivum delineata deſcriptio, unà cum canticis *Paſſioni* appropriatis modulíſq; ac Organo, cor hominis vulnerare poſſunt, plúſq; corrupti ſanguinis uno ictu emittere quàm repetita *Blæſiloquia* aridæ enervíſq; *diſſertationis* in horam unam & alteram productæ. Quæ quidem *Cultûs publici* adminicula & ornamenta omnes *laudabilis* ſplendoris ac venuſtatis numeros explebunt, omnémque, ſi præcisè hîc ſubſiſtamus, ſpeciem & ſuſpicionem amolientur ſive *Superſtitionis* ſeu *Idololatriæ*.

Quòd ſi quis adeò infirmus ſit ac ſcrupuloſus, ut tam irreprehenſibili *Picturarum* uſu in Eccleſia offendatur, & particulatim ſi Religio noſtra minùs commendabilis hoc pacto foret aut *Judæis* aut *Turcis*, quorum converſionem non ſolùm optare debemus, ſed ſerio fideliq; ſtudio quantum poſſumus promovere, vel ſaltem è via ipſis dimovere ſcandala omnia & offendicula; equidem potiùs quàm hujuſmodi diſpenſabilia Punctillula amplificationem Regni Chriſti impedirent in eſſentiali ſua Juriſdictione expreſſis verbi ſcripti præceptis comprehenſa, albi plenus penicillus ab ipſa charitatis

charitatis manu porrectus omnes has innocuè deſtinatas *Delineationes* ac *Inſcriptiones* ſtatim deleret, & quò earum damnum compenſaretur, unica illa è S. *Paulo* ſuccederet, *Quòd ſi cui contentioſum eſſe libet, nos ejuſmodi conſuetudinem non habemus neq; Eccleſiæ Dei.* 1 Cor. 11. 16.

18. Ut igitur concludam; Talis Chriſtianæ Religionis *veritas* eſt ac *ſimplicitas* ut ſi Eccleſiæ Autoritati viſum ſit additionales aliquas *Divini cultûs* circumſtantias commendare, fieri profectò oportet, non ad *inefficacem pompam* ſpeciémve, ſed ad *realem uſum* ac *ædificationem*, affectando ejuſmodi pulchritudinem ac venuſtatem cujuſmodi ipſa *Natura* in vivis animalibus affectat, quorum pulchritudo effectus eſt talis partium ſymmetriæ tenoríſq; ſpirituum quæ vigorem ac habilitatem ad omnes vitæ functiones contineant. Et certè plures in Eccleſia Ceremonias eſſe non oportet quàm quarum utilitas facilè perſpici poſſit vitáq; ac vis *ſanctitatis* penitùs actuare; ut mentes noſtræ non ſtent attonitæ, nec diſtrahantur, ſubſidántve deorſum, nec in ullas res externas in terris defigantur, ſed ab omnibus viſibilibus pompis ad amorem deferantur & admirationem beati *Servatoris* in cœlis, *vitæq;* illius *cœleſtis* ac *Divinæ* quam is in mundum venit ut cordibus ingeneraret omnium verè Credentium.

Et quod de *Ceremoniis additionalibus* diximus, pari jure dici poteſt de *deductitiis Opinionibus*, quæ commendari debent ſolummodò ab *uſu* ſuo ac efficacia ad vitam promovendam ac Pietatem in animabus hominum. *Earum* verò obtruſio æquè iniqua eſt ac *Ceremoniarum* ſi non iniquior. Propterea quòd *Ceremoniæ* utplurimum indifferentes ſunt, *Opiniones* nunquam, ſed determinatim *veræ* vel *falſæ*, aut ſaltem ſic tenendæ ab iis qui de eis dubitant, aut fortean contrà omninò ſentiunt. Quæ igitur tantò major profectò ingenuis animis eſt injuria. Ut & *uſurpatio* major, ſe aut in *Propheticum* aut *Legiſlativum* Chriſti officium ingerere, quàm tantùm affectare *Magiſtrum* ſe gerere *Ceremoniarum*. *Superſtitio* verò par, ſiquidem ſuperſtitio nihil aliud eſt quàm timor ac ſcrupuloſitas circa eas res quæ nullius pretii ſunt apud Deum. Quemadmodum proculdubio harum neutræ ullo modo ſunt, nec *opiniones* ſcilicet quæ ad vitam pietatémq; nihil attinent, nec *Ceremoniæ* quæ indifferentis ſunt naturæ, & de ſe vel exerceri poſſunt vel omitti. Ac proinde qui timidè ac meticuloſè hiſce in rebus affecti ſunt, indicium eſt eos *Legem Regiam* Chriſtianæ Libertatis nondum ſatìs intellexiſſe, illúdq; interim committere, quod maximum ſanè vitium eſt quod δεισιδαιμονία ſive *ſuperſtitione* includitur, *captioſum* utiq; *moroſúmq;* *Numen ſibi fingere.*

Unde manifeſtum eſt, *nimis anxiam uſurpationem, omiſſionémve ſcrupuloſam indifferentium Ceremoniarum*, ut & *nimiam ſolicitudinem circa inutiles & incertas Opiniones rejiciendas amplectandáſve* nullum eſſe commendabilem *Cultum* vel *Obſequium*, ſed quandam implicitam potiùs *contumeliam* in ſanctum illud Numen quod à nobis profitemur adorari.

FINIS.

MODESTA INQUISITIO

IN

Mysterium Iniquitatis.

PARS PRIOR

Diligentem juſtámq; complectens Delineationem

VERÆ IDEÆ

ANTICHRISTIANISMI

IN

Realibus genuiníſq; illius membris, talibus utiq; quæ Indiſpenſabilibus Inſtitutis Evangelii Chriſti ejúſq; Regni Incolumitati reverà adverſentur.

Per *Henricum Morum* Cantabrigienſem.

Sext. Empiric.

Παυλὸς τῦ ζηλυμένυ πρόληψιν καὶ ἔννοιαν δεῖ περιγεῖδς. Πᾶς γάρ τις καὶ ζηλῆσαι δώσαι ἔννοιαν μὴ ἔχων τῦ ζηλυμένυ πράγματος· ἢ ὅτε γὰρ ἐπιλυχὼν ἤσειαι ὅτι ἐπέτυχεν, ἢ ὅτε ἀσοχήσας ὅτι ἠσόχησεν.

LONDINI,

Typis *J. Macock*, Impenſis *Johan. Martyn* ſub Signo Campanæ, & *Gualteri Kettilby* ſub Signo Capitis Epiſcopi in Divi *Pauli* Cœmeterio.

M DC LXXIV.

MODESTA INQUISITIO IN MYSTERIUM INIQUITATIS.

LIB. I.

CAP. I.

1. Myſterium Iniquitatis *ſive* Antichriſtianiſmi, *ſecretum innuere ſtudium ſubruendi fines Chriſtianitatis per talem poteſtatem quæ ſe interim prætendat Chriſtianam.* 2. *Deſcriptionis* Antichriſti *à circumſtanti ibus characteribus omiſſioni ſq; partium eſſentialium Incommodum.* 3. *Duo generalia Principia quibus* Antichriſtianiſmus *conſiſtat.* 4. *Verum Artificium deſcribendi genuinam* Ideam Antichriſtianiſmi, *cum deſcriptionis diſtributione in duo maximè generalia Lineamenta.*



Niquitatem illius *Myſterii* qua de jam dicturi ſumus apertam profanitatem non eſſe planéve confeſſam Impietatem, vel ex ipſo Titulo evidens eſt, ex eo quòd dicitur eſſe *Myſterioſa*, cooperiens ſe umbrâ ſpeciéve *Æquitatis* vel *Pietatis*. Quod quidem genus *Myſterii* tametſi aliquâ ratione modóve operari poteſt ruinaſq; clanculùm moliri cuilibet Religioni ad realem Dei cultum & in propugnaculum adversùs Atheiſmum ac profanitatem inſtitutæ ; dubitari tamen non poteſt quin per hoc *Iniquitatis Myſterium* quod toties in Chriſtianorum ore verſatur, tale intelligatur Myſterium quod ad fruſtrandum propoſitum, ad enervandam vim ac efficaciam & ad fidem ſubdolè ſubvertendam ipſorum fundamentorum illius Religionis tendat quæ appellatur *Chriſtiana*. Quam ob cauſam hoc *Iniquitatis Myſterium*, *Antichriſtianiſmum* etiam nuncupant, præcipuúmq; illius Authorem ac ſuffultorem (ſive ſingularis Perſona ſit, ſive Hominum ſocietas) *Antichriſti* nomine inſigniunt ; ſive hinc eum intelligas qui *Chriſtum oppugnet*, ſive eum qui *Chriſti vices* ſibi ſumens, prætendénſq; ſe è re illius omnia acturum, reverà ejus Regno damna moliatur.

2. Harum vocum Phraſiúmve ſtrepitus per aliquot continua ſecula orbem Chriſtianum ſuo reboatu implevit. At enim non memini vel maximè fervidos hujus immanis Belluæ Inſecutores, immò nè eos quidem qui eam ſe inveniſſe putarent & cepiſſe, tam perfectam & eſſentialem naturæ ejus ab externis præciſæ circumſtantiis deſcriptionem reliquiſſe, ut legitimam quis habere poſſit plenámq; hujus *Myſterii Iniquitatis* notionem in qua reverà conſiſtat. Ac proinde Mundum proclivem fece-

runt ad imaginandum eas res eſſentiales eſſe huic *Myſterio* quæ non ſunt, eáſq; viciſſim ad illud non pertinere quæ eò maximè ſpectant. Perinde ac ſi in deſcriptione Urſi omnem adhiberent operam nè collare omitteretur annulúſve naribus infixus, & tamen aliquas integrales corporis partes interim prætermitterent.

Verùm hujuſmodi imperfectæ & indiſtinctæ Repræſentationes ad nihil aliud tendunt quàm ad accendendos hominum animos contra eas res quæ in ſeipſis innocuæ ſunt, & ad faciendum ut ad eas conniveant quæ reverà vitioſæ ſunt ac noxiæ. Ut exempli causâ; Si quis declararet in genere *Turcam* eſſe *Antichriſtum* vel *Papam*, minimè explicans quid illud ſit quo ii reverà tales conſtituantur, certè effectum aliud futurum non eſſet atq; hoc, ſine ulteriori utiq; examinatione nobiſmetipſis congratulari, quòd nos nec *Turcæ* ſimus nec *Papiſtæ* (quanquam nos ipſi interim fortean haud mediocrem in modum *Myſterii Iniquitatis* participes ſumus) offenſionéſq; concipere ex conſpectu *Tiaræ*, *Pedi*, Infulæve (aliarúmve rerum quæ parùm perinde aut minùs, ſi fieri poteſt, noxiæ ſunt quàm hæ) ex eo ſolo quòd inveniuntur apud *Turcas* vel *Papiſtas*. Et tamen vix credam vel maximè furioſos Reformatores tam parùm ingenii zelo immixtum habituros, ut Reformationem nunquam perfectum iri arbitrentur, donec marris ligonibúſq; ſeptem *Romæ* colles defoderint terrámq; versùs quatuor Cœli ventos rutris disjecerint; quanquam profectò illa videtur maximè obvia circumſtantialium notarum meretricis *Babyloniæ* (quæcunq; ea Meretrix fuerit) maximéq; expoſita, quæ in ſacris Scripturis occurrit.

3. Videmus igitur oppidò quàm neceſſarium eſſe, nè cum umbris nobis ſit digladiandum, talem inveſtigare ac proponere *Antichriſtianiſmi* delineationem, quæ innocuas circumſtantias prætermittat illúdq; ſolummodò ſumat quod verè & eſſentialiter eſt *Antichriſtianum*, nec rem ullam, partem *Myſterii Iniquitatis* conſtituat quæ nihil in ſe habet iniqui, ut nec jure poſſumus ullam confeſſam *Impietatem* niſi quatenus ſimulatæ alicujus *ſanctitatis* effectus ſit, hujus Myſterii partem conſtituere. In his duabus igitur rebus in genere conſiſtit *Myſterium Iniquitatis* ſeu *Antichriſtianiſmi*; Primò, in conſtituendo ejuſmodi leges vel autoritativè docendo iſtiuſmodi doctrinas, ac promovendo mandandóve tales uſus ac conſuetudines quæ naturaliter verum ſcopum ac propoſitum Evangelii Chriſti eludant ac fruſtrentur, & deinde in agendo hoc, tanto cum artificio, & ſub tam pulchro prætextu, ut mundo interim perſuadeant ſe opus Dei facere, regníq; filii ejus Jeſu Chriſti rem promovere.

Hæc, inquam, in genere eſt vera natura ac eſſentia *Antichriſtianiſmi*; atq; ubi hoc venenum à publica aliqua poteſtate imbibitur, ſive Perſona ſingularis ſit ſive corpus Politicum, ſeu utraq; ſimul conjuncta, hi, ſi primi fuerint Inchoatores, vel Continuatores hujus *Myſterii Iniquitatis* ad menſuram debitam, ſunt abſq; omni dubio ille *Antichriſtus* de quo tantus auditur ſtrepitus in orbe Chriſtiano. Et quantùm ad eos qui ad eam menſuram, hujus Myſterii non ſunt participes; quatenus tamen ſub Religionis prætextu Doctores ſunt, Fautores ac obtruſores iſtiuſmodi Praxium ac Principiorum quæ naturaliter finem adventûs Chriſti fruſtrentur, eatenus profectò & ipſi ſunt *Antichriſtiani*.

4. Quamobrem qui anquiſitè ſolicitéq; conſideraverit ipſéq; ſibi ſatisfecerit quiſnam ille ſit magnus ſcopus Evangelii Chriſti, invenerítq; inſuper (ubi certè haud facilè errare poterit,) quæ res ipſi adverſentur, modò eas plauſibili obtentu promovendi rem Chriſti deauraverit, eo ipſo ſanè veram deſcripſerit Imaginem ſeu *Ideam Antichriſti*, quâ certò dignoſci poſſit ubicunq; extiterit. Jam verò magnus ille ſcopus ac præcipua illa propoſita ad quæ Evangelium Chriſti collineat, hæc planè ſunt; *Extirpatio* nimirum *Idololatriæ è mundo*, ut & *liberatio populi Dei ab inutili onere Ceremoniarum Judaicarum*, (quem appellare poſſumus *privativum* Evangelii finem;) & *Exaltatio Divinæ vitæ*, *cujus Radix fides eſt in Deum*, *firmáq; vitæ futuræ expectatio*, *Ramuli verò Humilitas*, *Charitas*, *& Puritas*; atq; in hoc comprehenditur Finis *poſitivus* Adventûs Chriſti in hunc Mundum.

CAP.

CAP. II.

1. *Extirpatio Idololatriæ per* Meſſiam *prædicta à* Jeremia, Deos utiq; qui Cœlum & Terram non fecerunt ex terra & locis cœlo ſubjectis ſublatum iri. 2. *Explicatio illius vaticinii juriſq; Servatoris Aſſertio quo colatur in perpetuum tanquam æternus* Logos *qui fecit Cœlum atq; terram.* 3. *Loca è Pſalmis ad probandum* Meſſiam *extirpaturum Idololatriam.* 4. *Multa loca in novo Teſtamento contra Idololatriam cultúmq; Imaginum teſtificantia.* 5. Spiritualitatem *Chriſtianæ Religionis à Servatore indigitatam abunde demonſtrare Imaginum cultum omnémq; id genus Idololatriam eſſe illicitam.*

1. DEum ſibi extirpationem Idololatriæ, per Chriſtum miſſum in hunc Mundum, propoſuiſſe manifeſtum eſt tum ex illis vaticiniis *veteris* Inſtrumenti quæ omnem omninò Idololatriam extirpatum iri prædixerunt (per quem enim id efficiendum eſt niſi per *Meſſiam* in quo omnes nationes Terræ ſint benedicendæ?) tum etiam è multis locis in *Novo.*

Primi generis eſt illud *Jeremiæ* Cap. 10. ubi Propheta hoc vaticinium in ora indit *Judæorum* qui Captivi ducebantur in *Babylonem*; *Sic dicetis*, inquit ille, *Dii qui cœlum ac terram non fecerunt ex terra & locis cœlo ſubjectis tollentur*; verùm contextus antecedens tam vividus eſt ac magnificus & ad noſtrum propoſitum adeò appoſitus ut non debuiſſet prætermitti. Ordiamur igitur à verſu ſeptimo. *Quis non timebit te ô Rex Gentium? Tuum eſt enim decus. Inter cunctos ſapientes Gentium & in univerſis Regnis eorum nullus eſt conferendus tibi. Inſaniunt illi ac planè deſipiunt ligno vanitatem coarguente. Diductum argentum importatur de* Tharſis *& Aurum ex* Ophar, *fabri manuúmq; artificis opus, Hyacinthus & purpura indumentum eorum, opus artificum univerſa ſunt hæc. Dominus autem Deus verus eſt, ipſe Deus vivens & Rex æternus, ad cujus iram contremiſcit tellus nec ſuſtinent gentes indignationem ejus.* Et tunc ſequitur hæc Prophetica denunciatio contra omne illicitum objectum Divini cultûs; *Sic ergo dicetis eis, Dii qui terram ac cœlos non fecerunt, ex terra & locis cœlo ſubjectis tollentur.*

2. Omnia in hoc vaticinio admodùm ſunt perſpicua præter collationem illam *Regis Gentium* cum *ſapientibus Gentium*, inter quos tam infinita eſt diſparitas, ut collatio meritò videri poſſit, ſi pura Deitas hîc intelligatur cum quibuſcunq; ſapientibus comparari, immane quantum impropria. *Grotius* igitur ingeniosè innuit intelligendum eſſe de aliquibus Gentium ſapientibus qui tranſlati erant in numerum Deorum, ut *Taautes* exempli causâ: quod aliquantulùm unum è terminis comparationis ſuffulcit & corroborat, cùm hi ſapientes ſupponantur ad Divinos honores poſt mortem ſubvecti atq; inter immortales Deos recenſiti.

Sed enimvero fateor me de eo, quod 86. Pſalm. occurrit, *Nullus Deorum tibi par eſt Domine, nulla cum tuis facta ſunt comparanda*, ſæpenumero hæſitâſſe valdéq; laborâſſe, quòd utiq; Propheta Gentium Deos (qui non erant niſi Mortales *Deificati* vel ad ſummum *Angeli* particulares ſeu *Dæmones* ſenſu ſublimiori) cum ipſa pura, infinita & omnipotenti Deitate dignatus ſit comparare. Quod certè fecit ut ſæpe ſuſpicarer hujuſmodi loca intelligenda eſſe de *Meſſia*, cui caro noſtra aſſumenda erat, quíq; ſic verus ille διάθεσις erat conſtituendus, ac deinde poſt perpeſſiones ſuas Rex Gentium declarandus ac univerſi terrarum Orbis Numen, prout ſequitur in illo Pſalmo, *Omnes à te factæ Gentes te coram adoratum venturæ ſunt, Domine, tuúmq; veneraturæ Nomen.* Et notiſſimum eſt, eum *Logon* eſſe ſive *Verbum quod erat in principio, per quod omnia facta ſunt, & abſq; quo factum eſt nihil quod eſt factum.* Quemadmodum etiam teſtatur Author ad *Hebræos. Tu principiò Domine terram fundâſti, & opera manuum tuarum ſunt Cœli.* Quod dicitur de *Meſſia*, quandoquidem illius tempora ibi tam planè deſcribuntur, ut apparet verſ. 22. *In conveniendo populos in unum & Reges ut ſerviant Domino.* Unde etiam illud manifeſtum eſt, *Chriſtum ſemper eundem fore, nec annos ejus unquam defecturos*; háncq; Propheticam denunciationem, *Deos qui terram ac cœlos non fecerunt ex terra ac locis cœlo ſubjectis ſublatum iri*, ad eum pertingere non poſſe. Cultus vero alius cujuſlibet objecti quod non eſt pura Deitas, omnino exterminandus eſt juxta ſenſum hujus vaticinii.

Apoc. 15. 3, 4.

Pſalm. 102. 25.

V. 27.

3. Illud etiam *Pſalm.* 97. planè demonſtrat Idololatriam in adventu Chriſti peſſundatum

ſundatum iri, *Pudore afficiantur omnes qui ſerviunt ſculptilibus, qui de Deaſtris gloriantur, cum veneramini omnes Dii*, quod Author ad *Hebræos* expreſſim interpretatur de Chriſto, quo Divinitatem ejus probat, & cum eo omnem Religioſum cultum improbat, qui cuivis defertur præterquam ei qui reverà eſt Deus, quemadmodum ſuo notavi loco.

4. Quantùm ad loca in *Novo* Inſtrumento, plura ſunt nec tamen minùs expreſſa. *V.* 14, 15. Primus occurrit Act. 14. ubi cùm Sacerdos *Jovis* ſacrificare voluiſſet *Paulo* ac *Barnabæ* in *Lyſtra* propter inſignia Miracula quæ ab eis viderat edita, illi laceratis veſtibus inſilierunt in turbam, hujuſmodi verbis clamantes: *Viri, cur ità facitis? Nos quoq; ſumus homines eiſdem quibus vos affectionibus obnoxii: qui vobis denunciamus ut à vanis iſtis ad Deum vos immortalem convertatis, qui & cælum fecit & terram & mare & quæcunq; ſunt in eis.* Et quæ obſecro vana iſta erant à quibus eſſent convertendi niſi à deferendo divinum honorem meris Creaturis? Idem porrò Apoſtolus *Athenis* in concione medio *vico Martio* habita, præfervida quidem effundit *Act.* 17.29,30. præcepta adversùs Idololatriam. *Itaq; cùm Dei genus ſumus, non debemus exiſtimare auro aut argento aut lapidi arte & induſtriâ humanâ cælato Divinitatem eſſe ſimilem. Temporibus igitur iſtius ignorantiæ conniventiâ diſſimulatis, Deus nunc denunciat omnibus ubiq; hominibus ut reſipiſcant. Eò quòd ſtatuit diem quo juſtè judicaturus eſt orbem terrarum, &c.* Quam exhortationem proculdubio *Paulus* adhibuit, animi contentione quâ potuit maximâ, ſiquidem dictum eſt, verſ. 16. Ὅτι παῳξυνέτο τὸ πνεῦμα ἐν αὐτῷ, ſpiritum ejus, zeli quaſi paroxyſmo fuiſſe exacerbatum, dum *Athenarum* urbem videbat adeò Deaſtrorum cultui deditam.

Cap. 12. *v.* 2. Rurſus in prima Epiſtola ad *Corinthios*, Idololatriam ipſum characterem *Gentiliſmi* facit, à quo Chriſtus in Mundum venit ut homines revocaret. *Scitis vos Gentes fuiſſe & ad Idola illa muta iviſſe prout ducebamini.* Et alibi in eadem Epiſtola *Cap.* 10. *v.* 14, 20. copioſiùs ac vehementiùs eos hortatur, *Quapropter dilecti mei, fugite ab Idololatria. Quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant & non Deo. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ Dæmoniorum: Irritandúſve nobis Dominus eſt? Num ſumus eo potentiores?* Et tamen hoc ſolummodo erat de Idolothytis. Quid igitur eum facturum fuiſſe putabimus de Incurvationibus versùs Idola? Magnâ etiam uti- *Cap.* 6. *v.* 14, 16. tur acrimoniâ in hoc argumento ſecundâ Epiſtolâ ad hos *Corinthios. Quod enim conſortium Juſtitiæ cum injuſtitia, & quæ communio luci cum tenebris, & quæ conſenſio templo Dei cum ſimulachris?* Et in Epiſtola ad *Galatas*, Idololatriam apertè *Cap.* 5. *v.* 20. recenſet inter craſſiſſima carnis opera, homicidium, veneficium, & adulterium. Ac *Cap.* 21. *v.* 8. proinde *Apocalypſis* conſimiliter *Idololatris* unà cum *Homicidis* & *Veneficis*, locum comminatur igne ac ſulphure ardentem; eóſq; cum *obſcenis canibus* è ſancta Civitate *Cap.* 22. *v.* 15. excludit. Atq; ea propter S. *Johannes* proculdubio admodum ſeriò illam adhibet *1 Johan.* 5.20. dehortationem ab Idololatria in fine Epiſtolæ *Catholicæ: Scimus Dei filium veniſſe, & nos eâ mente donâſſe ut verum cognoſcamus: ſumúſq; in vero, in ejus filio Jeſu Chriſto. Is verus eſt Deus æternáq; vita. Filioli cavete vobis ab Idolis. Amen.* Ex his locis abunde manifeſtum eſſe exiſtimo pervulgationem Evangelii ad Idololatriam (fœdam illam Religionis depravationem) è mundo tollendam collineâſſe.

5. Qua de re etiam adhuc certiores eſſe poſſumus ex iis verbis ipſius Servatoris *Johan.* 4 *v.* 23, 24. ore prolatis. *Sed venit hora & nunc eſt cùm veri adoratores adorabunt Patrem ſpiritu ac veritate. Etenim Pater tales quærit qui ipſum adorent. Deus eſt ſpiritus, & qui adorant eum, oportet ut ſpiritu & veritate eum adorent.* Ubi *Grotius*, atq; equidem quantùm ego ſentio, rectè admodum, interpretatur τῷ πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ προσκυνεῖν, *ſublatis ut ritibus ità locorum diſcrimine.* Et certè ſi Chriſtianus cultus tam purus ſit ut à *Judaizantium* Ceremoniarum luxuria abhorreat, & ab affigendo Dei reſidentiam loco alicui conſecrato, ut Templo olim *Judæorum*, ab Imaginibus proculdubio & Idololatria infinitò magis abhorrebit, ut quæ infinitò magis illius puritati repugnant. Et ſi Deus coli non debet cum Imagine, multò minùs quicquid Deus non eſt ſive cum Imagine ſive citra Imaginem debet coli.

CAP.

CAP. III.

1. *Quid intelligatur per,* Gratiam & veritatem per Christum contigisse. 2. *Plura Scripturæ Testimonia ad evincendum, Christum venisse ut homines* Judaico *Ceremoniarum onere liberaret. Quid significetur per* χειρόγραφα τοῖς δόγμασιν & δογματίζεσθαι. 3. *Mortem Christi in Cruce legem Ceremonialem abrogâsse.* 4. *Plures rationes eòdem spectantes.*

1. JAM verò crassitiem & carnalitatem *Judaicarum* Ceremoniarum inutilémq; earum onerositatem adventu Christi aboleri oportere, (quod alterum est quod restabat probandum) è multis Scripturæ locis admodum liquidò apparet. *Siquidem Lex per* Mosem *tradita est, Gratia & veritas per* Jesum Christum *contigit*: hoc est, Lex, tum *Moralis* tum *Ceremonialis*, tradita est per *Mosem*. Sed & Lex illa *Moralis* talis tantùm erat quæ vitam ministrare non posset, quemadmodum loquitur Apostolus: verùm *gratiosa* Assistentia Spiritûs Dei in Evangelio promissi ea demum vitam ministrat viréq; ad ambulandum secundùm voluntatem Divinam. Et tum dein, quantùm ad legem *Ceremonialem*, & ipsa profectò & alia universa quæ *Judæis* contigerant, *Typi* tantummodo erant atq; *umbræ*; sed in Christo est *veritas*. Non erant sanè id quod præ se ferebant, ac propterea eo sensu falsa dici possunt; perinde ut is qui Imaginem seu Picturam Hominis vel Equi, Hominem Equúmve reverà esse dicit, falsum pronunciat. Ac proinde Servator verè loquitur ubi ait; *Hoc vobis etiam atq; etiam confirmo, non* Mosem *vobis panem dedisse de cœlo*; *sed meus Pater verum vobis de cœlo panem dat:* cùm tamen dictum sit de *Manna*, Psalm. 78. *Pluit illis Manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis.* Verùm quum umbra duntaxat esset atq; Typus veri cœlestis panis, qui est Christus, dicitur non esse panis de cœlo. Quemadmodum in Epistola ad *Hebræos* Lex dicitur *umbram habere futurorum bonorum.* Et *Paulus* ad *Colossenses*; *Nè quis igitur vos damnet ob cibum vel potum, aut respectu diei festi aut novilunii aut Sabbathorum, quæ sunt umbra rerum futurarum, at Corpus est Christi.* Tam manifestum est, quid intelligendum sit per, *Gratiam* ac *veritatem* contigisse per *Jesum Christum.* Is enim *illa veritas* est quæ significabatur per *umbras* legis, & per eum ea est *gratia* quæ non suppeditabatur per legem, *vivificans* utiq; *Dei Spiritus*, quod peculiare promissum est Evangelii. Quamobrem cùm ipsa veritas, *corpus Solis Justitiæ, cum sanitate in alis ejus ortum sit*, tempus est ut crassi *Typi* obscuræq; *umbræ* aufugiant.

Joban. 1. 17.

Galat. 3. 21.

Joban. 6. 32.

V. 25.

Cap. 10. 1.

Coloss 2. 16, 17.

2. Atq; hinc est quòd S. *Paulus* tam strenuè hortatur *Galatas* nè teneantur diutiùs in servitute intra harum umbrarum spissitudines. *Verùm quid dicit Scriptura? Ejice ancillam ejúsq; filium. Non enim hæres erit ancillæ filius cum liberæ filio. Ergo fratres non ancillæ nati sumus sed liberæ. Quamobrem in libertate in quam Christus nos asseruit, state; & nolite rursum jugo servitutis teneri*, hoc est, nec Circumcisionis nec alius cujusvis inutilis ac onerosæ Ceremoniæ.

Gal. 4. 30.

Et rursus super eodem argumento admodum ovanter sanè loquitur in suprà dicta Epistola ad *Colossenses*, eodem Capite, à versu 8. ad versum suprà citatum. In quo Paragrapho χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, *placitorum Chirographum*, videtur maximè naturaliter intelligendum de placitis Ceremonialibus, quòd hæc utiq; Cruci illius affixa erant & per mortem ejus abolita. Quantùm verò ad legem quæ *purè Moralis* est & æterna, cujúsq; observatio humanæ naturæ perfectio est, hanc quidem ad abolendam non venit sed ad asserendam perficiendámq; magis perspicuis glossematis. Quæ quidem Interpretatio & cum præsenti argumento (quæ sunt *Placita Ceremonialia*, de quibus agit Apostolus, *Traditiones humanæ & Rudimenta Mundi*) & cum significatione insuper vocabuli δογματίζεσθε vers. 20. aptissimè convenit. *Itaq; si unà cum Christo, quod ad mundi rudimenta attinet, mortui estis,* τί ὡς ζῶντες ἐν κόσμῳ δογματίζεσθε, *cur tanquam in mundo viventes placitis utimini?* decretis scilicet & Ceremonialibus præceptionibus hominum? Quemadmodum immediatè sequitur; *Nè tetigeris, neve gustaveris, neve attrectaveris*, quæ præcepta vocat, ac doctrinas hominum. Quæq; haud absimiles sunt earum quarum mentionem facit primâ Epistolâ ad *Timotheum, Prohibentium contrahere matrimonium, jubentium abstinere à cibis, &c.* quas uno quidem Textûs sensu videtur appellare *fallaces doctrinas dæmoniorum* tanquam ab iis suggestas, de quibus Christus hic dicitur triumphâsse sub nomine Imperiorum ac potestatem, virtute suæ crucis, atq; sic ipsis insultans supponitur etiam ipsorum

Coloss. 2.

Cap. 4. *vs.* 3.

ipsorum placita conculcare, illas dæmonum doctrinas quibus illi per invidiam ac contemptum humanum genus miserè illaqueaverant. Et certè oppidò quàm pauxillò tolerabiliores hisce vel ipsæ *Judaicæ* Ceremoniæ habitæ erunt, si postquam Deo abrogatæ essent per Christum de integro urgerentur à novis obstrusoribus.

Etenim ille zelus qui hominibus inspiratur ad superstitiosa placita præxésq; promovendas contra præceptum Christi honorémq; Evangelii, cum ratione certè censeri potest à Satana provenire solertissimo illo Ecclesiæ Christi Adversario.

Cap. 2. v. 14. 3. Huic ad *Colossenses* haud absimile est illud ad *Ephesios*. *Is est enim pax nostra qui ex ambobus unum fecit, & intergerini parietis septum abrupit & in carne suâ* (in cruce scilicet mactata ut antea) *Legem præceptorum in placitis ritibúsve positam abolevit*, quod respondet τῷ χειρογράφῳ τοῖς δόγμασι, *Chirographo placitorum* in loco suprà citato. Et ex ambobus hisce locis evidens est, sacrificium Christi in cruce universas legis *Mosaicæ* aboleviss Ceremonias, prout *Daniel* Propheta prædixerat, *Cap. 9.* *Æternámq; Justitiam* earum vices expleturam, Religionem utiq; quæ nos doctura esset Deum colere in *spiritu* ac *veritate*, quam & proinde æternam fore, utpote cui nulla perfectior unquam sit succesura.

Act. 15. 10. 4. Et juxta hunc Evangelii tenorem S. *Petrus* perinde ac S. *Paulus* admodum fervidè instat in illa quæstione concilio *Hierosolymitano* habita, utrùm Gentiles conversi circumcidendi essent, ubi orationem suam concludit ad hunc modum. *Nunc ergò quid Deum tentatis discipulorum cervicibus jugum imponendo quod neq; majores nostri neq; nos ferre potuimus?* nempe, ob ingentem illum numerum præceptorum *Ritualium*, quemadmodum *Grotius* notavit. Sanctúsq; *Paulus* tanto zelo urget ejectionem ancillæ cum filio suo, ut præcisè *Galatis* interminetur, *Galat. 5. 2.* *Ecce ego Paulus dico vobis, si circumcidamini Christum nihil vobis profuturum.* Adeò datâ operâ Apostoli Christi onerosum illud *Rituum* ac *Placitorum* legis *Mosaicæ* gravamen ab Ecclesia amoliebantur.

Atq; sic abunde profectò certi sumus de *Privativo Fine* Evangelii, nempe, fuisse, ut *extirparetur Idololatria è Gentibus, Lexq; Mosis in omnibus suis Ritualibus & Ceremonialibus Placitis aboleretur, tanquam onerosum ac inutile Christianitati Deiq; Ecclesiis Gravamentum.*

CAP. IV.

1. *Finis* positivus *Evangelii summatim propositus.* 2. *Multifariæ Rationes Honoris Christo debiti, & particulatim de* Titulo Paternitatis. 3. *Et Deum Patrem & Christum Autores esse nostræ* Regenerationis, *nec quicquam impedire, quòd prima Hypostasis* Pater *appelletur, quò minùs secunda illo Titulo, respectu suæ Ecclesiæ, gaudeat.* 4. *Reliquos Christi titulos ex se satìs èsse perspicuos.* 5. Divinam vitam *cum radice sua ac ramulis secundam esse partem* Positivi *scopi Evangelii.* 6. *Tale Mysterium quod sub prætextibus religiosis principales fines Evangelii universos, sive* Privativos *sive* Positivos, *reverà frustretur, quòd notorium illud sit* Iniquitatis Mysterium, *manifestum esse evidentiâ planè Mathematicâ.* 7. *Partium hujus Mysterii copiosiùs prosequendi methodus.* 8. *In* Falsitatem, Fraudem, *&* Noxam *cujusq; membri* Antichristianismi *inquirendum esse.* 9. *Serium Autoris votum, ut veritas Descriptionis recognoscatur absq; præjudicio, citráq; tergiversationem ab iis qui ea de re convicti sint, agnoscatur.*

1. Positivus scopus *Evangelii*, prout dixi, aliásq; probavi, *Divinæ vitæ est exaltatio*; quæ sit vel omnem debitum honorem præstando ac obedientiam *Christo*, in quo hæc vita tam eminenter residebat, vel incrementum ejus promovendo tum *extensivè* tum *intensivè* in membris ejus, ut ad debitam altitudinem assurgat ubi est, & initium capiat apud eos ubi nondum est; ut sic universi generis humani, si fieri posit, Massa fermentetur, non quidem fermento Hypocriseos sed sincerâ doctrinâ vivificóq; spiritu Evangelii *Christi.*

2. Ille *Honor submissimq; obsequium* quod personæ Christi debemus, considerandum est, præcipuè, juxta has quinq; rationes: Quatenus *Rex noster est*, quatenus *Prophcta*, quatenus *Sacerdos*, quatenus *Deus in æternum benedictus*, & quatenus *Cap. 9.* deniq; modo speciali παλὲρ τῦ μέλλονΘ αἰῶνΘ, quemadmodum *Esaias* eum describit,

Pater

Pater Ecclesiæ suæ; sicut scriptum est de *Logo* sive *Æterno Verbo*, *Quotquot* nimirum *eum acceperint, iis potestatem datum iri ut Dei filii fiant fidem habentibus ejus nomini*; *qui non ex sanguine, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sint.* Juxta quæ Servator apud *Nicodemum* Philosophatur, *Quod ex carne natum est caro est, & quod ex spiritu natum est spiritus est.* Est igitur Christi spiritus per quem in novam Creaturam regeneramur. *Siquis Spiritum Christi non habet, is non est Christi.* Johan. 1. 12. Johan. 3. 6.

3. Veruntamen Spiritus hic Christi, est etiam Spiritus Dei patris, ac proinde nova nostra Creatio sive Regeneratio ipsi etiam attribuitur. *Nam ipsius sumus opus conditi in* Christo Jesu *ad opera bona, quæ præparavit Deus ut in eis versaremur.* Et S. *Petrus* in prima Epistola, *Benedictus Deus pater Domini nostri Jesu Christi qui regenuit nos, &c.* Cæterùm postea in eodem Capite iterum æternum verbum tanquam hujus Actionis *Paternitatis* participem introducit, *Renati non ex semine mortali sed ex immortali, διὰ λόγου ζῶντος θεοῦ καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα, per sermonem viventem Dei & in æternum permanentem*; quanquam potest etiam reddi per sermonem Dei viventis & in æternum permanentis; Atq; sic potest referri vel ad Deum Patrem vel ad æternum Logon. Quemadmodum & illud *Johannis*, opinor, potest, *Quisquis natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius* (hoc est, spiritus veritatis qui à Patre est & Filio) *in eo manet, nec potest peccare, eò quòd ex Deo natus est.* Ephes. 2. 10. Cap. 1. v. 3. V. 23. 1 Epist. 3 9.

Quamobrem ut Christus *caput* vocatur *omnium imperiorum ac potestatum* quamvis & Deus Pater jure sic etiam nuncupetur; Christúsq; itidem *Caput Ecclesiæ* dicitur quanquam nemo est qui inficietur quin Deus id etiam sit, siquidem is qui Maritus Ecclesiæ est eo ipso illius est caput: ità sanè Christus pari jure *Pater Ecclesiæ suæ* nuncupari potest, quamvis ea primæ Hypostaseos sacrosanctæ Trinitatis ordinaria sit appellatio. Ac proinde cùm adeò realis sit Relatio Paternitatis Christum inter & Ecclesiam in tam notabili fundamento Regenerationis per spiritum in novam Creaturam posita, & laudabile putabam & utile fore eam notare, quintúmq; hunc reliquis titulum superaddere. Siquidem maximè nefaria sunt peccata quæ contra Christum etiam hac ratione committi possunt.

4. Quòd Christus *Rex noster* sit, *Sacerdos*, *Propheta* ac *Deus*, veritates sunt adeò universim agnitæ, ac supra modum perspicuæ, ut nihil sit necesse ullas aut rerum ipsarum aut concinnitatis appellationum probationes producere.

5. Alter generalis *positivi* scopi Evangelii ramulus, est *Disseminatio & propagatio, excitatio & enutritio Divinæ vitæ in membris Christi ad summam capacitatis ipsorum mensuram.* In qua *Divina vita* comprehenditur *Fides in Deum, firmáq; præmii Justitiæ expectatio in vita futura*; ut & tres illæ excellentes Gratiæ Evangelicæ, *Humilitas*, *Charitas* & *Puritas*. Quòd hæc omnes numeros magni scopi Evangelii explent, quemvis ex eis quæ scripsi in *Explanatione Mysterii Pietatis*, abunde persuasum iri confido.

6. Jam verò ex his, evidentiâ ac certitudine planè Mathematicâ sequitur, *Quòd tale Mysterium, quod efficax sit & realis contramolitio subdoláq; frustratio* privativi *perinde ac* positivi *scopi Evangelii Christi in suprà dictis capitulis, hoc est, Illud Mysterium quod cùm purgare debeat mundum ab Idolis, ipsam Ecclesiam multifariis Idololatriis polluit, cùm liberare Ecclesiam Judaicarum Ceremoniarum onere, eam superfluorum Rituum, aut Judaicorum aut Paganicorum Christianorúmve falsò dictorum multitudine implet: Illud Mysterium quod Christum Regem facit sine potestate & legibus, Prophetam sine prædictione vel instructione, quod Rivales ipsi in cœlo terráq; subornat qui summum ipsi Sacerdotium ac Divinitatem auferant, quod eludit vel prævertit inchoationem augmentúmve* Novi partûs *malignis artificiis & consuetudinibus: Illud Mysterium quod naturaliter tendit ad superinducendum terrarum orbi* Atheismum & Infidelitatem *imperiosè obtrudendo Hominum Fidei professionem istiusmodi rerum quæ non solùm creditu inutiles sint, sed & factu impossibiles: Illud deniq; Mysterium quod Mater est superbiæ, obscœnitatis Nutrix, immanissimæ Justitiæ Schola, & truculentissimæ officina Crudelitatis: Hoc Mysterium, inquam, quod tam horridum & Diabolicum est támq; ex diametro tum Personæ tum Spiritui Christi Gratiisq; Christianis universis oppositum, (pone modò adinveniri colorem pro crassis his malesiciis ac sceleribus, tanquam si ad honorem Christi bonúmq; ejus Ecclesiæ tenderent) necessariò est famosum illud* Iniquitatis Mysterium *ipsúmq;* Antichristianismi *corpus cum distinctis suis membris ac articulationibus.*

7. Cujus imaginem postquam conspectui vestro in contracta hac delineatiuncula exhibui, ipsi pleniùs laxiúsq; vobis ante oculos proponendæ nunc operam dabo;

proſequendo utiq; partes quas enumeravi, modo magìs diſtincto, taliq; methodo quæ ratione aliquâ univerſam naturam *Myſterii Iniquitatis*, quatenus generali ratione *Myſterio Pietatis* opponitur, ſubinde attingat; hoc eſt, ut univerſaliora illa membra *Myſterii Pietatis* erant, *venerabilis Obſcuritas*, *communicabilis Intelligibilitas*, *Veritas demonſtrabilis*, & *exoptabilis Utilitas*; ità notabo dum ſingula percurro in ſuprà dictis capitulis *Myſterii Iniquitatis* tres has generales depravationes ſive vitioſitates; nempe per oppoſitionem ad *Veritatem* in *Myſterio Pietatis*, craſſam ac palpabilem *Falſitatem*; pro *Utilitate*, intolerandam *Noxietatem*; pro venerabili *Obſcuritate* cum *Intelligibilitate* conjuncta, inſalubres horridáſq; *Nebulas pluſquam Ægyptiacæ caliginis*, ubi nihil habitat præter fallacem *Sophiſticam*, ſuíq;-ſolius-ſtudioſam *Fraudem*.

8. In ſumma igitur, *Falſitas*, *Fraus* & *Noxa* capitula erunt Inquiſitionis in membra ſingula hujus *Myſterii* Antichriſtianiſmi: Cujus Ideam poſtquam plenè expoſuerimus, talémq; eſſe demonſtraverimus, pergemus tum porrò ad inquirendum ubi reverà actúve inveniatur; & ad vindicandum virtute dictæ *Ideæ*, noſtram Eccleſiam quæ inſons eſt, ab iniquis ſuſpicionibus & infamationibus malignorum aut inconſideratorum hominum, qui res aut perversè repræſentant, aut perperàm intelligunt, atq; ſic injuſtas eis de rebus ſententias ferunt quæ ſaltem in ſe licitæ ſunt ſi non laudabiles.

9. Ille omnium cordium ſcrutator & illuminator oculorum, ab omni partium ſtudio ac Hypocriſi ità corda noſtra emundet, itáq; illuſtret mentes noſtras, ut quod ſcriptum eſt cum veritate ac ſinceritate perlegatur abſq; præjudicio, cum facilitate intelligatur, atq; ab iis qui intimâ conſcientiâ convicti fuerint, ſine ullis evaſionibus aut tergiverſationibus pro vero agnoſcatur, ad Divini nominis Gloriam, Eccleſiæ pacem, ac promotionem Regni Jeſu Chriſti: Amen.

CAP. V.

1. *Exempla multarum ſpecioſarum partium* Idololatriæ *quæ in religionem Chriſtianam introduci poſſint.* 2. *Nimia reſtrictio & laxatio Notionis* Idololatriæ *taxatæ.* 3. *Veram illius notionem exhibendi utilitas.* 4, 5. *Idololatriam non reſtringendam eſſe ad* Idolorum *cultum propriè dictorum.* 6. *Rem quamlibet quæ Deus non eſt, religiosè cultam, eo ipſo fieri* Idolum: *quódq; Septuaginta* אלילים reddunt εἴδωλα & χειροποίητα æquè ac θεοὶ, δαιμόνια & μεγιστᾶνες. 7. *Quódq; ſimiliter* אלוהים *aliquando reddunt* εἴδωλα, *quemadmodum &* Baalim, *&* עצבים; *quod generaliorem illum ſenſum vocis* Idolum *porrò confirmat.* 8. *Idolum &* לא־אל *i. e.* Non-Deum *unum idémq; eſſe exiſtimatione Divinâ.*

1. EXordiamur à delineatione primi membri horridi hujus Myſterii primo ſcopi Evangelii Chriſti ramulo oppoſiti, quæ *mundi liberatio erat ab impuro cultu Idololatrico.* Dico igitur ſi loco multifariorum illorum *cultuum Idololatricorum* in Paganiſmo, introducerentur (ſub prætextu majoris honoris erga Deum Chriſtúmq; commodioríſq; inſtructionis populi) religioſus Crucis cultus ut & Imaginis Dei Patris, Filii, & Spiritûs ſancti, devota beatæ virginis Invocatio aliorúmve quorumlibet Sanctorum vel Angelorum, Picturarum imaginúmve ipſorum cultus, Diviníq; honoris (prout olim factum eſt erga Imperatores Romanos) mero homini delatio, ob eam utiq; rationem quòd generalis Chriſti ſit Vicarius, Capútq; *Oecumenicum* Eccleſiæ illius in terris, & Adoratio deniq; conſecrati Panis in Euchariſtia, ex opinione quòd *tranſubſtantiatus* ſit in ipſum Corpus Chriſti; ſi hæc, inquam, introducerentur in Eccleſiam tanquam veræ Doctrinæ laudabiléſq; conſuetudines, equidem non poſſent quin unum, idq; principale, *Antichriſtianiſmi* membrum conſtituant.

Doctrina enim vera non eſt, nec praxis licita ſed craſſa & palpabilis *Idololatria* (unum ex maximè horrendis peccatis quæ notantur in Scriptura) quemadmodum facilè intelligetis poſtquam diligentiâ curáq; quâ poſſumus maximâ veram notionem determinatámq; illius naturam inveſtigaverimus.

2. Voce hâc, *Idololatria*, quanquam nihil frequentius in ſermone ſcriptíſq; hominum occurrit, eſt tamen nihil perinde incertæ ac fugitivæ ſignificationis. Quidam enim ad excuſandos palliandóſve Ritus praxéſq; ſuas in Chriſtiana Religione prorſus

prorſus illicitas, ſenſum vocabuli tam anguſtis limitibus clauſerunt, ut ſecundùm ſubtiles ipſorum diſtinctiones & reſtrictiones vel fœdiſſimus Paganiſmus *Idololatriæ* vix inventus erit reus. Alii, ſive id factum ſit ex formidine & abhorrentia à tam deteſtabili crimine, ſive ex nimis factioſa diſplicentia ac deteſtatione adverſæ partis, ità extenderunt ſignificationem vocabuli ultra naturalem ipſius domeſticúmq; ſenſum, ut non ſolùm innocuæ ſed & laudabiles *Divini cultûs* circumſtantiæ, Eccleſiæ autoritate inſtitutæ, nequeant ſanè quin ab ipſis inviſi hujus ac probroſi nominis ſtigmate notentur. Quorum quidem zelus ac paſſionibus opportuna Imperitia in amovendo grandem hunc errorem ex Eccleſia, conſimilem profectò ſortiti ſunt ſucceſſum, ſiquidem, non tam curârunt morbum quàm mutaverunt, unúmq; magnum malum pluribus aliis inferioris ordinis cambiverunt: cujuſmodi ſunt *Scandalum, temeraria injuſtáq; Cenſura, ac Superſtitio.* Quæ admodum pravæ ſunt miniméq; optabiles Intemperies in Eccleſia Chriſti, & non neceſſàriorum ſchiſmatum Autores neceſſariæ ac Fautrices. Et ſi dixiſſem tantùm, *Idololatriam* eos *ſuperſtitione* commutâſſe, ſatìs id fuiſſet, quippe quòd reliqua omnia in ſe includit. Superſtitio enim cùm propriè *formido ſit nè Deum offendamus in eis rebus quæ eum nec propitiant nec offendunt, ex opinione orta bonitatis vel malignitatis earum rerum quæ in ſe ſunt indifferentes*; illi qui vel per ignorantiam vel ex deteriori aliquo principio ſuperſtitioſam ab hujuſmodi innoxiis licitíſq; actionibus averſationem mentibus hominum ingenerant, neceſſariò eos *ſcandalo* reddunt obnoxios & ad temerarias propellunt *injuſtáſq; cenſuras.*

3. Quamobrem ad excuſandos perinde innocentes, atq; ad fontes detegendos, accuratè definiendis inſignis hujus peccati Idololatriæ limitibus operam dabo, ut indè dignoſcere poſſimus quando committatur & quando non, quando ritè appellari poſſit inviſo illo nomine, & quando contra juſtitiam & charitatem admiſſum eſſet hunc vel illum religioſi cultûs actum tam fœdo titulo inſignire.

4. Quòd nomen criménve *Idololatriæ* non reſtringendum ſit ad *Idoli* cultum, manifeſtum eſt ex vulgari ſermonis conſenſu, quando de Idololatricis Nationibus diſſerimus, quæ *Solem* colunt *Lunámq;* ac *Stellas*, minimè advertentes an cum Imaginibus eos colant necne. Etenim hi ἐμφανεῖς καὶ αἰσθηταὶ θεοὶ, hi *conſpicui ac ſenſibiles Dii*, quemadmodum à *Græcis* appellantur, facilè intelligi poſſunt rudem populum ad adorationem ſui antè pellexiſſe quàm aut artem aut otium haberent ædificandi templa ſtatuáſve ipſis erigendi. Unde & illa cautio à Deo populo ſuo in *Deuteronomio* præcipitur. *Cavendum autem vobis eſt diligenter, ſi veſtram ſalutem amatis, nè, quum nullius rei ſpeciem videritis quo die vos* Jehova *Deus veſter in* Horebo *alloquutus eſt de medio igne, in tantam perverſitatem veniatis ut ullius omninò figuratæ rei ſimulachrum faciatis*, &c. *Neve, cùm ſublatis in Cœlum oculis videbitis ſolem, lunam, ſtellas, omnes deniq; Cœli copias, impellamini ad ea adoranda atq; colenda.* Tam fortiter hæc humanos animos ad religioſum cultum ſibi præſtandum pellexerunt. Hæc prima fuerunt objecta quæ θεῶν nomina obtinuerunt, ut quæ in perpetuo erant motu, quemadmodum *Philo* notavit. Quæ appellatio poſtea in reliqua omnia hujuſmodi Numina derivabatur, ipſéq; *Maimonides* prima *Idololatriæ* fundamenta poſuit in his.

Origen. contra Celſ. L. 5.

Cap. 4. v. 15. & 19.

5. Cæterùm Nationes etiam *civilitate* ſatìs excultæ, ut *Perſæ* nimirum, dexteros ſe præſtabant *Idololatras* abſq; ſimulachris ſculptilibus ſeu Idolis. Sacrificabant enim in ſummitatibus Montium *Cœlo* viſibili, ſub nomine *Jovis*, ut & *Soli*, *Lunæ* ac *Terræ*, *Igni* item, *Aquæ*, & *Ventis*; quæ omnia Objecta ſunt ſenſibilia ſed ab ipſis culta abſq; omni ſenſibili figura ſeu repræſentatione. Nec tamen puto quenquam ſive *Literatum* ſeu *Idiotam* dubitaturum, quin hæc gens meritò appellanda ſit *Idololatrica*: ut & antiqui *Romani*, qui multitudinem Deorum ſuorum abſq; omni *Idolo* vel *Imagine*, per ducentos ferè annos continuos colebant, prout *Varro* & *Plutarchus* affirmant.

Herodot. lib. 1. cap. 131.

6. Quamobrem *Idololatria* non illìc ſolummodò eſt ubi *Idolum* colitur, verùm ubi quicquam adoratur quod *non* eſt *Deus*, ſive viſibile ſit ſive inviſibile. Quo ſenſu *Gregorius Nazianzenus* Idololatriam definit, Μετάθεσιν τῆς προσχωνήσεως ἀπὸ τῆ ποιητικῆ θεῷ ἐπὶ τὰ κτίσματα. Et *Tertullianus* pronunciat, *Quicquid exaltatur ultra humani honoris modum, id eſt, cultu plùs quàm civili colitur, eo ipſo* Idolum *fieri.* Quando non ſunt verè אלהים, colendo, אלילים evadunt, hoc eſt, אל־אלים Non-Dii (quemadmodum quidam rationem nominis explicant) ſed εἴδωλα, prout ſæpe vox redditur per *Septuaginta*, & interdum χειροποίητα. Et quod occurrit in primo *Paralipomenon*, Πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν εἴδωλα, planè demonſtrat εἴδωλα, etiam ad eas res, quæ non ſunt Imagines ſculptiles, referri. Gentes enim *Solem* colebant atq; *Lunam*, Ani-

In orat. panegyr. in natal. Chriſti.

* *De Idololat. cap. 15.*

Cap. 16. 26.

máſq; hominum defunctorum, quæ Imagines non ſunt arte factæ, ſed res naturales. Ac proinde aliquando reddunt אלילים θεοὶ, δαιμόνια, vel μαγισᾶνες· Quorum poſteriores manifeſtò ad ipſos inviſibiles Dæmonas referuntur, qui cùm non ſint niſi אלילים, juxta ſententiam Scripturæ, cultus etiam eorum non poteſt non eſſe *Idololatria*, & citra omnem hæſitationem ità eſſe agnoſcetur à quolibet, cujus in animo aut rerum ſenſus aut verborum vis ulla fida reliquerit veſtigia.

7. Hoc etiam facere potuit ut *Septuaginta* paulò omiſſiores eſſent in vertendo אלוהים conſtanter θεοὶ quando de diis gentium uſurpatur, ſed interdum εἴδωλα, cùm & illa ipſa *Numina* quibus Idola conſecrabantur hoc ſenſu non eſſent niſi *Idola*. Cúmq; per *Baalim* intelligerent falſa illa *Numina* ab *Imaginibus* ſuis diſtincta (quemadmodum liquet è ſecundo *Paralipomenon* ubi reddunt מסכות עשה לבעלים γλυπτὰ ἐποίησε τοῖς Βααλείμ, Ahaz *ſtatuas fecit vel Imagines ipſis Baalim*) tamen ob eandem rationem ſæpenumero reddebant εἴδωλα· Siquidem ipſi *Baalim*, ſive *Sol* ſint ſive defunctorum hominum *Animæ*, non niſi *Idola* ſunt, hoc quidem ſenſu juxta quem nos loquimur.

Cap. 28. 2.

Quam deniq; ob cauſam eos cenſeo עצבים ampliùs duodecies εἴδωλα vertiſſe, & θεοὶ tantùm ſemel, cùm tamen eruditus Eccleſiæ noſtræ Doctor in ea ſit opinione quòd vocabulum juxta ſenſum ſuum Originalem, (quippe quòd cauſam ſignificet anxietatis, doloris, terrificæve alicujus paſſionis) δαίμονας ipſos præcipuè denotat, quorum immanes humani Generis tractationes horribileſq; apparitiones, perterrefactis hominibus illam Puſillanimitatis ſpeciem introduxerunt quam *Græci* propriè appellant δεισιδαιμονίαν, *ſuperſtitioſum timorem* & *inquietantem formidinem Dæmonum*. Quæ, tantum abeſt, ut cenſeatur ab ipſis Imaginibus proficiſci, ut *Grotius* querelam eſſe notaverit *Varronis* adversùs eos qui puriorem Cultûs modum à *Numa* inſtitutum Imagines introducendo corruperant; *eos utiq; civitatibus ſuis & metum demſiſſe & errorem addidiſſe*. Sed enim, cùm res quælibet quæ non eſt Deus, religiosè colendo *Idolum* evadat, *Septuaginta* meritò excuſari poſſunt, quòd adeò proclives fuerint ad eas voces interpretandas per vocem εἴδωλα, quas magis propriè expreſſéq; in his vel illis circumſtantiis interpretari potuiſſent δαιμόνια· Ut & hæc in ipſis proclivitas ad ſic faciendum, argumentum rurſus eſt, quemadmodum jam dixi, concinnitatis & ſoliditatis tum *Notionis* tum *loquendi* modi apud eos qui cujuſvis rei cultum, quæ Deus non eſt, Idololatriam appellitant.

Grot. in Decalog.

8. Cui & ipſe Deus teſtimonium perhibet quòd ejuſmodi ſit, declarando ſe eodem modo affici quando id quod non eſt Deus colitur, atq; quando quis veneratur Imaginem; quod dum interdicit, hanc addit rationem, *Ego enim Jehovah Deus tuus, Deus zelotypus ſum*, Exod. 20. Textus *Hebraicus* habet אל קנא. Et *Deuteronomio*, cap. 32. dicit, הם קנאוני, *ipſi zelare fecerunt me*, בלא־אל in *Non-Deo*. Quo quidem moneri videmur in quo maximè immediatè *Idololatriæ* natura conſiſtat, nec Imaginis cultum *Idololatriam* eſſe quatenus Imago eſt, ſed quatenus ea Imago non eſt Deus: cùm nulla Imago Deus ſit præter veram vivámq; Imaginem Patris, Jeſum Chriſtum. Illa igitur vera eſt ac generalis Notio Idololatriæ; *Id utiq; colere quod non eſt Deus*, quo Deum deſerimus ac religiosè nos evanidæ cuilibet Repræſentationi longéve projectæ illius umbræ proſtituimus; ejuſmodi ſanè rebus quæ non ſunt niſi εἰδώλων εἴδωλα *umbrarum umbræ* per infinitas degenerationum & deficientiarum (ſi ità fas ſit loqui) ab ipſo myriadas extenuatæ: atq; ſic zelum ejus provocamus multiplicatis hiſce *Baalim*, cùm ille ſolus *Dominus* noſter ſit ac *maritus*. Verùm hæc veritas adeò perſpicua eſt omnibúſq; nota, ut vix operæ pretium fuerit tantum temporis impendiſſe quò ullum ei è verbalibus alluſionibus nitorem conciliarem.

CAP.

CAP. VI.

1. Israëlitas Jehovam *coluisse in* Vitulo aureo *ex* Exodo *demonstratum.* 2. Elohim *quantumvis cum verbo pluralis numeri conjunctum, de* vero Deo *intelligi, cum ulteriori Testimonio è Psalmo* 106. *quòd Deus colebatur in illo vitulo; quidq; ibi significet.* כבוד 3. *Vitulum aureum* Apis Ægyptii *Figuram non fuisse sed* Cherubum. 4. Aaronis *causa in conflatione Vituli aurei aperitur; Ratióq; ridiculi erroris* Taciti *detegitur.* 5. *Vitulos aureos in* Dan *&* Bethel *duos fuisse* Cherubim, *ad cultum Dei* Israëlis *erectos, probatum è rationibus politicis* Jeroboami; 6. *Nec non zelo* Jehu *&* Eliæ *&* *institutione Coloniarum* Assyriorum *per* Israëliticum *sacerdotem.* 7. Ephodum Michæ *&* Teraphim *etiam vero Deo fuisse destinatos.* 8. *Et eum nihilominus &* Israëlitas *in eremo, ob usum horum suorum* Teraphim *ac* Cherubi *in culto divino,* Idololatras *extitisse.* 9. Jeroboamum *itidem* Idololatram *fuisse ob erectos Vitulos in* Dan *&* Bethel, *probatum è Scriptura.* 10. *Plura Testimonia eòdem spectantia, & de* Idololatria *in* Serpente æneo *patrata.*

1. ISta profectò disquisitio videtur hîc opportunior, *Utrùm* scilicet, *quemadmodum Idololatria est sine cultu Imaginum, ità cultus Imaginum esse possit sine Idololatria, cùm Imagines colantur cum relatione ad verum Deum.*

Quòd *verum Deum colere per Imaginem Idololatria sit,* equidem manifestum esse existimo ex illo *Israëlitarum* cultu, qui eum per aureum Vitulum colebant quem *Aaron* conflaverat. Nam primò, quòd Deum colebant per hunc vitulum evidens est, ex eo quòd scriptum est Exod. 32. 4. ubi proclamatur, *Hi sunt Dii tui ô Israel qui te eduxerunt de terra Ægypti*; Et vers. 8. Deus ibi enarrans *Mosi* quid factum sit, *Fecerunt sibi,* inquit, *vitulum conflatilem & adoraverunt, atq; immolantes ei hostias, dixerunt, Isti sunt Dii tui ô Israel qui te eduxerunt de Terra Ægypti.* At enim manifestum est hunc vitulum non eduxisse eos de terra *Ægypti,* sed eos ipsum eduxisse, materiam utiq; ex qua conflatus est. Atq; proinde eos illum duntaxat considerâsse tanquam visibilem Imaginem & Repræsentationem illius præsentiæ qui re ipsâ illos illinc eduxerat, *Jehovæ* nimirum *Dei veri.*

2. Neq; quicquam scrupuli supereſt, ex eo, quòd pronunciatur numero *plurali,* tanquam si unus ille verus Deus non possit hîc intelligi. Nam *Elohim* non solùm æquè aptè dicitur de uno aliquo Deo, atq; de una aliqua Imagine, sed re ipsâ, atq; id frequenter, de hoc uno dicitur Deo *Jehova.* Et *Nehemias* hunc locum recitans *Cap. 9. v. 18.* planè ostendit sensum intelligendum esse de *uno,* quandoquidem is non legit, *Isti Dii tui sunt,* sed *Iste est Deus tuus qui eduxit te de Ægypto.* Neq; quòd verbum sit in numero plurali, veritatem hanc modo quoquam enervat. Quandoquidem *Elohim* cum verbo pluralis numeri conjunctum, intelligitur nihilominus de hoc uno *Vide Gen. 20. v. 13 Cap 35. v. 7.* vero Deo, quemadmodum ex multis locis Scripturæ apparet. Et ut hæc res omnimodè confirmetur, *Aaron* postquam Vitulum conflaverat, *Altare ædificabat coram eo & Præconis voce clamabat, Cras solemnitas Domini,* hoc est, Jehovæ noti *Israëlitarum* Dei. Et *Psalmista* hanc ipsorum violationem legis exagitans, *Fecerunt,* inquit, *vitulum in* Horeb, *& adoraverunt sculptile, & mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Quæ gloria sive referatur ad Deum ipsum, sive ad conspicua symbola ipsius Residentiæ quæ posteriora secula magis expressim appellabant כבוד *Gloriam,* (atq; equidem puto longiùs repeti posse quàm ab istis temporibus, siquidem *Arca fœderis* ità nuncupatur primo *Samuelis,* & fortassean Psalmo 85. & secundùm *Munsterum* Psalm. 63. & 2. *Jeremiæ,* si antiqua lectio erat כבודי quemadmodum vult *Grotius,* & postremò, in hoc ipso Psalmo si veteres *Hebræi* legebant non כבודם, sed כבודו, non *Gloriam suam* seu *eorum,* sed *Gloriam ejus,* ut *Grotius* suggerit) sive, inquam, referatur ad Deum ipsum sive ad *symbolicam* ejus *Præsentiam* in *Arca fœderis,* manifestum est, quando adorabant Imaginem hanc sculptilem, cultum factum fuisse Deo.

1 Sam 4. 22. Psalm 85. 9. & 63. 2. Germ. 2. 11.

3. Quod quidem, ut certissimum est ex his Scripturæ locis, ità minùs mirum videbitur, si consideremus verisimillimum esse, vitulum aureum quem *Aaron* conflabat, non aliud fuisse quàm Figuram *Cherubi,* talem scilicet qualem ipse *Moses* postea faciebat & in Arca collocabat. Nam *Cherub* significat propriè μόσχον *vitulum* vel *Bovem* à כרב *arare,* qui & unum è quatuor Animalibus est quæ inveniuntur in

Curriculo

Curriculo Dei, in visionibus tum *Ezechielis* tum S. *Johannis*. Estq; id notatu dignum apud *Ezechielem*, quòd postquam quatuor illas distinctas Formas *Hominis*, *Leonis*, *Bovis* & *Aquilæ* in primo capite recensuisset, easdem deinde repetens in decimo, *Cherubi* nomen posuit loco *Bovis*. *Quatuor autem facies habebat unum: Facies una facies* Cherub, *& facies secunda facies Hominis, & in tertio facies Leonis, & in quarto facies Aquilæ.* Primam igitur respondere oportet faciei Bovis in primo Capite commemoratæ. Cæterùm in illo capite de omnibus observat universim quòd pedes eorum erant quasi pedes *vituli*; Quæ certè haud obscura est Insinuatio factum *Aaronis* non tam alienum fuisse, quàm primo aspectu videatur, quippe qui ejusmodi *Symbolum Divinæ Præsentiæ* erigebat, quod postea in *Arca* esset reponendum; Figuram utiq; *Cherubi* seu *vituli* aurei. Cæterùm imaginari tam sanctum hominem quàm erat *Aaron*, cultum ipsis *Apis Egyptii* proposuisse, atq; sic ipsis *Idoli Idolum* conflavisse ad celebrandam solennitatem *Jehovæ*, res est tam impia, tam enormis & inconcinna, ut omnem prorsus excedat fidem.

Ezech. 1. 10. *Ezech.* 10. 14. *V.* 7.

4. In summa igitur sic se res habet. Cùm Deus per *Mosem* populo *Visibilem* suam *Præsentiam* ad deducendos eos in Terram *Canaan* promisisset, quam *Symbolicam Præsentiam* in *Arca* oportebat fore & speciatim *Cherubinis*, super quos eum sedentem vidit *Aaron*, quando admittebatur ad Dei conspectum in Monte; Conscius igitur hujus Propositi factus repræsentandi ad hunc modum *Divinam præsentiam* per *Cherubinos* sive *vitulos aureos*, cùm *Moses* interim tamdiu in Monte commoratus esset ut tum ipse *Aaron* tum Populus eum mortuum existimarent, & ab *Aarone* populus flagitaret ut is promissum præstaret sensibilis *Divinæ præsentiæ*, faciendíq; ipsis *Deos* ad deducendum eos in *Canaan*, aut saltem ad eos reducendos rursus in *Ægyptum*, nè in sterili Eremo præ inedia perirent; ille certè in his rerum angustiis par esse putabat illud *Divinæ Præsentiæ Symbolum* erigere quod *Moses* intenderat, atq; ità *Cherubum* fecit in forma *vituli*: quod quidem is & per peritiam & ex animi sui integritate fecit. Vanitas verò erat improbitásq; populi quæ in *Idolum* eum vertebat ipsum adorando, adeóq; *Ægyptios* imitando in ipso cultu Dei *Israëlis*.

Exod. 24. 10.

Cui malo occurrere nitebatur *Aaron* quàm sapientissimè poterat, *hanc* eligendo formam potiùs, quàm illam *Aquilæ*, *Leonis*, *Hominisve*, utpote quæ minimè omnium eos allectura esset ad cultum sui religiosum: Quæ & ratio erat cur *Moses* hanc præ cæteris elegerit qui utrosq; *Cherubinos* hac formâ fecisse censetur. Puerilémq; illum *Taciti* aliorúmq; errorem de *Judæis* caput *Asini* colentibus valde profectò verisimile est fundatum fuisse in apparenti vilitate harum Figurarum pauxillò sanè tardis illis Animalculis meliorum. Eóq; magìs est improbabile, inquam ego, eos unquam destinatos fuisse ad religiosum cultum, ut proculdubio non erant, sed ut *Symbolicæ* Repræsentationes essent *currriculi Divini*, visibilísq; ejus *Apparentiæ* Prophetis. Quæ visiones nullus dubito quin *figuræ* essent sive *Symbola* aliquarum nobilium solidarúmq; veritatum quas hîc non est investigandi locus.

Ad hunc sensum *Moncæus* argumentatur in dissertatione super hac Materia; quod Scriptum si quis diligenter perpendat, judicare neutiquam potest quin cultus vitulo aureo præstitus, ad *Apin Ægyptiacum* aliúdve quodvis Numen extraneum non dirigeretur, sed ad ipsum *Jehovam* Deum *Israëlis*.

5. Estq; proculdubio par ratio de Vitulis aureis in *Dan* & *Bethel* quos *Jeroboamus* erexit, qui profectò lucem dabunt recipiéntq; vicissim ab hoc *Aaronis*, junctímq; probabunt utrosq; tales fuisse *Cherubinos* quales in *Arca Fœderis* erant, victimásq; ac solennitates à populo celebratas ad *Jehovam* fuisse directas. Quemadmodum constat è tertio Regum, cap. 12. ubi manifestum est Technam fuisse Politicam in *Jeroboamo* quòd istos *Cherubinos* seu *Vitulos aureos* in *Dan* & *Bethel* erigeret, ut sic decem Tribus retineret à deficiendo ad *Rehoboamum* Regem *Judæ*, nec sacrificatum irent ad domum Domini *Hierosolymis*, nè deficiendi à seipso indè eis daretur occasio. *Hinc excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis, Nolite ultrà ascendere in Jerusalem: Ecce Dii tui Israel qui te eduxerunt de terra Ægypto.* Quod falsum fuisset ac ridiculum affirmâsse de Deo quolibet extraneo; facinúsq; sanè ab omni ratione Politica alieniissimum, institutóq; suo maximè repugnans, ullum peregrinum Deum ipsis obtrusisse quem colerent. Neq; enim sperare poterat ipsorum animos quasi momento temporis à Deo *Israëlis* abalienatum iri, cui tamdiu etiam ab ineunte sua ætate servierant, seq; sic statis solennitatibus profectiones ipsorum *Hierosolyma* inhibiturum: hoc certè sperare non poterat. Huc verò illius consilia omninò collineabant, ut monerentur eidem Deo se posse servire Domi, sibíq; adeò molestarum itinerationum compendium facere; atq; in hunc finem se duos aureos erexisse *Cherubinos*, nota *Divinæ præsentiæ* symbola, unum in *Dan*, alterum

V. 26, 27, 28.

V. 28.

rum in *Bethel*, coram quibus convenire possent ac sacrificare, omnésq; suas Anniversarias solennitates æquè commodè, ac si *Hierosolyma* proficiscerentur, Deo *Israëlis* concelebrare.

6. Atq; hinc fit, quòd postquam inter cultum *Baal* & horum aureorum *vitulorum* quasi quædam competitio extiterit, posteriores hi cultores servi *Domini* appellarentur. Apertéq; *Jehu* profitetur zelum suum contra Sacerdotes *Baaliticos* in *Jehovæ* gratiam fuisse, quanquam is interim non cessabat *vitulos* aureos colere. Atq; ipse itidem *Elias* Tribus *Israëlis* animat suffulcítq; contra eos ex ipsis qui defecerant ad cultum *Baal*, agnoscens cultores esse veri Dei, tametsi modus ipsum colendi *Israëliticus* per aureos istos vitulos tunc erat. *Si Dominus est Deus, sequimini eum*; *si autem* Baal, *sequimini illum.* 4 *Reg.* 10. 23. 3 *Reg.* 18. 21.

Et cùm Coloniæ *Assyriæ* interficerentur à Leonibus in *Samaria*, id attribuebatur ignorantiæ cultûs Dei loci, quem satìs notum erat fuisse *Jehovam*. Erátq; Sacerdos *Israëliticus* qui missus est ad eos qui in *Bethel* habitabant, eósq; proculdubio docebat ritu *Israëlitico* eum colere in istis aureis *Cherubinis* quemadmodum fecerant à temporibus *Jeroboami* ad eum usq; diem. Ità ut minimè dubitandum sit quin *Jehovah* cultus sit in illis vitulis aureis. 4 *Reg.* 17. 26, 27.

7. Huic consimile exemplum haud difficile est inventu etiam in antiquioribus temporibus, ut illud de Ephodo *Michæ* ejúsq; *Teraphim*, filióq; consecrato ac matre religiosa quæ argenteorum summam Domino dedicaverat, quâ simulachrum à Fusore concinnandum esset; Quòd etiam percupidè adeò *Levitam* hospitio exciperet, filii loco, quem Domino consecraverat, quódq; adeò beatum se prædicaret quòd tam feliciter hunc *Levitam* nactus esset, *Nunc scio*, dicens, *quòd benefaciet mihi Deus habenti Levitici generis Sacerdotem*: Omnia hæc planè demonstrant, quòd hæc *Teraphim* consulebantur tanquam Oraculum Dei *Israëlis*, Oraculum utiq; *Jehovæ*. Ephodíq; mentio facilè nos inducere possit ad credendum hæc *Teraphim* fuisse, quemadmodum opinatur *Hieronymus*, in forma *Cherubinorum*. Atq; hic proinde cultus erat *Jehovæ* per nudam Imaginem, éstq; secunda perspicua instantia hoc genus illiciti cultûs. *Judic.* c. 17. *V.* 13.

8. Etenim hanc Religionem *Michæ* illicitam fuisse planè innuitur in Epiphonemate, mentionem Ædiculæ, Ephodi & *Teraphim* seu Idolorum proximè subsequente, *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed unusquisq; quod sibi rectum videbatur hoc faciebat.* Cæterùm ut quàm breviter agamus: Aut hæc *Teraphim* seu Imagines similes erant *Cherubinis* quos *Moses* fecerat, aut alia erant Idola profana. Si posterius, Idololatria ità conspicua est ut nihil opus sit ejus probationem ulteriùs prosequi; si prius, probabimus tamen & sic puram putam esse Idololatriam; & proinde priorem multò magìs esse. *Judic.* 17. 6.

Cultum aurei vituli in *Horeb* Idololatriam fuisse, quanquam dirigebatur ad *Jehovam*, manifestum est, tum ex summa illa ira & offensione quam concepit Deus adversùs Populum quòd coluissent & sacrificâssent simulachro fusili, *Dimitte me*, inquit Deus, *ut irascatur furor meus contra eos & deleam eos*; tum ex eo quòd *Moses* adeò passione ad conspectum rei abreptus esset ut præ æstu iræ suæ duas Tabulas Testimonii digito Dei inscriptas à se projecerit fregerítq; ad calcem montis. Quibus addere poteris severum supplicium, cædem delinquentium, quam mandabat *Moses*, formulámq; ejus confessionis peccatorum ipsorum coram Deo. *Obsecro peccavit populus iste peccatum maximum fecerúntq; sibi Deos aureos.* *Exod.* 32. 10. *V.* 19. *V.* 31.

Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos; qui colit, ille facit.

Atq; hoc ipsum peccatum erat hujus populi, nempe grande illud peccatum *Idololatriæ*, qui *colendo* vitulum aureum quem *Aaron fecerat*, quanquam per eum *Jehovam* colere intendebant, *Idolum* ex eo *fecerunt*: Quemadmodum S. *Stephanus* etiam super hac re definivit. *Et vitulum*, inquit, *fecerunt per illos dies, obtulerúntq; sacrificium Idolo*, ἀνήγαγον θυσίαν τῷ εἰδώλῳ. *Act.* 7. 41.

9. Sacráq; Scriptura eandem sententiam fert de aureis vitulis *Jeroboami*, cujus in diebus & porrò usq; dum *Ahab* seductus esset uxore suâ *Jezebel*, cultus nec *Baal* nec peregrini cujusvis Dei admittebatur in *Israel*. *Jeroboamus* tamen quanquam *Jehovam* in aureis istis vitulis colebat, Sacerdotes dicitur sibi constituisse *Excelsorum* & *Dæmoniorum*. Textus *Hebraicus* habet לשעירים *Faunis* vel *Satyris*, *hirsutis Dæmoniis* lucorum vel montium. Ad *monticolas sylvanos* allusum esse credo, ídq; in opprobrium Idololatrici cultûs vero Deo in locis excelsis præstiti: quanquam *Septuaginta* reddunt 3 *Reg.* 16. 31. 2 *Paralip.* 11. 15.

reddunt solummodò, τοῖς μαλάκοις· quod tamen ad eundem sensum tendit. Nam &
Cap. 13. v. 8. הבלים (*vanitates*) ἄδηλα in multis locis interpretantur. Rursus secundo libro *Paralipomenon*, ibi *Abijah* Rex *Judæ Israëlem* alloquens exprobrat ipsis fiduciam suam in populi multitudine & in *aureis vitulis* quos ipsis *Jeroboamus* fecerat in Deos, eis objiciens proculdubio Idololatriam suam, cùm אלהים hîc respondeat voci שעירים in suprà citato loco, *Dii Dæmonibus* seu Dæmoniis.

Cap. 14. v. 9. 10. Unicum jam ampliùs locum proferam è primo scilicet libro *Regum*, ubi *Ahias* Propheta à Deo instructus aculeatum hunc nuncium mittit *Jeroboamo*: *Operatus es*
Psalm. 106. 21. *mala super omnes qui fuerunt ante te, & fecisti tibi Deos alienos & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem rejecisti post tergum tuum:* Quæ eadem planè sententia est quam *Psalmista* profert, de vituli aurei cultu in *Horeb*, *Obliti sunt Deum qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto.* Et tamen *Jeroboami* & *Israëlitarum* sola culpa erat quòd Deum colerent in istis vitulis, etiam Deum eum qui eduxerat ipsos ex *Ægypto*, quemadmodum apparet ex ipso titulo Molitionum suarum, in utroq; loco. *Isti Dii tui sunt qui eduxerunt te de Terra Ægypti.* Cæterùm naturalis sensus verborum *Ahiæ* hic est; Quòd, cùm illi cultum præstarent alii alicui rei præterquam Deo, eo ipso Deum sibi constituebant distinctum ab eo, cujus cultus nullum *Rivalem* admittit neve participem. Cùm verò cultus aureorum vitulorum in *Dan* & *Bethel* adeò similis sit si non pejor quàm cultus vituli aurei in *Horeb*, sat profectò fuisset priorem probâsse perfectam Idololatriam, cùm necessariò indè sequitur & hanc esse similiter.

Possumus & quartum hisce addere exemplum, Incensi scilicet Adoletionem *ser-*
4 Reg. 18. 4. *penti æneo*; quod proculdubio factum non erat in honorem ulli Deo peregrino cùm monumentum esset miraculosarum curationum à *Jehova* Deo *Mosis* præstitarum. Verùm adeò jam certum est ut nihil esse possit certius, *Cultum* utiq; *Imaginis, quanquam in honorem veri Dei intenditur, esse nihilominus puram putam Idololatriam.*

CAP. VII.

1. *Cultus* illius *quod* Deus *non est per Imaginem, tertius modus Idololatriæ.* 2. *De Cultu Imaginis quatenus Imago.* 3. *Quî factum ut vulgus Paganorum ipsa Idola pro Diis haberent.* 4. *Quæ argumenta adhibita ad gignendam opinionem de residentia Dæmonum prope statuas suas.* 5. *Quæ Indicationes ipsorum præsentiæ in eis, quámq; formidabiles Imagines eorum indè factæ sint.* 6. *Commentum Dæmonis coalitionis & dedicatæ Imaginis in unam Personam.* 7. *Quódq; hujusmodi* Complicati *cultus, quartus modus esset Idololatriæ.*

1. ATq; sic duos quidem modos sive rationes Idololatriæ demonstravimus, nempe Cultum illius quod *non* est *Deus* sine Imagine, & cultum *veri Dei* cum Imagine.

Unde & tertii cujusdam modi sequitur evictio; nempe quòd cultus illius quod *Deus non* est *per Imaginem*, sit Idololatria, immò rectè dixeris duplex Idololatria.

Etenim si singulis separatim Divinum honorem præstare *Idololatria* sit, ambo hæc illicita Objecta simul adorare *duplicata* est *Idololatria*; Et si relatio externi *Objecti* cultûs ad verum Deum *Objectum* illud non reddat licitum, immo nè tunc quidem quando minimè prætendit formam esse sive Imaginem veri Dei (quod vitulus aureus proculdubiò non prætendebat, neq; homo quisquam ità unquam sentiebat) tunc certè Deus falsus *Imaginem*, cultûs liciti Objectum, reddere non potest, immò nec si ipsi similis esset.

2. Nec potest *Imago* ulla ex seipsa absq; omni respectu ad ullam rem aliam licitum esse cultûs *Objectum*. Nam ut verus Deus meritò à *Psalmista* appellatur, אלהי האלהים *Deorum Deus*, ita certè Idolum ritè appellari potest אליל האלילים *merissimum*, si ità fas sit loqui, *Nihilorum Nihil*, *vanissima omnium vanitatum* quæ ad religiosum cultum proponi possunt. Ex quibus quidem rationibus *alia species Idololatriæ* emergit, quæ est cultus *Imaginis* absolutè & absq; respectu ad rem aliam (quæ Idololatria esset sensu strictissimo juxta notationem nominis) modò ad praxin reduci posset. Videtur enim factu admodum difficile ut *Imaginem* colamus, scientes eam esse *Imaginem*, sui solius ratione, cùm ipsa natura *Imaginis* sit ad aliam rem referri.

3. Verum-

3. Veruntamen fieri fortaſſe poteſt, ut quis per imperitiam *Imaginem* colat ſine reſpectu ad rem aliam, inſolenti ornatu aſpectúq; ejus formidabili opinionem animis ſimpliciorum incutiente, quaſi mira aliqua ipſi ineſſet Divinitas. Quæ quidem ſecundùm quædam Scripturæ loca videtur fuiſſe conditio vulgi Ethnicorum, ut Pſam. 135. 15. & rurſus Pſalm. 115. 4. עצבי הגוים *Dolores* vel *Terricula Gentium* (hoc eſt Dii eorum) *non ſunt niſi ſimulachra ex argento auróve conflata, &c.* Per quæ quidem ſimulachra quamvìs propè factum ſit ut omnis Religio in contemptum abiret apud magìs callidos & naſutos, ſplendor tamen eorum ac magnificentia ut videtur, rudioris plebeculæ oculos ità perſtringebat ut ipſa Deos eſſe exiſtimaret, quemadmodum planè apparet ex iſtis locis Pſalmorum, copioſéq; admodum inculcatur in Epiſtola *Jeremiæ*. Quæ ſententia tum *Jeremiæ* tum *Pſalmiſtæ* ità tamen intelligenda eſt ut minimè nos inducat ad credendum gentes nulla alia habuiſſe cultûs ſui objecta præter ipſa *ſimulachra* vel *Idola* omni vitâ animáq; deſtituta. Etenim, quemadmodum ſuprà notavi, veriſimillimum eſt hos עצבים, *terrifica hæc* ſuperſtitioſi ſui cultûs Objecta primò fuiſſe ipſos Dæmonas, (ſive defunctorum Animæ ſeu alia Dæmonia fuerint) qui aliquando, quanquam haud ità frequenter, præſentiam ſuam miraculosè manifeſtârant in his Imaginibus ſive ſtatuis, quaſi ipſis ineſſent, actuarent, miróve aliquo modo aſſiſterent, cujus rei fama continuata Reverentiam ſuperſtitioſam etiam erga ipſa Idola à plebe extorquebat, tanquam ſi viva aliqua fuiſſent ac potentia Numina.

4. *Origenes* horum Dæmonum prope ſtatuas ſuas religationem commemorat; ſive id Magicis quibuſdam incantationibus factum ſit, ſeu potiùs tanquam tot *Gnathones* menſarúmve aſſeclæ circa Altaria hærerent ut nidoribus fruerentur ſacrificiorum, λίχνως μιλαλαμβάνοντες τῆς τῶν θυμάτων ἀποφορᾶς, *avidè abligurientes fumos pingues victimarum.*

Haud improbabile eſt quin doloſi Sacerdotes horum utrumlibet populo vellent afferre (ſed honeſtiori formâ induta) tanquam argumenta minimè contemnenda Præſentiæ ipſorum Dæmonum in conſecratis hiſce locis ac ſimulachris. Et certè unctuoſi vapores ex ſacrificiorum cremation aſcendentes Epulum ipſis congruentius videtur quàm craſſus ſanguis. Quem tamen *Maimonides* memorat *Zabios* exiſtimâſſe eorum eſſe cibatum, ac proinde eum comediſſe ut communionem ſic cum eis haberent.

5. Cæterùm, prout conſtat apud *Origenem*, Libro tertio contra *Celſum*, evidentiores adhuc erant demonſtrationes præſentiæ horum Dæmonum in Templis ſuis ac ſtatuis, in edendis utiq; Oraculis, Morbis curandis, & ſenſibiliter excruciandis ſuperſtitioſis ſi quid in quovis apice Religioſi ſui Cultûs peccâſſent. Hos ille appellat δαίμονας μανικὰς καὶ ἰαλεμικὰς, quos innuit ſeveros eſſe eis qui ritus ſuos violaverint monitores, πρὸς τὸ δεδίττεσθαι τὸν πολὺν καὶ ἀπαίδευτον, *ut terrorem rudi multitudini incutiant.* Verùm hi Terrores fraudéſne fuerint ſacerdotum, an è ſola Dæmonum malignitate orti, nolo hîc diſquirere. Ut ut erat, magnam proculdubio vel ipſarum *Imaginum* formidinem animis populi indidit, quaſi potentia aliqua eſſet ac Divinitas etiam in ipſis.

6. Verùm nondum eò perveni quò inſtitui; Ad commentum ſcilicet tam intimæ unionis *Dæmonis* atq; *ſtatuæ*, quàm ſi eſſent unum ſanctum *Animal* vel *Perſona.* Hujuſmodi enim proculdubio *Tyrii* putabant ſtatuam *Apollinis*, qui aureis eam devincientes catenis, ipſum *Apollinem* indè ſibi adeò devinctum opinabantur ut ab eis decedere non poſſet. Quemadmodum & *Athenienſes* etiam videntur præſumpſiſſe de *Imagine Victoriæ*, qui abſcindendo illius alas ſperabant ſe Deam cohibituros nè avolaret.

Quam opinionem prodigioſa quædam Effecta in hujuſmodi Imaginibus facilè fovere poterant, ut illud in Imagine Dei *Adrani*, qui cùm *Adranitæ* bello involvebantur, viſus eſt copiosè ſudare haſtámq; vibrare à ſumma cuſpide, utì refert *Plutarchus* in vita *Timoleontis*. Narrátq; *Valerius Maximus* ſtatuas *Junonis Monetæ*, & *Fortunæ* locutas eſſe; unam, ſignificantem quàm lubens *Romam* itura eſſet, alteram approbantem modum ſuæ conſecrationis, *Ritè me matronæ vidiſtis ritéq; dedicâſtis.*

Gentilium etiam *Teraphim* (quæ ſub certa quadam figura ſeu conſtellatione cœleſti concinnabantur) ad fundenda Oracula erigebantur, éſtq; veriſimillimum eas *Statuas* fuiſſe *animatas futurorum conſcias*, quarum mentionem facit *Triſmegiſtus* in *Æſclepio*, quo de genere vocalium ſtatuarum multæ occurrunt Hiſtoriæ, ſed longiùs jam evagatus ſum quàm putabam.

7. Quæſtio nunc emergens è conſideratione occaſionum quibus populus inductus ſit ad credendum dedicatas has *Statuas*, ſeu *Imagines* (à veri fama ſit an mera opi-

nio nihil refert) viva veráq; Numina, hæc eſt, *Vtrùm* ſcilicet *Idololatræ rectè cenſeri poſſint ob Divinum cultum ipſis præſtitum, non tanquam Imaginibus alicujus alterius rei, ſed, (juxta ipſorum opinionem) tanquam veris ac viventibus Diis.* Cui quidem quæſtioni, quantum ego video, parùm admodum ſubeſt difficultatis. Nam ſi cultus illius quod non eſt Deus, & tamen ſub notione ſalutiferi vivíq; Numinis colitur, non ſit Idololatria, nulli Idololatræ invenientur præter eos qui putant ſe omnium dexterrimè os ſibi ab hoc genus fornicatione emundâſſe, prætendendo ſe imaginem non colere propter ſeipſam, ſed ratione habitâ ad illud Numen cujus eſt Imago, verùm intereà loci religioſum cultum præſtant ei quod non eſt Deus ſed res bruta ſeu inanimata.

Nos verò ſuprà probavimus, Cultum *Solis Lunæve* aut alicujus *Dæmonis* abſq; *Imagine* eſſe *Idololatriam* (nec quenquam credo eſſe Chriſtianum qui ea de re unquam dubitaverit.) Quamobrem cultus *Imaginis* vel *Complicati* ex Imagine ac Dæmone ipſam actuante, pro numine, quod non verum illud eſt ſolúmq; Numen Omnipotens & Infinitum, ſed Res finita, talíſq; quales plures eſſe poſſunt præterea, procul omni dubio pura puta eſt Idololatria, quem & *Quartum* illius eſſe *modum* obſervare poſſumus.

CAP. VIII.

1. *Paganos unum ſupremum Numen tenuiſſe rerum omnium Conditorem.* 2. Procli *commentum de unitione ſupremi Numinis cum* ſtatua Magica, *ità ut* Complicatum *evadat* unus viſibilis *ac* ſupremus Deus. 3. *Vtrùm Cultus* Magici *hujus* Complicati *per eum qui viſibilem Deitatem autumat, eſſet* Idololatria. 4. *In quo peccatum Idololatriæ conſiſtat, quódq; cultus hujus* Magicæ Statuæ Quintus *ejus* modus *futurus eſſet.* 5. *Aliorum caſuum ad hos* quinq; Idololatriæ modos *reductio.* 6. *Quòd cultus alius cujuſlibet rei præter Deum Idololatria eſt; & de Imaginum cultûs rejectione per* Numam *déq; illius Religionis cognatione cum* Pythagoriſmo. 7. *Prima illius Philoſophiæ corruptio, quódq; objectum Divini cultûs æquè* unum *eſt ac* inviſibile.

1. CÆterùm unus adhuc ſupereſt caſus quem poſtquam propoſuerimus concludemus. Melioris notæ Paganos haut ità ignaros fuiſſe Deitatis, quin *unitatem* illius eſſentiæ, *omnipotentiam* etiam atq; *omniſcientiam* agnoverint, facile eſſet probatu, ſi quis ei rei vel primo aſpectu non eſſet aſſenſurus. *Falluntur in nomine ſed de una poteſtate conſentiunt qui* Jovem *principem volunt*, inquit *Minutius Felix.* Atq; parciùs equidem eum in eorum laudes locutum ſentio, eò quòd ipſos dixerit *errâſſe in nomine.* Nam *Jovis* tam propè ad *Jovah* accedit ut illud deducere à *juvo* potiùs quàm à יהוה non abſimile ſit accerſitui notationis vocis *Fur* à *furvus*, potiùs quàm à *Græca* φῶρ, ob quod *Gellius* reprehendit *Varronem.*

Noct. Attic. lib. 1. c. 18.

Piero. Hieroglyph. lib. 59.

Thebaidos Incolas Mundi coluiſſe Conditorem ipſa ſtatua per quam eum colebant pro ipſis teſtatur, quippe quæ *Hominis Imago erat cum Ovo ex ore ejus prodeunte*; tanquam ſi ſenſus ità accuratè *Moſaicus* eſſet vel *Chriſtianus*, ut Creationem mundi non ſolùm inſinuaret, ſed & per *Dei verbum* eum fuiſſe creatum. *Diónq; Chryſoſtomus* & *Maximus Tyrius*, ambo Pagani, apertè profitentur ſe in ſimulachris aureis, argenteis, eburneíſve ſupremum Deum coluiſſe rerum omnium conditorem ac conſervatorem. Verùm operoſiorem hujus rei probationem hîc non aggrediar, ſiquidem nuda ſuppoſitio in præſens ſufficiat.

Dion Chryſoſt. Orat. 12. περὶ τῆς πρώτης τοῦ θεοῦ ἐννοίας.

Max. Tyr. Diſſert. 38.

2. Supponamus igitur aliquem Ethnicum Philoſophum, qui verum Univerſi Deum cognoverit, ſed qui à prava Imagines colendi conſuetudine nondum ſit purgatus; aut ipſum perſuaſum eſſe, aut ſaltem ob Fines aliquos ſibi præcipuè cognitos aliis plenè perſuaſiſſe, talem quandam eſſe Artem Myſticam, qualem *Proclus* indigitare videtur in brevi ſuo Tractatu, De *Sacrificio* & *Magia:* ubi ex hac ratione quòd tam arcta ſit *Terreſtrium* cum *Cœleſtibus* & *Cœleſtium* cum *ſuper-Cœleſtibus* Eſſentiis concatenatio, & ejuſmodi particulares quorundam unius generis cum quibuſdam alterius reſpectus ſeu Harmonia, ſubinſinuare nobis velit ſecretam quandam eſſe Methodum fabricandi *Statuam Magicam* è ſelectis quibuſdam Materiis; quæ Divina quidem ſymbola ritè commixta adaptatáq; in *Simulachrum* per Myſticum aliquem Sacerdotem

Sacerdotem ſive *Magum* conſecratum, ***unum tale*** evaſurum ſint ***quale Divinum exiſtit ſecundùm Eſſentiam***, ac proinde fieri non poſſe quin per vim cognationis & ſimilitudinis ipſum ***Jovem Olympium*** deducturum ſit ex altiſſimo ſuo intimóve *ſupercæleſti* Throno effecturumq; ut ***Divinam hanc Statuam*** vitaliter actuet tali quidem modo ut *ſtatua* cum ipſa ***Divinitate*** unus evadat viſibilis ***Jupiter.***

3. Quæſtio igitur quæ hinc emergit hæc eſt, Utrùm, ſi ſimplex aliqua Animula, confidentiâ affectatitióq; præſtigioſi hujus *Magi* ſermone capta, & in plenam perſuaſionem inducta hanc ***Statuam***, viſibilem quidem, ſed & verum æternúmq; Deum cœli atq; terræ evaſiſſe, hoc ***Divinum*** propterea, ut cenſetur, ***Complicatum*** (quanquam reverà merum ſit Figmentum) pro vero Deo coleret, hæc colendi actio innoxia eſſet & irreprehenſibilis, an verò quintum Idololatriæ modum conſtituat. Etenim in defenſionem ejus afferri poteſt quod bonum eſt eum intendiſſe, cultúmq; direxiſſe in verum Deum. Quod in cauſa antecedenti non erat factum. Verùm quod ſuprà monui, ſi ignorantia ab ***Idololatria*** excuſabit, ſoli Philoſophi ſunt, qui reperientur hujus criminis capaces. Et in caſu quidem præcedenti; quanquam tam veram Dei notionem non habebant quàm quæ non niſi uni competat, putabant tamen ſe in debitam Religioſi cultûs objectum incidiſſe, ſi modò id ipſos excuſare poſſet. Atq; is quidem, qui hoc poſtremo caſu veram Dei notionem nactus eſt, ſcopum tamen in ipſa applicatione non attingit, ſed merum adorat ***Idolum.*** Ac ſanè quanquam cum relatione ſit ad verum Deum, reali putà ad eum mentis directione; ipſum tamen colere in ***Idolo*** Idololatria eſt, Idolum verò pro ipſo per errorem accipere, longè deterius.

4. Breviter, ipſum cujuſvis Idololatriæ peccatum adversùs Deum, præcipuè ſi non ſolùm conſiſtere videtur aut in ***Injuſtitia*** quadam contra eum, aut ***contumelia***, aut ***utriſque.*** Jam verò quemlibet appello an non major ſit adversùs verum Deum contumelia merum Idolum pro ipſo accipere, quàm applicare eum cultum, quem erga eum adhibemus, (quíq; ſemper ipſo infinito minor eſt) ad illud quod eſt merum ***Idolum***: vel an non minoris ſit ***Injuſtitiæ*** illam ***micam*** honoris auferre (neq; enim quicquam quod nos poſſumus majus eſt) quæ Deo debetur, eámq; ***Idolo*** tribuere, quàm ipſum Deum quaſi à ſeipſo auferre, eum cenſendo id eſſe quod tot infinitis gradibus ipſo inferius eſt. Quemadmodum majoris Injuſtitiæ eſſet, Principem è cunis ſuffurari illiúſq; loco deformem aliquem ***Subdititium*** relinquere, quàm amiculum ejus auferre, quo ***Subdititius*** hic deformis involvatur; multóq; minor contumelia eſſet Sceptrum ac Tiaram manui capitíq; ſimii ***Cyri*** adaptare, & tum poſtea ***Perſicam*** ipſi exhibere Reverentiam, quàm hunc ſimium ipſum ***Cyrum*** exiſtimare. Prius enim ſic accipi poteſt tanquam ſi ridiculus exceſſus eſſet honoris ſeu Homagii per imperitiam ipſi Regi, in tam regaliter ornando reverentérq; adorando ejus ſimium, deſtinati: Poſterius verò maxima craſſiſſimáq; contumelia quæ excogitari poteſt, nempe ut quis, ex eo quòd ritè præfiguratam excellentiſſimi Principis Ideam animo non habeat, tam Heroicam perſonam à vili ***Simio*** vel ***Cercopitheco*** diſtinguere non valeret. Et tamen Myſtica illa ſtatua ſuprà memorata in quam præſtigioſus *Magus* ſacerdóſve Paganicus ſe verum Univerſi Deum vitaliter incorporâſſe prætenderit, vel cujuſlibet ſententiâ, multò vilior eſt, quàm viliſſimum horum Animalium. Ità manifeſtum eſt, quintum hunc caſum, quintum etiam modum conſtituere ***Idololatriæ***; eúmq; oppidò quàm rancidum.

5. Atq; hæ quinq; inſtantiæ Idololatriæ nobis ſufficient, ad quas tanquam ad tot perſpicua illius nefarii Criminis exempla poſſimus recurrere, cùm vix ullus ſit caſus quin ad has aut directè aut analogicè reduci poſſit. Cultus enim religioſus ***Fluviorum***, ***Plantarum***, vel ***Animalium***, cujuſmodi ***Ægyptii*** multa coluerunt, quatenus ***Res naturales*** ſunt ad ***primum genus***, quatenus ***Repræſentamenta*** alicujus magis abſconditi Numinis, ad genus ſecundum eſt referendus. ***Picturæ*** etiam ad ſecundum; ***Columnæ*** verò ac Lapides conſecrati, ſi nullum ſibi ſimulachrum ſuperimpoſitum habeant & cultus tamen Divinus ipſis præſtetur, referendi ſunt ad ſtatuas: ut ille lapis qui veſtigium ſolummodò ***Herculis*** ſibi impreſſum habebat quod ***Thraces*** coluerunt; aliúſq; formâ quadratâ quem ***Maximus Tyrius*** cultum fuiſſe narrat ab ***Arabibus***: Quibus addere poteris ***Lapidem Manalem Romanorum***, ***Terminúmq;*** lapideum in ***Capitolio.*** *Pier. Hieroglyph. lib. 49.*

6. Et ſummatim, nè vos diutiùs ſuſpenſos teneam, poſt omnium *particularium* modorum contuitum communis notio ſeu Idea ***Idololatriæ*** in hoc proculdubio conſiſtit, nempe, in ***præſtando Religioſum ſeu Divinum cultum rei cuilibet quæ non eſt verus Deus.*** Cujuſmodi nulla res viſibilis eſt quam aut Natura aut Ars poteſt exhibere. Ac proinde dicitur in Deuteronomio, ***vocem quidem audiviſtis, ſed nullius*** *Cap. 4. v. 12.*

rei ſpeciem vidiſtis. Cui conſimile eſt illud dogma *Pythagoræ* quod *Plutarchus* notat in vita *Numæ.* Οὔτε γὰρ αἰσθητὸν ἢ παθητὸν, ἀόρατον δὲ καὶ ἀγένητον καὶ νοητὸν εἶναι τὸ πρῶτον. Quod ſanè effecit ut *Numa* omnes Imagines rejecerit in Divino cultu. Erexit verò Templum quod *Mundi* gereret ſimilitudinem, magni illius ac auguſti Templi Dei, τὸ ἄσβεστον πῦρ, *Ignem Veſtalem* in ejus medio collocans. Qua etiam in re *Pythagoriſſare* videbatur quanquam aliquot ſeculis ante *Pythagoram* floruerit. Quod indicium eſt fuiſſe in illa Philoſophia felicem conjunctionem profundiſſimæ quidem Naturæ peritiæ, puriſſimæq; Religionis, quæ uſquam extra confeſſam Dei Eccleſiam inveniri potuerit. Adeò ut meritò mirari poſſimus undenam iſti niſi indidem illas habuerint.

7. Verùm tunc primùm hujus Philoſophiæ puritas contemerari cœpit, quùm Angelorum cultum admiſiſſent: Debitum enim cultûs noſtri objectum æquè *Unum* eſt ac *Inviſibile.* *Audi* Iſrael, *Dominus Deus noſter Dominus unus eſt, nec eſt Deus præter ipſum:* Cujus conſequentia proxima eſt quòd is ſolus ſit colendus, quemadmodum & Servator Chriſtus confirmavit. *Adorabis Dominum Deum tuum, & ei ſoli ſervies.* Authórq; ad *Hebræos* Divinitatem Chriſti evincens id è Pſalmis profert, *Adorent eum omnes Angeli Dei.* Quod, niſi Cultus Religioſus illi ſoli deberetur qui eſt Deus, *Divinitatem Chriſti* non inferret.

Deut. 6. 4. *Luc.* 4. 8. *Cap.* 1. 8.

Et poſtremò, etiam ſecundùm Concilium *Nicenum*, qui nimirum Imaginibus favebant, *Arrianos* tamen Idololatriæ inſimulabant, quòd Chriſtum Creaturam eſſe tenerent non ipſum Deum. Et *Neſtorio* inuſtum eſt ſtigma odioſæ illius appellationis ἀνθρωπολάτρης ſeu *Hominis cultor*, quòd Chriſtum putaret merum eſſe Hominem. Nam & *Arriani* & *Neſtoriani* Chriſtum quantumvis meram Creaturam colendum tamen cenſuerunt. Quod illa Synodus apertam ſtatuit *Idololatriam*, ſive is Cultus cum Imagine, ſive abſq; Imagine fiat. Quemadmodum & Synodus *Laodiceæ* Angelorum Invocationem Idololatriam concludit. Et *Epiphanius* de *Perſis*, Imagines, inquit ille, abhorrent, & tamen colunt Idola; *Solem* innuens *Lunámq;* ac *Ignem.* Et ſimiliter *Gregorius Nazianzenus* (prout ſuprà notavi) in eo ſimpliciter Idololatriam ponit quòd illum cultum qui *Creatori* debetur, in Creaturam transferamus, juxta quam Notionem *Aquinas* etiam & *Bellarminus* eam definivit. Et ſanctus deniq; *Hieronymus* rotundè affirmat *Idololatram factum eſſe, ſi quis tres Deos credit.* Vide D. *Reynoldum* de *Romanæ Eccleſiæ Idololatria.*

Lib. 2. *cap.* 9.

Adeò manifeſtum eſt Idololatriam non reſtringendam eſſe ad cultum Imaginum ſed ad admiſſionem plurium objectorum Divini cultûs quàm unius illius veri Dei. Nam plurium cultus eſt illa עבודה זרה quam *Judæi* appellitant, quæ frequentiſſimè ac ſignificantiſſimè in Scripturis vocatur *Fornicatio*, quæ pluralitatem objectorum potiùs reſpicit quàm diſtinctam objecti ſpeciem. Quandoquidem hæc ſpiritualis *Fornicatio* committitur ubicunq; rem ullam colimus præter eum qui eſt Creator & Conſervator omnium.

CAP.

CAP. IX.

1. *Neceſſitas cognoſcendi quid ſit cultus religioſus quò Idololatriam dignoſcamus.* 2. *Vitioſitas Diſtributionis Cultûs in* Latriam, Duliam & Cultum Civilem. 3. *Chriſtum ſolum qui eſt* Θεάνθρωπος, *talem habere excellentiam mediam quæ Cultûs religioſi ſit capax.* 4. *Exceſſum excellentiæ in Deo ſupra illam in Sanctis Angeliſq; adeò infinitò majorem eſſe quàm eſt exceſſus excellentiæ eorum ſupra illam in hominibus, ut admodum coacta res ſit & abſona cultum aſſignare unius denominationis primis & ſecundis, & non potiùs ſecundis & ultimis, qui cùm* concives *ſint, rectè appellari poteſt* Civilis. 5. *Nullum genus Religioſi Cultûs* Sanctis *deberi &* Angelis *ex eo probatum quòd Angelus à S.* Johanne *noluerit adorari*; 6. *Et ex Proximitate porrò naturæ noſtræ ad naturam ipſorum*; 7. *Quibus* Origenes *homines probos æquales pronunciat, nec præfulgentes ſtellas colendas eſſe admittit quamvis eſſent Intellectuales.* 8. *Sanctos Angelóſq; religiosè colere nullam noſtri officii eſſe partem, cùm nec ad ullum præceptum utriuſlibet Tabulæ reduci poſſit.* 9. *Cultum Religioſum non eſſe niſi unum, eúmq; ſoli Deo deberi, probatum ex Reſponſo Servatoris ad Diabolum*; 10. *Ut & ex Autore ad* Hebræos *evincente Chriſti Divinitatem è religioſo cultu ipſi debito, cum multis aliis Teſtimoniis.* 11. *Reſponſio ad objectionem.*

1. ATq; ſic tandem adæquatam invenimus *Objecti Idololatriæ* latitudinem, eſſe utiq; quicquid reverà non eſt Deus; πᾶν τὸ μὴ φύσει ὂν θεὸν, quemadmodum Apoſtolus loquitur ad *Galatas*. Cæterùm niſi nunc veram *Religioſi* ſeu *Divini Cultûs* notitiam habeamus, cognoſcamúſq; quando & quâ ratione, cultum hunc illi quod Deus verè non eſt, præſtemus, etiamnum nobis hîc aqua hærebit, nec dignoſcere poterimus quando aut noſmetipſi aut alii quivis Idololatriam committant & quando non. *Cap. 4. v. 8.*

Sunt qui ad peritiùs palliandum illicitas ſuas praxes bellam profectò concinnârunt Hiſtoriolam; nempe, Tot eſſe genera *Honoris* ſive *Cultûs* quot ſunt *Excellentiæ*. Et propterea, cùm tria genera ſint Excellentiæ, *Divinum*, *Humanum*, & *Medium Humanum* inter & *Divinum*, ut ſupernaturalis illa Gratia ac Gloria *Sanctorum* & *Angelorum*, eſſe itidem tria genera cultûs, *Latriam*, *Duliam*, cultúmq; *Civilem*. At enimvero Diſtributio minus fraudis plúſq; *Logicæ* in ſe habitura fuiſſet, ſi fuiſſet *bipartita*, tunc enim planiùs apparuiſſet qualem cultum intelligant per *Duliam*. Neq; enim eam volunt eſſe *Cultum Civilem*, cùm membrum ſit ab eo diſtinctum. Reſtat igitur ut ſit Cultus *Religioſus*, quanquam verebantur apertè id effari quod clàm in pectoribus ſuis fovebant. Nam *Religio* certè, quæ primo ſuo proprióq; ſenſu nihil aliud eſt quàm *Cultus Numinis*, ad Deum ſolùm de jure pertinet, & ſi ad rem aliam quamlibet transferatur, Idololatria ſtatim eſt maláve ſuperſtitio.

Cæterùm ſi apertè agere voluiſſent, & ſic ut viros probos decuiſſet, *Logicæq;* gnaros, oportebat ſanè *Honorem* diſtribuiſſe vel *Cultum*, primò, in *Religioſum* & *Civilem*; & deinde, ſecundùm ſenſum quem illi intendebant, *Religioſum Cultum* rurſus diviſiſſe in *Latriam* & *Duliam*. At enim cùm ad hoc occultè ſubdoléq; collineaverint, illúdq; ſuppoſuerint, quamvis tam apertè non ſignificaverint, cúmq; res omninò ſit præcipua quam intenderint, Religioſum utiq; Cultum *Sanctis Angeliſq;* deberi æquè ac ipſi Deo; contra hunc ſolum errorem reſponſum contorquebo.

3. Primùm igitur dico, Rationem aſſignandi Religioſum Cultum *Sanctis* atq; *Angelis* admodum eſſe infirmam, nempe, quia mediam habent excellentiam Deum inter atq; Hominem. Etenim manifeſtum eſt eam eos non habere ſenſu debito ac præciſo; ſiquidem illud Privilegium eſt quod ad ſolum Chriſtum attinet qui notus eſt ille Θεάνθρωπος ſive *Deus-Homo*, ac proinde jure merito cultu religioſo poteſt coli. Quamobrem cùm nihil ſit quod reverà mediam habet excellentiam Deum inter atq; Hominem (ut *Zoophyton* ritè dici poteſt mediam habere excellentiam inter *Animal* atq; *Plantam*) præter Hominem Jeſum Chriſtum, nulla Creatura capax eſt religioſi cultûs præter ipſum. Neq; is quidem illius capax aliter quàm virtute unionis Myſticæ cum vera Deitate quâ *Deus* æquè ac *Homo* evaſit.

4. Et tum denuò, altera ſubeſt fraus, cáq; principalior, magíſq; originalis, in diſtributione ſcilicet harum excellentiarum immediatè in tres, cùm fideliùs magíſq; *Logicè* factum fuiſſet, ſi Excellentiam diſtribuiſſent primò, in *Creatam* & *Increatam*,

&

& *Creatam* deinde Excellentiam in illam *Sanctorum* atq; *Angelorum*, illámq; *Hominum*. At enim indè Temeritas craſſáq; Inconcinnitas aſſignandi Cultum Religioſum meræ Creaturæ primo aſpectu apparuiſſet; cùm ex adversùm illi Creator poſitus tam planè repugnet, qui infinitò excellentior eſt Creaturâ quamvìs vel glorificatiſſimâ; vel potiùs, cujus excellentiæ *gradus* ſupra Glorioſiſſimam Creaturam quæ exiſtit, infinitò major eſt quàm *gradus* excellentiæ *Sanctorum*, *Angelorúmve* ſupra *Homines*.

Unde planè apparet, quàm temeraria coactáq; res ſit, duas Excellentias inter quas tam infinita intercedit diſtantia, unâ communi *Religioſi* Cultûs capacitate continere, *Divinam* intelligo Excellentiam illámq; *Angelorum* & *Sanctorum*; cùm *Humana* excellentia illáq; *Sanctorum Angelorúmq;* infinitò propiùs ad ſe invicem accedant, ac proinde infinitò aptiores ſint ad cultum unius communis denominationis recipiendum. Qui commodiſſimè appellari poteſt *Civilis*, cùm *Sancti* glorificati *Angeliq;* ac *Homines pii* conſervi ſint & *Concives* novæ illius *Hieroſolymæ* quæ à Cœlo uſq; ad
Heb. 12. Terram pertingit: juxta id quod ſcriptum eſt, *Verùm acceſſiſtis ad* Sionem *montem & Dei viventis urbem*, Hieroſolymam *cæleſtem & myriadas Angelorum, Spiritúſq; hominum perfectorum*. Quod planè demonſtrat Sanctos, & Angelos, Hominéſq; pios in terris unius eſſe ſocietatis, *Civéſq;* ejuſdem Civitatis, novæ nimirum *Hieroſolymæ*; *Concives* verò cultum *Religioſum* ſibi invicem præſtare non ſolere notiſſimum eſt, ſed duntaxat *Civilem*.

5. Nec ſanè *Conſervi*; quemadmodum *Angelus* argumentatur apud *Johannem* in
Cap. 19. *Apocalypſi*, *Et procidi ante pedes ejus ut adorarem eum*; *ſed dixit mihi*, *Vide*, *nè feceris*; *Conſervus tuus ſum & fratrum tuorum qui habent Teſtimonium* Jeſu: *Deum adora*. Nunc verò, ſi Angelus cultum *Civilem* repudiabat, quàm alienum futurum fuiſſet, quinimò quàm planè illicitum, *Religioſum* cultum illi obtuliſſe? Et ſi *Religioſum* cultum repudiabat etiam præſens, quantò magis illicitum eſt, hunc cultum, putà *Duliam*, *Sancto Angelóve* præſtare abſenti? Et ſi cultus ille oblatus *Latria* erat non *Dulia*, cur non Angelus dicebat potiùs, *Creatura* ſum ut tu es, quàm, Ego tuus ſum *conſervus*? Et deniq; ſi *Dulia* cultus ſit licitus, juréq; Angelis præſtandus, cur tantâ Angelus carebat charitate, ut nollet *Johannis* cultum ſic interpretari, tanquam ſi illud genus cultûs eſſet quod licitum erat atq; approbandum? vel quî factum eſt ut tam pauxillâ charitate uſus ſit erga Eccleſiam tantáve injuriâ Angelos ſuos conſocios affecerit, ut alteram ſcrupulis æternis excruciaret circa officium hoc colendi Angelos & Sanctos, cùm & ipſe hunc honorem tam ſcrupulosè declinaverit, alteros ſuo jure privaret, inſigni hoc ſuo exemplo, quod veriſimillimum erat, adeò apud Eccleſiam prævaliturum, ut huic Angelorum colendorum officio omnem fidem abrogaret? At enim verò, diſtinctionem *Duliæ* & *Latriæ* adeò ſubtilem eſſe exiſtimo, ut vel Angeli oculus nunquam diſpecturus eſſet talem aliquam rimam minimámve fiſſuram in Cultu religioſo quâ ità diſrumpi poſſit dividíve, ut vel minutiſſima illius particula illi in ſortem cedat, quod reverà non eſt Deus: ut proculdubio nec *Sancti* nec *Angeli* ſunt. Tam manifeſtò apparet tum è ſenſu Scripturæ, tum ex infinita inæqualitate inter diſtantias, Deum inter & Creaturas, & inter Creaturas ipſas, *Civilem* tantùm Cultum non *Religioſum* ipſis competere.

6. Cæterùm, tertiò, non eſt ſolùm immenſa hæc diſtantia *Deum* inter & *Creaturam*, præcellentiſſimum putà è *Sanctis*, *Angeliſve* qui exiſtat; verùm eſt etiam (quod jam ſuprà innui) admodum arcta cognatio preſſáq; naturæ propinquitas, *Sancto Angelóſq;* inter & *Homines pios*. Etenim quantùm ad *Sanctos* glorificatos, *piósq;* *Homines* in terris, præterquam quòd, eorum *naturam* quod ſpectat, *ejuſdem* ſunt prorſus *ſpeciei*, etiam *Gratiæ* ipſorum præterea *ejuſdem* ſunt *generis*, quamvìs non ad eandem menſuram, ſiquidem utriq; regenerati ſunt per unum eundémq; Spiritum, ac proinde utriq; pariter in conditione *ſupernaturali*: Quî poteſt igitur ille honor qui debetur eis toto genere differre, ità ut unum *Religioſum* alterum *Civilem* cultum eſſe oporteat?

Et tam parùm diſcriminis eſt *Sanctum glorificatum* inter & *Angelum*, ut *Homo pius* eandem repertus fuerit habere ad utroſq; excellentiæ rationem, ac proinde manifeſtum eſt *Religioſum* cultum neutri quidem deberi.

7. *Origenes* quidem, quanquam Solem Stelláſq; (nempe ob minùs perfectam ſuam
Contra Celſ. lib. 5. in Philoſophia peritiam) ζῶα εἶναι λογικὰ καὶ σπουδαῖα *rationalia* eſſe *animalia* ac *virtute prædita* admittere poteſt, immò verò ità ſancta piáque, ut orationes ſuas indeſinenter Deo offerant per unigenitum ejus Filium, ſtrenuè tamen dehortatur ab adorando ipſos precéſve ipſis fundendo. Quæ Creaturæ nihilominus *Sancto* quovis *glorificato*, immensò forent illuſtriores; ſi utiq; eſſent quales *Origenes* opinatur, οὐ μόνον διὰ τὸ θαυμαζόμενον ὑπὸ τῶν πολλῶν τὸ αἰσθητὸν φῶς, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ νοητὸν καὶ ἀληθινὸν, *non ſolùm ob viſibilem*

viſibilem earum lucem quam vulgus hominum admiratur, *ſed ob veram & Intellectualem.* Quàm longè igitur ſanctum hunc Patrem abfuturum fuiſſe putabimus ab approbando *Religioſum* cultum aut *Angelo* aut *Sancto* præſtitum? Quinimò vocem quidem audaculam effert alio in loco, Ἀλλ᾽ οὐδὲ τὰ σωτῆρα καὶ μακάρια, *ſed enim nec benigni beatiq; Genii* (ſeu *Angeli*, quemadmodum nos vocamus) inquit ille, *hominibus præſtant ratione ſemel ac virtute perfectis.* Quî igitur unquam in illius mentem venire potuiſſet cultum præſtandi *Religioſum Sanctis*, quibus nobiſcum aliquantò propinquior intercedit ſimilitudo & cognatio?

8. Quartò, Si ſit hujuſmodi *Religioſus* cultus qui appelletur *Dulia*, ad cujuſnam duarum Tabularum officia ſpectat? Ad *primæ* an *ſecundæ* Tabulæ? *Secunda*, officia erga Proximum complectitur. Verùm ſi Sancti Angelive Proximi noſtri ſunt, quî fit ut cultus *Religioſus* ipſis debeatur? Si non ſint, quî fit ut ſecundæ Tabulæ jura ab ipſis vendicentur? Si ullum igitur omnino locum in *Tabulis* habet *Dulia*, juxta quidem Adverſariorum Hypotheſin ad *primam* referatur oportet. Verùm ad quodnam illîc mandatum referri debet? Num Divina illa Interdictio, *Nè Deos ullos habeamus præter ipſum*, Divinum Cultum deberi innuit *Angelis* Sanctiſve? vel ex eo quòd Deus zelotes ſit, in Idolo coli ſibi volupe fore? Etenim *Idolum* eſt, quicquid *Deus* non eſt, & tamen religiosè colitur. Quamobrem qui auſit aſſerere *Duliam* officium eſſe *Sanctis Angeliſq;* debitum, oportet certè eum tertiam Tabulam confingere, eámq; adhibere impudentiam ut addat Decalogo, *Moſémq;* culpet ob tam grandem omiſſionem. Nam æquè illuſtres Angeli erant & religioſi cultûs perinde capaces in illius temporibus, atq; unquam fuerunt poſtea.

9. Quintò & ultimò, Duo illa loca quæ protuli ad probandum, Deum ſolum colendum eſſe, probabunt etiam Cultum Religioſum non eſſe niſi unum: ut illud è S. *Luca*, *Adorabis Dominum Deum tuum, & ei ſoli ſervies.* Vis cujus reſponſi Diabolo per Chriſtum facti quando eum tentare volebat ad ſe colendum, in hoc proculdubio conſiſtit, quòd nullus cultus religioſus cuivis præſtandus ſit præterquam ſoli Deo. Nam quòd Diabolus eum non expetebat, qui *Latria* dicitur, evidens eſt ex eo, quòd monſtraret ſe non eſſe ſupremum Numen, agnoſcendo ſcilicet poteſtatem diſtribuendorum Honorum Regnorúmq; Terræ ſibi ab altero eſſe concreditam, ὅτι παεαδέδοταί μοι, ac proinde à ſeipſo eam non habuiſſe. Cui conſequens eſt, eum ſe non prætendiſſe ſummum eſſe Deum à quo ſunt omnia. Quamobrem Diabolus adeò omnis rationis exſors eſſe non poterat, nec ità ſtolidus ut Servatorem juberet ullum ſibi cultum præſtare tanquam *ſummo Deo*, cùm tam apertè jam confeſſus eſſet ſe eum non eſſe. Verùm illud erat cui is allaborabat, ut *religioſum* ſcilicet cultum illi præſtaret, qualis nempe præſtatur multis illis Diis Gentium, citra notionem *Supremi.* *Cap.* 4.

Senſus verò Reſponſi Servatoris hic eſt, Nullum ſcilicet cultum Religioſum ad quenquam pertinere præterquam ad ſolum Deum. Et impatiens inſtigationis ad tam impium facinus, irâ concitatus Diabolum eum vocitat ob tam immanem ſuggeſtionem. Quippe nemo niſi Diabolus aut requireret aut admitteret, ut cultum Religioſum ſibi quiſquam præſtaret. Non abſtinebat à colendo eum propterea quòd Diabolus erat, ſed eum concludit eſſe Diabolum, quia cùm verus Deus non eſſet, religiosè tamen coli volebat. Nec ſanè reſpondebat Chriſtus, Deum ſolum bonóſq; Angelos adorabis, ſed *Adorabis Dominum Deum tuum, & ei ſoli ſervies.* Unde liquidò conſtat, unicum eſſe *Religioſum* cultum, eum utiq; qui Deo ſoli debetur.

10. Idem ſimiliter manifeſtò infertur ab illo ad *Hebræos* ubi Author illius Epiſtolæ, *Divinitatem Chriſti* demonſtrans, illud è Pſalmis affert, *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Quod proculdubio intelligitur de *cultu Religioſo*, alioqui nihil faceret ad rem; & tamen ſi duo ſunt genera *religioſi cultûs*, & adhuc æquè parùm faciet. Tam manifeſtum eſt non eſſe niſi unum genus *cultûs religioſi* quod ſoli appropriatur Deo. Nec certè *Arriani* à concilio *Nicæno* juſtè Idololatræ cenſeri poterant, nec *Neſtorius* ἀνθρωπολάτρης ſi cultûs religioſi plura uno ſint genera. Quippe nec *Neſtorius* nec *Arriani* intelligere poterant per cultum illum quem præſtabant Chriſto, cultum qui dicitur *Latria.* Hoc enim pacto apertè eum agnoviſſent eſſe id quod tam obſtinatè eum eſſe negabant, *verum* ſcilicet *æternúmq; Deum.*

Quamobrem & *Synodus* & S. *Cyrillus*, & quotquot alii præterea *Arrianos* Idololatras *Neſtoriúmq;* Anthropolatram judicârunt, manifeſtum perhibent Teſtimonium, *Cultum religioſum non eſſe niſi unum.*

11. Nec certè poteſt affectuoſus ille honos quem aut ſacris Bibliis exhibemus oſculando ipſa poſt jusjurandum, aut quem ſanctis Dei Prophetis ejúſve ſacerdotibus ac fidelibus miniſtris deferimus venerando ipſos quà tales, rationes noſtras turbare,

ullâve

ulláve veriſimilitudine ſe obtrudere tanquam exemplum Religioſi alterius generis Cultûs. Apertè enim nego ullum eſſe Religioſum ſive Honorem ſeu Affectum erga ſacra Biblia vel erga virum Dei; ſed ex honore illo & affectu religioſo quem erga Deum ipſum gerimus, alium emergere erga eas res quæ ad eum referuntur, ſed diverſi generis, erga Perſonas, *Civilem*, verùm erga *res* inanimatas, ſi cum *perſonis ſanctis* conferantur, haud tantæ ſanè eſſet temeritatis audere definire, ſpeciem eſſe honoris, *Civili* minorem, verùm Differentiæ exiſtunt ubi nomina deficiunt quibus eas diſtinguamus.

Atq; equidem mihi perinde abſurdum videtur, ſiquis ex eo concluderet, quòd honorem habeo Bibliis ſacris ſanctóve cuivis viro Dei ob Religioſum illum affectum quem erga Deum ipſum gero, hanc etiam erga Biblia virúmve ſanctum, Religioſam eſſe Reverentiam cultúmve, atq; ſi inferret, quia Fœmina quæpiam ex *conjugali* illo affectu atq; honore quem marito habet, habet etiam illinc (quem aliter non habitura eſſet) favorem affectúmq; erga Canem ejus Aquaticum, hunc ipſum affectum quem erga Canem gerit, aut eſſe aut rectè appellari Affectum *conjugalem*; Quod profectò durum eſt, & ridiculum vel primo intuitu.

CAP. X.

1. *Recta Diſtributio Cultûs in ſua genera.* 2. *Definitio Cultûs Religioſi.* 3. *Exhibitionem cultûs Objecto inidoneo, quantumvis coactè fictéve fiat, per ſigna appropriata agnitioni* Divinarum *excellentiarum craſſam eſſe Idololatriam.* 4. *Nullóſq; propterea modos eſſe gradúſve ſpecificos cultûs* religioſi, *non quidem* Dulian *nec* Hyperdulian, *ſed omnem eſſe* Latrian. 5. *Religioſum Cultum non applicari rei cuilibet eum dirigendo ad illam tanquam* Circumſtantiam, *ſed tanquam ad* Objectum, *indebitámq; propterea illius applicationem tanquam ad* Objectum *requiri ad Idololatriam conſtituendam:* 6. *Non autem ut Applicatio fiat tanquam ad Deum ipſum.* 7. *Ipſos Paganos nunquam fuiſſe reos ejuſmodi Idololatriæ ut illi quod ipſi nôrunt non eſſe ſupremum Deum, tanquam Deo ſupremo cultum religioſum tribuerent.* 8. *Cùm Cultus* Religioſus *non ſit niſi unus, indè fieri, ut illius applicatio alii cuivis rei præterquam Deo, ſit Idololatria.* 9. *Inculcationem Divinitatis Chriſti Creaturam omnem probare religioſi Cultûs incapacem.*

1. QUapropter cùm adeò luculentè à nobis demonſtratum ſit *Cultum Religioſum non eſſe niſi unum*, inſtructiores hinc erimus ad veriorem magiſq; *Logicam* Honoris Cultúſve diſtributionem formandam quàm ſuprà eſt producta; immediatè nimirum eum dividendo primò in *Religioſum* & *Civilem*; & Civilem deinde in *Politicum*, *Oeconomicum* & *Moralem*; & *Politicum* deniq; in *Secularem* vel *Eccleſiaſticum*, ſeu in *Temporalem* & *Spiritualem*, cùm utrælibet appellationes ſatis ſint notæ. Per cultum *Moralem* intelligo ejuſmodi honorem, vel obſervantiam quæ in uſu eſt apud homines privatos erga ſe invicem, aut ſaltem quatenus erga privatos, ob rationem *Moralis* alicujus præcellentiæ, cujuſmodi eſt *Liberalitas*, *Prudentia*, *Fidelitas*, & ſimilia: Reliqua ipſa verborum ſignificatio tibi expediet. Nec ad propoſitum noſtrum attinet ulli ipſorum inſiſtere præterquam primo Cultui, nimirum *Religioſo*, ad cujus penitiorem naturæ notitiam ut pervenirem, omnem hanc operam hactenus impendi.

2. Quem rectè ad hunc modum definiri poſſe exiſtimo: *Devotam* ſcilicet *agnitionem incommunicabilis nominis ſeu excellentiæ Dei externum aliquem Ritum adhibendo vel Ceremoniam illi fini propoſitóve appropriatam, externæ* nimirum *ſignificationi internæ noſtræ agnitionis Divini Nominis ſeu Excellentiæ.* Hæc vera eſt maximéq; generalis Definitio *Religioſi Cultûs* quæ inſtitui poteſt. Ea enim *Religio* quæ in *Sanctorum*, *Angelorum*, *Dæmonum*, *Imaginum* rerúmq; conſimilium Cultu ponitur, eſt reipſa *Irreligio*, *Idololatria* vel *Superſtitio*, nec meliori jure appellanda eſt *Cultus Religioſus* quàm Vitium *Virtus*, Injuſtitia *Juſtitia*, vel Puſillanimitas *Fortitudo*, qualeſcunq; vocularum abuſus irrepere poſſint per imperitorum & inconſideratorum incuriam.

3. Jam verò cùm *Religioſi Cultûs* attributio illi quod non eſt Deus ſit *Idololatria*, cúmq; *Cultus Religioſus* in vero hoc proprióq; ſenſu nihil aliud ſit quàm *devota agnitio*

agnitio Divinæ Eminentiæ per appropriata quædam ſigna hujus noſtræ Agnitionis indicativa, oppidò quàm manifeſtum eſt, ubi hujuſmodi devota agnitio per hæc ſigna fit illi quod non eſt Deus, quòd ipſo facto ſit *Idololatria.*

Quinimo tametſi appropriata hæc ſigna adhiberentur ab aliquo ſine omni devotione erga *objectum* ſuppoſitum, (quod digniſſimum notatu eſt ac veriſſimum, quippe quòd completa pravitas vel defectus ad actum vitioſum non requiritur) & ab aliis duntaxat eò dirigenda decernerentur, vel ex communi uſu ac conſuetudine ſolummodo intelligenda eſſent ità dirigi, eſſet nihilominus *Idololatria*: Alioqui ad *Idololatriæ* crimen nemo profectò poſſet compelli, nec omninò opus habebat aut *Judæus* aut *Chriſtianus* tam ſcrupulosè caviſſe ab injiciendo Incenſo in Altare cuivis Numini Paganico nec ab integris Hecatombis ſacrificandis, ſi opes ipſorum tantos ſumptus ferre potuiſſent: Et quicunq; Martyrium ex hac ratione paſſus ſit, dementiæ certè ipſius ac ſtultitiæ potiùs imputandum eſſet quàm ulli veræ ſolidæq; Pietati.

Quamobrem, quemadmodum Blaſphemia foret (quamvìs id homini metu extorqueretur nec cor aſſenſum dicto præberet) dicere, Quòd *Jeſus Chriſtus non eſt filius Dei ſed Impoſtor*; ità appropriatorum Signorum agnitionis Divinæ Excellentiæ applicatio illi quod non eſt Deus, quamvìs nullus comitetur aſſenſus, eſt nihilominus agnitio illud Deum eſſe quod non eſt (ut Blaſphemia negatio erat eum eſſe qui eſt) ac proinde non poteſt quin ſit aperta Idololatria.

4. Et ſi *Idololatria* committatur abſq; hominis devotione erga *Objectum* inidoneum, imaginetur profectò quivis externum hunc cultum religioſum quàm minimis velit gradibus devotionis ſeu internæ intentionis comitatum, apertè hinc patet fieri non poſſe quin etiamnum ſit Idololatria. Quod conſectarium apprimè utile eſt ad convincendos homines de futilitate vanitatéq; iſtiuſmodi ſubterfugiorum ad quæ recurritur in iſtis recèns excuſis voculis *Duliæ* & *Hyperduliæ* & *Latriæ*; quibus ſignificare volunt certas quaſdam differentias & gradus *Cultûs religioſi*, immò diſtinctas ejuſdem ſpecies, cùm tamen non ſit niſi unus juxta veram illam definitionem quam propoſuimus. Nam quilibet actus effectúſve religioſi noſtri affectûs in Deum, circa res perſonáſve indicati, non eſt ſtatim *Cultus religioſus*, prout planè apparere poteſt ex ipſius definitione, & ex iis quæ jam tradidimus in Capite antecedenti. Verùm ut revertamur ad rem quæ præ manibus eſt.

5. Per generalem hanc igitur Notionem *Cultûs religioſi*, uno, nec eo quidem contemnendo, gradu propiùs acceſſimus ad certam dijudicationem quando Idololatria committatur. Tunc nimirum *quando ritum aliquem obimus ſeu Ceremoniam*, hoc eſt, *religioſam aliquam actionem externam peragimus, appropriatam ſignificationi agnitionis Divinæ Eminentiæ, coram, vel potiùs, versùs illud quod non eſt Deus.* Ubi per *coram* vel *versùs*, intelligo diſtinctam directionem (aut per noſmetipſos aut per alios aut ſaltem per conſuetudinis interpretationem) hujus actionis religioſæ tanquam ad *objectum* quod eâ volumus honorare. Hæc enim res ſola eſt quâ actio evadit *Idololatria.* Semper enim erit neceſſitas Ritus noſtros religioſos obeundi coram vel versùs hoc vel illud per modum *circumſtantiæ loci*, quod tamen fieri poteſt abſq; vel minimo reatu aut ſuſpicione illius criminis. Quamobrem eſt *deſtinata & aſſueta applicatio appropriatorum ſignorum agnitionis Divinarum Excellentiarum ad objectum in quo Divinæ Excellentiæ non ſunt*, hoc eſt, *ad rem quamlibet quæ reverà non eſt Deus, quod nefarium hoc peccatum ſit Idololatriæ.* Hoc, inquam, oportet eſſe, atq; hoc ſolum, ſine ſuperadditione alius cujuſvis rei, omnes numeros naturæ illius Peccati explebit.

6. Nam ii qui ſe opinantur tam mirificè aſtutos ac ſubtiles in hoc inſuper inferciendo tanquam ad eam conſtituendam apprimè neceſſariam, ut applicatio ſcilicet horum ſignorum appropriatorum ſignificationi illius honoris quem Deo debemus, *Creaturæ* fiat in actu Idololatrico, *tanquam Deo ipſi*, hoc eſt, cum intentione conciliandi adoratæ Creaturæ exiſtimationem quaſi ille verus eſſet Deus, magnæ proculdubio ſtultitiæ ſe alligant tam inſulſam efferendo Aſſertionem.

Etenim quemadmodum Fœmina quæ largitur concedítve alteri qui non eſt maritus ejus, id quod marito illius eſt appropriatum, Corporis utiq; ſui uſuram, excogitet ſanè quas volet reſtrictiones mentales, directionéſve intentionis in ipſo actu, reperitur proculdubio manifeſta adulterii; ità quiſquis appropriata agnitionis Divinæ Excellentiæ ſymbola, qui *Cultus* eſt *religioſus*, illi applicat quod non eſt Deus, minuat certè quantum volet, mentalibus limitationibus & reſtrictionibus, poſtquam ſemel cultum hunc Religioſum in *Objectum* hoc inidoneum tranſmiſerit, eo ipſo citra omnem controverſiam craſſus evaſit Idololatra. Et quemadmodum fœminæ illius aſſeveratio, ſe non feciſſe tanquam *marito ſuo*, non eam excuſabit ab Adul-

terio, ità nec hujus affirmatio neq; ſe feciſſe tanquam *vero Deo*, excuſabit eum ab Idololatria, quæ eſt ſpiritualis *Fornicatio.*

7. Præterea, ſi Idololatria non committatur niſi quum Creatura religiosè colitur pro ipſo ſummo Deo, vel tanquam ſi ſummus eſſet Deus, Cultum dirigendo tanquam ad talem, difficile erit Idololatriæ exemplum in univerſo *Ethniciſmo* invenire. Nam inter multos illos Deos quos coluerunt, unum ſolum colebant tanquam ſummum, quem *Latini* Jovem, *Græci* Δία appellabant, qui *Pater Deorum* exiſtimabatur. Quod & occaſionem dedit *Ariſtoteli* utendi illâ locutione de officiorum diſtributione ac honorum, ὐδὲ πᾶ πᾶϱ᾽ πάντα καθάπεϱ ὐδὲ πᾷ Διὶ θύεται, *Omnia officia non pendenda eſſe patri ut nec omnia ſacrificia fiunt* Jovi. Ea verò quæ illi non fiebant (quæ proculdubio numero erant longè plurima) Cultus Idololatricus juxta hanc Hypotheſin non erant. Nec ea quæ ipſius ſtatuæ fiebant ab eis qui ipſum *Jovem* eam non reputabant, nec deniq; ea quæ ipſi *Jovi* ſacrificabantur tanquam Patri ac Origini rerum omnium, quippe quæ ſatìs ſolida notio eſt veri Dei. Quapropter hac ratione pauci admodum vel potiùs fermè nulli inter Ethnicos reperientur Idololatræ. Quod profectò tam incredibile eſt Paradoxon, ut illud quod ipſum inferat neceſſariò concludendum ſit eſſe falſum.

Ethic. Nic. lib. 9. c. 2.

8. Quibus addere potes, Quòd ex eo quod jam demonſtravimus, *Cultum ſcilicet Religioſum non eſſe niſi unum*, continuò ſequitur illius Applicationem cuilibet objecto, quibuſcunq; conditionibus, præterquam illi uni vero Deo, eſſe ipſo facto Idololatriam.

9. Et poſtremò, ſi appropriata ſigna Religioſi cultûs adhibere poſſint ad venerationem Creaturæ, in quem finem Chriſti Divinitas tam expreſsè in Scripturis ſacris deſcribitur, tantóq; cum zelo defenditur per omnia Eccleſiæ ſecula? Nam *Divinus Cultus* quem ei attribuimus juxta inſubidam aſſertionem ſuprà memoratam, ipſi præſtari poſſet quamvìs merus eſſet Homo. Adeò manifeſtum eſt, Applicationem appropriatorum ſignorum *Divini* ſeu *Religioſi Cultûs* (nam unum idémq; ſunt) cum intentione colendi per ea id quod non eſt Deus, quanquam illud minimè intendimus tanquam *ſummum Deum*, vel tanquam *verum Deum* colere, Actum eſſe Idololatriæ.

Vide cap. 9. ſect. 10.

CAP. XI.

1. Sacrificia, Labamina & Suffitus *appropriata eſſe ſigna Cultûs religioſi ſecundùm* Grotium, *ut & quicquid* conſenſu Gentium *tale factum ſit.* 2. Vota *etiam*, Juramenta, *Donorum* Supernaturalium Petitionem, Invocationémq; Sanctorum *vel* Angelorum *quando ſunt inviſibiles*; 3. *Et Petitionem ab ipſis, dum ſunt viſibiles, Boni cujuſvis naturalis ad* Altare *vel in* Templo *ipſis conſecrato.* 4. Imagines *erectas &* dedicatas *in* Templis *vel ſuper* Aras *modum eſſe Cultûs Divini, ubi & objectioni occurritur.* 5. Cantica *etiam &* Incurvationes *ità formari poſſe iiſq; circumſtantiis circumſcribi ut hujuſmodi fiant Signa.* 6. *Omnem* Idololatriam *eſſe* Blaſphemiam, *Diviniq; Nominis attributionem cuivis Creaturæ utraſque.* 7. *Generalis appropriatorum ſignorum Cultûs religioſi diſtributio.* 8. *Subterfugii anticipatio, prætendentis* laxiorem *eſſe* ſignificationem Cultûs religioſi *quàm nos propoſuimus*; *cùm noſtræ tamen ſubſequentes Redargutiones omnes à veritate* definitionis Cultûs religioſi, *eo ſenſu quem nos declaravimus, omninò pendeant.*

1. QUamobrem nihil nobis nunc deeſt ad clarè dignoſcendum ùbi Idololatria committatur præter diſtinctam determinatámq; Notitiam *appropriatorum ſignorum Divini Cultûs*, quæ quidem ut opinor, cognitu haud ità ſunt difficilia. *Grotius*, vir ſanè ad imaginandum id Idololatriam eſſe quod reverà non eſt, minimè proclivis, tria hæc expreſſim nominavit, *Sacrificium*, *Libamen*, & *Suffitum*, quæ is appellat *venerationis ſigna quæ conſenſus Gentium Divini Cultûs eſſe propria voluit.* Atq; ſic exempla nobis non ſolùm ſuppeditavit, ſed & Regulam quâ invenire poſſumus quæ ſint propria Divini Cultûs ſigna; quódq; ea utiq; ſaltem ſint, quæ *conſenſus Gentium* talia conſtituit.

Atq; hîc tempeſtivum fore credo (cùm ſint qui adeò temerè ſacrificium *Latriæ* appropriant, quaſi hoc ſignum Cultûs religioſi Deo omninò proprium eſſet, alia aliis

aliis etiam *objectis* communicabilia) obiter notare, quòd, ſi per *ſacrificium*, Animalium mactationem intelligant, cùm id genus Cultûs apud Chriſtianos planè exoleverit vel potiùs nunquam obtinuerit, neceſſe ſit ut vim naturámq; aliorum ſignorum religioſi Cultûs majorem in modum evehat, eáq; manifeſtiùs reddat cuivis creato *objecto* incommunicabilia, prout reverà ſunt, quamvìs hic caſus non contingeret.

2. *Vota* etiam ac *Juramenta Grotius* agnoſcit partem eſſe illius generis Cultûs, ut & Petitionem *Spiritûs ſancti*, *Remiſſionis peccatorum*, *Vitæq; æternæ*. Hæc igitur, juxta illius ſententiam, non poſcenda ſunt ab Angelo, quamvìs viſibiliter præſens eſſet. Quibus haud cunctanter addam *religioſam Invocationem* cujuſvis Angeli Spiritúſve *abſentis* ſeu *inviſibilis*. Etenim quemadmodum ex eo quòd Deus ſolus largitor eſt Vitæ æternæ, Remiſſionis peccatorum, & ſancti Spiritûs, is qui res adeò ſublimes à Creatura poſcit, excellentias Dei incommunicabiles in ea Creatura agnoſcit; ità etiam & is qui *inviſibilem Angelum Sanctúmve* invocat, agnoſcit ſimiliter *Omniſcientiam* quandam & *Omnipræſentiam* in hoc Sancto Angelóve, quæ ſunt incommunicabiles Excellentiæ Dei.

3. Quinimò porrò addam, petitionem ejuſmodi rerum quas penès Creaturam ſit largiri, medicinæ putà huic vel illi morbo medendo aptæ, vel auxilii in periculo per viam in itinere, ſi unum poſcatur putà ab *Æſculapio* in Templo & ad Altare *Manibus* illius conſecratum, alterum ab *Hercule* ad Aram itidem ipſi dedicatam, dico petitiones horum haud ità factu difficilium beneficiorum, immò & ſi ſic magìs placet, ab his *Geniis* ſeu *Dæmonibus* præſentibus illîc & viſibilibus petitorum (éſtq; par ratio in *Sanctis* atq; *Angelis*) neceſſariò nihilominus fore *Idololatriam*; ſiquidem *conſenſus Gentium* erectionem & dedicationem *Templorum* & *Altarium* pro precibus, votis & ſacrificiis, *Divini Cultûs* ſigna conſtituit; & notiſſimum eſt ſolennem fuiſſe cultum ſummi Dei, Deíq; utiq; *Iſraëlis*, dum Templum ſtabat. Cujus Reſidentia modo magìs peculiari exiſtimata eſt fuiſſe inter *Cherubinos*, qui ab oculis populi abſcondebantur nè per ipſos *Idololatriam* committerent.

4. *Gentiles* verò depravatè admodum uſi ſunt hâc religioſi cultûs Circumſtantiâ, ſupplicationéſq; ſuas ad apertas Imagines Statuáſve *Divinæ Reſidentiæ* direxerunt, in eum finem conſecratas ut Deus loci ſuas illîc reciperet oblationes & preces. Adeò ut, tametſi omnes Nationes omnibúſq; quidem temporibus hac repræſentatione *Divinæ Reſidentiæ* per Imagines non ſint uſæ, tamen ubi in uſu erat (& erat ſanè in uſu oppidò quàm frequenter) manifeſtum eſt partem fuiſſe *Divini Cultûs*, taliſq; quo erga ſupremum Numen uterentur. Cúmq; hic modus *Divinæ præſentiæ* viſibiliſve Reſidentiæ per Imagines non ſolùm in cultu inferiorum *Dæmonum* adhibebatur, ſed etiam in eorum qui nuncupabantur *Dii cæleſtes*, (quos certè putare non poterant è Cœlo exulare ut hiſce terreſtribus ſtatuis aſſiſterent) argumento eſt *ipſam Imaginem* habitam eſſe pro *præſentia* illius Dei, quem adorabant, ſed conſequenter hanc repræſentationem cujuſvis Numinis, ſive Numen perſonaliter illîc præſens ſit ſive non, ejuſmodi eſſe quæ conſenſu Gentium in ordinarium tranſierit *Divini Cultûs* modum.

Nec ſanè poteſt Templorum erectio, Altarium, aliorúmve ſymbolorum religioſi Cultûs, eis qui non ſunt Dii, efficere ut hæc deſinant talia eſſe ſigna vel ſymbola. Tunc enim cùm univerſa ad hunc modum violata ſint & ad alienos uſus detorta, nulla *Divini Cultûs* ſigna omninò eſſent reliqua. Sed è contrà potiùs concludendum eſt quæcunq; res conſecratæ erant Cultui honoríve Dei *Iſraëlis*, eaſdem illi conſecrare qui non eſt Deus, ipſius quidem juris eſſe violationem actúmq; conſpicuum Idololatriæ.

5. *Hymni* etiam & *Incurvationes* ſic formari poſſunt ut neceſſariò futura ſint *Divini Cultûs* ſigna, ut, nempe ſi hæc incurvatio fieret versùs aliquem particularem ſpiritum *inviſibilem*, etiam *dum inviſibilis* eſt, eſſet enim agnitio unius ex incommunicabilibus Excellentiis Dei, illius nimirum *Ubiquitatis*. Poſſumus enim ubivis nos incurvare versùs inviſibilem Deum, quia eſt ubique; verùm incurvare nos versùs particularem aliquem *Angelum Spiritúmve* dum eſt inviſibilis, planè eſt incongruum, quippe quòd is ubiq; non eſt. Ac proinde ille qui cultum hunc ipſi præſtat tanquam congruum, eo ipſo interpretativè *Ubiquitatem* in eo per hunc cultum agnoſcit atq; ſic evadit *Idololatra*.

Incurvatio etiam versùs Imaginem cuivis Creaturæ erectam, (præſertim in Templo vel ſuper Altare, imò quantumvis ab utriſq; remotam) ſignum eſſet *Cultûs religioſi* ex ſententia *Divina* ac *infallibili*. *Non incurvabis te eis neq; coles ea*: hoc eſt, non præſtabis ipſis cultum *Incurvationis*, nec alium quemvis Cultum religioſum. Nam עבודה eſt *Cultus religioſus*, cujus proculdubio Incurvatio in hujuſmodi cir-

cumſtantiis una eſt ſpecies, quando utiq; exhibetur aut *Spiritui* alicui *inviſibili*, aut *viſibili* ejus *repræſentationi* in *Imagine* vel ſimulachro. Quorùm poſterius *conſenſus* etiam *Gentium* appropriatum fecit ſignum *Cultûs religioſi* in Templis præſertim ut paulò ſuprà notavi.

Et nunc quidem quantùm ad *Hymnos*, ipſa carminis compoſitio in laudem rei cujuſlibet creatæ, *Solis* putà, *Lunæ* vel *Dæmonis*, ſi ejuſmodi Epitheta ipſi inſerantur quæ incommunicabiles Dei Excellentias ſignificent, ut ſi quis ſic exordiretur, *O Sol omnipotens*, vel *O Luna omniſcia*, fieri equidem non poteſt, quin hæc *Divini Cultûs* attributio foret *Soli Lunæque*. Quam etiam ob cauſam *Martialis* ſanè mihi videtur non ſolùm adulator *Domitiani*, ſed & *Idololatra* in iſto *Hendecaſyllabo*.

Edictum Domini Deiq; noſtri.

In quo tamen ſcribit ſecundùm ipſius *Domitiani* exemplar, qui miniſtros ſuos publicos hanc formam Epiſtolarem docuit, *Deus & Dominus noſter ſic fieri jubet*. Quod quidem ſi aliquantò tolerabilius eſſe poteſt in *Regnis Paganicis*, ubi *Dii* vulgò nihil amplius ſignificant quàm *Angeli* apud nos; in *Chriſtianis* tamen *Nationibus* ubi *Deus* eſt nomen *incommunicabile*, quemadmodum Author *libri Sapientiæ* nos monet, appellare profectò quenquam hominem *Deum*, fieri non poteſt quin horrenda ſit *Idololatria*, vel *Blaſphemia*.

6. Nec eò quidem minùs *Idololatria* quòd *Blaſphemia* ſit, quandoquidem omnis *Idololatria* eſt hujuſmodi. Quippe quòd *Idololatria*, attribuendo *ſigna appropriata* agnitionis Divinarum Excellentiarum vili Creaturæ (& omnis ſanè Creatura reſpectu Dei vilis eſt) eam æquat Creaturam Deo, & conſequenter Deum æquè vilem facit ac eam Creaturam. Quæ manifeſta eſt contumelia & *Blaſphemia* adversùs ipſum, intolerabilior ſanè quàm ſi quis Principem aliquem viliſſimi Animalculi nomine appellaret. Dico igitur, quòd in eis Regionibus ubi nomen *Dei* Deum *verum* non autem *Angelos* ex loci conſuetudine ſignificat, ſi quis appellationem illam homini cuivis applicaret, *Idololatria* ſimul eſſet & *Blaſphemia*; quemadmodum etiam foret quovis Corporis geſtu erga eam uti qui *Divinæ adorationi* ſit appropriatus, quod effecit ut *Græci* nollent reverentiam *Perſarum* Regi exhibere more *Perſico*, quippe quæ ea ipſa corporis poſitura erat quam illi in *Græcia* adhibebant in Deorum ſuorum cultu.

7. Hæc ſunt præcipua, ſi non omnia *Divini Cultûs* ſigna, quæ facilè animo occurrunt. Et ſi qua fortè prætermiſi in particulari hac recenſione, ex præfacili revocabuntur, ſi non tutò in generali illa Notione ſignorum appropriatorum Religioſi Cultûs, quam propoſui, cuſtodientur. Quòd omnia nimirum ejuſmodi ſunt quæ vel *conſenſus Gentium*, vel *Regionum particularium conſuetudo*, vel *ipſius rei naturalis ſignificatio*, vel *Divina* deniq; *declaratio* talia conſtituit. Primi generis ſunt *Sacrificia*, *Libamia*, *Suffitus*, *Altarium erectiones*, *dedicationes Imaginum*, & ſimilia. Secundi generis eſt *certa* quævis *Poſitura religioſæ venerationis* huic vel illi Regioni propria, (ut in illo *Græcorum* exemplo) quæ conſcientias aſtringebat incolarum Regionis. E tertio genere ſunt *Petitiones pro ſancto Spiritu*, *Peccatorum remiſſione*, *æterna Vita*, *aliáve quavis re*, *quam penès nullam Creaturam eſt largiri*: *Vota* itidem ac *Juramenta*, quippe quæ perfectam καρδιογνωσίαν in eis ſupponunt in quorum nominibus fiunt, nec ſolùm *notitiam facti* ſed etiam *puniendi poteſtatem* extra communem legum humanarum viam. Quam poteſtatem ac notitiam nulli particulari ſpiritui ineſſe certi ſumus præterquam ſoli Deo. Quibus addere potes *Invocationem cujuſlibet ſpiritûs particularis dum eſt inviſibilis*, quanquam in ejuſmodi rebus in quibus naturalem habere poſſit facultatem nobis opitulandi. *Hymnos* etiam & quaſcunq; *Compellationes* ad *Creaturam* factas, *ſi verba incommunicabiles Dei excellentias ſignificent*. Hæc omnia ex ſua natura, & quæcunq; horum ſimilia ſint, *ſigna* ſunt *appropriata Cultûs Religioſi*, etiamſi *Gentium conſenſus* ſua ſuffragia huc non conferret, nec quidem debentur, nec licet profectò ea ulli rei attribuere, niſi *vero Deo*. Unde inidonea ipſorum alii cuivis *objecto Applicatio* pro certo erit peccatum Idololatriæ. Denique, poſtremi generis exemplum eſt *Incurvatio* versùs *Imagines*, quandoquidem cultum quendam ipſarum eſſe declaratur in *Decalogo*, prout ſuprà notavi.

8. Et nunc demum, ut nemo ſibi fingat ſe ullum reperiſſe effugium quo vim & perſpicuitatem ratiocinationum noſtrarum evadat, prætendendo, Cultum religioſum laxioris eſſe ſignificationis quàm quâ nos eum definiwimus, maturè hîc eum moneo, me ſcilicet non ſolùm nihil morari quinam per incuriam vocabulo abuſus affigi poſſint,

poſſint, quæve vellicationes & diſtractiones adhibeantur, quibus propriæ concinnæq; vocum ſignificationes ad cooperiendas, palliandáſq; inconcinnas corruptáſq; opiniones, extendantur, ſed etiam (quod & eum præcipuè notare velim) minimè fore ut demonſtrationes noſtræ à ſingulari illa ſignificatione *Religioſi Cultûs* (quem tamen luculentè probavi non eſſe niſi unum) dependeant, ſed à veritate illius definitionis quam de eo formavimus, & eo ipſo ſenſu quem ex profeſſo illîc intendimus. Nemo enim negare poteſt quin religioſus Cultus ſoli Deo debitus (quamvìs adeò ſcævo eſſet judicio ut aliquod genus Cultûs religioſi aliquibus Creaturis deberi opinaretur) verè accuratéq; in ſuprà dicta definitione ſit definitus. Atq; equidem hîc in ipſo veſtibulo fidem do meas Idololatriæ evictiones petitum iri, non quidem à ſuppoſitione quòd Cultus religioſus nullum alium habere poſſit ſenſum quàm juxta quem in hac definitione eum definivi, verùm à veritate ſolummodo *definitionis* illius *Cultûs religioſi*, qui ſoli debetur Deo; ut nè minimus quidem relinquatur locus cuivis poſſibili cavillæ aut ſubterfugio tenuiſſimæve eorundem umbræ aut inſomnio.

CAP. XII.

1. *Partium plenæ illius inſtructionis quam nacti ſumus ad dijudicandum quid ſit* Idololatria, *brevis enumeratio.* 2. Adorationem Crucis *eſſe* Idololatriam; 3. *Ut & Cultum cujuſlibet Perſonæ è ſacroſancta* Trinitate *per* Imaginem *vel* Picturam. 4. *Cultum religioſum Angelis Sanctiſve attributum, quantumvis ſine omni* Imagine *vel* Pictura, *eſſe* Idololatriam. 5. *Meram* Invocationem Spiritûs *cujuſvis* particularis inviſibilis *eſſe etiam Idololatricam.* 6. *Ad effugia quædam circa* Sanctorum Invocationem *reſponſio.* 7. *Reſponſio ad aliud Effugium.* 8. Sanctorum *Cultum per* Imagines *duplicem eſſe Idololatriam.* 9. *Idololatriam eſſe*, Imaginem *colere quum pro ipſo* Sancto *eam ſumimus*; 10. *Ut & Adorationem cujuſvis hominis ſuperſtitis in terris.* 11. *Cultum* Panis Euchariſtici *pro reali Chriſti corpore habiti, eſſe* Idololatriam. 12. *Omnes ſuprà dictos actus eſſe Idololatricos, quicquid homines ad eorum cooperiendam deformitatem prætenderint.* 13. *Nec* εἰδωλολαλίας ἄθυρμα *apud S.* Petrum *ullam* Idololatriam *ſupponere* licitam.

1. SAtìs jam, opinor, inſtructi ſumus, partim ex confeſſis *Idololatriæ* Exemplis ab *Ethnicis Judæiſve* commiſſæ, & partim ex notitia adæquati objecti *Idololatriæ*, ut & veræ definitionis *Cultûs religioſi* & *appropriatorum* ſimul *ſignorum formaliſq*; ac eſſentialis ipſorum *Applicationis*, ad dijudicandum indubitatéq; definiendum quid foret Idololatria, ubicunq; apud ipſos *Chriſtianos* ſuſpecti quicquam in uſu occurrat, & quid non.

2. Exempli gratiâ; *Crucem adorare*, *ullúmve* ei *Cultum Religioſum tribuere, quamvìs nulla in ipſa eſſet Imago, Idololatria foret*, juxta primum illius Exemplum, aliáq; ejuſmodi quæ illuc referantur. Quæ planè oſtendunt *Idololatriam* ſine *Imagine* committi poſſe. Quódq; hîc committitur manifeſtum eſt ex eo quòd *appropriata Divini cultûs ſigna* in ejus adoratione adhiberi ſupponimus. Quod quum ſit cuivis Creaturæ, eſt ipſo facto *Idololatria.*

3. Secundò, Religioſum exhibere cultum *Picturæ* vel *Imagini* cujuſlibet Perſonæ *è ſacroſancta Trinitate* vel omnium trium, vel particulatim *Imagini Chriſti*, quanquam intenditur ut Cultus hic Religioſus per *Repræſentamentum* ad *Deum* ipſum pertranſeat, *Patrem*, *Filium*, *ſanctúmve Spiritum*; eſt nihilominus *Idololatria* juxta ſecundum exemplum, ubi Cultus veri Dei per Imaginem probatur eſſe talis.

4. Tertiò, *Angelos colere Sanctóſve*, immò & ipſam *beatam Virginem cultu religioſo*, quantumvis ſine *Imagine*, eſt Idololatria. Atq; hujuſmodi eſſe poteſt *religioſa* ipſorum *Invocatio*, earúmq; rerum ab ipſis poſtulatio quas Dei ſolius proprium eſt largiri; ut *Remiſſionis peccatorum*, *Aſſiſtentiæ Gratiæ*, vel *Vitæ æternæ*; vel ejuſmodi *Epithetorum* uſurpatio in *Hymnis Canticiſve* eis factis, quæ *incommunicabiles* Dei excellentias ſignificent, vel deniq; *Votorum nuncupatio*, & per eorum nomina *Juratio.* Hoc manifeſtò apparet ex primo exemplo *Idololatriæ* & ab id genus appropriatis *Cultûs Divini* ſignis quæ ex ſua natura talia eſſe intelligantur.

5. Et certè hujuſmodi eſt *auxilii ab hoc vel illo Sancto imploratio*, tametſi in conſpicuis illis circumſtantiis ſupplicationum noſtrarum faciendarum, in *Templo* vel

ante

ante *Imaginem Sancti*, quem oramus, non fieret. *Simplex* enim *Invocatio ſpiritûs particularis inviſibilis*, ex ſe Idololatria eſt abſq; reliquis illis circumſtantiis, quoniam ex conſequenti illud attribuit iſti ſpiritui quod ſoli Deo proprium eſt, *Omnipræſentiam* intelligo vel *Ubiquitatem*. Nemo enim certus eſſe poteſt ſpiritum inviſibilem in hoc vel illo particulari loco adeſſe, niſi ſupponatur in omnibus locis eſſe ſimul; quod proprium Dei eſt privilegium.

Quapropter ſimplex *Invocatio particularis alicujus ſpiritûs inviſibilis*, res eſt haud perinde levicula ac quidam eam faciunt, ſed aperta Idololatria. Quinimò auſim dicere eam partem eſſe maximè *fundamentalem* omnis illius Idololatriæ à Paganis commiſſæ, (ſi philoſophicè ac cum ratione res examinetur) matrémq; reliquarum. Aut ſaltem quæcunq; inſignes Objectiones extiterint rationémq; convicturæ, contra uſitata *cultûs religioſi* ſigna, erga particulares hos *ſpiritus inviſibiles* pro more adhibita, eas etiam hîc inveniri, contráq; *Invocationem* afferri poſſe; ſiquidem præcipua eſt quòd *Omnipræſentiam* innuit inviſibilis illius ſpiritûs quem colunt.

Quam quidem ob cauſam *Templi Altarisq; conſecratio, Reſidentia ſymbolica, viſibiliſve Repræſentatio*, & *oblatio ſacrificiorum* & ſimilia, nulli competunt præterquam *Omnipræſenti Deo*, quem ſemper certi ſumus, ſi fas ſit ità loqui, domi inventum iri, quoties illius ædes adimus. Quantùm verò ad alios *ſpiritus inviſibiles particulares*, quis novit domi ſint necne, an negotio aliquo occupati, hoſtem perſequentes an itinerantes, an altùm alicubi dormientes? quemadmodum *Elias* ſarcaſticè argumentatur de *Baal*. Immo addam, an captivi abducti ſint, vel in alium aliquem locum incluſi? Nemo profectò certus eſſe poteſt ubi ſint, quódve illîc ſint unquam ubi *Symbolica* eorum *viſibiliſq; Reſidentia* ponitur, niſi *omnipræſentes* ſint & neceſſariò illîc ſint, ex eo quòd ſunt ubique. Sin minùs, nullum firmum argumentum habemus nec certitudinem aut *præſentiæ* eorum aut *audientiæ*. *Preces* verò & *Invocatio* fidem ſupponunt ac certitudinem quòd audiendi ſimus ſenſu eo ſaltem ordinario; de quo tamen cùm nulla ſit certitudo niſi *ſpiritus inviſibilis* invocatus, ſit *omnipræſens*, manifeſtum eſt eum qui *ſpiritum inviſibilem* invocat, illum *interpretativè* agnoſcere *Omnipræſentem*, & conſequenter, ſi ſpiritus *particularis* ſit & *finitus*, eo ipſo committere Idololatriam.

6. Nec poteſt profectò hujus demonſtrationis evidentia vulgatis illis ſubterfugiis evitari vel eludi, quaſi Sancti ſcilicet per particularem à Deo *Revelationem*, vel per *ſublimitatem* peculiaris ſuæ conditionis in ſtatu illo ſeparato & glorificato in quo ſint, omnia viderent & cognoſcerent. Enimvero qui ad hunc modum loquuntur, bacchantur quidem magnificè & præſtigioſas nunquam intelligendorum ænigmatum ampullas ejaculantur ſine omni Rationis probabilitate Scripturæve teſtimonio. Cùm hæc certè *poſt-figmenta* ſint, precariæq; Hypotheſes ad veſaniam ac enormitatem *Idololatricarum* ſuarum conſuetudinum excuſandam excogitatæ.

Quantùm enim ad poſteriorem ſuppoſitionem, omninò inſomnium eſt ut quis exiſtimet beatam putà Virginem vi ſolâ glorificatæ ac ſeparatæ ſuæ conditionis ab hoc terreſtri corpore, audire poſſe de cœlo, ad tam immenſam diſtantiam, pia murmura ac ſuſpiria affectuoſorum ſuorum ſupplicum, humiléſve ipſorum proſtrationes per terræ craſſitiem pervidere. Invocatur enim ab omnibus hujus Globi incolis in omnibus poſituris diſtantiiſve orbis habitabilis, etiam ab eis qui ſibi invicem *Antipodes* ſint, ubi ſi uni aſſiſtat neceſſe eſt ut Terræ ſaltem diametro diſtet ab altero, per quod intervallum nec viſus ejus nec auditus unquam poteſt penetrare.

Et quantùm ad Hypotheſin priorem, quàm puerilis & ridicula res eſt! quandoquidem prætendunt ſe *Sanctis* ſupplicare ut Deum ſuâ gratiâ alloquantur, quum *ſancti* interim Deum antè alloqui non poſſunt, quàm ille nuncium ipſis dicendum narraverit, ut qui illud à ſupplice priùs accipit eiſq; ſtatim communicat, ut illi denuò ad eum ipſi renarrent. Quod planè oſtendit incongruentiam ullas faciendi ſupplicationes ad Sanctos. Et verò (ſi conſideremus quàm perfectè placabilis Deus ſit & propitius, & quàm liberè ad eum accedi poſſit in ſolo nomine & mediatione Jeſu Chriſti) tam mutile eſſe Theologiæ aſſumentum & tam inſcitum ac inartificioſum, ut nullam fidem apud quenquam habere poſſit communis rationis compotem. Ac proinde nulla eſt hujuſmodi ſpecialis revelatio *Sanctis* facta quando nos precibus noſtris eos compellamus; & conſequenter hujuſmodi Invocatio (quæ Deo propria eſt propter omniſciam illius Ubiquitatem) ubi adeò perperam in *particulares* hos *ſpiritus inviſibiles* tranſlocatur, neceſſe eſt ut *interpretativè* actus ſit *Idololatricus*. Siquidem ejuſmodi cultus ipſis præſtatur qui talem in objecto excellentiam ſupponat quæ non reperitur niſi in ſolo Deo.

7. Nec certè Profeſſio ipſorum, quantùm ad alias rationes, quòd tam diminuentes de

de Sanctis opiniones conceperint (eos utiq; verum Deum non esse sed Intercessores Christo inferiores & similia) eos potest ab *Idololatria* excusare. Quippe quòd agnitio unius cujusvis *Excellentiæ* seu *peculiaritatis Divini Numinis* in eo quod mera est Creatura, proculdubio est *Idololatria*, quemadmodum unius cujuslibet Castelli proditio hosti Principis læsæ majestatis crimen est adversùs Principem. Et Pagani profectò Idololatræ existimati sunt ob cultum *Mercurii* totiúsq; ordinis *Medioxumorum* seu *Internunciorum* Deorum sive *Dæmonum*, quanquam apertè eos agnoscebant Deo supremo inferiores. Adeò ut videre non possim quin mera *Sanctorum Angelorúmve Invocatio* manifesta sit, immò verò *fundamentalis*, pars Idololatriæ, & ejusmodi quidem cui omnis Idololatriæ pompa ac apparatus sit superstructus, *ædificationem* intelligo *Templorum*, *Altarium* & *Imaginum erectionem*, *suffitus*, *Sacrificia* & similia. Universi enim desinunt in *Invocationem*, ex firma quadam fiducia quòd audiri possint, quam sanè cum ratione nemo de *spiritu* ullo *invisibili* concipere potest, nisi sit *omnipræsens*, quod *Invocatio* hæc naturaliter & necessariò supponit, alioqui actio minimè erit consentanea, sed oppidò quàm incongruens & ridicula. Omnes enim aliæ suppositiones de hujusmodi *spirituum invisibilium* conditione, arbitrariæ sunt, incertæ, imò verò planè incredibiles, talésq; ex quibus nulla nobis esse possit fides vel certitudo quòd preces nostræ audiantur.

8. Quartò, Et quemadmodum cultus *Invocationis* sive *Sanctorum* sive *Angelorum*, *absq; usu Imaginis*, adeò manifesta Idololatria est, ità & ipsorum *Invocatio*, aliúsve quivis eorum cultus *cum Imagine*, duplex necessariò est Idololatria, & ad tertium illius modum potest referri.

9. Quintò, Cultus Imaginis, putà beatæ Virginis aliúsve Sancti cujuslibet, per errorem utique, quòd ipsam Virginem aut hunc illúmve Sanctum esse putemus, est itidem *Idololatria*, & ad *quartam* illius Instantiam referri potest.

10. Sextò, Hominem quemvis adhuc in terris viventem cultu religioso colere, sive *gestu corporis* id fiat seu *Compellatione*, *Appellationéve*, aut aliâ quavis re quod signum est appropriatum *incommunicabilium* Excellentiarum Dei; hæc etiam est Idololatria, referríq; potest ad Instantiam primam.

11. Septimò & ultimò, Panem consecratum in Eucharistia adorare, quanquam ex plena persuasione quòd transubstantiatus sit in Corpus Christi, átq; adeò cum *Divinitate Hypostaticè* unitus, nihil obstante hac opinione de ipso conceptâ, actus revera est Idololatricus, & manifestò refertur ad Instantiam ultimam.

12. Omnes hi actus & alii quicunq; ejusmodi naturæ qui apud ipsos etiam Christianos inveniri possunt & sub prætextu colendi Deum Christúmq; usurpantur, sunt procul omni dubio actus *Idololatrici*, secundùm indubitatam illius notionem ac definitionem, quæ est, *Cujusvis rei cultus quæ non est Deus per signa religioso cultui appropriata*, talia scilicet, quæ vel consuetudo vel ipsius rei natura modos proprios nostræ agnitionis Divinarum excellentiarum constituerit.

13. Atq; nunc quidem postquam hujusmodi actus, Idololatricos esse probaverim, nihil opus est ut novam operam ad probandos eos esse illicitos impendam, quippe omnis Idololatria talis est, juxta suffragium Scripturæ omniúmq; omninò Mortalium. Nam aliquam Idololatriam licitam esse ex eo velle concludere, quòd *Petrus* εἰδωλολατρείων ἀθεμίτων mentionem fecerit, perinde ineptum est & nugatorium ac siquis ob mentionem impiarum Blasphemiarum adversùs Deum à quopiam factam, eum qui sic locutus sit, colligeret aliquas supponere Blasphemias contra Deum non esse impias. Quamobrem manifestum est ἀθεμίτων superaddi non quidem per modum *distinctionis*, sed *aggravationis* vel descriptionis, ut quando dicimus, *alba Nix* vel *Corvus niger*, quæ non adhibentur in communi sermone tanquam notæ distinctionis Corvorum vel Nivis in *albam* & *nigram*, sed sola Epitheta sunt, earum rerum naturam notantia. Quapropter, praxes hujusmodi & consuetudines quas enumeravimus, si in Ecclesiam Christi introducantur, unum constituent *Antichristianismi* ramulum, eúmq; principalem sanè; necesséq; erit ipsorum doctrinas qui istiusmodi praxes licitas affirmant, falsas esse & rationi minimè consentaneas. 1 *Epist.* 4 3.

CAP.

CAP. XIII.

1. *Professionem unius solius Dei veri populum non reddere* Idololatriæ *incapacem.* 2. *Istiusmodi cultum* Creaturæ, *quanquam eam Creaturam esse cognoscimus, præstare qui* vero Deo *proprius sit, esse* Idololatriam. 3. Judæos *fuisse* Idololatras *quamvis illum solum verum Deum professi sint.* 4. *Persuasionem, quòd* Panis Eucharisticus reale Christi corpus *sit, non excusare ab* Idololatria *ejus adoratorem.* 5. *Conditionis Ethnicorum qui* Solem *coluerunt cum hac* Artolatrarum *comparatio.* 6. *Sophismatis quòd Author olim ipse sibi imposuit in excusanda* Artolatria, *solutio.* 7. *Persuasionem, quòd Panis non insit Eucharistiæ, non excusare* Hostiæ adoratores *ab Idololatria.*

1. POstquam *Falsitatem Mysterii Iniquitatis* in hac parte tam apertè demonstravi, secundùm professam meam methodum ad *Fraudem* jam progrediar, quæ (prout suprà monui) fallaces *prætextus* & *perfugia*, unà cum *Sui-quæsitione* Promotorum hujus impii Mysterii, complectitur.

Et certè *Prætextus* ac *Perfugia* quibus se occultare volunt, oppidò quàm tenues sunt & exiles, *Sui* verò *quæsitiones* crassæ satìs esse possunt & palpabiles. Ut, meo quidem judicio, illa perquam misera foret Christianorum defensio, nempe, quòd illi profectò nullo pacto esse possint *Idololatræ* quoniam non esse nisi unum verum Deum Naturæ supra omnem Creaturam infinitò eminentis, apertè declaratéq; profitentur, quódq; proinde, si illi *Idololatræ* essent, ipsi sibi planè contradicerent. Quamobrem nulli Christianitatis professores, quamvis cultum religiosum *Sanctis* exhiberent, *Angelis*, *Imaginibus*, *Crucibus* & *Panis consecrati frustulo*, possent esse *Idololatræ*, præsertim si constanter factum negarent, & perfrictâ fronte coram Mundo testarentur se minimè esse tales.

Sed enimvero hujus excusationis ineptitudo & imbecillitas nimiùm quantùm apparens est, si consideremus quàm facile sit quámq; frequenter usu venire soleat ut homines suæ ipsorum fidei professioni contradicant. Quàm multi enim sunt etiam eorum qui reverà credunt vitam futuram, & tamen non ità vivunt tanquam si quicquam tale esset, atq; sic per actiones fidei suæ contradicunt? Quàm multi qui particularem profitentes Providentiam Dei Fidémq; in ipsam, in rebus tamen adversis ab ea non dependent, sed ad illicitas aliquas vivendi rationes divertunt, aut nefarium aliquod facinus committunt quo se in his angustiis sublevent sartósve tectos se conservent à periculo? Quàm multi qui magno sanè cum zelo invehuntur contra Crudelitatem & Injustitiam tanquam res quas Deus simul atq; homines abhorreant, & tamen ipsi interim insigniter injusti sunt & crudeles, omnium sanè judicio, quorum res illìc non vertitur, quamvis ipsi benigniùs proprias actiones interpretentur, & æquè strenuè ac confidenter suam Justificationem testaturi sint, quàm hi Christianitatis professores se non esse *Idololatras?*

Tit. 1. 16. Ità igitur fieri potest, ut, quod ait Apostolus ad *Titum*, homines *profiteri se possint Deum cognoscere, & tamen suis eum negare operibus.* Possunt quidem asseverare non esse nisi unum Deum verum, & Cultum tamen ei soli debitum huic vel illi Creaturæ præstare, absq; declaratione vel intentione, ut hæc Creatura habeatur pro vero Deo, Cultúsve *Religiosus* existimetur ei præstari tanquam Deo vero. Quæ profectò talis est Idololatria quæ nusquam apud ipsos Ethnicos inventa sit. Nec in humanam mentem explicitè potest cadere, non certè magis quàm contradictionibus fidem adhibere, etiam tum cùm tales eas esse existimat, aut religiosè contraire dictatis propriæ Conscientiæ, etiam cùm dictata hæc existimat esse vera. Tam manifestum est nullum populum Religiosè ac per Conscientiam illum Cultum quem soli Deo debitum sentiunt, præstare posse illi quod existimant verum non esse Deum.

2. At enim per Inadvertentiam, pravam Educationem, assuetámve Superstitionem, non est impossibile, quin nescientes aut saltem non animadvertentes, quòd hi vel illi Ritus rationésve Cultûs soli vero Deo propriè debiti sint, eos adhibeant in illius rei honorem quæ mera est Creatura vel Creaturæ Imago, sive *Sanctus* sit sive *Angelus*. Nec certè potest reminiscentia in hoc casu quòd Dei sint Creaturæ, hominem sartum tectum conservare ab Idololatria. Error enim in *natura Cultûs*, quem ipsis præstat, eum demergit in Idololatriam, quanquam interim *Objectum* tanquam *Creaturam* considerat. Nec Ignorantia excusationi esse poterit, ubi opportunitas

sit

sit melioris Informationis. Immò Incestus & Adulterium à nobis haberi debent & appellari Adulterium & Incestus, quamvis in usu sint ejusmodi Regionibus quæ illa approbent, debemúsq; affirmare eos magis pollutum esse populum quàm nos simus.

3. Quibus addere potes, Ecclesiam *Judaicam* aliquando fuisse *Idololatras* atq; sic à Prophetis Dei declaratos, quamvis cognitionem non abjecissent nec agnitionem sui *Jehovæ* unici illius veri Dei. Cur igitur Christiani Idololatræ esse non possunt quamvis etiamnum profiteantur se unicum illum verum Deum colere Jesúmq; Christum quem misit, eundem ipsum Deum Mariâ virgine olim incarnatum atq; sic in terris inter homines degentem?

4. Et particulatim quantùm ad Adorationem Panis in *Eucharistia* ex persuasione quòd verum Christi corpus sit, Christianus à crimine Idololatriæ nec per antecedentem defensionem generalem, nec per defensionem huic casui propriam purgare se posset, nempe, quòd is qui eum sic adorat omninò eum credit Christi corpus esse corporeámve illius præsentiam; non potest, inquam, purgare se hac ratione à reali reatu *Idololatriæ*. Ignorantia enim ejus nulli est ipsi excusationi non certè magis quàm priús.

Sensus enim Excusationis hic omnino est, se nimirum divinum hunc Cultum præstare Pani *apparenti*, quia reverà credit *Deum* esse, ac proinde debitum hujus cultûs objectum, neq; se plus cultûs tribuere objecto quàm ei debitum esse arbitratur. Si quis sensus sit in Ratione humanisq; Facultatibus, hic profectò sensus est hujus defensionis; quæ si solida sit ac justa, equidem admodum injustè facimus, quòd ullas Gentes Personásve per totum terrarum orbem commisse Idololatriæ insimulamus, quæ quidem seriæ essent in eo negotio peragendo. Possúntne enim religiosè ac seriò agentes, eodem tempore opinari, se *Divinum* hunc Cultum Objecto alicui præstare, ipsúmq; objectum interim tanti non esse cultûs capax existimare, quantum illi exhibent?

5. Infinitò potior ratio erat cur Pagani *Solem* verum illum æternúmq; Deum Creatorem rerum omnium ac Gubernatorem crederent, prout in *Liturgiarum* ipsorum fragmentis declaratur, quàm ut quivis Christianus imaginetur Panis consecrati frustulum eum esse. Nec quicquam dubito quin antiqui Pagani æquè firmiter crediderint *Solem* Deum esse, quàm Christianus quivis credere possit Panem Eucharisticum esse Corpus Christi. Et tamen credo nemini homini Christiano unquam venisse in mentem, ut dubitet an hi *Solis* cultores essent *Idololatræ*. Quî fieri igitur potest ut Christianus *Artolatra* ob easdem rationes *Idololatra* non sit, quum nihil ipsi rei insit quod unum excusare possit quin excuset & alterum?

Et quantùm ad mitigationem criminis ex utravis parte ob exteriores quaslibet circumstantias, breviter addo: Illustrem Solis splendorem, calorem beneficum, effecta notabilia, immensam influentiam in mundum hunc visibilem, longè fortius argumentum fuisse longéq; eluctabilius ad faciendum ut Pagani eum Deum esse crederent, quàm, *hoc est Corpus meum*, ullúmve super eo Patrum Ecclesiæ *glossema* jure esse poterat ad efficiendum ut Christianus quivis Panem Eucharisticum crederet corpus reale *Jesu Christi*. Ut præteream, quòd, quemadmodum Homicidium & Adulterium varios habere possunt aggravationis gradus, facto interim eodem permanente; ità sint certè Circumstantiæ pro ratione Imaginantium magis minúsve aggravabiles, ipse tamen actus quo de loquimur proculdubio est *Idololatria*.

6. Fateor equidem tempus fuisse quando magnoperè mihi ipsi placebam in eo, quòd tam evidens argumentum me invenisse putabam, ad probandam adorationem *Hostiæ*, quæ vocatur, non esse *Idololatriam* in eis qui ipsum corpus Christi eam esse crederent. Etenim errorem arbitrabar æquè excusabilem atq; in quem olim ipse incidi, cum puer essem, petendo à quodam è cognatis meis, viro sanè haud illepido, Benedictionem. Etenim sub obscuro crepusculo cùm ille fortè fortunà in cathedra se collocâsset quâ pater plerunq; solitus est sedere, ego sanè illàc transiens lectúmq; petens, orabam eum, consueto puerorum more, ut suam impertiret benedictionem, putans meum esse patrem: verùm eo remunerante cæcam meam pietatem benedictione ludicrâ altóq; cachinno, statim deprehendi errorem. Nescio profectò quantum leges *decori* transgressus sim trivialem hanc narrando de meipso historiolam, spero tamen Lectorem veniam daturum huic παιδιολογίᾳ, cùm tam aptè præsenti proposito possit inservire.

Jam verò erroris hujus mei usus candidus ac benignus olim hic erat. Quòd scilicet, quemadmodum nè minimam quidem intentionem habebam Benedictionem emendicandi ullúmve filii officium præstandi inidoneæ illi personæ quæ in Cathedra

ſedebat ſed Patri ſoli, ac proinde quanquam Peregrinus locum occupaverat, officium tamen illud dirigebatur, intendebatur & reverà præſtabatur illi ſoli, quamvis illîc non eſſet quò ipſum reciperet: ità per charitatem concludebam, (& certè quòd meipſum ad hunc modum fefellerim, magnum erat animo meo levamen, utpote cui minimè volupe erat plures obſervare in orbe errores, orbe præſertim Chriſtiano, quàm erat neceſſe) ſiquis Divinam *Hoſtiæ* præſtaret adorationem planè interim perſuaſus verum eſſe Chriſti corpus, quòd adoratio utiq; non magìs ad *Hoſtiam* tranſiret quàm mea Benedictionis emendicatio ad eum cui minimè omnium deſtinaveram; ſed quòd quemadmodum hæc poſterior in ſolidum dirigebatur ad Patrem meum, ità prior ad perſonam Chriſti tota tranſiret.

Hoc quidem ſophiſma quo meipſum illaqueaveram magnum quod dixi benigno meo Ingenio levamen erat ac voluptas, quamdiu laxiùs & incurioſiùs ſuper hac re cogitabam. Verùm poſtea, quum hiſce rebus accuratiùs anquiſitiúſq; penſitandis operam dediſſem, dictum ſanè illud *Solomonis* nimis quàm verum inveniebam, *Qui ſcientiam acquirit, acquirit dolorem.* Nec poſſum errorem illum ad hunc modum excuſare, quin eo ipſo omnes *Idololatras*, qui unquam extiterunt, modò in Idololatria ſua ſeriò rem egerint, neceſſariò excuſem. Nam proculdubio ſemper putabant ſe debitum objectum ſui cultûs habuiſſe, & quid aliud eſt *Idololatria* quàm debitum cultûs objectum non habere? Quamobrem ſi perſuaſio, quòd habemus, excuſabit nos ab Idololatria, nullus devotus ſeriúſq; *Idololatra* unquam reus erat illius peccati; quæ immanis profectò eſt contradictio.

Præterea, magna ſanè differentia eſt inter ſubitam ac inevitabilem abreptionem in actionem aliquam ſingularem, & conſtantem ejuſdem erroris repetitionem. Et major adhuc, ſi conſideremus quàm canora, poſtremis his temporibus, Monita contra hunc tam palpabilem *Tranſubſtantiationis* errorem edita ſint. Quandoquidem fuerunt qui voces ſuas intenderunt, hominéſq; inclamaverunt, non ſolùm ad ravim uſque, verùm uſq; dum ſanguinem expuerent, vitáſq; proprias effunderent liberè fidelitérq; teſtificando contra Idololatricam hanc Falſitatem. Et propterea ubi homines aut divertunt ad craſſum hunc errorem aut in eo malo illius effectu perſiſtunt, neceſſe eſt ut inexcuſabilis ſit *Idololatria* judiciis omnium hominum qui *Panem Euchariſticum* corpus Chriſti non eſſe crediderint. Cujus veritatis par profectò eſt certitudo quàm ullius rei quæ humano Intellectui proponi poteſt.

7. Nec poſtremò, perfugium iſtud ad rem ſuam quicquam faceret, ſi contenderent ſe non rectè dici poſſe *Panem* adorare, quippe qui nè credunt quidem eum illîc eſſe. Etenim controverſia eadam ferè eſt quæ priùs, neq; novâ indiget reſponſione. At verò ex eis quæro utra minor Idololatria ſit, *Accidentia Panis* adorare, quæ illîc eſſe agnoſcunt, an *Panem ipſum*? Et certè ſi Corpus Chriſti non ſubſit eis Accidentibus, actus ipſorum Adorationis in viſibilia Panis Accidentia cadit, quæ ſi minùs nobilia ſint ipſo Pane, Idololatria eſt major. Præterea Pagani qui *Solem* adorabant, non putabant eam ipſam rem quæ reverà Sol eſt, illîc eſſe; (Sol enim non eſt aliud quàm inanimis & nihil intelligens materiæ flammeæ maſſa) ſed ipſum ſupremum Numen eſſe arbitrabantur, quod illi colebant tanquam Eſſentiam Intellectualem quæ creavit & gubernat omnia, prout paulò ſuprà monui. Et tamen nemo dicet hoc eos ab *Idololatria* excuſâſſe quando *Solem* adorabant. Ubi igitur eſt eorum excuſatio, qui prætendunt ſe *Artolatriæ* illius immunes eſſe in quam inciderunt, propterea quòd Panem certè ibi eſſe non putant, hoc eſt, illud quod illîc colunt non eſſe Panem? Pagani enim non putabant juxta ſenſum notionémq; noſtram de *Sole*, qui proculdubio verus eſt ſenſus, *Solem* illîc eſſe; quanquam externa *Solis* ſpecies illis ſimul & nobis eadem videtur, ut externa ſpecies Panis eadem videtur & *Artolatræ* & ejus accuſatori.

CAP.

CAP. XIV.

1. *Diſtinctionis ineptitudo* Idolum *inter &* Imaginem *quando utraq; ſiunt Cultûs Religioſi objecta.* 2. *Nihil quod Eſſentiali & Infinitâ Excellentiâ non ſit præditum, debitum illius eſſe objectum.* 3. *Abſentiam Sanctorum à ſuis Imaginibus non excuſare ab Idololatria.* 4. *Improbabile eſſe, quòd ulla vera extet Imago Chriſti, ſi licitum eſſet eam adorare.* 5. *Illicitum verò eſſe adorare eam quamvis extaret.* 6. *Totum Decalogum eſſe* Moralem. 7. *Uſum Imaginum ad memoriam & devotionem, prætextum fuiſſe* Ethnicorum. 8. *Objecta externa Divini Cultûs impedimento eſſe illius perfectioni.* 9, 10. *Alia argumenta minimè contemnenda contra uſum Imaginum in Eccleſiis.* 11. *Multos alios eſſe modos excitandi devotionem in populo, Imaginibus infinitò meliores.*

1. ISta etiam admodum manca eſſet Apologia pro cultu *Imaginum Sanctorum*, nempe, eas *Idola* non eſſe ſed *Imagines* piiſſimorum *Sanctorum Dei* atq; *Chriſti*. *Idolum* verò eſſe *Imaginem Numinis* alicujus *Paganici*, ut *Bacchi*, *Veneris*, *Apollinis* & reliquorum, qui putabantur in ipſis *Idolis* reſidere, cùm *Sancti* apud Chriſtum ſint in *Cœlis*. Quaſi verò quæcunq; *Imago*, cui *cultus* exhibetur *religioſus*, non eſſet *Idolum*. Nulla enim intercedit differentia *Imaginem* inter ac *Idolum* niſi quòd una vox *Græca* ſit altera *Latina*, cùm utræq; ſignificent cujuſvis rei ſimilitudinem. Atq; hujuſmodi Imagines formare, innocuæ ſanè artis eſt ſpecimen. Verùm ubicunq; iſtiuſmodi *Imagines* ſeu *ſimulachra* rerum vel perſonarum *Divinum honorem Cultúmve religioſum* recipiunt, *Idola* ipſo facto evadunt vel peſſimo ſenſu ac craſſiſſimo.

Nec certè ulla ſufficiens ſuppetit Ratio, cur Imago *Bacchi Cereriſve* religiosè culta *Idolum* evaderet, *Imago* verò *Petri Paulive* non item; cúrve alterorum Invocatio *Idololatria* ſit, alterorum verò non. Quippe quòd ſi veri Dei cultus per *Idolum* ſit *Idololatria*, cultus profectò illius quod non eſt Deus, duplex erit *Idololatria*. Atq; hic rei ſtatus eſt tam in cultu Imaginis *Pauli Petrive*, quàm *Bacchi* vel *Apollinis*.

2. Etenim *Bacchus*, *Apollo*, *Ceres* & reliqui, Benefactores erant humani Generis quantùm ad *Animalis vitæ* gratificationes, prout fuſiùs alibi notavi; verùm infiniti Benefactores non erant. *Martem*, veriſimile eſt, fuiſſe ſtrenuum Bellatorem quando in terris degebat, at verò non eſt *Jehovah Zebaoth*, *Deus omnipotens:* Et *Apollo* vir ſapiens erat ac peritus, ſed non *omniſcius*. Quamobrem cùm *Divinas* has excellentias modo infinito & eſſentiali in ſe non haberent, *Divini cultûs* ſunt omninò incapaces. *Myſter. Pietat. lib. 3.*

Jam verò par ratio eſt de Benefactoribus in rebus *Spiritualibus* ac *Divinis* atq; in eis quæ *Animales* ſunt & *Naturales*. Ratio enim cur religioſi cultûs *Marti Apollinive* præſtatio ſit illicita, non eſt quòd Benefactores ſolummodo erant in eis rebus quæ ad *vitam Animalem* pertinent, ſed quòd non erant *infiniti* ac *eſſentiales Autotores fonteſve* illarum perfectionum: Atq; ea propter S. *Petrus*, S. *Paulus*, ſanctúſq; *Johannes*, immò ipſa beata Virgo, quanquam præclara profectò exempla erant potentéſq; ſuaſores ad Amorem Dei omniáq; officia ac perfectiones *Divinæ Vitæ*, quâ & ipſi tam eximiis modis erant ornati, tamen cùm *infinitè* non ſint nec *eſſentialiter* boni ſanctíque, religioſi quidem cultûs (qui in his circumſtantiis Idololatria evaderet) perinde atq; quivis prædictorum, omninò ſunt incapaces. Atq; ii ſanè qui cum eis *ſpiritualem fornicationem* committere volunt, quia tam ſancti ſunt boníque, æquè ridiculè improbi videntur, quàm iſti *Sectarii* qui feruntur pro nihilo ducere *carnale Adulterium* vel *Fornicationem* committere cum fratre vel ſorore, verùm apud prophanos impióſq; ſe ab hac libertate coërcere.

3. Nec poteſt illa ſuppoſitio, quòd *Sanctorum* Animæ in ſuis *Imaginibus* non ſunt, quemadmodum *Dæmones Paganici* in ſuis olim *Idolis* fuiſſe exiſtimabantur, vel minimam ſpeciem Excuſationis ſolidæ præ ſe ferre. Nam Præſentia *Sanctorum* cultum qui præſtetur, redderet magìs excuſabilem, ſiquidem ex eo magìs capaces ſunt ejuſmodi affectuoſorum acceſſuum & compellationum. Verùm hæc ſubterfugia adeò vana ſunt ac nugatoria, ut minimè digna ſint quibus immoremur.

4. Apologia pro cultu *Imaginis Chriſti* plauſibilior eſſe poteſt, ex eo quòd & verè Deus erat, & viſibilis ſimul formæ & figuræ. Hæc certè non contemnenda eſſet

ratio cur licitum ſit Picturam vel Effigiem ejus formare, verùm ad demonſtrationem, quòd illius cultus ſit licitus, neutiquam pertinget.

Præterea, quis novit quæ vera fuerit Servatoris facies? Et tunc ſanè quàm ridicula & inepta eſt illa affectio & voluptas in contemplanda Pictura quam ſuam eſſe exiſtimamus, cùm veriſimillimum ſit eam non ipſi ſimilem eſſe nec cuivis alteri quem noverimus? Non eſt enim probabile, triſtem afflictúmq; ſpiritum *Servatoris*, aut devotos ſuos ſectatores & rerum maximè ſeriarum anxios tanto abundâſſe otio, ut illius picturam delineandam curarent, qui *homo erat dolorum & agritudinis gnarus*. Cæterùm cùm *Divinitas* Hypoſtaticè unita ſit cum Chriſti ſolius Humanitate, cúmq; viſibilis illius perſona formæ figuræve fuerit certæ ac individuæ, & ab hac unione duntaxat oriri ſupponatur jus colendi ejus Imaginem: ſi Imago certè non ſit Imago Chriſti, (quemadmodum ſæpenumero, uti aiunt, accidit, ut Virginis Imago illius non ſit, ſed pulcherrimæ alicujus quanquam haud ſemper caſtiſſimæ è Civitate) ſed Imago alterius cujuſpiam, vel Imago temerè abſq; ullius Perſonæ imitatione facta, quæ unquam extiterit, fundamentum hujus juris colendi Imaginem Chriſti vacillabit, ità ut nemo certus eſſe poſſit quin committat Idololatriam. *Eſai. 53.*

5. Et præterea, quamvis vera eſſet Imago humanæ figuræ Chriſti, ut & hoc obtentum Fundamentum, quo licitum ſit eam colere; obliviſcimur interim, nè Chriſtum quidem ipſum debitum eſſe *Divini Cultûs* objectum, niſi quatenus ſit θεάνθρωπος, non *merus homo* ſed & *Deus*. Verùm qui Pictor, quive Statuarius deſcribere poteſt exculperéve illius *Divinitatem*? Quæve intercedit illam inter & hanc Statuam vel Picturam unio? Et quæ tandem nobis data eſt licentia violandi mandatum Dei, qui expreſsè nobis interdixit Imaginis vel ſimilitudinis cujuſvis rei cultum, imò ipſam Imaginis vel ſimulachri fabricationem ad cultum Religioſum? Nam ipſe Titulus primæ Tabulæ, qui eſt de Honore Dei, ejúſq; Cultu, planè oſtendit hunc illius Mandati eſſe ſenſum.

6. Atq; equidem, quantùm ad me, nullus dubito quin totus *Decalogus* ſit *Moralis*, atq; æquè ſeverè nobis interdictus ſit cultus Imaginum ac ipſum Adulterium. Cur enim miſceret *Moſes* officia naturarum adeò differentium in uno brevi Decalogo? præſertim cùm tam copioſè leges ſuas *Poſitivas*, ſive *Ceremoniales* ſive *Politicas*, in aliis locis tradiderit? Nam ſimplex interdictio Imaginis fabricandæ nullum omninò eſt præceptum, ſed prohibitio tantummodo eam convertendi in *Idolum*; ac proinde illa verba, Non incurvabis te versùs ea nec ea coles, *exegeticè* adduntur ad omnem errorem evitandum, planéq; ſignificant Idololatriam hic interdici, non ſimplicem Imaginum Picturarúmve delineationem; vel Imagines interdici nè in cultum Idololatricum fiant, prout ſuprà monui ex ipſo titulo primæ Tabulæ, quæ ad Religionem ſpectat officiúmq; noſtrum erga Deum.

Præterea, cur hæc *decem* præſertim *Mandata* dicuntur *Dei digito illis Tabulis lapideis inſcripta*, niſi ut *Typicè* nobis inſinuaret quòd ea ipſa Lex eſt quæ etiam Cordibus noſtris digito Dei inſcripta eſt, modo ſanè durabili & permanenti; quódq; mens cujuſq; ſi abſtergeretur purgaretúrq; è cœno ſitúq; qui ipſi inſidet, æterni illi characteres indiſpenſabilis *Moralitatis* ac *Rationis* tam conſpicuè & legibiliter illîc apparerent, ut non ſolùm congruerent cum *Decalogo*, ſed & eum, ſi fas ſit ità loqui, tanquam Legem juſtiſſimam æquiſſimámq; ratificarent? Satiſq; porrò notum eſt Servatorem modo ſpecialiſſimo *Decalogum* cohoneſtâſſe, indigitando eum tanquam veram viam ad æternam ſalutem. Generaliſq; eruditæ *Antiquitatis* conſenſus, *Moralis legis* compendium definivit. Neq; profectò quiſquam poteſt, qui diligentiùs illius naturam conſideraverit, quin æternam Dei legem Eccleſiæ ſuæ relictam, etiam in ſuo *literali* ſenſu agnoſcat. Sed enimvero in Chriſtianitatis gratiam (quæ cultum ſolitò longè ſpiritualiorem requirit) ità *Decalogum ſpiritualizare* ut hominibus Imagines colere ſit licitum: mihi quidem idem videtur atq; in craſſiſſimam eum *ſpiritualizare carnalitatem*, & perinde eſſe & impium & ridiculum, atq; mandatum *ſpiritualizare* adversùs Adulterium in ſanctam quandam licentiam concumbendi cum uxore proximi ſine culpa & pudore. Quem ſummum ferunt eſſe Chriſtianæ libertatis ac perfectionis gradum apud quoſdam *Sectarios*. *Matt. 19. 17.*

7. Poſtrema Apologia, quæ occurrit, pro religioſo *Imaginum* uſu in Eccleſiis adhibita, eſt, quòd *Memoriæ* ac *Devotionis* ſint adminicula, cùm mens vulgi adeò craſſa ſit atq; hebes, & plumbea, adeóq; alienata ab omni ſenſu ac conceptione *Deitatis* & *Religionis*, ut hiſce palpabilibus ac viſibilibus machinamentis attolli debeat & ſubvehi, quæ prehendere quidem poſſint, atq; ſic Devotionem ſuam & Affectionem erga res *Divinas* commodis his artificiis externiſq; fulcris ſuſtinere. Verùm hæc defenſio *Ethnicis* communis eſt cum lapſis *Chriſtianis*, cámq; Apologiam fallacem

cem frontem habere oportet, quæ causæ, quam in confesso est esse malam, perinde ac illi quæ bona esse prætenditur, inserviat.

Maximus Tyrius Statuarum usum in Cultu religioso ad hunc modum olim defendebat. Affirmans utiq; eas esse solummodò σημεῖα τῆς περὶ τὸ θεῖον τιμῆς, ᾗ ὥσπερ χειραγωγίαν τινὰ ἡμῖν ἐστὶ πρὸς ἀνάμνησιν· *Signa esse tantummodo honoris quem Deo præstamus, & manuductionem methodúmq; quâ eum reminiscamur.* Quantùm verò ad eos, inquit ille, quorum memoria firmior est, mentisq; acies directiùs penetrare nôrit in *Divinam Præsentiam*, hos quidem nihil opus habere hujusmodi adminiculis. Verùm illos supponit esse admodum paucos. Dissert. 38. Εἰ θεοῖς ἀγάλματα ἱδρυτέον.

Multa ad hunc sensum legere poteris apud illum *Sophistam*, qui postquam varios *Idololatriæ* modos, quemadmodum nos eos appellare debemus, in variis Regionibus notaverit, quódq; nihilominùs ubiq; ipsis esse possit τὸ θεῖον ἐν γνώμῃ; *Deus in animo*; quanquam affectio eorum erga ipsum externâ aliquâ Repræsentatione excitetur, ut Amatorum erga Amicas suas absentes Picturis aliisve quibusvis symbolis quæ ad eas referantur; pulchrè tandem ac plausibiliter Dissertationem suam hac quidem cautione seu admonitione concludit: Εἰ δὲ Ἕλληνας μὲν ἐπιτυχόντι πρὸς τὴν μνήμην τοῦ θεοῦ ἡ φειδίου τέχνη, Αἰγυπτίους δὲ ἡ πρὸς τὰ ζῶα τιμὴ, ᾗ ποίαμὸς ἄλλους ᾗ πῦρ ἄλλους, ἡ τιμιέσθω τῆς διαφορίας, ἴσωσαν μόνον, ἐράτωσαν μόνον, μνημονεύτωσαν μόνον· hoc est, *Si artificiosè affabréq; facta Statua* Græcos *ad Dei memoriam revocat, sacrum aliquod Animal* Ægyptios, *si Fluvius alios, si Ignis alios, diversitate equidem non offendor, intelligant solùm, diligant solùm, reminiscantur solùm*; τὸ θεῖον εἰς γνώμην ἔτω μόνον, *Deus solùm sit in animis ipsorum.*

8. Verùm enimvero, meo quidem judicio, siquis visum defigat in *Fluvium*, *Bovem*, *Statuámve*, ità ut advertat se hoc facere (& certè si non advertat in quem finem id faciat?) via est ad Deum ex animo suo excludendum compendiosissima. Quis enim de rebus duabus uno tempore satìs firmiter cogitare potest? Quamobrem illa symbola religiosa quæ minimè animadversionem nostram ad se attrahunt aut in se ipsa defigunt, sed eam Deo liberam relinquunt, ad perfectiorem illius cultum sunt utilissima. Et (quod adhuc magìs ad rem facit) nullum omninò habere in cultu objectum præter ipsum verum Deum, tutissima erit, quâ mentes nostras in integrum apud ipsum collocemus, ratio, quáq; veriores magisq; comprehensivas piásq; conceptiones de eo formemus, quàm ullo pacto possumus dum eum in Statua quavis, vel Pictura qualicunq; videre vel concipere prætendimus. Nam cogitatio de *infinita* illius *Sapientia*, *Bonitate*, ac *Potentia*, de *infinita* illius *Misericordia*, *Justitia*, ac *Veritate*, déq; harum *Effectis* quæ immensa ejus Providentia complectitur, sensus etiam ejus *Ubiquitatis* seu *Omnipræsentiæ*, quódq; in *eo vivimus*, *movemur*, ac *subsistimus*, magìs viva est pleniórq; repræsentatio *Deitatis*, quàm vel exquisitissima *Ars*, *Materiésve* pretiosissima potest suppeditare.

Quòd si quis *externam* Dei *Imaginem* quærit quæ sub ipsos sensus cadat, En *Universum hoc* quod videmus, omnium optimum ac pulcherrimum. Quod tamen res admodum angusta est quousq; nostri visûs acies penetrare potest. Quàm miseram igitur ac minutam *Repræsentationem* fore necesse est rem quamlibet particularem, sive *Naturalis* sit, sive *Artificialis*, ad significandam *Divinam Majestatem*, & quàm inepta indignáve quæ prætendat, objectum fieri, quovis sensu, cultûs Religiosi? Quantò ea necesse est ab interna piæ mentis repræsentatione deficiat, cùm & illa mentis repræsentatio amplissimum pulcherrimúmq; hujus visibilis Universi prospectum quem oculus capere potest, tam immensè excedat? Quamobrem quicquid Deum inter atq; nos per modum *objecti* in illius cultu interponitur, adminiculo profectò non est sed ejusdem cultûs perfectioni impedimento.

9. Et ut ad minora etiam descendamus; piæ Vitæ similiter cujusvis *Sancti* character melior & utilior *Sancti* Imago est, majorémq; illi amorem honorémq; conciliabit, quàm Statuæ ejus Picturæve exhibitio. Nulla enim Figura, Postura, nec Colores *sinceritatem Animi* delineare possunt eámve illustrare. Quævis enim Forma artificialis, aspectum habeat quantumvis religiosum atq; pium, tantò magìs viva est *Hypocriseos* Pictura, quippe quæ tantò longiùs abest ut sit quod præ se ferat. Ut hic præteream quod suprà attuli, minimè esse credibile, quosvis ex afflictis primitivis Christianis horas tam malè collocâsse, ut sederent dum Picturæ eorum describerentur, multóq; minùs beatam Virginem, sanctósve Christi Apostolos. Quod quidem facit ut religiosus Cultus ipsorum Imaginibus præstitus æquè *ridiculus* sit atq; *Idololatricus*. Manifestum est enim indicium nullas harum Imaginum veras esse, ex eo quòd omnes sic esse prætendant, perinde quasi omnes *Sancti* Dei, magni tuissent suarum terrestrium umbrarum admiratores, cùm verisimile non sit vel unum ex ipsis

sic

ſic fuiſſe. Adeò in ſolidum universímq; contemptibilis culpabilíſq; eſt Imaginum cultus in Chriſtianitate. Sed ut in viam redeamus.

10. Tantum igitur abeſt (quantùm ad *Deitatem*) ut hic Imaginum uſus in Eccleſiis mentem hominis in reminiſcentiam Dei & in debitum dignúmq; ſenſum illius & agnitionem erigat, ut eam altiùs faciat ſubſidere, eámq; in vilia abjectáq; *objecta* defigat, quinimò, per incuriam, hebetémq; ad res materiales ac ſenſibiles propenſionem in craſſas Idololatrias deprimat & immergat: Et (quantùm ad *Sanctos*) cùm inflammare eam in affectuoſam virtutum ipſorum admirationem prætendat, equidem facit ut in ea peccata delabatur, quæ illi ſummo cum zelo evitabant & abominabantur.

11. Quibus omnibus poſtremò addas, hanc defenſionem adhuc infirmiorem eſſe in cauſa Chriſtianorum, quippe quibus ſunt ſatìs idonea fulcra, & machinamenta, immò *cochleæ* ſi velis, *trochleæq;* ad excitandum evehendúmq; amorem hominum piámq; affectionem, in palpabili illa ac ſenſibili commemoratione *mortis Chriſti* Filii Dei Mundíq; Servatoris. *Deus amor eſt, & qui in amore manet in Deo manet & Deus in eo.* Qui igitur ſenſus, conceptio, repræſentatióve Dei melior eſſe poteſt, quàm immenſus quidam atq; infinitus Amor ac Benignitas? Et quæ melior ratio attollendi nos ad ullum debitum ſenſûs Amoris hujus gradum, quàm *Paſſionis Chriſti* Celebratio, qui pretioſiſſimum ſuum ſanguinem in Redemptionem Mundi profudit?

Præterea, Ad conſtitutum Cultûs publici locum ſtatis temporibus conventus, acceſſùs illuc permanſióq; ibidem cum reverentia, ſupplicationum perſpicuarum faciléq; intelligibilium ad Deum oblatio, luculentarum faciliúmq; ſcripturæ expoſitionum auditio, hujuſmodi proculdubio officiorum perfunctiones multò firmiùs hominum mentes ſuſtinebunt detinebúntq; in ſenſu *Deitatis*, quàm qualiſcunq; *Imaginis* aſpectatio. Et ſi Hymnorum, Pſalmorúmve cantationem ſuperaddas, ſive cum Organo fiat ſive abſq; Organo, modò ritè ea fiat modulatéque, devotionem populi longè potentiùs excitabit, ſenſúq; magis determinato, majoríq; ædificatione, quàm *muta* Picturarum Imaginúmq; ſpectacula, quæ nihil effari poſſunt, quando ad Idololatriam eis abutimur, præter ſtultitiam vel perfidiam eorum qui ipſas erexerint. Privatæ etiam domeſticæve Plebeis prælectiones, inſtitutionéſve quibus ipſi legere diſcant, præſentiam horum *ſilentum* Magiſtrorum reddent ſupervacaneam.

Qui uſus igitur eſſe poteſt aut *Imaginum* aut *Idololatriæ*, vel ad rerum Divinarum cognitionem promovendam, vel ad excitandam devotionem, vel ad præcavendum deniq; relapſui in perfectam Dei oblivionem omníſq; ſenſûs Religionis, cùm aliæ tam multæ támq; idoneæ ad hanc rem rationes ſuppetant?

CAP. XV.

1. *Finem generalem hujus impiæ ac inutilis Idololatriæ cultúſq; Imaginum eſſe* lucrum *Sacerdotis.* 2. *Artes variæ quibus hæ* Imagines *fiant* lucroſæ. 3. *Lucrum* Tranſubſtantiationis *cauſam eſſe cur admittatur ad perfectam explendam* Antichriſtianiſmi *Staturam.* 4. *Quàm mirificus poténſq;* Interceſſor Sacerdos *videatur ex hoc prætextu.* 5. *Variæ rationes è re ſua utendi lucroſâ hâc Perſuaſione.* 6. *Honor ineffabilis qui* Sacerdoti *videtur obtingere ob ſtupendum hoc miraculum.* 7. *Quòd jus videtur ei dare immunitatis à Juriſdictione civili, laboríſq; ipſi compendium facere aſpirandi ad veritatem ſanctitatémque.* 8. Prætextus *ipſorum pro* Idololatria *quamvis ſatìs tenues ſint,* Sui-quæſitiones *tamen eſſe oppidò quàm palpabiles.*

1. QUamobrem cùm *prætextus* pro Idololatria Imaginúmq; cultu adeò planè *Sophiſtici* ſint, videamus quæ *Sui-quæſitiones* ſuſtinere poſſint tam indignas conſuetudines eáſve ſuffulcire. Et certè conſilium eorum non tam altè abſconditum eſt, quin quivis illud diſpicere poſſit niſi datâ operâ cæcutiat. Eadem enim Mercatura exerceri poteſt quæ olim temporibus *Jeremiæ* exercebatur apud Idololatricos antiquæ *Babylonis* Sacerdotes, qualem notat in *Epiſtola* ſua. *Sacrificiis autem illorum venditis Sacerdotes abutuntur, eodémq; modo mulieres ab eiſdem in penum recondunt.* Et haud multò póſt. *Eis veſtimenta detrahunt Sacerdotes quibus uxores*

Verſ. 28.

uxores liberóſq; ſuos induant. In ſumma igitur; *Finis cultûs Imaginum* poteſt eſſe *Sacerdotis ditatio*, omnéſq; ſuprà dicti *Prætextus* & excuſationes ethnici formaſq; ad ſuum *lucrum* ſolummodo augmentandum. Enimvero niſi hujuſmodi aliquod ſubeſſet *Mundanæ Utilitatis* Myſterium, miranda profectò res eſſet ut Chriſtiani Sacerdotes iſtiuſmodi conſuetudinem retinerent quæ tam manifeſtò Dei verbo repugner, & tam expreſſim ac particulatim ſecundo *Decalogi* præcepto adverſetur, quæq; tam ingens ſcandalum ſit multis ſobriis piiſq; Chriſtianis, & tam immane deniq; tum *Judæis* tum *Turcis* offenſaculum.

2. Non eſt igitur difficile imaginatu, poſtquam ſtatuam hujus vel illius *Sancti*, Virginis putà *Mariæ*, S. *Jacobi*, S. *Petri*, aliorúmve quorumcunq; erexerint, ſcitéq; eos ac decorè ornaverint, formáq; perſonali ſatis vivâ eos exhibuerint, quòd populum docere poſſint (qui ad hujuſmodi *ſpiritualem Fornicationem* nimiùm ſint proclives, præſertim inſtigati animatíq; conſilio & exemplo lenocinantium ſuorum Ductorum) non ſolùm *ora* in *orationibus* aperire, ſed & *manus* in variis *oblationibus*; quippe quorum rudes animos ſuperſtitioſo metu imbuerint *Sanctum* offendendi ſi manu vacuâ accederent, & quibuſdam artibus fortean efficere potuerint, ut *Imago* nunc frontem caperare nunc arridere ipſis pro donorum ſuorum tenuitate & amplitudine videatur, aut ſaltem oblatores ad æmulationem provocare ſuſpendendo in omnium conſpectu quod oblatum ſit Imagini, etiam cum nominibus religioſorum ac liberaliorum Clientum.

Evulgatio etiam quòd hic vel ille *Sanctus* peculiarem habet facultatem edendi hæc vel illa miracula, his vel illis morbis medendi, aut opitulandi in hujuſmodi anguſtiis vel calamitatibus, quódve tantâ putà copiâ Indulgentiarum ſit dotatus; quàm fortiter hæ opiniones attractare eſſent ſuperſtitioſos homines ac ſimplices etiam ad Vota in periculo ipſis nuncupanda, & ad ſuſcipiendas Peregrinationes ad eorum Templa vel Sacella? Ubi introducti ad *viſibilem* quaſi *præſentiam* ipſius *Sancti* bene ornato ſuo ſimulachro ſtatuáve repræſentati, (ſive ex opinione alicujus opis jam præſtitæ, ſive expectatione alicujus auxilii futuri) non poſſunt profectò, præ pudore, quin ſaltem pro ratione facultatum ſuarum offerant, nihil dubitantes quantò liberaliores fuerint Clientes tam benigno ac potenti Patrono, fieri non poſſe quin aliquando recepturi ſint ſaltem par ſoluto pretio mercimonium.

Cæterùm interim non conſiderant quòd imitatio alicujus peculiaris virtutis in quolibet horum *Sanctorum* plus eos obligaret, (εἴ τις αἴσθησις, ſi qua ſit illis rerum humanarum notitia) ad benefaciendum ipſis quantum poſſunt, quàm ſi quis univerſas ſuas opes ad ſtatuarum ipſorum pedes devolveret, quódq; ſincera oratio ad Deum directa per Chriſtum majorem apud ipſos gratiam obtineret, quàm ſi ad ſeipſos facta fuiſſet. Quemadmodum quivis bonus Chriſtianus citiùs opitularetur homini pauperi quem apud Deum ſeriò piéq; de paupertate ſua conquerentem fortè offenderit, quàm ſi à ſeipſo opem popoſciſſet.

3. Manifeſtò igitur videmus quàm *lucroſa* in *Imaginum cultu* ſtabiliendo & *Invocatione Sanctorum* exerceri poſſit *Mercatura*. Et certè niſi hujuſmodi aliquod fulcrum, Myſterioſum illud *Tranſubſtantiationis* Commentum & Idololatriam ab eo dependentem ſuſtentaret, proculdubio tam immanis támq; apertè Scripturæ repugnans communíq; Senſui ac Rationi contraria Abſurditas nullo pacto poſſet pars ulla eſſe illius Ideæ *Antichriſtianiſmi* quam ego deſcribo. Nunquam enim *irrepere* poſſet in Eccleſiam Chriſti ſuo nomine, ſed quatenus alii alicui Fini ſeu propoſito inſerviret; ſaltem non poſſet illîc *retineri* poſtquam ſemel diligenter ſerióq; examinata eſſet, niſi admodum *lucroſa* reperiretur ſuis propugnatoribus.

4. Quibus igitur *Sui-quæſtionibus*, inquies, inſervire poteſt ſimulata hæc poteſtas tam ſtupendum patrandi miraculum, quàm eſt *panis commutatio*, *in Euchariſtia*, *in ipſum Corpus corporeámve Chriſti præſentiam*? Ingentibus proculdubio, & ad maximas *Sacerdotis utilitates* non obſcurè collineantibus. Is enim qui exiſtimatur habere poteſtatem *pronunciando quatuor quinquéve verbula*, *efficiendi* ut *Jeſus Chriſtus*, qui Deus eſt benedictus in æternum, *perſonaliter & corporaliter præſens ſit*, non facilè putari poteſt ità anguſtari limitarive in ſuæ Intentionis effectu, quin poſtquam *Perſonalis Chriſti præſentia* procurata ſit, eas ipſas res effecturus ſit quas Sacerdos in ea procuranda intendebat. Quemadmodum pauci dubitant, quin is qui *ſpiritum* excire nôrit, qui ſit quaſi δὸς ὑπὸ μηχανῆς in præſentibus rerum anguſtiis, à *Spiritu* illo impetrare poſſit, ut eas res adjuvet ob quas eſſet excitus.

Quamobrem, ſi ſupponamus Sacerdotem poteſtatem habere devocandi realem hunc δὸς ὑπὸ μηχανῆς in *præſentiam corporalem* hujuſmodi *Divino carmine* (prout ipſi profectò, ſibi intus interim carmen canentes, illud facere volunt) quis dubitare poteſt,

poteſt, quin cùm Chriſtus *corporaliter* adſit, adjuturus ſit etiam, fauturus, effecturúſq; rem quamlibet licitam ob quam Sacerdos virtute verborum Conſecrationis eum illuc accerſiverit? Chriſtus, inquam, cùm adeò realiter corporalitérq; adſit (corpore, animâ, & Divinitate) cúmq; tam viſibiliter ac perſonaliter offeratur per manus Sacerdotis, prout Populus quidem opinatur, ad impetrandum hoc vel illud beneficium à Deo, nequeunt illi profectò dubitare, quin is, cùm tale in manu pignus habeat, quodlibet à Deo impetraturus ſit, quod non planè ſit illicitum. Nam ſi modo hoc palpabili filium ſuum ei largitus eſt, quidnam, obſecro, eſſe poteſt, quod illi tandem ſit negaturus? Proculdubio qui Sacerdoti in uno fidem habent, haud facilè illi diffident in altero.

5. Quapropter Sacerdos tutò poſſit virtute hujus oblationis Chriſti *realiter* & *perſonaliter* in *Miſſa*, directioníſq; ſuæ intentionis in hac re ſacra peragenda, prætendere Sacrificium hoc valiturum eſſe pro *vivis* ſimul & *mortuis*, pro *ſanis* & *ægrotis*, pro *Hominibus* & *Beſtiis*, ſe per hoc *animas* poſſe *liberare* è *Purgatorio*, homines à *Peſte* conſervare, mederi *Pecoribus*, *Febres* fugare, *Dentium dolorem* prævertere, *Bona perdita* recuperare, *Oculorum* curare *lippitudinem*, adversùs Inimicos *Victoriam* dare, bonam deniq; *Vxorem Maritúmve* procurare, & quid non!

Quapropter *Sacrificulus*, cùm tam eximiâ imbutus ſupponatur poteſtate, modò tam affabilis eſſe velit & acceſſibilis, ut adiri poſſit & pro re nata ad utendum facultate, vel prece vel pretio adduci, an non pro certo utriuſlibet optionem habere poterit? Unde manifeſtum eſt, ſi *Sacerdotes* hac ratione ſe ditare vellent, omninò eſſe in eorum poteſtate. Eos verò pecuniam recepturos eſſe pro hujuſmodi rebus ſacris peragendis piíſq; officiis, haud ſanè difficile eſt imaginatu. Ac proinde minimè alienum eſt in hac *Antichriſtianiſmi* pictura quam deſcribo, hoc lineamentum ſupponere, quòd utiq; hæc *Tranſubſtantiationis* Opinio ſtrenuè mordicúſq; ad ſuffulciendas augendáſq; opes *Antichriſtiani* Sacerdotii poſſit teneri. Nam ſi omninò falſa ſit, quemadmodum eſt procul omni dubio, Mater eſt etiam *Idololatriæ*. Ac proinde Inventores ipſius vel Fautores meritò appellari poſſunt *Antichriſtiani*, præſertim cùm ſupponatur turpis lucri causâ tam acriter defendi.

6. Cæterùm fieri poteſt ut non opes ſolæ finis ſint ſcopúſve prodigioſæ hujus doctrinæ, ſed perſonarum ipſorum in majorem exiſtimationem & honorem quàm qui mero homini ritè competat, exaltatio. Transformatio enim fruſtuli Panis in realem Perſonam *Chriſti*, res pauxillò profectò minor eſt quàm *Creatoris Creatio*. Et ſi beata Virgo ob id ipſum quòd *Dei Mater* ſit, etiam ipſorum judicio, mereatur, quam illi appellitant, ὑπερδουλείαν, cultûs genus *Divino* honore, qualem ipſi Deo tribuimus, paulò inferius, quâ reverentiâ ſe dignos exiſtimaturi ſunt, qui illius ipſius *Dei* cujus *Maria* Virgo mater dicitur, ſeipſos imaginantur Creatores?

Magna profectò cuivis meritò videri poteſt difficultas, rationem excogitare, quâ ſufficiens exprimatur honor ac reverentia hujuſmodi *Thaumaturgico* Sacerdotio, qui hoc uno miraculo, quod tamen illi frequenter faciléq; faciunt, (quanquam ſanè Servator ſpiritu infremere coactus eſt ac ſeipſum turbare quando *Lazarum* è mortuis excitabat) qui, inquam, uno hoc miraculo mutandi inanimum elementum panis in vivum corpus perſonámq; Chriſti, omnia miracula quæ Chriſtus unquam fecit excedunt, creando utiq; eum qui omnium eorum miraculorum effector erat, ídq; etiam tunc quando non deſiit eſſe, & (quod aliud ingens miraculum eſt) faciendo ut panis nihilo alius externis noſtris ſenſibus appareat, ac fuit antea. Quem honorem quódve Privilegium jure illi ſibi vendicare non poterunt, qui fidem fecerint populo ſe frequentes quidem eſſe tam ſtupendi, tam incomprehenſibilis, & tam impoſſibilis Prodigii Effectores?

7. Equidem qui derivatam in ſe habent ejuſmodi illimitatam ac miraculoſam poteſtatem, quæ leges *Phyſicæ*, *Logicæ*, & *Metaphyſicæ* maximè adamantinas excedat, immò verò eiſdem adverſetur & repugnet, viderine poteſt aliud quàm modeſta quidem *Aſſumptio*, ſi ab omnibus etiam legibus *Politicis* & *Poſitivis*, niſi quas ipſi fortè fecerint, immunitatem ſibi poſcant?

Etenim quàm ſanctam, quàm ſacram perſonam eum Mundo apparere oportet, qui tam facilè támq; frequenter adeò ſtupendum edit miraculum? Et propterea quàm indecora res eſſet, ſi *ſeculares Poteſtates* ullum dominium in eum prætenderent, qui tam *Divinâ* poteſtate ſit præditus? Παραπλήσιον γὰρ ἂν τὸ Διὸς ἄρχειν ἀξιοῦσιν, *Perinde enim eſt ac ſi leges* Jovi *ipſi ponere vellent*, (quemadmodum *Ariſtoteles* loquitur de ſuo virtute *Heroicâ* prædito:) ὥσπερ γὰρ θεὸν ἐν ἀνθρώποις εἶναι δεῖ τὸν τοιοῦτον, *Par enim eſt ut hujuſmodi vir tanquam Deus inter homines ſit*; vir utiq; tam eminenter inſignitérq; *bonus* quàm ille deſcribit. Quo igitur in loco ille habendus eſt qui exiſtimatur

Polit. lib. 3.

matur *poteſtatem* habere (quod magis conſpicuum populo eſt admirationis objectum) aut *æqualem* aut *ſuperiorem* potentiâ ipſius *Dei*, qui, ut ſapientes communi conſenſu definierunt, ea efficere non poteſt quæ implicant contradictionem?

Quamobrem, ſi degener Sacerdotium Chriſtianum perſuadere poſſit populo ſe poteſtatem habere tam immane edendi ac incomprehenſibile miraculum, quod ad augendam ipſorum exiſtimationem tam immensè conducat, minimè profectò mirum foret, ſi perquam fervidi futuri eſſent *Impoſturæ* propugnatores, ut quæ illis, apud eos qui ei fidem habuerint, adeò ingentem honorem ac venerationem conciliaret, & difficilioris illius viæ eò perveniendi, (*immaculatæ ſcilicet Sanctitatis & Exemplaritatis vitæ, ut & Veritatis ſolidæq; cognitionis Myſteriorum Religionis quam profitentur*) ipſis faceret compendium.

8. Quapropter, quanquam Perfugia prætextúſque, pro *Sanctorum Invocatione*, prò *cultu Imaginum* & *Hoſtiæ adoratione*, tenues ſint & nugatorii, videmus tamen *Sui-quæſitiones* in his *Idololatricis* ritibus & conſuetudinibus ſatis conſpicuas eſſe poſſe ac palpabiles: Verùm utraq; conjuncta *Antichriſtianam* illam *Fraudem* conſtituunt (& certè eſt una ex eminentiſſimis) quæ diſcooperiri poſſit, in *primo* hoc ac præcipuo *Antichriſtianiſmi* membro, quæ eſt *Idololatriæ* in Chriſti Eccleſiam *Introductio.*

CAP. XVI.

1. Idololatriam *eſſe ſummam maximéq; peculiarem injuriam quæ Deo fieri poſſit.* 2. *Quòd* cultus religioſus *Sanctis Angeliſve præſtitus, realis contra ipſos* contumelia *ſit ac* blaſphemia. 3. *Ingens malum animabus humanis factum per* Idololatriam. 4. Idololatriam *homines convertere in Lupos ſanguinolentos atq; Urſos*; 5. *Matrémq; eſſe atq; Nutricem fœdiſſimarum Impuritatum.* 6. *Quòd Fons ſit omnimodæ Improbitatis & æterna mors* Idololatræ. 7. *Magna damna quæ Chriſti Eccleſiæ facit.* 8. *Quòd Eccleſia domi per Idololatriam minuitur.* 9. *Ejúſq; propagatio impeditur foris.* 10. *Totúſq; conſequenter mundus ab ea afficitur injuriâ.*

1. BReviter nunc *mala* conſiderabimus, horrendæ hujus Enormitatis, quæ aut ad *Deum* (quantùm quidem *malum* ullum ad eum poteſt pertingere) aut ad *Sanctos*, aut ad ipſos *Idololatras*, aut ad *Eccleſiam*, aut ad *Mundum* deniq; reliquum pertingant.

Peccatorum omnium *Idololatria* maximè propriè dici poteſt Deo injurioſa, quippe quæ adeò peculiariter ad jus cultûs honoríſve ſui ſpectat, quem nec alteri dare vult nec ſibi ſinere auferri. Et profectò ſummopere rationi conſentaneum eſt ut ſibi integer reſervetur cùm nullum aliud *Tributum* præter hoc ipſi poſſit competere. Etenim Deus, qui infinita perfectionis eſt plenitudo, nullius rei indigere poteſt; nos verè cùm omnes ab ejus plenitudine receperimus, nec quicquam præterquam quod ab ea receptum ſit habeamus, equidem tum juxta ſenſum æternæ illius legis *Rationis* ingenuæq; *Gratitudinis*, tum expreſſam ſacrorum præceptorum Scripturæ injunctionem ſit, ut modi proprii ſint *Divini Honoris*, *Benefactori* tam *infinito* peculiariter debiti, quos quidem abalienare vel profanare applicando cuivis Creaturæ, maximè abominandum reputari debeat maximéq; execrandum Sacrilegium quod ullo pacto committi poſſit.

Deum igitur hoc honore defraudare, quo de ubiq; ſe adeò præbet ſolicitum, & tam ſeverum illius vindicem, ſumma quidem eſt contumelia ſive injuſtitia quæ contra glorioſam Cœli majeſtatem offerri poteſt. Quæ veritas adeò in confeſſo eſt apud omnes, ut eam ulteriùs proſequi planè ſit ſupervacaneum.

2. Quod ſequitur majus fortean videbitur *Paradoxon*, nempe, quòd per exceſſum honoris cultúſve quem *Sanctis* exhibemus, injuriâ eos afficimus, contumelioſéve tractamus nimiam ipſis habendo reverentiam. Et tamen ità reverà ſe habet, ſi rem ſtirpitus excutiamus, atq; examinemus. Nam fervida ac diligens præſtatio illius cultûs qui ipſis fit, argumento eſt nos omninò credere eum ab ipſis acceptatum iri: Verùm ut illi acceptent honorem illum cultúmve qui Deo debetur, (& certè omnis religioſus Divinúſq; cultus debetur Deo) idem eſt àtq; Conjuratores ſe ge-

rere ac Perduelliones contra *Divinam Majeſtatem*, uſurpantes aut ſaltem acceptantes *illius* jura ac privilegia: & cùm verè *Sancti* eſſe debeant fideléſq; ſubditi Chriſti cœleſtíſq; ejus Regni, *Titanas* agere & *Gigantes*, filióſve *Luciferi*, qui ad Thronum Dei aſcendere volunt, ejúſq; Imperium inter ſe partiri.

Quamobrem quicunq; prætendunt *Sanctos* ejuſmodi honores cultúſve qui ipſis præſtantur, velle acceptare, reverà toti Mundo divulgant ſuperbos eos eſſe ac inani gloriâ inflatos, immò Conjuratores eſſe ac Perduelliones adversùs Deum; atq; ſic honoris loco, reipsà eos afficiunt injuriâ, calumniando eos, eóſq; blaſphemando.

3. *Malum*, quod ipſis *Idololatris* fit, perquam magnum eſt, & obſervatu obvium: ſiquidem *Imaginum Sanctorúmq; cultus* mentem deprimit eámq; ſuperſtitioſam efficit & puſillanimam, pingues craſſóſq; rerum conceptus ingenerat, ſpiritúſq; fæculentos reddit ac carnales, & ad res materiales nimiùm quantùm propenſos, adeò ut *exterioritas* & *palpabilitas* exercitii affectionum ſuarum ſecundùm hunc modum erga res Divinas, eò homines inclinet, ut majori proclivitate ac promptitudine ad alia viſibilia objecta eas tranſponant, atq; ità ſtatim à blandè ſalutando amplexandóq; frigidas Imagines inaniméſq; ſtatuas, & id genus ſenſibilia & palpabilia Religionis ſuæ objecta, ad eblandiendos tepentis carnis amplexus ſe recipiant, ſéq; ejuſmodi impuritatis peccatis polluant quibus antiqui *Paganici Idololatræ* inſigniter ſe contaminabant.

Etenim omnis profectò hujuſmodi ludicra & ſuperficiaria Religio neceſſe eſt ut corpus peccati integrum relinquat & intactum; internúmq; hominem emortuum planè ac enectum; ità ut habenæ cuilibet carnis impetuoſitati plenè laxatæ fuerint, fœdáq; libido, ſanguinolenta iracundia, ac zelus pro iſtis Idolis Fornicationis (quemadmodum fit in irâ percitis Nepotibus Dominarum ſuarum causâ) ubiq; neceſſariò dominatura ſit omniáq; inundatura. Obtuſa, inquam, craſſities harum *ſuperſtitionum* mentem relinquit nec mortificatam nec illuminatam, ſed tamen zelum pro iſtis excitat & ignarum & ſanguinolentum ſimul ac barbarum. Quæ, meo quidem judicio, maximè deploranda conditio eſt quâ anima quævis conſtitui poſſit.

4. Cæterùm quòd ferina hæc rabies Idolorum amorem comitatur (ut multa in Scripturis exempla prætermittam) veritas eſt ampliter quidem ſcripta & innumerabilium multitudinum primitivorum Martyrum ſanguine teſtificata; qui tanta cum ignominia, tótq; cruciatuum modis trucidati ſunt ob contemptum ſuum & oppugnationem antiquæ *Paganicæ Idololatriæ*, quemadmodum apud omnes eſt in confeſſo. Et *Idololatria* certè ſive *Paganica* ſive *Chriſtiana*, naturaliter eos inclinat qui ei reverà addicti ſunt, ad conſimilem crudelitatem, furorem ac inſaniam. Et tametſi crudelitas Urſi quidem Lupíve *noxa* magìs videtur eorum qui ab illis læduntur quàm *malum* ipſarum Beſtiarum, quantùm tamen ad eam *Circen* quæ homines in hujuſmodi ferinas formas convertat, pauci dubitant, quin illa *humana* ipſorum *corpora* injuriâ afficiat. Quàm injurioſa igitur *Circe* eſt *Idololatria* quæ *ipſam mentem* transformat in hujuſmodi *belluinam Ferocitatem!*

5. Et quod *Impuritatem* ſpectat, Quòd tam contigua ferè Idolorum cultûs ſit pediſſequa, veritas eſt ſæpenumero in ſacris Scripturis inculcata, ut in Epiſtola ad *Ro-*
Cap. 1. v. 26, 27. *manos*, ubi Apoſtolus expreſsè affirmat, quia Gentes *veritatem Dei mutaverant in mendacium, & coluerant ac ſervierant rebus creatis* plùs quàm *Creatori*, (vel potiùs *præter* Creatorem) *idcirco Deum eos permiſiſſe animi ſui cupiditatibus in tantam impuritatem, ut eorum fœminæ mutarent uſum naturalem in non naturalem, ſimilitérq; mares omiſſo fœminæ uſu naturali exardeſcerent mutuâ libidine, mares cum maribus obſcœna perpetrantes, atq; ità dignam errore ſuo mercedem in ſe accipientes.* Item è
Cap. 14. 24. tertio libro *Regum*, ubi poſt mentionem ædificationis Ararum & Statuarum paſſim in collibus editis, ſtatim ſubjungitur, *ſed & effœminati fuerunt in terra, &c.* Loca tot ſunt & tam obvia ubi etiam *non-naturales obſcœnitates* cum *Idololatria* conjunguntur, ut ſupervacaneum perinde eſſet ac faſtidioſum, ea recitare. Et propterea res admodum ſuſpicanda eſt, ubi *Idololatria* Chriſti Eccleſiam maximè invadit, omnimodam ibi impuritatem ſimiliter maximè abundare.

6. Sed enim remiſſus nimis leníſq; ipſe mihi videor in hac mea accuſatione adversùs *Idololatriam*, dum illius *Noxam* ad *Impuritatem* ſolùm ac *Crudelitatem* re-
Cap. 14. 16. 27. ſtringo. Author enim libri *Sapientiæ*, illius effecta his limitibus non claudit, ſed ad *Furtum* porrò *Fraudémq;* extendit, ad *Perfidiam*, *Tumultum*, *Perjurium*, & quid non? *Nam infandorum ſimulachrorum cultus*, inquit ille, *omnis mali origo, & cauſa, & finis eſt.* Sanctúſq; *Paulus* in ſuprà dicta Epiſtola fontem eam facit omnigenorum Vitiorum ac Improbitatum: Quod non temerè ſed optima cum ratione concludit;

concludit; *Quemadmodum enim Dei cognitione non probè uſi ſunt, ità permiſit eos Deus in improbam mentem, ità ut nefaria faciant, pleni omnis injuſtitiæ, ſtupri, perverſitatis, avaritiæ, malitiæ*; referti *invidiâ, cæde, jurgio, fraudulentiâ, nequitiâ*; *ſuſurrones, maledici, Dei oſores, contumelioſi, ſuperbi, arrogantes, malorum inventores, contumaces erga parentes, inſipientes, inſociabiles, inhumani, perfidioſi, immiſericordes.* Tantum improbitatis diluvium in homines irrumpit ex eo quòd ſe addixerint *Idololatriæ.* Nam deficientes à Deo per nefarium hoc peccatum, Deus viciſſim deſerit, quemadmodum nos monet Apoſtolus. Rom. 1. 26, 29.

Et præterea, Idololatrici cultûs vecordia, quæ affectus ad tam craſſa incongruáq; objecta evocat, meliorum rerum ſenſum naturaliter conſopit, *verámq; Religionis vitam* extinguit, *quæ mentis eſt in imaginem vel ſimilitudinem Dei atq; Chriſti Renovatio, in ſancto ac pacifico Amore conſiſtens, & in puro, caſto, impollutóq; ſpiritu & à vanis hujus præſentis mundi cupiditatibus minimè maculato.* Unde neceſſe eſt ut Idololatriæ introductio in Eccleſiam Chriſti, illius ſit omni genere vitiorum ac improbitatum inundatio. Verùm illa conſideratio ad locum potiùs proximum ſpectat; *Noxam* utique, quæ in *Eccleſiam* ab *Idololatria* redundat: ad quam pergam continuò, poſtquam breviter unam ampliùs *Noxam* notaverim quæ ipſum *Idololatram* attingit, quámq; puto illius animum maximè omnium penetraturam. Eſt autem hæc; *Quòd portio illi aſſignabitur in ſtagno ardente igne & ſulphure, quæ eſt mors ſecunda*; hoc eſt, æterna illa mors ac pernicies quæ certiſſimè omnes Dei inimicos tandem eſt oppreſſura. Apoc. 21. 8.

7. *Noxam*, quæ *Eccleſiæ* ab Idololatria obtingit, partim jam indigitavi, nempe, quòd via ſit ad illam omni genere vitiorum conſpurcandam omnium compendioſiſſima, quódq; ipſo facto hanc, quæ puram *Chriſti ſponſam* præſtare ſe debet, in fœdam transformet putidámq; *Meretricem.* Quibus addere potes magnos illos angores & ægritudines animi in quas vera Chriſti membra conjiciuntur, dum adeò abominandas conſuetudines praxéſq; intuentur. Ut perſonarum ipſorum præteream expoſitionem, ſævarúmq; periculum perſecutionum, ac difficiles illas Tentationes & inquietantes animi Anxietates ac Solicitudines quæ natutaliter ipſos invadant, quatenus Homines ſunt mortalíq; carne conſtituti, omnibúſq; malis quibus ea ipſos exponat, obnoxii, & injurias deniq; præſentes, contumelias, incarcerationes, mortéſq; multifarias quæ ſinceriſſimam partem Corporis Chriſti, quòd aut oppugnent, aut cum aliis communicare nolint in Idololatricis ſuis abominationibus, neceſſariò opprimerent.

8. Neq; hoc tamen rem totam exhaurit; Ingens adhuc *malum* ſupereſt valdéq; memorabile, tremendo hoc Idololatriæ peccato Eccleſiæ factum, nempe quòd impediatur quò minùs ſe extendat expandátq; per totum terrarum orbem.

Chriſtianæ noſtræ *Fidei* pars eſt, prout eam in *Nicæno ſymbolo* profitemur, unam eſſe Eccleſiam *Catholicam* & *Apoſtolicam.* Quod planè ſupponit Eccleſiæ jus eſſe ut fiat *Catholica*, extendatúrq; per univerſam faciem Terræ. *Verúmq;* præterea ac *proprium* hujus Eccleſiæ Catholicæ *characterem* eſſe ut ſit *Apoſtolica.* Gentem nimirum quamlibet Populúmve, partémve cujuſvis gentis ſeu populi doctrinam ac diſciplinam quæ à *Chriſto* ſuíſve *Apoſtolis* tradita ſit, profitentem, eo ipſo partem Eccleſiæ *Catholicæ* fieri, eos verò qui profitentur præſcribúntq; praxes ac Doctrinas quæ *Anti-Apoſtolicæ* ſint, de perdendo Nominis *Catholici titulo* periclitari, proximéq; abeſſe ut nulla pars omninò Chriſti Eccleſiæ fiant. Et certè *Idololatria* res æquè *Anti-Apoſtolica* eſt doctrinæq; *Apoſtolicæ* contraria, atq; ulla unquam eſſe poteſt.

Quam ob cauſam illius in Eccleſiam Chriſti Introductio reſciſſio eſt totidem Animarum à corpore veræ Eccleſiæ quotquot perſuaſæ fuerint eam amplexari. Unde manifeſtum eſt *Idololatriam* eſſe quaſi Gangrænam in Chriſti corpore ſive Eccleſiæ, cujus quantum quidem invadit, tantundem exedit atq; abſumit, igníq; Gehennæ abſumendum relinquit niſi reſipiſcant.

9. Neq; hæc ſola hoc genus *Noxa* eſt Eccleſiæ per *Idololatriam* illata, nempe quòd minuatur illius amplitudo divulſione eorum qui vera viváq; ejus erant membra; perinde memorabilis eſt præpeditio illa & obſtructio quò minùs ii membra ejus fiant, qui aliàs eò adduci poſſent. Etenim res eſt admodum aperta, quòd *Idololatriæ* admiſſio in Eccleſiam Chriſti, quamdiu illîc duratura ſit, in perpetuum excludet tum *Judæos* tum *Turcas*, qui meritò ſanè Idololatriam tantoperè abhorrent. Ut Gentes taceam *Idololatricas*, apud quas ſanè ridiculum eſſet monere (quod fecit Apoſtolus) ut converterent ſe à *mutis Idolis* ad ſerviendum *Deo vivo*; quandoquidem facilè prævidere poſſent converſionem tantummodo fore ab *aſſuetis* ſuis *Idolis* ad ſerviendum *Novis.*

Eſt igitur planè tremendum facinus, profiteri quidem *Eccleſiam Catholicam*; & tamen *Idololatriæ* introductione eam domi minuere, & horrendis hiſce ſcandalis propagationem ejus impedire foris.

10. Quæ non ſolùm *Noxa* eſt ipſi Eccleſiæ, in obſtando ejus Incrementis gloriámq; obfuſcando, ſed & grave infortunium univerſo terrarum orbi (quod *malum* poſtremum eſt indè promanans) ſiquidem certiſſimum ipſis pignus eſſet æternæ Felicitatis, Catholicæ Chriſti Eccleſiæ membra conſtitui. Cujus rei admodum exigua ſpes eſt de *Judæis*, *Turcis*, *Paganiſve*, qui ullo pollent judicio & conſcientiâ, dum hoc offenſaculum in via ipſis injicitur, nec Chriſtianitatem profiteri poſſunt, quin *Idololatriæ* praxin ſimul amplectantur. Quæ meo quidem judicio, graviſſima cenſeri debet calamitas apud filios hominum.

Atq; ſit ſatis luculentam vidimus deſcriptionem primi principalis membri *Antichriſtianiſmi*, ſcilicet, *Idololatriæ*, in Eccleſiam Chriſti ſub prætextu majoris honoris *ipſi Sanctiſq;* præſtandi introductæ, unà cum detectione *Falſitatis* & *Improbitatis* doctrinæ atq; praxeos, craſſæq; *Fraudis* magnorúmq; *Malorum* quæ eam concomitantur.

CAP. XVII.

1. *Levium* obſervantiarum *multitudinem ad onus intolerandum aſſurgere poſſe.* 2. *Nullam* Religioſam obſervantiam *levem eſſe poſſe quæ Conſcientiæ obligationem innectit.* 3. *Quamvis generalis hæc oneris ſuperſtitionis æſtimatio ex* obligatione Conſcientiæ multitudinéq; obſervantiarum *ſufficere poſſit, ſe tamen particulariorem hujus membri* Antichriſtianiſmi *delineationem ſuperadditurum.* 4. *De* Uncturis *déq; multiplicitate* Sacerdotalium ornatuum. 5. Prætextus & Suiquæſitiones *in his Ornatibus & Uncturis.* 6. Malum *ex hujuſmodi Ceremoniis Sacerdoti Populóq; proveniens.* 7. Cultûs *ipſorum* publici *plenior* Deſcriptio. 8. *Reverentiam Sacerdoti rectiùs quæri, certiúſq; inveniri in* Vitæ Doctrinæq; *vi ac* potentia, *quàm in* Pompa *quævis* Hiſtrionica; 9. *Quæ viris ſobriis tam parùm ſatisfacit, ut periculum ſit nè ob id ipſum diſcedant.* 10. *Opinio miraculoſæ virtutis in* Veſtimentis religioſis. 11. Falſitas *ac* Fraus *hujus opinionis*; 12. Malæq; *ejuſdem* Conſequentiæ.

1. PRoximum *Antichriſtianiſmi* membrum, *oneratio eſt & irretitio mentium humanarum ſcrupuloſitatibus circa aut non-neceſſarias aut noxias opiniones & obſervantias:* par imponendo fidelibus jugum ſi non majus propter multitudinem horum Rituum & ſuperſtitioſarum Opinionum, quàm ipſe *Judaiſmus* olim populo *Judaico* impoſuit; atq; hoc pacto ſcopum fruſtrando adventûs Chriſti, quippe qui venit ut finem imponeret hujuſmodi oneroſis & inutilibus Placitis Ritibúſve, & compararet ſibi Eccleſiam quæ Patrem colat in *ſpiritu* ac *veritate.*

Quæ quidem oneroſitas, quemadmodum jam inſinuavi, à ſola harum Ceremoniarum *multitudine* oriri poteſt, quamvis res ipſæ leves videantur in ſe *ſigillatim* conſideratæ: ut plumæ quæ leves ſunt ſingulæ, poſſunt præ numero ſimul conjunctæ plumbi maſsâ fieri graviores: Quódq; quiſpiam aliquando fortè fortunà per otioſitatem, animíve levitatem ſeu laxitatem facere poteſt, corpus utiq; inclinare ut ſtramen de humo tollat, vel lutum cœnúmve extremitate baculi in quadrata vel oblonga diſpertiri; tamen ſeverè quiſpiam ſi ad hujuſmodi penſum urgeretur, quàm pauxillò differret à condemnatione ad vilem illam ſervitutem *Ægyptiacam* colligendi paleas & lateres perpetim conficiendi?

2. Ut mittam Nugamentum quodlibet ſingulare, ad quod ſemel facta ſit Religioſa obligatio, arctè ſtringere eos qui animo ſerio ſunt ac religioſo. Et hujuſmodi quidem diſcipulos Chriſtus expectat, & propterea nec ipſe nec Apoſtoli ejus ullis rebus eos onerare volebant niſi quæ eſſent neceſſariæ; ſed ſuademur potiùs *perſtare in libertate quâ Chriſtus nos liberavit*, nec noſmet finere ſub ſervitutem vilium ullorum ac inutilium onerum ſuperſtitionis redigi. Ipſéq; Servator Chriſtus, *Phariſæos* reprehendens apertè illis denunciat, *Eos fruſtrà* utiq; *Deum colere, docentes doctrinas quæ ſunt præcepta hominum. Nam relicto Dei præcepto, hominum tenebant inſtituta, poculorum lotiones & urceorum & æramentorum, multáq; alia his conſimilia.* Marc. 7.

Quamobrem

Quamobrem ſi Chriſtus Servator eam pro diſcipulis curam geſſit ut eos nollet quovis modo ſuperſtitioſo illaqueari, nè in tam laudabilibus quidem & facilibus obſervantiis quàm erat manuum lotio ante paſtum, proculdubio omninò adversùs ejus voluntatem eſt ut ſectatores ejus innumerabili irretiantur captiventúrq; Ceremoniarum multitudine. Quarum cuicuimodi natura ſit, ſi ipſarum numeroſitas *Judaicorum* rituum onus ferè exæquet, generalis hæc æſtimatio ſufficeret ad demonſtrandum haud leve profectò *Antichriſtianiſmi* membrum fore, in quacunq; Eccleſia hæc enormitas apparuerit.

3. Quod tamen eò non dico, quòd ipſe mihi conſcius ſim excedere peritiam noſtram, membrum hoc *Antichriſtianiſmi* magìs articulatim cum robuſtioribus nervis magíſq; plenis ſolidíſq; muſculis deſcribere. Ejuſmodi igitur delineationem Placitorum ritualium dogmaticarúmq; Obſervantiarum nunc inſtituam, de qua ad quemlibet æquum Judicem provocare auſim, an non pars eminens exiſtimari debeat illius Myſterii quod propoſitos fines adventûs Chriſti in mundum oppugnat planè ac fruſtratur. Qui proculdubio fuerunt, ut ſectatores ſuos à peccato & ſuperſtitionum ſervitute liberaret.

4. Et certè dum obſervamus quanta cum cura ac ſolicitudine Servator precaverit nè diſcipuli vel leviſſimâ ſuperſtitionis maculâ circa lotiones ciborúmq; delectus coinquinarentur, & quàm expreſſim ipſis affirmaverit in præſtanti illa Parabola, *Nihil extra hominem quod ingreditur in eum poſſe eum polluere*, admodum facile erit hinc inferre, multò minùs id quod ipſi appenſum ſit vel circa-poſitum, ſanctificare eum purúmve reddere.

Unde primo in loco, quanquam ſanè ſummum rei momentum in eo non pono, ſi ſupponeremus *Sacerdotes Chriſtianos* ſibi multa genera *conſecratorum veſtimentorum* in majorem ornatum & ſanctimoniam accumulare, ità ut cujuſq; Sacerdotis veſtimenta, veſtimenta *Aaronis* ſummi Sacerdotis numero æquarent, eáq; ratione aliquâ imitarentur, *Pectorale* utiq; *Ephodum*, *Pallium*, *Tunicam ocellatam*, *Mitram* & *Balteum*; Et Epiſcopi ſic non contenti ad majorem ſui ornatum (quaſi in animo ipſis eſſet Ceremonialia ipſius *Aaronis* veſtimenta datâ operâ exſuperare) ſex alia ſacra ornamenta, imò novem inſuper adderent; præter ipſam conſecrationem horum Sacerdotum, ſacro oleo raſa capita manúſq; inungendo, quæ adeò indè ſanctificatæ evadant, ut magìs religioſi perquam cupidè & affectuosè manum Sacerdotis ſtatim poſt ejus ordinationem deoſcularentur, ſperantes hoc pacto ſe pleniorem in modum participes fore illius devotionis ac ſanctitatis: Quid hoc, inquam, aliud eſſet, quàm *Judaizare* in Chriſtianitate mentéſq; hominum iſtiuſmodi ſuperſtitionibus illaqueare, à quibus Chriſtus Servator eos liberatum venerit? Quæ quidem intimatio ſufficit ad oſtendendum *Falſitatem* & *Abſurditatem* hujuſmodi œconomiæ in Eccleſia.

5. Quantùm verò ad prætextum pro hujuſmodi ornamentis *Aaronicis*, equidem nullum excogitare poſſum præter Legum *Leviticarum* imitationem, quæ peſſima profectò eſt ratio, cùm iſtæ leges per Chriſtum ſint abolitæ. Ut præteream veſtimenta *Aaronica* * profundiorem habuiſſe & anguſtiorem ſignificationem quàm ut quis ex levi quovis & ſuperficiario propoſito ea imitaretur; quandoquidem tum illa tum aliæ Figuræ *Moſaicæ* præſcriptæ ſunt ſecundùm certum quoddam Exemplare à Deo *Moſi* in monte exhibitum. Quæ cùm rerum futurarum umbræ eſſent, in *Meridionali* hac ac ferè *verticali* Evangelii apricitate naturaliter evaneſcunt. Ac proinde tot *novas* umbras introducere, reverà eſt Chriſti Eccleſiam tenebris iterum obducere, abduceréq; homines à recta intelligentia *antiquarum*. Quæ proculdubio Typi omnes fuêre plenioris illius cognitionis Jeſu Chriſti, internæq; ac ſpiritualis ſanctitatis quam in eo obtinemus.

Vide Append. ad Defenſ. Gabbal. Philoſoph. c. 5. ſect. 2, 3, 4.

Verùm id *commodi* quod adulteratum hoc Sacerdotium hac in re ſibi quærere poſſit, hoc eſt; Nempe, ut Hiſtrionicis hiſce *Larvis* ac peculiaribus *Ornatibus* magìs honorifici in populi conſpectu evadant, qui multùm profectò externis rerum ſpeciebus capiuntur, ſimpliciores præſertim è plebecula; & ut Perſonæ ipſorum admodum ſacræ habeantur, utpote quorum ordinatio tam pompaticis celebretur ceremoniis, quorúmq; ſacra Unctio eam aliquâ ratione reddat *Coronationis Principum* æmulam. Quòd ſi perfectiori poſſent & penitiori modo eximium illum *Judæorum* Sacerdotem ſummum imitari, ſéq; ipſos eis rebus ornare quibus per analogiam ejus * *Urim* ac *Thummim* reſpondent, *Illuminatione* utiq; *mentis* & *cordis ſinceritate*, ea demum felix futura eſſet æmulatio, & quæ meritò eos eximere poſſet à nimis curioſa affectatione rerum omnium reliquarum.

* *Vide Præfat. general. ad collect. Philoſ. ſect* 3.

6. At enim ſic eſt ſecundùm noſtram hanc Hypotheſin ut tam immenſi boni loco, hæc illinc conſequantur Incommoda: Quòd Pompa hæc ſplendórq; ſacerdotalis, illis

illis quidem Sacerdotibus qui Chriſtianæ Religionis naturam rectè intelligant, onus ſit & ſcandalum, iis verò qui Chriſtianitatem non rectè ſapiant, nec verum illius ſenſum aſſecuti ſint, intolerandæ ſuperbiæ occaſio ſit & ſui-exiſtimationis, magnæq; ſecuritatis & neglectûs verorum illorum & indiſpenſabilium Chriſtiani Sacerdotis ornatuum, & illius *Unctionis* quæ ipſos *doctura* ſit *de omnibus*, illius utiq; quæ à ſancto Dei Spiritu eſt, qui in conſecratis veſtibus non habitat ſed in purioribus animi habitibus, in Homine interno, Deo integrè penitúſq; dedicato, per perfectam ac realem ſuiipſius, Carnis, Mundi, Diabolíq; abrenunciationem, per integram ſui deditionem ſincero amori Dei atq; Proximi, puritati etiam ac ſobrietati vitæ, & non fictæ Humilitati, & ſui-abnegationi. Quas reales perfectiones fundamentum eſſe oportet Reverentiæ Chriſtiano Sacerdoti, non exteriora illa ornamenta quæ integumenta eſſe poſſunt *Beſtiæ* aut *Diaboli*.

1 Johan. 2. 27.

Et poſtremò quantùm ad populum ipſum, ut quidam ex eis externarum harum pomparum *deceptionibus* miſerè eſſe poſſunt obnoxii, ità ſanè alii multis indidem *offenſionibus*. Illos intelligo qui animo magìs ſerio ad *realia* Chriſtianitatis officia feruntur, quíq; ſincerum ſuum appetitum eludi deprehendunt non ſaturari externis iſtis in publico Dei cultu ſpectaculis.

7. Quod ut faciliùs intelligamus, pleniorem cultûs ipſorum publici repræſentationem inſtituemus, addemúſq; *veſtibus* Sacerdotis *conſecratis*, *ignotæ linguæ dedicationem* publicis ſuis orationibus & officiis, ad magnam ſanè populi Ludificationem. Quidnam Spectaculum quis intueri poteſt magìs *Antichriſtianum*, quàm ſi Hominem conſpiceret iſtiuſmodi Sacerdotalibus veſtimentis à capite ad calcem larvatum, eíſq; conſecratis univerſis eíq; uſui dedicatis, ipſum etiam manus capútq; ſacro Oleo inunctum, in inunctâ Eccleſiâ conſiſtentem, & ad unctum Altare, cum uncto Calice, aliíſq; utenſilibus unctis; Cujus & Cœmeterium ſacrum ſit per conſecrationem & benedictionem *aquæ luſtralis* in ipſum conſperſæ ad abſterrendos dæmonas ab infeſtatione ſoli illius conſecrati, & ab interpellatione ſomni corporum defunctorum; quinimo, Cujus vel ipſæ Pyramidis *Campanæ baptizatæ* ſint & chriſmatizatæ ad fugandos truculentos Aëris ſpiritus in diſceſſu Animæ, pulſatione ſuâ ac tinnitu? Si eum conſpiceret in ſacris ſuis poſituris, nunc ad unum extremum Altaris, nunc ad alterum; nunc facie versùs populum ſpectántem, nunc ipſis tergum vertentem; interdum manus attollentem, aliàs eaſdem demittentem, mox ad pectus decuſſatim detinentem; nunc crucem manu ſingularem, nunc duas tréſve deſcribentem; interdum ſedentem, interdum ſtantem, mox inclinantem corpus ſanctúmq; Altare deoſculantem; nunc ſublatâ voce eloquentem, dein ſubmiſsâ ſibi muſſitantem, tali vero linguâ ſemper utentem quæ ab adſtanti populo minimè intelligatur: ſi conſpiceret, inquam, hujuſmodi ſpectaculum & cum illo dicto Servatoris compararet, *Venit hora & nunc eſt cùm veri adoratores adorabunt Patrem Spiritu ac veritate; etenim Pater tales quærit qui ipſum adorarent*, equidem neceſſariò à ſpectatore juſtam hanc cenſuram extorqueret, aut hos ſcilicet *falſos* eſſe Adoratores, aut Prædictionem Servatoris non eſſe *veram*, aut ejus completionem jam ſimplici illo Eccleſiæ primitivæ ævo præteritam eſſe; vel potiùs, ſi invenire velit uſquam veros Chriſtianos Adoratores, aliàs eos quæſitum iri oportere, hîc verò nec *ſpiritum* eſſe nec *veritatem* nec *linguam intelligibilem*, omnia verò magìs tenebricoſa eſſe magíſq; cæca ac muta, quàm in *media nocte* umbrarum *Moſaicarum*.

Johan. 4.

8. Ac prôinde (quemadmodum concluſurus eram) ut ſtolidiores è populo facilè etiam in brutam quandam admirationem animíve conſternationem ab hac nec intelligibili nec utili pompa ac ſpectualo abripientur, obnoxiíq; fient omni *fraudi* & *tyrannidi* hujus minimè quidem *Chriſtiani* ſed nimiùm quantùm *inuncti* Sacerdotii; ità naſutiores ſanè impellentur ad eam conſiderandam tanquam circumforaneum quendam *larvatorum* hominum ludum, nec facilè perſuadebuntur illud quod adeò *Hiſtrionicum* eſt atq; *Scenicum*, aliud quicquam ſeriò intendere, quàm quod alii *Hiſtrionici* ludiones intendunt, Emunctionem ſcilicet populi pecuniis.

Quamobrem minimè mirum eſſet ſi videremus meliùs animatos Chriſtianos ab hujuſmodi pompis abhorrere, ut quæ ex diametro antiquæ ſinceritati ac ſimplicitati Doctorum primitivorum ſunt oppoſitæ, qui, ut ipſe Servator, bonâ fide loquebantur agebántq; omnia, nec tanto ſe amovebant intervallo à Gregibus Curíſve ſuis, enormi ullâ pompâ ac multitudine ſanctimonialium ornatuum, ſed cùm tales ferè eſſent, quales ipſi, excepto quòd majora eſſent *Fidei* exempla, *Humilitatis*, *fraternæ dilectionis*, *contemptûs* mundi, mirificæq; cujuſdam vis eloquentiæ, & efficacis exhortationis, convictioníſq; humanarum mentium, ad corroborandam ipſorum fidem, & affectus inflammandos amore veræ Juſtitiæ & ſanctitatis, (qui inimitabilis erat

&

& indelebilis Chriſtiani ipſorum Sacerdotii Character) retinebant quidem & imperabant cordibus fidelium hac autoritate Spiritûs, in virtute Rationis ſinceræq; Eloquentiæ ſeſe aperientis, obſignabántq; & arctè ſibi omnia aſtringebant indiſſolubili illo vinculo reverentialis ac honorifici Amoris, qui ipſis ob puritatem vitæ illibatámq; integritatem obtingebat, quippe qui *docebant*, (quod de Servatore dictum eſt) *ut habentes Autoritatem non autem ut Scribæ, qui docebant ſed non faciebant.*

9. Quorum quidem excellentium exemplorum recordatio ſanctioris ingenii homines ad Sacerdotales has pompas formáſq; perſonatas ſuperſtitioſum quoddam ac Hypocriticum ludorum Larvaticorum genus æſtimandas fortiter impulſura eſſet, & ad efflagitandum ab ipſis, præ zeli ſui vehementia, ut aliquantò propiùs ad ſe accedere, larváſq; ſuas ac perſonas ſeponere, & apertè ſecum & bonâ fide agere, veritatémq; Chriſti ipſis bonámq; Dei voluntatem in ejus verbo revelatam declarare dignentur; ſe enim paratos eſſe ad promptè eam amplectendam obſequendámque, liceat modò eam intelligere, quinimò ſitire ipſam atq; eſurire, nullam verò alituram refectionémve in mutis pompis reperire: quod certè ſi facere recuſaverint, ſe eos eſſe qui hanc rationem colendi Deum minimè admirentur, ſed abhorreant potiùs, eámq; eſſe relicturos, taléſq; quæſituros Paſtores qui in omni ſinceritate cordis ac ſimplicitate ſecum ſint acturi.

Nam profectò hujuſmodi craſſæ *Judaiciſq;* deteriores corruptiones in Eccleſia, maximè ſerios è Credentibus ad deſerendam illius Communionem cogerent, ipſámq; quantum fieri poteſt, ſinceriſſimis optiméq; animatis Chriſtiani orbis hominibus exhauriret. Atq; hoc quidem non leve *malum* nec contemptibile exiſtimo, ſiquidem *Loti* deceſſus, Ignis ſulphuríſq; prænuncius erat in *Sodomam* depluendi.

10. Cæterùm nec adhuc omnes irretientes ſuperſtitiones evolvi quæ in religioſis hiſce conſecratíſve veſtimentis & ornatibus convolutæ poſſint latere.

Neq; enim impoſſibile eſt, quin imponere poſſint credulis ipſíſq; perſuadere miraculoſam aliquam virtutem in ipſis, vi conſecrationis ſeu Benedictionis à Sacerdote vel Epiſcopo, manere. Ut, exempli gratiâ, quòd virtutem habent recuperandi hominibus bonam valetudinem, abſterrendi Diabolum, eúmq; à poſſeſſis fugandi; procurandi peccatorum remiſſionem, quantùm ad pœnam ſimul ac reatum, ſiquis eis induatur, & ſervandi animam à damnatione eámq; incolumem tranſmittendi ad Paradiſi Beatitates. Tam mirifica vis ſub Religioſis hiſce indumentis ſubliteſcit. Quæ tamen opiniones tam ridiculæ ſunt omníq; ratione deſtitutæ, ut dignus ſit profectò qui derideatur quicunq; earum refutationem ſeriò ſit aggreſſurus.

11. Veruntamen tenuis aliquis prætextus pro earum veritate fortaſſis ex illo loco *Actorum* peti poteſt de miraculoſa virtute corporis S. *Pauli*, *Quòd in ægrotantes afferrentur ex ejus corpore ſudaria vel ſemicinctia atq; illi morbis liberarentur & ex eis immundi ſpiritus exirent*; atq; è virtute veſtimenti Chriſti, cujus fimbriæ tactus fœminam curabat quæ tot annis ſanguinis profluvio laboraverat. *Act.* 19.

Cæterùm conſiderare debemus, *Chriſtum* Dei fuiſſe filium, *Paulúmq;* vas ſelectum, primáq; illa tempora ſelecta fuiſſe & peculiaria Eccleſiæ tempora quæ ad fidem Chriſtianam propagandam requirebant miraculoſa hujuſmodi auxilia à Deo: Miracula porrò *Infidelium* causâ fieri, non autem eorum qui jam credunt, veſtimentáq; illa aut deſumpta fuiſſe aut appenſa ejuſmodi corporibus quæ reverà erant uncta *Spiritu ſancto* ídq; ad plenam menſuram, non infricta in manus exiguo unguento raſúmve in verticem oblita, quod externam tantummodo ſanctitatem largitur, neminem omninò *ſancto Spiritu* replet, nedum ad eum gradum ut edere poſſit miracula.

Quamobrem populo perſuadere quòd veſtimenta ſive Sacerdotum ſeu Monachorum ullam hujuſmodi in ſe habent virtutem, nihil aliud eſt quàm dolo aſtúq; ipſos in magnam inducere ſanctitatis perſonarum ſuarum opinionem, utpote quorum ipſe veſtimentorum attactus tantam habet virtutem ac ſanctimoniam. Scopus, inquam, hujus Impoſturæ nihil eſt aliud quàm Sacerdotis aliorúmq; religioſorum Ordinum in Eccleſia magnificatio, niſi fortè hæc exiſtimatio ad rem etiam pecuniarem aliquid momenti ſecum afferat.

12. Mala verò hujus rei conſequentia eſt populi deceptio ſeductióq; in imbecillitatem animi, neglectúmq; (non dicam conſilii Medici, ſed) illius conſilii, qui nos monet *veſtimenta alba ab ipſo emere ut induamur nec appareat dedecus nuditatis noſtræ*; illiúſve S. *Pauli*, *Univerſam utiq; induere armaturam Dei, convaleſcere in domino ejúſq; virtutis robore*; *lumbos habere circumcinctos veritate, pectúſq; juſtitiæ loricâ armatum*; *ſcutum fidei nobis inſuper aſſumere, ſpiritúſq; gladium,* *Apoc.* 3. *Epheſ.* 6. 11.

quod

quod eſt verbum Dei, omni prece ac ſupplicatione precantes per Spiritum omni tempore.

Etenim hæc proculdubio armatura infinitò potentior eſt contra *Diaboli* inſultus *morborúmve* quàm univerſa veſtimenta ſacra quæ Eccleſiæ veſtiarium proferre poſſit, teláq; Mali ignea citiùs extinguet quàm vel integræ aquæ conſecratæ urnæ adversùs ipſum ſiphonibus ejectæ.

CAP. XVIII.

1. *De* Incantatione *ſive* Exorcizatione Aquæ, Olei, Salis, Cereorum, *&c. cum generali ſubindicatione* Noxæ *indè proficiſcentis.* 2. *De* Exorcizatione Roſæ aureæ, Agníq; cerei. 3. *Uſurpationem nominis veri Dei in his* Exorciſmis *nihil impedire quò minùs propriè dici poſſint* Incantamenta. 4. *Exempla alia quibus ſe* Incantatores Magóſq; *præſtent, cum anticipatione objectionis.* 5. Falſitas, Fraus, & Noxa *horum* Exorciſmorum. 6. Exorcizatorum *horum* Elementorum *in uſus ſuperſtitioſos derivatio ac diſtributio.* 7. *De ſuppoſitione quòd Infantes obſeſſi ſint, déq; ſputo* Baptiſmali. 8. *De* extrema unctione *aliiſq; ſuperſtitioſis conſuetudinibus circa homines moribundos*; 9. *Ut & circa corpora ipſorum expoſita.* 10. Fraus & Noxa *harum Praxium.*

1. *Quæ conſecratæ* mentio me in alterius *claſſis ſuperſtitionum* quæ excogitari poſſint, contrà ac Fidelitas ſimplicitáſq; ſcholæ Chriſti poſtulat, in memoriam revocat. Quibus illaqueentur hominum conſcientiæ ſpéſq; in Creaturas magìs quàm *Creatorem* perperam collocentur, ac ſalutaris & conſolabilis ſenſus internus *ipſius* inviſibilis ſed Omnipotentis *Omnipræſentiæ*, horum vanorum ac viſibilium objectorum interpoſitu, quæ nec vim ullam habent nec approbationem in eos uſus quibus ſe aptos prætendunt, extinguatur. *Exorcizationem* intelligo, vel *incantationem*, ſi malles, certorum quorundam naturalium *Elementorum* (ſine omni exemplo ſacræ Scripturæ,) quò ſupernaturali quâdam virtute poſſint imbui.

Ut ſi, verbi gratiâ, Sacerdos *exorcizando* Creaturam *Salis* per Deum vivum, per Deum verum, per Deum ſanctum, prætenderet ſe *Sal ſanctum* & *exorcizatum* ipſum efficere ad ſalutem tum animæ tum corporis omnibus credentibus illúdq; recipientibus, & ad fugationem omnis mali Phantaſmatis & immundi Spiritûs, ſui aſperſione; atq; ſic *exorcizando* Creaturam *Aquæ* in nomine ſacroſanctæ Trinitatis eam virtute imbuere expellendi Diabolum morbóſq; ſuâ aſperſione, & unamquamq; rem malam ædes infeſtantem, uſúmq; ejus commendaret ad aſpergenda ſubinde Cubicula, ut & Ægrotos, Agros, atq; Vineas, ad ſalutem & incrementum. Si *Cereos exorcizaret* in virtutem fugandi Principem tenebrarum cum univerſis ſuis agminibus, & cogendi eos ſtatim cum metu ac tremore ſe proripere à quocunq; loco ubi illi fuerint accenſi. Si *exorcizaret* Creaturam *Olei* per Deum Patrem omnipotentem rerum omnium Creatorem, ità ut quicunq; eo uſus fuerit, Diaboli agmina fugaturus ſit, nec ipſe unquam morſum veteris Serpentis paſſurus. Si deniq; *Herbas* Arborúmq; *ramulos* exorcizaret, *Campanulas* etiam ac Veſtimenta *Sacerdotalia*, an non manifeſtum eſt univerſa hæc, & quotquot præterea hujus generis excogitari poſſunt, nihil aliud fore quàm ſuperſtitionis ludibria, meráſq; præſtigias ac Impoſturas?

2. Verùm Impoſtura adhuc gratior eſſet & completior ſi bellam rem aliquam conſecratam haberemus quæ portabilior eſſet, & univerſalioris tamen influentiæ, ut & durabilior magiſq; permanens quàm ſint pleraq; è prædictis. Ac proinde *Forma* ſacræ alicujus *Plantæ Animaliſve* ad hunc modum *exorcizati* ſummo eſſet uſui ac voluptati, *Roſa* putà *Sharonis Liliúmve Convallium*, *Columba*, *Agnúſve*, quorum nomina cuilibet auri Chriſtianæ ſunt chara.

Quamobrem *Roſa aurea* gaudio ac lætitiâ à benedictione *ſummi Sacerdotis* hujus Eccleſiæ impræegnata, fragrantiáq; remiſſionis peccatorum fideíq; incremento plena (quanquam effectus nunquam deprehenditur) Divinâ etiam protectione, omníq; Proſperitate, *florum* profectò eſſet *faſciculus*, ad naſum Principi pulchrè ſublinendum oppidò quàm idoneus. Et ſimiliter mitis manſuetúſq; *Agnus* ex materia aliqua flexili effectus, elegantérq; efformatus è *Cera* putà, *exorcizatus* verò in poteſtates ac virtutes eis quæ in illo *Agno Dei* qui tollit peccata Mundi perquam pauxillò inferiores,

res, ut qui idoneus ſit, vi cujuſdam *Exorciſmi* ſeu *Benedictionis*, ad eos qui eum geſtaverint protegendos ab inſultibus Carnis, Mundi ac Diaboli, à Peſte, Fame, Mortéq; ſubitanea, à periculis Terræ juxta atq; Maris, à Fulmine, Tempeſtatibus & Abortione, munus equidem eſſet Imperatore vel Imperatrice haud indignum.

Multa hujuſmodi exempla excogitari poſſunt, de quibus omnibus pronunciandum eſt, ea contraria eſſe *fideli ſimplicitati veræq; potentiæ* Evangelii Chriſti, Diviníq; Nominis reverentiam imminuere, totidémq; eſſe adversùs Præceptum tertium Admiſſa, *Nomen Domini Dei tui inaniter nè adhibeto.*

3. Contra quod Præceptum *Formulas* illas *Conjurationis*, quæ in libris *Magicis* reperiuntur, evidenter peccare autumo. Ut apud *Cornelium Agrippam*, *Petrúmq;* de *Abano*, ubi Divinæ illæ appellationes, *Jah*, *El*, *Adonai*, *Elohim*, *Elohe-Zebaoth*, *Elion*, *Sadai*, & ſimilia, vanæ ipſorum reprobæq; Artis ſiunt elementa. Quod manifeſtum quidem argumentum eſt, *Exorcizationem* per Dei Nomina ſanctáq; Attributa, Sacerdotem à reatu *Incantationis* neutiquam poſſe abſolvere, cùm & ipſi *Magi* veri Dei Nominibus in ſua etiam arte utantur.

Et quantùm ad generalem *Incantationis* notionem, *Agrippa* quidem eam nihil aliud eſſe ſtatuit quàm *derivationem mirificæ cujuſdam potentiæ in rem incantatam virtute verborum ac ſpiritûs Incantatoris.* Nec phraſes ſanè locáve Scripturæ Sacerdotem excuſabunt ab hac impietate, cùm hoc & præſcribatur & in uſu ſit apud *Magos.* *Pentacula* enim ipſorum quæ à collis ſuſpenſa geſtant dum *Conjurationes* ſuas obeunt (quæ ipſi profectò majoris honoris causâ *Pentacula Salomonis* appellitant) hujuſmodi è ſacra Scriptura tranſcriptionibus ornantur corroborantúrque.

Unde planè liquet, ſiquis omnes particulares Characteres talis *Apoſtaticæ* Eccleſiæ notare vellet, qualem ego deſcribo, eum non poſſe prætermittere quin inter alios *Titulos*, *Veneficorum* ſeu *Magorum* nomen ipſis inurat.

4. Quod ſanè mereri poſſint ob alias etiam rationes quas jam memoravimus, ut ob id nempe, quòd populum *preculas quaſdam* docent *linguâ incognitâ*, quas ipſis præcipiunt ut repetant ad hæc vel illa propoſita. Quid enim hæc ſunt niſi *incantamina?* Et quòd faciunt, ut *Jeſus Nazarenus* (qui antè plus mille ſexcentos annos *Hieroſolymis* crucifixus eſt) prolatis quibuſdam verbis, cum carne, ſanguine & oſſibus *perſonaliter* appareat, *Panacearum ſpecierum* tantummodo *laxéq; pendentium Accidentium* tenui *pallio* contectus & amictus, *Magiæ* certè ſpecimen eſt ſupra illud *Pythoniſſæ Endorenſis*, omniáq; monumenta *Necromantica* quæ unquam extiterunt. Quæ omnia profeſſa ac venditata facinora cùm tam *univerſalia* ſint in hac Eccleſia quam delineo, & *Epidemica*, quis tam omiſſo animo eſſe poteſt ut non facilè obſervet *Magorum Incantatorúmve* nomen in hoc hominum ſodalitium perquam optimè quadrare?

Nam quòd hæc prætendunt ſolùm nec reverà quicquam efficiunt, tam glorioſi Tituli meritum ipſis non adimet, quandoquidem ipſum ſtudium ac profeſſio artem aliquam factitantibus jus nominis ſatìs liquidò confert. Ut is qui arundinem piſcatoriam per maximam Diei partem in fluvium injecerit, nec tamen unum piſciculum domum reportat, poteſt nihilominus rectè ſalutari in reditu ſuo, *Piſcator mi*, vel *meus Hamiota*: Et is qui artem *medicam* profitetur, nec tamen quenquam fortè adhuc curaverit (præter eos qui ſponte abſq; illius opera convaliturí fuiſſent) quamvìs non paucos ſanè occiderit, nihilo ſeciùs ab hominibus *Medicus* ubiq; appellitatur. Et univerſim quicquid homines affectant venditántque, quanquam nihil in eo genere præſtare poſſunt, jure poteſt per modum *ſcommaticæ* reprehenſionis, ad numerum integrum dedecoris eorum & ignominiæ explendum inter characteris ſui partes recenſeri.

5. Quas rationes hiſce *Incantationibus* uſurpandis prætexere poſſint, equidem fateor me haud facilè deprehendere. Sanguis enim Agni *Paſchalis* quo *Iſraëlitæ* ſuperliminaria & utroſq; poſtes aſpergebant, non *incantatus* antea erat quò virtus in eum derivaretur ad fugandum *Angelum percuſſorem*, ſed ſolummodo præſens *ſignum* erat, ut & *Typus* aſperſionis *ſanguinis Chriſti*, qui tanquam Agnus immaculatus in futuris ſeculis pro peccatis Mundi erat ſacrificandus. Nec miſcebantur Aqua Vaccæq; cineres ullo cum *Exorciſmo* ſeu *Incantatione* quantum ex Scriptura intelligere poſſumus. Nec ſanè incantabat *Eliſha* Salem quem in aquas conjiciebat ut eas curaret, ſed utebatur duntaxat ut circumſtantiâ ſignóve in ipſarum curatione. Quæ Ceremoniæ ad Chriſtianitatem nihil attinent, nec certè fas eſt plures ex antiquis Typis Figuriſve in Eccleſiam introducere, quàm qui jam in uſu ſint illius delectu qui errare non poterat.

Ratio igitur iſtiuſmodi conſuetudinum omninò nulla eſt. Verùm prætenſio vendi-

tatióve hujuſmodi poteſtatis tam ſtupendè mirificéq; res *incantandi* ad tam inſignes uſus, multum ſanè faceret ad *honorem Sacerdotis*, qui non poſſet quin indè μάγας τις, magna profectò ac adorabilis perſona popello credulo videretur, & *exorcizata* illa mercimonia præſenti argento vendibilia eſſent eis qui hujuſmodi rebus fidem habent.

Cæterùm hæc interim eſt calamitas, quòd *Fides* ac *Temperantia* eò negligentiùs colerentur, *Urnæq; Aquæ conſecratæ*, *Incantatiq; Agni cerei* vivam illam ac internam Spiritûs Dei in corde ſcaturiginem obſtruerent, & ad ſenſum tenderent extinguendum *Innocentiæ*, quâ non fortius datur fideli Chriſtiano contra ignea fulmineáq; Principis Aëris jacula propugnaculum.

6. Hæ ſunt maximè craſſæ ac fundamentales ſuperſtitiones quæ *Magiæ Incantationiſve* ſpeciem præ ſe ferunt: quæ in varios quidem uſus derivari poſſunt, ac deduci; ut in *viſitationibus Infirmorum*, in *Extrema Unctione*, in *Funeribus & Exequiis*, in *baptizandis Infantibus*, in *Fœminis poſt partum benedicendis*, & *contrahendis Matrimoniis*; ubi *Aqua conſecrata*, *Exorcizatum Oleum* ac *Candelæ* frequenter adhiberi poterunt. Et quædam certè ex ipſis non ſine magna aliqua moleſtia; ut in *Unctione Infirmorum*, quorum *Oculi*, *Aures*, *Nares*, *Ora* ac *Manus* inunguntur, etiam *Pedes Renéſque*, quorum poſterius moleſtum conflictum modeſtiam naturalem inter piúmq; zelum in eis qui ſenſum pœnitentialem peccatorum ab eis partibus profectorum habent, poteſt excitare.

Exorcizatio etiam *Diaboli* ex Infante qui *baptizandus* eſt, ipſi Infanti terrifica res videretur ſi intelligeret in quàm miſera conditione eum Sacerdos eſſe ſupponit, dum ter in faciem ipſius inſufflat formulámq; adhibet *exorciſticam* ad fœdum ejiciendum Dæmonem, qui nimis quàm præfidens hic fingitur ac protervus, qui ſibi poſſeſſionem illius arriperet ad quem non poterat non videre *Jeſum Chriſtum* jus habere adeò manifeſtum, quippe prolem eorum qui *Chriſti* jam erant, ſiquidem Infans Chriſtianis parentibus eſt prognatus. Verùm & hîc ſe ingerere poteſt (præter alias Ceremonias) ritus adhibendi *ſacrum Oleum* ad manus pectúſq; ei inungendum, & induendi ipſum *albis veſtibus ſacrâmq;* manui *Candelam* imponendi. Et quod omni oleo candeláve impendiò magis eſt ſacrum, ipſum ſputum poteſt ſeu *ſaliva* Sacerdotis auribus naribúſq; infantis, ad eas luſtrandas ſanctificandáſve leniter illini. Et poſtremò, ut omnia ſana eſſe poſſint ac ſalutaria, *Sal* etiam *ſacrum* ori infantis indi, ut verba ejus, ſimul ac loqui potuerit, magis eſſe poſſint ſapida.

Atq; ſic videtis conſecratorum Elementorum uſum latè poſſe extendi, efficeréq; ut *Baptiſmus Chriſtianus* Ceremoniarum multitudine *Judaicum* excedat, immò verò ipſorum *Circumciſionem*, cùm tamen ſolius Aquæ elementi uſus ſufficeret, unáq; aquæ infuſio, infantíſve immerſio æquè aptè *Unitatem* Deitatis ſignificaret ac ternæ *Trinitatem*. Et tamen tam amplas prolixáſq; *umbras* projicere poſſet Chriſtianitas, poſtquam in Eccleſia Sol juſtitiæ in occaſum ſemel præcipitaverit.

7. Et valde mirum profectò iſtuc eſſet ſi nihil terrifici mulieribus in hac appropinquante caligine appareret. Etenim tametſi bella res ſit *Sacerdoti* quòd exiſtimetur tantam habere in ſpiritum *Stygium* poteſtatem, ut eum *Exorciſmo* ex Infante poſſit ejicere; poteſt tamen admodum triſtis eſſe ſpeculatio mulierculis aliquibus melancholiâ pariter ac ſuperſtitione laborantibus, dum ſecum cogitant ſe nunquam laborare à dolore quin *Dæmonem* ſimul ac infantulum ſint enixuræ, & ſi infans moreretur ante Baptiſmum (cùm Diabolus corporalem poſſeſſionem nactus ſit) eum pro certo illuc abreptum iri quò vel indulgentiſſima Mater nè voto quidem & cogitatione adire auſit eúmq; inviſere. Quod quidem ſummam maturandi Baptiſmi neceſſitatem argueret, ſed & mentem ſimul Matris melancholicæ anxietate ineffabili affligeret ac deprimeret.

Delinitio etiam aurium nariúmq; Infantis *ſalivâ Sacerdotis*, horridiuſculam aliquando averſationem magis delicatarum animis incutere poteſt. Verùm multum facit ad opinionem ejus ſanctitatis, cujus excrementum ſpumeum tam *ſacram* habeat virtutem; & vota præterea omnium fœminarum in oppido hoc pacto extorquebit, nempe ut corpore ſano ſit morbíſq; omnibus putidis ac contagioſis libero.

8. Cæterùm admodum iniquum eſſet ſi ſuperſtitionis onus totum teneræ Infantiæ imponeretur, primóq; noſtro in hunc Mundum introitui; proculdubio tetrica hæc Dea faciet ut preſſuram ſuam ii etiam ſentiant qui ex illo ſunt exituri. Et certè illa *extremæ Unctionis* Ceremonia, quæ viam magis lævem facilémq; efficere prætendit, homini ſanè minùs ſuperſtitioſo eam ſalebroſam magis moleſtámq; redderet.

Pectoris etiam apertio, aſpero illo coactæ *Confeſſionis* & ſubdolæ poſtea *Satisfactionis* telo, ad hujus vel illius *ſacri Ordinis* commodum uſúſve Eccleſiæ elicitæ, facilè

facilè moribundi *Pœnitentis* mentem inter propriæ animæ curam, & proſpectionem chariſſimæ uxori ac liberis diſtrahet. Verùm frequentes *Aquæ luſtralis* aſperſiones dilutum illius erunt ſolatium, habebítq; ante oculos, quamdiu hac luce frui licuerit, *Aſtites* quidem magis frigidos ac inanimos quàm qui per totum quatriduum in ſepulchro jacuerint; Imaginem putà *Chriſti* in Cruce, alteram virginis *Mariæ*, tertiam illius *Sancti* cui ſe ſpeciatim devoviſſet. Ubi ſi libuerit, ſalutare poterit *Idolum Virginis* eis ipſis verbis quibus Angelus *Gabriel* eam olim ſalutavit. Verùm ſi omnem, *civilem*, dicam an *ſuperſtitioſam* blandiloquentiam ſeponere vellet, ac *veritatem* eloqui, *Jobi* hic querelam de inanimis his adjutoribus aptè uſurpare poſſet, *onerosi conſolatores eſtis omnes.*

Utcunque, quicquid interea frequens *Aquæ Luſtralis* aſperſio præſtare poterit, *Cruciſve deſcriptio* in pectus atq; frontem, ſtrictáq; præceptio, ut cuilibet articulorum apici quos Eccleſia veros eſſe definiverit, fidem habeat, (quippe anima, cùm tam prope jam abſit à deceſſu è corpore, in abſtruſis illis Myſteriis acutiùs videt) promiſſióve precularum ac oblationum poſtquam in altero ſtatu fuerit, non deerit ad animæ illius conſolationem, quam dum expirat, ſi in *Dominæ Mariæ* manus, loco *Domini Jeſu*, commendaret, qui Deus eſt ubiq; ad ſervandum paratus, præceptum illud Sacerdotis expreſſo Dei mandato apertè adverſaretur, eſſétq; funeſta ſanè moribundo homini vitæ *Cataſtrophe*, extremum halitum tam fœdo *Idololatriæ* peccato ad hunc modum impendere.

9. Cæterùm utut eſt, perinde ac ſi omnia rectè peracta eſſent, corpus decenti modo exponi poteſt, parváq; *Crux* defuncti manui in pectus jacenti imponi, aut ſaltem manus loco *Crucis* in *Crucis modum* decuſſatim componi, & *Aqua benedicta* in eum ritè aſpergi, quæ quantamcunq; vim habere poſſit ad fugandum Diabolum à Cadavere, vix animam tamen vel ab ultimo illo Idololatriæ peccato abluerit, domúmve defenderit ab infeſtatione inauſpicatarum volucrum variis coloribus plumíſq; diſtinctarum, quæ ex cujuſq; hujuſmodi cadaveris caſu, pergratam refectionem odorantur. Tantam turbam ſtrepitúmq; excitare poteſt ſuperſtitio in *Exitu* hominum ex hac mortali vita æquè ac in ejus *Introitu.*

10. In medio harum *Ceremoniarum* equidem fateor *Sacerdotem* non poſſe non hominem mirificæ virtutis ac poteſtatis videri, ignaris utiq; rudibúſq; ſpectatoribus, qui in hujuſmodi ſuperſtitionum fide ab ineunte uſq; ætate enutriti ſint, quippe qui tam præſentanea conſolandis ægrotis, ac conſpicua ſuppeditat remedia, (cujuſmodi ſunt *Aqua benedicta Dæmonifuga*, *Imagines beatæ Virginis*, *Sanctiq; Tutelaris*, *ſacri Cerei*, & ſimilia) ipſúmq; cadaver ſartum tectum virtute *crucis* elementíq; *exorcizati* aſperſione ab omnibus incurſionibus Satanæ & cujuſq; mali Phantaſmatis conſervat. Cæterùm homo moribundus quid commodi ex eo capturus ſit, quòd mens ei diſtrahatur & ad hujuſmodi emortua ſpectacula ad extrà evocetur, fateor me minimè intelligere, nec concipere poſſe quin impedimento futura ſint magis puræ ac collectæ emigrationi Animæ in ſtatum Beatitudinis, occaſionémq; harum Ceremoniarum *ſpectatoribus*, negligendi meliora illa ac interiora *Amuleta*, contra mortis formidinem terrorémq; Diaboli miniſtratura.

Talia intelligo, qualia ſunt, *Mentium ſuarum in vivam Chriſti Imaginem Renovatio*, *Potentiæq; Peccati (tollendo Crucem in mortificationem omnium malarum cupiditatum in hac vita) devictio*, *conſolabiliúmq; gaudiorum refectionúmq; ſpiritûs*, *permanentiſq; ac inoliti ſensûs miſericordiæ Dei per fidem vivam in Jeſu Chriſto* (ubi non poſſumus quin de peccatorum remiſſione certi ſimus) *conſecutio:* quæ ſunt *Aquæ* maximè *ſalutares*, maximéq; *ſacræ* ac *benedictæ* quibus nos conſolari poſſumus, dolorémve ac angorem animi ſedare, pretioſiſſimum *oleum balſamúmve*, quod in afflictas conſcientias poteſt infundi. Ad quam excellentem conditionem naturaliter obſtruitur, per inanémq; in externis hiſce ſpectaculis fiduciam, dependentiámq; à multifariis iſtis ſuperſtitioſi præſtigioſique Sacerdotii incantamentis præfocatur Aſpiratio; Qui perſuadere nempe volunt hominibus ſe *exorcizatis* elemementis machiníſq; *Magicis* contra externos Diaboli inſultus collineatis Animam ad cœlum tutam poſſe perducere, minimè interim animadvertentes, peccati & inobedientiæ *Radiceſcentiam* & *Accretionem* animam ipſam in *malum Dæmonem* transformare, idémq; fatum ſubeundi cum execrabili illa turba, neceſſitatem ipſi imponere.

CAP. XIX.

1. *Onus* ſpiritualis Cognationis *nimiæq;* Numeroſitatis *Dierum* Feſtorum. 2. *Perpetua à Carne in Religioſis quibuſdam Ordinibus Abſtinentia.* Fraus & Noxa *illius Inſtituti.* 3. Cœlibatûs votivi *onus.* 4. *Scopi ipſius perniciosiores.* 5. *Ordinaria utilitas quam poteſtas, quam deſcribimus,* Antichriſtiana *à vitam* monaſticam *colentibus percipit.* 6. *Rem illius multùm corroborari ope* Monaſteriorum. 7. *Divitiáſq; augeri cùm profeſſorum Cœlibatûs ſit Hæres.* 8. *Cœlibatûs* Noxæ *ingentes.* 9. *De* Flagellatione. 10. *Illius inefficacia, Pœnitentis Hypocriſis, barbara Eccleſiæ ſuæ ſuperbia,* Noxæq; *indè provenientes.* 11. *De* Peregrinationibus & Jubilæis. 12. *Multarum aliarum* Antichriſtianarum ſeveritatum *Enumeratio.*

1. ATq; ſic ab uno quaſi vitæ humanæ *extremo* ad alterum tranſvolavimus, cùm tamen multa obſervanda ſint quæ *medium* etiam illius ſpacium moleſtum efficere poſſint & intricatum, *mundanis negotiationibus* impedimento eſſe non-neceſſario, *corpus* acerbè vexare & affligere, *mentémq;* gravibus ac funeſtis perplexitatibus inquietare. Pauca aliquot ſingulorum exempla indigitabo.

Ut exempli causâ; Si qui ex eo quòd facti ſint in *Baptiſmate ſuſceptores,* talem contraherent *cognationem,* quæ, quantumvis *ſpiritualis,* juxta Canones tamen Eccleſiæ quam deſcribo, inter ſuos omnéſq; Infantis cognatos matrimonium impediret; Quantas igitur difficultates parerent hujuſmodi ſuperſtitioſæ opiniones, in filio filiáve nuptui collocandâ, cùm integræ viciniæ præſtando ſibi mutuò Chriſtiana hæc officia, tales ſpirituales Affinitates neceſſariò contraxerint? Cujus rei finis proculdubio nihil aliud eſſet, quàm ut crumenas hominum nummis exhauriant, diſpenſationes impetrando laxationéſve ab hujuſmodi non-neceſſariis legibus & reſtrictionibus.

Numerus etiam *Dierum Feſtorum* tantus eſſe poteſt, obſervatióq; ipſorum tam ſuperſtitiosè ſtrictéq; præcipi, ut onus ineffabile eſſe poſſit majori populi parti, iis utiq; qui manuum operâ victum quærunt, quóſq; fame enecari neceſſe eſt, quando ipſis non liceat operari. Hujuſce verò rei finis idem eſt atq; prioris. Multitudo enim crebritáſq; delinquentium, mulctas Eccleſiaſticis Officiariis capturáſq; parat, quamvis ſanè mulctas vel minimas admodum immanes eſſe oporteat, quæ pauperculis hujuſmodi operariis extorqueantur, qui non niſi manuum operâ in diem victitant.

2. Rurſus, Pone ſatis magnum hominum Numerum ad *Abſtinentiam à Carne,* religiosâ, vel potiùs ſuperſtitiosâ Regulâ cui ſubditi ſint, per totam vitam, religari, adeò ut inſtar mortis putarent, Carnem guſtare propter *Voti vinculum* quo ipſorum Conſcientiæ teneantur; Quàm planè ferreum hoc jugum eſſet ſuper tot animas Chriſtianas? Quàm ſtupidos, quàm deliros hæ *Monaſticæ* ſeveritates *diætæ, lecti incommodi, vigiliarúmq; intempeſtivarum* multos ex eis neceſſariò reddituræ eſſent qui ſervilibus his Captivitatis *Babylonicæ* vinculis illaqueentur? Cui nihil profectò *cauſæ* prætexi poteſt, niſi quòd ſint tam benigno beneficóq; Ingenio, ut non ſolùm pro ſeipſis mereri velint, ſed & pro aliis, útq; tot Rivuli unà concurrentes *Theſaurarium* illud *Meritorum* implere poſſint, quæ ab Eccleſia cuſtodiantur, ſatíſq charo divendantur illis Virginibus quæ otio ad reficiendas lampadas fuerint deſtitutæ.

Hæc eſt *Fraus publica*; *Privata* verò certa quædam *Hypocriſis* in hujuſmodi hominibus, quâ ſæpenumerò indiſpenſabile Chriſti jugum ejúſq; verbi Regulam nimii æſtimando, ſéq; ſubdolè occultando ſub harum *Antichriſtianarum* Regularum ſanctitate aſſumptitia, penitus excutiant. Eſtq; *Noxa* ulterior, quòd opinio merendi ad hunc modum pro ſeipſis aliiſq; ſuperbiâ illos inflet ac inſolentiâ, atq; ideo magis abominandos eos reddat, quàm qui ſub nullis hujuſmodi peculiaribus Regulis Inſtitutíſve degant.

3. Eſt autem & altera *Abſtinentia,* quæ pari ſeveritate & rigore injuncta, pleriſq; hominibus perinde foret oneroſa ſi non multò magis; Inſtitutum ſanè quod apertè videtur menti Apoſtoli contrarium, qui ipſum *Eccleſiæ* jam à Chriſtianæ Religionis puritate *deficientis* Characterem facit, quemadmodum & illud alterum, *Abſtinentiam* ſcilicet *à cibis.* Verùm hæc *prohibitio* eſt *Matrimonii.* Quæ quidem non ſolùm expreſſæ *Dei* Legi adverſatur, ſed & *Naturæ* etiam, quæ niſi in *pauciſſimis* aliquibus (qui ſpeciale caſtitatis donum habeant) admodum ſevera exactrix eſt illius *Tributi* abſq; quo humanum genus intercideret. Quantum verò ad *alios,* ab eis certè

certè matrimonium facilè omitti non poteſt, quin ſummæ ipſis irrogandæ ſint pœnæ per eam *Nemeſin* quæ ipſi intexitur legi quæ violatur; ſed hoc Medicis accuratiùs proſequendum relinquo.

Quamobrem dico, quòd Matrimonium interdicere, omnibus putà Sacerdotibus ac Diaconis, & infinito præterea numero Ordinum religioſorum ad Regulas vitæ *Monaſticæ* religatorum, votáq; hujuſmodi, æquè ſaltem, ſi non magìs ſacra facere quàm ipſa vincula *Matrimonialia*, eſſet profectò Chriſtiano orbi jugum æquè *Antichriſtianum* quàm ulla ſervitus quæ poteſt excogitari, viróſq; ac fœminas, qui voto obſervando ſeriò operam navaverint, decepti verò ſint in eo ſuſcipiendo (aut minis *ſuperſtitioſis*, aut *doloſis* blanditiis promiſsíſq; eò impulſi) in tantos animi angores corporíſq; afflictiones & intemperies conjiceret, ut onus futurum eſſet prorſus intolerandum.

4. Et tamen Inſtitutum hoc pro certo promoveretur in Eccleſia admodum rancidè *Antichriſtiana*, cùm ex utilitate tantoperè foret Eccleſiaſticis Poteſtatibus. Cùm enim hîc nihil bonâ fide excogitetur, ſtatuatúrve, ſed ſolummodo in rem Eccleſiæ, urantur ſanè, graventúrq; quàm volent, qui ſub ſuis votis Monaſticis ineptè ſerii ſunt, equidem quamdiu fit, ut nulla hujus voti cenſeatur violatio niſi ducendo uxorem, innumeri homines ad hanc profeſſionem eſſent confluxuri; qui peculiari quodam modo religioſo *membra* vel potiùs jurati *ſubditi* hujus *ſummi Sacerdotis Antichriſtiani* facti eo ipſo robur militare *Hierarchici* ſui Imperii reverà evadunt, cúmq; aut duriter aut ſordidè educati ſint, ei ſummis quidem anguſtiis in magìs carnali militia ac ſeculari mereri poterunt.

Cæterùm intereà loci, ii ex hoc hominum genere qui ſolitudine ac ſuperſtitione magìs deliri evadunt, poſſunt ſanè aut ſuâ ſponte, aut virtute *voti obedientiæ Superioribus*, huc accerſiti, ſeipſos promptos fervidóſq; ſicarios ad Reges ex improviſo trucidandos præbere venenóve tollendos, alióſve quoſlibet ex inſidiis interficiendos quos viderint rem hujus Eccleſiæ *Apoſtaticæ* quovis modo notabiliori labefactare. Tam pernicioſa profectò ſerpentum viperarúmve Progenies è ſolitario pulvere umbríſq; harum *Monaſticarum* Cavernarum in Mundum poſſunt erepere, populíq; animos exacerbare, & corda ſubditorum irâ venenosâ imbuere adversùs ſuos Principes, & *Africanorum Jaculorum* more, Regum pectora repentino ictu pertundere, humíq; effundere ſacrum ipſorum ſanguinem.

5. Verùm hic uſus aliquanto remotior eſt, & in fundum ſuppreſſus latet. Ille verò apertus magìs & expoſitus, Profeſſionem ſcilicet tam duri vitæ inſtituti quàm eſt à maximis carnis voluptatibus *abſtinentia*, in illum finem ut cœleſtia gaudia eò certiùs mereamur, talíq; incedere veſtitu qui tam conſpicuæ *mortificationis* ſpeciem præ ſe ferat quantùm ad omnia hujus mundi oblectamenta, ex firma expectatione eorum quæ nos manent in futuro; palàm eſt inquam profeſſionem hanc non poſſe non mirificè afficere animos hominum ſimplicium ac credulorum, perinde ac ſi hi *ſordidi ſordidati* maximè ſerii eſſent diligentéſq; Religionis promotores in quos quiſpiam ſperet ſe unquam poſſe incidere, eámq; proculdubio veram Eccleſiam fore, cujus hi ſe pia membra eſſe profiteantur, ac proinde cùm multi numero ſint, vacétq; ſingulis hominem unumquemq; ſeparatim adoriri, invenirentur profectò maximè idonea Inſtrumenta ad captivandos detinendóſve homines ſub hac *Antichriſtiana* poteſtate quam deſcribimus, quæ quiſquam poteſt excogitare.

6. Quamobrem hujuſmodi *Angelicarum Fraternitatum* multiplicati conventus, quî fieri poteſt quin tot ſint effoſſæ Piſcinæ quò opes gentium Provinciarúmve, ubi inſtituti ſint, deriventur? Quippe unuſquiſq; promptus erit ad opitulandum ipſis in *communi*, qui ſe nihil in *particulari* poſſidere profitentur, nec ullâ re, niſi ad Naturæ neceſſitates, ſumptúſq; pios, uti; utpote qui adeò in ſolidum caſtrati ſunt Mundóq; mortificati. At verò cùm vitam adeò *Seraphicam* profiteantur, majorémq; apud homines conſequantur gloriam, quàm quæ ab ullis mundanis Negotiationibus facilè poteſt acquiri, Conventus ipſorum, honorifici ſanè, etiam nobiliori ſtirpe oriundis Receſſus eſſe poſſunt, quorum ſcilicet res in Mundo malè ſucceſſerint, aut ſanguinis Nobilitas rationes exceſſerit Fortunarum. Quæ quidem utilitates tam latè ſe diffundentes tale vinculum eſſent apud omne genus homines, ut non exiguum foret (ſi rem humanâ prudentiâ metiamur) incolumitatis hujus *Antichriſtianæ Politiæ* qua de agimus, ſtabilimentum.

7. Quibus omnibus addere potes (nam in his nimius eſſe nolo) quòd tam generalis Cœlibatûs profeſſio in hac degeneri Eccleſia multùm facit ad ejus opulentiam, ut cui naturaliter in ſortem contingit ut ſit hæres, quandoquidem hæc ſua devota membra neceſſe eſt ut moriantur abſq; ullis liberis quos quidem auſint agnoſcere

eſſe

eſſe ſuos. Ut nihil dicam de nummis qui in ſanctam *Pontificalem* Crumenam venire poſſunt, quotieſcunq; alicujus momenti ſit *voto Monaſtico* quempiam abſolvi.

Hæ quidem *Sui-quæſitiones* eſſe poſſunt quibus in hac *Antichriſtiana* prohibitione *Matrimonii* indulgeatur contra Dei legem præceptaq; ſanctorum Apoſtolorum *Jeſu Chriſti.*

8. *Noxæ* verò quas breviter indigitabo multiplices ſunt. Qui enim hiſce votis temerè ſunt irretiti, & ſeriò rem agunt, ſed per naturam inepti ſunt ad hujuſmodi vota obſervanda, hos quidem *oneroſa* manet ſub *imprudentibus* aut ſaltem *ſeveris* Gubernatoribus ſervitus, & faſtidioſa infirmáq; ſolitudo. Quantùm verò ad alios, Eventus ſanè turpis eſt atq; fætidus, uſq; ad converſionem falſæ hujus Eccleſiæ in veram *Sodomam*, caveámq; immundarum volucrum.

Nam *Hypocritica* hæc *Angelicæ Caſtitatis* profeſſio apud ipſos non erit niſi *Adulterii*, *Sodomiæ*, *Fornicationiſq;* mater, crudeliſq; ac truculentæ peremptionis miſerorum Infantum ſimul atq; in lucem editi ſint, & maturiùs ſanè ſi quâ id arte effici poſſit.

Quibus addere potes enervationem depopulationémq; orbis Chriſtiani, quò minùs ſit idoneus ad hoſtes extraneos oppugnandos. Quandoquidem hæc falſa *Politia Eccleſiaſtica*, quam ego delineo, magis eſt ſolicita, quî pleno imperio poſſit dominari Tyrannidémq; exercere in partem *Laicam*, quàm communem Chriſtianitatem ab incurſationibus & invaſionibus *Infidelium* tutam conſervare. Verùm quemadmodum olim dixit Servator, *Fur non venit niſi ut furetur, mactet & perdat*, ac proinde minimè iſtuc mirum eſt, eum nullam curam gerere aut providentiam, pro incolumitate ac præſervatione Ovium.

9. Sed & durius adhuc onus ſupereſt quod ſuperſtitio adinvenire queat; Potéſtq; aut *Monaſticis* aliquibus Ordinibus ſuperaddi, aut ut *Pœna* imponi, illúdve quiſpiam ſibi ipſi ex cæco quodam deliróq; zelo ſuâ ſponte infligere, cùm ab hac non *Matre* ſed *Noverca* Eccleſia praxis applaudatur. Eſtq; uno verbo *Flagellatio*, ſive cruenta feráq; flagris ſuiipſius verberatio, aut ad religiosè *ſatisfaciendum pro peccatis* aut ad *merita augenda.* Conſuetudo ſanè tam truculenta ac barbara, ut aram *Dianæ Tauricæ* quàm Chriſti templum magìs condeceret, nec ullum habet exemplum niſi in iſtis Religionibus quæ ab ipſo Diabolo ſunt inſtitutæ, cui oblectamento erat Tyrannidem exercere in miſerum ac deſpicatum genus humanum. Hujuſmodi verò *Paſtor* non ſolùm *Tonſor* eſt ovium ſuarum ſed & *Excoriator*, & ex diametro illius ſpiritui oppoſitns, qui promiſit ſuis *jugum ſuum facile fore onúſq; leve.*

10. Cæterùm hujuſmodi ſeveritates, quanquam bellam quidem in *Carne* ſpeciem exhibent, nihil tamen faciunt ad ritè caſtigandas perdomandáſq; corruptiones *ſpiritûs*, nec profectò multùm abſimile eſt atq; ſiquis *currum flagellaret, equos verò impunes ſineret.* Illa caſtigatio quæ ad emendationem vitæ pertingit & ad reducendum internum hominem ſub obedientiam Chriſti, eſt *obſirmata omnibus carnis ſuggeſtionibus ac cupiditatibus reſiſtentia.* Hæc *peccaminoſum* in nobis *principium* vulnerabit altiùs, animámq; tandem reverà ſanabit. Alterum verò illud permitti non poteſt nedum probari, niſi ex *Hypocritica* affectatione *pompaticæ* cujuſdam *ſeveritatis* in qua falſa hæc Eccleſia dominium ſuum in mentes corporáq; hominum poſſit oſtentare, ac ſecreto indulgere gaudio in ſuavi guſtu ſenſúve mirifici hujus imperii quod in mundum nacta ſit, etiam ad viliſſimam ſervitutem abjectiſſimámq; *Maſtigiarum* conditionem.

Verùm intereà loci, iſtiuſmodi Crudelitates *Americanæ*, ut hæ certè ſunt, malè tractati *Pœnitentis* vitam, corporiſve ſanitatem in diſcrimen facilè poſſunt adducere, nec profecto poteſt fieri quin fœdiſſimum opprobrium in Scholam Chriſti ſuperinducturæ ſint, perinde ac ſi *Paganiſmo* ſimilis omnino facta ſit ac *Synagogæ Diaboli.*

11. Illa etiam *Paganica* quædam eſſet injuria deceptis animabus illata, ingénſq; labor ac inutilis corpori moleſtia, ad longas *Peregrinationes* obligari, ut hujus vel illius *Sancti* Imaginem in meliorem reconciliationem ſalutarent. Verùm oblationes hîc faciunt, ad ditandam Eccleſiam, & Peregrinorum confluxus ad oppidum ditandum, eâdémq; operâ ad conciliandam oppidanorum benevolentiam tam *lucrificæ* Religioni.

At verò res interim *Peregrinorum* domeſticæ neglectæ relinquuntur incertis admodum rationibus adminiſtrandæ, liberi ſolius uxoris regimini, uxor inſpectioni *ſpiritualis* quem appellitant *Patris*, & aliorum quorumcunq; ex humanioribus viſitatoribus qui ſe ad ipſius ſolatium ingeſſerint, in abſentia Mariti.

Peregrinationibus addi poſſunt *Jubilæi* in magna hujus Eccleſiæ Apoſtaticæ *Metropoli:*

tropoli: qui tametſi haud ità ſint frequentes, celebrationes tamen ipſorum à maximè longinquis Orbis Chriſtiani partibus religioſorum Hoſpitum multitudinibus frequentarentur, ex falſa utiq; perſuaſione quòd peccata ob tam ſanctam Itinerationem ſibi ſint protinus remittenda. *Finis* verò ac *noxæ* hujus ſolennitatis eædem ferè ſunt quæ aliarum *Peregrinationum*, niſi quòd hæc magìs ſpeciatim inſtituitur ad ciſtas *ſummi Sacerdotis* locupletandas.

12. Immenſum eſſet omnes modos ſuperſtitioſarum moleſtationum percurrere quæ ſub prætextu complendi Chriſtianitatis leges atq; Eccleſiæ, deceptorum mancipatorúmq; Chriſtianorum Corporibus fatigandis poſſint adinveniri. Cujuſmodi ſunt, *Nudis pedibus, nudóq; capite longâ viâ perambulatio*; *In fontes gelidos aquis in nuda pectora proſilientibus deſcenſio*; *In lectis glaciei niviſq; corporum ſuorum volutatio*; *Nudis geniculis per viam ſiliciam, uſquequo caro cutiſq; incidantur omniáq; circumfundantur ſanguine, proreptio*; *Cilicii proximè Cuticulam, cinguliq; acubus ac claviculis obſiti, circumgeſtatio*; cum multis aliis hoc genus *Tragicis* exorbitantiis, de quibus nihil novi habeo quod adnotem: addo ſolummodo eas illi ingenuo ſpiritui qui in vera Chriſtianitate ſpirat omninò adverſari, &, quod ſuprà dixi, planè efficere, ut *Chriſtianorum* Religio ad barbaras *Paganorum* ſuperſtitiones nimis propinquâ ſimilitudine accedat.

CAP. XX.

1. *Afflictantium onus* opinionum. 2. *Hæſitabundæ Animæ diſtractio multifariis ſuperſtitionibus ac opinionibus irretitæ.* 3. Votorum Religioſorum *illaqueationes.* 4. *Intricamenta è ſuperſtitioſa fiducia in quibuſdam quæ in* miſſa *finguntur virtutibus profecta.* 5. *Vexationes ac ſcrupuli de intentione Sacerdotis in Sacramentis adminiſtrandis.*

1. CÆterùm ut has *corporis* incommodationes miſſas faciamus, Chriſtianitas ſanè admodum difficilis ingratáq; variis excruciationibus diſtractionibúſq; *animi*, ob non-neceſſarias Conſcientiæ obligationes intricatáſq; Imaginationes ac *Opiniones* effici poteſt; Quæ cùm innumeræ etiam ſint, alienum prorſus eſſet omnes enumerare conari. Paucas tamen è maximè obviis nominare non dubitabo. Cujuſmodi ſunt, *Officium*, quod fingitur, *colendi Crucem, Imaginéſq; ac Reliquias Sanctorum*; *Communicationis meritorum opinio, Illaqueatio votorum*; *Superſtitioſa fiducia in Euchariſtia, & in intentione Sacerdotis in hoc atq; aliis Sacramentis*; *De neceſſitate Confeſſionis Auricularis perſuaſio, Aſſenſúſq; cuiq; vel minimo apici doctrinæ ab Eccleſia traditæ, quamvìs nulla ſint illius in Scriptura veſtigia, nec ulla pro ea adduci poſſit ratio*; *Metus excrucians Paganico pejoris Purgatorii, ac Neceſſitas deniq; pœnalis Satisfactionis ac Meriti.*

Verba quidem hæc quivis enunciare poteſt, nec tamen linguam eiſdem ulcerare: verùm ſiquis ea tanquam *Principia Conſcientiam obligantia* unquam imbibat, eiſq; ſuperſtitiosè illaqueetur, equidem præ animi inquietudine æquè interturbatè dormiet ac ſiquis lecti linteis pilos conciſos vitríq; pulverem inſperſiſſet. Nec ulla certè requietis animi recuperatio erit, niſi per plenum hauſtum ſoporiferæ illius Potionis quâ in fidem Sacerdotis totus recumbat, itáq; agat credátq; citra omnem diſquiſitionem ac ratiocinium, quemadmodum ille voluerit; ſéq; ipſum hoc pacto è cauto rationalíq; homine in ſtupidum patientémq; convertat Aſinum cui *falſus Propheta* inequitet.

2. At enim ſi propriæ ſuæ Beatitudini promovendæ ex ſuo judicio ac ſententia ſeriò operam navaret, quàm miſerè diſtractus eſſet Objectorum Devotionis varietate? Nam ſi res meritoria ſit unius *Sancti* delubrum viſitare, certè neglectus eſſet propriæ ſuæ ſalutis ſi aliud prætermitteret. Et ſi *Sancti* adeò ambitioſi ſint ut religioſis oblectentur Invocationibus, Invocatio unius invidiam & offenſionem apud reliquos quos prætermiſerit facilè invocanti poteſt concitare. Et ſi unum Patronum mihi elegerim, cur non ſuſpicarer me reliquorum animos à me alienâſſe, nempe ſi perinde cupidi eſſent *Divini cultûs* atq; nos imaginamur?

Et quantùm ad *ſanctas Reliquias*, quæ Religioſis offeruntur ad deoſculandum, qui Conſcientiæ angores indè oriri poſſunt, quòd utiq; non ſatìs corditùs labia

commiſerimus

commiſerimus eis quæ ſpeciem præ ſe ferunt viliorem minúſq; amabilem? Quî poterit quiſquam ſomnum quietè capere ſenſu morsúve ictus tam irreligioſæ, ut ità dicam, *Incivilitatis*, quantumvis adversùs ſanctum ſolummodo aliquod muccinium immundum, aliúdve quodvis linteum luteum ac vetuſtum perpetratæ?

Porrò, cùm adeò ingens virtus ſit in *Cruce exorcizata* ad conſervationem ſanitatis tum *Animæ* tum *Corporis*, & ad fugationem cujuſq; mali *Phantaſmatis* (éſtq; eadem ferè ratio de *Reliquiis*) quas conflictationes animi in ſeriò religioſis excitabit, qui cùm per facultates potuiſſent, nondum tamen à tam longo tempore tam tutum ſibi totíq; familiæ comparârint præſidium? aut, ſi per facultates minùs poſſunt, inter ſenſum paupertatis vegetóſq; devotionis ſtimulos mordeantur diſtrahantúrque, nec facilè apud ſe poſſint ſtatuere utrùm mercandum ſit necne, & certè poſtquam eam mercati ſint, quoties in die è re foret incurvare ſe versùs ipſam, propiúſve ad ipſam prorepere ut ſecretam illam virtutem quæ ipſi indita ſit à ſacra *incantatione*, ſive *exorcizatione* Sacerdotis, eliciant.

Eſtq; par Ratio de *Aqua luſtrali* (quoties nempe aſpergenda ſit) & de *Ramulis exorcizatis* & conſimilibus. Et quantùm ad *Meritorum communicationem* per incorporationem in hoc vel illud *Sodalitium* ſeu *Fraternitatem*, quàm ſolicitum quemvis efficere poſſit de delectu, ut ei ſuppetiæ ferrentur ex optimis, & quàm cupidum ineundi quàm plurimas potuerit?

3. Et quod *Votorum* illaqueamenta ſpectat, quàm proclive eſt ut homines ipſis illaqueantur ut Ruſticula reti? Quam durum ac ſervile eſt ut ſub *Voto* conſtituar *illimitatæ Obedientiæ* iſtiuſmodi homini de quo certus eſſe non poſſum, quin (ſub prætextu indulgentiæ à *Poteſtate infallibili*) ea ſit mandaturus quæ ipſe mihi ſim conſcius contra legem Dei fore, contráq; Humanitatis leges ac Naturæ? Quàm variæ etiam occaſiones eſſe poſſint *Vota temeraria* faciendi pro variis Paſſionibus, Exigentiis & Importunitatibus, in Eccleſia ubi tam frequenter ſunt in uſu, ipſorúmq; præſtatio tantoperè facit ad ejus ditationem (ut & à votis abſolutio per ſpecialem diſpenſationem facta) diutiùs hîc non inculcabo. Hujuſmodi enim ſunt ferè infinita.

4. Poſſunt præterea oriri perquam magnæ ſanè animi perplexitates, *è ſuperſtitioſa quadam fiducia in virtute* Euchariſtiæ *ad alios perperam uſus adhibitæ*, quàm quibus deſtinata eſt. Vulgò *Miſſa* dicitur. Quæ ſi talem haberet virtutem ac efficaciam qualem hæc Eccleſia prætendit, ut ad liberandas Animas à ſupplicio in vita altera, ad ſucceſſus proſperos in præſenti, ad tutas peregrinationes per Mare ac per Terram, in Equo, pedibúſque, ad Fœminas ſteriles, gravidas, aut parturientes, ad dolores dentium atq; febres, ad Porcos & Gallinas, ad recuperanda bona ſuffurata, & conſimilia; quàm multifariæ animi contractiunculæ conſcientiæq; anxietates hinc orirentur apud eos qui diligentiùs, magíſq; ſeriò has virtutes ac privilegia conſideraverint?

Quamobrem ubi creditur, virtute illorum *quinq; verborum Conſecrationis*, Chriſtum eò ſe demittere ut corporaliter & perſonaliter ſe in manus Sacerdotis det qui eum levet offerátq; Deo Patri ad præſidium & incolumitatem ovium ſimplicis putà cujuſvis Ruſtici, Gallinarúmq; aliarúmve rerum minuſcularum, quî poteſt ſupradictus vir bonus tranquillo eſſe animo, cùm irreſiſtibili fidem habeat importunitati tam ſtupendi ſacrificii & certitudini eventuum ipſius (qui in rebus majoris momenti adhuc erunt certiores, *Annon longè vos paſſeribus antecellitis?*) niſi ad Sacerdotem ſe recipiat, quouſq; quidem Crumenæ ſuæ aſtrigmenta ſe extenderint (& Conſcientia certè ſæpenumero excruciabitur diſtendetúrq; quò Crumenæ aſtrigmentis parcatur) è qualibet occaſione ægrotationis pecorum, ventríſve uxoris moræ, in periculis graviditatis & puerperii, in ſuis vel alterius cujuſlibet è familia itinerationibus, & id genus reliquis, nè fortè ipſe reus futurus ſit infortuniorum quæ eos opprimere poſſunt, ex eo quòd tam certas ipſis occurrendi rationes ſatìs maturè non adhibuerit, & ſi caſus planè Tragici fuerint nè hanc ſuam negligentiam tanquam Homicidii peccatum apud ſe ſit exiſtimaturus? Matth. 10. 31.

Quinimo, quomodo ſe poterunt homines abſtinere ab expendendo ſeipſos ad cuticulam uſque, nummos inſumendo in *Miſſas* pro omnibus ſuis Amicis Cognatíſque, & diligenter poſtea inquirendo apud pauperes quinam ex ipſis in hoc genere negligantur? Aut ſaltem quomodo evitare poſſunt quin miſerè diſcrucientur *timorem* inter ſeipſos depauperandi & *commiſerationem* erga eos quos credunt tam immania ſubire ſupplicia in mundo altero hujuſmodi auxiliorum inopiâ?

Superſtitioſæ hoc genus opiniones *Far Molendino*, quod dicitur, abundè ſuppeditabunt eis qui mentes hominum illis imbuunt, verùm tam duriter eos corradent commoléntq;

commoléntq; qui hujuſmodi doctrinis fidem habuerint, ut neceſſe ſit eis vitam valde inquietam agere, ſub hac falſæ adulteratæq; Religionis onere.

5. Quod iterum immane quantum augebitur alterâ ſuperadditâ Incertitudine, magnámq; inducet addubitationem fluctuationémq; in omnibus hujuſmodi deliberationibus, cùm propenſiones ipſorum eos aliàs majori cum confidentia laturæ eſſent ad auxilia Religionis & Sacramentorum ſuorum præſidia. Suppoſito enim quòd effectus dependeat ab intentione Sacerdotis, & ſumptus & devotio noſtra planè incaſſum eſſet, ſi is aut per malitiam aut per incuriam intentionem ab opere divertet. Quod quidem tametſi ſummoperè tendat ad efficiendum Sacerdotem magnum & formidabilem, & tanquam *Deunculum* quendam in terris, ut qui poteſtatem habet ſi non damnandi, ſaltem incertam reddendi eorum omnium ſalutem qui à ſincero ſuæ functionis exercitio, in *baptizando*, in *adminiſtrando* Cœnam Dominicam, & à peccatis abſolvendo, dependeant; (quæ ut fideliter peragat tenebuntur homines non ſolùm ratam mercedem pendere, ſed omnimodâ eum obſervantiâ, nè ſibi ſuíſve malum aliquod æternum & immedicabile meditaretur, honorare) eſſet tamen crux ulcúſq; animi ſuprà quàm dici poteſt intolerandum miſero credulóq; *Laico* qui hac perſuaſione imbutus ſit, Deum utiq; extra ſuam poteſtatem poſuiſſe, & nè ipſum quidem *Omnipotentem* corpori Eccleſiæ quenquam inſerere poſſe, perſonámve ſic inſitam participem fieri gratiæ per *Cœnam Dominicam* ſignificatæ, nec expreſſam peccatorum ſuorum Abſolutionem recipere, quamvis omnia pro pio ſuo deſiderio extrinſecùs ritè adminiſtrata eſſent, & à profeſſo Sacerdote ad eam functionem ordinato, niſi hic Dei delegatus velit intendátq; ſic fore. Quod profectò neceſſe eſt ut Religioſos perpetuâ incertitudine diſcruciet & ſuæ & ſalutis aliorum.

CAP. XXI.

1. *De Anniverſariæ* Confeſſionis *neceſſitate.* 2. *De* Abſolutione *Sacerdotali.* 3. *Quid intelligatur per* Ligationem & Solutionem; *qualibúſq; perſonis Peccatorum remiſſio ſit commiſſa.* 4. Eraſmi *gloſſema in Textum S.* Johannis; 5. *Ut &* Hugonis Grotii; *unde* Auricularis Confeſſionis & Abſolutionis *fundamentum ſubvertitur.* 6. Confeſſionem voluntariam & in genere *utilem fore in Eccleſia in quibuſdam Circumſtantiis, & in ordine ad particularem* Abſolutionem *à Sacerdote*; 7. *Ut &* Confeſſionem particularem *modò ſit voluntaria.* 8. Sui-quæſitiones *hujus Eccleſiæ in tam particulari Confeſſione exigenda ab hominibus.* 19, 10. *Hujuſmodi* Confeſſionum *ſervitus ac* Noxa. 11. *Immenſa ab* Opinionum incredibilium *impoſſibiliúmq; obtruſione religioſis ac ingenuis vexatio.*

1. ABſolutionis modò facta mentio me in memoriam revocat prætextûs neceſſitatis ſemel minimùm in anno confitendi (ídq; Sacerdoti *Parochiali*) peccata omnia non ſolùm *actu* commiſſa, ſed ipſa *propoſita, deſideria*, ac propenſiones ad ea committenda. Quæ meritò profectò appellari poſſit *Conſcientiarum Carnificina*; Eſtq; æquè vile ſervitutis genus, æquéq; abſurdum ac alienum, ac ſi omnes modeſtæ Virgines, gravéſq; Matronæ in *Parochia* obligarentur veſtes exuere nudíſq; corporibus ſemel quotannis ſe coram Sacerdote humiliare. Quod profectò intolerandæ Tyrannidis ſpeciem præ ſe ferret.

Et tamen *extorta* hæc, ſub damnationis pœna ſi quid celaveris, *Confeſſio* non eſt ſanè hominem ad nudum uſq; corpus exuere, ſed & ipſo corpore eum ſpoliare ut nudum cor intueri poſſis, atq; ità virtute hujus Superſtitionis in ea ſecreta irrumpere, quorum ſolius Omnipotentis privilegium eſt eſſe conſcium, qui unicus legitimus eſt καρδιογνώστης, qui nihil mali pati poteſt intuendo maximè intimos opificii manuum ſuarum motus, nec certè, cùm noverit ex quo facti ſimus, quicquam mali nobis inferre; ſed judicabit omnia cum æquitate, nec deſpicatui habebit manuum ſuarum opus.

2. Prætextus pro hac *Confeſſione* eſt *Abſolutionis* neceſſitas per Sacerdotem, quâ ſiquis per propriam negligentiam exciderit, eum eo ipſo damnatum iri pro certo ſtatuitur. Cæterùm ullam hujuſmodi *Abſolutionem* neceſſariam eſſe præterquam in cauſa juſtæ *Excommunicationis*, nec Scripturâ nec Ratione poteſt probari. Etenim, ubi *Petro*, *Eccleſiæ*, vel *Apoſtolis* dicitur, *Quæcunq; alligaveritis ſuper terram, erunt* Matth. 18. 18.

ligata & in Cœlo; *& quæcunq; ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo*; & Johan. 20. 23. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt:* Impoſſibile quidem eſt ut ſenſus ſit, *Remiſeritis* vel *retinueritis*, *Alligaveritis* vel *ſolveritis* rectè an ſecùs nihil refert, ego omnia in cœlis ratificabo quicquid Apoſtolorum meorum ſucceſſores fecerint, ſuccedant licèt *externâ* tantummodò profeſſione nec eundem cum Anteceſſoribus ſuis *ſpiritum* participent. Quamobrem tam ampla perfectáq; Poteſtas ſeu commiſſio ad nullos pertinere poteſt præterquam ad *Apoſtolos ipſos*, aut ad homines *Spiritûs* verè *Apoſtolici*, qui ejuſdem plenè animi ſunt cum Deo, atq; ità nihil agere poſſunt niſi quod ſit rectum.

Et propterea cùm adeò rarum ſit ac difficile hujuſmodi invenire *Confeſſarium*, argumento eſt talem *Abſolutionem* non eſſe neceſſariam. Siquidem nec Deus nec Natura deſunt in neceſſariis. Cæterùm *Ligatio* per *Excommunicationem* eiq; reſpondens *Solutio* alterius planè rationis eſt, ut quæ ad *externam* Eccleſiæ ſpectat Oeconomiam.

3. Sed ut verum eloquar, Illa Phraſis *ligandi* & *ſolvendi* è Scripturis ſuprà citata, non tam *Perſonas* reſpicere videtur quàm *res*. Eſt enim ὃ ἐὰν δήσῃς, & ὅσα ἐὰν δήσητε· non autem ὃν & ὧς vel ὅσους, *quæcunq;* non *quoſcunque*, alludítq; ad notas formulas loquendi *Judæorum*, qui illud quod declaratum eſt *illicitum*, אסור *ligatum* appellabant, *licitum* verò appellabant מותר *ſolutum*. Ac proinde ille locus *Abſolutionem* à peccato non ſpectat, ſed *Leges* & *Inſtituta* ab Apoſtolis Eccleſiæ declaranda, quæ Chriſtus affirmat ſe ratificaturum eſſe in Cœlis.

Alter verò locus, (Johan. 20.) de remittendis retinendíſq; peccatis proculdubio *Abſolutionem* à peccatis reſpicit, verùm interim obſerva cujuſmodi tandem hominibus hæc poteſtas ſit commiſſa, *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos*, (jam verò Chriſtus plenus gratiâ ſanctóq; Spiritu miſſus eſt) ac proinde ipſis inſufflans dicit, *Accipite Spiritum ſanctum*, & proculdubio eum ipſis impertiit. Et tum demum in eos derivata eſt illa Authoritas, *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.*

4. Unde *Eraſmus* præclarè ſanè ſuper hoc loco; *Qui ex his poſterioribus criſtas erigunt, & Tyrannidem quandam ſibi vendicant, cur non meminerunt eorum quæ mox præceſſerunt? Toti turgemus mundano ſpiritu & tamen placemus nobis autoritate commiſsâ remittendi aut retinendi peccata. Tuere autoritatem, ſed cura ut adſit Spiritus per quem Chriſtus tribuit autoritatem.* Quod planè innuit ubi hic Spiritus non ſit, ibi nec Autoritatem eſſe, nec cum ratione quenquam lætificari poſſe remiſſione peccatorum, nec retentione animo conſternari, quoties ab hujuſmodi fit *Patribus ſpiritualibus*, qui *Chriſti ſpiritu* ipſi deſtituantur.

5. Præterea, *Hugo Grotius* ſobriè quidem, quantùm ego video, & cum judicio hunc locum interpretatur, de *Remiſſione peccatorum* per *Baptiſmum*, vel *Receptione rurſus in Eccleſiam* ſi quis poſt Baptiſmum ſit lapſus: *Retentionem* verò peccatorum, eorum eſſe Non-admiſſionem in Eccleſiam qui nondum contriti fiant *Fideles*, aut eorundem *Excommunicationem* ob lapſum aliquem tantâ cenſurâ dignum. Verùm quid hoc ad *Abſolutionem Anniverſariam*, quæ adeò iniquam ac inutilem *Confeſſionem* extorqueat? S. *Jacobus* monet, ut *delicta confiteamur alii aliis.* Cujus quidem ſtylus perperam directus eſſet, ſi tam indiſpenſabile eſſet officium Sacerdoti confiteri, taliſq; ratione qualis deſcripta eſt, & tam frequenter, támq; particulariter.

Anniverſaria igitur hæc Provolutio *Pœnitentis* in humum ante pedes formalis *Confeſſarii* cum oculis manibúſq; religiosè versùs eum ſublatis ſede cenſoriâ ſedentem, nulla pars eſt veræ Diſciplinæ Chriſtianæ, ſed (ut *Eraſmus* rectè inſinuavit,) *Antichriſtianæ* cujuſdam *Tyrannidis* ſpecies; quandoquidem res eſt admodum faſtidioſa ac onerosa ut quis obligetur ad intimum animum aperiendum ei de cujus judicio, amicitia, ac fide minimè ſit certus, & valde intolerandum, urgeri ad verba facienda de eis rebus de quibus nobis non permittemus nè cogitare quidem, ídq; coram iſtiuſmodi viro quem probabiliter ſuſpicari poſſimus turpem aliquam percepturum voluptatem ex hoc genus ſermocinationibus.

6. Injunctio igitur adeò particularis *Confeſſionis* nullum omninò Fundamentum habet nec in *Scriptura* nec in *Ratione*; Quippe quòd nec *Apoſtoli* nec ipſe *Chriſtus* ullam talem requiſiverunt particularem ac completam peccatorum enumerationem, nec in mandatis reliquerunt Succeſſoribus ſuis ut ità facerent. Abundéq; ſufficit modo magìs generali ea confiteri cum ſeria ac ſincera profeſſione deteſtationis eorum, obfirmatíq; propoſiti ea relinquendi: Qua in re ſi *Pœnitens* diſſimulare velit, æquè facilè certè poteſt & numerum & circumſtantias peccatorum ſuorum diſſimulare. Adeò nullus hinc eſt hujus *Injunctionis* prætextus. Cæterùm

Cæterùm ſi profiteatur dolorem ſuum, fixúmq; mores emendandi conſilium, nec tamen poſſit propter imbecillitatem aliquam melancholiámve *Promiſſo Remiſſionis* ex non ficta Reſipiſcentia, (abſq; viſibili hoc ac palpabili *Abſolutionis Sacerdotalis* ſigillo ei appoſito) ſatìs firmiter adhærere; equidem non video quin Sacerdos, Chriſti Spiritu unctus, ſanctáq; commiſeratione plenus erga pœnitens Eccleſiæ ſuæ membrum rectè poſſit & utiliter per illam autoritatem quæ in Apoſtolos eorúmq; ſucceſſores derivata eſt, & per Divinam illam virtutem quæ ſincero Miniſterii ſui exercitio ſemper adeſt, pronunciando *Abſolutionem*, peccatorum ejus *Remiſſionem* ipſi obſignare & inquietatum ejus animum in pacem reponere, cùm peccata ipſius æquè certò remiſſa ſint ac ſi Chriſtus propriâ perſonâ eum abſolviſſet, quippe qui in hujuſmodi cauſis omni procul dubio in cœlis ratificat, quicquid hîc tranſactum ſit in terris. Quod nec ipſum *Grotium* credo negaturum, indicaturúmve ſuæ S. *Johannis* interpretationi contrarium, quippe qui nec prætendit quas ibi commemorat ſolas eſſe remittendi peccata occaſiones, ſed maximè notabiles.

7. Et quemadmodum *generalis Confeſſio* voluntaria Sacerdoti in ordine ad *Pœnitentis* Abſolutionem utilis eſt & laudabilis; ità voluntaria intimi animi apertio modo etiam magìs *particulari* ejuſmodi homini cui confidere poſſimus rectéq; ſperare aptum & idoneum fore ad hujuſmodi officium obeundum, ut perfectiùs ſcilicet ſtatum animæ noſtræ intelligat, res eſt proculdubio quæ permagnam præ ſe fert utilitatem.

8. Verùm extorquere cuiq; Fideli ſingulis annis, ſi non crebriùs, *particularem* enumerationem omnium ſuorum delictorum, cogitatorum, dictorum factorúmque, cum univerſis eorum circumſtantiis, non niſi vilis eſſet ac inhoneſtus prætextus Sacerdoti inſinuandi ſe in omnium hominum pectora, ad ipſorum ſecreta expiſcanda, quæ vel ad rem ſuam privatam poſtea referre poſſit, vel cum *Eccleſiaſtico Politicis* ea communicare, quæ maximè factura ſint ad præcipuum ipſorum Inſtitutum, Quod conſervatio eſt & augmentatio iſtius mundani ſplendoris, opulentiæ ac Poteſtatis quam tantoperè affectant.

Atq; equidem hoc pacto ſecreta non *unius* tantùm *viri* fœminæve ſingularis, ſed & integrarum *Familiarum Civitatúmque*, imò totarum *Provinciarum* atq; *Regnorum*, adeóq; *univerſi* Chriſtiani *orbis* unà confluere poſſint in communem hanc Ciſternam, vel ſi mavis, Mare Eccleſiaſticarum *Notificationum*, qui ipſe *oculus* eſt Actionis, rerúmq; ſcitè adminiſtrandarum *Anima*.

9. Sed enim tametſi perquam ſuavis hæc buccella foret huic *Pſeudo-Clero* quem ego deſcribo, valde acerbum tamen futurum eſſet *Laicis* condimentum, non ob id ſolùm quòd fœdiſſimum foret inevitabilis ſervitutis Inſigne, quòd cogerentur hoc modo ſub pœna damnationis ſemel ſaltem quotannis ſe in humum provolvere coram iſtiuſmodi hominibus qui & ipſi tot cubitis in terram ſint immerſi, ſéq; ipſos dehoneſtare, accuratè enumeratéq; eis aperiendo ſua delicta, de quorum Candore, Judicio, Amicitiáve minimè certi eſſe poſſunt, (& certè Sacerdotem *Parochialem* hîc prætermittere, notam eſſet ei inurere præcipuúmq; è vicinis maximè infenſum ſibi reddere) præter externam, inquam, hac in re ſervitutem, Ritúmq; obeundum, à quo vel maximè probi ingenuíq; Animi abhorrerent, *Noxis* profectò maximis *periculiſq;* hic locus præterea eſt opportunus.

Is enim cujus officium eſt audire homines accuratè religioſéq; ſemel ſaltem quotannis ſeipſos accuſantes, majorem habet opportunitatem injuſtè eos defamandi (aut tacitis aliquibus inſinuationibus, aut indicationibus magìs expreſſis) quàm par eſt ut cujuſvis hominis fidei concredatur, qui non planè *Divus* ſit in terris, Cujuſmodi pauciſſimos in hac *Politia* qua de ago, ſuppono.

10. *Interrogatoria* etiam ab hujuſmodi *Confeſſariis*, maximè veriſimile eſt Maribus Fœminiſq; adoleſcentulis exempla ac incitamenta peccati ac libidinis repertum iri; Secretorúmq; Familiarum notitiam, infinitarum inter vicinos contentionum ſemen fore, ut & inter eos qui ſunt ejuſdem Familiæ. Nam difficile erit eis qui ex his confeſſionibus quid *in* vel *contra* rem confitentium fecerit, haud obſcurè intelligant, prurientes ſuos digitos abſtinere ab agendo, rebúſve ipſorum ſe immiſcendo, inflammatóſve animos cohibere à ſolicitando caſtitatem ejuſmodi fœminarum quas faciles fore præſentiant & acclives, aut ab officioſos ſe præſtando *Indices prædæve præmonſtratores* eis qui *Veneris* voluptates proſequuntur ac venantur.

Præterea, *Pœnarum* Leviculoſitas, quas tamen oportet aliquam præ ſe ferre ſpeciem juſti ponderis valoríſve ad peccatum, indurare poteſt homines in opinionem nihil magni mali eſſe in peccando, eóſq; facere ut Divinæ legis violationem tanquam rem leviculam, frivolam ac nugatoriam æſtiment. Cùm è contrà ſi ſola peccati

pœna labor eſſet ſtudiúmq; illud omninò relinquendi, è ratione certæ expectationis diri illius ac tremendi Judicii venturi ipſis inculcatum, etiamſi nulla alia Abſolutioni eſſet annexa conditio, hoc ſanè multò majorem ponderis peccati ſenſum hominibus imprimeret, facerétq; ut celeriùs & diligentiùs ad ſe ab ejus onere liberandum operam navarent. Sed ut tandem concludamus.

11. Id etiam valdè excruciabit *Intellectualia* præſertim & *Rationalia* Ingenia; nempe, Per conſcientiam obligari ſub pœna damnationis ad credendum, quicquid Eccleſia profiteatur, eſſe verum, dum illa interim ea hominum fidei obtrudit quæ nullam habent Fundamentum nec in *Ratione* nec in *Scriptura*. Etenim etiam in eis rebus quæ in utramq; partem diſputari poſſunt, id quorundam hominum eſt fatum, ut modo nihilominùs ferè invincibili inclinentur ad credendum hanc partem potiùs veram eſſe quàm alteram. Quas igitur luctas conflictúſq; oportet ſubire ut autoritati Eccleſiæ contra tam ſtrenuas fataléſq; propriæ mentis ſenſationes adhæreant?

At enim, ſi Eccleſia ità ſevera eſſet ac imperioſa non ſolùm in iis rebus de quibus, juxta communem plerorumq; hominum ſenſum, in utramq; partem ſtatui poſſit, ſed ſtatueret præterea requirerétq; aſſenſum in eis quæ *Scripturæ Rationive* omninò repugnant, quáſq; impoſſibile eſt juxta facultates omnium hominum quos nullum præjudicium occæcaverit veras eſſe; utì v. g. Quòd unum idémq; corpus in totum integréq; in mille locis poteſt eſſe, millenis etiam milliaribus à ſe invicem diſſitis; Quòd adorare licet ſimulachrum ſculptile, & ſimilia; quàm iniquum aſperúmq; onus neceſſe eſſet has ſalutis conditiones eſſe animo qui non merus ſit ſtipes? Quibus reciprocationibus Fidei & Indefidelitatis, ſpei ac deſperationis ſalutis ſuæ eum vexari oportet, qui jus ſuum ad æternam beatitatem dependere putat à ſincera perſuaſione quòd Eccleſia de rebus omnibus rectè pronunciet, quum id interim proponit quòd juxta omnes ſuas facultates, non ſolùm veri diſſimile ſit ſed & impoſſibile ut ſit verum?

CAP. XXII.

1. *Horrendum Figmentum* Purgatorii. 2. *Quòd terrifica hæc Fabula totam molem ſuperſtitionum hactenus deſcriptarum infinitò graviorem facit ac oneroſiorem.* 3. Antichriſtiana *Doctrina de* ſatisfactione Chriſti *quaſi ad* reatum *ſolúmodo tollendum non ad* pœnam *ſe extenderet.* 4. *In quàm multifarios labores ac moleſtias hæc Doctrina, Figmentúmq;* Purgatorii *homines conjiciant.* 5. *Dictæ Doctrinæ Figmentiq; confutatio.* 6. *Impoſſibile eſſe ut* ſincerè animati *in hac vita ullam* Gehennam, Purgatoriúmve *experiantur in altera.* 7. *Nullum eſſe fundamentum* Antichriſtiani *hujus* Purgatorii *nec in* Scriptura *nec apud* Patres. 8. Fraus *craſſa grandiſq;* Noxa *hujus* Fictionis. 9. *Deſcriptionis hujus ſecundi membri* Antichriſtianiſmi *Concluſio.*

1. POſtremò, ad juſtum pondus *Antichriſtiani* hujus Jugi atq; oneris explendum, Timorem ſuperaddi ſupponamus pluſquam *Paganici*, quod dixi, *Purgatorii*: hoc eſt, ſupponamus Eccleſiam ſtatuiſſe, Nullas Animas, niſi omnimodè puræ fuerint ac perfectæ in hac vita (è quo genere aut nullæ reverà ſunt, aut ſi eſſent haud adeò immodeſtæ forent ut tales ſe eſſe exiſtimarent) poſt exitum ex hoc corpore in beatam & conſolabilem conditionem ſtatim migraturas, ſed in ſtatum paulò differentem à *Tormentis Inferni*, niſi quòd hæc non futura ſint perpetua, quantumvis in plures pluréſq; annos producta, niſi aliqua adhibeatur cura ad recreandos redimendóſq; eos, qui in miſero hoc ac funeſto loco conſtituantur: Quem ſuppono eos, rebus quàm maximè poſſunt horridis rudi populo deſcripturos, fabulas ipſis narrantes de diris tetricíſq; Spectris ſeu Apparitionibus, quæ genis pallidis flebiliq; voce extremam ſuam hominibus aperuerint miſeriam in *Infernali* hoc ſupplicii Domicilio, opémq; imploraverint, ut prece, precióve in Miſſas impenſo ipſis quantum poſſent ſuccurrerent, doloréſq; ipſorum allevarent.

2. Neq; equidem credo fore ut abſtinerent ſe ab exaggerando intolerandam hanc calamitatem quibuſcunq; potuerint fictionibus: Cujuſmodi ſunt, viſas fuiſſe viro alicui ſancto humanas animas in viſione miris modis in altero ſtatu cruciari, cùm aliæ genu tenus, aliæ umbilico, axillis aliæ, aliæ etiam mento tenus in flumine ſteterint

terint Ignis atq; Sulphuris. Alias virgis ferreis transfixas ut Auſeres in veru ad focum torreri, fœdis *Inferni* Dæmonibus, nigris interim oribus in carbones exſufflantibus, aut ut proprio parcant ſpiritui, ingentes folles aheneos adhibentibus; aliis verò eliquamentum quod è toſtis animabus eliquatum ſit, ſpathulâ tollentibus & præcalidum adhuc in animas rurſum infundentibus: Alias virgis è filis ferreis candentibus concinnatis flagellari; Alias in orbem ſuper Rotam uncis ardentibus obſitam contorqueri; in ſartaginibus alias confrigi: Aliis viſcera ignitis hamatiſq; aculeis immanium bufonum ac ſerpentum evelli; & alias deniq; in colliquatorum metallorum vaſa imponi: Funeſtis hiſce mortis cubiculis à cava teſtudine mœſtos ejulatus horridóſq; clamores excruciatarum animarum triſti interim reboatu reſonantibus.

His vel harum ſimilibus Fictionibus Imaginationibúſve ſi populi animos ſemel imbuiſſent, earum certè fides non poſſet quin totum hujus Superſtitionis Tormentum, cui deſcribendæ tamdiu incubui, ad ſummum attorqueret gradum quem mens humana poteſt comminiſci. Nec fieri profectò poteſt quin hujus *Purgatorii* flammæ ille ipſe eſſe Ignis deprehenderentur, in quo Maſtigiis his ac mancipiis Myſtici *Pharaonis* durorúmq; ſuorum *Penſi-Exactorum* (Apoſtatam illum Pontificem intelligo cum reliqua adulterata *Hierarchia* quam delineo) laborandum eſſet ac ſudandum, quò impoſitum Laterum numerum conficerent ad extruendas his filiis ſuperbiæ ſua Palatia ac Pyramidas.

3. Quamobrem nudati ſpoliatíq; omnibus eis conſolabilibus ſubſidiis quæ vera Fides in *Jeſum Chriſtum* hominibus ſuppeditat, & in eam perſuaſionem adducti, *Paſſionem* ſcilicet & *Satisfactionem* Chriſti *Reatum* tantummodo *mortalium* Peccatorum non *æternum ſupplicium* tollere; & tamen (quod magni profectò Beneficii loco habendum eſt) *Æternum* hoc *ſupplicium* poteſtate clavium in *Temporarium* commutari, quod unumquemq; oportet ſubire, Debitúmq; ſolvere aut in hac vita aut in futura, ídq; vel in propria ſua perſona, vel per alium aliquem; hoc eſt, Aut ipſum aut alios ejus loco teneri ad patiendas agendáſve ejuſmodi res quas Eccleſia conſtitutura ſit & pro ſatisfactione acceptatura, Quod & de *venialibus* peccatis eſt etiam intelligendum; & poſtremò *Maculas ſordéſq;* peccati naturæ noſtræ inhærentes omninò expurgandas eſſe *ſatisfactionibus* & *pœnis*, & ſi in hac vita plenè peractum non ſit, Ignis expiatione in altera perfectum iri oportere: Populus, inquam, ſi hujuſmodi Antichriſtianâ doctrinâ deluderentur, ſuavéq; illud ac facile Chriſti jugum ipſorum auferretur cervicibus (quod in ſola ſinceritate conſiſtit, ut vitam nimirum quantum poſſumus ſecundùm ſimplicem ac indiſpenſabilem Chriſti legem inſtituamus, & ſi quando fortè peccemus, certi tamen ſimus & reatum & pœnam externam per Interceſſionem illius qui noſter Advocatus eſt apud Patrem, perpetuúmq; pro peccátis Piaculum, continuò tolli) ſed loco hujus facilis ingenuíq; obſequii, *Ægyptiacâ* illâ ſervitute quam deſcripſimus vincti conſtrictíq; tenerentur, in quàm immenſam ſervilitatem ac intolerandos labores decepti Mortales hoc pacto præcipitarentur?

4. Ad quàm fervidas operum deproperationes à duris his *Penſi-Exactoribus* compellerentur! Quæ forent ab Eccleſia ad Eccleſiam, à Delubro ad Delubrum præfeſtinationes! Quæ ante hujus quæ ante illius Sancti ſimulachrum murmura vel ejulatus! Qui Pectorum planctus, frigidorúmq; Pavimentorum deoſculationes! Quæ jejunia ac vigiliæ, non quidem ad emendationem vitæ ſed ad ſatisfactionem! Quàm longè productæ Peregrinationes à Regione ad Regionem & ab uno Terræ limite ad alterum! Quæ ſupplicationes oblationéſque, ut Simulachrum aut ſaltem Sacerdos ſupplicanti amicè arrideat! Quæ olidis Reliquiis impreſſa oſcula! Quæ Cœlibatûs vota, Cibíſq; Abſtinentia! Quæ flagellationes corporis ac excoriationes! Quæ nundinationes Indulgentiarum! Quæ Reverentia ſervilitáſq; erga Sacerdotem! Quàm ſtricta Jejuniorum publicorum Feſtorúmq; obſervatio! Quæ afflictantes ſcrupuloſitates circa opiniones inutiles! Quàm abjectæ poſituræ, lugubréſq; vultus in coactis Confeſſionibus! Quæ induméntis religioſis ſui ipſorum contectiones! Quæ in eremos ac ſolitudines exilia! Quæ in Cœnobia ac Monaſteria incarcerationes ac clauſuræ! Quæ moribundorum hominum in Monachorum cucullos irreptiones! Quæ in lectis cineroſis volutationes! Quæ aſperſiones Aquæ luſtralis! Quæ unguentis oleíſve exorcizatis inunctiones vel illinitiones! Quæ nominum referendorum in album hujus vel illius ſanctæ Confraternitatis ad merita participanda maturationes! Quæ amputationes ac demutilationes ſortium Liberorum pro Miſſis precibúſq; conductitiis ad excantandam moribundi hominis animam ex imaginario hoc Purgatorio! In ſumma, Ad quàm infinitos circuitus ærumnarum ac laborum animi juxtà atq; corporis hic Tyrannus *Ægyptiacus* ſuos Maſtigias compelleret hujus unius infeſtæ opinionis ſcuticâ, Chriſtum nimirum non eſſe paſſum pro Remiſſione *pœnæ* peccatorum ſed

reatûs

reatûs duntaxat, quíq; ad Cœlum proficiſci cupit, cum propriis ſumptibus impenſíſq; illuc itinerari oportere, propriáq; perſonâ ſatisfacere pro peccatis ſuis ac corruptionibus tali modo quem adulterata hæc Eccleſia ipſi præſcripſerit?

Quæ ſanè nulla vera Methodus eſt liberandi Animas à *Purgatorio*, ſed mancipandi ipſas in ſervitutem (quod dixi) plus quàm *Ægyptiacam*, eáſq; damnandi ad colligendas paleas & ad lateres conficiendos, ad laborandum ſudandúmq; quò imperioſi hujus *Pharaonis* crudeliúmq; ſuorum *Penſi-Exactorum*, opes ac magnificentia ſuſtententur. Quæ quidem maximè abominanda atq; Antichriſtiana Captivitas eſt, quam quis fingere poteſt vel excogitare. Quippe quæ conditionem commutat naturámq; Chriſtianæ Religionis (quâ tamen nihil magis liberum eſt ac ingenuum magíſq; ex profeſſo Legis *Moſaicæ* jugo contrarium) in vilem, miſeram, inſcitámq; ac ſervilem Pædagogiam, facitq; ut non ſolùm onus *Moſaicum*, ſed (quod nimis crebrò inculcari non poteſt) ipſam ſervitutem *Ægyptiacam* excedat.

5. Sed enim Figmentum hoc *Purgatorii* quamvìs ad opes augmentandas poteſtatémq; hujus Pſeudo-Cleri ſuffulciendam & ad immenſos comparandos Reditus Eccleſiæ admodum utile foret Inventum, cùm illius metu, evitandíve ſtudio omnes perinde urgerentur, Principes ac ſubditi, Nobiles & viliori ſtirpe nati; Nemo tamen inficiari poteſt, niſi qui omnem pudorem exuerit, quin merum ſit Figmentum, nec ullum in ſe habeat fundamentum veritatis, immò verò quidni dicam, quin certiſſimæ veritati ſit contrarium.

Eſt enim certiſſima veritas, & quivis bonus Chriſtianus ſic eſſe planè perſentiſcere poteſt, *Chriſtum* utiq; *ſatisfeciſſe* Pœnæ *reſpectu æquè ac Reatus*. Eſtq; apertiſſima repugnantia ut ſincerè animati Chriſtiani per *Paſſionis* Chriſti ejúſq; perſonæ excellentiæ Merita (ut qui immaculatus ille Dei agnus eſt qui tollit peccati mundi) *juſtificentur*, hoc eſt, *ſenſu forenſi* æſtimentur juſti, & tractentur tamen ut peccatores. Perinde enim eſt ac ſi quis pro eodem crimine, & coram eodem Tribunali abſolveretur & puniretur ſimul, quo nihil dici poteſt ineptius aut abſurdius.

Quare manifeſtum eſt nullum externum ſupplicium manere poſſe *ſinceras* animas poſt exitum ex hac vita, (nihil enim auſim pronunciare in gratiam earum quæ non ſint ſinceræ, quia ipſum *Infernum* futura ſit ipſorum portio) nullum Ignem, nulla Furiarum Dæmonúmve ad affligendas ipſas flagella, nullos ſatellites *Infernales*, horridóſve *Purgatorii* Lictores qui manus ipſis injiciant, quò minùs liberè poſſint per omnia Præſidia, pérq; omnes Emiſſarios inviſibilium Regionum pertranſire, nemine ipſas violaturo.

6. Et certè ut is, qui ſincero animo fuerit in hac vita, nec ſolùm in Chriſtum crediderit ſed quantum per vires peritiámq; licebat, omni opere adnixus ſit præcepta illius exequi, cuíq; omnis peccati ſpecies, quotieſcunq; ipſum attentaret, reverà fuerit inviſa, nec opprimi potuerit corporíſve importunitatibus, ſine dolore magno & indignatione devinci, ut hic, inquam, in ſuo exitu è corpore ullum excrucians Infernum Purgatoriúmve in ſeipſo geſtaret, res equidem eſt impoſſibilis planè atq; incogitabilis.

Etenim cùm liberatus ſit ab eo quîcum toties coactus eſt colluctari, cúmq; inter maximas conflictationes vita ſua ex ſenſu propriæ ſinceritatis Gratiæq; Divinæ fiducia in *Jeſu Chriſto* ipſi fuerit conſolabilis; quid obſecro hujuſmodi homini mors eſſe poteſt, niſi vita ex mortuis? Is qui per patientiam tranquillo eſt animo in carcere, non poteſt quin hilariter ſe habeat in libero aëre. Et qui rectus poteſt incedere vinculis onuſtus, facilè poterit ſi voluerit, poſtquam eis exſolutus ſit, præ gaudio ſaltare ac tripudiare. Tam parùm ſanè periculi eſt ab iſtiuſmodi *Mormolyceis* ac Terriculamentis Chriſtiano ſincero poſtquam è mortali hac vita deceſſerit.

7. Equidem aliquem pro *Purgatorio* prætextum fateor eos habere poſſe ex illo
1 *Cor.* 3. 15. loco S. *Pauli*, *Si cujus opus exuſtum fuerit, damnum faciet: ipſe verò ſervabitur, ità tamen ut per ignem:* Qui ſolus Scripturæ locus eſt qui ipſis ullam argumenti ſpeciem ſuppeditet. At enim quamvìs intelligendum eſſet de *Igni Purgatorio* poſt hanc vitam, nec ſic tamen illorum inſtituto quicquam inſerviret, ut neq; illi bene multi apud Patres loci, qui huc facere videntur, quæ res prolixior foret quàm ut in eam me nunc induam. Cæterùm hujus loci Interpretatio, quam *Scaliger Hugóq;* *Grotius* afferunt, adeò domeſtica eſt ac naturalis, & tam parum ad Ignem Purgatorium faciens, ut hoc Fundamentum admodum lubricum repertum fuerit eis qui ipſi inædificare volunt. Nam σωθήσεται & ὡς διὰ πυρὸς *Scaliger* & *Grotius* ſic exponunt; *Quòd evadere poteſt, ſed ſic ut is qui è voracibus flammis ſubitò eripitur.* Siquidem σώζεσθαι ὡς διὰ πυρὸς proverbialis loquendi forma eſt, ad ſignificationem ſummi periculi. Adeò ut ſenſus nihil aliud ſit, quàm, *Eum* ſcilicet *ægrè evaſurum eſſe tremendum Dei judicium.*

Et

Et quod *Origenis* ſpectat τὸν μετὰ βασάνε κάθαρσιν ψυχῶν, conſimiléſq; loquendi formulas apud Patres, nunquam ſanè illæ confirmabunt tale *Purgatorium*, quale hi *malorum Architecti* in mundo volunt erigere; qui pro certo tradunt, neminem in hac conditione meritorii quicquam agere poſſe, nec ullos profectus facere in Gratia vel ſanctitate, quanquam & ipſe ignis appellatur *Purgativus* ſeu *Purgatorius*. Hoc enim *Indulgentiarum* pretium minueret, hominéſq; *Miſſarum* pro mortuis emendarum negligentes redderet, omnémq; illam impendioſam pro Amicis Cognatíſq; defunctis ſollicitudinem tolleret, nempe ſi ſupponerentur eo ſtatu eſſe ut ſuis vivendi rationibus piíſq; inſtitutis ac diligenti rerum ſuarum adminiſtratione in mundo altero, ſeipſos poſſint ab incumbenti calamitate expedire.

8. Cæterùm quantumlibet infirma fuerint ipſorum pro *Purgatorio* Argumenta, Incitamenta certè ad profitendam opinionem forent admodum valida, cùm hoc Figmentum effecturum eſſet ut reliquæ omnes eorum *Fraudes* certiorem apud homines ſortirentur effectum. Utpote quod eos terrefacturum eſſet in facilem fatuámq; procclivitatem ad elargiendum quodlibet, etiam ad ſui liberorúmq; ſuorum depauperationem, modò eis ſatisfactum ſit qui ſe claves geſtare prætendunt hujus *Purgatorii Ergaſtuli*, certóq; pretio adduci poſſunt ut aut ipſis nè in tam horridum locum intrent gratiam facerent, aut ſi illuc intrandum ſit, quàm primùm poteſt eos indè expedirent.

Magna verò interim *Noxa* fraudulentæ hujus Inventionis, blaſphema eſt contra Merita ac Satisfactionem chariſſimi Servatoris contumelia, Tyrannicáq; Conſcientiarum imperiti populi oppreſſio, ſed & tam ingens interim ſcandalum naſutioribus, ut prævalida profectò ipſis foret Tentatio ad univerſæ Religionis ſummæ fidem abrogandam, & ad nullum omninò Animarum ſtatum credendum poſt mortem, ſed ad putandum mortales eſſe ac cum corpore perire; cùm falſi hi Apoſtoli doctrinâ de earum Immortalitate poſt exitum ex hoc corpore, ad præſentem ſuam in hac vita conditionem lautiorem reddendam, & ad volutandum in opibus, dignitatibus omnigeniſq; corporis voluptatibus, tam craſsè rancidéq; ſint abuſi.

Hæc ſecundi membri *Antichriſtianiſmi* competens quidem eſt delineatio, quod in coacervatione conſiſtit multitudinis moleſtarum illicitarúmq; tum Opinionum tum Obſervantiarum ſuperſtitioſarum, quò Jugum Chriſti Oeconomiâ *Moſaicâ* multò gravius evaderet, quinimò quò Chriſtianorum ſervitus pauxillo levior eſſet ſi non durior Tyrannide *Iſraëlitarum* in Terra *Ægypti*, in domo illa ſervitutis, prout ſpeciatim appellatur in Scriptura. Ac proinde particularem hanc rerum Conſtitutionem quam deſcripſi ſatìs memorabile *Antichriſtianiſmi* membrum meritò cenſendum eſſe exiſtimo.

MODESTA

MODESTA INQUISITIO IN MYSTERIUM INIQUITATIS.

LIB. II.

CAP. I.

1. Positivi *fines Evangelii quos reliqua* Antichristianismi *membra oppugnant.* 2. *Usurpationem juris infallibiliter interpretandi leges Christi,* Regalis *ejus* Officii *esse supplantationem.* 3. *Exemplum illius Incommodi in Glossematis* Pharisæorum. 4. *Varia Scripturæ loca adducta ad probandum Ecclesiam esse* infallibilem. 5. *Primum* generale *Responsum ad dicta loca, quærendo an* Infallibilitatis *Promissum toti Ecclesiæ factum sit an parti.* 6. *Secundum, quærendo utrùm Promissum absolutum sit an conditionale.* 7. *Tertium, Promissum non posse esse universale quantùm ad omnia objecta de quibus potest disquiri.* 8. Particulare *Responsum ad primum Scripturæ locum.* 9. *Responsa ad secundum tertiúmque.* 10. Infallibilitatem *promissam fuisse primis duntaxat Ecclesiæ Fundatoribus.* 11. *Quid significetur per* Columnam *ac* Firmamentum *veritatis.* 12. *Illius loci* Pauli *ad* Timotheum *ulterior explicatio.* 13. *Si exponatur de Ecclesia universali, de Apostolicis solummodo temporibus intelligi posse.* 14. *Idémq; posse responderi ad locum ultimum.*

1. EXpedivimus jam illa *Antichristianismi* membra quæ *privativos* Evangelii Christi *Fines* oppugnant, qui erant *Idololatriæ Superstitionisq; oneris* è mundo sublatio. Pervenimus jam ad Finem illius *Positivum*; Qui in genere est *Vitæ Divinæ exaltatio*, idq; aut *personaliter in Christo*, aut in *illius Propagatione in suis membris*, scilicet *in Ecclesia.* Divini illi Honores atq; Officia ad quæ Christi Persona subvecta est, quæq; notatu maximè sunt obvia, sunt officia *Regale*, *Sacerdotale*, & *Propheticum*, quorum oppugnationes supplantationésve non possunt non esse totidem execrandæ partes impii hujus *Antichristianismi*, cujus Imaginem suis vivis, quantum possumus, coloribus depingere conamur.

2. Quantùm igitur ad horum primum; Supponamus hominem quempiam, hominúmve societatem sub prætextu quòd ipsi vera visibilis sint Ecclesia à Christo ejúsq; Apostolis per successionem descendens, jus sibi assumere *infallibiliter* interpretandi legem Christi, doceréq; quòd omnes homines amplecti debent, & submittere se ipsorum glossematis, quantumlibet aliena, quantumlibet improbabilia, immò quantumlibet impossibilia visa fuerint, declararéq; peccatum fore mortale, siquis de ipsorum,

rum hoc genus determinationibus addubitaverit; Hoc profectò aperta foret oppugnatio perfectáq; supplantatio *Regalis* Officii Christi, plenáq; exercitii Suprematûs sui sublatio, qui aliter quidem quàm per Mandata ac Decreta exerceri non potest, quæ postquam Rex publicaverit, si penès alterum sit ea quo ipsi libuerit modo, interpretari, Potestas Regia reverà erit in *Interprete*, minimè verò in ipso *Rege*. Hoc usurpatum inquam jus ac potestas *infallibiliter* interpretandi, reipsa *Interpretem Regem* constituit, *Regem* verò ipsum *Umbram* ac inanem Imaginem.

Proculdubio nullus terrestris Princeps existimaret se super Populum suum verè supremum, si omnes ejus Injunctiones Edictáq; quæ fecerit, facili naturaliq; sensu quem ipse intendit non accipienda essent, sed in alium sensum (quem Potestas extranea per exceptionem aliquam, Evasionem coactámve quamlibet Interpretationem ipsis imposítura sit) distorquenda. Quamobrem quicunq; jus ac *Infallibilitatem* in interpretanda lege Christi prætendit, Christum reipsa nullum efficit *Legislatorem*, & consequenter nullum *Regem* aut Gubernatorem Ecclesiæ suæ. Quo quid obsecro potest esse magìs *Antichristianum*?

3. *Cui jus est interpretandi, hujus sententia pondus habet Legis Divinæ*, Dictum est quod tametsi in sua Ἰχνυοφαγίᾳ *Erasmus* vilioris cujuspiam personæ ori indiderit, magnam tamen præ se fert veritatem. Et Servator quidem pernicioſum hujus præsumptionis abusum, & novit & tam apertè notavit in illo exemplo *Pharisæorum* (qui mandatum illud, *Honora Patrem tuum ac Matrem*, sic interpretabantur, ut *Corban* dicendo, vim ipsius eluderent) ut impossibile sit ut is ullum hujusmodi visibilem Interpretem cum tam illimitata potestate, quàm quidam volunt, ad Ecclesiæ injuriam suíq; *Regalis Officii* abrogationem ullo pacto admitteret. Quippe qui jam observavit *Pharisæos* irrita fecisse mandata Dei per suas Traditiones, hoc est, per suas Exceptiones, Restrictiones perversásq; Interpretationes. *Matth.* 15. *c.*

4. At enim prætendent Christum Ecclesiam suam fecisse *Infallibilem*, quod si ità sit, Ipse Christus regnaturus est in ipsis, utpote qui secundùm illius mentem omnia sunt interpretaturi. Fecisse verò Ecclesiam suam infallibilem planè constare contendent ex hujusmodi Scripturæ locis. *Portas inferorum non prævalituras adversùs eam.* Et rursus, *Ego autem rogabo Patrem, & alium Consolatorem dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum: nempe Spiritum illum veritatis, quem mundus non potest recipere*, &c. Rursus, *Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, introducet vos in omnem veritatem.* Quibus adde illud S. *Pauli* ad *Timotheum*, ubi videtur Ecclesiam vocare *Columnam* ac *Firmamentum veritatis.* Et postremò illud ad *Ephesios*, ubi Christus dicitur dedisse *alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios Evangelistas, alios autem Pastores ac Doctores, ad coagmentationem Sanctorum, ad opus Ministerii, ad ædificationem corporis Christi: Donec evadamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum, ad mensuram staturæ adulti Christi, ut nè simus amplius pueri qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrinæ in hominum alea veteratoria & ad insidiosè fallendum versutia, sed veritatem sectantes cum charitate prorsus adolescamus in eum qui est caput*, nempe *Christus*. *Matth.* 16. *Joh.* 14. *Joh.* 16. 1 *Tim.* 3. *Cap.* 4.

Sunto igitur hæc loca ipsorum Diploma, ac præclustris quam prætendunt potestatis *infallibiliter* interpretandi, nunquámq; errandi in ullis determinationibus sive conclusionibus, ipsis facta Concessio: Et nos vicissim clarè demonstrabimus merum esse obtentum.

5. Quæro enim an promissum hoc *Infallibilitatis* toti factum sit Ecclesiæ visibili per totam suam successionem, an certæ alicui parti? Non esse sanè absolutum & absq; omni conditione factum *toti Promissum*, manifestum est ex eo quòd partes Christiani orbis in rebus credendis tantoperè dissentiunt. Quòd si factum sit alicui certæ Parti, ubi est nominatio illius partis in his promissis, quò de ipsorum interpretandi jure, mundo possit constare? Nullius quidem particularis Ecclesiæ ibi facta est mentio, non *Græcæ*, nec *Romanæ*, non *Moscoviticæ* nec quæ in *Armenia* est, nec deniq; quæ in Regno *Presbyteri Johannis*, nec alîus cujusquam Ecclesiæ. Unde planè liquet nullam *particularem* Ecclesiam ullum hujusmodi Privilegium jure sibi posse vendicare.

6. Rursus, posito quòd particulari alicui Ecclesiæ hoc *Promissum* sit factum, unde constat factum esse *citra omnem conditionem*, & non eâ demum lege ut seriò sinceréq; investigandæ veritati animum adjungant, mentésq; purificent ab omnibus mundanis sordibus ac cupiditatibus corporeis quæ veritatis inventionem impediant? Nam spiritus hic *Infallibilitatis* in corpore peccatis obnoxio nequit habitare, siquidem *cordis vitæq; puritas*, ipsa *Lux* est *Organúmq; Crystallinum*, *ipse* Animæ *oculus*. Et

ſomniare quidem Privilegium *Infallibilitatis* abſq; *ſanctitate*, perinde eſt ac ſi quis *Promiſſum videndi* ſomniet ſine *luce* atq; *oculis*.

Ut Eccleſia igitur Deum prætenderet *irreſiſtibile* habere Propoſitum ipſos efficiendi in quolibet cujuſvis Controverſiæ apice *Infallibiles*, nec tamen ſimul *Sanctos Bonóſque*, equidem opinio adeò eſt abſurda & Hypocritica ut facilè quivis addubitare poſſit deploranda magìs ſit an deridenda. Eſt verò hoc interim indicio eos veram *Bonitatem* aut abhorrere aut contemnere tanquam corruptis ipſorum naturis maximè diſſonam, *Infallibilitatis* verò Privilegium valde affectare, quippe quod naturali eorum ſuperbiæ magìs conſentaneum eſt, ejúſq; venditatio Inſtrumentum ad omnia ſua doloſa propoſita aſſequenda apprimè idoneum. Ac proinde huc adjicere poſſumus, meritò dubitari poſſe, an Promiſſum factum ſit ulli Eccleſiæ viſibili, ſed talibus ſolummodo hominibus, quales erant Apoſtoli, hoc eſt *vocatis*, *electis* & *fidelibus*, ac reverà ſanctificatis ac regeneratis. Hi enim ſoli vera Chriſti Eccleſia ſunt, & ſi promiſſum præſtat eis ſolis qui ſunt vera ejus Eccleſia, abunde ſufficit.

7. Præterea, Promiſſum hoc ſive *Conditionale* ſit ſive *citra* omnem *conditionem*, non poſſumus non eſſe certi hanc *Infallibilitatem* ad omnia omninò objecta, cuicuimodi fuerint, ſeipſam non extendere. Ac proinde ea aggredi quæ ad ſalutem neceſſaria non ſunt nec reverà faciunt ad ædificationem, eſſet profectò fines conceſſæ Poteſtatis tranſgredi, &, cum eo, promiſſorum auxiliorum aut jus aut ſaltem beneficium perdere.

8. Cæterùm ipſos Scripturæ textus particulatim jam examinemus. Quorum primus nihil amplius infert quàm hoc; Chriſti ſcilicet Eccleſiam nunquam exterminatum iri, Mortem adversùs ipſam nunquam eſſe prævaliturum, nec ad ipſam extirpandam ex hoc mundo, nec ad eam deprivandam gloriosâ Immortalitate in Mundo futuro. Nam πύλαι ᾅδου idem hîc ſignificat quod ᾅδης, *Mortem* nempe, *Abolitionem*, *ſtatúmve defunctorum*. Hoc autem verum eſſe poteſt de Eccleſia quamvìs non ſit Infallibilis, uſq; adeò infirma eſt hæc prima Allegatio.

9. Quantùm verò ad ſecundam, bene profectò eis eſſet qui eam allegant, ſi tantummodo eſſet infirma. Eſt enim adversùs ipſos apprimè valida, multúmq; facit ad Hypotheſin noſtram, qui infallibilitatem ſtatuimus *conditionalem*. Nam ſi integrum contextum perlegas, ſic ſe habet. *Si diligitis me, mandata mea ſervate,* καὶ ἐγὼ ἐρωτήσω, *& ego rogabo patrem*, &c. Quod planè innuit ſubeſſe *conditionem*, oportere eos ſcilicet diligere Chriſtum ac mandata ejus ſervare, ſi illum expectant Spiritum qui cum ipſis manſurus ſit in æternum (hoc eſt quamdiu vixerint, ità enim vox ſæpenumero ſignificat in Scripturis) additúrq; inſuper *talem eſſe Spiritum quem Mundus non poſſit recipere*. Quod propterea validè inſinuat, eum non habitaturum in eis qui animo mundano ſint ac carnali. Quæ Promiſſi *Conditionalitas* ſubinſinuatur etiam tertio in loco qui adducitur, *Quum Spiritus ille venerit veritatis, præibit vobis vel introducet vos in omnem veritatem*, hoc eſt, ducet vos tanquam *Hominem*, non violentè trahet rapiétve tanquam *lapidem Animálve brutum* quod non eſt Agens liberum. Adeò ut planè videamus *Infallibilitatem* hanc, ubicunq; fuerit, eſſe *conditionalem*.

Et certè tametſi nullus dubito quin conditione præſtitâ promiſſum etiam præſtitum fuerit omnibus hominibus quatenus ad eorum ſalutem ſit neceſſarium; hæc tamen loca non ſunt omnium optima quæ ad hoc propoſitum produci poſſunt. Siquidem Promiſſum hîc non eſt generale, ſed ejuſmodi quod ad certos quoſdam homines in talibus circumſtantiis dirigeretur, ut manifeſtum ſit ad eos particulatim pertinere nec ullam ſucceſſionem attingere inferréve. Homines enim quos illîc alloqui-
Joh.14.16,17. tur tales eſſe deſcribit quibuſcum præſens fuerit, quíq; monendi eſſent per *Paracletum* de eis rebus quas ipſis dixerit quando erat præſens, qui mœſti eſſent propter inopinatum ipſius deceſſum, cum aliis id genus limitantibus circumſtantiis, quæ ad nullam hominum ſucceſſionem pertinere poſſunt, ut quæ propriæ erant *Apoſtolis* quos tum Chriſtus alloquebatur.

10. Ut & ipſa profectò *Infallibilitas* Promiſſum videtur *ipſis* maximè proprium, utpote quibus incumbebat Eccleſiæ fundamenta jacere domúmq; Dei exædificare, quod poſtquam præſtitiſſent rationibus ſatìs manifeſtis & perſpicuis quantùm ad omnia ad ſalutem neceſſaria, nihil opus erit ut *Infallibilitatis* Promiſſum ulteriùs ſe extendat, cùm Eccleſia ſemper in poſterum incolumis futura ſit, modò ſatìs arctè adhæſerit eis rebus quæ ipſi à primis ſuis Fundatoribus manifeſtò ſint traditæ. Neq; certè è re ejus foret ut quicquam præterea per modum *infallibilis* Impoſitionis fidelibus obtrudatur.

11. Et quod quartam ſpectat Allegationem, ubi Eccleſia *Columna* ac *Firmamentum*

tum veritatis videtur appellari; Si *Cameronis* & *Capelli* ingenioſas ſuper hoc loco conjecturas admittimus, viz. Quòd [*Columna* ac *Firmamentum* veritatis] diſjungendum ſit per Colon ſaltem, à verbis præcedentibus, intelligimúſq; quod ſequitur [*& ſine controverſia magnum eſt Pietatis Myſterium*] Parentheticum duntaxat eſſe Evangelii Chriſti elogium, in quod Apoſtolus abripi poſſet ex conſideratione eorum maximi ponderis articulorum quos ſtatim erat traditurus. *Deus conſpicuus factus in carne*, &c. ità ut *Columna ac Firmamentum veritatis* quaſi Præfatio eſſe poſſit ad inſignes illos Chriſtianæ veritatis Articulos qui, Parentheſi illâ ſepoſitâ, immediatè ſequuntur, prout ſolenne erat *Judæis* hujuſmodi ſcientiæ Rudimentis Titulum hunc præfigere יסוד ועמוד החכמות *Fundamentum & Columna ſapientiæ*, equidem hic locus prorſus inidoneus reddetur ad ullam exhibendam argumenti ſpeciem pro illo ad quod probandum adducitur.

12. Quòd ſi hunc Titulum Eccleſiæ adjungere malles, Eccleſia erat *Epheſina* in qua *Timotheus* præſidebat quæ multa jam ante ſecula evanuit. Ac proinde quæ alia Eccleſia niſi Eccleſia quæq; particularis hunc locum pro Infallibilitate poteſt urgere? quod cognita ipſarum à ſe mutuò diſſentiendi conſuetudo manifeſtiſſimè refutat. Ut præteream ipſum Titulum (*Columnam* ac *Fundamentum*) ſignificare poſſe non quidem ipſam præſtationem officii, ſed officium ipſum quod tenentur præſtare. Sic ut quando Apoſtoli appellantur *Lux Mundi* & *Sal Terræ*, quod ſignificat tantùm quales eos oportet eſſe, non quales per inevitabilem quandam neceſſitatem eſſe cogentur. Etenim ii quos tales eſſe oportet, poſſunt nihilominus talentum ſuum occultare aut inſipidi ſuâ culpâ evadere, prout in *Juda* contigit, & in univerſa ſua ſucceſſione falſorum Apoſtolorum qui appellant ſe *ſervos*, ſed reverà *proditores* ſunt Domini *Jeſu*.

13. Cæterùm, poſtremò, ſuppone Eccleſiam hanc *Catholicam* in genere hîc intelligi debere, non ſtatim ſequitur, ex eo quòd *primæva* illa & *Apoſtolica* Eccleſia, obſtinato Providentiæ Propoſito, nihil ſibi inſculptum habitura eſſet, nullóſq; Fidei Articulos, niſi qui veri forent, Mundo eſſet exhibitura, Eccleſiam per omnes ſucceſſiones idem eſſe præſtituram. Nam ſpecialis quædam cura ac vigilantia primis Eccleſiæ initiis præſedit ut omnia eſſe poſſent vera atq; ſolida, primúmq; ſtabilimentum ſanum atq; firmum; hoc autem præſtito, quod ſufficere poterat ad res Eccleſiæ rectâ adminiſtratione liberorum Agentium in poſterum promovendas, ſucceſſus poſtea ab ipſorum induſtria ac fidelitate pendere debebat, eò ſaltem uſq; ut nullâ miraculosâ aut ſupernaturali vi adjuvarentur impellerentúrve ad omnia conſervanda pura & intemerata. Atq; id credo ſufficere potuiſſe Eccleſiæ quod cuiq; ſingulari homini ſufficere creditur; nempe poſtquam Doctrinæ Præceptáq; Chriſtiana in Evangeliis aliiſq; Apoſtolorum ſcriptis fideliter eſſent tradita, quòd poſſit indè (ordinariâ Dei gratiâ, quæ non eſt irreſiſtibilis, ipſi aſſiſtente) vitam fidémq; in eis rebus quæ perſpicuæ ſunt, congruenter inſtituere: & certè quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, omnia ſunt perſpicua. Quæ Regula ſi obſervata fuiſſet, nullus profectò error in Eccleſiam ad hunc uſq; diem irrepſiſſet.

14. Quæ poſtrema Reſponſio aliquid confert ad Reſponſum efformandum loco ultimo allato. Videtur enim deſcriptionem tantùm continere ſpecialis Dei Providentiæ quâ ritè ſtabiliendæ veritati in primis Eccleſiæ ſeculis proſpexit. In quem finem conſtituit non ſolùm *Paſtores* & *Doctores* (quæ Functiones etiamnum manent) ſed & *Apoſtolos*, particularem habentes miſſionem ab ipſo Chriſto, qui *veritatis ſpiritum* ipſis inſufflavit, ut & *Prophetas* & *Evangeliſtas*, homines ſpeciali modo inſpiratos & adjutos in erigendo fabricam Eccleſiæ ſecundùm voluntatem propoſitúmq; Chriſti, qui tunc temporis modo quodam extraordinario per ſpiritûs ſui aſſiſtentiam ſummæ rerum præſedit. Ac propterea quicquid in publicum uſum Eccleſiæ ſcriptum eſt dum eorum quiſquam quibus Chriſtus Servator dixerat *Spiritum apud eos manſurum qui ipſos in omnem veritatem introduceret*, ſupervixit, vel ab eiſdem eſt probatum, certam quidem habet ac infallibilem Autoritatem. Quæcunq; verò *Poſt-Inventiones* vel Superadditiones in Eccleſia fuerint, eæ minimè fallaci hâc Regulâ ſunt metiendæ.

Hi igitur *Infallibiles* Paſtores, Doctores, Apoſtoli, Prophetæ ac Evangeliſtæ promiſſi non erant omnibus Eccleſiæ ſucceſſionibus, ſed donum erant extraordinarium prout ipſe Textus innuit, quòd Chriſtus eo tempore, nempe in ſolenni ſua Coronatione ac Triumpho, aſcendens longè ſupra omnes cœlos ut impleret omnia, tanquam *Regale Donativum* in Eccleſiam ad celerem ejus conſummationem effundebat, ut citò adoleſceret, coaleſcerétq; in unitatem fidei cognitioníſq; Chriſti, nec quolíbet vento doctrinæ circumferretur, ſed *illi ſoli* adhæreret quæ tradita ſit ab illis

cœlitùs inſpiratis & miraculosè adjutis Miniſtris Evangelii. Cujus quidem rei agnitio, quantùm ego ſentio, *ſolâ* certè futura fuiſſet ratio Eccleſiam conſervandi in unitate in perpetuum. Cùm è contrà *Infallibilitatis* prætextus in ſuccedente Eccleſia, ubi reverà non foret, juríſq; uſurpatio leges imponendi doctrináſq; pari autoritate cum ipſis Apoſtolis, de ſua ſanè natura fontem neceſſariò aperturi eſſent omni errori, ſchiſmati, & confuſioni.

CAP. II.

1. *Apoſtolicorum ſcriptorum tutam ad noſtra uſq; tempora per* Eccleſiam *Traditionem, ipſius non arguere* Infallibilitatem. 2. *Quòd Perſpicuitas Scripturæ in rebus ad ſalutem neceſſariis*, Infallibilis *Judicis tollit neceſſitatem.* 3. *Quòd Scriptura cùm nullum indigitet Judicem* infallibilem, *ullúmve fidelem Traditionum Cuſtodem, ſeipſam eo ipſo declarat ſolam ſufficientem Normam Doctorémve.* 4. *Non ſolùm nihil opus eſſe infallibili Judice, ſed & è re magis fore nullum eſſe.* 5. *Defectum* Infallibilitatis, *non tollere Eccleſiæ Autoritatem, cùm privati cujuſq; officium ſit in rebus reverà dubiis Eccleſiæ ſententiæ ſtare.* 6. *Quanquam opus ſit infallibili Judice in cauſis Civilibus, in rebus tamen Religionis rem longè aliter ſe habere.* 7. *Privato cuiq; non ſolùm permitti ſed præcipi ut ipſe pro ſe in rebus fidei judicet.* 8. *Idem jus ac Privilegium ratione etiam demonſtratum.* 9. *Rationem ſive Judicium hominis cujuſq; privati non eſſe* privatum ſpiritum *ſenſu eo ignominioſo quo quidam loquuntur.* 10. *Jus ſibi vendicare judicandi pro ſeipſo in rebus fidei, neminem facit ſuâ Eccleſiâ ſuperiorem*; 11. *Nec æqualem ſané:* 12. *Nec ſupponit demum eum ſapientiorem Eccleſiâ ſeipſum exiſtimare, ſed potiùs de æterna ſua conditione eſſe magis ſolicitum.* 13. *Non eſſe* privatam *ſuam ſapientiam cui adhæret, ſed* ſapientiam Dei *omnibus cognitam præterquam iis qui ſponte cæcutiant.* 14. *Eccleſiam non eſſe infallibilem probatum ab exemplo Eccleſiæ* Judaicæ. 15. *Parem eſſe rationem de Chriſtiana.* 16. *Defectum Interpretis* infallibilis *haud ità grandi damno eſſe populo.* 17. *Ipſorum certitudinem de veritate Scripturæ per* Spiritum, *ſententiam eſſe non tam ſpernendam quàm quidam exiſtimant.* 18. Spiritum *hunc propriè eſſe* ſpiritum Fidei *diſtinguendum à* cognitione *&* ſapientia. 19. *Inſignis* Fraus *immaniſq;* Noxa *hujus prætextûs* Infallibilitatis.

1. CÆterùm poſtquam *Scripturis* citandis tam parùm profecerint, *Rationis* Demonſtrationes prætendent (præſumendo ſcilicet ſe veram viſibilem Eccleſiam per ſucceſſionem à Chriſto & Apoſtolis deſcendentem) quibus *Infallibilitatem* in ſe hæreditario jure in perpetuum derivatam concludant.

Ut primò, Niſi Eccleſia per ſucceſſionem perpetuam *Infallibilis* eſſet quòd nullam certam habere poſſemus & infallibilem fidem ſacris Scripturis, quæ tales reverà eſſe ab Eccleſia aſſeverantur. Verùm breviter reſpondeo; Suppoſito quòd ſucceſſiva hæc Eccleſia intemeratâ fide ſacrarum Scripturarum exemplaria incorrupta tranſmiſerit, non continuò ſequi eam proinde infallibilem eſſe earundem Interpretem, non certè magis quàm fidelis *Platonis* ac *Ariſtotelis* ſcriptorum ad omnem poſteritatem tranſmiſſio, eos qui ipſa tranſmiſerint infallibiles ipſorum Interpretes argueret. Poterant enim utralibet ſcripta, exemplaria poſt ſingulas tranſcriptiones comparando, integra conſervare. Et præterea ſpecialis eſſe potuit Providentiæ ſuper has ſacras Scripturas Invigilatio, ut quæ adeò neceſſariæ erant ad conſervandas eas veritates quæ ab hujuſmodi hominibus publicatæ ſunt, qui (quod jam dixi) *infallibiliter* à Deo eſſent inſpirati.

Fuiſſe verò hujuſmodi ſcripta, quæ ad tranſmittendam veram Chriſti cognitionem ſufficerent, ab iis exarata qui veritatis teſtes erant infallibiles, nóſq; certos eſſe poſſe quæ ipſorum Titulos vulgò præ ſe gerunt ea ipſa eſſe, equidem, citra omne perfugium ad Eccleſiæ *Infallibilitatem*, tàm manifeſtò in *Myſterii Pietatis Explanatione* demonſtravi, ut ſupervacaneum prorſus exiſtimem quicquam ſuper hac re hoc in loco ſuperaddere.

Lib. 7. cap. 10, & 11.

2. Secundo loco prætendent, Eccleſiam infallibilem eſſe oportere ex eo quòd alioquin *Infallibilis controverſiarum Judex* defuturus eſſet, quinimò nec ulla quidem Autoritas in Eccleſia ad res ſuas adminiſtrandas reliqua futura. Sed

Sed Reſponſum hic occurrit & facile & breve. Nihil utiq; opus eſſe hujuſmodi *Judice Infallibili*, ac proinde nec Eccleſiæ *Infallibilitate*, quippe quòd Scriptura ſufficiens & idei Regula eſt omnibus qui mentis compotes ſunt, ſive literati ſive illiterati, in rebus ad ſalutem neceſſariis, fidémq; ipſis habitam, vitámq; ad earum normam inſtitutam quemvis hominem ad cœlum tutò eſſe perducturas.

Dei Spiritus igitur hîc ſolus eſt *Judex Infallibilis*, qui æquè perſpicuè ac quivis ſuccedentes Judices poſſunt, in eis quæ ad vitam ac ſalutem neceſſaria ſunt, quid credendum ſit quídq; agendum, declaravit. Quod quidem ſi credamus particulatim præſtemúſque, & in genere porrò implicitéq; credamus, & in procinctu ſtemus parati ad obedientiam reliquæ Scripturæ præſtandam, quum primùm nobis de ipſius ſenſu conſtiterit, ſatìs equidem in tuto ſumus, nec eſt quòd dubitemus quin benignè nobiſcum actum erit in altero ſtatu. Manifeſtum enim eſt, id quod eſt neceſſarium omnibus hominibus, in Dei verbo eſſe perſpicuum, alioqui Salus ſufficienter Mundo non eſſet revelata, nec quod ſuprà è S. *Paulo* recitavimus, verum, nec Providentia Divina ſatìs vigilans in primis Eccleſiæ jaciendis Fundamentis. *Epheſ.* 4.

3. Nam ſi *Scriptura*, evidentia non eſſet ſufficienter *infallibilis* omnium neceſſariarum veritatum, Deus alios poſtea homines excitaturus fuiſſet *Apoſtolicæ* planè puritatis in vita atq; moribus, & cum conſimili poteſtate patrandi miracula, ut hoc pacto ſupplementum fieret prioribus (quod tamen nunquam factum eſt) aut ſaltem alteræ illæ neceſſariæ veritates, prædicatæ quidem à primis Apoſtolis ſed ab ipſis non ſcriptæ, commiſſæ fuiſſent Traditioni. Quæ profectò via admodum lubrica futura fuiſſet ac periculoſa, taliſq; quam minimè veriſimile ſit Divinam Providentiam unquam fuiſſe electuram.

Quòd ſi ullam hujuſmodi viam elegiſſet, proculdubio ipſa Scriptura de qua inter omnes convenit, eam nobis indigitâſſet (ut & ſiquis inſtitutus fuiſſet *Interpres*) ut infallibiliter nobis communicari poſſet quicquid ſupereſſet ad æternam noſtram ſalutem neceſſarium : Cæterùm cùm Scriptura hîc ſileat, eo ipſo apertè declarat ſe ſufficientem eſſe iis omnibus qui ſincerè ac diligenter ei intelligendæ dant operam. Quod certè unuſquiſque, cùm æterna ipſius ſalus indè pendeat, quò ſuo bono conſulat, facere cogetur, quandoquidem ſi alii pro ipſo interpretentur, fieri poteſt, ut oſcitantiùs id facturi ſint aut fraudulentiús.

4. Præterea, imperitum admodum ineptúmq; votum eſt ut quis hujuſmodi Judicem *Infallibilem* exoptaret, qui nobis omnes controverſias jam diremiſſet. Hoc enim anticipaturum eſſet ac præciſurum privatum illud ac peculiare commercium Deum inter illáſq; animas quæ ipſi ſunt præ cæteris chariores, quáſq; ſpeciali quodam modo certiores facit de ejuſmodi concluſionibus ad quas quamlibet manum ſe porrigere ſit nefas. Verùm poſt *infallibilem* Eccleſiæ determinationem par erit omnium certitudo, Deúſque, quod dicitur, è manu ſua videbitur baculum tradidiſſe, ac ſeipſum exarmâſſe. Cùm è contrà ſi nullus externus ſit Judex infallibilis ad obſcuriora Scripturæ loca interpretanda, Dei jus hoc pacto in diſpenſandis ſpecialibus ſuis beneficiis ſartum tectum conſervabitur, hominéſq; ingenio magìs religioſo ac intellectuali divinis quidem rationibus exercebuntur, & ad non vulgarem pietatem ſanctitatémq; arctiùs obſtringentur, ut gratiam ſibi concilient *interni* illius *infallibilis Interpretis*, *ſancti* utiq; *illius Spiritûs* quem Mundus recipere non poteſt, ejúſq; luminis præſentiâ capaces fient penetrandi in verum ſenſum eorum ſcriptorum quæ ipſe primis olim Apoſtolis aliíſq; ſanctis diviníſq; viris dictavit.

5. Et poſtremò, *Defectum Infallibilitatis Autoritatem Eccleſiæ ſublaturum eſſe*, admodum imbecilla eſt argumentatio. Autoritas enim ipſi integra conſervatur in urgendis eis veritatibus ac officiis in Scriptura, quæ omnibus ſunt perſpicua, etiam eis qui minimè omnium ſomniant ſe infallibiles. Et certè ea quæ adeò perſpicua ſunt, ejuſmodi ſunt quæ ad tutam in cœleſtem noſtram Patriam reductionem maximè ſint utilia. Et quantùm ad eas *doctrinas* quæ *obſcuriores* ſunt (modò ſint utiles ad ædificationem)ut & *Ritus* & *Ceremonias*, Eccleſia autoritatem habet quamvis non ſit infallibilis, eas declarandi, conſtituendíque. *Omnia decenter fiant & ordine.* Quo autem eam modo gerere ſe oporteat erga eos qui diſſentiunt, cùm copioſiùs ea de re alibi diſſeruerim hîc nè leviter quidem attingam. 1 *Cor.* 14. 40.

Adjiciam tantummodo in rebus reverà dubiis ac diſputabilibus me exiſtimare officium cujuſq; eſſe, qualecunq; privatum ſuum Judicium ac propenſiones, alioqui futura eſſent, Eccleſiæ autoritati ac judicio ſtare, & ob amorem Pacis ordiníſque, ipſorum determinationibus ſe haud invitum ſinere concludi.

6. Atq; nunc, quod jam allatum eſt tertio enervando ſophiſmati inſerviet. Videtur enim plauſibilis objectio contra *Scripturam*, quò minùs ſufficiens eſſe poſſit

ad

ad regendum nos ducendúmq; ſine publico aliquo ac *infallibili Interprete*, quòd perinde eſſet ac ſi quis contenderet *Legem ſolam* in rebus *Civilibus* ſufficientem eſſe ſine publico *Judice*. Nam præterquam quod ſuprà inſinuavimus, *Legem perſpicuam* (talémq; Scripturam eſſe aſſeveramus in rebus ad ſalutem neceſſariis) tutò poſſe carere Judice, ubi conſcientia ſe deprehendit ſub pœna æternæ damnationis obſtrictam ad rectè eam intelligendam; hîc addimus præterea, Quòd Lex Chriſti urgenda ſit & inculcanda per publicum Miniſtrum, Interpretem vel Declaratorem ſententiæ illius Legis, quatenus omnibus hominibus nullo laborantibus præjudicio tam illiteratis quàm literatis conſtare poſſit illius eſſe ſententiam, à nemine eorum negari qui contendunt Scripturam ſolam eſſe Fidei Regulam. Et quantùm ad me (quod & ſuprà dixi) etiam in eis locis quæ haud ità perſpicua ſunt, ſi ejuſmodi Interpretationes fiant quæ aliis perſpicuis Scripturæ locis non repugnent, ſed ad illos Evangelii fines promovendos faciant quos alibi nominavimus, ſpero neminem Deum offenſurum ſed debitum obſequium Eccleſiæ præſtiturum, ſi in his rerum circumſtantiis ipſorum ſententiis judiciiſq; ſteterit; ſupponuntur enim cum conſcientia & in timore Dei Scripturam expoſuiſſe, non autem in privatum ſuum commodum carnaléve prolubium ullo in apice. Et proculdubio in hac cauſa conceſſæ ſibi poteſtatis diploma facilè
1 *Cor.* 14. 26. poſſunt producere apertéq; probare ſe cum autoritate agere, *Omnia fiant ad ædificationem.*

Verùm, *ex eo quòd Civilis quæq; Controverſia determinanda eſt per Judicem, idcirco inferre* infallibilem *oportere eſſe Judicem, qui omnes argutas ac inutiles controverſias determinet quæ apud Chriſtianos circa Scripturas ac Religionem ſint emerſuræ*, imbecilla profectò eſt ac manca ratiocinatio. *Civilium* enim Controverſiarum deciſio omitti non poteſt ſine facta alterutri parti injuria. Nemo verò injuriâ afficitur ex eo quòd inutiles hæ aut ſaltem non neceſſariæ Quæſtiones non determinentur.

Poſſunt enim diverſas ſuas tenere opiniones ſine mutua injuria, modò obſervare velint notam illam legem Chriſti, *regiam* illam *legem* Charitatis. Quinimo hujuſmodi controverſiarum deciſio per Judicem quem volunt *Infallibilem*, ingens eſſet parti alteri injuria, ut quæ conſcientias ipſorum oblæderet, juſtam eorum libertatem minueret, viámq; ad cœlum anguſtiorem redderet quàm ipſe Chriſtus eam conſtituit. Nam reverà ſic facit Judex hic *Infallibilis* qui ſuas determinationes hominibus imponit ſub pœna æternæ damnationis. Deus verò pro infinita ſua ſapientia ac miſericordia nè minimam quidem dedit intimatiunculam quâ jus ſibi quiſquam hoc arripiat & uſurpet. Ac proinde cùm Judex hic *infallibilis* nec à Deo conſtitutus ſit nec ab hominibus conſtitui poſſit, *Scriptura ſola*, non autem hæ infallibiles venditatæ deciſiones, noſtræ fidei Regula eſſe debet.

7. Quartus & ultimus Prætextus eſt, *Quòd niſi ſenſus Scripturæ determinetur per Eccleſiæ* infallibilitatem, *privatus quiſq; Spiritus Judex erit ſenſûs illius, immò quod adhuc pejus eſt, ipſius Eccleſiæ Judex, atq; eo ipſo ſuperior Eccleſiâ, quo nihil inſanius excogitari poteſt aut abſurdius.*

Magna profectò primo aſpectu hæc videtur difficultas; Verùm reſpondeo: Ut
1 *Theſ.* 5. 21. unuſquiſq; privatus homo pro ſeipſo judicet, *poteſtatem* è Dei verbo ſibi conceſſam habet, immò quidni dixerim, *Mandatum*, ut v. g. ubi ipſi præcipitur, *ut omnia*
1 *Johan.* 4. 1. *exploret, & quod bonum fuerit retineat*; utì etiam, *ut nè credat cuivis ſpiritui, ſed ſpiritus probet an è Deo ſint*; & alio in loco, *ut paratus ſit ad rationem ſpei ſuæ reddendam cuilibet petenti. Beræenſes* laudabantur etiam quòd *ſcrutarentur* quotidie
Act. 17. *Scripturas* ut certiùs explorarent, an ea quæ dicta erant à *Paulo* quantumvis inſpirato ſelectóq; Dei inſtrumento, vera eſſent. Ut verò unus aliquis homo, hominúmve ſocietas à Deo conſtituta ſit ad autoritativè abſolutéq; pro aliis judicandum in rebus Fidei ac Religionis, nuſquam aut Scripturâ aut Ratione hujuſmodi ipſis conceſſam invenimus poteſtatem; ſed monemur potiùs ut caveamus nè capita obnupti à
Matth. 15. 14. quoquam ſeducamur, nè fortè dum *cæcus cæco præit ambo in foveam cadant.*

8. Sed enim non *Scriptura* ſolùm, verùm etiam ipſa *Ratio privatis*, quos vocant, *ſpiritibus* planè dat poteſtatem judicandi pro ſeipſis. Nam qui hanc *Infallibilitatem* venditant, eo ſolo nomine hoc faciunt quòd glorientur ſe *veram* illam eſſe ab Apoſtolis uſq; per ſucceſſionem deſcendentem Eccleſiam. Cæterùm niſi ſe ſupra modum ridiculos præbere velint, oportet eos illius rationem convincere, quem Proſelytum reddere conantur Eccleſiæ, ſuam nimirum *veram* illam eſſe ac Apoſtolicam Eccleſiam. Sic enim venditare ſine probatione, veſania eſſet ſibilis ac exploſionibus apud omnes excipienda. Verùm id argumentis probare conari eſt certè ad privatam illius Rationem provocare quem velint convincere. Et ſi Chriſtianus jam ſit nec tamen ex ipſorum Eccleſia, communia ab utriſq; agnita principia ſunt *ſacræ*

Scripturæ,

Scripturæ, è quibus dum argumenta depromit Diſputator, eum ipſum appellat quem ad ſuas partes trahere conatur, an Interpretatio, Allegatióve earum vera non ſit ac ſolida. Quòd ſi *Infidelis* ſit vel *Paganus*, rationes exhibere oportet quibus probet ipſarum Scripturarum veritatem ac autoritatem. Quæ etiamnum provocatio erit ad illius Conſcientiam qui lucrifaciendus eſt Eccleſiæ, an id quod ipſi offertur verum ſit an falſum. Cúmq; id quod ipſi offertur, tota ſit Fides Chriſtiana (ea enim eſt quæ veram conſtituit Eccleſiam) manifeſtum eſt quòd ad ipſius Rationem ac Conſcientiam provocatur an ſumma Credendorum in Chriſtianitate non ſit vera, hoc eſt, Etiamſi Eccleſia illéq; qui illius causâ diſputationem ſuſcipit jam apud ſeipſos judicaverint firmitérq; concluſerint Fidem Chriſtianam veram Fidem eſſe & in ſumma & in ſingulis ſuis partibus, nec ad aliud judicium provocent reſpectu ſuiipſorum, reſpectu tamen illius quem convincere ſtudent, ipſius judicium appellant an fundamenta ſuæ Fidei non ſint ſolida, atq; ſic ſupponunt agnoſcúntq; eum hiſce in rebus pro ſeipſo eſſe Judicem, *ſpiritum privatum* quantum voles, aliúdve quodcunq; libuerit, appellitaveris.

9. At enim non video quin nimis contumeliosè appellaretur *ſpiritus privatus*, in eis ſaltem hominibus qui ſincero ſimplicíq; corde ſunt, qui nulla privata propoſita fovent ſed voluntatem tantùm Dei quærunt ut cognoſcant & faciant; éſtq; Dei voluntas ut omnes ſic ſe gerant, *ſpiritúſq; hominis Lucerna Domini* dicitur: Atq; illud ſanè quod κατὰ τὰς κοινὰς ἐννοίας, *ſecundùm communes Rationis Notiones* quæ ſunt in omnibus hominibus, judicat, & τὰ πάλαια σύμβολα nondum perdidit, illos communes utiq; characteres ingenuóſq; ſenſus indiſpenſabilis *Moralitatis* ac *Veritatis*, quos *Pater luminum* Animæ olim impreſſit, quíq; vix in ullis animabus prorſus obliterantur, neceſſariò autem conſervantur vigéntq; in ſinceris; Talis, inquam, *vita ſpiritúſve*, qualis hic eſt, in homine judicans, admodum abſonè appellaretur *ſpiritus privatus*, quippe qui juxta *univerſalem* humanæ Naturæ *ſenſum* judicat, & ſic ut unuſquiſq; omni amoto præjudicio, ſemper judicabit. Et certè ſi hoc parùm ſit, addo judicium illud quod ità fit, judicium eſſe *univerſalis* illius *Regis* ac *Legiſlatoris Æterni Filii Dei*; Illius ſententia eſt in hujuſmodi cauſis, ſed noſtrorum cordium tabulis inſcripta, labiiſq; noſtris prolata, tanquam per alicujus *Curiæ Præconem*. Tantum abeſt ut ſit cujuſvis merè *privati ſpiritûs* Judicium. At enimverò illud potiùs *privati ſpiritûs* Judicium habendum eſt, quamvìs *infallibilis* Eccleſiæ Titulum præ ſe ferret, quod ſtatuitur non quidem ſecundùm perſpicuos Textus Scripturæ, ſic intellectos ut quivis, qui nullo laborat præjudicio, eos ſit intellecturus, nec ſecundùm indelebiles illos *veritatis* characteres, quos Chriſtus qui *æternus* eſt *Logos*, rationalibus hominum Animis inſcripſit, ſed ſecundùm depravatas ſuas cupiditates, ac mundana, quæ parti, cui favent, his ſuis Interpretationibus venantur commoda. Sententia millenorum immò verò decies centies millenorum hujuſmodi Judicum privati ſpiritûs ſententia magìs eſt, quàm hominis cujuſlibet privati judicium qui juxta ea principia quæ declaravimus, pronunciat. Prov. 20.

10. Jam verò quantùm ad invidioſam illam imputationem, quaſi is qui jus ſibi judicii *diſcretionis* vendicaverit, *ſuperiorem Eccleſiâ* ſeipſum faceret, dico eum plus ſibi non vendicare quàm neceſſariò ipſi conceditur, quemadmodum jam demonſtratum eſt. Nam ſi ad privati Hominis Rationem ac Conſcientiam, quando quis ei convincendo dat operam, fiat provocatio, eo ipſo ſanè conſtituitur Judex; & ſi Judicem fieri hoc quidem ſenſu, idem ſit atq; fieri ſuperiorem, equidem neceſſariò fit ſuperior. Cæterùm ego nullam neceſſitatem video cur ex eo quòd quis ad hunc modum pro ſeipſo judicet, Eccleſiâ *ſuperior* evadat. Fateor equidem ſi pro Eccleſia judicaret, quòd eo ipſo Eccleſiâ *ſuperior* foret, nunc verò cùm pro ſe ſolo judicet, nullam uſurpat *ſuperioritatem* in Eccleſiam, ſed obedientiam tantùm præſtat ei qui utriſq; ſuperior eſt, nempe *Jeſu Chriſto*, illius obſervans Mandata perſpicua, ac præcepta, ſive in *externo verbo* ſcripta, ſive *cordis Tabulæ* legibiliter *inſculpta*. Manifeſtis igitur ac inevitabilibus Dictatis propriæ Conſcientiæ, quæ Dei tribunal eſt, obſequi, non eſt ſeipſum ſupra Eccleſiam exaltare ſed ſubmittere ſe Deo, eúmq; ſupra omnia exaltare.

11. Nec certè quis *æqualem* hîc ſuæ Eccleſiæ ſe facit, quippe qui pro aliis nihil definit, ſed tantùm pro ſeipſo, ſéq; interim profitetur paratum ad omnem obedientiam viſibili Eccleſiæ, in ejuſmodi rebus præſtandam quæ expreſſis Dei Chriſtíq; præceptis non repugnent, nec immutabilibus iſtis veritatis characteribus quos animabus humanis impreſſit, quíq; illîc pro certo inveniendi ſunt, niſi durior aliqua violentia, mundaníve commodi cupiditas obſcuraverint ipſos ac obliteraverint.

12. Nec deniq; *ſapientiorem* ſe facit ſuâ Eccleſiâ, quæ invidioſa etiam foret imputatio;

putatio; verùm citra omnem immodeſtiam in ea quis eſſe ſententia poteſt, hominem privatum *magis ſolicitum* eſſe poſſe de propriis ſuis rebus quæ ipſi maximi futuræ ſint momenti, magíſq; fidelem in his quæ æternam ſuam ſalutem ſpectant, quàm multa millia hominum ſimul conjuncta: ac proinde, quamvis tanto non polleat ingenio ac doctrinâ quàm iſti, res tamen ſuas tutiùs poſſe adminiſtrare quàm ſi in ipſorum manus traderentur, præſertim cùm ii qui ſe aliis ad cœlum viæ-duces eſſe prætendunt, hiſce rebus mundanis toti videantur implicati occupatíque, perinde ac ſi planè obliti eſſent ſuſcepti itineris. Non eſt igitur *ſapientiæ* ſupra Eccleſiam *venditatio*, ſed diligens ſolicitudo circa eas res quas utplurimum *hujus mundi Sapientes* non magnoperè curant, quæ privatum aliquem ſed ſincero corde Chriſtianum ad diſſentiendum ab aliquibus Eccleſiæ dictatis poſſit animare, qui agnoſcet ſe interim in aliis rebus, tam imbecillem ac infantilem, quàm ipſi volunt, recolens ſubinde apud
Matth. 11. ſe illam Beati Servatoris Doxologiam, *Confiteor tibi Pater, Domine Cœli ac Terræ, quòd abſconderis hæc à ſapientibus & intelligentibus & ea detexeris infantibus. Etiam Pater, quia ità placuit tibi.*

13. Poſtremò, illa ſapientia cui ſic adhæret, apertè atq; evidenter eſt, non quidem *privati ſui ſpiritûs* dictamen, (quem Eccleſiæ opponere reverà ſeipſum eſſet ſupponere Eccleſiâ ſapientiorem) ſed manifeſta ac perſpicua *verbi Dei teſtimonia, communéſq; ac indubitabiles notiones univerſæ humanæ Naturæ, æternæ Sapientiæ* digito, quæ omnia creavit, omnium hominum animis, qui mentis compotes ſint, inſcriptæ, quæ proinde *illius ſapientiæ* luculentum eſt ac legibile exemplar. Adeò ut is qui illi adhæſerit, *propriam ſuam* ſapientiam ſapientiæ *Eccleſiæ* minimè ſit prælaturus, ſed fideliter ſe ſubmiſſurus *ſapientiæ Dei*, cui & Eccleſia debet ſe ſubmittere, nec delere, quantum in ſe eſt, impreſſos illos veritatis characteres ex Animis hominum, quò eos ſibi ipſi poſſit, injuſtíſq; ſui doloſi Regni caliginis ac tenebrarum utilitatibus mancipare.

14. Cæterùm, in confutando hoc *Infallibilitatis* inſomnio copioſiùs egi quàm aut opus erat, aut quàm primò intenderam. Magnum opere compendium facere potuiſſemus, ſtatímq; dementiam hujus Prætextûs demonſtrare, ſi errorum eorum qui in Eccleſia Dei jam fuerunt mentionem in ipſo initio feciſſemus. Et certè Eccleſia *Judæorum* æquè verè Eccleſia Dei erat ac Eccleſia viſibilis Chriſtianorum, habétq; apud *Eſaiam* æquè magnifica Promiſſa, atq; illa. Nam quod occurrit cap. 54. ad *Judæorum* Eccleſiam primò pertinet, quemadmodum *Grotius* notavit; atq; illîc dicitur, *Omnes fore doctos à Deo, Deúmq; æternâ clementiâ ipſorum miſerturum.* Et tamen tam turpiter erravit hæc Eccleſia, ut ipſorum Principes ac Gubernatores *Meſſiam* ſuum neſcirent, poſtquam venerat in Mundum, ſed eum morti ignominioſæ traderent.

Sed enim in eis etiam temporibus quando palpabilior erat mirificæ Dei poteſtatis apud ipſos reſidentia, perquam enormiter errârunt, ut in cultu *Vituli aurei* in Deſerto. Et decem Tribus Vitulos etiam aureos colebant in *Bethel*, immò verò defecerunt omnes ad cultum Baalim, ſeptem millibus exceptis, qui cum reliquis collati tam pauci erant ut *Elias* ſe ſolum relictum exiſtimaret. Et *Ahab* Prophetas conſulens, cum magno ſuo malo expertus eſt, quadringentos ipſorum falſos eſſe, ſolúmq;
Cap. 5. 30, 31. *Michaiam* dixiſſe verum. Et *Jeremias* de ſuis temporibus conqueritur, *Stupenda horrendáq; fiunt in terra. Prophetæ prophetant mendacium & Sacerdotes manibus ſuis admittunt, & populus id fieri amat: Quid igitur facietis in noviſſimo ejus?*

Cap. 7. 4. Eſt etiam illa ſatis acerba monitio, *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes, Templum Domini, Templum Domini*, &c. Nam haud uſquequaque, qui *Templum Domini ſe appellitant*, rectè ſe gerunt, prout in eodem Capite apparet, ubi accuſantur *Idololatriæ* propalàm commiſſæ in civitatibus *Judæ* & *plateis Hieroſolymæ*. Quod fieri non poterat niſi in manus incidiſſent cæcorum & errantium viæ-ducum, qui efficerent ut in viis ſuis impingerent, & ex antiquis ſemitis ejicerentur, & uſurparent interim nihilominus præſumptuoſam illam gloriationem, *Legem non perituram à Sacerdote nec conſilium à Sapiente nec ſermonem à Propheta*, immò nè tunc quidem quando malum machinabantur contra veros Dei Prophetas, quemadmodum videre eſt *Jerem.* 18.

Cap. 3. 6. Et *Michæas* apertè de Prophetis, qui lætis temporibus tantùm inſerviunt, quíq; ventri indulgent atq; otio, *Noctem utiq; ipſis fore pro Viſione, ac tenebras pro Divinatione, ſolem ſuper ipſos occubiturum eſſe, & obtenebratum iri ſuper ipſos diem; Divinos ac Fatidicos confuſum iri præ pudore, quia non eſt Reſponſum Dei.* Eſaiáſq;
Cap 56 10, 11. conqueritur, *Speculatores Civitatis omnes cæcos eſſe, indoctos, omnes mutos canes latrare non potentes, jacentes, recubantes, amantes ſtertere, canes ingluvioſos neſcientes*

entes ſaturitatem, & ipſos Paſtores inconſiderantes, omnes ad unum ſuam viam, ſuum quemque lucrum ſequi. Tam manifeſtum eſt Eccleſiam *Judæorum*, tametſi adeò ſpeciali modo deſponſata erat Deo, in ingentes admodum errores reverà incidiſſe.

15. Nec Chriſtiana quidem Eccleſia majorem habet ſecuritatem, quin, ſi avaritia, ſuperbia, ac ſenſualitas ſuos Ductores occupet, ipſa etiam poſſit in magnos errores ac cæcitates incidere. Apoſtolus monet, *Qui ſibi ſtare videtur videat nè cadat.* Et tempeſtiva profectò futura fuiſſet Eccleſiæ Chriſti jam olim monitio, quæ uon tantùm nutabunda erat ſed penè univerſa in latè manantem Hæreſin *Arrianiſmi* collapſa, ut cogitaret apud ſeipſam, etiam dum ſtat ſe non aliter ſtare quàm ſub conditione obedientiæ præceptis Chriſti præſtitæ, nec ſe adeò infallibiliter ſapere quin erroribus obnoxia eſſe poſſit, eíſq; tota impleri niſi vera ſinceráq; ſanctitas oculos ſibi emundet, & illuſtret itáq; conſervet nè tam fœda caliginis ac tenebrarum Nox eam opprimat. 1 Cor. 10. 12.

Et certè ſi ante duodecies centenos ampliùs annos adeò errori obnoxia erat, jamdudum tempus eſt ut evigilet, & conſideret, an poſt tot ſecula otii, opulentiæ, honoris, omniúmq; rerum affluentiæ, impinguata non ſit & incalcitraverit præceptáq; Dei poſt tergum rejecerit, legémq; merè carnalem de ſuo conſilio formatam introduxerit, voluntati magìs carnis conſentaneam, magíſq; ad mundana ſua commoda promovenda idoneam. Sufficit verò hoc in loco demonſtrâſſe *eam errare poſſe; in quibus rebus erraverit* definire, hujus præſentis diſſertationis omninò eſt præter ſcopum.

16. Figmentum hoc venditatæ *Infallibilitatis* planè jam delevimus, cujus ruinam Adverſarii nullam habent rationem cur deplorent, niſi in illiterati vulgi gratiam id fiat, quippe qui hoc pacto putentur omnis certitudinis fidei facti incapaces, ac æternæ perinde ſalutis, cùm ſublatâ Eccleſiæ *infallibilitate* nulla fundamenta infallibilia habeant quibus innitantur.

Verùm meminiſſe oportet nos jam agnoviſſe ſufficientem certitudinem in eo, de quo *univerſali Eccleſiæ* per omnia ſecula inter ſe convenit, eam verò eſſe *ſacram Scripturam.* Ejuſmodi *univerſalis Traditio*, quam habet Scriptura, firmum Fundamentum agnoſcitur. Cujus Eccleſia poteſt inerrans eſſe ad omnem poſteritatem & *indeficiens traductrix*, quamvìs eadem non ſit ejus *infallibilis interpres.* Cujus tamen traductionis indeficientiam illibatam, equidem fateor rem eſſe magìs intricatam quàm ut quilibet vulgaris homo ſibi eam queat expedire: quamvìs interim infinitò facilius ſit quàm probare Eccleſiam quæ eum ſuæ Communitati inſerere adnitatur, eſſe Infallibilem.

Quinimo apertè fateor minimè me intelligere quî fieri poſſit, ut quævis Eccleſia ſe vel *Eccleſiam*, ſine *Scriptura*, nedum *infallibilem Eccleſiam* demonſtret. Ac proinde ut de *Scripturarum veritate* firmiter perſuaſi ſimus, videtur omnium maximè immediatum atq; primum, quemadmodum * ille rectè monet. *Nam qui de fide ac autoritate Divinarum Scripturarum dubitat, quomodo quæſo credet Eccleſiæ quæ nullam habet ſine eadem Scriptura autoritatem?*

* *Cælius Secundus Curio contra Floribellum.*

17. Ac proinde ego nullo illud pacto explodere poſſum quod à quibuſdam tanto cum ſupercilio deridetur, nempe *Dei Spiritum* eſſe qui certos nos facit de Scripturarum veritate plus quàm quælibet res alia cujuſmodicunque. Nam Chriſtus Servator ait, *Nemo venit ad me niſi Pater eum traxerit. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego eas agnoſco & ſequuntur me.* Eſt igitur *Spiritus* in iis qui ad ſalutem deſtinati ſunt, quo diſcernant utrùm vox Dei Chriſtíq; ſit an non. *Verus enim Paſtor antegreditur & oves eum ſequuntur quia nôrunt vocem ejus: Alienum autem nequaquam ſequentur ſed fugient ab eo quia non nôrunt vocem alienorum*, quemadmodum præclarè illo loco diſſerit Servator. Dico igitur *vocem* veri Paſtoris *ſacras* eſſe *Scripturas*, quas ſenſu quodam immediatio certi ſunt eſſe Paſtoris vocem. Súntq; eis qui ad electionem Dei pertinent perinde efficaces atq; *vox* Chriſti ac Apoſtolorum quando degebant in terris. Quorum ſermonis vis *Spiritu* adminiſtrata homines in eam fidem captivos abduxit quæ operatur ſalutem. *Johan. c. 6. & c. 20.* *Johan. 10. 4, 5.*

Et citra omnem controverſiam idem etiamnum ſalutis verbum quod eſt in ſacris illis monumentis, ſeriò ac fervidè ab hominibus inculcatum qui ſinceram profitentur Fidem ac illibatam depromunt Doctrinam, nihil humanarum Inventionum ipſi immiſcentes, eundem apud multitudinem ſortietur effectum; & quotquot præordinati ſunt adducentur ad inconcuſſam fidem Chriſtianæ veritati adhibendam quatenus in ſacris Scripturis exhibetur. Ipſæ enim de ſe lucem vitámq; habent, ac veluti *Spiritum* Chriſti ac Apoſtolorum ſibi involutum retinent ad excitandum vulgus hominum

ad firmam vivámq; fidem, quamvìs multi è verſutis Sophiſtis *Regni tenebrarum*, callidis ſuis perverſiſq; ratiociniis ipſos illaqueare poſſint, & quantum quidem ad hujuſmodi exteriores diſceptationes ad incitas redigere. Ac proinde tuti conſervantur in *Fide* Scripturarum per *vim Spiritûs* habitantis in ipſis, utpote cujus virtute adeò indiſſolubilis eſt ſuos ſpiritus inter atq; Scripturam harmonia ac concordia, quanquam interim ſe neſciunt per humanam *Literaturam* nec per Rationis acumen Arcanáve Philoſophiæ defendere.

18. Quem *Spiritum* in ipſis reſidentem, largientémq; vim hanc ſolidam firmámq; diſtinguendi inter Dei Teſtimonia ac Traditiones, Doctrináſq; hominum, tutò propriéq; appellari poſſe cenſeo *Spiritum Fidei*, quatenus nudè in ſe conſideratur, & ſeparatim à Spiritu *Cognitionis* & *Sapientiæ*. Quam Diſtinctionem σοφίας, γνώσεως & πίστεως *Origenes* olim notavit ſuper illo Textu S. *Pauli* in Libro contra *Celſum*; & certè quantum ego exiſtimo, gloſſema ejus valdè ſolidum eſt: Præcipuum ſcilicet maximúmq; donum *Spiritûs Divinam* eſſe *ſapientiam*, quâ quis bene habilis fit ad comprehendenda altiora fundamenta Rationéſq; Philoſophicas veritatis Chriſtiani Myſterii; Alterum verò eſſe *Cognitionem*, putà *Antiquitatis* & *Hiſtoriæ*, & facultatem comparandi Vaticinia ritéq; adhibendi humanæ Literaturæ, liberalium Artium ac Linguarum adminicula; Tertium deniq; *Fidem*, quæ & in prioribus comprehenditur, ſed donum eſt, quod ut generalius, ità & magìs eſt neceſſarium, cujus quidem natura hujuſmodi eſt quam ſuprà deſcripſi, *Immediata* nimirum *adhærentia verbo veritatis Scripturis comprehenſo per vim Spiritûs in ſinceris benéq; animatis animabus reſidentis, quæ ſapiunt quæ Dei ſunt, intimóq; ſenſu eum timent & reverentur*, paratæq; ſunt illàc ire quácunq; ille eas vocaverit. Hi enim propter ineffabilem cordium *ſympathiam* cum veracitate *vocis Chriſti* in Scriptura loquentis, nunquam committent ut *vero* ſuo *Paſtori* dicto non ſint obedientes, quamvìs ſe averſuri ſint à voce *Alieni* & mercenarii, qui *in ovile non venit niſi ut deprædetur, mactet, & furetur.*

Lib. 6.

Unde porrò videmus venditatam hanc Eccleſiæ *Infallibilitatem*, quantùm ad Scripturam, inutilem pariter eſſe atq; falſam; nec multum eſſe abſimile atq; ſi Luna tantum ſibi aſſumeret ut in gratiam Solis teſtificaretur *eum* utiq; *lucere*, quod quilibet qui non cæcutiat, neceſſariò videret etiamſi Luna ſub Horizonte eſſet. Ità ſancti Dei filii electi ac fideles, perſentiſcent & guſtabunt, clarè videbunt & deprehendent Scripturam eſſe Dei veritatem per *eam Lucem quæ ipſi ineſt*, quæq; *conformis* eſt illi *Spiritui à Patre* luminum *derivato*, & in corda ipſorum largiter effuſo. Qui, quod dixi, *Spiritus* eſt *Fidei*, certáq; ſors cujuſq; membri Chriſti ſive per *Cognitionem* profundámq; *Rationem* res expedire noverit ſive ſecús. Et ſi homines vitilitigatores ipſum adoriantur, prudentiæ certè erit ad ſua commembra, quibus Deus ſpiritum *Cognitionis* ac *Sapientiæ* dederit, eos ablegare, vel majoris fortean prudentiæ eos omninò negligere ac præterire, cùm non digni ſint qui cuivis diſceptandi creent moleſtiam, utpote qui quæſtiones proponunt non eo quidem conſilio ut ædificentur ſerióq; erudiantur in veritate, ſed ad captionem contentionémque, & ex faſtuoſa ſpe eum illaqueandi à quo magnum aliquod edoceri ſe cupere aſſimulant.

19. Finis *fraudulentus*, quò Pſeudo-chriſtiana hæc Eccleſia per confidentem hanc *Infallibilitatis* venditationem collimare poſſit, admodum eſt conſpicuus, ut & *pernicioſa* illius *Effecta*. Ad quid enim hoc tendere poterit niſi ad Antichriſtianam hanc Poteſtatem abſolutam efficiendam, ut poſſint abſq; cujuſquam detrectatione quicquid ad incrementum ſui honoris ac opulentiæ ſit valiturum, ſtatuere & declarare, quantumcunq; communi rationi, & expreſſo Dei verbo præceptíſq; Chriſti viſum fuerit contrarium? Sententia enim infallibilis eſt, ſpeciem præ ſe geſſerit ab omni Regula, quam nos rectam exiſtimemus, quàm velis maximè alienam ac repugnantem.

Quamobrem hæc Poteſtas quicquid ipſi libuerit, efficere poterit, *tempora mutare* ac *leges*, etiam ipſam *Legem Altiſſimi*; *Ædémq; Dei* per feneſtras, quod dicitur, exturbare & ejicere. Quis enim eſt qui quicquam habet quod dicat contra Poteſtatem de qua ipſe jam perſuaſus ſit eam eſſe *Infallibilem*? Et ut ſummatim dicam, & quo nihil majus dici poteſt aut immanius, Admiſſio hujus *Infallibilitatis*, Chriſti excluſio eſt è ſuo Regno atq; Throno, meríq; Mortalis in eum collocatio, *illegis* utiq; *illius Hominis peccati*, vel ſynagogæ filiorum *Belial*, qui ejus Sceptrum in Mundo vibrarent. Hoc unum ſufficit ſi admittatur, ad funditùs ſubvertendum Chriſti Imperium in Terris.

CAP.

CAP. III.

1. *Abſconſionem Legis Chriſti in Lingua peregrina ſupplantationem eſſe vel impugnationem illius Imperii*; 2. *Ut & calumniationem & vilificationem Legis ejus.* 3. *Fraudulentus Prætextus abſcondendi Scripturas, cum vindicatione utilitatis earum & excellentiæ.* 4. *Vilificatio Legum Chriſti, irrogando minorem pœnam ob Admiſſa contra ipſas quàm contra leviora Inſtituta Eccleſiæ.* 5. *Rigidas Injunctiones Regno Chriſti eſſe contrarias: ut &* Legendorum *lectiones loco illius Legis in Eccleſiis.* 6. *Diſpenſationes contra jura Divina*; *Illiúſq; rei* Fraus *ac* Noxa. 7. *Perfidioſus Prætextus hujus Poteſtatis, quaſi abſoluta eſſe debeat jure ſucceſſionis in Sedem Chriſti.* 8. *Malum hujus Prætextûs effectum in multis cerni Inſtitutis Legi Chriſti contrariis*; 9. *Utì etiam in abrogandis illis Legibus quas ille quatenus Æternum Verbum eſt, noſtris animis indidit.* 10. *Sanguinolenta oppugnatio Principatûs ac Imperii Chriſti in trucidandis fidelibus ſuis ſubditis.*

1. ET tamen Rationes ſunt aliæ multæ quibus imperandi officium à Chriſti humeris tollatur. Ut primò; Si ſupponamus *Legem Dei in Lingua peregrina retineri ac abſcondi*, nec cuiquam permitti ut eam legat in ſermone quem intelligat; immò ſummoperè caveri, nè ipſæ preces publicæ ſanctæq; Euchariſtiæ celebratio à populo intelligi poſſint, nè fortè alicujus loci Scripturæ vis qui in Liturgia publica occurrat, homines à cæca illa exſolveret obedientia, quâ ſub Antichriſtiana hac Tyrannide detinentur.

2. Quibus addere potes, (quod ſanè meliori jure oportebat præceſſiſſe) *Vilificationem* ſcilicet *Legis Chriſti*, tanquam *Libri nullâ aliâ re præterquam periculoſis obſcuritatibus referti, tanquam* Lesbiæ *plumbeæve Regulæ* quæ in quamvis partem inflecti poteſt, tanquam *Naſi cerei, Literæ emortuæ, Farraginis fortuitorum & occaſionalium ſcriptorum*, quæ exarata ſunt non quidem ex ullo inſtituto conſilióve Divino, ſed pro re nata duntaxat, ac prout caſuales quævis neceſſitates Prophetas Apoſtolóſve ad ea ſcribenda moviſſent; & certè ubi maximè modeſtè loqui volunt, eam inſufficientem pronunciare Legem Regulámve, talémq; propterea quam perfici oporteat, Inſtitutíſq; propriæ ſuæ inventionis placitíſve quibuſcunq; quæ ipſis pro *Traditionalibus* doctrinis ac conſuetudinibus populo obtrudere viſum erit, compleri: Legem, inquam, Chriſti ad hunc modum vilificare, eſt reverà eam abolere, Chriſtíq; ſimul imperium in Eccleſiam, & in manus eam prodere alieni, qui cum ea agat prout ipſi libuerit, *temporáq; mutet & leges* & conſuetudines eò ſanè uſquè ut nihil reliqui futurum ſit in Chriſtianitate, quod quovis modo contra horum Uſurpatorum utilitatem fecerit.

3. In ſumma igitur ſic eſſe poteſt. Poterunt ſanè prætendere Scripturam, cùm in aliquibus locis obſcura ſit, ità eſſe univerſim. Verùm nos jam abunde inculcavimus, ſufficientem partem ſatìs perſpicuam eſſe ad facem præferendam ſinceris in via æternæ ſalutis. Verùm ſub prætextu incertitudinis ſenſûs quorundam locorum totam Scripturam amovere poterunt, ut ea loca quæ manifeſtò detectura eſſent, & falſas ipſorum doctrinas praxéſq; redargutura, in conſpectum vulgi nunquam poſſint venire. Etenim, (prout rectè quidam è Patribus notavit) *Verbum Dei eſt Lucerna ad quam Fur deprehenditur*; & Servator Chriſtus olim, *Dilexerunt homines tenebras potiùs quàm lucem, quia opera eorum ſunt mala.*

Cæterùm iſta Imputatio, quaſi Scriptura ex occaſione tantùm ſcripta eſſet, æquè imbecilla eſt atq; impia, & blaſphema; Perinde quaſi Spiritus Dei Apoſtolis tunc maximè non eſſet opitulaturus, quando id maximè poſtulet occaſio; ſive, quaſi ſumpto ſpacio, meditandum eſſet quî ipſos poſſet inſpirare ac illuminare, nec id valeret ex tempore præſtare, ſed deprehenderetur omninò imparatus. Quæ quidem inſignem ipſorum produnt Ingenii obeſitatem craſſámq; ignorantiam ipſius naturæ Dei ſanctíq; illius Spiritûs, quem Chriſtus promiſit Apoſtolis non defuturum in æternum, ad rectè res Eccleſiæ adminiſtrandas ſtabiliandáſque, hoc eſt, nunquam eos deſerturum quamdiu vixerint, & Evangelico Miniſterio eſſent perfuncturi. Quod proinde debet Scripturam admodum charam reddere pretiíq; planè inæſtimabilis omnibus ſincerè credentibus.

Quamobrem unus quilibet Paragraphus Epiſtolarum S. *Pauli* cui Chriſtus apparuit, & de cœlo compellavit poteſtatémq; dedit ut fieret Apoſtolus ad fundamenta

jacienda primámq; ſtructuram Eccleſiæ, multis millibus Conciliorum (quæ ſe Infallibilia prætenderint, nec tamen ullam hujuſmodi extraordinariam Commiſſionem unquam oſtendere potuerint quâ ſe infallibiles demonſtrârint) omninò eſt anteponendus. Deus enim ex eo quòd tam miraculosè *Paulo* apparuerit de cœlo, itáq; eum Apoſtolum conſtituerit, univerſo Mundo denunciabat ſe infallibili quodam modo ipſi adfuturum, ac proinde quicquid mundo per ipſum impertiturus eſſet Legem fore orbi Chriſtiano nunquam abrogandam. Unde Autoritatis ſcriptorum S. *Pauli* abdicatio, ipſius legis Chriſti eſſet abolitio. Quod maximè ſeditioſum eſſet ac blaſphemum Inceptum contra ipſius *Chriſti* Imperium.

4. Eſt verò & alia ratio ſupplantandi ſubvertendíve Regimen & Principatum Filii Dei, quæ eſt *ipſius Legum ex proportione pœnarum contra ipſas delinquentibus irrogandarum, præ eis quæ contra leviora quædam humana Eccleſiaſticáve Inſtituta delinquentibus irrogantur, vilificatio.* Atq; hæ proculdubio admodum Antichriſtianæ hujus generis Inſtantiæ forent. Nempe ſi illius Abſolutio qui Patrem trucidârit vel cum propria concubuerit Matre, quinq; ſéxve vicibus viliori pretio eſſet, quàm illius qui uno die duos Ordines ſuſceperit, vel ſine Literis dimiſſoriis ordinatus ſit; vel ſi Ordinationis extra rata Anni tempora mulcta decuplo major eſſet, quàm ſi quis cum propria Matre coiverit; vel ſi malis, par duntaxat pœnæ violatæ Virginis, Sororis conſtupratæ, Homicidii, Perjurii, Sacrilegii, Simoniæ, Confeſſionis foràs evulgatæ, alendi Concubinam, & coëundi cum fœmina in Eccleſia, par, inquam, duntaxat eſſet hiſce novem ſimul conjunctis. Quid indiſpenſabilem Dei Chriſtíq; legem magìs vilificare poſſit, quàm tot delicta & tam immania minoris momenti ſtatuere quàm Titivilitium illud humanæ Traditionis, *quòd extra rata Anni tempora nemo ſit ordinandus?*

5. Et certè omnes rigidæ impoſitiones earum rerum quæ neceſſariæ non ſunt nec admodum requiſitæ, violatio ſunt Formæ & Politiæ imperii Chriſti, qui omnia juſta ſuis membris intendebat allevamenta, nulla gravia inutiliáve juga aut onera. Quippe quæ Regni Chriſti ſigna non ſunt, ſed infames notæ Tyrannidis Antichriſti. Verùm de doc diſſeruimus in ſecundo hujus fœdæ Imaginis membro, ac proinde hìc illud miſſum faciemus. Hoc verò magìs congener eſſet magíſq; conſpicua verbi Dei vilificatio, nempe ſi in Eccleſiis ſcitè confictæ Fabulæ ad demulcendas Populi aures iſtius loco legerentur. Perinde quaſi iſti ſapientiores eſſent ipſius Dei ſapientiâ, populúmq; poſſint excipere, ad majorem ædificationem, hujuſmodi incredibilibus & ridiculis Hiſtoriolis, quàm ipſius *Jeſu Chriſti* ſermonibus, ſobriis, ac facilè intelligendis veritatis narrationibus quas Divina Providentia ad informationem ſuæ Eccleſiæ literis mandavit.

6. *Diſpenſationes* etiam *contra Legem Chriſti*, ſive verbo Dei ſcriptam ſive in ſacra Naturæ lege comprehenſam, quæ non eſt niſi Tranſcriptum quoddam illius Legis quæ in æterno *Logo* eſt, *Chriſto* utiq; ſecundùm *naturam Divinam*, planè Antichriſtiana eſſet Regiminis Imperiíq; Chriſti ſubverſio. Quemadmodum etiam foret feriarum ipſius *Injunctionum*, ejuſmodi Interpretatio, quæ *præcepta* eas non ſtatueret, ſed *conſilia*, quæ nobis integrum eſſet, vel relinquere vel ſequi prout nobis viſum fuerit; cùm tamen Chriſtus planè declaret, eum qui contra vel minimum horum præceptorum fecerit & ità homines docuerit, minimum numeratum iri in regno cœleſti. Quale igitur illud futurum foret, in *Perjurio* diſpenſare, in *Perduellione*, in *Homicidio*, in *Inceſtu*, in *Adulterio*, *Sodomia*, aliíſq; hoc genus criminibus maximè nefariis? Quid hoc aliud eſſet quàm Legis Chriſti ſublatio, Regníq; ejus abolitio in terris?

Cujus indulgentiſſimæ Anarchiæ *Fraus* ac *Sui-quæſtio*, illud ſolummodo eſt, ut rete repleant, quanquam putridis id fiat tantùm lignis, cœnóque; modò ex hoc cœno ac ſtercore ii argentum poſſint extrahere vel expiſcari. *Noxa* verò, quòd opes hujus falſæ Eccleſiæ affluxuræ ſint & incrementum capturæ pro abominationum ac criminum horum opulentorum Peccatorum atrocitate ac copia, uſquedum Divinæ vindictæ diluvium hoc diluvium peccati à terræ facie deleverit & abluerit. Iíq; interim qui tam ſtolidi ſunt ut hiſce *Diſpenſationibus* fidem habeant, puténtq; ſe in perquam pulchram *Spiritûs* libertatem veniſſe ex quo tam faciles nacti ſint Patres *ſpirituales*, certiſſimè hoc pacto evaſuri ſint *Peccati mancipia*, quò tandem æquè certò *æternæ morti* tradentur.

7. Cæterùm quis color ſpeciéſve, inquies, eſſe poterit, agendi *religioſè*, dum tam *enormiter* agunt in laxando eis habenas omnigeno ſceleri, qui pro tanta libertate ratum pretium poſſunt perſolvere? Equidem dicam. Poteſt nimirum hæc Antichriſtiana Poteſtas omnem illam poteſtatem quæ in *Chriſto* eſt (quanquam hæc

Chriſti

Chriſti planè eſſet è throno ſuo Regio ejectio) in hunc vel hos derivatam eſſe tanquam illius legitimos Succeſſores, prætendere. Jam verò cùm *Chriſti* poteſtas ſit abſolutè ſumma, poteſt certè inquient facere quicquid voluerit, contráq; proprias Leges prout libuerit, diſpenſare. Quamobrem cùm *Antichriſtiana* hæc poteſtas prætendat ſe eſſe vel habere ipſam eandem Poteſtatem, etiam poteſt prout libuerit, contra Leges Chriſti diſpenſare, præſertim ad ditandam Eccleſiam, ſiquidem omnis hoc genus *utilitas* non poteſt non eſſe *pia ſanctáque.* Quod tamen iſtiuſmodi commentum eſt ut nihil eſſe poſſit magis perfidioſum adversùs *Regium* Chriſti officium, nihil Regno illius magis pernicioſum.

8. Cujus nefariæ doctrinæ effectum pro certo appariturum eſſet in hac Synagoga *Satanæ* ſive *Antichriſti*; Inveniremúſq; Inſtituta ac leges Decretis Legibúſq; filii Dei planè contrarias: Quales hujuſmodi proculdubiò futuræ eſſent. Multa nimirum *Idololatriæ Genera*, (qualia jam commemoravimus, nec opus eſt hîc repetere, *Fraudéſq;* notavimus, & *Sui-quæſitiones* in iſtis conſuetudinibus;) *Mandatorum humanorum pro doctrinis Inculcatio*, quod tamen expreſſim eſt contra Servatoris mandatum, cujúſq; multa protulimus exempla in ſecundo Antichriſtianiſmi ramulo; *Calicis Euchariſtici à Laicis detentio*, quamvis Cœnæ Dominicæ per Chriſtum ipſum Inſtitutio communicationem tum *Panis* tum *Vini* tam apertè præcipiat, *Bibite ex eo omnes*; Sanctúſq; *Paulus* iterum Chriſti ſequens exemplum, *Proinde exploret homo, ſeipſum*, inquit, *& ità de pane illo edat, & de poculo illo bibat.* Quod præceptum indefinitum proculdubio omnes includit. Cæterùm dum *Calicis bibitio* ſolius Sacerdotis ſit privilegium, illius ſanè conditionem egregiè illuſtrat & exornat, facitq; ut miſellus *Laicus* intelligat ſentiátq; quanto elongatus ſit intervallo, quàm immunda res ſit, quámq; remotus à Deo ſi cum Sacerdote conferatur. Hæc vera futura eſſet ratio, quanquam poſſint fortean prætendere (neq; enim quicquam ſcio majoris momenti quod prætendant) barbarum *Laicorum* prolixitatem; quas tamen credo eos lubenter ſibi præſcindi velle, modò omnem ſic occaſionem Sacerdotibus, ſuâ debitâ eos privandi tam ſancti Sacramenti portione, poſſent præſcindere.

Lib. 1. *c.* 12.

Lib. 1. *c* 17, 18, 19, 20, 21, 22.

Matth. 26. 17.

1 *Cor.* 11. 28.

Rurſus, *Cultas Dei in Eccleſia Linguâ peregrinâ*, *Orationes* ad *eum factæ*, & *Gratiarum actiones*, lectio etiam Scripturæ in lingua populo ignota, manifeſtò ſunt contra præcepta S. *Pauli* ſuper hac re, adeóq; contra illam magis univerſalem ac indiſpenſabilem legem, *Omnia fiant ad Ædificationem.* Eſtq; par ratio *de Angelorum cultu*, quem Apoſtolus expreſsè reprehendit, ut & *prohibitionem Matrimonii*, & *Abſtinentiam à cibis* ob rationes religioſas, cum multis id genus aliis; quæ omnia cùm expreſsè ſint contra Mandata Legéſve Chriſti, maximè ignominioſa eſſet & perfidioſa adversùs *eum* contumelia, qui verum eſt Eccleſiæ Caput, apertáq; contra jus illius Imperii declaratio; Leges utiq; ad hunc modum Inſtitutáq; facere, quæ eis quas ipſe ſtabilivit tantoperè contrariantur.

1 *Cor.* 14.
1 *Cor.* 14. 26.
Coloſſ. 2. 18.
1 *Tim.* 4. 3.

9. Qualis itidem foret cuicuimodi *Pacti quod juxta Leges Dei Naturæq; univerſaliter cognitas obligat, ex quavis occaſione ſolutio ſive reſciſſio.* Nam hæ Chriſti Leges ſunt quatenus eſt *æternus Logos.* Ac proinde ſi qui ſolenni juramento obſtricti ſint in publicis contractibus fœderibúſve legaliter ſuſcepto, aut legitimo conjuncti matrimonio, nec quicquam admiſerint quo ſponſalia vincula diſſolvi poſſint; equidem talem prætendere poteſtatem quæ diſpenſare poſſit contra juramenta hæc atq; contractus, quæve legitima efficiat iſtiuſmodi matrimonia quæ contrà facta ſint, quàm Dei Naturæq; leges flagitant, manifeſta proculdubio futura eſſet contra Principatum Chriſti contumelia, eáq; poteſtas quæ ſic egerit, ſe Antichriſtianam eſſe planè demonſtraret.

10. Et poſtremò, ut menſuram hujus horrendi membri Antichriſti quod depingimus, expleamus; Si poteſtas hæc, quam ſe venditat, infallibilis, cædes crudeles, & interneciones veris Chriſti ſubditis inferret, hominibus ſanè qui innocentes ſunt nec ullius contra quenquam injuriæ ſibi conſcii, quatenus è lege Dei ac Naturæ enoteſcat, verùm (quod dixi) veri ſunt ſinceríq; ſubditi Chriſti, an non hæc praxis inſigniter eſſet Antichriſtiana? Quæ quidem ſententia adversùs ipſos ſatis dura eſſet, ſi ſic tantùm haberet; *Malâ morte plectantur ſine miſericordia, quamvis veri ſint ſubditi Jeſu Chriſti.*

Quàm igitur Antichriſtianam dicam an Diabolicam eam oportet eſſe ſententiam, quæ ob eam ipſam rem quæ eos *veros Jeſu Chriſti ſubditos* conſtituit, ipſos morti adjudicat; nempe ob fidelitatem ſuam & adhærentiam indiſpenſabilibus Inſtitutis Legibúſq; Domini ſui ac Principis? Et in quàm manifeſto Hoſtilitatis ſtatu adversùs veros fideléſq; Chriſti ſubditos neceſſe eſt eam poteſtatem fore, qui tam apertè profitentur, nec abludit conſuetudo, ſi quos eorum poſſent deprehendere, penéſq; ipſos

ipsos esset eos perdere, se ad unum omnes de facie terræ eradicaturos, operámve daturos eis subdomandis omnimodis suppliciis & crudelitatibus, Incarcerationibus, Equuleis, Vivicomburiis, & id genus reliquis Carnificinis? Atq; hoc omne (quod facinus reddit infinitò magìs execrabile) sub prætextu serviendi *Jesu Christo*, cujus interim chariſſima ſinceriſſimáq; membra tam barbarè persequuntur & conficiunt.

Hoc unum *Antichristianismi* membrum, *vafram hanc intelligo & sanguinolentam Perduellionem adversùs sanctam Christi Majestatem ac vera illius vivág; membra*, tantum impietatis pondus secum gerit, ut solum de se sufficiat ad integrum ferè constituendum *Antichristum*.

CAP. IV.

1. *Particulares quædam oppugnationes contra* Propheticum Officium *Christi, qui characteres esse possunt grandis illius* Pseudo-Prophetæ, *qui venturus erat in mundum.* 2. *Spiritum Propheticum nulli uni personæ appropriatum esse, sed esse liberum.* 3. *Excerptum, quod huc facit, ex* Cœlio Secundo Curione. 4. *Silentium mandare Dictatis communium Notionum humanis animabus insitarum, contra* Propheticum *Christi* Officium *summam esse contumeliam.* 5. *Multæ Absurditates propositæ tanquam exempla illius Tyrannidis in* immutabilia *humanæ Rationis principia, insignisq; illius* Pseudo-prophetæ *indè detectio.* 6. *Infinitò probabilius esse, hunc, quem se venditat, Prophetam, fallibilem esse, quàm prædictas Absurditates esse veras.* 7. *Prophetarum trucidationem,* 8. *Unà cum supradictis* Prophetici *Officii Christi oppugnationibus membrum* Antichristianismi *conspicuum constituere.*

1. CÆterùm considerabimus porrò hanc Antichristianam oppugnationem respectu *Prophetici* officii Christi. Quod breviter quidem expediemus, quandoquidem multæ earum molitionum quæ contra *Regale* officium Christi fiunt, æquè attingunt *Propheticum.* Ut primò, Prætextus ille, quòd sacra Dei oracula tam obscura sint ut populus ea nequeat intelligere, & tum postea ex hoc prætextu, violenta eorum à populo detentio, sub pœna mortis, siquis ea tetigerit contra voluntatem Ecclesiæ. Hoc certè Christum efficeret Prophetam sine Prædictionibus & Instructionibus, prout suprà notavi; Quæ permagna proinde ipsi esset injuria, quatenus is insignis ille *Propheta* est à Deo in mundum missus. Prohibitio etiam lectionis ejusmodi expositionum Scripturæ quæ à viris cordatis, & sinceris Christi sectatoribus scriptæ sint, qui peritè ac fideliter maximè utilia sacræ Scripturæ loca sint interpretati; *Hoc*, inquam, *Christi* etiam esset Antichristiana in *officio* suo *Prophetico* oppugnatio; *Illud* verò, in veris *suis membris*, (si ipsis utiq; persuaderi posset, infallibilem jam existere Prophetam ac Interpretem, cujus solius interpretatio verus sit Scripturæ sensus, ipsámq; Scripturam sine illa nihil valere, neminémq; habere aut Autoritatem aut Peritiam interpretandi præter ipsum,) *Spiritûs prophetici* perfecta extinctio.

Quàm egregium igitur putetis hunc *Pseudo-prophetam* fore, qui dum nihil præter Oracula infallibilémq; veritatem se loqui venditat, talia tamen interim agit, loquitur, statuítque, qualia nos hactenus descripsimus, *Multifarias* scilicet *Idololatrias*, *Superstitiones intolerandas*, & *audacissimas perspicuarum expressarúmq; Legum ac Doctrinarum Christi expunctiones?* Quamobrem quis obsecro unquam potest *famigeratus* ille esse *Antichristus* nisi grandis hic *Pseudo-propheta*, qui sibi soli prophetandi jus arrogat, quò facilius mundum universum decipiat, séq; *infallibilem* venditat, hoc est, *indeficienter inspiratum*, ut enormis hæc gloriatio eò manifestiùs eum detegat eminentem illum esse *falsum Prophetam* quem Christianus orbis expectavit tamdiu ejúsq; adventum formidavit?

2. Equidem hujusmodi venditatum facultatis prophetandi *Monopolium*, spiritûs prophetici libertati, quod Christi æternæ Dei Sapientiæ donum est, ex diametro repugnat, utpote qui nusquam nisi ex impio & polluto corde, nisi ex anima quæ peccatis obnoxia sit, excluditur; alioquin ille Spiritus sic describitur in libro *Sapientiæ*, ut penès nullum Dynasten sit eum sibi soli quasi addictum & circumscriptum detinere. *Cap.* 7 22,23.

Est enim boni studiosus, acutus, expeditus, beneficus, humani generis amans, fixus, firmus, securus, omnipotens, omnia perspiciens, & per omnes intellectuales, puros tenuésq;

tenuésq; ſpiritus permeans. Nam quovis motu mobilior ſapientia omnia præ puritate penetrat obitque: Eſt enim quidam vapor Divinæ potentiæ & ſincera gloriæ omnipotentis effluentia, quò fit ut nihil in eam cadat polluti: Etenim lucis æternæ ſplendor eſt & intaminatum virtutis Dei ſpeculum, & imago bonitatis ejus. Et cùm ſit una, omnia poteſt, & in ſeipſa permanens, omnia renovat, & per ſecula in ſanctas animas migrans Dei amicos efficit & Prophetas.

Quis unus igitur homo hominúmve Societas prætendere poſſunt donum prophetandi ad ſe ſolos quaſi hæreditario jure deſcendere, niſi ipſi itidem ſoli eſſent illi puri ac immaculati? vel potiùs quam rationem habent firmúmve argumentum cur ſe rectè prophetari poſſe credant, cùm in peccatis vivant, in luxuria, omnimodíſq; mundanis impuritatibus?

3. Præclarè profectò concluſum eſt à *Cœlio Secundo Curione* contra *Floribellum* hoc in loco; *Neq; enim vera Dei cognitio verúſq; cultus unius aut Familiæ aut Gentis aut Sectæ propria eſſe poteſt; ſed quicunq; ſenſu immortalitatis tanguntur, ii ad ſe eandem pertinere exiſtimare debent. Poterat quidem* Judæorum *Gens Circumciſionem externam,* Aaronis *Familia Sacerdotium, alias item Ceremonias ſibi jure quodam vendicare; ſed Divinam & internam Circumciſionem, vivas illas animi veráſq; Hoſtias, æternas Naturæ leges, quas in hominum animis* Jova *Optimus Maximus à principio inſculpſerat omnium Mortalium ſententiis comprobatas, ſibi nec* Judæi, *nec* Græci, *nec* Romani, *nec ulla præterea Natio quaſi propria vendicare potuerunt.*

Et ſtatim pòſt, magìs particulatim loquens de Religione Chriſtiana quatenus in Scriptura revelata eſt, *Ac nè illud quidem,* inquit, *verè dici poteſt, quod quidam putant; ſummam quaſi Religionis Hæreditariam ad unum aliquem veniſſe ſic ut pro libidine ſua interpretari, addere, demere, mutare, ſtatuere, abrogare aliquid in ea poſſit. Neq; enim idcirco leges Divinitùs latæ ſunt, Religióve patefacta, quò in eam Mortales jus haberent, ſed ut omni ſtudio, curâ, labore, diligentiâ colerent, ejúſq; dignitatem tuerentur.*

4. Quamobrem quantùm ad illas æternas, ac immutabiles *Divinæ Rationis* Regulas quas cujuſq; animo Deus inſculpſit; quæ quidem lux eum, æquè liberè ac lumen Solis ſuos naturales oculos, penetrat, & ſine qua, quæcunq; Vaticinia fuerint Doctrinæve in ſacra Scriptura, impoſſibile eſſet ut nos de earum veritate vel de ullo omninò earum ſenſu certi eſſemus; ſub prætextu, inquam, imperioſæ cujuſdam *Infallibilitatis,* hos *Divinos* animæ *characteres* delere, ipsíſve ſilentium mandare, aut inſimulare mendacii, facinus eſſet maximè egregii *Pſeudoprophetæ* adverſiſſimíq; *Prophetico* Chriſti officio (ſive *Humanitatem* ejus conſideraveris ſive *Divinitatem*) qui unquam ſe poteſt Mundo manifeſtare.

5. Exempli gratiâ. Si impudens hoc *Oraculum* declararet, *Unum idémq; individuum corpus eodem temporis momento in diverſis locis eſſe poſſe, immò in locis ferè infinitis ſimul, iiſq; immenſis ſpaciis à ſe invicem diſſitis; Id fieri crearive poſſe quod jam actu exiſtit; Reales, ſenſibiléſq; ſubjecti modos ſubſiſtere à ſubjecto ſeparatos, Motum putà vel Duritiem, ubi nihil eſt quod moveatur durúmve ſit; Illud quod per omnes noſtros ſenſus, pérq; ſenſus omnium omninò mortalium rem conſtanter ſic repræſentantes, (modò objectum debitâ diſtantiâ poſitum ſit, medium aptum ac idoneum, organáq; ritè diſpoſita) nobis innoteſcit, poſſe nihilominus eſſe falſum; Idem corpus eodem tempore majus ſeipſo eſſe atq; minus, pedem tantummodo à me diſtare & mille à me milliaria diſtare ſimul; Unam eandémq; Perſonam mille milliaribus à ſeipſo abeſſe, ſederéq; immotum & iter ad ſe facere eodem tempore; Corpus integrum organizatum totum eſſe in qualibet ſui parte, totum in oculo, & conſequenter Partes omnes in ſingulis, honeſtiora membra in membris minùs honeſtis; Corpus integrum dividi, nec tamen in duas putà partes, ſed in duo integra; quæ idem ſigillatim futura ſint, quod ipſum corpus integrum primò diviſum; Idem corpus eſſe nunc* Athenis *nunc* Thebis, *& tamen nullum tranſire per medium nec directò nec per circuitum, quo illìc perveniat; Hominem poſſe omnia ſui corporis membra ſimul in ventriculum ſuum (artus, dorſum, ventrem, caput, adeóq; os ipſum) ore ſuo deglutire; Unam eandémq; individuam perſonam differentes habere ætates, triginta putà annos natum eſſe, nec tamen ampliùs tres horas, eodem tempore; Cultum Religioſum, etiam eum qui* Latria *dicitur, Imaginibus exhiberi poſſe, nec tamen eſſe Idololatriam; Chriſtum pro peccatis hominum ſatisfeciſſe, eoſdémq; nihilò ſeciùs pœnis quas illa peccata meruerint obnoxios manere; cum multis id genus aliis.*

Dico, quicunq; ſub prætextu, quòd *Propheta* ſit *Oecumenicus,* os ſuum in altum evaverit, & hujuſmodi *infallibiles Repugnantias* in nomine *Jehovæ* enunciaverit, aut ſaltem ejuſmodi *definitiones Oraculares* quas neceſſe ſit falſas eſſe niſi hæ ſint

veræ,

veræ, equidem nihil opus est ut tempus conteramus rogando, *Túne is es, an alius est nobis expectandus?* Sed pro certo concludere possumus hunc esse eminentem illum *Pseudo-prophetam* olim expectatum, qui modo ità *Antichristiano* seipsum Spiritui opposuerit veritatis quem Christus mundo impertiit, partim inscribendo humanis animis immutabiles illas ac infallibiles leges communis *Rationis*; partim per sacras *Scripturas* quas Ecclesiæ reliquit, hominibus inspiratis & Prophetis exaratas, & partim deniq; speciali modo conversando cum puris sanctísq; animabus quibus certiori solito ac firmiori ratione illuminationis Spiritum communicat, prout apparet ex eo quod citavimus è libro *Sapientiæ*, probaríq; porrò possit è multis Scripturæ *Canonicæ* locis.

6. Atq; nunc sanè, cùm hic *Pseudopropheta* nihil habeat quo se à suspicione defendat quòd sit *Impostor*, nisi audacter impudentérve persuadendo hominibus se esse *infallibilem*, est certè hic locus admodum opportunus quo ad totius Mundi judicium provocemus an non infinitò verisimilius sit, hunc unum hominem hominúmve Societatem aut Successionem utrorumvis, cùm nulla vera edant miracula quibus fidem sibi extorqueant, nec honestiùs vivant æquéve honestè quàm alii homines, *fallibiles* esse *errorq;* obnoxios, aut dolis impostoríq; deditos, quàm supradictas absurdas Conclusiones esse veras. Etenim neq; *hic* neq; *illi* infallibiles esse possunt, si prædictæ conclusiones, quod proculdubio sunt, reverà sint falsæ.

7. Quibus omnibus addas si *Pseudo-prophetica hæc Potestas* veros Christi Prophetas fidelésq; testes ità tractaret ut falsus ille Propheta *Michæam*, si ipsos in maxillas percuteret, immò crudeliter persequeretur & occideret (sic agens cum ipsis ut *Judæi* olim cum charissimo nostro Domino ac Magistro qui conquestus est, *Nunc autem* ***Joh. 8. 40.*** *studetis me interficere, hominem qui veritatem vobis loquutus sum, quam audivi à Deo*) an non demonstraret seipsam illam esse *Hierosolymam* quæ facta est Meretrix, & de qua Servator prædixit fieri non posse ut Propheta pereat extra *Hierosolymam*? ***Luc. 13. 33.*** *O Hierosolyma, Hierosolyma, trucidatrix Prophetarum & lapidatrix eorum qui ad te missi sunt*, an non tu es mystica illa Civitas Hypocritarum, falsa Dei Domus, *Sodoma* & *Ægyptus*, ubi & Dominus noster (æquè ac Prophetæ ante ipsum, sanctíq; post eum Testes) est crucifixus? Falsa enim *Hierosolyma*, Ecclesia adulterata, perquam cupida est sibi monopolium arripiendi mercaturámq; sanguinis, & occidendi Prophetas, testésq; Dei. Verùm hæc vehementior, quàm par est, fortean videri poterit excursio.

8. Id quod contendo hoc est, Politiam hanc, quæ hanc sibi autoritatem usurpet, omnésq; has contumelias, injurias, ac crudelitates exerceat, omnibúsq; his illicitis rationibus, quas notavi, ad extinguendum Spiritum veritatis utatur, adeò ut Christus neq; in propria Persona, nec in sacris illis Scripturis quas mundo commendavit, nec in vivis suis Instrumentis quibus modo quodam extraordinario adest atq; dirigit, monere permittatur homines ac docere quæ sit via recta, quæq; indispensabilia illa officia quæ eos oporteat præstare, hanc, inquam, *Politiam* quæ ità se gerit, insigniter esse *Antichristianam*, hoc est, Christum in suo *Prophetico* quidem officio tantum oppugnare, quantum quivis *Antichristus* potest, atq; sic animatum esse itáq; agere, indubitatam ac conspicuam partem esse crassissimi Antichristianismi.

CAP.

CAP. V.

1. *Ementitam* Repetitionem oblationis realis corporis Christi *derogationem esse excellentiæ illius* Sacerdotii. 2. *Pleniores Aggravationes hujus impiæ contumeliæ.* 3. *Subterfugii præoccupatio.* 4. *Altera* Sacerdotii *Christi, præcipuiq; finis ejus Passionis magis pernicioſa oppugnatio.* 5, 6. *Christi ſanguinem ſtatuere tantùm ad reatum peccati tollendum valere non ad pœnam, quàm truculentè ſit* Antichriſtianum. 7. *Plures aggravationes hujus maligni generis* Antichriſtianiſmi. 8. *Nihil eſſe poſſe magis fundamentaliter* Antichriſtianum *quàm iſtoc.* 9. *Crimen, circumſtantiis conſideratis, majus videri quàm illud* Judæ; *cum* Fraude *hujus Impietatis,* 10. *Magnáq; illius* Noxâ. 11. *Injuria adversùs* Mediatorium *officium Christi.* 12. *Ad leviores quoſdam prætextus Reſponſum.* 13. *Errorum hujuſmodi Antichriſtianorum malarúmq; conſuetudinum ulterior confutatio.* 14. Fraus & Noxa *multiplicandi Mediatores.* 15. Noxa ſpecialis *incremento Gratiæ ac Sanctitatis illata.*

1. DEſcribamus jam eam *Antichriſtianam* oppugnationem quæ contra *Sacerdotale* Chriſti *officium* fieri poteſt. Eſt quidem illud præcipuum atq; inſigne *Sacerdotii* Chriſti privilegium, quod manifeſtò expreſsímq; deſcribitur apud Autorem ad *Hebræos*, ſpecialíſq; illius dignitas cenſetur ac perfectio, Heb. 9. *Neq; ut ſæpe offerat ſeipſum, ſicut Pontifex ingreditur in ſacrarium quotannis cum ſanguine alieno: (Alioquin oportuiſſet eum ſæpe paſſum fuiſſe à mundo condito) ſed nunc ſemel in conſummatione ſeculorum ad abolendum peccatum per immolationem ſuiipſius patefactus eſt. Et ſicut illud ſtatutum eſt hominibus ut ſemel moriantur, poſtea verò judicium eſt; ità & Chriſtus ſemel oblatus eſt ut multorum peccata tolleret, &c.* Et rurſus cap. 10. *Cúmq; omnis Sacerdos pergat quotidie Ceremoniis fungi, & eadem ſæpe ſacrificia facere quæ peccata adimere nunquam poſſunt, ille uno pro peccatis functus in perpetuum ſacrificio* (quam oblationem ſui corporis ſemel factam paulò antè appellat) *conſedit ad Dei dextram, &c.* Quæ verba planiſſimè declarant eam fuiſſe excellentiam veræ oblationis æterni illius Pontificis quando corpus ſuum Patri offerebat ad reconciliandum Mundum Deo, ut nullâ ejus opus ſit repetitione, quandoquidem ſalus per unam illam Chriſti actionem, quantùm ſpectat ad Dei propitiationem pro peccatis, eſt perfecta.

Unde ſequeretur, Quòd hujuſmodi doctrinæ venditatio, quaſi Chriſtus in Euchariſtiæ celebratione per manus Sacerdotis, tanquam Sacrificium Propitiatorium pro vivis ac mortuis reverà actúq; offerretur, fœda eſſet perfectioni unius illius oblationis præcellentiſſimi noſtri Pontificis *Jeſu* Chriſti, quando in piaculum pro peccatis totius mundi ſeipſum Patri offerebat, Derogatio. Præſumptuoſa, inquam, hæc opinio, quòd Chriſtus *realiter* & *corporaliter* in ſingulis Cœnæ Dominicæ celebrationibus offertur, *Antichriſtiana* eſſet adversùs *Sacerdotalem* Chriſti *dignitatem* contumelia admodum nefaria.

2. Quod Figmentum adhuc fœdius eſt atq; turpius ſi conſideremus, quàm ſordidæ Perſonæ Chriſti tractationes, quàm ſceleratæ ac barbaræ injuriæ & contumeliæ illud neceſſariò intelligantur concomitari; quàm crebrò vi ſolâ *Quinque-verbalis* illius *incantaminis*, ſuprà memorati, prolabi cogatur in manus Peccatorum, quantumvis nulla cum religione affectúve erga ipſum recitati: Nam alioqui totus cœtus cogi poſſet ad craſſiſſimam committendam Idololatriam, æquè craſſam ſanè atq; Nationes maximè barbaræ unquam commiſerunt. At verò ſi in Sacerdotis manus deveniat, indignioribus modis excipietur, quàm *Jeremias* olim qui in cœnoſum Barathrum eſt demiſſus.

Abhorreret profectò cujuſvis Imaginatio eò perſequi, quò iſti eum ablegant, quem *Regem gloriæ* appellitant, vivum utiq; verúmq; corpus Perſonámve Chriſti. Cui horridæ ſpurcæq; ſervituti, non quidem ſemel & iterum, nec in uno horum cœnoſorum Barathrorum ſed in multis millibus eodem tempore, ídq; ſingulis ſeptimanis ſemel, immò fortean diebus ſingulis, & per multos centenos annos perpetuos, ille neceſſariò innectitur.

Qualis igitur contumelia & illuſio eſſet Eccleſias nitidas ſervare & ornatas, Incenſum adolere & ſuffimina, omnia habere luculenta ac ſplendida in *Domini quem quærunt adventum in templum ſuum*, & tamen ſimul atq; advenit, eum non permittere

magnifico hoc apparatu in communi cum reliquis frui, ſed tanquam per illuſionem & contumeliam, quod dixi, in carcerem eum compingere magis cæcum ac cœnoſum quàm calamitoſi Prophetæ? Et certè ubi benigniùs cum eo agitur, in Pyxidem tamen includere tanquam ampliatum Reum, in fætulenta ora corporáq; moribundorum hominum pro occaſione poſtea emittendum? Perinde quaſi Chriſtus falsò vaticinatus eſſet in Cruce quando dixit, *Conſummatum eſt*; quandoquidem inexhauſtum planè adhuc reſtabat faſtidioſiſſimæ operæ Reſiduum quæ ipſi poſtea erat ſuſcipienda.

3. Equidem hæc admodum turpia ſunt atq; indigna, quæ tametſi in nullius hominis poteſtate ſit ea adversùs Chriſtum perpetrare, tamen cùm profiteantur ſe hæc facere, agnoſcunt planè, ſi poſſent, ſe perlubenter ea agere velle, ac proinde eum reverà vilificant, afficiúntq; contumeliâ: quemadmodum ii qui capite damnatum, qui è Judicum manibus effugerit, Patibulo ſuſpendunt, aliúdve quodvis mortis genus ipſi irrogant in *Effigie*, apertè mentem ſuam declarant haud ſanè minùs quàm ſi ipſius perſonæ pœnam reverà irrogâſſent.

Verùm horrida hæc adversùs perſonam Chriſti contumelia adhuc gravior fieri poteſt, ſi tam truculentè ſeduli ſint in imprimenda hac fide & perſuaſione mentibus hominum ut manus violentas ipſis injecturi ſint qui eam negaverint, eóſq; occiſuri. Potéſtne quiſquam ullam excogitare majori cum induſtria diſſeminatam Blaſphemiam quàm hanc contra corpus Domini Jeſu Chriſti, ſanctum illud *Deitatis Tabernaculum*? Firmiúſve exoptare argumentum promptitudinis eorum ad tam ſordidè, ſi quo pacto poſſent, crudelitérq; tractándum Chriſti corpus, cùm minimè dubitent eos trucidare qui negant in eorum poteſtate eſſe ſic facere, quantâcunq; id faciendi libidine exardeant?

4. Sed enim quamvìs maligno hoc ac præſumptuoſo Propoſito excidant, poſſunt tamen magìs periculosâ ac perniciosâ inſulturâ, indignâ admodum & immane quantum abſonâ, ſacroſanctum Chriſti *Sacerdotium* impetere; veneno, quod ipſam medullam Chriſtianæ Religionis ac dulcedinem exeſurum eſſet, obfuſcaturúmq; *Sacerdotalis* Functionis Domini Jeſu dignitatem ac gloriam, & præcipuum ſcopum perpeſſionum illius fruſtraturum & eluſurum, eum nempe ut Divinæ vindictæ pro peccatis Mundi ſatisfaceret ſiſtendo ſe pro eis Sacrificium Propitiatorium, ut quotquot in Chriſtum Jeſum crediturì ſint ſecundùm benignum *novi Fœderis* tenorem (quod in proprio ſanguine ad peccatorum remiſſionem ſtabilivit) ad præceptáq; ejus exequenda, pro lumine ac robore quod ordinatim gradatímq; ipſis impertiendum ſit, ſedulò adniſuri, de favore Dei certi eſſent, quippe qui juſtificati ſunt per fidem in *Paſſione Meritiſq; Chriſti*, non autem per propria opera meritáve.

Etenim hunc genuinum eſſe *Novi Fœderis* tenorem, verámq; acceptiſſimi lætiſſimíq; Evangelii ſummam abunde conſtat ex omnibus ſcriptis Apoſtolorum; Nempe, Quòd *juſtificati per fidem*, ſenſu quidem *forenſi*, hoc eſt, abſoluti liberatíq; à reatu omnium noſtrorum peccatorum, æquè ac diverſis gradibus, ſecundùm diverſas ætates profectúſq; in Chriſtianitate, *ſanctificati*, ac *purificati* ab eiſdem, (quæ abſolutio à reatu neceſſariò involvit ſecuritatem immunitatémve à ſupplicio) *poſſemus*, quod ait Apoſtolus, *pacem habere cum Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Hæc proculdubio ipſa natura eſt *Oeconomiæ Evangelicæ* atq; indoles, & ſuaviſſimus vegetantiſſimúſq; Flos vietis mercidíſq; mortalibus qui in univerſo hoc Dei Horto reperiatur, & peculiaris quædam illecebra ac ineſcatio ſincerarum animarum quò fideles obedientéſq; Filii fiant Dei, fervidíq; amatores Domini Jeſu.

Rom. 5. 1.

5. Unde ſequitur, nihil eſſe poſſe magis barbarè truculentéq; *Antichriſtianum*, quàm ſalutarem hanc plantam, hanc arborem vitæ, ex Paradiſo Dei quæ eſt Eccleſia, extirpare. Nam talis reverà eſt *crux Chriſti*, in qua ſanctum illud *Sacrificium Propitiatorium* pendet. Influentia cujus mortis, *Balſamum* eſt refrigerans quod vulnera puncturáſq; perturbatæ ſanat Conſcientiæ, quæ quantò ſincerior eſt tantò ſæpenumero eſt afflictatior; Ac proinde *Piaculum* moribundi Servatoris in ſua mirificè animas afficiente *Paſſione*, ipſi ſpectandum exhibetur, tanquam unica propriáq; ejus medela.

Nihil igitur contumelioſius excogitari poteſt contra pretium uſúmq; illius inæſtimabilis ſanguinis quem Pontifex noſter ſemper adorandus ad pacem nobis conciliandam in *cruce* effudit, quàm efficaciam illius ità interpretari, quaſi virtutem ſolummodò haberet *reatum* tollendi peccatorum; ſi verò *ſupplicio* liberari velimus, quòd noſmetipſos oporteret per merita pœnáſq; *ſatisfactorias* id proprio Marte adipiſci. Equidem hoc planè eſſet deſignatam Oeconomiæ Chriſtianæ dulcedinem in *Stygiam* acerbitatem, lætúmq; ac illuſtrem Diem Evangelii in nebuloſam Noctem Ægyptiacam (in qua præter horrorem ſervitutémq; nihil habitet) & pacem deniq; animi

in

in perturbationem mutare, ſanguinémq; Filii Dei viliorem reddere Taurorum ſanguine & Hircorum.

6. Quamobrem manifeſtum eſt, Quòd, docere, nos juſtificari non quidem *Fide* ſed *operibus pœniſque*, quas nos ſubire oporteat, quà tales; hoc eſt, quatenus *pœnæ* ſunt *Satisfactoriæ*, non autem per modum correctionis emendationiſq; vitæ, (hujuſmodi intelligo aſperitates, quæ medicinæ loco poſſunt eſſe, & cuicuimodi pravitates quibus laboremus ſanare) ſed in ſolam (quod dixi) ſatisfactionem pro peccato admiſſo, perinde ac ſi ſacrificium & ſatisfactio Chriſti in *Cruce* ad Deum propitiandum non ſufficeret, niſi & unuſquiſq; pro ſeipſo pateretur ſupplicium, à quo Chriſtus nos liberatum venit, ut per amorem magis ingenuum, ſalutarémq; Spiritûs libertatem hujuſmodi Legis vinculis ſervilibúſq; anxietatibus ſoluti, in vera viváq; via ei ſerviremus, in reali Sanctitate & Juſtitia; Hujuſmodi, inquam, doctrinam docere, eſſet planè *Sacerdotale* officium Chriſti ſupplantare & oppugnare, in eminenti illo effectu, fructúq; genuino, *oblatione ſcilicet ſuiipſius pro peccatis Mundi noſtráq; Reconciliatione cum Deo*; quo quidem nihil excogitari poteſt magis *Antichriſtianum.*

7. Quod adhuc magis horrendum apparebit, ſi conſideremus latitudinem quam harum pœnarum neceſſitas intelligi poteſt habere; utpote quæ non hujus ſolius vitæ pacem interturbent, ſed nos porrò, ad inſtar Poëticarum *Furiarum*, cum flagellis facibúſq; perſequantur, ad afflictandos nos excruciandóſq; in ſtatu altero, quemadmodum ſuprà deſcripſimus: Quaſi macula quælibet erratúmve hujus fragilis vitæ quod acciderit, expiari non poſſet nè per ſanguinem quidem æterni filii Dei, ſed unuſquiſq; proprium ſuum debitum in mundo altero ad ultimum uſq; quadrantem ſolvere teneretur: Quod proculdubio perpeſſiones Chriſti nullius reddit efficaciæ, ipſíq; naturæ ac menti *Propitiatorii Sacrificii* planè repugnat. *Lib. 1. cap. 22.*

Hiccine is eſt de quo Propheta *Eſaias* in illo melicè plorabundo Vaticinio tam dulci & conſolabili voce conqueritur? *Sanè morbos noſtros ac dolores ipſe tulit, & toleravit, ipſe ob peccata vitiáq; noſtra vulneratus pœnas nobis ſalutares dedit, ejúſq; vibicibus ſanati ſumus?* Nequaquam, inquiet, ingrata hæc ac perfida Poteſtas *Antichriſtiana*; quiſq; propriis ſuis vibicibus ſanabitur, propriiſq; peccati onus ſuſtentabit. Exuetur quiſq; ac cædetur, proximéq; cutim cilicio induetur, longa ac faſtidioſa itinera ſuſcipiet, nudíſq; genubus per extantes ſilices perreptabit, jejunabit deniq; ac vigilabit non quidem ad correctionem emendationémq; vitæ, ſed ad ſatisfactionem pro peccatis jam commiſſis, tanquam ſi Dei filius pro eis nunquam ſatisfeciſſet. *Cap. 53.*

Atq; hoc quidem paſſurus eſt non ſolùm in hac vita, ſed & Ignis *Purgatorii*, qui temporaria quædam Gehenna eſt (homines quamdiu huic Eccleſiæ placuerit excruciatura) in mundo altero circa eum accendetur, quem nihil extincturum eſt præterquam completa totius debiti ſolutio (nam ſi non totius curnam partis ullius?) plenáq; ſatisfactio, non quidem per *Chriſtum* ſed per *ſeipſum* præſtita, amicúmve aliquem qui hoc ipſi velit officium præſtare. Chriſti enim meritum ac ſatisfactionem docetur declinare (qui ſolus tamen pro nobis ſatisfacere potuit, idémq; ſuâ ſponte præſtitit *nullâ conductus mercede*) & ad quemlibet, modò nummos Eccleſiæ conciliet, potiùs quàm ad ipſum confugere.

8. Potéſtne igitur quicquam magis fundamentaliter eſſentialitérve *Antichriſtianum* eſſe, quàm ad hunc modum vilificare rejiceréque, aut fraudulenter, turpis lucri cauſâ, pretioſum fructum Paſſionis ac Meritorum tam ſufficientis benigníq; Servatoris ſupprimere ac celare, hominibúſq; perſuadere quòd per propria ſua merita ſint ſalvandi, debeántq; & hîc & in altera vita pro ſuis peccatis ſatisfacere, cùm tamen res ſit & impoſſibilis & ſupervacanea, & menti inſtitutóq; *Mortis* & *Paſſionis* plenæq; ſatisfactionis per beatum Servatorem præſtitæ ex diametro oppoſita.

9. Hæc doctrina ſatis abominanda videtur ex ſeipſa; quòd ſi conſideremus ob quas rationes quibúſq; circumſtantiis in Eccleſiam ab Antichriſtiana hac poteſtate quam deſcribimus, poſſit introduci, infinitò magis inviſa erit atq; execrabilis. *Judas* Chriſtum pro argenti ſumma in manus eorum tradidit qui eum crucifixerunt, ob quod facinus memoria illius execrabilis erit in omnem poſteritatem: & tamen Chriſtus non prodebatur niſi ad id quod ille lubens ſuſcepturus erat, quippe qui lubenter iram Dei ſuſtinebat, ut nos ab ea defenderet, qui ipſiſſimus finis erat ſuæ *Paſſionis* atq; *Agoniæ.*

Supponamus jam falſam hanc Eccleſiam quam depingimus pro Argenti ſumma ipſum finem propoſitúmq; *Paſſionis* Chriſti prodere, illúdq; omninò fruſtrari ac eludere; an non Chriſtus hîc pejori modo quàm per *Judam* ipſum proderetur? *Judas*

enim illum non niſi ad id quod ipſi adlubeſcebat prodidit, nempe eâ lege ut oblatio fieret Deo pro Remiſſione peccatorum omnibus credentibus: verùm Eccleſia hæc *Antichriſtiana*, dum hunc finem illius *Paſſionis* irritum faciunt, ipſo quidem *Judâ* crudeliores, Mundi Servatorem ad mortem produnt involuntariam, eóq; pretio eum privant quo ſolo vitam ſuam chariſſimam divendidit, magiſq; verè hujus juſti ſunt occiſores quàm ipſi *Judæi* qui eum crucifixerunt, dum illum eo ſpoliant quod ipſi quaſi vitæ erat in ſua morte, quódq; propriâ ſuâ vitâ ille charius habebat, nempe ut *ſufficiens foret Piaculum, Sacrificiúmve propitiatorium pro peccatis totius Mundi.*

Quem ſanctum ſanè maximíq; momenti Fidei Chriſtianæ Articulum ea Eccleſia quæ lucro divendit, ut populum territet in perſuaſionem quàm magna ſit neceſſitas emendi Indulgentias, conducendíq; Sacerdotes ad excantandas ſuas Animas è Purgatorio, redimendíq; ſeipſos nummis à pœnis illis ſeveriter irrogandis, neceſſe eſt ut in hac re *Antichriſtianiter* ſe gerat contra officium Chriſti *Sacerdotale*, modo quidem ſummo maximéq; nefario quem quivis poteſt excogitare.

10. Hæc eſt *Fraus* impia quam adhibent, éſtq; par *Noxa* quæ eam comitatur. Etenim dum perſuadent hominibus eos meritis ſuis juſtificari, & pro omnibus ſuis peccatis delictíſq; debere ſatisfacere aut in hac vita, aut in futura, aut in utriſque, immò verò in utriſq; niſi moriantur tam perfecti quàm nullus homo modeſtus ſe fore ſit unquam imaginaturus; nempe aut intolerandâ, hoc pacto, ſerios Animos ſolicitudinis carnificinâ exercebunt circa cruciatus *Purgatorii*, quos ità terrificè deſcribunt, tanquam ſi ejuſdem planè naturæ eſſent, quanquam haud paris durationis, cum cruciatibus *Inferni*; aut levium vanorúmq; hominum animas inſalubribus ſuperbiæ tumoribus inflabunt ex opinione ſuorum tantorum meritorum, quanta nunquam fuerunt nec unquam eſſe poſſunt in ullo omninò homine qui merus homo ſit. Et deniq; peculiarem Chriſti gloriam ejúſq; Religionis obliterabunt, quæ nihil reverà præter dulcedinem benignitatémq; ſpirat ac tenerrimam commiſerationem; ſiquidem Caput Princépſq; noſter Dominus *Jeſus* tam ingentes tum animi tum corporis cruciatus ſuſtinuit, ut populus ſuus ſic liberatus, per viam *Amoris* ac *Ingenuitatis* ipſi ſerviret, contrà atq; factum eſt in ſanguinolenta illa ſæváq; ſervitute quâ *Satanas* olim mancipatum mundum detinebat.

Quamobrem falſa hæc Eccleſia figmento *Purgatorii* pœníſq; ſævis ac crudelibus Chriſti gregi irrogandis, flagellationibus truculentis, miſeríſq; carnis excoriationibus, quæ Diaboli, veteris illius Tyranni, Sacerdotes magìs condecerent, quàm Miniſtros Evangelii filii Dei, Chriſtianum orbem ad antiquam Paganiſmi Imaginem rurſus refingeret, filióſq; *Iſraëlis* in alteram ſervitutem *Ægyptiacam*, quò à duris iſtis *Penſi-exactoribus* affligerentur opprimerentúrque, iterum divenderet. Qui rerum ſtatus quàm craſsè *Antichriſtianus* ſit, ſatìs cumulatè ſuprà notavimus.

11. Et tamen alia eſt præterea *Sacerdotalis* officii Chriſti oppugnatio eáq; minimè contemnenda, quatenus ſcilicet *intercedit mediátq;* pro nobis apud Deum. Qua de re Scriptura admodùm expreſsè ſtatuit, quemadmodum in priori Articulo, Chriſtum non oblatum eſſe niſi *ſemel*, ità hìc, Mediatorem noſtrum non eſſe niſi *unum.*

1 *Tim.* 2. 5, 6. *Unus enim Deus, unus etiam Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui ſeipſum redemptionis pretium pro cunctis dedit deſtinato tempore teſtificandum.* Ubi non ſolùm doctrina aſſeritur, *Non eſſe niſi unum Mediatorem*, ſed & ratio ſubjungitur, *Qui ſeipſum redemptionis pretium pro cunctis dedit.* Quod cùm ipſi ſoli proprium ſit, nullus eſſe poteſt Mediator Deum inter atq; hominem præter ipſum. Et merita profectò *Paſſionis* omnéſq; vitæ illius perfectiones tam infinitæ ſunt virtutis, (ut qui declaratus erat Dei filius) ut Sanctorum quorumvis Angelorúmve merita illius meritis hac in re adjungere, contumelioſa eſſet ac blaſphema ſupereminentiæ illius conditionis derogatio.

Itáq; cùm jus *Mediatorium* ob rationem meriti ad Chriſtum ſolum pertineat, neceſſe eſt ut facinus ſit planè *Antichriſtianum*, apertáq; in perſonam Chriſti injuria, quoſvis alios illi in hoc officio adjungere, ac ſi ipſe ſufficiens non eſſet, ſed tam imbecillis, inhabiliſq; ad eam Functionem, ut *Coadjutoribus* indigeat.

Gen. 18. 24. *Iſ.* 38. 5. 12. Quantùm ad illas Allegationes, *Deum ſcilicet Civitati parciturum propter quinquaginta juſtos qui ſint in ea, & protecturum Hieroſolymam propter ſervum ſuum Davidem quippe qui fecerat quod Domino placebat, ſéq; clementiâ uſurum ad milleſimam uſq; ſtirpem erga ſui amantes ſuáq; præcepta conſervantes*, nulla Ratiocinia ab his Scripturis deducta, rem quæ præ manibus eſt attingunt. Hæ enim omnes de rebus *Temporalibus* narrant; fatúmq; juſtorum, in prima inſtantia, impiorum fato involutum fuiſſet. Quantùm autem ad illud de *Davide*, Typus ille agnoſcitur eſſe Chriſti,

Christi, verùm exorto Sole Nox jam fugata est. Nec certè video quicquam concludi posse ex illo loco Exodi, nisi justi posteros, si sic permansérint, esse permansuros. Hi igitur obtentus solummodo sunt, nec casum quem hîc describimus, omninò attingunt, qui hic est; nempe, ut preces nostras huic illive *Sancto* offeramus, supplicantes ipsis ut pro nobis intercedant, tanquam si eodem gauderent privilegio quo ipse Christus, qui *Deus* pariter est atq; *Homo*, ac proinde *ubiq; præstò est* quò nos audiat, propriísq; meritis immensus quò valeat apud Patrem.

13. Quamobrem hoc planè Christum esset suo honore ac privilegio spoliare, si quis Sanctos præsumeret *omnipræsentiam* quandam vel omniscientiam habere, quæ illi soli sunt propriæ. Quemadmodum & solenni quodam & religioso modo ad Altare ac in Templo hujus vel illius Sancti Deum orare per *merita horum Sanctorum*, ut hoc vel illud concedat, an non apertè esset declarare defectum esse in meritis Christi magni nostri *Mediatoris*, quando perfugium ad hunc modum quærimus in nominibus meritísq; aliorum?

Quàm *Antichristianum* igitur futurum esset si Sanctum aliquem, putà *Virginem Mariam* in suis supplicationibus ipsi Christo præferrent, eam orantes ut imperare vellet Filio suo virtute illius officii quod ille debet Matri, si Titulum ipsi tribuerent *Reginæ Cœli*, *Matris misericordiarum*, *Vitæ suæ*, *suæq; Spei*, *Lucis Ecclesiæ*, *Advocatæ* suæ ac *Mediatricis*, immò verò omnes Psalmos Davidicos in supplicationes ad ipsam ejúsq; laudationes vocem [*Domina*] solummodo in locum [*Dominus*] substituendo mutarent? Quàm *Antichristianum*, inquam, hoc figmentum esset humilem facere virginem ad hunc modum de Cœlesti imperio, officióq; universali mediatorio, cum filio Dei conflictantem? Ut præteream integra examina aliorum *Mediatorum* quos etiam ob rationem meritorum constituant. Etenim nisi id esset ob rationem meritorum suorum ac perpessionum (quanquam nec mereri poterant nec pati ultrà quàm quod ad suam salutem conduceret) cur Mediatores eos constituerent? Quòd si eorum merita quicquam meritis perpessionibúsq; Christi superaddant, quomodo is perfectus esse potuit Sacerdos, meritáve ejus esse perfecta?

Quamobrem manifestum est, alios constituere *Mediatores meritorios* præter Christum, *Antichristianam* esse contumeliam atq; calumniam adversùs perfectionem excellentiámq; *Mediatorii officii* Christi.

14. *Fraus* verò impia hujus Inventi, oblationum esse potest multiplicatio novis his & appropriatis *Intercessoribus*, qui amplis largitionibus illecti causam Clientum suorum in curia cœlesti strenuè fervidéq; sint acturi, aut saltem *Antichristianum* hoc Sacerdotium sic fore ipsis sit persuasurum, ut qui unicum Christi officium *Mediatorium* æquè ac pretiosæ illius Mortis ac Passionis efficaciam nummorum summâ vendiderint, minimè perpendentes gravissimas illas *noxas* quæ Ecclesiam oppressúræ sint Patronorum Mediatorúmq; multiplicatione.

Etenim quàm proclive est inconsiderato populo hujusmodi næniâ soporificâ delenito securè obdormire, dum arbitrantur hunc illúmve Sanctum, quem peculiarem sibi patronum elegerint, tam certum sibi fore amicum, utpote quem superstitiosis quibusdam Ceremoniis tam officiosè coluerint, quémq; sibi hoc pacto tam firmiter se devinxisse putent, ut, qualitercunq; vitam instituerint, non dubitent quin tutò ad cœlum sint perventuri, quanquam eò per posticum aliquod ab hujusmodi amico peculiari intromissi, qui illîc ad eos recipiendos præstoletur. Cùm tamen Christus ipsis jam olim prædixerit, *nisi quis fuerit genitus dennò, eum non posse introire in regnum Dei*, séq; eos quorum mores non sint emendati, non esse accepturum, sed mandaturum *ut facessant cum operantibus Iniquitatem.*

Quàm facilè hoc pacto ab illa fide abducuntur recumbentiáq; quam habere debent in Deum Christúmque, dum Sanctificationem etiam ac Redemptionem expectant ab eo in quo nulla est salus? In quàm abjecta cogitata deprimuntur eorum animi qui levari debent ad solum Deum? Quámq; obnoxii sunt immersionibus in maximè sordidos crassósq; gradus Idololatriæ, dum proni, absq; omni retinaculo, in imaginationem prolabuntur, Templum, Altare, Sacerdotem cum sacris suis vestimentis, Diémq; festum, sacrásq; Oblationes dedicatas esse vel destinatas honori illius Sancti quem illi Patronum sibi & Advocatum constituerint?

15. Et postremò, præcellentissimum illud ac potentissimum Instrumentum Sanctificationis nostræ, mentiúmq; Renovationis in amabilem Imaginem Domini Jesu, *Crucem* intelligo *Passionémq;* unici nostri *Mediatoris*, piámq; de ipsa meditationem, quâ animæ nostræ ad suis insistendum per omnia vestigiis, eíq; sincero amore serviendum firmiter illigentur; præcellentissimum hoc, inquam, Instrumentum quàm inutile fiet & inefficax, dum mentes hominum ad alios divertuntur Patronos electitios,

electitios, aut tam multorum varietate Mediatorum, (qui verè promovendæ ſanctitati nihil inſerviant) diſtrahuntur? ità ut Amor ille ac Fidelitas quæ ſoli Chriſto debetur, quæq; ipſa vita ſalutaris animarum noſtrarum futura eſſet cordiúmq; purificatio, & ad æternum cum eo conſortium in cœleſti ſuo regno requiſita præparatio, immane quantum hinc diminueretur, redderetúrq; languida, tandémq; penitus extingueretur. Quæ *Noxa* eſt damnúmq; cujus ſumma nullo calculo iniri poteſt, qúódq; nullo pacto poteſt reſarciri. Diſtributio, inquam, ac derivatio devotionis noſtræ, piíq; affectûs, à Chriſto, in tot devios Rivulos & in Objecta iſtiuſmodi quæ infinitò minus momenti habeant ad nos obligandos urgendóſq; ad probitatem vitæ verámq; ſanctitatem, haud levius profectò malum eſt, quàm æternæ noſtræ ſalutis aut periclitatio aut jactura.

Manifeſtum eſt igitur oppugnationem ſupplantationémq; Finium & utilitatum *Sacerdotalis* officii Chriſti eo modo quo declaravimus memorabilem fore partem illius *Ideæ Antichriſtianiſmi* cui deſcribendæ incumbimus.

CAP. VI.

1. *Oppugnatio Chriſti in his ſuis tribus notiſſimis officiis quàm enormiter ſit Antichriſtiana.* 2. *Aliorum Titulorum Chriſti Enumeratio. Ipſius oppugnatio quatenus eſt* Veritas; 3. *Quatenus* Lux; 4. *Quatenus* Vita. 5, 6. Illius Divinitatis *oppugnatio Sanctos Angelóſq; ei æquales faciendo*; 7. *Immò meram ei* præferendo *Creaturam.* 8, 9, 10. *Oppugnationes Tituli* Paternitatis *per injurias ac crudelitates in ſuos Filios.* 11. *Ejus oppugnatio quatenus* Princeps *eſt* Pacis; 12. *In dirimendis circa opiniones controverſiis non neceſſariis*; 13. *Vim ſolvendo obligationis* juramentorum; 14. *Et* belligerando *cum* Sanctis.

1. ATq; ſic tandem naturam *Antichriſtianæ* illius oppugnationis in hiſce *tribus* vulgò notis Chriſti officiis delineavimus, quam ſanè vel ſolam conſideratam quivis judicare poſſit ſufficientem ad completum *Antichriſtum* conſtituendum, hoc eſt, ad Poteſtatem Eccleſiaſticam eò uſq; corrumpendam, ut veriſſimè pleniſſimóq; jure appellari poſſit *Antichriſtiana.* Et tamen *Antichriſtianiſmus* hic ulteriùs explicari poteſt, & per magis particulares aliorum *Titulorum Chriſti* oppugnationes porrò illuſtrari. Non tam curioſi erimus ut omnes eos recenſeamus, nec tam oneroſi ut in quoquam eorum quos porrò recenſuerimus, diu inſiſtamus, cùm eorum pleriq; ad unum aliquod trium illorum *officiorum* quibus tamdiu jam inſtitimus, reduci poſſint.

2. Horum Titulorum maximè inſignes hi ſunt, *Veritas, Lux, Vita,* qui in novo Teſtamento occurrunt; & apud *Eſaiam, Deus Potens, Pater Æternitatis, Princeps Pacis.* Hæc ſunt *Nomina,* hi ſacri *Tituli* Chriſti, & quæcunq; Poteſtas ei prætendit ſuccedere, & autoritatem habere atq; jus illius loco regnandi hîc in terris, quatenus in rebus adminiſtrandis hos Titulos Chriſti oppugnaverit, contráve iverit, eatenus ſe *Antichriſtianam* eſſe demonſtrat. *Cap. 9.*

Ut exempli causâ, ſi hæc, quam ſe venditat, Poteſtas magnam exerceret mercaturam in nugatoriis *Legendis* Figmentíſque, in falſis Miraculis, callidéq; concinnatis Fabulis, (contra quas Apoſtolus proteſtatus eſt) ut fraude malóq; dolo populum circumveniat, atq; iſtiuſmodi eorum mentibus opiniones inſeminaret quæ crumenas eorum omnium diductiſſimè aperturæ ſint, ad eum planè modum quem pro occaſione magis particulatim jam deſcripſi; omniáq; Ceremoniarum multitudine obſcuraret quæ non ſunt niſi umbræ veritatis, (ſi id ſanè ſint) equidem hujuſmodi rerum conſtitutio *Antichriſtianam* ſe planè demonſtraret eúmq; Chriſti Titulum oppugnaret, qui eum declarat eſſe *ipſam veritatem. Foris ſunt Homicidæ & Venefici, & omnis qui amat & facit mendacium.* Id certè tam expreſſim in Apocalypſi non dictum eſt fruſtrá. Idq; notatu dignum eſt quod apud *Danielem* occurrit, *Antiochum* ſcilicet, qui *Antichriſti* Typus vulgò eſſe creditur, in *terram* illîc dici, *veritatem proſternere.* *Apoc. 22. 15.* *Cap. 8.*

3. Proximus Titulus eſt *Lux,* qui figuratus Titulus eſt, ſignificátq; ſapientiam vel ſcientiam, eſtq; reverà nihil omninò aliud quàm *ſymbolica* prioris indigitatio. *Veritas* enim veráq; ſapientia, una eadémq; res ſunt. Verùm quatenus irradiat illuſtrátq;

illuſtrátq; mentes aliorum magìs ſpeciatim *Lux* dicitur. Chriſtúſq; ità appellatur tum ex eo quòd per Divinam ſuam naturam, omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum, tum ex eo etiam quòd *Lux* erat Gentium gloriáq; populi *Iſraëlis*, in exteriori ſua perſonalíque, mundo factâ manifeſtatione.

Quamobrem omni eniti opere ad populum in tenebris pluſquam *Ægyptiacis* cuſtodiendum ſub prætextu excitandi ipſorum devotionem erga Deum, cùm interim techna ſit quâ ipſos totos ſibi devotos addictóſq; retineant, decipiántque, ac quácunq; eis placuerit circumducant, facinus hoc planè *Antichriſtianum* eſſet adversùs ſecundum Titulum Chriſti quatenus *Lux* dicitur, finíſq; fruſtratio illius adventûs in mundum, qui erat, ut *Lux* eſſet *Gentibus*, & ut ſedentes in tenebris è domo carceris educeret. Chriſtúſq; hunc Titulum quaſi hæreditario jure in omnes ſuos veros Sectatores ac Succeſſores derivavit. Vos eſtis *Lux Mundi*. Quales igitur, obſecro, illi ſunt qui non ſolùm ipſi *lucentes lucernæ* non ſunt, ſed & ſeduli molitores fautoréſq; *ignorantiæ* & *tenebrarum*, & diligentes inhibitores omnis veri luminis quod alicunde in Eccleſiam immitti poſſit. *Iſa.* 42. 6. *Mat.* 5 14.

4. Tertius Chriſti Titulus *Vita* eſt, quemadmodum ſcriptum eſt in Evangelio S. *Johannis*. *In ipſo vita erat, & vita erat lux illa hominum.* Quam vitam, ut ego quidem ſentio, S. *Paulus* admodum ſapidè deſcribit, ubi ait, *Regnum Dei non eſſe eſcam & potum, ſed juſtitiam, & pacem & gaudium per Spiritum ſanctum.* Chriſtianitas igitur ſtatus eſt internæ vitæ in omnes laudabiles utiléſq; actiones profluentis, non *Babel* confuſanearum perplexarúmq; opinionum & inutilium obſervantiarum, non Ceremoniarum cumulus, vanarúmq; Imaginationum, ſed ſtabilis firmáq; in Deo manſio, qui *Amor* eſt, quíq; nos erudiet & ab interno vitæ ſenſu idoneos reddet ad eum amandum toto corde animóque, & proximum noſtrum ſicut noſmetipſos, quæ eſt nobiliſſima totius Legis impletio.

Quamobrem, loco ſanctæ hujus Oeconomiæ *Spiritûs* atq; *vitæ*, ſi rigida inanibus opinionibus & minimè ædificantibus multifariarum Ceremoniarum obſervationibus introduceretur adhæſio, hoc certè *Antichriſtianum* eſſet contra hunc tertium Titulum Chriſti Admiſſum, dum ad hunc modum inſipidas Speculationes Ritúſq; emortuos in *vis vitæq;* *Pietatis* locum ſubſtituimus.

5. Quartus Titulus eſt *Deus potens. Chriſtiq;* *Divinitas* notus eſt fidei Articulus, adeóq; eximium Perſonæ illius privilegium, ut quicquid ei derogaverit, illud infregerit infirmaverítve, non poſſit non exiſtimari admodum *Antichriſtianum*. Hujuſmodi igitur eſſe oportet Templorum Altariúmq; extructiones, Adoletionem Incenſi, ac religioſas Invocationes Orationéſq; ad Sanctos Angelóſve factas.

Immò verò, tametſi nullæ ipſis offerrentur preces, vel ipſas Sanctorum Reliquias in Templum Sacellúmve aliquod ſolenniter ponere, illóſq; cum eo, Patronos Genióſve quaſi Tutelares cujuſvis Civitatis aut Provinciæ conſtituere, non minus crimen eſſet quàm *Idololatria*, Superſtitióq; non multùm abſimilis illi quæ in *Teleſmatis Palladiiſq;* ac *Diis Tutelaribus* cernebatur antiquorum Paganorum, quorum præſentiam hujuſmodi ſuperſtitioſis Ceremoniis putabant detineri, atq; ſic eos Patronos Protectoréſq; ſuarum Civitatum Regionúmve conſtituebant. Quamobrem ſi Chriſtiani religiosè reponendo Reliquias hujus vel illius Sancti in hanc vel illam Civitatem, ità ſuperſtitiosè animati eſſent ut fiduciam in præſidio ponerent horum Sanctorum contra Peſtem, contra Bellum, contra Tonitru, contra Terræ motus & conſimilia, credentes eos potentes fore benignóſq; loci Protectores; proculdubio hoc quoddam genus Cultûs Religioſi eſſet ipſis præſtiti, nec minus peccatum quàm Idololatria.

Omnis enim hujuſmodi Fiducia ac Dependentia à quovis *inviſibili Spiritu* particulari eſt *Idololatria*, æquè ac *Invocatio*, propterea quòd in inviſibili illo ſpiritu particulari id perinde ſupponit quod ſoli proprium eſt Deo. Nulla enim certitudo eſt *Præſentiæ*, & conſequenter *Aſſiſtentiæ Spiritûs inviſibilis* ullo in loco, niſi illius natura talis ſit ut in omnibus locis ſit ſimul. Ac proinde qui fiduciam ponit in auxilio ſubſidióve, (eo modo quo deſcripſi) *Spiritûs inviſibilis particularis*, illum inviſibilem Spiritum *omnipræſentem* facit vel *omniſcientem*, quæ ſunt incommunicabilia Dei Attributa, eóq; ipſo committit Idololatriam, quemadmodum copioſiùs ſuprà in conſimili cauſa diſſeruimus.

6. Ipſa igitur Fiducia in *Sanctis* tanquam Patronis quorumvis locorum ac Protectoribus, æquè ac Altarium extructio, Adoletio Incenſi, ipſorúmve Invocatio, unico illi certo Patrocinio potentíq; Divinitati Beati Servatoris derogat. Nam per Divinos hos honores dum hujuſmodi Patronos vel Mediatores unigenito Dei filio æquamus, eum ſeipſo minorem facimus, illíſq; tantummodò ſimilem, hoc eſt diſſimilem ſui; peculiaritatem *Divinitatis* ejus obſcuramus, ejúſq; abnegamus Deitatem

Coloss. 2. tem; μὴ κρατέμενοι τὸν κεφαλὴν, ut loquitur Apostolus, *verum non retinentes Caput*, sed sub altero *Capitaneo* nosmetipsos constituentes. Est enim solùm unus qui hujus Divini honoris est capax, quem igitur si alii cuivis tribuamus, partes illius Antichristi
1 Johan. 2.22. agimus qui describitur definiturve à *negando Patrem Filiúmque*, Nam *Pater & Filius unus sunt.*

Hujusmodi argumentationem Deus videtur adhibere in sua expostulatione cum
Act. 7. *Israëlitis* in deserto, *Nunquid mihi victimas & sacrificia obtulistis per annos quadraginta in solitudine, domus Israëlis? Immò bajulâstis tabernaculum Moloch & sydus Dei vestri* Rempham, *quæ vos simulachra fecistis ad adorandum.* Cujus loci sensus proculdubio hic est; *Quòd tametsi* Israëlitæ *sacrificabant, ut illi opinabantur* (aut prætendebant) assueta sua sacrificia Deo, juxta Legem *Mosis*, dum in deserto morabantur, tamen cùm & alios Deos agnoscerent serviréntq; præter ipsum, concludit (& verè profectò meritóq; etiam secundùm humanas facultates) *eos reverà sibi non omninò serviisse*, hoc est non agnovisse talem esse qualis est, solum utiq; verum Deum. Ac proinde cùm errarent in opinione de excellentia Objecti cui cultus Divinus debitus sit, tanquam si tam vile esset ut plura ejus generis esse possent, cultum suum ad eum non dirigebant, sed ad phantasma vel Idolum propriæ suæ Inventionis, cui isti prophanè tribuebant nomen *Jehovæ*. Verus enim *Jehovah* res non erat tam abjecta ut plures cum ipso esse possent *Divini honoris* participes.

Atq; eodem planè modo se res habet de Christo, qui idem verus Deus est in æternum benedictus. Qui Divinum honorem illi soli debitum, Sanctis Angelísve tribuit, ejus abnegat Divinitatem, nec altiori gradu quàm eorum quilibet sit, ipsum constituit. Hæc una esset *Divinitatem* illius Antichristiana supplantandi ratio, æquales nimirum ipsi constituendo meras Creaturas.

7. Est verò & via altera, vel potiùs eadem via sed modo quodam exaggeratiori & consequenter magis *Antichristiana*, éstq; meræ Creaturæ, quanquam beatæ sanè ac glorioſæ, ante eum prælatio; ut verbi gratia, Si aut *Fraus* aut cæca Superstitio semper-beatam Virginem non solùm ad eum Divinum honorem exaltaret, ut Templa haberet & Altaria sibi erecta cum Precibus & Invocationibus, ut in reliquorum cultu Sanctorum Angelorúmque, sed ut illi honores frequentiùs magnificentiúsq; *Mariæ* Virgini præstarentur quàm ipsi *Christo*; hoc est, ut plura Templa, & Altaria magis sumptuosa & splendida illi erigerentur quàm Christo Jesu, plures Supplicationes, Preces & Oblationes illi fierent quàm huic, majórq; misericordiæ recognitio bonitatísq; ab illa profluentis, quàm ab hoc qui vitam suam inter acerbos cruentæ suæ *Passionis* angores pro salute mundi profudit. Et postremò, talis ipsi ascriberetur potestas & imperium in Christum ut ei mandare posset hoc vel illud, virtute officii sibi debiti, præstare.

Equidem si hoc non sit contra *Divinitatem Christi* Admissum, eum ad hunc modum facere defunctâ muliere inferiorem, etiam eum qui æquè *Deus perfectus* est, atq; *perfectus homo*, nihil omninò unquam esse potest. Est enim hoc planè *Deitatem* illius tollere, apertéq; declarare eum nullum omninò esse Deum. Quæ *Antichristiana* est adversùs *Christi Divinitatem* tanta sanè quanta quoquo pacto excogitari possit, injuria.

1 Johan. 2.22. Quis enim *Antichristus* est nisi is qui Patrem negat, Filiúmq; qui æqualis unúsq; est cum Patre? Et quisnam Deitatem tum Patris tum Filii negat, nisi is qui matrem Christi secundùm carnem, majorem utrislibet pronunciat? quod certè is facit, qui majorem eam pronunciat alterutro.

8. Quintus Titulus est *Pater æternitatis*, *Septuaginta* reddunt παλὶεξ τὸ μέλλονΘ αἰῶνΘ, intelligendo, ut opinor, *seculum sub Messia.* Efficaciam cujus Tituli credo Regenerationis mysterium respicere. Siquidem Christus nos in propriam Imaginem
Johan. 16.15. per internam operationem Spiritûs sui æterni regenerat. *Omnia quæ habet Pater mea sunt* (nec sanè mirum cùm is unus sit cum Patre) *propterea dixi illum* (i. e. Spiritum) *de meo accepturum quod renunciabit vobis.* Quamobrem cùm Christus regeneraturus esset mundum futurum per operationem æterni sui Spiritûs, ritè aptéq; dictus est πατὴρ τὸ μέλλονΘ αἰῶνΘ, *pater seculi futuri*, vel si mavis *Pater æternitatis*, utpote qui filios gignit in secula sempiterna.

De hoc mysterio in terris egit in colloquio cum clandestino suo Discipulo *Nicode-*
Johan. 3.5,7. *mo. Hoc tibi magnoperè confirmo, qui desuper natus non fuerit, eum Dei regnum videre non posse. Noli mirari quòd tibi dixerim, vobis desuper est renascendum: Ventus quò vult spirat, & sonum ejus audis, sed nescis unde veniat, & quò vadat; ità est quisquis genitus est è Spiritu.* Nemo irregenitus notitiam sensúmq; habet primi impetûs motúsq; Spiritûs, nec intelligit quorsum illæ actiones sermonésq; tendant qui

qui illinc proveniunt. Verùm ità ſe res habet in his quemadmodum in *illis centum quadraginta quatuor millibus* in *Apocalypſi*; qui virtute novæ Nativitatis *canticum novum canebant quod nemo quiſquam potuit diſcere niſi illa centum quadraginta quatuor millia qui redempti erant à terra*, nempe ex eo quòd *deſuper* regeniti eſſent, quemadmodum Servator monuit *Nicodemum*. Hi ſunt veri *Iſraëlitæ* in quorum ore non reperitur dolus, quíq; ductu Spiritûs per quem regeniti ſunt, *Agnum ſequuntur quócunq; iverit.* Cap. 14.

9. Quamobrem cùm Chriſtus Eccleſiæ ſuæ *Pater* ſit tam realis ex vera viváq; Regeneratione mentiúmq; Renovatione per Spiritum ſuum in ſenſus ejuſmodi ſanctos qui ad naturam omnium qui reverà Dei filii ſunt pertineant, hos certè ità tractare tanquam ſi meræ Imagines eſſent è lapide lignóve factæ, vel materia potiùs nuda & inanima quæ celanda ſit & quibuſlibet notis, quas Poteſtati, quam ſe venditat, infallibili, ipſis viſum fuerit inſculpere, incidenda; magna hæc eſſet adversùs *Paternitatem Chriſti Antichriſtiana* contumelia, quaſi nos in vivos filios non gigneret, qui æquè certò ſenſum habeant ac diſcriminandi facultatem in rebus *Spiritualibus* ac Fœtus quivis Animalis in *Naturalibus*, ſed electorum numerus ad inſtar numeri truncorum, lapidum, laterúmve eſſet, incidendorum ſculpendorúmve, vel quovis modo, pro petulantia & imperioſitate effrænatæ poteſtatis (quæ ſub prætextu infallibilis & indeficientis Succeſſionis quæ debeat eſſe in Eccleſia, in Chriſti locum ſe ingeſſerit) tractandorum.

Maxima debetur puero reverentia———

Veriſſimum eſt de quolibet *filio Dei*. Eſt enim ſenſus ejuſmodi in ipſis Divinus, quem quicquid minùs ſanctum eſt putidulúmve, admodum duriter ingratéq; ſit raſurum. Et certè quicquid falſum eſt, invenietur ab ipſis, tum immutabilibus illis veritatis Principiis quæ in ipſorum animis ſunt (quippe nullo laborantibus præjudicio) tum & Oraculis Dei literis mandatis, (quæ ab eodem Spiritu ſcripta ſunt, per quem hæc genuina Chriſtianorum progenies eſt regenerata) valde diſſonum.

Quamobrem, quod dixi, hos ità tractare tanquam ſi nulla vita, nullus ſpiritus, nullúſq; ſenſus, diſcriminandíve facultas ipſis ineſſet, deberéntq; modo æquè paſſivo (ſine omni convictione, aut provocatione ad quicquam in ſeipſis) hujus Tyrannicæ Poteſtatis, quam deſcribimus, dictata accipere, atq; Pugillares chartæve quibus irreſiſtibiliter à quavis manu inſcribitur, infanda eſſet adversùs Chriſtum, quatenus eſt *æternus Pater*, ſanctúſq; Regenerator veræ ſuæ Eccleſiæ in propriam ſuam vitam ac ſimilitudinem, injuria. At enim occidere & ad internecionem uſq; trucidare hoſce illius filios, quia tam ſtrenuè accuratéq; *patriſſant*, quia tanta cum religione & cura paternis veſtigiis inſiſtunt ejúſq; veritati coram mundo teſtimonium perhibent, an quicquam iſtôc excogitari poſſit magis diabolicè contra Chriſti Paternitatem Antichriſtianum, cujuſvis judicium ac conſcientiam appello. Quid enim committi poteſt infeſtum magis aut truculentum adversùs patrem, quàm genuinos illius filios, etiam ob eam ipſam rationem quòd eum adeò ad vivum referant támq; fideliter virtutibus deliberatiſſimíſq; ejus conſiliis ac præceptis adhæreant, trucidare?

10. Adjicere huc porrò poſſim, quòd nimia animorum corporúmq; hominum per multifarias externarum Ceremoniarum obſervationes exercitatio, frequénſq; ad tranſiliendum feſtinandúmve ab uno ſuperſtitioſo exercitio ad aliud inſtigatio, Divini partûs facilè reperiri poſſit prædiſſolutio, ut nimia mulierum exercitatio in ſaltationibus aliiſve operoſioribus agitationibus gravioribúſve laboribus eas in naturali partura ſæpenumero facit abortire.

11. Titulus ſextus & ultimus eſt *Princeps Pacis*. In quo principatu ſive Imperio ſiqui jus ſibi Succeſſionis vendicarent, & tamen res Eccleſiæ Chriſti tali ratione adminiſtrarent quæ naturaliter, ſi non neceſſariò, eam impletura ſit diſſidiis & contentionibus, hæc Poteſtas procúldubio ſupplantatrix eſſet *pacifici* Imperii Chriſti, authórq; foret *Antichriſtianæ* Tyrannidis & Confuſionis. Ut exempli gratiâ, ſi Poteſtas hæc uſurpatoria novos excuderet Fidei articulos in propriam utilitatem, notis Documentis Scripturæ Rationíſq; contrarios, eorúmq; profeſſionem ab Eccleſia Chriſti requireret, Ritúſq; ſuſpectos, *Idololatriam* Superſtitionémq; ſatis rancidè olentes, inſtitueret, ferè impoſſibile eſſet ut immania diſſidia ſchiſmatáq; in Eccleſia non progigneret mundúmq; rixis & contentionibus impleret.

Quinimò ſi definiendo ſenſui Scripturæ ratione magis determinatâ quàm reverà ex uſu foret Eccleſiæ, operam darent, háſq; ſuas determinationes & expoſitiones hominibus tanquam neceſſarios Fidei Articulos obtruderent; hoc etiam multùm faceret

contra pacem Eccleſiæ. Siquidem homines fataliter ferè propenſi ſunt ad cogitandum hoc vel illo modo in rebus, quæ ut alterutrò determinentur, ad ſalutem minimè eſt neceſſarium. Unde iniqua hominum Conſcientiis inferretur vis, quò ævi curſus inflammaretur. Cùm è contrà quod generale eſt, magìs *amplum* eſt ac *unitivum*, omnéſq; recipit, omnibúſq; poteſtatem largitur pacificè vivendi cum ſe invicem, ſine turba aut exturbatione.

12. Cæterùm *Fatuitas* atq; *Fraus* hujus curioſitatis, ſtudium eſſet lucrandi vel potiùs extorquendi reverentiam à populo, efficiendíq; ut Functio ipſorum res grandis videatur, & Eruditio magna & Judicia infallibilia, útq; propriam ſuam cum tacita quadam voluptate perſentiſcant autoritatem, faciántq; ut alii eam perſentiant, quanquam cum gravi offenſione ac divexatione Eccleſiæ Chriſti. Quaſi verò ſi exemplariter viverent illúdq; urgerent quod in Scriptura perſpicuum eſt, ordinatámq; exercerent eis in rebus diſciplinam, non majorem iſtoc pacto reverentiam aſſecuturi eſſent & venerabiliores in Dei hominúmq; conſpectu evaſuri, aut apparituri non eſſent magìs infallibiles inſiſtendo illius veſtigiis qui *via eſt, veritas ac vita*, quàm apertè tranſiliendo eam viam, eámve relinquendo ob devia quævis hujus mundi commoda. Quarum *fraudum* detectio omnium mortalium odium neceſſariò in ipſos excitatura ſit. Et poſtremò quantùm ad id conſilii, quo ſuam Autoritatem perſentiri velint, Chriſtus ipſis viam eò præmonſtravit, ſi modò illam velint ſequi,

Matth. 7. & cap. 23. *Docebat ut habens autoritatem & non ut Scribæ, dicunt enim & non faciunt.*

13. Hæc una eſt ratio *Antichriſtianiter* ſe gerendi adversùs illum ſacroſanctum Chriſti Titulum, *Principem Pacis.* Eſt verò & alia ſceleratior, & execrabilior quàm cujuſvis animus comminiſci poſſit, qui profunditatum *Sataнæ* notitiam non habuerit. Eſt autem hujuſmodi; Si poteſtas hæc ſcilicet *Antichriſtiana*, quam deſcribimus, tantum ſibi aſſumeret, ut Chriſtiani orbis *Principes* à Juramentis, pactíſq; publicis quæ ſuper Pacis conditionibus inter ſe fecerint, abſolveret, ut & *ſubditos* à juramento *Fidelitatis* ſuis Principibus præſtito, an non hoc planè eſſet omnia *Unitatis* vincula diffringere, quæ non ſolùm *Religio* ſed & *Naturæ leges* humano generi ſuppeditârunt? ad hunc utiq; modum jurisjurandi ſanctitatem abolere quod hominibus omnis controverſiæ eſt finis? Quî igitur poterit illa Poteſtas jus ſibi vendicare ſuccedendi *Principi Pacis*, quæ maximum Pacis vinculum cujus res humanæ capaces ſunt, è mundo ſuſtulerit?

Heb. 6. 16.

14. Et poſtremò, ſanguinolenta Doctrina de vita hominibus ob errores in opinionibus eripienda, cùm aliàs inculpabiles ſint in *Fide* ac *Converſatione*, ſinceríq; Profeſſores hujuſmodi Chriſtianarum veritatum quæ evidenter in Dei verbo ſint revelata, immò verò vitam ipſis eripere quia ea non faciunt tenéntve quæ expreſſo Dei verbo, quà internis animis, quà ſacris paginis inſcripto, omninò ſunt contraria, quemadmodum exemplis multis in hac *Antichriſtianiſmi* deſcriptione declaravi; Quid obſecro hoc aliud eſſet quàm vexillum ſanguineum ſuſpenſum exponere adversùs veram Chriſti Eccleſiam, bellúmq; propalam indicere, auderéq; adversùs eos prælium qui in Agni cohortes conſcripti ſunt, profeſſíq; ſunt milites *Principis Pacis?* Quorum igitur oppugnatores ad eum modum quem inſinuavi non poſſunt non eſſe Beſtia illa *Apocalyptica* quæ *bellum gerit cum Sanctis, Matérve illa Meretricum quæ ebria Sanctorum ſanguine eſt & ſanguine Martyrum Jeſu.* Tam parum ſubeſt addubitationis de poſtrema hac oppugnatione quin Character ſit *Antichriſtianus* ídq; tinctura ſanè ſaturatiſſimæ. Verùm ſuper hac re plura poſthac diſſeremus.

Cap. 3. ſect. 8.

Cap. 13. 7.

Cap. 17. 6.

CAP.

CAP. VII.

1. *Quamlibet rerum conſtitutionem quæ* Divinam vitam *naturaliter oppugnet ſupprimátve, ſummo gradu eſſe* Antichriſtianam. 2. *Hujuſmodi eſſe* Idololatriam, Superſtitionem, *omnéſq; ſupradictas oppugnationes Officiorum Titulorúmq; Chriſti*; 3. *Et opinionem de virtute Sacramentorum* ex opere operato: *quódq; nihil opus ſit Devotionibus noſtris animum attendere.* 4. *Muta etiam ſpectacula, & requieſcentiam in nuda Religioſorum officiorum peractione à quocunq; ea fiat principio.* 5. Abſolutiones *faciles*, Pœnáſq; *leviculoſas.* 6. *Plenas* Indulgentias *à Poteſtate Eccleſiaſtica nummis emercatas.* 7. *De* Noxis *cujuſq; oppugnationis* Divinæ Vitæ *monitio generalis.* 8. *Plauſibilitas ſuppoſitionis* Poteſtatis Pompæq; Eccleſiaſticæ *majoris* Imperiali. 9. *Rationum hujus ſuppoſitionis imbecillitas.* 10. Noxæ *ab ea provenientes in depellendo Eccleſiaſticorum animos à veritatis ſanctitatiſq; ſtudio*; 11. *Imò faciendo ut quicquid verum ſanctúmve ſit oppugnent, ſi ipſorum Avaritiæ Ambitioniq; adverſetur.* 12. *Quòd hujuſmodi Poteſtas* Luciferiana, *ipſa ſubverſio Regni Chriſti eſſet in terris*; 13. *Eccleſiæq; mutatio in merum* Emporium, *mercatúmve.*

1. TAM expreſsè claréq; hactenus *Antichriſti Imaginem* delineavimus; quatenus ſcilicet Chriſtum in officiis ſuis oppugnare deprehenditur, ſanctiſſimíſq; Titulis qui ipſius perſonam adornant, planè contraire. Venimus jam ad *Divinam vitam* quatenus in Mundo propagabilis eſt, cujus causâ Chriſto viſum eſt naturam noſtram aſſumere, ſuámq; vitam deponere pro nobis, *ut glorioſam ſibi compararet Eccleſiam non habentem maculam aut rugam aut quicquam ejuſmodi, ſed quæ ſancta foret & inculpata.* *Epheſ. 5. 27.*

Qui cùm ipſe finis ſit adventûs Chriſti in Mundum omniúmq; ærumnarum aſperitatúmq; quas durante illius peregrinatione in terris eſt paſſus, ignominioſæq; &, ſuprà quàm dici poteſt, dolorificæ mortis Crucis cui ſe ſubmiſit; ut quis, hoc ſuum tam ſerium deſtinatúmq; conſilium quâvis ratione rerúmve conſtitutione quam promovere affectet, eludat, aut quovis modo oppugnet ſupplantétve, ſummo profectò gradu hoc foret *Antichriſtianum.*

Itaq; diſtinctè jam articulatéq; conſideremus præcipuas rationes oppugnandi ſupplantandíq; hoc *Propoſitum*, ponendo nobis ante oculos iſtiuſmodi depravatas Leges, Inſtituta, Conſuetudinéſve in Eccleſia quæ ad extinguendam *Divinam vitam* aut in *genere* tendant, aut magìs particulatim adversùs *Radicem* ejus, *Ramulóſve* dirigantur; nimirum vel adversùs *Fidem*, firmúmve *ſummæ* Chriſtianitatis aſſenſum, vel adversùs Gratias illas inæſtimabiles, *Humilitatem*, *Charitatem*, & *Puritatem.*

2. Ad depingendam hanc *Divinæ vitæ* oppugnationem in genere, nihil opus eſt ut penicillum in novos intingam colores. Modi illi multifarii *Idololatriæ*, & *Superſtitionis* quos in primo ſecundóq; *Antichriſtianiſmi* membro notavi, quíq; ad externa, quæ ad nihil valent, exercitia mentes hominum evocant, ſed legitimam Zeli ac Religionis intentionem eludunt, (quæ nos debet interiori ſpiritu vitáq; juſtiores ſanctioréſq; reddere) hi proculdubio ex ſua natura *vitam Dei* in anima conſopiunt ſuffocántve, & ad inſtar *falſi Pabuli* eam aut veneno aut fame enecant.

Illæ etiam oppugnationes quæ contra *Officia* Chriſti factæ ſunt; illius Legis vilificatio, ejúſq; è conſpectu populi remotio, lectióve in cœtibus publicis in linguâ peregrina; Interpretatio eorum quæ *ſeriò* nobis Chriſtus *præcepit*, tanquam ſi laxiora eſſent conſilia & pro arbitrio noſtro ſequenda vel omittenda; falſa gloſſemata in Oracula Dei ab infallibilibus, prout ſe venditant, Interpretibus; fruſtratio *præpotentis* illius machinamenti ad conciliandam obedientiam Chriſto, affectuoſarum ſcilicet meditationum ſuper *Morte* ejus ac *Paſſione*, diríſq; quos pro nobis tulit doloribus, divertendo cogitationes noſtras variis & ad nihil valentibus objectis, *puſillis* Advocatis & Patronis, qui Devotionem noſtram ſuffurentur Chriſtúmq; ſuo honore ſpolient animáſq; noſtras præcipuis adminiculis ſuæ ſanctificationis ac ſalutis: Hæc aliáq; multa, quæ proferre poſſem, *Antichriſtianæ* planè ſunt aggreſſiones oppugnationeſq; *Divinæ vitæ* in genere, eóq; prorſus tendunt ut univerſam Religionis vim enervent ac præcidant.

3. Quibus addere potes impias iſtas præſumptiones, quòd Preces dinumerare ſufficiat ſine ulla mentis defixione in illud quod repetimus; quódq; ſuſpenſa magìs ac generalis attentio ſatìs ſit, particularibus cogitatis interim aberrantibus quócunq;

libuerit; Sacramenta gratiam conferre *ex opere operato*, quippe quæ ipſa differentia ſit inter Sacramenta *Veteris Noviq*; Fœderis, quòd priora ratione *operis operantis* gratiam conferant, poſteriora ratione *operis operati*, nullámq; motionem bonam internam in eo requiri qui ſacramenta recipit. Quid relaxare magìs poteſt intenſa deſideria ſinceráſq; aſpirationes animarum ad realem naturæ ſuæ renovationem in veram ſanctitatem ac juſtitiam, quàm hujuſmodi corruptæ opiniones?

4. Populi porrò oculos mutis Spectaculis paſcere, cùm ipſorum Conſcientias explorari oporteat zelúmq; intelligibilibus exhortationibus formíſve Devotionis excitari, quæ ipſos officii ſui commonefaciant ſenſúmq; imprimant rerum ejuſmodi ſanctarum quibus indigeant, ipſorúmq; animos deſiderio earum inflamment; hoc etiam planè eſſet *Divinam vitam* ſuo pabulo quo accreſcere debeat atq; enutriri, defraudare. Qualis etiam foret generalis illa opinio de omnibus Actis Religionis, *operis* utiq; *officium* præſtari, modò ipſum *opus externum* præſtetur, qualecunq; fuerit Principium unde profluat, hoc eſt, quamvìs neq; attingat nec procedat ab illa vitæ ſcaturigine quæ in quoq; *regenito* Chriſtiano debet ebullire, & ſine qua nemo cum ratione ſeipſum poteſt exiſtimare *Regenitum*; equidem neceſſe foret ut hujuſmodi opiniones, uſúſq; ac conſuetudines *veram vivámq*; *Sanctitatem* è mundo proterererent & exterminarent.

5. Et tamen etiam aliud præterea comminiſci poſſumus venenum Antichriſtianum quod mirificè languefaceret homines torpidóſq; in omnibus ſuis ſtudiis ac conatibus ad veram ſanctitatem redderet; Eſtq; *Abſolutio facilis*, *Pœneq*; poſt formalem Confeſſionem *leves* ac ferè *nugatoriæ*. *Confeſſio* enim quæ ab *Antichriſtiana* hac Eccleſia quam deſcribo, tam rigidè ab hominibus extorquetur, cùm conjuncta ſit cum opinione quòd poſt *Abſolutionem*, penſáſque, quæ irrogatæ ſint, pœnas, jam puri integríq; ſunt qui ſint abſoluti, & in æquè ſecura conditione ac ſi nunquam peccaviſſent, quippe quorum Conſcientiarum offenſarum juſtæ caſtigationes, leni fallacíq; conſopitæ ſunt interpoſitu fictitiæ Poteſtatis Sacerdotalis abſolvendi ubi Deus ligaverit (& certè unuſquiſq; ligatus manet obnoxiúſq; æternæ condemnationis ſententiæ die noviſſimo, quantumcunq; hic Sacerdos eum abſolvendi poteſtatem prætenderit, rationémq; reddet eis de rebus quas in carne patraverit à quibus nulla in terris Abſolutio penſáve Pœna liberabit, niſi reverà vias ſuas impias reliquerit ſinceréq; converſus ſit ad Deum) Hæc, inquam, rerum conſtitutio quantùm ad *Abſolutionem Pœnáſque*, neceſſariò efficeret ut habenæ in omnium cervicibus relaxarentur, cùm intellexerint quàm levis ac nugatoria res ſit peccare contra Deum, ex eo quòd tam facilibus conditionibus cum eo rediri poſſit in gratiam. Adeò ut multò major inſideret hominum animis timor, ſi *Condemnatio* ipſorum atq; *Abſolutio* propriis Conſcientiis concrederetur, utpote quæ tam luculentè inſtructæ ſunt *Dei verbo* luminéq; *Rationis* & *Naturæ* ad ſingula ex lege expendenda, nec eos requieſcere permiſſuræ donec ad competentem cordis ſinceritatem emerſerint. Quò poſtquam pervenerint, Chriſtus *intrà* ejúſq; Verbum *extrà* ipſos abſolvet animíq; pacem reſtituet. Et verò ſi opus fuerit, *Abſolutionem* etiam à ſobrio aliquo fidelíq; Sacerdote accipere poſſunt, cujus virtus vitæq; exemplaritas ad tam ſeriam Functionem idoneum reddiderit, quemadmodum ſuprà inſinuavi, ubi maturiùs quàm par erat in hoc Argumentum incideram.

6. Cæterùm maximè enormis contra *Divinam vitam* Antichriſtiana machinatio iſtiuſmodi foret *Perſuaſio*, quòd ſolvendo utiq; certas parabiles nummorum ſummas levéſq; aliquas obeundo Ceremonias obtenturi ſint per ſupremam Eccleſiaſticam Poteſtatem *plenarias Indulgentias* peccatorúmq; *Remiſſiones* in immenſam annorum multitudinem, certámq; liberationem ſuiipſorum amicorúmve è *Purgatorio*.

Ut verbi gratiâ, ſi ſupponeremus aliquot Eccleſias, vel ſi mavis multas nactas eſſe à ſumma Eccleſiaſtica Poteſtate *plenariarum Indulgentiarum* jus perpetuum, ità ut is qui coram aliquibus Altaribus in his Eccleſiis oraverit, liberam omnium præteritorum peccatorum *Remiſſionem* ſit obtenturus, ſecurúſq; futurus à ſupplicio. Quod tamen parum eſt præ eo quod ſequitur. Supponamus enim hujuſmodi Devotionis ſpecimen ante alia aliqua Altaria aliíſq; in Eccleſiis Remiſſionem impetraturum peccati pœnæq; in annos viginti, triginta, quinquaginta, immò in centena millia annorum; Certarúmq; quarundam precularum repetitionem ante tale Altare Animam liberaturam è *Purgatorio*; Incurvationem ad nomen *Jeſu* impetraturum vicenorum annorum *Remiſſionem*, Corporíſq; inclinationem ad deoſculandam Crucem in Eccleſiæ pavimento *Indulgentiam* ſeu *Condonationem* omnium Admiſſorum; Oſcitantem feſtinatámve certi numeri precularum recitationem, præſertim ſi conſecrati ſigilli putà *Agni Dei* aut conſimilis alicujus Nugamenti pondus appendatur, Animam liberaturam

turam è *Purgatorio*; & vel unam *beatæ Virginis* Salutationem octoginta obtenturam annorum *Indulgentiam*; Repetitionem brevis cujuſdam oratiunculæ, vultu in Chriſti picturam religiosè defixo, peccatorum remiſſionem in decies centenos mille dies reportaturam; Aliarúmq; recitationes in decies centena non minùs annorum millia; ſolámq; certi cujuſdam *Crucifixi* aſpectationem, ſexies mille Annorum *Indulgentiam.*

Hujuſmodi exempla infinita eſſent: Tot jam produxi, ut talem planè Eccleſiæ conſtitutionem arguant quâ nihil magìs contrarium eſſe poſſit magiſve exitioſum *vitæ illi* ac *ſanctitati*, ad quam Chriſtus venit animabus hominum inſeminandam, ac proinde non poteſt quin judicetur immane quantùm *Antichriſtiana.*

7. *Falſitatem* ac iniquitatem harum conſuetudinum nihil opus eſt ut evincam, quippe quæ vel primo aſpectu tam culpabiles deprehenduntur, nec ut *Fraudem* indigitem, cùm ſit tam conſpicua; Eadem nimirum quam in cauſis conſimilibus ſuprà innui, *nummorum* ſcilicet *populi emunctio. Noxáq;* hîc eſt *Divinæ vitæ* oppugnatio vel extinctio prout conſimiliter eveniet in *Radice* ac *Ramulis.* Adeò ut minimè neceſſe fuerit in poſterum ullas alias notare *Noxas* quàm quæ ſubjecto comprehendantur in quo ſimus inſtituri, quandoquidem *Noxæ* in ipſis Argumentorum Titulis exprimentur. Quod è re fore putabam hîc ſemel notâſſe, continuóq; jam ad delineandum proximum *Antichriſtianiſmi* membrum progrederer, niſi una inſuper animo meo occurreret conſideratio quæ non parùm ad ſtatum Eccleſiæ valde *Novercalem* reddendum erga omnes adniſus ad *vitæ* ac *Pietatis* incrementum ac progreſſum faceret, ſi obtineret. Quæ ſuppoſitio hujuſmodi eſt.

8. Fingamus aut bene magnam Eccleſiaſticorum partem tale conſilium cepiſſe, aut unius alicujus Epiſcopi ambitionem cum paucis ei adhærentibus, opportunitatibus adjuti munitíque, nec ullo carentis ingenio, aſtu, vel induſtriâ, eò res perduxiſſe, ut Ipſe cum Succeſſoribus ſuis declararetur & à magna Eccleſiæ parte agnoſceretur *Univerſalis Mundi Epiſcopus*, ejúſq; Autoritas æſtimaretur magìs ſacra, magìs celſa, ac glorioſa quàm cujuſvis Imperatoris, Dynaſtæve in terris, ut ſub ipſo ſubſtituerentur diverſi Ordines, quorum quidam, ſummi ſanè gradûs, futuri eſſent tanquam tot Eccleſiaſtici Principes, quantùm ad Pompam Splendorémque, æquales ferè Regibus terræ; præter Patriarchas, Metropolitanos multóſq; alios divites ac illuſtres *Sacerdotii* Ordines, Eccleſiâ interim omne genus emolumentis, Reditibus, opimíſq; atq; honorificis Dignitatibus abundante, quò tota hæc pompa ſuffulciatur.

Enimverò, inquies, hactenus pulchrè ſe res habet debemúſq; optare ut reverà ità eſſet, nempe cùm Religio res ſit omnium maximè ſacra ac pretioſa, ut illi qui ſpecialiori modo ipſius fulcra ſunt ac Columnæ, vitam degerent maximè ſplendidam, magnificam & ornatam.

9. Equidem fateor in proclivi eſſe ut quis primâ ſpecie ità exiſtimet; videtur enim omninò in honorem Dei factum, cujus peculiari dedicatione illi ſunt ſervi: Sed pari ratione Eccleſiæ etiam perinde eſſe debent maximè ſplendida ædificia & auguſtiſſima, præſertim cùm nihil periculi ſit ut muri hi lapidei ullo ſuperbiæ aliúſve cujuſvis paſſionis indecoræ ſenſu afficerentur.

Cæterùm ſupponamus hos quos ſe venditant, vivos Templi Dei lapides, æquè ægrè excitari poſſe ad ſuperbiam aut libidinem ac inanimes lapides parietum Eccleſiæ; quanquam ſanè externus hic Splendor ac Pompa exuberánſq; rerum Mundanarum affluentia ipſorum moribus nihil nocere poſſet, credo tamen eos profeſſuros ſe nihil illîc commodi reperire, niſi quòd hoc pacto hominum pauperum facti ſint Theſaurarii, (quod tamen munus futurum eſſet nimis ſeculare) vel quòd mundo teſtimonium perhibere poſſent Felicitatem Chriſtianam in hiſce rebus non conſiſtere. Qua tamem in re pauci crediturі eſſent eos ſeriò agere niſi mundanam hanc opulentiam prorſus abdicarent. Et quantùm ad externum ornatum ſplendorémq; propriarum perſonarum, credibile eſt eos declaraturos, ſi Domus Dei, externas intelligo Eccleſias, decorè ſaltem ornarentur, ſi non magnificè ac ſplendidè, libentiùs ſuis oculis ſe illud ſpectaculum contemplaturos, ac majori cum voluptate quàm ornamenta quævis Imperialia ſuis capitibus humeríſve imponenda, quæ nec videre ipſi facilè poſſent impoſita ſine ſpeculorum adjumento.

Hæc major ipſis voluptas foret, ut & nullos ſpectare pauperes qui veſtitu ad ſanitatem utili & ad aſpectum tolerabili non eſſent veſtiti, nec tam ſqualidè ſordidéq; ut facilè ſpectantibus videri poſſint injucundæ quædam *Divinæ providentiæ* labes atq; maculæ.

Cæterùm, Mitras gemmiferas ſumptuoſáſq; veſtes Sancto alicui *Petro Paulóve* parare, non quidem eſſet *Tunicam Lunæ conficere*, ſed (quod perinde ridiculum eſt)

Stolam

Stolam auream concinnare Soli, ac ſi illius nativus ſplendor omnia hujuſmodi artificialia ornamenta fulgore non excederet. Veſtimentorum Magnificentia ac Nitor poſſunt ſanè efficere ut is qui ea geſtet cum rudi quadam admiratione ac ſtupore aſpectetur, Immaculata verò Sanctitas & Virtus facient ut illi, qui ipſis præditus ſit, verus honor animitùs præſtetur ac reverentia.

10. Enormis igitur hæc Magnificentia, in hujuſmodi Eccleſiæ Antiſtitibus, quamvìs ipſos Apoſtolos ſanctitate æquarent, nec neceſſaria videretur nec requiſita, nec omninò forſan exoptabilis. Quantùm verò ad eos qui tali animo Apoſtolico non ſint imbuti, ut certè pleriq; non ſunt, vel potiùs ſunt oppidò quàm pauci qui ſunt; Dicto illo *Johannis* per omnia ferè ſecula verificato; ὁ κόσμος ὅλος ἐν πονηρῷ κεῖται, *Totus Mundus in malo jacet*; in his certè hic illuſtris egreſſus, hæc ſerena ſplendénſq; Aurora diem profectò ſubitò introducet pluvium ac cœnoſum.

1 *Joh.* 5. 19.

Quippe cùm tot Temporalia præmia extent quò collineent, tot genera graduum dignitatúmq; ad ipſum uſq; apicem ſupremæ Dominationis in univerſum mundum, inflammabuntur omnium animi ſtudio ac deſiderio ea aſſequendi quæ tam illecebroſo aſpectu ipſis ante oculos jacent, *Infernaliſq; ignis Ambitionis* ipſa *vita* erit *animáq;* Eccleſiæ, utpote cujus omnis activitas motúſq; ab illo inviſo principio derivabitur. Unde conſequetur, nihil præter ipſum nomen *ſpiritualitatis* reliquum fore, Animóſq; Clericorum totos abductum iri à meditando quid verum ſit, quid ſanctum Eccleſiámq; ædificaturum, ínq; res *mundanas* prorſus immerſos fore ac ſepultos.

Sunt enim & Eccleſiaſtici omnes Honores ac Emolumenta reverà *Mundana* quando ad *ſatisfaciendum libidini oculorum, cupiditati carnis, vitæq; faſtui conquiruntur.*

11. Neq; profectò malum hoc hîc ſubſtiturum eſt in ſanctarum putà Divinarúmq; meditationum neglectu, utiliúmq; aut generoſarum inveſtigationum Veritatis; ſed unuſquiſq; cùm inflatus ſit elatúſq; opinione ac ſenſu proprii ſui Loci ac Dignitatis (præſertim is cujus Dominatio adeò immenſa eſt ut ſe prætendat univerſalem totius orbis Chriſtiani Epiſcopum, celſiorémq; omnibus Regibus Terræ) *furioſo* hoc *Ambitionis ſpiritu* eò propelletur ut non ſolùm neglecturus ſit, verùm etiam oppugnaturus quicquid *ſacrum ſanctúmve* ſit, ſi modò cuivis adverſetur excogitatæ methodo acquirendi opes Eccleſiæ, quò dominari omnes poſſint magnificéq; ſe gerere quiſq; in proprio ſuo officio & Dignitate.

Quamobrem, genuina Chriſtianæ Religionis ſimplicitas corrumpetur & adulterabitur, Legéſq; ac Articuli ab *Infallibili* hoc Sacerdotio excogitabuntur quæ Chriſti Legibus & immutabilibus ſolidæ Rationis Regulis apertè repugnant; Aures omnium hominum doloſis *Figmentis* lucroſiſq; *mendaciis* implebuntur, cujuſmodi multa jam exempla produximus; *Paſſionis* Chriſti *merita vilificabuntur* ac concidentur; *Veritas* & *Juſtitia* in exilium mittentur, afflictabuntur & opprimentur; *Vetus Novúmq;* Teſtamentum *muta mortuáq; litera* reddentur; quæ nullum in ſe habeant ſenſum aut informationem, ſed omnia *Dictata* immediatè depromentur ab Eccleſia quæ obſtinato conſilio ſtatuet nihil dictandum eſſe quod *Mundanis* ſuis commodis adverſetur; hoc eſt, *Duo Teſtes* occidentur corporáq; ipſorum in plateis jacebunt inanima; alioquin *habitantes in terra* (non qui *redempti ſunt è terra* ſuámq; converſationem habent in cœlis) tantoperè gaudere non poterunt aliíq; aliis munera mittere, hoc eſt, ſuffulcire ſe invicem ſuáſq; res operâ mutuâ promovere opéſq; mundanas hilariter inter ſe partire.

12. Manifeſtum eſt igitur hanc *Luciferianam* Politiam etiam ex ſua natura Regno Chriſti adverſaturam eſſe præcipuúmq; Evangelii Propoſitum in ſolidum fruſtraturam; quæ eſt Renovatio Mundi in *veram juſtitiam* ac *ſanctitatem.* Nam hiſce rebus etiam illi qui *Sal terræ* eſſe debent, omnium mortalium evadent maximè *inſulſi* atq; *putidi.* Siquidem cujuſq; judicium aut præſenti poſſeſſione aut impatienti tantarum támq; opimarum Promotionum expectatione erit corruptum. Quarum cùm tam multi ſint gradus, ambitioſorum animi nunquam acquieſcent donec ad ſummum quod poterunt pervenerint, ac proinde neceſſariò mundanis machinationibus illaqueabuntur occupabuntúrq; quàm diu vixerint; ídq; magna ſanè cum vehementia ac ſolicitudine, quippe quibus objecta tam magna videntur, & tam rutilanti ſpecie ac fulgore ipſorum imaginationem feriunt. Cúmq; Ambitio Pompæq; affectatio per omnes Ordines, ipſos nummorum indigos reddat, nullus inferior Candidatus ſuperiores Poteſtates fruſtrà conabitur corrumpere, & unuſquiſq; maturè quamplurimum poteſt Eccleſiaſticarum promotionum acquiret, ut eo pacto poſſit plures poſtea mercari aut lautiores.

Quamobrem aut Lege aut diſpenſando contra Legem licebit hominibus non ſolùm

lùm multa Beneficia ſed & Epiſcopatus, præter alias Dignitates Eccleſiaſticas tenere, quo fiet ut nullus Paſtor capax futurus ſit curandi proprium Gregem, ſed cùm paſcere ipſos ſalutari doctrinâ debeat, occaſionem è contrà dabit Diabolo ad peſſimum venenum infundendum quod in mentes humanas immitti poteſt; nempe, *Totam rem Religionis tantùm artem eſſe ditandi Sacerdotem.* Ità neceſſariò & inevitabiliter abſentiâ ſuâ ac ſilentio docebunt inculcabúntq; in populum ſuum, cui tanto ſunt offenſaculo, Atheiſmum & Infidelitatem. Etenim ſi Sal ipſe tam inſulſus factus fuerit, quid melius de illo ſperari poterit quod per eum debet ſaliri? Annon *Improbitas* ac *Irreligio* omnia inundabunt?

13. Ac nè multa; Omnium animi inflammabuntur ſuperbiâ & ambitione, cúmq; nullus Ambitioſus, ſine pecunia, voti compos fieri poſſit, Templum Dei, ut olim, *venundatoribus* implebitur & *licitatoribus*, Eccleſiáq; merum *Emporium Nundinúmve* evadet, & Politia Eccleſiaſtica, *Civitas Mercimoniorum*, ac particularis quæq; Eccleſia *Navigium Mercatorium* in media hujus mundi populoſitate ſitum, quam ſtylus Propheticus *aquarum multitudini* aſſimilat.

Verùm diutiùs hâc chordâ non oberrabo. Satìs plenam jam delineavi deſcriptionem ejuſmodi Conſtitutionis rerum in Eccleſia quæ inſeminationem incrementúmq; *Divinæ vitæ*, modò maximè univerſali oppugnaret & fruſtraretur, unde manifeſtò liquet eam admodum fore *Antichriſtianam.*

CAP. VIII.

1. *Iſtiuſmodi rerum conſtitutionem quæ naturaliter tendat ad extinguendam* Fidem, *ſummè eſſe* Antichriſtianam. 2. Mundanam vivendi Rationem *in* Ductoribus ſpiritualibus *unam partem eſſe hujus Conſtitutionis*; 3. Suíq; quærentem Aſtum *in omnibus Doctrinis & Conſuetudinibus hujus Eccleſiæ, alteram.* 4. *Tertiò*, Incertitudinis & obſcuritatis *in* Fide Chriſtiana *profeſſionem.* 5. *Quartò*, Neceſſitatem, *ut quis ſit in Eccleſia ubi nulla ſit* Interruptio *propter* illegitimam Ordinationem. 6. *Quintò*, *Perſuaſionem hominum, quòd* Diſſenſus in ulla una re certitudinem tolleret omnium. 7,----12. *Sextò*, Miracula mendacia. 13----16. *Septimò*, *Immenſum Incredibilium Reliquiarum Cumulum.* 17. *Octavò*, Tranſubſtantiationem. 18. *Quàm naturaliter illa* Atheiſmum *introducat.* 19. *Quàm compreſſus ſit impoſſibilitatum faſciculus.* 20. *Venditatam Eccleſiæ* Infallibilitatem *leviorem eſſe quàm ut ipſi contraponderet.* 21. *Nec credibilem reddi poſſe Fictorum miraculorum obtentu.* 22. *Multos Characteres eorum qui è ſancta Civitate excluduntur præſenti hoc Antichriſtianiſmi membro contineri.*

1. PErgemus nunc ad principales illas partes *Divinæ vitæ*, *Radicem* ſcilicet illius ac *Ramulos*, ubi obſervatu obvium eſt, Quod *Radicem* enecat, quo tota Arbor neceſſariò emarceſcat, non poſſe non eſſe ſummo gradu *Antichriſtianum.* Quamobrem ſi iſtiuſmodi rerum in Eccleſia adminiſtrationem deſcripſero, quæ naturaliter tendat ad extinguendam *Fidem*, quæ neceſſaria aliarum *Divinarum Gratiarum* eſt *Radix*, nemo dubitabit quin eximium quoddam *Antichriſtianiſmi* membrum delineaverim.

2. Cujus quidem primus Articulus is eſt quem proximè omnium attigi, ejuſmodi ſcilicet *Regiminis* Conſtitutio, eminentéſq; *Dignitates*, quæ Eccleſiam in lapſum urgerent, in mundúmq; eam immergerent, eóq; pacto illos, quos *ſalem Terræ* eſſe oporteret, maſſam putidulam efficerent, ſecularis, vappidi inſipidíq; ſpiritûs, nihil quod ad Regnum Dei attineat, ſapientis, ſed emolumentis ac Promotionibus hujus præſentis vitæ in integrum occupati. Tam propè enim hoc modo ad *Infidelium* ſpeciem accederent, ut eorum *Fidem* vacillare facerent qui ipſis ſint ſubjecti, efficeréntq; ut cogitent nihil expectandum eſſe poſt hanc vitam, quippe quum Ductores ipſorum ac Gubernatores tam ad amuſſim vivant juxta illam Hypotheſin, *Quòd nihil utiq; poſt hanc vitam ſit expectandum.*

3. Secundò, Exquiſita Ratio ordinis ac Politiæ in Eccleſiaſtici ſui Imperii rebus adminiſtrandis, ſi omnem artem ac induſtriam ſecularium Principum excederet, omnéſq; Doctrinæ & Officia quæ urgentur maximè, maximéq; in uſu praxíve occurrant, ejuſmodi eſſent naturæ quæ planè ad Honorem, Potentiam ac Utilitatem Sacerdotis

cerdotis tendant: hoc, inquam, multum contribueret ad efficiendos omnes homines *Infideles*, vel ut nulli rei fidem habeant, præterquam quòd ſumma Religionis noſtræ nihil ſit aliud quàm ſcita Inventio tot fictitiarum Hiſtoriolarum, Doctrinarum, Præceptorum, Ceremoniarúmq; quæ Conſcientiis hominum illaqueandis inſervirent, mundúmq; redderent Imperio magis morigerum; ſed ità interim à Sacerdotibus formata, quomodo maximè faceret ad mundana *ſua* commoda promovenda. Et ejuſmodi profectò jam indigitavimus Dogmata eſſe & Doctrinas hujus Eccleſiæ, exponendo perpetuò *Fraudes Suiq*; *quæſitiones* omnium Errorum ipſorum malarúmq; Conſuetudinum; neq; opus eſt hîc eadem denuo repetere.

4. Tertiò, Hoc etiam *Chriſtianam Fidem* oppugnaret, Talem utiq; illius naturam ſtatuere, quæ ſemper debeat eſſe incerta. Quæ res profectò quò tendat neſcio, niſi ad detinendas hominum *animas* (quod doloſi quidam Medici ac Chirurgi in *corporibus* faciunt) in conditione infirma ac valetudinaria, ut frequentiùs ad ipſos recurrant arctiúſq; ab eis dependeant; vel fortean ob hanc cauſam quòd quædam Religioni neceſſariò credenda immiſcuerint quæ impoſſibile eſt ut quiſquam niſi planè Fatuus ſit, firmiter credat. Atq; hinc *veri ſolidiq*; Chriſtianitatis *Articuli*, tales nimirum, qui ſufficientem habeant evidentiam ad humanam Rationem convincendam, reputandi ſunt obſcuri & incerti ob id ſolùm, quòd in craſſarum *Falſitatum* vel Incertitudinum ſocietate reperiantur, quæ tamen jus ſibi vendicant ut æquè firmiter credantur atq; maximè perſpicuæ & manifeſtæ veritates.

Et præterea, minimè mirum eſt iſtiuſmodi Eccleſiam, quæ quicquid ſit certitudinis in *Fide*, ſuper propriam ſuam *Infallibilitatem* illud ſtabiliat, ac ſi illud eſſet reverà Fundamentum illius, & opinionem & profeſſionem incertitudinis Fidei in Alumnos ſuos eſſe derivaturam, quippe qui Fundamentum ſolidius non habent quàm quod nos apertè demonſtravimus cavum eſſe, fatiſcens ac infirmum.

Sola verò quæ hîc ipſis reſtet hæc techna eſt ac perfugium, nempe ut ſuam *Infallibilitatem* Fundamentum Fidei faciant, cùm res quas ad credendum proponunt nullam habeant aut è *Scriptura* aut è *propria ſua natura* commendationem, quâ quis eas amplectatur. Ac proinde cùm ex ipſorum rationibus res adeò demum incertæ ſint, eos profectò oportet, loco firmæ ſolidæq; Fidei, dubiâ incertáq; eſſe contentos. Quæ tamen reverà *Fidei Chriſtianæ* extinctio eſt, vertiginoſæq; fluctuationis animi in ejus locum ſubſtitutio.

5. Quartò, Illa etiam Doctrina ad labefactionem *Fidei* tendit quæ ſupponit ſine legitima Succeſſione Epiſcoporum ac Sacerdotum nullam eſſe poſſe veram Eccleſiam, nec proinde ullam veram *Fidem*; Succeſſionem autem hanc interrumpi poſſe illegitimâ ordinatione & conſecratione Sacerdotis vel Epiſcopi, ſi Perſonæ utiq; ordinatæ vel conſecratæ *Athei* ſint aut *Judæi*, aut ordinatæ ſint ab iis qui tales ſunt, aut, præ malitia, id quod intendere debent in *Sacramento Ordinationis*, quod quidem vocant, non intendunt. Quæ profectò opinio eſſet, quæ omnes mortales, *Scepticos* de ſuo ſtatu quantùm ad Religionem reddere poſſet, verùm Poſitio eſt quæ interno Senſui ac Rationi manifeſtò adverſatur. Quaſi verò quis in propria ſua conſcientia, utrùm ſacræ Scripturæ veritatibus fidem habeat necne, perſentiſcere non poſſet, niſi priùs certus ſit ſe membrum eſſe ejuſmodi Eccleſiæ quæ legitimam Sacerdotii ſucceſſionem non-interruptam habuerit ab Apoſtolorum temporibus uſq; ad ſua. Cùm tamen nihil magis intimum immediatúmve homini eſſe poſſit quàm ſenſus ſuus internus, quem penès nullam Artem ſophiſticam eſt, unquam confutare.

6. Quamobrem tametſi hæc Poſitio ſatis malignè collineet adversùs *Fidei* certitudinem, *Noxa* tamen quam inferre poſſit hominibus conſideratis admodum levis eſt ac exigua, nec multùm diſſimilis eſt perverſæ illi ſuppoſitioni de neceſſitate *unitatis opinionum*; ac ſi illæ Eccleſiæ quæ in ulla re differant, de re nulla certæ eſſe poſſint. Præclara profectò Hypotheſis ſi vera eſſet, taliſq; quæ cum effectu utilitatem *infallibilis Judicis* Controverſiarum commendaret, modò prece aut pretio poſſit obtineri, per quem Eccleſiæ partes tanquam ſubſcudibus ferreis perquam arctè queant compingi.

Nulla verò omninò vis eſt in hoc Theoremate; quod vel ſuâ ſponte in pulverem non diffluat, ſi conſideremus nullis aliis conditionibus illud ſtabiliri poſſe quàm quæ omnem Rationem Religionémq; per univerſum terrarum orbem ſupplantarent, cùm totus Mundus judiciis ſuis ac Concluſionibus circa utramq; dividatur. Unde manifeſtum eſt Aggreſſionem, quantumvis imbecillem, eò tendere, ut univerſalem *ſcepticiſmum* in rebus omnibus introducat. Quo diluvio Chriſtiana etiam *Fides* ſubmergeretur & cum reliquis omnibus veritatibus periret, cùm nulla Arca reliqua eſſet quò confugerent ut incolumes conſerventur ab æſtu abſorptúq; fluctuum hujus reciprocantis Euripi.

7. Verùm

7. Verùm ſextò, Inſiſtemus jam in eo quod non ſolùm malignè intenditur, ſed & ſucceſſum habere neceſſe eſt in ingenerando animis hominum Atheiſmo ac Infidelitate. Eſt autem mendacibus miraculis animarum ipſorum ſaturatio, ludificatióq; per impoſturas technáſq; præſtigioſas; *Pias fraudes*, alióve quocunq; elegantulo nomine, quo volent, appellaverint. *Falſitate* enim ſemel detectâ in tali Eccleſia quæ ſibi credi poſtulat propter propriam ſuam *Autoritatem* & *Infallibilitatem* potiùs quàm propter credibilitatem earum rerum quas proponit; ſiquando, inquam, deprehenſa erit adulterâſſe, doloſéve finxiſſe quicquam in ullis rebus, præſertim in eis quæ ad proprium tendant commodum, quî fieri poteſt ut non indè quatiatur vel potiùs labefactetur univerſa *Fidei* Fabrica ab imis uſq; Fundamentis? Quàm ruinoſam igitur neceſſe eſt *Fidem* Chriſtianam eſſe, ubi iſtiuſmodi mendacia ac Figmenta crebrò occurrunt, ac ferè æquè crebrò ab hominibus naſutioribus deteguntur. Proculdubio *Atheiſmus* & *Infidelitas* neceſſariò in hujuſmodi Eccleſiam irrupturi ſunt, velut Mare diſciſſis Aggeribus.

8. Qua in re ut clariùs intelligar, brevia aliquot exempla horum enormium *Figmentorum* producam. Ut v. g. ſi eâ eſſent impudentiâ ut populo affirmarent certum quendam *Sanctum* poſtquam caput ipſi amputatum eſſet, illud manu tenentem per quatuor vel quinq; milliaria ambulâſſe, interquieſcendo tantummodo ad terminum cujuſq; milliaris ut per apertam gulam reſpiraret. Alium verò *Sanctum* mensâ hoſpitali exceptum per vitæ vaccæ vitulíq; diſpendium, utriſq; poſtmodum vitam reddidiſſe ambóſq; die proximo in Paſcuis domini ſui repertos fuiſſe. Diabolum ab alio *Sancto* ponè Altare viſum eſſe, in pergamenam peccata hominum diligentiſſimè deſcribentem, cùm verò nimis anguſta eſſet, eam dentibus extendiſſe; membranâ verò, ut erat lubrica, morſu dentium elapsâ, Caput ſuum parieti alliſiſſe. Fœminam quandam *Sanctam* à Dracone deglutitam, Cruce ſe ſignando in ventre Draconis eum fruſtulatim diſrupiſſe, atq; ſeipſam ſic liberâſſe. Epiſcopum propriam manum ſibi abſcidiſſe ut quam pollutam putabat ex deoſculatione nimiùm affectuoſæ fœminæ, ſubitò verò agglutinatam fuiſſe ſanatámq; precibus ad *Beatam Virginem* effuſis. Conſimile contigiſſe etiam alteri *Sancto* cujus ad genu abſciſſa erant crura; Capitíq; tertii, quod cùm amputatum eſſet, exiliiſſe ſtatim ſuper cervicem, denuóq; concreviſſe, ſecundâ verò vice amputatum lapſu ſuo Fonti originem dediſſe. Et poſtremò alteram fœminam *Sanctam* cùm funibus ad necem traheretur, ſignando ſe Cruce Virginémq; *Mariam* invocando eo robore donatam fuiſſe, ut integra Boum quadriga eam ad ſupplicii locum trahere non valeret.

9. Nec tamen adhuc finivimus; Illud etiam delicatulum de quibuſdam *Sanctis* foret Figmentum, eos nimirum *perſonaliter* cum Virgine *Maria* verſatos fuiſſe, eámq; ipſis adeò benignam fuiſſe ac beneficam, ut lac è mammillis in os ipſis immitteret ad ineffabile ſuum ſolatium dum ægrè in lecto decumbebant. Illud porrò valde ſplendidum miraculum eſſet omníq; fide majus, domum ſcilicet quandam ſacram Virginis è *Palæſtina* in *Italiam* manu inviſibili per aërem fuiſſe tranſportatam. Dignam ſcilicet hi autumant hanc Dei Angelis provinciam ut lapidum lignorúmq; ſtrui removendæ operam darent. Ut *Crucifixum* etiam per idem elementum noctu ad quinquaginta milliaria itineraretur, bellum figmentum eſſet ad exornandam Fidem Fatuorum. Crucifixorum etiam voces ac loquelæ nonnihil contribuerent ad explendum numerum harum Fabularum ac Deluſionum.

10. Cui miraculoſæ loquacitati addere potes ſilentiores Inſomniorum fictiones, Matrimoniorum contractus Chriſtum inter fœminaſq; aliquas Sanctas; rationem efficiendi, Imagines ut oculos revolvant, lacrymentur atq; ſudent; ſcenas Hiſtrionicas ex pacto inter ſimulatum *Dæmoniacum* & *Exorciſtam*; Fictitias Hiſtoriolas ad arguendam mirificam *Miſſæ* virtutem magnámq; ejus ſanctitatem; cujuſmodi ſunt, Prima in quæ Infans eruperit verba fuiſſe, Ad *Miſſam*, ad *Miſſam*. Abſentes eam aluiſſe dum viginti dierum jejunio operam dabant, & Captivorum cruribus catenas miraculosè excuſſiſſe. Ad ſingulos nummulorum tinnitus intra malluvium in offertorio, Animam exilire è Purgatorio. Hoſtiam à quodam non jejuno ſumptam eum in formam mutâſſe Equi vel Porci, &c.

Scita etiam adinveniri poſſint commenta ad magnificandam ſanctitatem *Sacerdotis*, fingendo iſtiuſmodi res quæ ab illius corpore deſumantur, virtutem habere fugandi Diabolum, veluti ſi ſic res gereretur ut Diabolus magis impatiens appareret dum Sacerdotis chirotheca, caliga, cingulum, vel camiſia cuivis parti dæmone correpti poſſeſſíve admovetur: quod hîc fieri poteſt ex pacto, perinde ac in conciliando hujuſmodi virtutum opinionem Sancti cujuſpiam *Imagini* vel *Reliquiis*. Verùm quàm ſtupendum in modum beatum ſanctúmq; neceſſe eſt eum Sacerdotem apparere, qui

perſuadere populo poſſit, ſe ab ipſa beata *Trinitate* poſſideri corripíve? Et quàm ſacram par eſt eam fœmellam *Sanctam* cenſeri quam inter atq; Chriſtum tam intima intercedebat affectio & neceſſitudo, ut alter alterius invicem corda gererent; Chriſti corde in ipſius corpus, ipſiúſq; corde viciſſim in Chriſti corpus tranſmiſſo?

11. *Simulatæ* etiam *Apparitiones* ac fraudulentæ, compendioſiſſima via eſſet ad abſcindendam omnem *fidem*, quòd ullæ unquam veræ extiterint. Ac proinde admodum *Antichriſtianum* improbitatis ſpecimen eſſet ut Sacerdos quiſpiam hujuſmodi technis ac præſtigiis, ſub quocunq; pio prætextu uteretur. Ut ſi Hiſtrionicas veſtes indutus partes ageret *Angeli* Beatæve *Virginis* de *cælo* cum ſplendore deſcendentis, ſpiritúſve alicujus à partibus *Infernalibus* diro vultu atq; pallido, manibúſq; frigidis ac luteis, atq; ſic perſonatus incertos dubióſq; animi inviſeret, aut ad confirmandos eos in ea Religione quam amplexi jam ſint, aut ad illam commendandam Religonem ad quam eos pertrahere ſatagant. Cujus generis alterum exemplum foret diſpalantium in Cœmeterio luminum adinventio, cereos figendo in Cancrorum dorſis ut ſic credi poſſint inquietæ defunctorum eſſe animæ, quæ in Purgatorio torqueantur, & refrigerium è pii populi precibus & oblationibus quærant.

12. Quibus addere potes deſcriptionem *Purgatorii* immane quantùm Poëticam ac fabuloſam [cujuſmodi eſt Animarum ante focum aſſatio, earundémq; carnis ab oſſibus ignitis forcipibus diſcerptio; Frixatio itidem in ſartaginibus & in flammantem picem ſulphúrq; ac liquefacta metalla immerſio; Immanium Serpentum venenatis dentibus admorſio; In equos nigellos transformatio, & colliquefactorum nummulorum in Manium guttura effuſio, eorundémq; mox per vim factam revomitio ut in guttura denuò ab officioſis his Dæmonibus imfundantur; cum multis aliis hujuſmodi incredibilibus excruciandi modis, à quibus nulla ſtatuitur redemptio niſi per Indulgentias, *Miſſas*, Oblationes & ſimilia, hoc eſt, niſi aliquod mundanum commodum indè redundet Eccleſiæ] Certè hujuſmodi deſcriptio *Purgatorii* locíve tertii incredulitatem ingeneratura eſſet circa omnes tres locos, effecturáq; ut homines nec *Cælum* fore nec *Infernum* poſt hanc vitam credant, ſed omnia Figmenta eſſe in utilitatem Sacerdotis excogitata: præſertim, prout ſuprà inſinuavi, cùm hæc ab ea Eccleſia tradantur, quæ propriam ſuam exiſtimationem & autoritatem præcipuum, ſi non unicum, *Fidei* fulcrum facit.

13. Sed enim & ſeptimam viam deſcribam, quæ miram vim habet ad Chriſtianam *Fidem* extinguendam apud homines: Eſtq; immenſus incredibilium *Reliquiarum* cumulus, quæ hominum fidei poſſint obtrudi. Quarum religioſa aſpectatio cùm lucrum quotidianum afferret Eccleſiæ, manifeſta foret demonſtratio nulli ipſis eſſe religioni quidvis ementiri quod in proprium cedat commodum: Quod ſi craſsè apertéq; hîc faciant, quî fieri poteſt ut in aliis Religionis rebus omnibus fidem non labefactent?

Hoc verò faciliùs intelligetur per exempla; Ut ſi, verbi causâ, ipſum *Fœnum* ſe prætenderent oſtendere poſſe quod in præſepi erat ubi Servator jacebat, pluréſq; unâ *caudâ* illius *Aſini* quo vectus eſt *Hieroſolymam* cùm Triumphum ageret; *Lapides* etiam quibus occiſus eſt *Stephanus*, perinde ac *Sagittas* quibus *Sebaſtianus* eſt transfixus; Si Virginis *Mariæ ſupparum* cum *Sandaliis Joſephi* ejúſq; ſubligaculis; item fruſtula quædam quinq; panum hordeaceorum & duorum piſciculorum quibus Chriſtus quinq; hominum millia cibavit in deſerto; partémq; *Sanguinis* atq; *Aquæ* qui ex Latere ejus in *Paſſione* effluxerunt; ut & ipſius *Soli partem* ſuper quam ſtetit Chriſtus quando in cœlum erat aſcenſurus; *Crines* ſanguinémq; *Johannis Baptiſtæ*, & Cilicium quo veſtiebatur; *Menſam* ſuper quam Chriſtus ultimam cœnam celebrabat, ipſúmq; *ſedile* in quo ſedit, & linteolum quo diſcipulis abſterſit pedes.

14. *Picturam* Chriſti *Dei digito* in pariete depictam, alterámq; à *Nicodemo* dum à *Judæis* cædebatur delineatam. Etiam *Præputium* Chriſti, funiculúmq; umbilicalem, & *Chorion* quo in matrice involvebatur, *Muccinium* porrò Chriſti & *Camiſiam* quam Beata Virgo ei confecit, ut & Cunabulum inſuper quo agitabatur.

15. Præterea, *Mariæ* Virginis *Theriſtrum* quo ſolita eſt caput ſibi cooperire, Pecten, Capillos, Zonam, Acus, Linúmq; conſutorium & quaſillum, immò ipſam Domum in qua habitabat, penſáq; abſolvebat, tranſportatam (quod ſuprà dixi) ex *Paleſtina* in *Italiam* per manus Angelorum; *Calamum* quo *Jeſum* percuſſerunt; *Funem* quo eum traxerunt ad necem; ipſámq; *Spongiam* quâ *Judæi* ipſi porrexerunt acetum cum felle mixtum ad bibendum; & *nummos* aliquot pro quibus *Judas* eum prodidit; immò ipſam *laternam* quâ is uſus eſt in hoc opere tenebrarum; *Teſſeráſq;* quas ſuper tunicam inconſutilem jecerunt milites, quis eam tolleret: Præter hæc, purum Chriſti Sanguinem matríſq; Mariæ Lac vitris conſervatos.

Columnam etiam ad quam Chriſtus virgis cæſus eſt, *ſcalarúmq;* *gradus* quibus in Prætorium aſcendit, & *Spinarum* aliquot quibus eſt coronatus; *Imaginem Mariæ* Virginis

Virginis à S. *Luca* deſcriptam, cui Angelica quædam è marmore ſtatua ſæpe viſa eſt ſe incurvare; Vivi-mortui *Crucifixi* unguium præſegmina, picturámq; Chriſti vivam à ſe ipſo in admotum ſudanti faciei linteolum impreſſam.

16. Quid dicturi eſſent homines de credibilitate trium magnarum tonnarum *dentium* è mandibulis unius *Sanctæ* extractarum? de ipſo Pugione in medium prolato Clypeóq; quibus armatus S. *Michael* cum Diabolo pugnavit? Et de *penna*, quæ fortean tunc temporis ex alâ Angeli exciderit? Quid de *Cranio Sancti* in uno loco, *Crinibus* in altero, *Maxilla* in tertio, *Sincipite* in quarto, & *toto* tamen *Capite* in quinto oſtenſis? Quid de Præputio Chriſti in quinq; diverſis locis ſimul exhibito? de *Clavis* aliquot duodenis quibus Chriſtus cruci ſit affixus? Quid de tot *Crucis fragminibus* ut plauſtrum ea vix caperet veherétve? déq; tot vitris Lacte Virginis repletis, ut vaſa omnia in cujuſvis Ruſticæ Lactario implerent? Quomodo igitur fieri poteſt quin hujuſmodi tam craſſæ Impoſturæ omnem exiſtimationem *fidémq;* Sacerdotis labiis abſtergant, totúmq; mundum conjiciant in deploratiſſimum *Atheiſmum* & *Infidelitatem?*

17. Verùm poſtremò, Incredibilium omnium maximè incredibile omniúmq; Impoſſibilium maximè impoſſibile eſſet venditatum illud *Tranſubſtantiationis* Myſterium, quod ſi urgeretur pari neceſſitate veritatíſq; certitudine atq; ulla res urgetur ab *Antichriſtiana* hac Eccleſia quam deſcribo, maximè fatalem profectò cladem *Fidei* Chriſtianæ inferret quam ulla omninò res quæ fingi queat, poſſit inferre. Supponendo enim hunc maximè Fundamentalem Articulum ſymboli ipſorum, vel ſi malles maximi omnium apud ipſos pretii, maximéq; ſeriò inculcatum Fundamentum, ipſúmq; Cardinem univerſæ ferè publicæ Devotionis ipſorum Diviniq; Cultûs, certè ſi hoc fatiſcat diſſiliátve, neceſſe eſt ut omnia in terram corruant. Nam ſi Eccleſia deprehenſa fuerit in re tanti quanti hæc eſt, tam turpiter falſa, continuò conſequetur ei in poſterum fidem habitum iri in nulla.

Quamobrem quantùm ad eos, quorum *Fides* aut ex toto aut maxima ex parte, apparenti magnitudine Autoritatis hujus Eccleſiæ ſit ſuffulta, hâc concidente ex facili detectione tam craſſi *Falſimonii* (quod illa tamen vehementiſſimè maximéq; ſeriò affirmat eſſe *verum*) hujuſmodi hominum quorumcunq; *Fides* neceſſariò concidet, niſi per aliquam ſpecialem gratiam *Divinam* ipſorum converſationi cum Perſonis ſcriptíſve aliquorum ſaniorum Chriſtianorum, in quos fortè fortunà in vaſta hac quâ vagantur ſolitudine, incidere poſſint, ſe adjungentem, à tam periculoſo, quo ſtant præcipitio, retrahantur, nè lapſu cautibus ſe illidant, aut in cœnum ſe immergant *Atheiſmi* & *Infidelitatis*.

18. Nam proculdubio ſi nullo alio ſuffulciantur adminiculo præterquam hâc Pſeudochriſtianâ ſynagogâ, quanquam externis quidem ejus comminationibus à profitendo ſuam *Infidelitatem* abſterreri poſſint, impoſſibile tamen erit ut tacitum illius incrementum in propriis ſuis animabus ſufflaminent, nec naturaliter faſtidiant, omnéq; ſincerum Religioni renuncient commercium, eámq; tanquam mendaciorum farraginem nauſeabundi averſentur.

Quamobrem impoſſibile eſt quin hic Impoſtorum cœtus & Præſtigiatorum (quos quàm vivis poſſum coloribus depictum eo) multitudinibus adultorum obduratorúmq; Atheorum ſcatear. Etenim *Impoſtura* de qua agimus cùm tam inſignis ſit, detectióq; tam facilis & obvia, quî fieri poteſt ut à quamplurimis etiam hominibus non detegatur?

Summa enim rei huc omninò redit. Utrùm probabilius ſit ut Eccleſia in propriùm ſuum commodum (quod eam ubiq; avidè acritérq; proſequi video) ſciens prudénſq; mihi imponat aut ſaltem ſuo vacillet judicio (pro cujus *Infallibilitate* nullum argumentum habeo præter propriam ipſius gloriationem, cùm interim è re ipſius ſit ità gloriari) ſumma, inquam, rei huc omninò redit, utrùm probabilius ſit ut illa fraudes adhibeat aut præ cæca quadam Superſtitione incidat in Errorem, an verò ut Sacerdos facultatem habeat, *quinq; verba* proferendo, mutandi *Panis fruſtulum* in *Hominem*, *pane* interim ad omnes noſtros ſenſus *pane* perinde permanente atq; priùs. Quod duplex ſanè miraculum eſt majúſq; quàm unquam adhuc extitit (quamvis eatenus tantùm conſideretur) & ferè par profectò miraculum, ut quiſquam illi habeat fidem.

19. Verùm majora adhuc reſtant, non dicam *Miracula* ſed apertæ *Impoſſibilitates*. Ut primò, Quòd hic panis mutetur non quidem in hominem qui erat futurus, ſed qui jam exiſtebat; quæ abſurdiſſima Repugnantia eſt quæ humano Intellectui offerri poſſit ad contemplandum. Et tamen in ſecundo porrò loco, Panis ità in hominem mutatur, nempe in hominem Chriſtum, ut totus ſit in quocunq; loco panis

conſecratus eſſe appareat, hoc eſt, in multis locorum millibus idq; ad admodum laxa Intervalla ſimul. Quæ perfectiſſima eſt contradictio quæ poteſt proponi, ut unum nempe idémq; corpus totum à ſeipſo diſtet. Qui poteſt enim unum eſſe cùm ſit ad hunc modum à ſeipſo diviſum, ſiquidem *Unitas* conſiſtit in *Indiviſione?* Et *Suiipſius-unitas*, proculdubio eſt *Suiipſius-indiviſio.* Ac proinde ſi unum *ſeipſum Oxonii* alterúmq; *ſeipſum Cantabrigiæ* eodem tempore eſſe ſupponamus, impoſſibile eſt ut ſit una eadémq; Perſona, cùm diſtantia ac diviſio eas duas diſtinctas eſſe perſonas planè demonſtret. Et tertiò denique, à falſa hac ſuppoſitione, Quòd *unum idémq; corpus eſſe poſſit in diverſis locis ſimul*, conſequetur continuò quòd una eadémq; Perſona Corpúſve totum eſſe poteſt & intra ſe & extra ſe, totum infra ſe totúmq; ſupra ſe, à ſui dextra totum totúmq; à ſiniſtra. Quòd *unum* eſſe poteſt corpus & tamen *multa* ſimul, vel potiùs non *corpus* ſed *ſpiritus*, aut ut veriùs dicam, *Nihil.* Quòd una eadémq; perſona ſibi obviàm ire poteſt blandéq; ſeipſum in occurſu ſalutare, moveri & quieſcere in eodem tempore, exporrecta humi procumbere & ambulare, multis milliaribus ab amico abeſſe, præſénſq; cum illo eſſe ſimul; Nunc in cœlo eſſe, mox in terra, nec per intermedias Regiones pertranſire; cum multis aliis hujuſmodi *Abſurditatibus*, quas cùm ſuprà notaverim ſupervacaneum eſſet eis diutiùs hîc immorari.

20. Satis jam manifeſtum eſt *Tranſubſtantiationem* ſive Panis commutationem in ipſum corpus Chriſti, tam multis onuſtam eſſe & tam manifeſtis *Impoſſibilitatibus*, faciléq; deprehenſibilibus, ut venditata Impoſſibilitas, Eccleſiam aut errare præ ignorantia aut datâ operâ hominibus in proprium ſuum lucrum imponere, nullum momentum habere poſſit ad lancem in ſuam gratiam deprimendam, verùm tam inſuperabilis erit vis harum manifeſtarum conſpicuarúmq; Repugnantiarum hujus adeò audentur obtruſi Articuli Eccleſiæ, Tranſubſtantiationem intelligo, ut pondus ejus naturaliter immerſurum ſit omnes ejus filios, qui vel paululùm de ea cogitaverint (ſi nihil ſuâ Eccleſiâ præſtabilius eis occurrat & ſuffulciat) in horrendum *Infidelitatis* puteum primò, poſteáq; in *Infernum.*

21. Neq; enim incruſtari poſſunt hujuſmodi *Impoſſibilitates* (quæ tales utiq; deprehenduntur ex univerſalibus immutabilibúſq; *Rationis* legibus) *fictitiis* miraculis, ad conciliandam ipſis fidem; ut ſi, exempli cauſâ, iſtiuſmodi Hiſtoriolas comminiſcerentur, *Sacramentum* ſcilicet pugione transfoſſum ſanguinem emiſiſſe; *Panem* ut putabatur, ex ore *communicantis* deſumptum, carnem in digitis Sacerdotis repertum eſſe; Hoſtiam multas ſanguinis guttas in *Corporale* ſtillâſſe, dum in manus Sacerdotis accipiebatur; Eam è manibus ejus evolâſſe, circumcircà in Eccleſia guttas ſtillantem ſanguinis in pavimentum marmoreum toto ſuo volatu; Peramabilem Puerum in pane conſecrato aliquando apparuiſſe, & ſimilia. Hæ enim Hiſtoriæ veritatem rei illius neutiquam evincere poſſent, quæ planè impoſſibile eſt ut ſit vera, ſed falſitas ipſarum potiùs argueretur ex fine in quem ſint productæ. Nam ſolenne eſt mendacibus, *mendacia mendaciis contegere*, nè perpluant.

22. Atq; nunc ſpero me tam plenè, accuratéq; hoc particulare *Antichriſtianiſmi* membrum deſcripſiſſe, quod *Radici* Divinæ vitæ, *Fidei* nimirum, opponitur, ut nihil putari poſſit deeſſe perfectioni iſtiuſmodi *Contrarietatis*, nec quiſquam dubitare, quin illa Eccleſia quæ ad hunc modum deſcripta ſit, una ſit reverà eadémq; cum iſta quæ è nova *Hieroſolyma* excluditur, ut quæ ab ejus Incolarum moribus tantoperè abhorret.

Cap. 21. & Cap. 22. A tali enim rerum conſtitutione qualem in hoc *Antichriſtianiſmi* membro delineavi, apertè ſequetur profeſſos filios hujus falſæ Eccleſiæ (ut illi ſunt in Apocalypſi) δειλοὶ ſore, ἄπιστοι καὶ ἀνόσιοι, & τοὺς πεπλανημένους καὶ φιλοψεύστας ἀνθρώπους· hoc eſt, neceſſe eſt aut ut homines ſint quorum animi *ſuperſtitioſis fabulis meticuloſi facti ſint*, qui ſunt illi δειλοὶ *timidi*, & οἱ φιλοψεύστες ἀνθρώποι, tales qui *mendacibus fabulis* aures ſibi deliniri ament, rebúſq; vanis atq; falſis fidem habeant ex vecordia ac imbecillitate animi, brutáq; quadam ſimplicitate; aut certè ut ſint ἄπιστοι, *Increduli*, atq; *Athei*, quanquam externo quodam modo, propriæ pacis cauſâ, ſe Eccleſiæ ſuæ placitis ſubmittunt; aut deniq; ut ſint ἀνόσιοι, vel οἱ πεπλανημένοι ἀνθρώποι, *mendaces* vel qui mendacia fingunt, operámq; decipiendo dant populo per multifarias Falſimonias ac Impoſturas. Qui cùm characteres ſint illius Eccleſiæ quæ *ſanctæ Civitati* opponitur, equidem nos, haſce res (quæ adeò ex diametro Chriſtianæ *Fidei* oppoſuntur ſupplantántq;) congerendo coagmentandóque, inſigne *Antichriſtianiſmi* membrum reverà deſcripſiſſe, ulterior eſt Indicatio.

CAP.

CAP. IX.

1. Humilitatem *proprium eſſe characterem Perſonæ ſpiritúſq; Chriſti.* 2. *Principatûs Eccleſiaſtici affectationem contrariam eſſe huic* Divinæ Gratiæ. 3. *Hujus Ambitionis pallium; Quòd viſibilis utiq; Eccleſia cùm una ſit, unum caput viſibile requirit, cum Reſponſo.* 4. *Plures rationes quibus probetur Eccleſiam nullo viſibili Capite indigere præter Chriſtum.* 5. *Unum hoc caput,* Chriſtum Jeſum, *unámq; legem* Apoſtolicam, *Eccleſiam efficere ſufficienter* unam. 6. *Nullum juſtum prætextum eſſe quo ullus Epiſcopus, ut Caput hoc univerſale conſtituatur, jus ſibi vendicet.* 7. *Ambitionem verò talem ipſi Titulum malis aliquibus Technis acquirere poſſe.* 8. *Univerſalis hujus Epiſcopi methodus Clerum ſibi mancipandi, ſupplantandiq; Seculares Poteſtates.* 9. Fraudes *ejus adversùs* Imperatorem *aliósq; Principes.* 10. *Ulterior* Fraudum *deſcriptio, Rapinæ, Superbiæq; hujus univerſalis* Paſtoris, *ejúſq; uſurpationis totius ferè Poteſtatis Imperii.*

1. PErgimus jam ad, quàm maximè vivam poſſumus, deſcriptionem oppugnationis primi Ramuli *Divinæ Vitæ* delineandam, *Humilitatis* ſcilicet. Qui cùm tam ſpecialis character ſit naturæ indoliſq; Spiritûs Chriſti, ſicq; à ſeipſo declaratus, cùm eſſet in terris (*diſcite à me quòd mitis ſum ac humilis corde*) id certè quod ipſi perfectè contrarium eſt, neceſſe eſt ut exquiſitè ſit in omne genus hominibus *Antichriſtianum*, præſertim verò in eis qui modo magis peculiari Succeſſores Chriſti Apoſtolorúmq; ſe eſſe venditant, quos ille olim de ſuperbia ac dominatione præmonuit & affectatione *Superioritatis*, ſcilicet, *Eos quibus videmus imperare gentibus dominari in eas, & qui magni ſunt inter eas, licentiâ in eas uti; verùm non ità erit inter vos*, &c. *Mat. 11. 29. Luc. 22. Marc. 10.*

Cujus præcepti meminit etiam *Petrus*, ſedulóq; id agit ut & aliis ipſum tranſmittat, ubi monet *Paſtores, ut Dei gregem paſcant qui penès ipſos ſit, illius inſpectioni vacantes, non coactè ſed libenter; non turpiter affectantes lucrum, ſed prompto animo, nec ut dominantes ovili ſed ut qui exempla ſint gregis.* Quàm contrarium igitur huic id foret, ſiquis ſe *ſupremum* ſimulans *Paſtorem* (quem alii etiam locis ſuis diſtinctis ac ſubordinatis pro ſuo modulo imitaturi eſſent) non ſolùm in Gregem dominaretur ſed in *Reges* & *Imperatores* Tyrannidem exerceret, & tanquam alter *Lucifer* ſe eodem cum Deo Chriſtóq; throno collocaret, vel potiùs ipſos throno exturbaret, ut ſolus ad ſuam voluntatem dominaretur, expreſſas Dei leges perſpicuéq; promulgatas pedibus conculcans? *1 Pet. 5. 2, 3.*

2. Intingamus igitur penicillum aliquantò profundiùs in Pigmentorum eorum aliqua quibus uſi ſumus in deſcriptione illius membri *Antichriſtianiſmi* quod *Divinam vitam* oppugnat in *genere*, pleniúſq; delineemus *Politiam* talem *Eccleſiaſticam*, quæ maximè luculentè *Luciferiana* apparitura ſit & *Antichriſtiana*, maximéq; ex diametro ſanctæ illi *Humilitati*, quam Chriſtus Succeſſoribus ſuis commendavit, oppoſita. Supponemus igitur ut antea, unum aliquem *Prælatum* qui præ cæteris longiùs emicuerit, omni opere eniti ut Titulum ac Autoritatem *Univerſalis Epiſcopi* obtineat. Quod tamen quicunq; fecerit, ipſe *Gregorius Magnus* declarat eum *Antichriſti* fore *Præcurſorem*; Præcurſorem illius *Regis ſuperbiæ* cui Sacerdotum præparatur exercitus. Quod argumento eſt etiam ex ſententia *Gregorii*, Antichriſtum non procreatum iri ex *Tribu Dan*, ſed ex *Tribu Levi*, quem porro ſupponemus allaboraturum quantùm poteſt acquirendo huic *Levitico* Imperio, promovendæq; per ſucceſſionem *Cathedræ* ſuæ *Epiſcopali*, ejuſmodi ferè rationibus quæ ſequuntur.

3. Primò, prætendet minimè conſentaneum eſſe ut Eccleſia Catholica viſibilis, cùm *una* ſit, ſub *uno viſibili Capite* non uniatur. Quæ tamen Ratiocinatio quamvis bellam ſpeciem primo aſpectu præ ſe ferat, tamen ſi penitiùs introſpiciatur ſtatim abibit in fumum. Non eſt enim niſi ſcita *Concinnitas* quæ in apertæ *Repugnantiæ* gratiam urgetur. Hujuſmodi enim unius hominis officii inſtitutio, quod nemo unus qui extiterit exequi poſſit, illud poſſibile eſſe ſupponit quod eſt planè impoſſibile. Unde manifeſtum eſt caput minus fore quàm pro corpore, quæ proinde ſpecies etiam erit perverſæ cujuſdam *Aſymmetriæ* & *Inconcinnitatis*. Nemo unus Mortalis caput idoneum eſſe poteſt illius Eccleſiæ quæ jus habet ut fiat Catholica, & per univerſum terrarum orbem ſe extendat. Nullum tale caput eſſe poteſt præter *Chriſtum*, qui

qui *merus homo* non eſt ſed *Deus* humanâ naturâ veſtitus, ac proinde cuiq; Eccleſiæ parti membríſq; ſingulis ad quantacunq; intervalla eſt præſens.

Verùm, univerſæ Eccleſiæ unum aliquem Epiſcopum præficere, eſſet planè ſupponere magnum illum animarum noſtrarum Epiſcopum ab illa abeſſe, qui tamen pollicitus eſt cum illa ſe fore uſq; ad conſummationem ſeculi, nec otioſus profectò ſpectator, ſed *Paſtor* diligens fidelíſq; *Gubernator* earum animarum quæ reverà in eum credant, ſincerámq; ipſi præſtent obedientiam.

4. Neq; Eccleſia certè Catholica in terris ſuam hoc pacto perdet *unitatem*. Eſt enim ſub uno communi Capite totius Eccleſiæ tam *triumphantis* quàm *militantis*, qui (ut objectionem propiùs perſtringamus) ſuæ Eccleſiæ *Caput* eſt *viſibile*, iis quidem omnibus qui ad Aulam ſuam Regiam appropinquant, in glorioſa illa *Metropoli* in Cœlis, ubi proculdubio conſpiciendus eſt Throno ſuo *Sapphirino* inſidens magna cum majeſtate & gloria, ubíq; veri illius ſubditi paulo temporis ſpacio eum aut ipſi videre poterunt, aut ſaltem cum eis verſari qui ad eum frequenter eunt redeúntque, eíq; coram adſtant & miniſtrant.

Et nemo, opinor, affirmabit amplum quodlibet *Imperium* caput idcirco *inviſibile* habere, quia ipſe *Imperator* Palatium ſuum in principali Imperii ſui provincia collocaverit, nec unquam intra quarundam Regni partium in conſpectum prodeat, ità ut multitudines hominum eum nunquam videant, ut qui nullam habuerint opportunitatem inviſendi illas partes ubi *Aula Imperatoris* ſita eſt. Cùm tamen *Jeſus Chriſtus* Eccleſiæ ſuæ caput ad bene longum tempus viſus ſit in terris, ut & conſpicuè hinc in ſublimiores Regni ſui Regiones proficiſci, atq; huc tandem præſtituto tempore *viſibiliter* rediturus ſit, ad rationem accipiendam à rerum ſuarum adminiſtratoribus in inferioribus hiſce ſuis Provinciis. Quamobrem Chriſtus *viſibilius Caput* eſt in ſuo amplo Imperio, quàm alius quivis Imperator in ſuo. Adeò evidens eſt, nihil opus eſſe ullo alio *viſibili* Capite Eccleſiæ *communi*, præter ipſum *Chriſtum*.

5. At enim hæc omnia minimè tamen obſtabunt quò minùs ambitioſus hic *Patriarcha*, quem ego deſcribo, operam det hominibus perſuadendis, valde conſentaneum eſſe ut ſit *unum aliquod caput viſibile Eccleſiæ univerſalis*, qui *Chriſto* ſuccederet, vel potiùs uni alicui, quem hic prætenderet Principem fuiſſe Apoſtolorum, illámq; ipſam ſedem Apoſtolicam eſſe ſuam, ac neceſſe eſſe propter Eccleſiæ *unitatem* & ad *conſopiendas omnes controverſias*, ut hujuſmodi ſit ſedes ; quanquam profectò hæc argumentatio cuilibet qui nullo laboret præjudicio, non poteſt non videri infirma atq; frivola. Etenim, utì jam inſinuavi, Eccleſia ſatis *una* ex eo futura eſt quòd ſub *uno* ſit *Capite Jeſu Chriſto*, *unáq;* *Lege* quæ Dei verbum eſt, quod ſuprà probavimus ſatìs perſpicuum eſſe in rebus omnibus ad vitam ſalutémq; neceſſariis. Quantùm verò ad alias res, ſive *Ceremoniæ* ſint ſeu *Opiniones*, Regni Chriſti *unitatem* non omninò infringunt, utpote quod verè perſpicuéq; illius Regnum futurum eſt quamdiu *Fidem Apoſtolicam* ſit profeſſurum, utantur interim quibus rituum differentiis libuerit, opinionibúſq; non neceſſariis quàm velint diſſentiant, modò cautum ſit nè *ritus* ulli *opinionéſve* reverà planéq; doctrinis *Apoſtolicis* adverſentur, quæ univerſales ſunt nunquámq; abrogandæ *Leges* Imperii Chriſti in terris. Etenim *Eccleſia Catholica* ad hunc modum in Externis variegata, erit tamen viſibiliter Chriſti *Sponſa*, quanquam ἠμφισμένη ποικίλῳ, quanquam veſte induta acu pictâ variíſq; floribus ac coloribus exornatâ.

6. Cæterùm, ut elatus hic *Patriarcha* ſuam ſedem prætenderet infallibilem hanc eſſe omniáq; definientem ſedem *Apoſtolicam*, oratio eſt cui nihil ſubeſt ſolidi. Nam ſi ulla unius alicujus Apoſtolorum ſupra reliquos facta fuiſſet prælatio, eſſet certè tam magni momenti res (ſi controverſiarum utiq; deciſio per omnia ſuccedentia ſecula tanti momenti ſit) ut memoriæ in Scripturis tradita fuiſſet, omnéſq; finitura fuiſſet inter ipſos Apoſtolos aliáſve de Apoſtolis ipſis diſceptationes, vel potiùs eas præverſura. Cùm tamen S. *Paulus* contrà planè declaret ſe nulla in re inferiorem fuiſſe ſummis Apoſtolis, quod omnium planè arguit æqualitatem.

2 Cor. 12. 11.

Præterea, ſi ità eſſet ut unus aliquis Apoſtolus Poteſtatem habuerit principatúmve in cæteros, ſuámq; in tali particulari ſede *Reſidentiam* tenuerit, non ſtatim ſequitur ut is qui ipſi in hac ſede ſucceſſerit ei etiam in illo principatu ſuccederet, aut ut omninò in Apoſtolatu, ſed ſolummodo in Epiſcopatu. Neq; ſanè credibile eſt ſi primus hic atq; *Oecumenicus* Apoſtolus immediatè ſuo ſucceſſori eandem Juriſdictionis latitudinem aſſignâſſet, ut ejuſmodi juris nulla vendicatio, nec ulla ab univerſali Eccleſia in innocentioribus illis magíſq; morigeris temporibus facta eſſet agnitio. Tantilli momenti ſunt omnes hoc genus prætextus.

7. Quòd ſi arguta hujuſmodi ſophiſmata ipſi ad propoſita ſua obtinenda non ſuffecerint,

fecerint, cùm ambitio *Patriarchæ* animum adeò inflammaverit, nullum ſanè non movebit lapidem quò cupiditatem ſuam poſſit explere. Quódq; Ars ſophiſtica effectum reddere non poteſt, efficiendum tandem erit vel craſſiſſimis rationibus Calliditatis *Mundanæ* aut *Infernalis*. Quamobrem ut abſolutum hunc Eccleſiaſticum Principatum obtinere poſſint, nihil in prima hac, quæ prætenditur, ſede Apoſtolica ſucceſſoribus Religioni fore ſupponemus; ſed ſuppoſititios Authentici alicujus conſilii Canones eos prolaturos eſſe, facturóſq; ut pro ſui Patriarchatûs primatu pronuncient; fauturos etiam aut approbaturos *proditiones* & *parricidia* etiam in *Imperatores* ac *Imperatrices*, in Reges Reginásq; totámq; ipſorum proſapiam, ab aliquo, cujus fidei rerum adminiſtratio commiſſa ſit, perpetrata, cujúſq; ambitio ad legalem ſuum Principem truculentè occidendum inſtigaviſſet, ut ipſe illi in Regno, Imperióve ſuccederet. Poſt quæ tamen, Paraſiticâ adulatione, conniventiâ, & approbatione, immò congratulatione ſucceſsûs tam belluini Incepti, impatientes hi *Imperii* Eccleſiaſtici *Candidati* non dubitabunt gratiam ſibi conciliare novi hujus Uſurpatoris, quanquam manus ejus etiamnum recenti fumant ſanguine; ut ab ipſo nimirum utilem illum ac glorioſum Titulum *Epiſcopi Univerſalis* impetrarent, nec eo obtento ab ullis abſtinere crudelitatibus in ejuſmodi Epiſcopos qui novum hoc impoſitum jugum velint detrectare.

8. Poſtquam verò huc pervenerint, neq; hîc eos ſubſtituros ſupponimus, verùm in *ſecularium* etiam *Poteſtatum* jura malis technis mox irreptaturos. Nam *univerſalis* hic *Epiſcopus* plauſibili quidem ratione juramentum obedientiæ ab omnibus aliis Epiſcopis in quibuſcunq; Regnis fuerint, requiret. Quæ tamen haud minor eſt Improbitas quàm ejuſmodi viis eos illaqueare quæ ad Inſidiationes perducant ac perfidiam adversùs proprios ſuos Principes, ſéq; ipſos reverà efficiant propriæ ſuæ libertatis proditores. Etenim cùm ſoluti ſint ad hunc modum, & alienati à propriis ſuis Principibus, ſunt magìs firmiter quidem cum magno hoc *Oecumenico Patriarcha* uniti, ſed, cum eo, tantò arctiora illius mancipia facti, cum quibus, quantùm ad omnimodas pecuniarum irrogationes, agere poterit prout libuerit.

Supponimus enim eos è manibus *ſecularium Principum* (prætextu ſummæ in rebus *Eccleſiaſticis* Poteſtatis) *Inveſtiturarum* jus extorturos, quò efficere poſſint ut omnes Epiſcopi à Temporali Poteſtate minùs dependeant magíſq; ſedi Apoſtolicæ devincti ſint, ſed & magìs adhuc eidem mancipati, ut antè notavimus, & abſq; omni injuriarum remedio, ſi ab eadem fortè oppreſſi ſint, ſive removendo omnes cujuſquam momenti Appellationes è curia particulari *Epiſcopali* ad Apoſtolicum Judicatorium, ſive aliis gravaminibus quibuſcunque. Cæterùm hoc ſolum *Appellationum* Gravamen tantum profectò eſt, ac ſi totus orbis Chriſtianus *fidiculis* diſtenderetur, vel ſi mavis, ſpaſmo crucianti contraheretur, ad adaptandam rerum adminiſtrationem tam coactæ *Univerſalitati*, utilitatíq; hujus *generalis* Vicarii Chriſti. Et tamen omninò ſic ſe res habebit juxta hanc Hypotheſin ad ſuſtentandam Pompam ac Ambitionem *unius* in *univerſos* dominantis *Prælati*.

Efficient etiam ut totum Clericorum corpus à ſecularibus Judicatoriis ſit exemptum, ut qui reverà, proſperis hiſce machinationibus, ſubditi propriè facti ſunt *Eccleſiaſtici* hujus *Monarchæ*; verùm hoc pacto omnes *ſeculares Dynaſtas* craſſiſſimâ fraude totidem ſubditis privabunt quot ſint homines religioſis Ordinibus per totum orbem Chriſtianum inſtituti; cùm, eo ipſo, facti ſint ſubditi hujus *Regis ſuperbiæ*, (quemadmodum *Gregorius* divino raptu illum appellabat) nec ante ullum *ſeculare Tribunal* rei peragendi, non Homicidii ſanè aut Latrocinii, aut effractionis domum, aliúſve cuicuimodi criminis. Quæ quidem Immunitas ut non poteſt quin ipſos ſuperbos reddat & inſolentes adversùs *Laicos*, quos vocant; ità neceſſe eſt, quod & ſuprà notavi, ut *Clerum* ſtrictiùs mancipet *Eccleſiaſtico* huic *Tyranno*. Neq; enim ullam cum ratione opem expectare poſſunt ab illis Principibus à quorum imperio clam ſe ſubduxerint, & conſequenter ab eorundem Protectione, per religioſas has technas fraudéſque. Ac proinde illius voluntati omninò ſunt obnoxii, cujus Tituli Pompæq; Pontificalis magnitudo, cùm juſtos ſuos reditus adeò infinitò excedat, neceſſariò eum redditura eſt rigidum *Tributi exactorem* ab eis qui peculiariori modo ipſius poteſtati ſint ſubjecti, eóſq; ad indignos modos rationéſq; gravandi populum, per pias vel potiùs impias fraudes dolóſq; redactura; dum is has ſuas Aves emittit diffundítque, numeroſis gregibus, ut ſui nummulorum ſint famelici erutores per Paſcuum Imperii & collectores.

9. Tanta ſanè pari aliorum ſaginata injuriâ (præſertim Epiſcoporum aliorúmq; è *Clero* quos tyrannicus hic Pontifex detonderet ſpoliarétq; pro libitu) in hujus membri *Antichriſtianiſmi* delineatione quod deſcribo, jam detecta eſt ſuperbia; ſed ad

altiorem

altiorem eveheretur gradum ſi ulteriores adhuc affingeremus enormitates; ut ſi *univerſalis* hic Sacerdos *Epiſcoporum Primatu* non contentus foret, ſed & ipſum *Imperatorem* affectaret dignitate autoritatéq; ſuperare, improbéq; ac perfidè ſecuræ alicui occaſioni invigilaret (putà dum *Imperiales* copiæ generosè fideliterq; occupentur in communem propellendo hoſtem ex orbe Chriſtiano ſive *Turcas* ſive *Saracenos*) quâ bellum commoveat contra Imperatorem ejúſq; ſocios in eis partibus quæ ſuæ ſedi ſint proximæ, ut eum indè expellat, locúmq; ſic faciat opportunitati ſibi arripiendi aliquam *Imperii* portionem.

Equidem perquam furioſus Ambitionis ignis is eſſet qui quenquam ad machinationes tam diabolicas movere poſſit. Quale igitur facinus id putas fore, ſi callidus hic *Prælatus* hunc vel illum Principem in ſanctas aliquas expeditiones ablegaret in eum finem ut eos Regnis ſuis defraudaret, ipſóſve Reditibus emungeret? Quid ſi præcipuos Rei-publicæ Adminiſtratores omnéſq; Principis ſubditos Fidelitatis juramento abſolveret, ídq; ob nullam aliam cauſam niſi quòd ſic facere è re ſua fore deputaverit? Si tantum ſibi aſſumeret ut verum Principem deponeret alterúmq; in ejus locum ſubſtitueret, *legalem* utiq; *ſubditum* Principis depoſiti, & qui nullum jus ad Coronam habuerit, ſpe *præmii* adductus quod inſolentiſſimi facinoris atrocitatem magnitudine exæquet, ſeq; ipſum ditandi oppreſſorum injuriis ac ruinis? Si adoraretur tanquam omnipotens quiſpiam *Plenipotentiarius* qui omnia poſſit; ſi Clientes coram ipſo in terram procíderent ad deoſculandum illius pedes, ſervíq; eum humeris in proceſſionibus geſtarent antiquorum more Idolorum *Babylonis*?

10. Immò verò quid exiſtimaturus es, ſi *Sanctus* hic *Homo* Imperium occidentale penitùs ſubverteret, ut ſeipſum ruderibus locupletaret? Si ſyngrapha ſuppoſititia fictáſq; donationes produceret, quibus horrendam latrocinii ſui turpitudinem contegeret? Quid ſi nulla ferè Imperii veſtigia relinqueret niſi quod ſit *Sacerdotale*, hoc verò ſupra omnes *Reges*, *Imperatores* Chriſtianóſq; *Principes* immane quantum attolleret? Idq; effectum eſſet ab hominibus qui maximè impii fuerint omnium eorum qui *Pontificalis Sanctitatis* Titulum geſtaverint? Unde confirmatiores eſſe poſſemus de *Antichriſtiana* ratione hujus Conſtitutionis, quippe quæ effecta ſit & ſtabilita per impuros *Magos*, *Homicidas*, Principúmq; *Interemptores* per venena.

Hæc igitur poteſtas quam unus Prælatus *Luciferianus* ſic obtinuerit, fraudibus utiq; ac rapinis, Reges ſpoliando ſuis juribus, Regna ſubvertendo ac Reſpublicas, Imperatorum filios illigando Conſpirationibus, Rebellionibus ac Parricidiis, Subditos abſolvendo à juramento Fidelitatis, orbémq; Chriſtianum cæde & ſanguine miſcendo per inſolens illud facinus excommunicandi Imperatores & Dynaſtas (qui nihil peccaverint, immò Chriſti legi firmiter adhæſerint) Regnáq; ipſorum conferendi quibus ipſi libuerit; ſi hæc, inquam, vera non ſit inſignis illius *Antichriſtianæ Poteſtatis Idea*, quæ illi *Æquitati*, *Dulcedini*, *Manſuetudini*, *Animiq; Humilitati* quæ in *Chriſto Jeſu*, etiam in ſummo ſuo Triumpho in terris, conſpicua erat, perfectè eſt oppoſita, equidem fateor neſcire me, nec credo quenquam alium fingere poſſe, quid ſit.

Miſſum hîc facimus omnem illum Animi cruciatum Conſcientiæq; torturam in quam immenſa hujus *Principis Superbiæ* ſublimitas totum orbem Chriſtianum per anxias ac ſuperſtitioſas opiniones ac Ceremonias conjicere poſſit, inventas tantummodo ad conquirendum pabulum quo alatur ſuſtentetúrq; ſplendor ac Pompa hujus *magnifici Sacerdotis*. Omnium animi ſolicitudine conterendi ſunt Crumenæq; evacuandæ ut expleatur exturgeſcátq; hujus *Principibus inequitantis Patriarchæ* faſtuoſus tumor. Quo de argumento cùm ſatìs jam dixerimus in Deſcriptione ſecundi membri *Antichriſtianiſmi*, illius mentionem tantùm feciſſe hîc ſuffecerit.

CAP.

CAP. X.

1. *Rationem impiam evehendi ad tantam altitudinem* Supremi *hujus* Paſtoris *poteſtatem, demonſtrationem eſſe perquam enormis Ambitionis.* 2. *Blaſphema ejus uſurpatio acceptatióq;* Divinorum Titulorum. 3. *Barbara illius in excommunicatos* Reges *ac* Imperatores *inſultatio.* 4. *Exceſſus Homagii à ſummis Magnatibus ei præſtiti.* 5. *Sui-ipſius exaltatio ſupra Deum quantùm ad* Juriſdictionem. 6. *Sui-ipſius ſupra eum elatio quantùm ad* Honorem *ſive* Præcedentiam. 7. *Alia hoc genus ſuperbiæ exempla.* 8. *Sui-ipſius exaltatio ſupra Deum in ipſa Dei domo* literaliter *intellecta.*

1. IMaginem *Antichriſti* in poteſtate unius particularis Sacerdotis *Patriarchæve* ſitam, ad eam jam condidimus altitudinem, ut quo jure quáve injuriâ ſe in abſolutiſſimi *Principatûs* in omnes Chriſtiani orbis *Dynaſtas Titulum* ſi non *Poſſeſſionem* inſinuaverit. Quod cùm effectum ſit rationibus adeò impiis, neceſſe eſt ut Ignis Ambitionis pluſquam *Infernalis* in fundo deliteſcat qui pleniùs adhuc ſe proditurus eſt in hiſce viſibilibus flammis; Nempe, *in certis quibuſdam exorbitantibus Titulis ac Privilegiis quibus hic* ſuperbiæ Filius *ſit ornatus*; *in barbaris ſuis inſultationibus in debellatos Principes ac Imperatores, & in Enormitate cultûs ac Homagii illius perſonæ in publicis ſolennitatibus præſtiti.*

2. Ut exempli causâ, quid magìs *blaſphemè Antichriſtianum* eſſe poteſt, quàm ut ſinat ſe *Divinorum* Attributorum ſpoliis exornari? Quàm ut appelletur *Dominus Deus* noſter, *optimum, maximum* & *ſupremum Numen in terris?* ut declaretur *ejus Tribunal* unum idémq; eſſe cum *Tribunali Dei?* Poteſtatem illius eſſe *abſolutam?* quicquid facit eum tanquam Deum id facere non tanquam Hominem? omnéſq; debere ſe ſubmittere illius Decretis, ut qui infallibilis eſt? eum omnia eſſe ac ſupra omnia? penès eum eſſe regna quibus vult conferre, unúmq; è throno dejicere, atq; alterum illic collocare? Omnia eum poſſe quæ Deus poteſt, clave non errante? Naturam rerum eum poſſe commutare? aliquid ex nihilo efficere? de injuſtitia facere juſtitiam & injuriam in jus convertere? Omnes leges in ſcrinio eſſe illius pectoris? Contra canones Apoſtolorum novúmq; adeò Teſtamentum poſſe diſpenſare? Eum cauſam eſſe cauſarum? Sacrilegium eſſe de illius poteſtate dubitare? Imperium eum obtinere in *Angelos, Purgatorium* ac *Infernum?* Monarcham eſſe Mundi, & *Imperialem majeſtatem* tantum excedere quantum *Sol* excedit *Lunam*, ab omnibúſq; Terræ *Dynaſtis* debere adorari? Hæc eſt una flammifera ex hac *Luciferianæ Ambitionis Ætna* Infernalis Eruptio.

3. Altera erat *inſolens ejus Inſultatio in Excommunicatos debellatóſq; Principes*; ut Exempli gratiâ, perquam barbarè *Antichriſtianum* eſſet ſi triumphans hic *Patriarcha* poſt Excommunicationem, ſuíq; ſubmiſſionem ejus poteſtati faceret ut unus *Imperator* cum Imperatrice aliquot continuos dies nudis pedibus, veſtéq; cannabinâ indutus ad januam ejus Abſolutionem expectaret, ídq; in media Hyeme, eúmq; cogeret Inſignia Imperialia reſignare, atq; poſt hæc omnia eum deponeret, Imperiúmq; alteri donaret. Si faceret ut alter ſeipſum publicè in Eccleſia proſterneret, & in hac proſtratione pedem cervici *Imperatoris* imponeret, quaſi viperam anguémve conculcaret. Si tertium coronaret non quidem manibus ſed pedibus, móxq; eidem pedibus Coronam de Imperatoris capite in terram dejiceret. Si unum Principem cogeret Coronam reſignare, aliquótq; dies privatam perſonam gerere, poſtea verò eâ lege, ut hujus ſummi Sacerdotis vaſallum ſe profiteri velit, ei permitteret Coronam rurſus à manibus Legati ſui recipere ſubmiſsè in genua procumbenti ante illius pedes. Si faceret ut alter per modum pœnæ, manibus pedibúſq; per ſuæ *ſanctæ Celſitudinis* Palatium ad inſtar canis perreptet, mellio etiam cervici illius circumpoſito. Si tertium publicè in Baſilica nudum virgis cædendum curaret unoquoq; Monacho Perſonáve Religioſâ certum plagarum numerum ipſi infligente. Proculdubio hujuſmodi enormes *Imperatorum, Regum, Principúmq;* tractationes non poſſent non eſſe indicium *Satanicæ* planè elationis animi ac ſuperbiæ.

4. Sed enim quid pœnarum mentione opus eſt, cùm adeò *inviſam Imaginem* turpémq; ex aſſuetis ac pro more expectatis obſequiis obſervantiíſq; deſcribere poſſimus? Supponemus igitur juxta notas hujus *Sacerdotalis Aulæ* Ceremonias, quoties ſuæ *ſanctæ Celſitudini*, univerſali Eccleſiæ *capiti*, Equum conſcendendo celſiorem

adhuc fieri placuerit, Imperatorem Regémve qui præſens fuerit illi ex officio ſtapedem tenere debere dum conſcendit; vel ſi ei libuerit, per occaſionem, *Cathedrâ Pontificali* tranſportari, Imperatorem Regémq; cervices huic jugo ſubmittere oportere, *Hominémq;* hunc *Pontificalem* in Cathedra ſua humeris ſuis attollere. Quando etiam pranſurus eſt hic *magnificus Prælatus*, Imperatori Regíve qui præſens fuerit hunc honorem impoſitum iri, ut aquam cum linteolo, ad unctas ejus manus lavandas ei miniſtret. Ob quod officium præſtitum permittetur ei mox menſæ accumbere poſtquam expectaverit donec prima menſa impoſita ſit. *Imperatoris* etiam locum in Concilio Oecumenico hujus *ſummi Sacerdotis* ad pedes fore, ut bonum decet *Gamalielis* filium. Et poſtremò quócunq; *Patriarcha* hic *Oecumenicus* iverit, populo procidendum eſſe in genua; quod ſi promptè propenſéq; non fecerint, eos fuſtibus in genua eſſe proſternendos rigido illius ſatellitio, torvis illis exactoribus adorationis tam ſtupendo Idolo.

5. Hæc Ceremoniarum ratio *ſummum* hunc *Sacerdotem* Terræ *Principibus*, ſive *Imperatores* ſint ſive *Reges* aliíve ejuſmodi *Dynaſtæ*, multis gradibus altiorem planè collocabit. Nunc verò lineamentum unum & alterum ducemus ejuſmodi ſanè elationis Animi ſive ſuperbiæ quantùm ad *civiles ritus* ac *præcedentiam*, ut meritò videatur *ſuperioritatem* affectare ſupra *Deum ipſum*. Cujus Affectationis ſolida jam protulimus exempla, quantùm ad *Poteſtatem*, ex eo quòd ſupponebatur abrogare Leges Dei & in earum locum talia Decreta, quæ ad proprium lucrum facerent, ſubſtituere. Quæ aperta ſuiipſius exaltatio eſt *ſupra Deum* quantùm ad *Autoritatem realémq; Poteſtatem*.

6. Et quod *bonos mores* ſpectat *ritúſq; civiles*, ſi ſupponamus eas res quas ipſe illíq; qui ei adhærent, ſummum cultum religioſum tribuunt infra hunc *ſupremum Prælatum* projectas, an non hoc eſſet *ſummo Deo præcedentiam præripere?* Ut verbi causâ, ſi Crux cui *latrian* debitam judicant, ad ſummi hujus Sacerdotis pedem demitteretur, an non is ſic altior eſſet illo cui altiſſimus gradus *Divini honoris* debetur? Verùm hoc forſan dixeris eum tantùm æqualem redderet Deo.

At verò *Hoſtiam Panémve conſecratum* à *Pſeudo-Chriſtiana* hac Eccleſia verum Chriſti corpus æſtimari jam ſuppoſuimus, perſonámve ejus corpoream, hoc eſt, ubicunq; hic ſit, Chriſtum verum Deum verè ac corporaliter propriâ ſuâ perſonâ præſentem eſſe, æquè ſanè verè & realiter atq; eſt in Cœlo. Si igitur hæc perſona Chriſti quæ *ſanctum ſacramentum* vulgò appellatur, minori afficeretur honore quàm ſummus Sacerdos qui ipſum conſecraverit, manifeſtum eſſet eum ſupra illud exaltari.

Quamobrem, exempli gratiâ, ſi in ſolennibus proceſſionibus *ſummus* hic *Sacerdos* Ceremonias ſic inſtitueret, ut hoc Sacramentum, id eſt (juxta eorum quidem ſententiam) realis perſona *Jeſu* collocaretur in *ignobiliori* Pompæ parte, ipſe verò ſummus Sacerdos inter Principes illuſtriſſimos; ut *Jeſus* Chriſtus *Equo* veheretur, ſummus verò Sacerdos *Regum humeris* ac Dynaſtarum; ut viliuſculus *Sacriſtæ* ſervus equum duceret qui *Chriſtum Jeſum* vehit, verùm ſi *Pontifex* eodem tempore Equo vehatur, *Princeps* aliquis ejus equum duceret, vel ipſe Imperator; ut ſupra *Jeſum Chriſtum* umbonem deferrent *Romani* tantùm *Cives*, umbonem verò ſupra *Pontificem Nobiles* præcipui aut *Oratores*; an non hoc planè ac conſpicuè eſſet ipſi Deo omnipotenti honore anteferri; adeóq; elatum eſſe *Patriarcham Oecumenicum*, ut æterno *Patri* Creatoríq; Univerſi ſe præferret?

7. Quod etiam fieri poſſet in Itinerationibus ordinariis, ſi *Pontifex* hic ità putà ſtatueret, ut *Jeſus Chriſtus* veheretur pretii vilioris Equo, Agaſoni alicui commiſſo, útq; præiret (O præclaram Præcedentiam!) ſed inter Aulæ *Pontificalis* impedimenta, Calones, Lixas & Curtiſannas; tanquam adventûs ſuæ *Sanctæ Celſitudinis* prænuncius; ipſo interim lento magnificóq; paſſu incedente, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliíſq; id genus perſonis illuſtribus ſtipato.

Equidem hoc meditabundo cuivis homini perquam altum quoddam Cogitatum profundámq; meditationem meritò poſſet injicere, quî ſcilicet fieri poſſet ut una eadémq; Perſona ſecundùm circumſcriptam ſuam Præſentiam corpoream uno eodémq; tempore ſummo cum dedecore & ignominia inter Calones equitet & Curtiſannas in terris, & tamen in Throno ſimul ſedeat majeſtatis ac gloriæ in ſummis cœlis, laudibus & Adorationibus ſanctorum Angelorum circumcinctus.

Sed enimvero, ut ut hoc ſit, admodum manifeſtum eſt interim *ſublimem* hunc *Sacerdotem* in bonis moribus tam longè aberrâſſe, æquè ac craſſioribus Juſtitiæ partibus, ut ſe ſupra Deum ipſum efferat, juxta propriam ſuam conceſſionem, doctrinámve Eccleſiæ, ex eo quòd majorem ſibi honorem quàm itineranti Perſonæ Chriſti decreverit.

8. Quibus

8. Quibus omnibus hanc tandem ſuppoſitionem addere poſſumus, *Pontificem* ſcilicet hunc *Maximum*, ſuâ in ſupremum hoc munus *Inauguratione* ſuper ſanctum Altare Chriſti in principali aliqua Eccleſia ſuæ Metropolios collocari poſſe, pedibus *Pontificalis Cathedræ* ſacrum *Thronum Corporis Chriſti* conculcantibus, ibíq; à principibus ſuis Eccleſiaſticis & ab aſpectabundo obſtupefactóq; populo adorationem accipere.

Verùm credo me tam perfectè Antichriſtianæ ſuperbiæ effigiem jam deſcripſiſſe, ut nihil opus ſit quicquam ſuperaddere, nec ullus ſcrupulus ſuperſit quin is qui tam altè ſe efferat non poſſit non eſſe ille *homo peccati qui in domo Dei ſedens extollit ſe ſupra omne quod dicitur Deus.* 2 *Theſſ.* 2.

CAP. XI.

1. *Superbiam hujus elatiſſimi Capitis diffuſuram ſe eſſe in ejus membra.* 2. *Plura irritamenta generalia ad hoc vitium in hoc dominanti* Sacerdotio. 3. *Peculiaria irritamenta in magnis quibuſdam* Dignitatibus. 4. *Peculiaritatem* Habituum *rationémq;* vivendi *in quibuſdam Religioſis Ordinibus occaſionem eſſe Superbiæ.* 5. *Prætextum merendi in his Ordinibus inſignem eſſe ac inviſam hujus vitii Inſtantiam.* 6. *Iſtiuſmodi elatum* Pſeudo-clerum *cujuſmodi hic eſt, meritò haberi poſſe pro* homine illo peccati *qui ſe extollit ſupra omne quod colitur;* 7. *Rectéq; cenſeri in* Leviathanis *deſcriptione qui Rex filiorum ſuperbiæ appellatur, præfiguratum.*

1. NEC ſanè imaginari poſſumus Caput modis tam immanibus ſuperbire, quin venenum hoc in totum corpus ſe diffuſurum ſit omniáq; illius membra aliquo modo tumefacturum. Quanquam enim ſummus hic Sacerdos magnam habet poteſtatem in Clerum ſuum, ut eos taxet, tondeátque, univerſi tamen haud parùm inflarentur ex opinione quòd ipſi membra ſunt illius corporis cujus Caput ſupra omnes *Principes Terræ* tam mirificè ſe extulerit. In quos poſtquam Tyrannidem ſemel exercuerit, accreveritq; in ea poteſtate, belléq; ſtabilitus fuerit, facilior fortean poſtea benigniórq; propriæ Tribui eſſe poterit. Præterea, ipſa exemptio eorum à *ſecularibus Poteſtatibus* neceſſariò animos ipſorum tumefaciet, efficiétq; ut inſolentes ſint ac dominantes proclivéſq; ad injuriam, cùm ad ejuſmodi Judices ſe recipere poſſint qui ſuis partibus ſint fauturi.

2. Porrò Poteſtas audiendi Auricularem Confeſſionem Privilegium eſt quod multum valet ad ſubjugandum inſultandúmq; miſellis *Laicis* ante Pedes *Confeſſariorum* ſuorum proſtratis. Atq; illud etiam diſcriminans Privilegium *Calicis Euchariſtici* Sacerdoti peculiare, neceſſariò efficiet ut *Laici* dejecto ſint vultu, nec præ pudore mutilatæq; ſuæ conditionis conſcientiâ Sacerdotem prope audeant accedere; ut qui tam immenſæ conſcii ſunt inter ſe ac Sacerdotes diſtantiæ. Quæ omnia naturaliter tendunt ad horum *Clericorum* animos inani tumore inflandos. Quî igitur ferre poterunt illam opinionem quòd facultatem habent *creandi ſuum Creatorem*, quódq; ejuſmodi Sacerdotes ſunt qui *ipſum Corpus Chriſti* in Propitiationem offerant, ac proinde hac ratione imaginari ſe poſſint ipſo *Chriſto* aliquo modo ſuperiores. Atq; hæc quidem toto corpori *Sacerdotali* communia ſunt.

3. Sunt verò & aliæ Conſiderationes quibuſdam, ſed ſatis numeroſis multitudinibus peculiares. Manifeſtum enim eſt eos, qui *Sacerdotales Principes* ſint illuſtréſve Perſonæ in hac Eccleſia, peculiarem ad hoc vitium habere inſtigationem. Nam cogitatu facile eſt hunc *Pontificem Maximum Eccleſiaſticos* ſub ſe *Dynaſtas* creare poſſe qui Co-aſſeſſores eſſe queant partémq; habere ſuæ *ſpiritualis Dominationis* in Populum, quippe quos ad hanc ferè formam creaverit. *Eſtote Fratres mei & Principes Mundi*, quod neceſſe eſt ut eorum animos ad immanem ſuperbiæ gradum attollat.

Verùm multi Ordines his quidem inferiores ſed æquales tamen dignitate, *Secularibus Principibus* ac Nobilibus (ejuſmodi qui pompâ utantur aut accommodatione ἵππων καὶ ῥοδῶν καὶ σωμάτων, *Equorum, Pilentorum*, & *Pediſſequorum* Aſſeclarúmve qui eos comitentur & ab ipſorum latere currant) numeroſam ſanè multitudinem horum *filiorum ſuperbiæ* conſtituere poſſint, qui Titulos tamen gerentes Paſtorum Inſpectorúmq; Gregis Chriſti eos minimè omnium inſpiciant, ſed deſpiciant potiùs con- *Apoc.* 18. 13.

temnántque, utpote qui tam altè ſupra ipſos collocati ſint ut nihil animi habeant eò ſe demittere ut ipſos paſcant, ſed ut excorient potiùs ſævéq; in eos dominentur.

4. Et poſtremò, quantùm ad eos qui adhuc numeroſiores ſunt, quos ſibi perſonam induiſſe *peculiarioris* cujuſdam *ſanctitatis* ſupponere poſſumus, nominàq; ſua inter eos qui ſub *Titulo* & auſpiciis hujus vel illius *Sancti* vitam ſuam inſtituunt profiteri, ſpeciémq; præ ſe ferre *Humilitatis* geſtando obſoletum aliquem ſordidúmq; habitum, & ſimulando ſe ſeparatos à mundo, ex eo quòd in otioſa ac populoſa Monaſteria ſe abſconderint, ac mortificatos ejus faſtui ac gloriæ, dum laudem & admirationem hominum imprimendo ſibi ipſis hanc Notam ſpecialis ſanctitatis per peculiarem veſtitum alienámq; vivendi rationem quærunt, equidem fateor mihi ad inſtar miraculi fore, ſi hæc ipſorum *electitia ſanctitas* in cibo potúq; & à matrimonio abſtinentia conſiſtens & ſimilibus, carnales eorum mentes non ità inflaret, ut meritò æſtimari poſſint maximè genuini ſubditi hujus *Regis ſuperbiæ*.

5. Ut omittam *ipſum* devii hujus generis vitæ *prætextum* non poſſe non turgidum modeſtiori ſenſui cujuſvis ſobrii veréq; ſanctificati Chriſtiani videri, qui non poteſt quin rem præſumptuoſam exiſtimet propriis meritis confidere, júſq; ſibi ad cœleſtem hæreditatem, ex quibuſcunq; operibus quæ pro tam inæſtimabili ineffabilíq; præmio in terris quis abſolverit, vendicare. Quàm immanis igitur eſſet *Luciferiana* rabies ac *veſania* ſi *ſpirituales* hi rerum ſuſceptores non ſua ſolummodo penſa ſe abſolvere poſſe prætenderent, ſed & penſa inſuper aliorum?

In qua quidem Profeſſione continentur duò maximè inviſa *ſuperbiæ* ſpecimina quæ excogitari poſſunt; nempe, *Vilificatio meritorum ad omnia ſufficientium Chriſti*, perinde ac ſi illa imperfecta ac mutila eſſent, nec defectus eorum hominum quibus Deus vult eſſe propitius, poſſent ſupplere, ſed pannoſis indigerent aſſumentis miſerorum horum *Suffenorum* religioſorum, quibus interpolentur, producantúrque; & tum poſtea, *Nimia ſui exiſtimatio, & ridiculè elata opinio quam de propriis viribus, robore ac ſanctimonia conceperint*, quaſi plus præſtare poſſent ídq; per modum meriti, quàm ſibi ipſis ſuffecerit, quámq; Deus ab ipſis requirat, cùm tamen in ſacra Scriptura expreſsè doceamur fateri, *poſtquam omnia præſtiterimus quæ poſſumus, nos tamen ſervos eſſe inutiles, & per fidem nos ſervatum iri nòn ex operibus nè quis glorietur.*

Luc. 17. 10. *Ephe.* 2. 9.

6. Quamobrem ſummum hunc conſiderabimus Sacerdotem univerſaléq; Caput hujus *Cleri Pſeudo-Chriſtiani*, unà cum ſingulis *Religioſis* Ordinibus ſub eo conſtitutis, devotáq; ac ſubmiſsâ agnitione agglutinatis ipſi ferruminatíſq; & ab eodem actuatis, uno univerſis communi *ſpiritu ſuperbiæ* ſenſúq; imperandi dominandíq; in perſonas ac conſcientias *Laicorum* intumeſcentibus, ſummámq; de ſeipſis opinionem propter has *carnales* externáſq; ſpecies ſanctitatis ac ſupereminentiam ſupra mundum reliquum concipientibus, quæ conſiſtit tantummodo in *Unctionibus*, in *Habitibus*, in *Abſtinentia* à cibo, & ſimilibus quæ *infirma* ſunt *& egena elementa*, ſed talia tamen quæ occulto quodam veneno inflent eos ac tumefaciant qui ea ſapiunt æſtimántque, & è re fore credunt ſuâ eorum obſervationi operam dare; conſiderabimus, inquam, hos univerſos à ſummo ad infimum, tanquam unum ſub uno capite corpus, cunctóſq; ſimul conjunctos tanquam *unum Hominem peccati*, qui cùm unum ſpiritum animúmq; habeant legi Dei Chriſtíq; contrarium, adversùs utroſque, ſeipſos, quanquam alii alio modo, extollunt. Cæterùm cùm unam mentem ac voluntatem, unúmq; conſenſum habeant, omnium in omnes culpa recidit, taliſq; ſunt effigies repræſentatióq; *Antichriſtianæ ſuperbiæ*, ut nihil amplius eſſe poſſit, magíſve abſolutum. *Hic ille eſt qui omne ſublime videt, ipſéq; eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ.* Summum maximéq; eximium ſuperbæ elatæq; *Politiæ* exemplum quod unquam hactenus extitit.

Job. 41. 25.

7. Nec ipſum Textum ineptè hìc applicari poſſe credo, cùm tam magna intercedat Affinitas *Antichriſtum* inter atq; *Diabolum*, majórq; fortean *ipſum* inter quaſdámq; *Phraſes* in Textu *Leviathanem* deſcribentes, quàm inter dictas illas Phraſes, ejúſq; æmulum in hoc honore, utri ipſorum utiq; competat hæc *Typica* deſcriptio. *Superbè clypeatus ſquamis eſt, arctâ compagine concluſis, quæ inter ſeſe commiſſæ nè auræ quidem perviâ junctura, adeò aliæ aliis compactim cohærent ut ſint indiſſolubiles.* Quam ſupponemus ipſiſſimam eſſe gloriationem hujus *Pſeudo-Chriſtianæ Politiæ.* Quòd ſint nimirum omnes, non niſi una integra maſſa cujus partes aliæ aliis firmiter conjunctæ ſunt, quanquam nullo Amoris ac Ingenuitatis vinculo, ſed depactæ claviſve mutuò affixæ per manus ferreas Neceſſitatis Tyrannicæq; violentiæ; Timore extremorum patiendorum, ſenſu communis emolumenti, juramentóq; abſolutæ obedientiæ infallibili Poteſtati, pari firmitudine eas compingentibus, atq; ænei clypei, arctéve commiſſæ ſquamæ *Leviathanis* compactæ ſunt.

V. 5, 6, 7.

Jam

Jam verò ſi conſideremus Caput hujus monſtri, *Oculi* ejus dicuntur eſſe tanquam *Auroræ lumina*, hoc eſt, admodum ſublatis ſubductiſq; ſuperciliis valde ſplendidi ac fulgentes, quemadmodum elatiſſimi hujus Capitis pompam jam deſcripſimus. *Ex faucibus autem prodeunt faces abſilientibus tanquam ſtricturis igneis*; *Ex naribus prodit fumus tanquam aheni ferventis & undantis. Flatus ardet carbonibus, manante ex ejus ore flammâ*, hoc eſt, Totum mundum in ſuperbia ſua ac iracundia inflammat per impios ſuos Incendiarios & Emiſſarios, qui ad illius mandatum ad fulguris inſtar in omnes partes Imperii diſcurrunt, vel religiosâ, utì is ſimulat, rabie abreptus contra oppugnatores ſuæ *ſanctæ Celſitudinis* excommunicationes effulminat adversùs Principes, atq; bellum ſic ac diſcordiam accendit omniáq; flammis miſcet & ſanguine. Et poſtremò, Ad obſtinatam Immutabilitatem hujus *Politiæ* illuſtrandam, in Dogmatis ſuis crudelibúſq; carnificinis & occiſionibus eorum qui ſe nolunt ipſi ſubmittere, *Cor ejus ſaxo & inferiori molâ firmius eſſe dicitur.* *Verſ.* 9. *V.* 10, 11, 12. *V.* 15.

Cæterùm, quemadmodum de *Pharaone* Rege *Ægypti* dicitur in Pſalmis, *Tu contriviſti capita Leviathanis, dediſti eum eſcam populo in deſerto*, nempe *Iſraëlitis* quibus omnia in Typis contigerunt; Ità ut *Iſaias* prædixit tempus fore quando *Terra deteget ſuum ſanguinem neq; ſuos amplius cæſos operiet, In illo die* Jehova *ſuo duro, magno, validóq; gladio* (etiam eo ipſo gladio qui prodit ex ore ejus) *animadvertet in Leviathanem, ſerpentem teretem, & in Leviathanem, ſerpentem tortuoſum*, (obviàm ipſi ibit in omnibus fraudulentis ſuis flexuris & obliquitatibus) *interficiétq; Draconem qui eſt in Mari.* Hoc eſt, qui inter duo maria habitat, quemadmodum *Grotius* interpretatur *Leviathanem* aquaticum in *Pſalmis* de *Pharaone* Rege *Ægypti*, quia regnum ejus extendebatur inter duo maria. *In illa die decantatote viniferam vineam, quam ego* Jehova *tuens ſubinde irrigem, eam nè invadatur noctes diéſq; cuſtodiam.* In illa die ità radices aget *Jacobus, ità florebit & fruticabit* Iſrael, *ut fructu repleatur facies orbis.* Verùm ultrà quàm inſtitui hîc excurſum eſt. *Pſalm.* 74. 14. *Cap.* 26. 21. *Cap.* 27. 1.

CAP. XII.

1. *Antichriſtiana rerum Conſtitutio* Divinam *Gratiam* Puritatis *oppugnans in genere, deſcripta.* 2. *Quòd Numeroſitas* Dierum Feſtorum *cum inefficaci exanimiq; Cultûs exercitio conjuncta deducit ad* Impuritatem; 3. *Ut &* Cœlibatûs *votum in* Monachis & Sacerdotibus *non-mortificatis.* 4. *Opportunitates* Ordinis *eorum ac* Functionis. 5. *Opinio de* Fornicatione *quòd non ſit Peccatum, & de* Adulterio *quòd minus peccatum ſit quàm voti* Cœlibatûs *violatio.* 6. *Viliora* Indulgentiarum *pretia quàm pro hujuſmodi vitiis.* 7. *Pœnæ leves.* 8. *Bene magnæ partis Anni veſanis* Debacchationibus *ſub Larvis Perſoniſq; Dedicatio.* 9, 10. Concubinæ *Sacerdotibus permiſſæ.* 11. *Apparatus Pompaticus* Curteſannarum Supremíq; Paſtoris *Tributum ex ipſarum mercimoniis.* 12. Exemplum *hujus ſummi Sacerdotis atq; ejus Cleri.* 13. Sodomiæ *crebritas prope ejus Palatium*; 14. *Illiúſq; illinc diffuſio in remotiſſimas regni ſui partes.* 15. *Quòd* Politia *Eccleſiaſtica in hac conditione conſtituta* Myſtica *eſſet Civitas* Sodomæ, *in illis* Apocalypticis *Catalogis, ſub Titulis* Πόρνων, Ἐβδελυγμένων & Κυνῶν, *deſcripta.*

1. REdibimus jam in viam ad proſequendum propoſitum quod præ manibus eſt, pergemúſq; ad proximam oppoſitionem Antichriſtianam, quæ eſt contra ſecundum Ramulum *Divinæ vitæ*, nempe *Puritatem*, ubi miſsâ factâ Hypocriſi quæ una ſpecies eſt *Impuritatis* (quæq; non poteſt non eſſe admodum frequens, in tali Religione qualem hactenus deſcripſi, quæ tantoperè in Formis ſuperficiariis externíſq; ſpectaculis conſiſtit) penicillum dirigemus ad delineandum talem *Impuritatis* Imaginem, quæ magìs craſſa ſit ac nauſeoſa, cujus partes præcipuæ ſunt *Fornicatio, Adulterium*, & *Sodomia.* Dico igitur, ſi ipſa Forma Conſtitutióq; Politiæ Eccleſiaſticæ vel Doctrinæ iſtiuſmodi eſſet quæ naturaliter hominès vi propelleret aut admodum illecebrosè invitaret ad tales *Impuritates*, an non hæc conſpicua eſſet Chriſtianæ illius *Puritatis* ad quam nos omnes vocamur, Oppugnatio?

2. Atq; hujuſmodi quidem Conſtitutionem credo hanc fore quam nunc eo delineatum, à rebus minutioribus primum capiens exordium. Supponemus igitur magnum *Dierum feſtorum* numerum, in quibus non licebit hominibus operam dare rebus ſecularibus

ſecularibus & honeſtis victûs quærendi rationibus, ſed omninò feriari ; ipſúmq; Religionis exercitium illis diebus, ut non multum Temporis occupat (niſi in ludicris quibuſdam Pompis) ità ejuſmodi eſſe naturæ ut corda Hominum non omninò attingat penetrétve, nec timorem Dei inſeminet, nec Cupiditates Carnis in ipſis mortificet, quippe qui mutorum quaſi ſpectaculorum ſpectatores tantummodo ſunt, & publicæ Auditores Liturgiæ quam minimè intelligant, & poſtquam hoc fecerint ſe ſatìs ſuo officio feciſſe arbitrentur, & fortean neq; hoc faciant, nec opus aliquod ſeculare, nè fortè malam ab Eccleſia ineant gratiam, cùm tutius ipſis ſit inveniri in *Oenopolio*, *Cauponula* aut *Lupanari*, quàm honeſtum his diebus quæſtum exercere.

Quamobrem quæro de hominibus qui mentes habeant minimè mortificatas, nullámq; opportunitatem, per intelligibilem, vivam ac penetrantem Dei publicè colendi rationem, Animarúmve convincendi potens Miniſterium ad præmuniendos ſe adversùs carnis Tentationes, ſed compellantur duntaxat feriari, in quid obſecro, hi homines magis naturaliter prolapſuri ſunt quàm in compotationes, inebriationes atq; luxum, qui cum imperata hac deſidia conjunctus neceſſariò eos præcipitabit in iſtiuſmodi actus libidinis quos opportunitas ipſis obtulerit. Notiſſimus eſt Aphoriſmus, *Deſidiam matrem eſſe Spurcitiæ.*

Otia ſi tollas, perière Cupidinis arcus,
Contemptæq; jacent & ſine luce faces.
Hæc ut ames faciunt, hæc quæ fecêre tuentur,
Hæc ſunt jucundi cauſa cibúſq; mali.

Ac proinde *Dierum Feſtorum* numeroſitas cum inefficaci exanimíq; Religioſi cultûs forma conjuncta, ubi qui aſſiſtunt, non ſunt niſi muti quaſi ſpectaculi, quod dixi, ſpectatores, quid hoc aliud eſſe poteſt quàm Turpitudinis ſchola, Nutríxq; Libidinis ac *Impuritatis?*

3. Rurſus, Pone ordinem hominum, eúmq; numeroſum qui lautè opiparéq; veſcantur, edant bibántq; ex potiſſimis, qui otioſam vitam degant, alieníſq; laboribus victitent, qui nec ſubtilia, miréq; effaſcinantia Philoſophiæ ſtudia nobiliſſimæq; ſpeculationis proſequantur, quibus ſuperfluas corporis vires minuant ſpiritúſq; ſuos exhauriant, nec ſe ullis penetrantioribus conterentioribúſq; *Devotionis* angoribus fatigent, ſed tumultuario tantùm ac feſtinatorio modo ſtatas ſuas preculas tanquam externum quoddam officium, obeant, in quibus, ſi intelliguntur, parum fortaſſis occurrit, quod ità animum afficiat ut corpus quoquam modo conficiat aut ſubdomet ; pone, inquam, hos homines, quamvìs ſatìs habiles ſint ac idonei ad opera *virilitatis*, voto inviolabili (temerè & imprudenter non ſolùm contra legem Dei, ſed & propriæ ſuæ naturæ ac conſtitutionis corporeæ) facto ad Cœlibatum perpetuum damnari, quis naturalis eſſe poteſt hujus rei eventus niſi frequentes *Fornicationes*, aut *Adulteria*, Actúſve *Sodomitici?*

Quamobrem *Monachi* & *Sacerdotes* & quicunq; alii qui huic legi in hujuſmodi circumſtantiis alligantur, non poſſunt (niſi per miraculum) quin *conentur* ſaltem tranſgredi, ſi non crebrò *reverà* leges *Dei* ac Naturæ tranſgrediantur, orbémq; Chriſtianum putido fumo ac vapore ſpurcitiarum ſuarum impleant. Et veriſimile quidem eſt eos prædam ſuam faciliùs reperire poſſe inter fœminas conſimili voto obſtrictas, ſi ipſæ etiam ſupponerentur naturalis ſui ingenii inconſultu ac temperamenti, ſponte ſe obtuliſſe, aut dolis importuníſq; aliorum ſolicitationibus victæ in *Monaſteria* tandem conceſſiſſe.

4. Verùm ſupponamus has magìs cuſtoditè ſecluſas eſſe : Mundùs tamen ſatìs latè patens eſt, & ſi verum ſit, quod vulgò dicitur, *Caſta eſt quam nemo rogavit*, illis certè, cùm tam bene inſtructi ſint, totíq; ferè iſtiuſmodi artibus & machinationibus vacent, haud erit difficile ſuam prædam conſequi. Enimvero nihil opus eſt ut opportunitates excogitent, cùm in aliquibus partibus ſuæ religioſæ Functionis ultrò ipſis offerantur, ut in *Auricularis confeſſionis* auditione privata. Tam valida ſanè foret Tentatio quamvìs *conſcientiæ* vis formidóq; *ſupplicii* integræ adhuc eſſent.

5. Supponamus verò quoſdam è *Literatis* pronunciare *ſimplicem Fornicationem* non eſſe peccatum, & *Adulterium* ſanè minus Peccatum eſſe quàm *Cœlibatûs voti violationem* ; quàm alacriter profectò hi bene armati Monaſtici ſuam provinciam aggrederentur, & quàm multò faciliùs invitarentur innupti alii omnes, tum Mares tum Fœminæ, ad ſatisfaciendum ſuis cupiditatibus in ſimplici hoc genere *Impuritatis?*

6. Veruntamen ſi hoc tam plenè intelligi non poteſt aut tam firmiter credi, ſupponemus

ponemus plura adhuc ſupereſſe *Cardiaca* potentioráq; *irritamenta* ad libidinem. Tam amplas *Indulgentias*, tam vilia pretia pro *Diſpenſationibus* & *Abſolutionibus*, à minimè ſancto hoc *Pontifice Maximo* cujus mentionem toties fecimus, non ſolùm pro ſimplici *Fornicatione* & *Adulterio* ſed pro *Virginum violatione*, pro craſſiſſimo *Inceſtu*, pro concubitu cum propria ſua Nepte, immò cum propria Sorore Matréve, ut nemo multùm animo conſternari queat vel ad fœdiſſimos actus *Impuritatis*, poſtquam ſemel conſideraverit quàm parvi *Judex ille Controverſiarum infallibilis* eos æſtimaverit, nec abſtinere ſe à qualibet illecebroſa libidine ſibi indulgenda, cùm tantoperè eò invitetur atq; animetur per indulgentiſſimum hunc *Patrem* œcumenicum, Catholicúmve *Mitionem* Eccleſiæ.

7. Lèves etiam *Pœnæ* altera eſſet haud inefficax Animatio ad hoc peccatum *Impuritatis*, ut ſi exiguæ aliquot *Eleemoſynæ*, *Preculæ* quædam tot vicibus repetitæ, ſcalarúmve Crucis in Foro mercatorio Circuitio, leve aliquod Jejunium & ſimilia, compenſatio foret pro tam fœdis Facinoribus in homine *Laico*, bimeſtríſq; aut trimeſtris excluſio ab Eccleſia *Sacerdoti*, quantumvìs alligato adulterii & in ipſo facto deprehenſo.

8. Cæterùm plures adhuc artes imaginari poſſumus corrumpendi mores hominum citra expreſſam præceptionem ut nequam fiant atq; improbi; ut ſi exempli causâ, bene magna pars Anni, duodecima putà ſextáve pars, uni Feſto continuo ſolenniter dedicaretur veſanæ cujuſdam *Debacchationis* atq; luxûs, & tam longo ipſis permitteretur tempore, ſub larvis perſoníſq; quamlibet improbitatem turpitudinémve committere quam effrænis ſuæ Imaginationis laſcivia vel petulantia ſuggeſſerit, perinde ac ſi, ex eo quòd vultus ipſorum ab Hominibus abſconditi ſint, eorum etiam actiones perſonæq; abſconderentur à Deo; an non hæc mera methodus eſſet initiandi homines improbitate ac nequitiâ, & imbuendi eorum animos ſceleratiſſimâ illâ opinione, *virtutem* ſcilicet & *vitium* inania tantùm eſſe *nomina*, omniáq; licere permiſſu aut conniventiâ ſuperiorum? Immò verò impia quædam Inſinuatio per nimis quàm ſignificans *Hieroglyphicum*, *Deum non eſſe*, at abſq; hominum pudore eſſet, *peccatum* pro nihilo fore?

9. Hoc etiam haud parvam *Fornicationi* exiſtimationem conciliaret, ſi illius libertatis exemplum eluceſceret in eis qui exquiſitiſſima eſſe debent Caſtitatis, Continentiæ & Mortificationis cupiditatum carnis exemplária; *Sacerdotes* intelligo qui maximè immediati ſunt populi duces. Itaq; ſi procedente tempore corruptio hujus Eccleſiæ eò uſq; prorumperet ut *ſancti* hi *unctiq;* Viri Dei, permiſſu legum *ſummi* ſui *Sacerdotis*, *Concubinas* haberent quibus ſe oblectent, quæ cùm uxores non ſint, tam propè ſanè ad ſcortorum conditionem accederent quàm quatuor denarii, quod dicitur, ad drachmam, an non hoc ingens ſcandalum eſſet in conſpectu populi, tum virorum tum fœminarum, ad præcipitandos eos in peccatum, dum eum vident, qui immediatus ipſorum viæ-dux ſit ad cœlum, Meretriculam tam audacter in intimam ſociam Itineríſq; comitem ſecum ducere? Religio enim Chriſtiana nullam rem talem admittit atq; eſt *Concubina*. Unumquemq; oportet maritum eſſe unius *Uxoris*, *Concubinæ* verò neminem; ſiquidem id à communi ſenſu Chriſtianitatis abhorret.

10. Quamobrem univerſi Juvenes in *Parochia* cùm tam Authenticum *Fornicationis* exemplum in *Patre* ſuo *ſpirituali* conſpiciant, qui tam ſacra Perſona eſt ut cuiquam Civilis Magiſtratûs miniſtro nefas ſit ei manus admoliri, qui tam ſanctus eſt ut idoneus exiſtimetur pro populo *Interceſſor* ad ſuperum Altare in *Sancto Sanctorum*, populo interim in corpore Eccleſiæ relicto, ut *Iſraëlitæ* olim ad pedem montis quando *Moſes* aſcendebat Deum privatim conveniendi gratiâ, in ſummitate montis *Sinai*. Cujus labia adeò ſanctificata ſunt, ut eis ſolùm (non autem profanis barbis *Laicorum*) ſacrum Poculum deoſculari liceat, immò totum ebibere, & calicem poſtea accuratè abſtergere, nè vel una guttula relinquatur ad ſedandam ſitim aut ſatisfaciendum curioſitati *Laici* cujuſvis quantumvis cupidi *viri fœminæve*. Et poſtremò, cujus Halitus adeò omnipotens eſt ut verbis quinq; recitatis creare poſſit ipſum humani generis Creatorem. Si tam ſanctæ magnificæq; perſonæ quàm hæc eſt, inquiet quilibet Parochiæ Juvenculus (cum bello illo adoleſcente in Comœdia) hujuſmodi laſcivos cum ea quæ ipſius uxor non ſit, ludos facere liceat; *Ego homuncio hoc non faciam? Ego verò illud faciam ac lubens.* Adeò naturaliter invitabuntur omnes hoc eximio Sacerdotis exemplo animabuntúrq; ad turpitudinem patrandam in ſingulis Villis, Oppidis, ac Civitatibus cujuſlibet Regni. Nec tam ingens ſcandalum falſa hæc Eccleſia edere dubitabit potiùs quàm ſeipſam minus capacem reddere, ſuámve ſpem minuere nè Hæres futura ſit executrixve ex obitu ſingulorum ſuorum Sacerdotum.

11. Et

11. Et quantùm ad *Pontificem* ipſum, hic etiam haud parum contribuere poſſet ad Chriſtiani orbis mores corrumpendos, ſi ſub ipſius aſpectu, in ſua propria putà Sede metropolíve Imperii, nimiùm favoris adhiberetur aut indiligentiæ in punienda ac reprimenda hujus vitii petulantia ac præſidentia. Ut ſi permitteretur notis *Curtiſannis* per Plateas incedere magnifico apparatu ſummarum Heroinarum æmulo, blandè officioſéq; tractatis etiam ſub meridiem, ſpectante populo, ſtipatíſq; hominibus Eccleſiaſticis ſummi gradûs ordiníſque, nec in tam enormem craſſámq; morum depravationem animadverteretur. Hoc ſanè haud exiguo adjumento eſſet ad gratiam comparandam atq; exiſtimationem huic *Veneris* ludo.

Verùm, ſuppone *ſanctitatem ſummam Pontificiam* partem lucri harum *Monacharum Veneris* non luctanter acceptare, ad augmentandos ſuos reditus, an non hæc ulterior eſſet legitimationis hujus ludi confirmatio? publicáq; mundo ſignificatio quòd nihil opus ſit hominibus ut tanta cum cura ac ſolicitudine ſibi ipſis contra importunam ſuarum libidinum obſidionem defendendis inſudent, cùm ipſa *ſumma ſanctitas Pontificia* ad faciles ſanè æquáſq; conditiones hac in re deſcenderit, patientérq; permittere velit numeroſis quidem multitudinibus harum operariarum *Impuritatis* etiam in propria ſua Sede Epiſcopali quæſtum occipere, eâ lege ut annuos ſibi indè pendant Reditus, eóq; pacto ſacroſanctum hunc ſummum Sacerdotem, ſupremum agnoſcant Civitatis *Sannionem*. Hoc profectò reverà eſſet, *matrimonii quidem perſecutorem*, *Ganearum* verò *Patronum ſe præbere*, utì rectè quidam præciſéq; ſuper hac re pronunciat.

Quod enim majus Patrocinium exoptare poſſunt quàm illius ſuffragium & approbationem, qui aut eſt aut haberi vult *univerſalis Judex infallibilis*, ſaltem in cauſis omnibus Religioſis, cujúſq; ipſe *Titulus* ſeu Inſcriptio eſt, *ſanctitas*? Quòd autem eas approbat manifeſtum eſt ex eo quòd acceptat, ſi non extorquet ab ipſis partem
Deut. 3. 18. lucri. Cùm tamen verus ille ſanctus *Iſraëlis* mercedem meretricis noluerit acceptare quantumvis oblatio eſſet voluntaria; ut ſuam nimirum oſtenderet averſationem ab hujuſmodi impuritatibus. Verùm impoſſibile eſt ut quiſpiam ſciens prudénſq; vel ex pacto, lucri particeps fiat, ſub conditione ſcilicet ſilentii conniventiæque, aut quovis modo favendi Improbitati quæ lucrum invehit, quin eo ipſo ipſe improbitatis ſit particeps. Quod cùm ſupponatur in ſummo hoc Sacerdote, huic conſequens eſt, quòd hanc *Veneris Nundinationem*, quæſtum intelligo Meretricium, tanquam haud ità improbum conſiderat, atq; hoc pacto univerſo mundo habenas relaxat *Libidini* ac *Impuritati*.

12. In quam etiam celeriùs præcipitarentur immergerentúrq; ſi ſuffragiorum multitudine ab inferioribus *Ordinibus Religioſis* circundarentur, impudicis eorum actionibus fœtidíſq; ſermonibus teſtimonium perhibentibus, ſe in ea eſſe opinione, hoc peccatum leviculum eſſe vel potiùs omninò nullum. Supponimus enim eos vix illud tanquam peccatum conſiderare ullâ aliâ ratione, niſi quòd peccatorem illud oporteat Sacerdoti confiteri (quò faciliùs Sacerdotes *Laicos* ſibi obnoxios tenere poſſint, propriáq; ipſorum malefacta conſcientiis ſuis minùs oneroſa ſentire dum alios ſibi ſimiles eſſe toties obſervant) ejúſq; agnoſcere autoritatem, ac voluntati ipſius ſe ſubmittere de negotio, in quo, prout ipſum jam deſcripſi, eum experturus ſit hominem ſanè perquam *civilem* ac *humanum*.

Supponemus igitur maximam partem Cleri hujus falſæ Eccleſiæ impuram turpémq; in actionibus, ſermonibus ac geſtibus; & ut nihil deſit ad exaggerandam hanc *Antichriſtianiſmi* Ideam, ea in parte cui jam inſiſtimus (poteríſq; ſi lubet idem in cæteris ſupponere) fingemus ipſum ſummum Sacerdotem æquare ſaltem reliquos Fornicationibus, Adulteriis & Inceſtu, ſi non antecellere. Quæ res profectò neceſſe eſt ut malignam habituræ ſint influentiam ad mores univerſæ illius partis Orbis Chriſtiani corrumpendos quæ ullam exiſtimationem habent, ullámve debent Reverentiam huic Imperio Sacerdotali.

13. Poſtremò, ut nihil deſit ad menſuram hujus *Antichriſtianæ* Pollutionis ſive *Impuritatis*, quam deſcribimus, explendam, ſupponemus porrò eas Regiones & Principatus qui proximè ſummi hujus Sacerdotis Sedi adjacent, alteram eſſe *Pentapolin* propter *Impuritatem* omnium ſceleratiſſimam, ipſam turpitudinem intelligo *Sodomiticam*.

Immò ipſos *Sacerdotes ſummos* utplurimum adeò impios fore ut ii certè ex eis tolerabiles habendi ſint ſi non laudabiles qui quibuſcunq; voluptatibus illicitis quas è *fœminis* decerpere poſſint, contenti fuerint, cùm *Venus maſcula* tam frequens ſit etiam in Capitibus hujus Eccleſiæ Apoſtaticæ; *Pathicóſq;* eſſe, gradum fore proximum, ſaltem nullum obſtaculum, ad ſummos Eccleſiaſticos honores: Fœdum hoc

Gomorrhæ

Gomorrhæ peccatum eò invaluiſſe, illóq; eſſe in pretio ut *Principes Eccleſiaſtici* magnoperè ſibi placeant oſtentando Ingenium ſuum ac eloquentiam in deſcribenda hujus vitii voluptate illiúſq; præcellentia ſupra omnia oblectamenta è ſexu fœmineo; putidóſq; hujuſmodi tractatus in publicum edi cum ſecuritate & impunitate, Capite hujus impiæ corruptæq; *Synagogæ* in ipſos minimè animadvertente, qui tamen contra voti *Monaſtici* violationem doctrinámve quamlibet eò tendentem igni ac ſulphure Excommunicationis eſſet fulminaturus, & ſuppreſſurus fortean laudabilem quamlibet *Satyram*, ad perſtringendum fœdum hoc ac nefarium crimen *Sodomiticum* concinnatam, immò diſpenſationem donaturus integris Familiis ob tenues profectò rationes ſuper uſu tam execrandæ Turpitudinis.

14. Et denique, Partim per audaciſſima Aulæ hujus *ſummi Præſulis* exempla, & partim per validas vitæ *Monaſticæ* Tentationes & Importunitates (cùm deſidia formulæq; Devotionis inefficaces corpus minimè mortificatum relinquant, immò fæculentum magìs ac libidinoſum quàm in quibuſlibet hominibus ſecularibus, ipſorúmq; à fœminis ſecluſio eis non permittat fœdo ſuo onere aliter quàm *Veneris maſculæ* uſu ſe levare) ſupponemus porrò noxium hoc venenum per univerſum ferè hunc Orbem *Pſeudochriſtianum* ſe diffudiſſe, multáq; Monaſteria hoc *Gomorrhæ* peccato abundare, impuro hoc æſtu ab Inferni faucibus, *ſummi Pontificis* utiq; palatio, ad frigidiora ac Borealiora ſui Imperii *Antichriſtiani* climata penetrante.

15. Quamobrem cùm ipſa forma hujus *Pſeudo-Chriſtianæ Politiæ* ac conſtitutio talis ſit quæ ex ſua natura ejuſmodi fœdis producendis fructibus ſit apta, etiam fructibus *Sodomæ* pomíſq; *Gomorrhæ*, cúmq; eam ſupponamus iſtiuſmodi fructus, impuriſſima putà Carnis opera, *Fornicationem*, *Adulterium*, *Inceſtum*, ipſámq; adeò *Sodomiam* modo tam copioſo producere; quomodo dubitare poſſumus quin inſigne futurum ſit *Antichriſtianiſmi* ipſiúſve *Antichriſti* membrum, ubicunq; inventa fuerit, craſſam hanc intelligo *Impuritatem* tam conſpicuè ſecundo *Divinæ vitæ* ramulo oppoſitam, illáq; politia ſic infecta (ſi modò illa Infectio dicenda ſit qui naturalis omninò eſt flos fructúſve intrinſecæ conſtitutionis rei) cum variis *Impuritatum* generibus illa ipſa ſit Civitas ſummo quidem gradu Antichriſtiana quæ *myſticè* dicitur *Sodoma* æquè ac *Ægyptus*, cujúſq; Incolæ excluduntur è ſancta Civitate (Nova *Hieroſolyma*) ut qui ipſi perfectè ſunt oppoſiti, quorúmq; portio ſtagnum eſt *ardens igni & ſulphure quæ eſt mors ſecunda.* Apoc. 11.

In quorum nigro damnatorum Catalogo recenſentur inter alios οἱ πόρνοι *Meretrices* & *Scortatores*, ſive ſimplex *Fornicatio* ſit ſive *Adulterium*, & *Inceſtus*, ut & οἱ ἀρσενοκοῖται & μαλακοὶ *cum maſculis concubitores* & *Pathicos*, quibus reſpondent οἱ κύνες *Canes* in altero Catalogo cap. 22. Siquidem libidinis & obſcœnitatis caninæ furor facit ut promiſcuè ſe invicem adoriantur ſine ſexûs diſcrimine. Apoc. 21. 8.

Atq; hoc ſufficiat ad breviter deſcribendum illud Antichriſtianiſmi membrum quod opponitur illi *Divinæ Vitæ* Ramulo qui Chriſtiana *Puritas* eſt.

CAP. XIII.

1. *Præſtantia* Charitatis, *quódq; ea eſt ipſa vita animáq;* Politiæ *Chriſti.* 2. *Deſcriptio naturæ Regni* Chriſti *è Scripturis.* 3. *Proprietatum illius Imperii è præcitatis Prædictionibus Collectio, quódq; omnes effectus ſunt* Charitatis. 4. *Cui Regnum* Antichriſti *eſt contrarium.* 5. *Pauperum oppreſſio atq; inopum per* Antichriſtianam *hanc Politiam.* 6. *Hominum, ſub falſo prætextu Hæreſeos, ſuis fortunis expoliatio.* 7. *Abſurdarum pœnarum barbaræ Injunctiones.* 8. *Hujus Politiæ nuſquam æquiparanda ſuperbia.* 9. *Indigniſſimarum calumniarum adversùs veritatis profeſſores diſſeminationes, quemadmodum Pagani olim fecerunt adversùs primitivos Chriſtianos.* 10. *Harum* Antichriſtianarum *Calumniarum exempla varia.*

1. ULtimus *Divinæ vitæ* ramulus eſt *Charitas* quod culmen eſt ſummúmve germen aut flos, immò ipſa *Quinteſſentia* Chriſtianitatis, vitáq; ac anima illius *Politiæ* Regníve Chriſti quod prædictum eſt in ſacris Scripturis, debétq; maximè immediatè in *Perſonis Eccleſiaſticis* fundari; Quorum Converſationis *Gravitas*,

Manſuetudo & *Exemplaritas*, ut & efficacis ipſorum doctrinæ & conſolabilis ac benignæ diſciplinæ vis & efficacia, ad accuratiorem pertingens vitæ humanæ emendationem quàm quò Leges *civiles* utplurimum collineant, (hoc eſt, ad homines reddendos magìs ſobrios ſanctóſq; in Converſatione ſua, magìs æquos moderatóſq; in exactionibus ſuis, magìs liberales ac miſericordes erga pauperes, magìs fideles ac ſinceros, magíſq; benevolos ac candidos erga ſe invicem quàm leges *Politicæ* eos efficere poſſunt) erigere debet illud *Regnum Chriſti* in mundo, quod reverà futurum eſſet ingens gaudium ac felicitas omnium Nationum Terræ, ſecundùm ipſorum votum atq; expectationem. Neq; enim quicquam magìs exoptabile eſt quàm *Regnum* Chriſti (quod ut veniat quotidie oramus) ſecundùm illas deſcriptiones quæ de eo fiunt apud *Prophetas* & in *Pſalmis*.

Pſalm. 72. 2. *Hominibus patrocinabitur inopibus, tuebitur genus pauperum fraudatores attenuans. Erit quaſi deſcendens in detonſa prata pluvia, ut terram irrorans imber. Florebunt ejus tempore juſti, multáq; pax donec deſinat eſſe Luna.* Et paulò pòſt in *Cap.* 42. eodem *Pſalmo*; *Tenues miſerabitur & egenos, pauperúmq; vitam tuebitur. Eos à fraude & injuria vindicabit, & eorum ſanguinem in pretio habebit.* Et apud *Eſaiam* de eo dictum eſt; *Quaſſatam arundinem non perfringet, langueſcens ellychnium* *Pſalm.* 45. *non extinguet, jus ad veritatem perducet.* Et rurſus in *Pſalmis*; *Accinge femori gladium tuum heros, tuum decus & gravitatem. Atq; iſtâ gravitate feliciter invehere, fidei & tam mitis juſtitiæ ergô, & tua tibi dextra res oſtendat ſtupendas*, nempe ut oppreſſorem attenuet, hominémq; fraudulentum publicâ obruat ignominiâ. *Cap.* 9. Etiam apud *Zachariam*; *Exulta vehementer filia* Sion, *exclama lætè filia* Hieroſolymæ, *ecce venit tibi rex tuus qui juſtus & victorioſus eſt, humilis, equitans in Aſino & pullo Aſinâ nato.*

Cap 40. Et rurſus apud *Eſaiam*; *Ut paſtor gregem ſuum paſcet, lacerto ſuo congregatos in ſinu geſtabit agnos, fœtas agens.* Et alio in loco copioſiùs regnum Chriſti deſcri- *Cap.* 11. bens, *Terrarum tenues*, inquit, *juſtè judicabit, inopéſq; terrarum corriget ex æquo, & terras oris ſui baculo verberabit, & ſpiritu labiorum ſuorum necabit impios, habens pro laterum cinctu juſtitiam, pro ilium cinctu fidem. Itáq; verſabitur cum agno lupus, accubabitq; pardus hœdo, copulatóſq; vitulum & leonem & taurum ducet puer parvulus, & vacca urſúſq; compaſcentur, concubantibus eorum pullis, & leo more boum paleâ paſcetur, & ludet ſuper aſpidis foramen lactens Infans, ſupérq; viperæ cavernam ablactatus puer manum agitabit. Nuſquam malè aut nequiter fiet in meo ſacro monte, quoniam tantæ cognitionis Jehovæ terra plena erit, quantis operitur aquis mare.*

Quibus omnibus addere potes, Chriſtum cum ſua Eccleſia in *Apocalypſi* ſemper ferè repræſentari ſub Hieroglyphico *Agni* illius innocui & pacifici Animalis, & apud *Danielem* ſub Typo *Hominis*, cùm reliqua Regna ibi præfigurentur per *Feras*. Quod planè innuit, Chriſti regnum regnum non fore *belluinæ ferocitatis*, ſed *Rationis*, *Humanitatis*, ſummæq; *Benignitatis* ac *Miſericordiæ*.

3. Secundùm hanc igitur *Regni Chriſti* deſcriptionem, Regnum *Pacis* prorſus eſt atq; *Amoris*, Imperium *Divinæ* illius *virtutis Charitatis*, ſéq; ipſum manifeſtat in defendendis, vindicandis, ac ſublevandis pauperibus, in *Humilitate* & *Manſuetudine* imperantium, atq; in eorum veritate ac fide in rebus adminiſtrandis abſq; omni malo dolo ac fraudulentia, in unitate amicóq; populi commercio, in ceſſatione belli ac hoſtilitatis, & in protectione Sanctorum Dei à perſecutione & cæde; omnes hæ beatitudines in Regno Chriſti juxta ſuprà citatas Prædictiones includuntur, ſúntq; univerſæ effectus *Charitatis* prout S. *Paulus* Gratiam eam à præſtantiſſimis ſuis fructibus deſcripſit.

1 *Cor.* 13. *Charitas* enim *benigna eſt*, plena actionibus Humanitatis, *non quærit quæ ſua ſunt*, multóq; minùs ſive per invidiam ſive per avaritiam inhiat alienis; *Charitas* ſuperbiâ faſtúq; animi *non inflatur, non gaudet injuſtitiâ* dolóve, ſed *veritati gratulatur* ac fidelitati; *Charitas non facilè malum cogitat de hominibus, nec indecorè perperámve ſe gerit*, ex mala opinione quam de ipſis conceperit quantùm ad *Moralitatem* ac *Religionem*. *Charitas* tantum abeſt ab inflammandis aliis ad bellum ut *vix ipſa irritari poſſit ad iram*, ſed lenis eſt atq; longanimis, tantoperéq; abhorret à perſequendo trucidandóq; bonos, ut nimis ſeverè vix animadverſura ſit in eos qui haud ſatìs probatæ ſint converſationis. *Charitas* enim *omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*; tantum abeſt ut perſequatur, incarceret, torturis ſubjiciat occidátq; homines innocentes atq; probos (qui vero Dei timore imbuantur) ex *mundanis* ſuſpicionibus maliſq; ominationibus; hoc eſt, præ metu nè *veritatis Evangelicæ* diſſeminatio uſurpatitium ſuum Imperium *Idololatricæ Tyrannidis* ac *ſuperſtitionis* ſubrueret.

4. Quam-

4. Quamobrem cùm tam distinctum intuitum naturæ ac proprietatum *Charitatis* conditionisq; *Regni Christi* in Ecclesia, cujus Dominium in *Amoris lege* fundatur, habeamus, non difficile erit *Antichristianæ Politiæ* Imaginem delineare, quatenus ultimo huic *Divinæ vitæ* ramulo opponitur, quæ eximia illa est Gratia *Charitatis*.

Supponemus igitur cœtum hominum, qui se Christi ac Apostolorum *Successores* esse prætendant (qui certè si legitimi illius essent successores, oporteret eos etiam in donis sui spiritûs succedere) in rebus Ecclesiæ administrandis, illi *Regni Christi* descriptioni è Prophetis atq; Psalmis, prorsus esse contrarium; an non hoc crassum conspicuúmq; *Antichristianismi* membrum reperiretur?

5. Ut verbi gratiâ, primùm si supponeremus, cùm Servator Christus describatur tanquam is qui pauperum animas ac egenorum redimat ab oppressione & injuria, hujus Politiæ constitutionem, quam hi simulati illius successores in mundo erexerint, *jugum* esse simplicissimis corde hominibus, majus *Judaico*, servitutémq; *Ægyptiacâ* intolerabiliorem, quemadmodum eam suprà descripsi, ut quæ tum conscientias eorum onerat & affligit, tum corpora etiam fatigat crumenásq; evacuat per mulctas ob istiusmodi peccata quæ contra nullam Dei legem committantur ullúmve officium quod debemus Proximo, sed tantùm adversùs ejusmodi superstitiosa Instituta quæ per quorundam ignorantiam, aliorum verò astum & calliditatem facta sint, qui leges superfluas multiplicant, ut dulci pœnarum lucro indè fruantur, sanguinémq; ac succum hominis pauperculi, qui laboribus victitat, exsugant, quoties eum hisce suis retibus illaqueaverint; an non hoc apertissimè adversaretur illi parti Descriptionis *Regni Christi* quæ consistit in protegendis sublevandísq; pauperibus & oppressis? 1. *Lib. 1. cap. 19, 20, 21, 22.*

6. Equidem res esset admodum à Christianitate aliena, nec obscurum quidem indicium eos haud veros & genuinos Christi esse successores, qui non eam apud civilem Magistratum gratiam obtinerent, ut omne vile vasallagium servitúsque, omnísq; squalida ac deploranda paupertas, ad gloriam Evangelii & in honorem *Regni Christi* fugetur, quod ibi semper supponitur esse ubicunq; Evangelium recipitur. Ut verò hi simulati ac Hypocritici *Successores* in mancipando mundo Instrumenta essent & Adjutores, ut partem spolii lucrentur, vel potiùs ut *spiritualem* quandam *Politiam* erigerent ad mancipandos universos, & intolerandam introducerent *corporis, animæ, fortunarúmq;* servitutem, qualem ipse *Paganismus* vix unquam viderit, certè hoc oportet esse vel summo gradu *Antichristianum*.

Etenim quæ esse potest magis barbara oppressio, quantùm ad *fortunas* hominum, quàm sub prætextu *Infallibilitatis* talem fabricare Religionem quæ *verbo Dei* perspicuo immutabilibúsq; *Rationis regulis* omninò repugnet, omnia depravando ad hunc modum, in suum commodum mundanum, sicut satis fusè jam descripsi, ut ampliores reditus ad fastum pascendum luxuriámq; hujus falsæ Ecclesiæ acquirant? Et postquam Divinam veritatem tam crassè perverterint, ut declararent, eos qui ipsorum figmentis ac mendaciis fidem non habuerint, nullum habere jus ad proprias suas *fortunas*, non magis certè quàm quivis fur latróve habet ad suam rapinâ acquisitam prædam, ac propterea ut non solùm eos ab omnibus publicis muneribus utilibus aut honorificis prohiberent, sed incapaces etiam redderent condendi Testamenta, Hæredésq; ipsorum hæreditandi suas Fortunas, eósq; absterrerent à vendicandis suis Patrimoniis, nè paterna Hæresis, quasi hæreditario quodam jure descendens, ipsis vel invitis impingeretur.

7. Quibus *Antichristianis* barbaritatibus addere porrò potes contemptuosas ac crudeles pœnas quas eis imponunt qui Ecclesiæ suæ se submiserint, cogendo eos squalidè ac horribiliter personatos in publica processione incedere, aut injungendo ipsis ut suris pedibúsq; nudis ambulent in subuculis, propriáq; flagellis cedant corpora in conspectu populi dum progrediuntur. Quàm dissimile, immò verò quàm prorsus contrarium hoc est illi mansuetudini ac benignitati quæ in disciplina ac regimine *regni Christi* describitur? Verùm non opus est ut hisce rebus immoremur, quandoquidem de ipsis satis fusè suprà jam egimus.

8. Nunc verò quantum ad alterum illud spectat, *Humilitatem* intelligo, animíq; demissionem, qui etiam unus fructus est *Charitatis*, & ex quo Persona Regiménq; Servatoris apud antiquos Prophetas describitur, equidem detestabilitatem vitii *Antichristiani* huic virtuti oppositi in primo *Divinæ vitæ* ramulo ostendimus, nec opus est ut hic quicquam insuper adjiciamus. 2.

9. Tertius *Charitatis* Character est, quòd *fidelitate* gaudet ac *veritate* in humanis *transactionibus*. Quarum quidem contraria facili negotio discernuntur. Ut missas igitur faciamus *fraudes* illas multifarias quas in hac nostra *Antichristianismi* descriptione perpetuò ferè subnotavimus, hoc certè admodum *Antichristianum* 3.

eſſet & à *Charitate* valde alienum, nimirum Actiones opinionéſq; hominum publicis ſermonibus ſcriptiſve perversè perperámq; repræſentare, immò inſignia adinvenire mendacia ac figmenta quibus perſonas hominum ipſorúmq; doctrinas deturpent, hominéſq; ſubornare qui ea ſcribant, & in publicum divulgent tanquam vera. Qua quidem in re eorum imitarentur mores qui vixerunt ſub Dracone, antiquo illo Serpente falſóq; primitivorum Chriſtianorum *Accuſatore*, quos defamabant ac calumniabantur tanquam *Solis adoratores*, quia Deum orabant faciebus ad Orientem converſis, *Hominúmq; mactatores*, *comeſtoréſq;* ac *potatores humanæ carnis ac ſanguinis*, quia panem vinúmq; Euchariſticum corpus ſanguinémq; Chriſti appellitabant, cùm tamen ſenſu tantùm myſtico ſymbolicóve illud intelligerent. Ob profeſſionem cum S. *Paulo nec maſculum eſſe nec fœminam in Chriſto*, ſed utriſq; pariter aditum ad æternum ſuum regnum patêre, eos *nullam* habuiſſe *rationem ſexuum*, ſed viliſſimos fuiſſe *Sodomitas* fœdóſq; cum maſculis concubitores. Ob conventiones ſuas ad Deum privatè colendum, in cryptis ſpelæíſq; ſubterraneis propter metum perſecutionis, eos *conſpiratores* fuiſſe contra *Rempublicam Imperiúmq; Romanum*. Et poſtremò ob reverentiam quam adhibuerunt in recipiendis elementis Panis atq; Vini in ſacris ſuis Communionibus, cultores fuiſſe *Cereris* atq; *Bacchi*.

10. Ad eundem modum facilè quidem ſupponere poſſumus *Pſeudochriſtianam* hanc Eccleſiam contra vera Chriſti membra hujuſmodi perverſas calumnias comminiſci poſſe, eáſq; in vulgum ſpargere, traducendo nimirum eos tanquam *Atheos* aut ſaltem *Arrianos*, quia *conſecrati Panis* fruſtuli *Divinitatem* non agnoſcunt, famigerando *Manichæos* quia Poteſtatem Eccleſiæ illâ Imperatorum Regúmq; ſuperiorem non tenent, (ut ſic unica nempe ſit ſumma Poteſtas in Eccleſia) ſed ſecularem poteſtatem aſſerunt ab Eccleſiaſtica minimè pendêre. Quaſi quis profectò, has duas poteſtates tenendo diſtinctas, duo *Manichæorum* principia eo ipſo teneret; tanquam *Scoparum inequitatores Magóſve* eos defamando, quia propter ſæviſſimas perſecutiones loca deſerta & montana habitare coacti fuerint; vel ob nocturnas ſuas in privatis ædibus conventiones, imputando ipſis iſtiuſmodi horridas ac ſceleratas conſuetudines quæ de Chriſtianis primitivis olim ferebantur, candelâ ſcilicet extinctâ eos Inceſtum omnéq; genus impuritatum in tenebris commiſiſſe, immò proprios liberos in his occultis Conventiculis occidiſſe; Accuſando illos *convitiationum* adversùs *Sanctos*, ex eo tantùm quòd profiteantur ſibi licitum non eſſe eos invocare; aut *blaſphemiarum* contra *beatam Virginem*, quia par eſſe non putant religioſum cultum ipſi exhibere; Inſimulando eos *contumaciæ erga Magiſtratum* ex eo ſolummodò quòd in ſincera profeſſione illius fidei quæ Chriſti Apoſtolorúmq; doctrinæ conſentanea ſit, perſiſtant; Et poſtremò impingendo ipſis quæcunq; illis libuerit execranda facinora, & obturando ora ipſorum (ligneis aliquibus ferreíſve injectis epiſtomiis) quos tam injuſtè accuſaverint aut calumniati fuerint, nè pro ſeipſis reſpondere poſſint, ſéq; coram populo purgare; Immò ſubjiciendo homines ejuſmodi Torturis ut ipſa viſcera è corporibus erumpant, ut cogant eos aut ſeipſos confiteri aut ſectam ſuam iſtiuſmodi nefariorum criminum reos eſſe quorum haud credibile ſit vel ipſos perſecutores eos reverà habere ſuſpectos, idq; in eum ſolùm finem, ut prætextum habere poſſent ſpeciémve aliquam ex hujuſmodi extortis confeſſionibus, ſuas populo verificandi calumnias, reddendíq; inſontes atq; innocuos veritatis Evangelicæ profeſſores odioſos omnibus atq; inviſos.

Certè ſi hoc illi *Charitatis* parti quæ in *fide* ac *veracitate* cernitur, ex diametro non adverſetur, nihil omninò excogitari poteſt quod illi poſſit adverſari.

CAP.

CAP. XIV.

1. *Nota ignominiosa veris Christianis inusta ex invisso Titulo* Hæreticorum, *cum barbaris in ipsos injuriis indè ortis.* 2. Hæresin & Schisma *peccata esse contra Ecclesiam verè Catholicam & Apostolicam.* 3. *Quid intelligatur per* unam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. 4. *Quid sit nefarium illud peccatum* Hæresios. 5. *Quid* Schisma. 6. *Homines dum sincera Corporis Apostolici membra sunt, nec* Hæreticos *esse posse nec* Schismaticos. 7. Hypocritica & Schismatica *meticulositas hujus* Antichristianæ *Ecclesiæ in abstinendo se à communione, in quovis actu religioso, cum quolibet verè* Apostolici corporis *membro.* 8. *Propositum eorum fraudulentum in fovenda hac schismatica meticulositate & insociabilitate.*

1. SED enim & illud adnotabimus quod tam frequenter eis imputabitur qui à falsa hac Ecclesia dissenserint, ut vix in contumeliæ loco habitum fuerit, sed *Civilitatis* potiùs aut saltem *justitiæ*, éstq; illa adeò crebra horum, ignominioso *Hæreticorum* & *Schismaticorum* nomine, appellatio. Quod tamen proprio ipsorum judicio tam parùm habere ponderis vix credo, cùm realis eorum super hac re æstimatio ex illorum actionibus cerni possit, ut qui *Hæreticum* tam invisum habent ac contemptibilem ut nè communibus quidem humani generis privilegiis eum dignum reputent, nec protectione illâ quam humanæ Societatis leges omnibus hominibus ministrant, adeò ut nulla sit illi Promissi securitas quantumvis juramento confirmati, siquidem *fides non est servanda cum Hæreticis.* Ut nè hîc commemorem *pœnam Hæresios* esse *capitalem.* Quod quàm justè statuatur, quando quis præ superbia nimiáve sui existimatione talis non evaserit, hîc non disputabo.

2. Magis utile credo fore, si consideremus quid sit *Hæresis Schismáve* reale, ut sincerus *intelligénsq;* Christianus contumeliâ non afficiatur, nec *minùs intelligens* à veritate, hujusmodi *Mormolyceis*, absterreatur. Qui contra horum peccatorum immanitatem tantoperè exclamant, eorum certè zelus & eloquentia rectiùs impenderetur, si tam fideles esse vellent ut veram eorum notionem descriptionémve nobis depromant, alioqui dum tantam præ se ferunt industriam studiúmq; promovendi *Pacem* ac *Unitatem* in Ecclesia, fieri profectò potest ut majorem indè dent occasionem *Dissensionibus* ac *Simultatibus.* Plura enim statuere, *Hæreses* esse & *Schismata* quàm reverà sint, est certè plures excitare rixas ac controversias quàm sit opus. Equidem nemo me lubentiùs agnoscat *Hæresin* & *Schisma* crimina esse oppidò quàm gravia etiam saturatissimâ turpitudine tincta; at enim eam oportet veram esse *Hæresin* atq; *Schisma*; Non quicquid Protervitas, Mundani lucri ratio, aut præjudicium deniq; dominantis partis eo nomine appellandum censuerit, sub prætextu quòd illi, una illa Ecclesia Catholica sint, à cujus doctrina (quantumlibet falsa sit corruptáve) siquis dissentiat, *Hæresis*, si verò à communione eorum se subducat (quantumvis *Idololatricæ* ipsorum sint praxes & consuetudines) *Schisma* sit habendum. Minimè gentium. Illa immania peccata *Hæresios* atq; *Schismatis* non sunt contra hanc illámve *particularem Synagogam*, quantumlibet numerosa sit, sed contra *antiquam* veré q; *Catholicam* ac *Apostolicam Ecclesiam.* Quibus *verbis* nè quis abutatur ad faciendum, ut Ecclesia minùs *Catholica* minúsq; *una* appareat quàm reverà sit, facilem hîc sensûs eorum resolutionem apponendam censui.

3. In ea igitur sum opinione, Objectum Fidei nostræ in hoc *Symboli* Articulo hasce tres esse Propositiones.

Primò, *Ecclesiam* Dei in qua æterna salus expectanda est, non esse nisi *unam*, hoc est, neminem in religione qualibet servari posse, ut quidam nimis temerè leviculéq; imaginantur, sed *viam unam* duntaxat esse ad salutem quæ *veræ* Dei *Ecclesiæ* est revelata; ad quam omnes antè venire oportet quàm æternam salutem possint adipisci.

Secundò, *Ecclesiam hanc* Dei, nunc esse Ecclesiam *Catholicam*, non *Topicam* seu *Nationalem*, ut in Republica olim *Judaica*, sed Ecclesiam, quæ jus habet ad extendendum se super faciem totius Orbis Terrarum, eóq; destinatam esse à Divina Providentia, quemadmodum in multis Prophetarum locis prædicitur. *Ab ortu Solis ad occasum magnum erit nomen meum apud gentes, & ubiq; locorum afferetur meo nomini suffitus & oblatio pura*, quemadmodum *Malachias* vaticinatus est; *Davidq;* in secundo Psalmo, *Postula à me & tibi gentes in hæreditatem, orbis fines in possessionem dabo.* Cap. i. 11.

Tertiò

Tertiò denique, Ecclesiam hanc unam Catholicam nec tam latè esse extendendam, ut ibi agnoscatur ubi Doctrina *Apostolica*, Fidésq; ac Praxis à Christo ac Apostolis tradita ac mandata oppugnentur, Doctrinæq; ac praxes eis prorsus contrariæ sint introductæ; nec in tam angustum spatium coarctandam, ut ejusmodi hominum Societates apud quos Doctrinæ Apostolicæ obtineant primævæq; praxes Ecclesiæ quæ ab Apostolis ipsóq; Christo initium sumpserint in usu sint, pro hujus *Ecclesiæ Catholicæ* parte *non* habeantur; hoc est, ut Adæquatum Characterem hujus unius Catholicæ Ecclesiæ *non* censeamus hunc esse, ut nihil Apostolicarum Doctrinarum imitabiliúmq; consuetudinum quæ à Christo Apostolísve suis præceptæ sint rejiciat, nec doceat instituátve quicquam quod apertè ipsis contrarium sit verbóve Dei cui Christus Apostolíq; testimonium perhibent.

Ac proinde illam demum veram esse *Catholicam* Ecclesiam & quoad *totum* & in singulis illius *Societatibus particularibus*, quæ pro suis legibus ac consuetudinibus visibilibus, quibus ipsa etiam evadat visibilis, leges habet Christi & Apostolorum, & nihil præterea superadditum quod ipsis repugnet.

Hunc spero ab omnibus hominibus facillimum agnitum iri maximéq; genuinum hujus Articuli Christianæ fidei sensum quàm hæc verba possint ferre.

4. Atq; hinc credo quemlibet facilè posse discernere quæ sit illa *Hæresis* quæ tam atrox flagitium sit existimandum, nempe dissensionem esse ab *Ecclesia Catholica* etiam in eis rebus quæ in ipsa sint *Apostolicæ*. Nam per eas solas, dum integræ miniméq; in ipsa oppugnatæ manent, illa demonstrat se *unam* eam *solámq;* esse Ecclesiam Christi *Catholicam*. Et certè hoc atrox admodum facinus esset, contra illam autoritatem quam habet erudiendi imbuendíq; homines hac salutari veritate, vel mutire. Siquis, inquam, dissentiret ab ulla parte hujus *Apostolicæ* Doctrinæ, per spiritum *contradictionis*, nimiámq; sui existimationem, hæc profectò *Hæresis* esset turpissimis, quæ fingi possunt, circumstantiis induta.

Proximúsq; huic gradus esset, ab Ecclesia dissentire *Catholica* in ejusmodi rebus, in quibus universim inter se consentiant, quamvis nulla pars essent doctrinæ *Apostolicæ*, verùm interim non manifestò aut *verbo Dei* aut *immutabilibus Notionibus* humani Intellectûs dissentaneæ.

Tertiúsque gradus esset, à determinationibus propriæ cujusq; sive particularis *Nationalísve* Ecclesiæ in circumstantiis priorum non dissimilibus, dissentire.

Hæc sanè nimis propinquam habere videntur affinitatem cum illa quam maximè propriè primarióq; *Hæresin* esse definivimus. Cæterùm cùm ità sit, ut *Concilia* etiam *Oecumenica* errare possint, Scripturáq; in rebus ad salutem necessariis satis sit perspicua, Résq; ac Genii particularium *Nationum* oppidò quàm differentes ac mutabiles, Conciliáq; Generalia admodum difficulter tardéq; congreganda, equidem non debeo nimis præproperè illi Dissensui qui vel *Oecumenicam* aliquam doctrinam consuetudinémve spectet, tam gravem notam, quàm est illa *Hæresios*, inurere, cùm nulla hìc supponatur violatio collisióve cum Legibus doctrinísq; *Apostolorum*; Dissentire verò nolléve subscribere cujuscunq; Ecclesiæ determinationibus quæ doctrinis *Apostolicis* planè repugnant, non solùm *non Hæreticum* esset sed & *Heroicum*, præsertim si dissensus incommoda aliqua personalia illi probabiliter invecturus sit qui dissenserit.

5. Nunc verò quantùm ad *Schisma*, idem ferè statuendum est de *ipso* atq; de *Hæresi*. Manifestum enim est *Schisma* propriè sic dictum, separationem esse ab Ecclesia *Catholica* aut ab aliqua *Nationali* Ecclesia quæ illius pars sit etiam tunc ubi seipsam præstat *Catholicam*, hoc est, ubi *Apostolica* est vel quamvis sit *Apostolica*, nullásq; offerat opiniones consuetudinésve nisi quæ conformes sint Consuetudinibus ac Doctrinis *Christi* & *Apostolorum*. Separare se ab Ecclesia in hujusmodi circumstantiis, magnum equidem fateor crimen esse & execrabile. Verùm separare se ab Ecclesia in aliis rebus ex invincibili suspicione quòd assensus praxísve in hoc vel illo placito peccatum esset facinúsq; Deo invisum (quamvis illæ opiniones fortean veræ esse possint praxésq; in seipsis innocuæ) hoc sanè quanquam hominem reddere possit *materialiter* Schismaticum, *formaliter* tamen non potest, éstq; *miseratione* potiùs dignus qui sic peccat quàm contumeliâ.

Quòd si quis se separet ab illa Ecclesiæ parte (modò ea pars Ecclesiæ dici possit quæ sic se gerit) quæ opiniones praxésq; injungit quæ Christi Apostolorúmq; præceptis planè repugnant; separatio sanè in hoc casu *miseratione* non indiget, nec *convitiis* debet excipi, sed summis *laudibus* & *encomiis*. Illáque vox eos justificabit, quæ ejusmodi sibi poscit *Separatistas*, *Exite ex ea populo mi nè participes sitis peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiatis. Exitus* enim hoc reverà foret in veram Ecclesiam

Apoc. 18.

Introitus,

Introitus, mora verò protracta ab ea disjunctio, quemadmodum quidam acutè ſanè atq; verè, *Is Eccleſiæ non jungitur qui ab Evangelio ſeparatur.*

6. Quamobrem à vera hac determinatáq; rerum intelligentia manifeſtum eſt quàm enormi modo ac Antichriſtiano contra *Charitatem* contráq; vera Chriſti membra falſa hæc Eccleſia peccatura eſſet appellando ipſos *Hæreticos* & *Schiſmaticos* & Divulſores Diſcerptoréſq; unitatis Eccleſiæ, cùm reverà tam longè abſint ab *Hæreſi* ut fideles teſtes ſint *Jeſu*, ſoláq; ſincera membra corporis *Apoſtolici*, uníq; ſe illi fundamento agglutinent cujus *Chriſtus* præcipuus eſt lapis angularis, tantúmq; abſit ut ſint *Schiſmatici* ſeparando ſe à tali Eccleſia quam ego deſcripſi, ubi craſſa *Idololatria* & *ſuperſtitio* omnia inundaverint, ut hac ſuâ ſeparatione ſe ex illa *Babylonica* vel *Ægyptiaca* Captivitate redemerint, tranſierintq; ad illam civitatem quæ in *unitate*, unáve eſt cum ſeipſa, quámq; nunquam oportet variare, illam *unam* intelligo *ſolámq; veram Catholicam Eccleſiam*, ut quæ verè *Apoſtolica* ſit. Nam ſi illud verum ſit, *eum non Eccleſiæ jungi qui ſeparatur ab Evangelio*, equidem verum id etiam fore credo, *eum qui ſincerè jungitur Evangelio ſeparari non poſſe ab Eccleſia.* Ac proinde ſtrepitus hic ac vociferatio de divulſione diſcerptionéq; Eccleſiæ non eſt niſi injuſta ac clamoſa accuſatio ab Hominibus qui perſentiſcunt uſurpatitiam ſuam poteſtatem ac rem *mundanam* quaſſari, tanquam ſi in fruſta diſſultura eſſet in hac veræ *Apoſtolicæ* Eccleſiæ Reſurrectione, reſtitutionéq; Imperii Chriſti in proprias ſuas manus ad erigendum promiſſum illud diúq; jam expectatum *Juſtitiæ regnum* in terris.

7. Et tamen quarto in loco, quamvis falſa hæc Eccleſia adeò perfectè *Antichriſtiana* ſit, prout eam deſcripſi, adeò craſsè *Idololatrica*, miſeréq; ſuperſtitioſa & contra divulſionem unitatis Catholicæ Eccleſiæ, ut illa loquitur, tam ſtridulè clamoſa ac querula, ſupponemus eam nihilominus tam *Hypocriticè* ſcrupuloſam eſſe ac meticuloſam, ut jungendo ſe, in Divino cultu, cum eis qui membra ſint veræ ac *Apoſtolicæ* Eccleſiæ, nolit ſeipſam contaminare, immò nè in oratione quidem *Dominica* cum eis ſe jungere, aut in gratiarum actionibus ad menſam, nec dicere *Amen* ad breviuſculam quamlibet ejaculationem vel doxologiam quam occaſio aliqua ori eorum indiderit qui ad corpus pertinent *Apoſtolicum*, immò nec ipſi gratias agere volunt, nè *Apoſtolici* hi cum eis ſe jungerent ſuúmq; adderent *Amen.*

Et tamen hæc Præſtigiatorum Synagoga tantum profectò zelum præ ſe ferunt ac induſtriam in ſuffulcienda *unitate Catholicæ Eccleſiæ* ut nihil poſſit eſſe ſuprà; dum interea odio, invidiâ & contumeliis contra hos *Hæreticos*, quos vocant, ità flagrant turgéntque, ut minimè eos dubitent (ut & omnem omninò ſanè Eccleſiam præter ſuam) *Eccleſiam* appellitare *Diaboli*, ac pronunciare Deum non eſſe Deum niſi eos æternis flammis ſit adjudicaturus; Interdicántq; alumnis ſuis, nè *Requiem* quidem animabus eorum poſtquam ex vita hac exceſſerint, exoptent.

8. Cæterùm hæc non eſt niſi quædam obſtrepera ac Hiſtrionica Paratragœdiatio præ quod mox ſequitur. Diabolica interim eorum *fraus* in proſequenda illa in rebus ſacris inſociabilitate eos inter, quos ipſis viſum fuerit *Hæreticos* appellitare, atq; ſuos, admodum eſt conſpicua. Nè commercium ſcilicet in rebus Religioſis occaſionem illis præberet cognoſcendi veritatem, qui nullo alio glutine huic falſæ Eccleſiæ adhærent, niſi fidem adhibendo mendaciis, non talia tantummodò intelligo quæ diu jam ficta ſint ad mundanum Eccleſiæ commodum, ſed iſtiuſmodi perverſas Interpretationes ac falſitates quibus alumnorum ſuorum animos adversùs eos, quos illi *Hæreticos* appellitant, imbuunt, quorum doctrinas depravant moréſq; pro libitu traducunt, & commercium cum ipſis interdicendo, in vili illa de ipſis opinione quam per indignas ſuas calumnias infuderint, ſuos detinent.

Præterea, per hanc ſcrupuloſitatem de communicando cum ipſis in Religioſo quolibet officio, magnam ſanè, quod paulò antè inſinuavi, oſtentant *Pharſaicæ* ſuæ Eccleſiæ ſanctitatem, odiúmq; ingenerant ac deteſtationem omnium qui ipſam oppugnent. Quod quidem inſtitutum in eis qui tantoperè de *pace* ac *unitate* Eccleſiæ ſermocinantur, duplex eſt *Iniquitas*, ſummáque *Charitatis* violatio quæ citra pugnas ac prælia conſiſtat. Verùm proculdubio illa meretrix erat non mater genuina quæ tam crudeliter poſtulabat, ut infans divideretur. Et eam certè oportet adulteratam eſſe Eccleſiam, quæ Chriſtianos in eis rebus differre vult, in quibus profitentur ſe convenire, & in partes diſcindi ubi naturaliter coaleſcerent, in *Apoſtolicis* nempe doctrinis & conſuetudinibus.

CAP XV.

1. *Quales ad bella Inſtigatores horrendarúmq; cædium machinatores falſi hi ſint Succeſſores Chriſti.* 2. *Crudeles illorum lanienæ in Chriſti oves.* 3. *Prodigioſarum in ipſas Barbaritatum exempla propter fidelitatem ſuam erga* Servatorem *ac* Redemptorem. 4. *Numeroſitas eorum qui ſic paſſi ſint, cum particularibus quibuſdam Crudelitatum generibus.* 5. *Plura exempla hujuſmodi diabolicarum Barbaritatum.* 6. *Omnia elementa iræ ac furoris, hujus Antichriſtianæ Poteſtatis inſtrumenta facta.* 7. *Exempla hujus Antichriſtianæ ſævitiæ maximè belluina & inumania.*

1. CÆterùm reſtant adhuc manifeſtiora hujus *Antichriſtianæ* contrarietatis indicia adversùs hanc *Divinam Charitatis virtutem*, Regiam illam legem, quod jam dixi, Imperii Chriſti, quod deſcribitur à Pace & ſecuritate eorum qui ſub eo vixerint, *Non nocebunt, non occident in univerſo ſancto monte meo.* *Eſai. 11. 5.*

5. In quinto igitur loco, Quàm prorſus *Antichriſtianum* foret in eis qui ſpecialiori modo ſe prætendunt *Chriſti* eſſe *Succeſſores*, ſi inſtigatores reperirentur ad bellum, ſedulíq; cædium in orbe Chriſtiano Machinatores; Si ingenioſi pœnarum ac crudelitatum inventores, barbaríq; executores earundem; ſine miſericordia erga pauperes, eos etiam paupertatis causâ odio habentes; Principum per venena interfectores; etiam per panem illum quo prætendunt ſe animas eorum velle paſcere ad æternam vitam, ſummis interim Sacerdotibus, Capitibus utiq; hujus *Antichriſtianæ* Politiæ, ſua conſilia adjungentibus, aut plaudentibus ſaltem hujuſmodi nefariis veneficiis & lanienis?

6. 2. Verùm ſextò & ultimò, Crudelis ac ſanguinolenta verorum vivorúmq; membrorum Regni Chriſti perſecutio, ob id ſolum quòd manifeſtis indubitatíſq; cœleſtis ſui Principis præceptis fideliter adhæreant qui Rex Regum, ac Dominorum Dominus appellatur, hic certè neceſſe eſt ut maximè inſignis capitalíſq; *Antichriſtianiſmus* ſit quo ulla *Politia* infici poteſt, modóq; maximè craſſo ac viſibili oppoſitus tum *naturæ Charitatis*, (quæ omnia ſuffert omniáq; ſuſtinet, quæ nimis ſevera eſſe non vult erga improbos, multóq; minùs crudelis in bonos) tum etiam *deſcriptioni Regiminis Chriſti, qui pauperes dicitur à fraude & injuria vindicare, eorúmq; ſanguinem in pretio habere. Ut Paſtor gregem ſuum paſcit & Lacerto ſuo congregatos in ſinu geſtabit Agnos.* Hic eſt genuinus Spiritus verorum Paſtorum Chriſtianorum ſive alto ſive humili ſint gradu, nempe ut tam benigno amicóq; animo ſint erga ſuas oves. *Pſalm. 72.* *Eſai. 40.*

Ii verò qui eas cædunt, verberántq; & violenter agunt, cùm eas ducere debeant voce Evangelicâ exemplóq; Chriſtiano eis anteire, hi ſanè *Paſtores* non ſunt ſed *Laniones*, faciléq; eas acturi ſunt ad macellum, & ut gulæ ſibi ſuccidantur ſine omni miſeratione, curaturi.

3. Perſecutio igitur *Sanctorum* Dei etiam ob eas ipſas res quibus ſe *ſanctos* eſſe demonſtrant, ut ob id quòd imagines nolint colere, aliúmve ullum actum Idololatricum admittere, quòd apertè ſinceréq; Evangelii veritatem profiteantur, vitámq; ſecundùm illam Regulam inſtituant, ab omnibus iſtiuſmodi rebus quas illa illicitas declaraverit religioſè abſtinentes, hoc certè æquè manifeſtum eſt *Antichriſtianiſmi* membrum, atq; ullum quod aſpectui noſtro exhiberi poſſit; eſſétq; inſigniter profectò *Antichriſtianum*, tametſi ultrà quàm ad mulctandos eos aliquâ parte bonorum, incarceratione, mortéve abſq; ulteriori ulla diriſſimarum circumſtantiarum aggravatione, non procederet.

Nunc verò univerſis ſpoliari fortunis ad infimam uſq; paupertatem, non in vulgarem carcerem impingi ſed in ſolitarium aliquod Hypogæum barathrúmve ſuper ſtramen humidum detrudi ſtercore ſimóve fœtens, vel fortean ſine illo Tapeto, cùm ipſum ſolum de ſe ſatis molle ſit ac cœnoſum, ità ut nihil opus videri poſſit pulvinari, & tam anguſtum forſan præterea, ut vix ſpatium cuiquam ſit quo exporrecto corpore decumbat.

Et tum poſtea, quantùm ad mortis genus, quando eò evocantur, quàm injuſtum barbarúmq; eſſet ut integritas ipſorum ac ſinceritas erga Servatorem crimen haberetur magis capitale quàm Furtum aut Homicidium, ac ſeveriori proinde plecteretur morte? Siquidem decollatio aut ſuſpendium in patibulo hic non ſufficit, ſed ſubeunda

ſubeunda eſt ipſis iſtiuſmodi mors quæ maximam torturam terrorémq; ſecum afferat. Vivicomburium conſtantis fideliſq; ipſorum erga Chariſſimum ſuum *Redemptorem* obedientiæ ſtatuendum eſt præmium, & fortean cum extraordinariis quibuſdam circumſtantiis, dum illo cum favore eos non conficiunt quo parentum interfectores aut interfectrices maritorum, Magóſve, & qui fœdus inierint cum Diabolo, ſed maligno Trochlearum artificio dolores producunt, immergendo ipſos in flammas raptímq; mox ex eiſdem eos ſuſtollendo, ac ſi ſellæ demerſoriæ pœnam illis irrogarent, non autem id agerent ut torquerentur igni. Nec parcendo ſanè mulieribus gravidis nec quidem Infantulo qui igni baptizatus ſit ſtatim atq; in lucem editus, & per flammas ex diſrupto matris utero perbenignè tranſmiſſus (æquè ferè intactus ac tres olim Pueri in fornace ignis ardentis) per crudeles execrandi carnificis manus in vorax illud elementum iterum fuerit remiſſus, ut qui viliori pretio æſtimaverit innocentem infantulum *Hæreticæ* quàm canis partum fœtúſve felinos, quibus nemo tam crudelis eſſe vult ut igni eos comburat, ſed clementiæ potiùs mollioris illius ac lenioris elementi Aquæ concredat.

4. Quid hìc multitudines eorum qui hoc mortis genus paſſi ſint commemorem; non per ſucceſſionem tantùm intelligo, ſed tricenos, octogenos, centenóſq; unâ vice aut ad unum communem rogum, aut etiam in horreis ædibúſve habitatoriis; miniſtris truculentis cum armis ſuis ferreis, retrò eos, quoties æſtus fumúſq; eos coacturi eſſent tentare an in frigidiorem aërem poſſent erumpere, repellentibus? Quid Torturas & excarnificationes corporum eorum ante extremum hoc ſupplicium, linguarúmq; exciſiones quando ad palum adducuntur, ut nè ullam pro ſeipſis defenſionem proferre poſſent, Deúmve laudare aut ædificare populum?

5. Infinitum eſſet omnes vias quibus *Antichriſtiana* hæc Beſtia, *Pſeudochriſtiana* hæc *Politia*, falſóq; venditata Chriſti *Hierarchia* in explendo ſatiandóq; iram ſuam atq; odium in fideles hoſce teſtes *Jeſu*, viváq; veræ ſuæ Eccleſiæ membra utì poſſit, vobis ante oculos exponere, quàm immanes injurias ipſi eorúmq; miniſtri vel inſtrumenta atq; Aſſeclæ, zeli ſui veneno inflammati, innocuo Chriſti gregi poſſint inferre; neutri ſexui parcendo, nè in circumſtantiis quidem maximè miſerandis, ſed educendo fœminas eáſq; haud ignobilis ordinis poſt triduum quatriduúmve quàm pepererint è puerperii cubiculo in horridum carcerem, eíſq; utendo pari cum reliquis aſperitate, cogendóq; ex *ſtramento*, quod dicitur, *puerperali* abreptas, ſuper lectum ſpatularum fœtidarum in crudo tetróq; gurguſtulo volutare, & haud multò pòſt extendendo eas in equuleo, carnéſq; penetrando ad oſſa uſq; chordis circa crura brachiáq; colligatis, totáq; corpora ità excarnificando ut eas plus quàm ſemimortuas in ipſis torturis relinquant.

Suſpendendo alias, etiam dum Infans ex utero prodit, ventres aliis reſcindendo, poſtquam manus pedéſq; alicui tabulato clavis adfixerint, infantibúſq; in fruſta diſſectis, ſtillantem ſanguine carnem in matrum ora infarciendo; Aperiendo aliis uteros infantéſq; ſuos anniculos bimóſve in eos ingerendo itáq; eos ſuffocando materno ſanguine; Viros ſuſpendendo per pudenda ante ſuas ædes, oppidíq; Miniſtros ad eundem modum in Eccleſiarum ſuarum propylæis; ſcalpendo manus, labia, verticéſq; ejuſmodi Sacerdotum qui ad veram Evangelii profeſſionem converſi ſint, ſcalpellis fragmentíſq; vitri; trahendo per pedes, homines quos ferè enecaverint per torturam ad inſtar emortui canis aliúſve cujuſlibet id genus cadaveris, ut qui nec ipſi pedibus incedere poſſint, & quos barbari carnifices indignos putent qui portentur.

6. Immenſum ſanè eſſet omnes recenſere calamitates quibus fragilis mortalitas ſit obnoxia. Omnia elementa Inſtrumenta fieri poſſint iræ odiíq; hujus *Antichriſtianæ* Poteſtatis quam deſcribo. Præter vivicomburium igitur piciſq; per totum corpus illinitionem ut nidor fumúſq; ſacrificii efferatæ horum crudelitati fiat acceptior, in fluvios multitudines poſſunt demergi tum virorum, tum fœminarum etiam parturæ tempore per vim in flumen propulſarum. Alii verò congelari poſſint ſuffocaríve ad necem uſque, pruinoſo, fumidóve aëre, arborum ramis ante ora antrorum quò ſe receperint crematis; Et poſtremò alii vivi in terra ſepeliri, gemitus profundos ac ſuſpiria ſubter humum emittentes.

Veſtibus etiam ad cutem uſq; expoliari, virgíſq; mox ferreis cædi durum profectò eſſet fatum, ut & brachia cruráq; chordarum conſtrictione ſic inciſa habere ut profundi in carne relinquantur ſulci, quibus vermiculi gignantur, carnémq; abſumant.

7. Quid hìc teneros *Hæreticorum* infantes commemorem devorandos porcis projectos, alióſq; vivos lebetibus lixatos? compulſionem liberorum ut propriorum pa-

rentum ſint trucidatores, parentúmq; aliquando ut interfectores ſint liberorum, matribus in aquas ſuos infantes projicere compulſis? Quid oculorum hominum effoſſiones abſciſſionéſq; manuum, ut ſic per latum terræ orbem dimiſſi viam palpent? Quid excoriatos hos, illos verò vivos aſſatos, aliósq; ſemi-interfectos, ut magis lentis doloribus ac cruciatibus pereant? Quid reſciſſos ventres aliis ut extremitate lactium prehensâ aboríq; affixâ miſellus homo circuire cogatur, lactéſq; arbori circumglomerare ut experiatur quantâ ſint longitudine? Quid violationem corporum mortuorum? Candeláſq; ex ipſorum adipe factas venditámq; arvinam apud Pharmacopolas? Quid corporum virorum fœminarúmq; unorum ſuper altera impudicâ poſiturâ collocationem, emiſſionémq; puerorum cum flagellis quibus virorum pudenda qui in campis mortui jaceant, diverberent? Et poſtremò, quid barbaram in capita trucidatorum Evangelii Miniſtrorum palàm apud Crucem in Foro mercatorio inſultationem, deturpando eorum vultus, ora reſcindendo mutilandóq; nares, & præ rabido quodam phreneticóq; zelo colaphos maxillis impingendo, quanquam cum propriarum manuum obtorpefactione ſuper inanimem carnem? Tam veſani barbaríq; ſunt ii quos *Antichriſtianiſmi* ſpiritus inſpirat.

CAP. XVI.

1. *Nova Diabolicarum injuriarum ſcena in innocuum Chriſti gregem illatarum.* 2. *Omnes imputandas eſſe* Antichriſtianæ *huic ſynagogæ quantumvis ab ea non ſint injunctæ.* 3. Tribunalis *planè* Infernalis *ſpecioſo* ſanctæ Inquiſitionis *titulo colorati deſcriptio.* 4. *Quomodo* Infernales *hi* Judices *ſe erga accuſatos gerant.* 5. *Barbara condemnatæ perſonæ à truculento carnifice Tractatio.* 6. *Nova prioribus Torturis additamenta.* 7. Scamni *ſolidi* excavati *Tortura.* 8. *Ut &* Prunarii *ignitis carbonibus pleni.* 9. *Exemplarem hanc in hiſce* ſpiritualibus *Judicibus crudelitatem, cùm in inſtrumenta Aſſeclâſq; ipſorum Eccleſiæ influentiam habeat, ipſam ream etiam facere omnium* militarium *Immanitatum.*

1. VErùm tam triſtem Tragicámq; rerum ſcenam depingendo nimis equidem defatigor. Τὸ κακὸν ἄπειρον, *Improbitatis modi ſunt infiniti.* Nihil quidem deteſtabilius videtur crudelitate *Cannibalum* qui humanâ carne veſcantur. Atenim quantum ab hoc abfuturum putes ſi ſupponeremus Inſtrumenta Aſſeclâſq; hujus *Antichriſtianæ* Poteſtatis dapes ex cerebro humano inſtituere, mulierúmq; mammas menſæ imponere omaſorum ritu frixas, earum ſcilicet quas per vim prius compreſſiſſent, pectoráq; poſtea abſcidiſſent cum parte illorum membrorum quæ pudor vix permiſerit nominare?

Quid judicandum eſſet de confoſſione hominis in pedum plantas auréſque, de partium genitalium abſciſſione, frixione vulneris ad flammam candelæ, ad ſiſtendum ſanguinem, majorémq; vulnerati torturam? Quid de unguium per ignitos forcipes divulſione quò cogatur ſuæ Religioni renunciare, Religionémq; hujus *Pſeudo-Chriſtianæ* ſynagogæ amplecti? Quid de nudarum fœminarum transfixione veru per pudenda, earundémq; ad hunc modum longis contis transfixarum in humeris geſtatione ad aliquod ſpatium? Quid de excoriatione brachiorum crurúmq; in longas corrigias, ligularum coriacearum inſtar, & de dereliction hominis in miſero hoc ſtatu in ergaſtulo ut conficiatur fame? Quid de per pedes pertractione ad Muli caudam per plateas, corpore lapidibus ſe allidente, populóq; lateres in pertractum projiciente dum ante eorum fores pertranſit? Quid de pulveris Pyrii infarctura in ora gutturáque, quo accenſo capita fruſtratim diſrumpantur? Et quid deniq; de hac belluina barbaráq; crudelitate, ut quis oculos homini eruat, membrúmq; abſcindat virile, illúdq; illius ori indat atq; eum ſic mutilatum populi conſpectui duos tréſve dies continuos exponat, & poſtea eum vivum excoriet, cutíſq; partes quadrifariàm diſſectæ à præcipuis oppidi feneſtris ſuſpendat?

Ecquid magis execrabiliter *Antichriſtianum* eſſe poteſt quàm hujuſmodi crudelitates contra innocuos Chriſti agnos, quos falſa hæc & imperioſa Eccleſia odioſo *Hæreticorum* nomine deturpat? De quibus ſanguinolentos ſuos aſſeclas monent, eos utiq; non dignos eſſe qui vivant, aut qui mitiori mortis genere moriantur, Chriſtianáve ſepeliantur ſepulturâ, ſed ut nuda eorum corpora rabiei exponantur & eſurigini porcorum atq; canum.

2. Et

2. Et certè quanquam crudelitates omnes, quæ hîc deſcribuntur, à *Spiritualibus* grandis hujus ſynagogæ Hypocriticæ *Patribus* non ſupponantur particulariter mandatæ, tamen cùm miniſtri ipſorum aſſeclæq; ab ipſis edocti ſint, omnes qui ex ipſorum Eccleſia non ſint eſſe *Hæreticos*, omnéſq; *Hæreticos* ipſis canibus eſſe pejores, pejúſque, ſiquando eis viſum fuerit, tractandos, immò meritorium eſſe tam malè eos tractare, talémq; eorum excarnificationem tantáq; cum barbarie occiſionem, ipſos carnifices ab igni cruciatúq; Purgatorii eſſe liberaturam; manifeſtum eſt omnem hanc *Antichriſtianam* ſævitiam ac crudelitatem ad horum *Patrum ſpiritualium* fores eſſe devolvendam. Quod magis adhuc liquidò conſtabit eorum meritum eſſe, ſi eos ſupponamus non ſolùm Antichriſtianâ ſuâ doctrinâ ſed & exempli gravitate & autoritate in alios influentiam habere.

3. Ut ſi verbi gratiâ hujuſmodi aliquam fingeremus ſuppoſitionem, *Curiam* ſcilicet *Judicialem* inſtitutam eſſe ad inquirendos examinandóſq; omnes *Hæreſios* ſuſpectos, ut condignâ plectantur pœnâ poſtquam ſint detecti, ſacráſq; aliquas hujus Eccleſiæ Perſonas *Judices* eſſe in ſacro hoc *Conſiſtorio*, in *Inquiſitione* hac *ſancta*; rationes verò Poteſtatis exercendæ, quantùm ad Crudelitatem & Injuſtitiam, nullâ earum Immanitatum quas commemoravimus eſſe inferiores; an non hoc quaſi datum ſignum eſſet ſynthemáve omnibus aſſeclis hujus Diabolicæ ſuperſtitionis ad tractandos inimicos tam crudeliter quàm opportunitas unquam permiſſura ſit, aut naturalis animorum ipſorum acerbitas ſuggeſtura?

Supponamus igitur *Tribunal*, quanquam haud perinde juſtum, magìs tamen ſeverum (vel potiùs crudele magìs) quàm illud cui *Infernales* illi *Judices* inſident *Minòs* & *Rhadamanthus*, & ut propiùs adhuc ad illius imaginem accedat, in ſubterraneo aliquo loco eſſe ſitum, (ut clamores gemitúſq; eorum qui torquentur ad aures populi non penetrent) ubi omnia peragantur in impuriori illo lumine ac fœtore tædarum lychnorúmque, quos manibus miniſtri tenuerint aſtitéſq; vultibus æquè torvis & truculentis atq; *Furiæ Infernales*. Hujúſq; Curiæ definitiones ac ſententias infinito eſſe injuſtiores quàm quæ apud *Inferos*. Siquidem *Sancti* hi *Judices* illimitatam habent poteſtatem, vilíſq; quævis perſona pro teſte contra ſuſpectos admitti poteſt, perindéq; ipſis eſt ſive vivâ voce ſive mutis teſſeris inſtituatur injiciatúrve Accuſatio in ſacro hoc Conſiſtorio. Etenim ſine ulla perſonarum comparitione mutuáve oppoſitione Actio inſtruitur, ſine parte, ſine teſte, & ſine omni omninò lege præter voluntatem horum *Judicum ſpiritualium* ſive *Infernalium ſpirituum*.

4. Jam verò poſtquam ſuſpectus reúſve in has mortis umbras deſcenderit, ſupponemus *ſubterraneos* hoſce *Judices* à terrificis quibuſdam Præmonitionibus comminationibúſq; exorſuros, miſcendo ſubinde Hypocriticas aliquas Exhortationes & Proteſtationes ac ſi manus, ut *Pilatus* olim, abluere vellent, ſéq; ab innocenti ſanguine quem effuſuri ſint, purgare.

Verùm ſi reus præ harum minarum terrore ſe nihilominus accuſare nolit, ut vitam tamen ipſi poſſint eripere tali modò cruciabili quem *Hæreticis* dignum putent, (immò tametſi liberè illud fateatur, quod illi *Hæreſin* appellant, niſi omnes ejuſdem opinionis prodat quos aut noverit aut ſuſpectos habeat) ſtatim ad iſtiuſmodi Carnificinas cruciatúſq; damnatur, quibus crudelibus his hominum monſtris viſum fuerit eum adjudicare.

5. Quamobrem præſtò eſt truculentus Carnifex à capite ad calcem horribili deformitate perſonatus, adeò ut diabolum potiùs referat quàm hominem, qui perſonas condemnatas prehendens, ſive viri ſint, ſive fœminæ, nuptæ virginéſve inferioris ordinis nobilioriſve conditionis, eos primùm omnibus veſtimentis exuit ad paſcendos horum ſanctorum Fornicatorum oculos, quod certè modeſtis virginibus piiſq; matronis non poteſt quin ipsâ morte tormentum ſit longè intolerabilius. Poſthæc manus à tergo revincit certo orbium numero ad octo putà decémve vices, crudelibus his ac libidinoſis in *Tribunali* ſicariis præcipientibus ut orbes ſingulos uno alterum arctiùs conſtringat, pollicéſq; dein tenuiori chordâ colliget, manúſq; demum vincti atq; pollices ad *Camelum* alliget qui à *trochlea* pendet. Poſtmodum verò plumbi ferrive maſſam pedibus adnectat, viginti quinq; pondo putà primâ vice, ſicq; in ſublime eum funè rapiat uſquedum caput *Trochleam* contingat. In qua miſeranda poſitura inclamatur allatratúrq; à barbaris his *Judicibus* ut ea fateatur quæ ipſi volunt, atq; ſic ſublatus ſuſpenditur in hoc exquiſito cruciatu ad bene longum temporis ſpatium.

Si verò vinctus nihil fateri velit, nec amicos ſuos prodere, veros utiq; Evangelii profeſſores, fideléſq; ſervos *Jeſu Chriſti*, eum mox demittunt certè, ſed in eum finem ut rurſus rapiant in ſublime, pedibus duplo ferri pondere oneratis, Judicibus

interim barbaris carnifici præcipientibus ut funis retrò porróq; currat cum crebris inhibitiunculis ſubitíſq; retenturis, adeò ut pondus ferri omnes corporis articulos à ſe invicem divellat. Qui intolerandus cruciatus ſi hominem faciat ejulare & exclamare (quod ferè neceſſariò fit) truculenti hi qui pro Tribunali ſedent Judices, ſuo rugitu ac contumelioſis vociferationibus clamorem obruent, vocitando eum *Canem* ac *Hæreticum* quòd tam obſtinatè (hoc eſt tam fideliter) ſeipſum amicóſq; ſuos prodere recuſet.

Qua in re ſi perſtiterit, rurſus eum demittent majúſq; ad pedes pondus addent majorémq; cum eo cruciatum univerſo corpori, exercentes hoc afflictiſſimum Chriſti membrum intolerandis hiſce torturis duas ſaltem tréſve horas continuas, & fortean, prout ipſis viſum fuerit, triduo pòſt, tum cùm articuli maximè dolent, ad eaſdem eum carnificinas iterum perducent, immò eas repetent, ſi vita tolerare poterit, quinq; ſéxve vicibus, ídq; ad bene magna temporis intervalla.

6. Atq; hanc equidem ego crudelitatem fore exiſtimo quæ nulli earum cedat quas in univerſis noſtris funeſtioribus ſuppoſitionibus commemoravimus. Sed enim & aliam ſuperaddamus ſcenam aliquanto diverſam. Expoliationem ſcilicet hominis ut antea, univerſis ſuis veſtimentis, manuúmq; revinctionem à tergo, & à trochlea ſuſpenſionem, ſed cum tam arcta ſimul crurum tibiarúmq; per validas chordas conſtrictione, chordarúmq; in carnem, ligni cujuſdam interpoſitu, impreſſione tam profunda, ut ad ipſa oſſa ferè penetrent. In qua intolerabili tortura eum detinebunt duas tréſve horas continuas.

7. Vel ſic, quod adhuc crudelius eſt, (ſiquid crudelius eſſe poteſt) utriuſq; nempe cruris, tibiarum, brachiorúmq; per tenues validáſq; chordas, ut antea, conſtrictionem tam arctam utique, ut in carnem è conſpectu ferè ad os uſq; ſubſidant; vinctúmq; ſimul ſupinum poni in ſcamnum grande ſolidum & in parte ſuperna excavatum, in medio baculum habens tranſverſum, in quem dorſum impoſiti recumbat cum ineffabili ſuo cruciatu; velum verò ex lino tenuiſſimum ſuper jacentis os extenſum nares quoq; obturare, aquámq; poſtea non guttatim ſed uno quaſi continuo filo ex ſublimi in os ſic jacentis effundi, ut velum ſuo lapſu in imum guttur propellat. Quod ſanè in minores angores eum conjicere non poteſt, quàm quos illi experiuntur qui extremum ſpiritum trahunt. Quæ verò violentia ei inferatur per mollius illud machinamentum, velum tenue intelligo, dum raptim ex ejus ore retrahitur, ſanguis & aqua quæ ſimul cum eo profluant, copioſum perhibent teſtimonium, equidem ipſa viſcera è corpore cum eo putes eſſe evulſa.

8. Et poſtremò ut tandem finiam; Nè omnium elementorum immitiſſimum hiſce improbis crudelitatum machinatoribus, memoriâ videatur excidiſſe, haud ſanè difficile eſt imaginari, quòd prægrandia quædam Prunaria ferrea hîc adhibere poſſint, ignitis carbonibus plena, ad quæ admoveri jubeant Captivi pedum plantas, quas larido ſubinde perungendas curent ut ambuſtionis dolor eò fiat exquiſitior.

9. Certè ſi *Religioſi* Eccleſiæ *ordines*, in *Forma Judiciali*, & ſub *Pietatis Zeliq; prætextu* adversùs *Hæreticos*, ſtupendas hujuſmodi immanitates, actúſq; barbaros contra fideles Chriſti ſectatores patrare poſſunt, quomodo fieri poteſt quin eorum exemplum ſchola omnibus ſuis aſſeclis futura eſſet perpetuæ crudelitatis contra eos univerſos quos ipſi habituri ſunt pro *Hæreticis*, & omnes ſanè docentur pro *Hæreticis* habere qui ex ſua non ſint Eccleſia? Atq; propterea reatus omnium harum Tragicarum crudelitatum quæ in vera Chriſti membra commiſſæ ſint, quamvis haud immediato ipſorum *Eccleſiaſticorum* juſſu ſed per homines militares quibus illi & Præceptores ſint & exempla, optimo ſanè jure huic ipſi ſanguinolentæ ac Prophetarum trucidatrici *Synagogæ* imputatur, huic crudeli & imperioſæ *Meretrici quæ ebria eſt ſanguine Sanctorum & ſanguine Martyrum Jeſu.* Quod facilè quidem illa committere poteſt, cùm iſtiuſmodi imbuta ſit principiis quibus eam imbutam hîc ſupponimus, & deſævire ſanè ad immenſas hominum interneciones, quæ millenos, immò centies millenos unâ vice exhauriant.

CAP.

CAP. XVII.

1. *Oppugnationem hanc* Divinæ *Gratiæ* Charitatis *membrum esse* Antichristianismi *omnium immanissimum, Eorúmq; qui extrà sanctam sunt Civitatem, characterem.* 2. *Repetitum illum horrendorum Titulorum in* Apocalypsi *Catalogum,* Synopsin *præcipuorum Characterum esse Politiæ* Antichristianæ *hîc descriptæ.* 3. *Veritatis nostræ* Ideæ Antichristianismi *exinde confirmatio.* 4. *Summaria hujus* Ideæ *Repræsentatio in oppugnationibus frustrationibúsq;* Privativorum Finium *Evangelii, ut & notorum officiorum Christi;* 5. *Ipsius etiam* Divinitatis *aliorúmq; sacrorum Titulorum;* 6. *Ac* Vitæ *porrò* Divinæ *tum in* Radice *tum in* Ramulis. 7. *Parabola quâ barbara Injustitia ac crudelitas hujus* Antichristianæ *Synagogæ depingitur.* 8. Apodosis *Parabolæ.* 9. Ideam *nos exposuisse maximè realis essentialisq;* Antichristianismi *qui potest existere; cum Responso ad ea quæ contrà queant objici.* 10. *Eúmq; ipsum esse* Antichristianismum *qui prædictus est à Prophetis. Cujus rei probatio necessitatem imponit inspiciendi antè in Prophetias, quàm ulla accuratior* Ideæ *ad* Apostasiam *Ecclesiæ instituatur Applicatio.*

1. Postremum igitur hoc membrum nostræ Descriptionis quod istiusmodi res complectitur, quæ adeò insigniter cœlesti illi *Charitatis* virtuti adversentur, membrum *Antichristianismi* oppidò quàm immane esse, equidem impossibile credo ut quisquam dubitet. Ac proinde minimè mirandum est præcipuum illius characterem sanguineis literis scriptum, *sanguinolentam* hanc intelligo *persecutionem*, cui omnium postremò immoratus sum, in nigrum illum relatum esse Nominum Catalogum, quæ è sancta civitate Dei excluduntur. *Foris sunt canes & venefici & scortatores & homicidæ & Idololatræ, & quisquis amat & facit vel fingit mendacium.* Apoc. 22. Quæ non dubito quin sit *Synopsis* rerum præcipuarum *Civitati sanctæ, Christive corpori oppositarum*; ac proinde quid aliud esse potest *corpus* hoc *alterum* nisi ipsum corpus *Antichristi?*

2. Atq; equidem brevem hunc detestabilium istorum Titulorum *Syllabum* memorabiliorem esse judico & accuratiori ratione supputatum, propterea quòd eadem summa, quantumvis non eadem verba, in duobus distinctis locis supputari videtur. Etenim ubi verba differunt, tamen singulorum ad se invicem comparatione ritè factâ, sensum utrobique inveniemus eisdem finibus claudi. Nam κύνες & πᾶς ὁ ποιῶν ψεῦδος, sensum æquè latè patentem habent atq; δειλοὶ, ἄπιστοι, ἐβδελυγμένοι & ψευδεῖς. Apoc. 21. 8. & 22. 15.

Etenim quod per occasionem suprà notavi, πᾶς ὁ φιλῶν ψεῦδος respondebit voci δειλοὶ· siquidem istiusmodi homines utrobiq; intelliguntur qui facilè doctrinis falsis fictitiisq; *Legendis* tum verbo Dei tum communi sensui repugnantibus seducantur, animósq; habeant *meticulosos* & superstitiosis commentis ac mendaciis turpiter mancipatos ac delusos. Et tum dein πᾶς ὁ ποιῶν ψεῦδος respondet voci ψευδεῖς, & utrobiq; tales intelliguntur qui falsas doctrinas in Ecclesiæ suæ emolumentum excudunt, fictitiáq; *Legenda* comminiscuntur, Reliquiásq; supposititias ad crumenas nummulis emungendas populo obtrudunt. Et postremò ἄπιστοι & ἐβδελυγμένοι, ambo includuntur in voce κύνες, *canes.* Ἄπιστοι, quod incredulitatem innuit circa res *Religionis*, includitur in voce κύνες quatenus sunt bruta, cùm Religio hominis sit proprietas. Ἐβδελυγμένοι verò sive *abominabiles*, nempe ob *Venerem masculam*, includitur etiam in voce κύνες, sed particulari habitâ ratione ad ipsorum speciem, cùm canis tam furiosè libidinosus sit ut in utrumq; promiscuè sexum œstro venereo sit percitus.

Jam verò quantùm ad reliquos in utroq; Catalogo Titulos φαρμακοῖς & φαρμάκοι, exceptis verborum terminationibus, idem planè sunt. Terminationum verò differentia sensum nihil mutat. Cæterùm πόρνοι φονεῖς, εἰδωλολάτραι idem sunt undiquaque. Ac proinde *Synopsis* utrobiq; prorsus est eadem.

3. Quamobrem, cùm *servilis superstitio, Infidelitas* sive *Atheismus, turpissima utriusq; generis impuritas*, Legenda *fictitia, doctrinæ, ad Impossibilitatem usq; apertámq; cum Scripturis repugnantiam falsæ, Homicidiorum atrocissima, sanguinolenta nempe* Sanctorum *Persecutio*, Magia *sive Incantatio professa, venditatióve rerum patrandi mirabiliorum quàm vel celeberrimi* Ægyptiorum Magi *unquam patraverint, crassa* denique *Idololatria solennisq; Imaginum cultus*; cùm hæc omnia, inquam, hic notentur, idq; speciali quodam modo, quippe tanquam sanctæ civitati, quæ

pura

pura Chriſti Eccleſia eſt, oppoſita perinde ac tam execrabilia in conſpectu Dei ut expreſſim adjudicanda ſint ſtagno igne atq; ſulphure ardenti, equidem exiſtimo, cùm hæc mea *Antichriſtianiſmi Idea* his membris præcipuè conſiſtat, eáq; omnia præter alias ejuſdem generis partes apertè complectatur, negari non poſſe quin vera hujus rei ſit perfectáq; *Idea* etiam ex *ipſo* ſacræ *Scripturæ teſtimonio.*

4. Verùm *cujuſlibet hominis rationem* breviter auſim appellare, qui vel prima Chriſtianitatis rudimenta imbiberit nec communis ſenſûs expers ſit vulgarémve quemlibet Catechiſmum perlegerit, minimámve habeat gratiæ in ſuo corde ſcintillam ullúmve ſaporem illius quod ſanctum ſit atq; Divinum, an earum rerum natura ex quibus hanc *Antichriſtianiſmi Ideam* compoſui, eſſentialiter non ſit atq; intrinſecè *Antichriſtiana.*

Enim vero, ut rurſus proſpectum magìs compendioſum capiamus illius argumenti in quo laxiùs exſpatiati ſumus, tutiúſq; dein ſuper ſumma rei ſententiam feramus, quæ obſecro *Hypotheſis* fingi poteſt magìs *Antichriſtiana* quàm hæc eſt? Ut fraudulenta ſcilicet hominum Societas (ſint ſanè quàm voles numeroſi) ſub uno prædominante mutuò coaleſcerent capite, cui volupe ſit Principibus inſultare, & Imperatorum conculcare cervices coronáſq; à capitibus ipſorum pede in humum dejicere, & ſub prætextu quòd Chriſti ſucceſſores ſint ejúſq; Apoſtolorum (quanquam Chriſtus jactabundis *Judæis* (qui tamen citra controverſiam poſteri erant *Abrahami*) apertè dixit, eos ex *patre* Diabolo eſſe, quippe qui illius libidinibus obtemperabant) vendicarent nihilominus ſibi quandam *judicii infallibilitatem* júſq; res omnes per totam terrarum orbem regulandi in ordine ad Chriſti *Regnum Spirituale*, & tamen interim nihil aliud reverà quærerent niſi *mundani* ſui *honoris* ac *poteſtatis* incrementum, atq; in hunc profectò finem totum Evangelii propoſitum ſubruerent & eluderent, dum leges Chriſti omninò negligant, & iſtiuſmodi introducant Inſtituta taléſq; praxes & conſuetudines ſuffulciant quæ maximas opes invecturæ ſint ad ſuſtentandam magnificentiam Tyrannici hujus Pontificis, qui par eſſe putet ut Principum cervicibus inequitet. Ac proinde quodlibet peccatum lucroſum atq; huic propoſito accommodum vim legis obtinebit (quantumlibet Dei Chriſtiq; legibus ſit oppoſitum) omniáq; illa ſacra Adventûs Chriſti in Mundum propoſita, ſcabelli inſtar, pedibus ſubjicientur hujus Conciliabuli Præſtigiatorum quò in Thronum aſcendant, quóq; facilliùs univerſos Terræ incolas proculcent.

Hoc eſt, cùm Chriſtus per Evangelium ſilentium *Idololatriæ*, per totum terrarum orbem indictum venerit, hi Impoſtores in proprium lucrum atq; commodum palàm in Eccleſiis ſuis æquè craſſum imaginum cultum inſtituent atq; unquam apud ipſos Ethnicos extitit. Cùm Chriſtus venerit ut à *Moſaicorum* Rituum jugo atq; onere Dei populum liberaret, hi ſanè humani Generis oppreſſores ipſorum corpora juxtà atq; conſcientias numeroſioribus & faſtidioſioribus Superſtitionibus ac Ceremoniis quàm ipſe *Moſes* unquam præceperit, onerabunt, ac viliora opera ac miniſteria ipſis imponent, quàm *Ægyptiaci* Penſi-exactores filiis *Iſraëlis* in graviſſima ſua ſervitute unquam impoſuerint.

Cùm Chriſtus mundo datus ſit à Patre ut abſolutus *Rex* eſſet à cujus decretis nulla fieri debeat Provocatio, nec ulla abolitio, ulláve contra ipſius leges diſpenſatio; ut perfectus *Pontifex Maximus* eſſet qui per immolationem ſuiipſius ſemel factam, ſuámq; per ſe efficacem interceſſionem noſtri omnimodè ſufficiens ſit *Reconciliator* cum Deo; ut *Propheta* doctórq; cujus Præcepta ac prædictiones *infallibilia* Oracula ſint univerſa: Hic certè Rex *Babylonis* (liceat enim mihi præſtigioſum hunc Tyrannum ſic appellare) cum Hypocriticis ſuis adjutoribus, prætendent *Chriſtum* ipſis *Regnum* ſuum tradidiſſe, ſéq; eandem planè Poteſtatem habere quam ipſe Chriſtus, & diſpenſare poſſe contra eas leges quas ille fecerit eáſq; abrogare, novásq; ſtatuere eis prorſus contrarias, autoritatémve habere qualemcunq; ipſis viſum fuerit ſenſum eis imponendi, quæ perfecta ſanè autoritatis Chriſti abolitio eſt quatenus *Rex* eſt & *Legiſlator*, ſummáq; perfidia maximáq; contumelia quæ in *cæleſtem* illius *Majeſtatem* inferri poteſt. Falſus hic rurſus *Pontifex Maximus* cum diſtinctis ſuis *Levitarum* ordinibus, perinde ac ſi una illa Corporis Chriſti oblatio, quam ipſe ſemel fecit, non ſufficiens eſſet ſacrificium pro Mundo propitiatorium, nec illius Interceſſio, virtute infinitorum ſuorum meritorum paſſioníſque, ſatis ſola valeret ad nos reconciliandos cum Deo, prætendent quidem (in ingens Chriſti oblationis ſuiipſius ſemel factæ dedecus & opprobrium) ſe utiq; propriis manibus ipſum realiter ac corporaliter ſingulis ferè diebus offerre; & verò ac ſi Interceſſio Chriſti meritáq; ejus inæſtimabilia ex ſe manca eſſent & mutila, merorum mortalium merita & interceſſiones aſſumenti loco ipſis ſuperaddent, eorum nempe qui niſi pro ſeipſis mereri non

poterant

poterant nec cœlum quidem nisi propter sola merita Chariſſimi ſui Servatoris adipiſci; quos tamen Antichriſtiana hæc Eccleſia eum facit in hoc ſuo incommunicabili officio tam inciviliter interturbare. Et poſtremò falſus hic *Propheta* cum reliquis ſibi addictiſſimis Impoſtoribus, ut mendacia ipſorum populíq; ſeductiones non detegantur, ſed cum intoleranda interim contumelia in magnum illum, verúmq; *Prophetam* Dominum *Jeſum*, & cum ineffabili injuria adversùs ſinceros ipſius ſectatores, viva illa oracula ab ipſo Apoſtolíſq; tradita à notitia hominum abſcondita detinebunt non ſine magnis ſanè contumeliis & opprobriis in ſacras illas Scripturas conjectis. Quo nihil profectò atrocius aut immanius excogitari poteſt contra *Propheticum* Chriſti officium.

5. Rurſus, cùm *Divinitas* Chriſti perſpicuè diſtinctéq; ex data opera planè aſſeratur in Scriptura, ut certi eſſe poſſimus, quàm licitus ille cultus ſit quem illi exhibemus, quippe quod illius *Regale* eſt Privilegium, ut qui non *merus homo* eſt ſed *Deus*, immò cùm *Divinitas* illius nobis confirmata ſit, ab illo Adorationis argumento ipſi debitæ, *Et adorent eum omnes angeli Dei*, perfida tamen hæc *Antichriſtiana* Hierarchia hoc privilegium ſubruere non dubitabit, & quantum in ipſis eſt toti mundo declarare eum nihil amplius eſſe quàm *merum Hominem*. Nam perinde ac ſi legitimum in ipſo *Anthropolatriæ* exemplum inveniſſent, religioſum cultum centenis aliquot Sanctis æquè ac ipſi exhibebunt. Cùm Chriſtus apud Prophetas deſcribatur tanquam *Princeps Pacis*, hi ſimulatitii ipſius ſucceſſores, vel potiùs *Satanæ* proſapia, qui humani generis oſor erat ac homicida ab initio, diſſidiorum ſe præbebunt motuúmq; publicorum fomites, autoréſq; gentibus ac Regnis omnia miſcendi bello, ex rationibus ſcilicet Politicis ſubdolíſq; machinationibus quibus ſacroſancti ſui Conciliabuli rem injuſtè adaugeant. Cùm Chriſtus *Lux* eſſet *mundi*, hi operam dabunt mundo detinendo in ignorantia quò faciliùs Tyrannidem in ipſos exercere poſſint ſtupidáq; reddere mancipia. Cúmq; Chriſtus ſe profeſſus ſit *Veritatem*, hi toti in hoc erunt ut mundum impleant *Figmentis* & *mendaciis* modò eâ arte concinnata ſint, quæ ad *mundanam* ſuam utilitatem, pompam ac Poteſtatem ſuffulciendam maximè fecerit.

6. Et tertiò denique, cùm præcipuum maximéq; indiſpenſabile propoſitum adventûs Chriſti in mundum eſſet ut reſuſcitaret in hominibus illam *vitam* quæ verè *ſancta* eſt & *Divina*, in qua quatuor illæ gratiæ cœleſtes comprehenduntur, *Fides*, *Humilitas*, *Puritas* atq; *Charitas*; quantùm ſanè ad primam, Pſeudo-Chriſtiana hæc Eccleſia propter multitudinem ementitorum ſuorum *Miraculorum*, craſſorum *Legendorum* ac *Reliquiarum* falſarum, propter incredibiles Fabulas de Purgatorio, immanémq; *Tranſubſtantiationis* impoſſibilitatem (quæ omnia ad rem lucrúmq; horum ſeductorum faciunt) eò res deducent, ut ſi omnes *Inferni* Incolæ ſua conſilia conferrent, nihil invenire poſſent quod majorem cladem Chriſtianæ *Fidei* illaturum eſſet, magíſve perversè inſinuaturum Religionem nihil aliud eſſe niſi *Figmentum* ad ditandos Sacerdotes eóſq; potentes ac venerabiles reddendos, excogitatum.

Et tum dein, quod *Humilitatem* ſpectat, cùm ſupremus ipſorum *Patriarcha* adeò elatus ſit, atq; ad ſummum hunc gradum per fraudes ac mendacia ſubvectus promovendo fovendóve perduelliones, Parricidia aliáq; id genus nefaria facinora, Turbas excitando ſeditionéſq; per orbem Chriſtianum, cúmq; Tyrannis hæc *Sacerdotalis* eo cum faſtu ac nuſquam æquiparanda ſuperbia exerceatur, dum *Supremus* hic *Levita* tam barbarè ac inhumaniter cervices Principum conculcat, ſummóſq; Imperatores cum infenſo in ipſos eſt animo *ſcabellum* ſuum, cùm verò maximè apud ipſum in gratia ſunt *lecticarios* facit vel *ſellarios*, cúmq; tota hujus *Hierarchiæ* conſtitutio in diſtinctis ſuis pompis atq; gradibus ignea potiùs ſit inflammantis Ambitionis *Ætna* ad omnium mortalium animos dirâ dominandi libidine accendendos (dum illecebroſarum prædarum ſplendor ac opimitas ipſis ante oculos perpetuò obverſatur, quas ambabus exporrectis manibus prenſitent) quàm laudabilis Forma moderati Regiminis quo ſalubris diſciplina in Eccleſia obſervetur; ecquam fingere poſſumus rerum conditionem *Humilitatis* ſpiritui magis contrariam?

Et tum poſtea, ad *Puritatem* quod attinent, ut elatus hic *Pontifex* eò ſe demitteret ut approbandæ Fornicationi tanquam rei licitæ ſuum videatur Sigillum apponere, reditus ſuos augendo è meretricum quæſtu in ſua Metropoli, & Cœlibatum injungendo Sacerdotibus perinde ac ſi ſecum inſtituiſſet ipſos in harum retia vi adigere nè hiſce *Veneris monialibus* mercatura unquam frigeret, ut *Monaſticis* orbem impleret omnéq; Impuritatum genus nihili penderet, modò Inſtituta Eccleſiæ obſervantur,

ſerventur, efficaciſſima profectò methodus eſt quæ excogitari poteſt ad Chriſtianum orbem in immundarum inviſarúmq; volucrum caveam mutandum, & ad enecandum penitùs abſcindendúmve illum *Divinæ vitæ* Ramulum quem *Puritatem* appellamus.

Atq; nunc poſtremo in loco quantùm ad *Charitatem*, Quid illi magìs contrarium eſſe poteſt, quàm in legem Religionémve non ſolùm id intexere quod naturaliter *injuſtum* eſt, ſed modis quàm maximè barbaris *crudele*; nempe ſi non illos ſolùm qui *innocentes* ſunt trucidarent, ſed ad necem uſq; ſæviſſimis ſubjicerent tormentis, etiam eos qui *fideliſſima chariſſimáq; Chriſti* ſunt *membra*, & *ob eam ipſam cauſam* quòd tales ſe omninò præſtiterint; & quod adhuc Barbaritatem horum ſucceſſorum Satanæ magìs inviſam redditurum eſt, ſi illaquearent homines in articulo illius Myſterii quod pignus erat amoris Chriſti maximi ſanè qui exprimi poterat, quódq; inſtitutum eſt ut firmiſſimum eſſet tenaciſſimúmq; gluten ac coagulum eorum omnium qui appellantur Chriſtiani, ut hoc ipſo nomine quàm ſinceriſſimo amore atq; affectu ad ſe invicem unirentur? Nunc igitur ut *ſacrum hoc pignus Amoris, benevolentiæ unitatiſq;* in Eccleſia, corpus intelligo ſanguinémq; Chriſti *ſacramentalem* (quæ viva quædam eſt ineffabilis ejus erga Eccleſiam amoris in deponenda pro nobis vita ſuâ commemoratio) *præcipuum* efficeretur *Machinamentum* atq; artificium *illaqueandi* & poſtea *crudeliter torquendi trucidandiq; fideliſſima Chriſti membra*, quæ magìs horrida, magìs execrabilis, magíſq; *Antichriſtiana* eſſe poteſt in Dominum *Jeſum* contumelia & injuria? quæ Hoſtilitas adversùs ipſum dira magìs & diabolica?

Quinimò quæ conſpiratio adversùs humanam Naturam eſſe poteſt magìs Tragica ac truculenta, quæve magìs conſpicua Machinatio ad reddendum univerſum genus humanum mera mancipia ac maſtigias, & ad adimendum ipſis illud privilegium quo ſolo à brutis Animalibus diſtinguantur?

7. Supponamus numeroſum hominum gregem peculiari veſtitu ornatum qui ingens aliquod nemus ſolitudinémve habitarent, quíq; ut majorem præ ſe ferrent *Sanctitatis* ſpeciem, phantaſtico aliquo nomine ſe appellarent, *Equites* putà *Sacri Nemoris, Spiritúſve infallibilis Sacerdotes*, & obfirmatiſſimo inter ſe conſilio ſtatuerent ſe infallibiles cenſendos eſſe in quacunq; re quam illi uno ore veram eſſe affirmaverint, atq; ſic conſentirent univerſi ac determinarent (propter lucroſam venditionem tam mirabilis Mercimonii) tantam eſſe virtutem in tali certorum quorundam verborum Magicorum formula, quâ ipſi uti nôrint, ut, ſiquis ex ſacro ſuo Ordine eam ſuper unum aliquem ex puris illis albíſq; ac rotundis lapillis qui facilè in rivulis fluviolíſq; reperiantur, pronunciaverit, lapillus hic ſtatim, quamvìs eundem adhuc colorem, magnitudinem, figuram ac duritiem quam antea habebat, retinuerit, tamen (tam ſtupendum profectò eſt Myſterium) pro certo mutatus fuerit in *Aquilam*, ex eóq; ipſo hoc genus lapidum, *Aëtiten* appellari, ſive lapidem *Aquilinum*.

Quo ſuppoſito fingamus porrò hos *infallibiles Equites* occurrendo, ut fit, viatoribus in via, & declarando mirificam ſui Ordinis poteſtatem, oſtendendóq; ipſis unum aliquem ex ipſis lapillis, & poſt pronunciatam Formulam *Magicam* fortiſſimè affirmando eum reverà factum eſſe *Aquilam*, (quamvìs ad aſpectum non omninò mutatus ſit ab eo quod erat priùs) aliquando quidem incidere poſſe in viatorem tam honeſtum támq; veritatis amantem ut factum planè neget contendátq; lapillum incantatum *Aquilam* non eſſe, ſed etiamnum ut priùs eſſe *lapidem*. Ad quæ ſupponemus hos *ſacri Nemoris Equites*, buccinas inflando integra illius ſacri Ordinis agmina è loco evocaturos, qui ſacro-ſanctam ſui ordinis equeſtris *Dignitatem* & *Infallibilitatem* obteſtando, firmiſſimè aſſeveraturi ſint miraculum reverà eſſe præſtitum, illúdq; quod incredulus hic Peregrinus lapidem etiamnum eſſe contendit, eſſe quidem procul omni dubio regium illum alitem *Jovis*. Eam verò fore circumfuſi à multitudine Peregrini generoſam fortitudinem ac integritatem, ut ille nihilominus in priori opinione perſtiturus ſit, porróq; additurus ſe credere non poſſe illud *Aquilam* eſſe in quo roſtrum ullum nequeat nec ungues cernere, caput nec pedes, alas nec caudam, nec os deniq; nec carnem, ſed ex omni parte æquè lapis apparet atq; antea, ac proinde ſe nunquam perſuaſum iri ullam hîc factam eſſe tranſmutationem *Magicam*, cùm nulla ſit illius rei probatio præter proprium ipſorum teſtimonium, ídq; apertè contra manifeſtam ſenſûs rationíſq; evidentiam. Ad quæ ſi hi *Nemoris Equites* torvam ſibi ac truculentam efferati Zeli perſonam in propriæ ſuæ Mercaturæ atq; exiſtimationis gratiam induentes, innocentem

centem hunc hominem adorirentur & occiderent, in quicquid habeat involantes, Nummos, veſtes Equúmque; an non hi *Equites*, *Spiritúſve infallibiles Sacerdotes* exiſtimandi forent ex omnium mortalium ſententia ſanguinolentorum Impoſtorum ſubdola ſocietas, turbáq; Latronum, qui conſilium ceperint de diripiendis ſpoliandíſq; honeſtis viatoribus dum per illas regiones itinerentur?

8. Quid igitur exiſtimandum eſt de numeroſis agminibus hujus infallibilem ſe venditantis Eccleſiæ quam deſcribo, qui parati ſunt ad adoriendum quemlibet Chriſtianum Viatorem in hac ſua peregrinatione per hujus mundi Eremum, ſi *Tranſubſtantiationem* negaverit albi rotundíq; Libi in perfectum hominem, poſtquam Sacerdos certam verborum formulam ſuper illud enunciaverit, quanquam profectò Libum poſt exquiſitiſſimam ſenſuum examinationem, nè hilum quidem mutatum deprehendatur ab eo quod erat antea? Et tamen propter jactitationem *Infallibilitatis* hujus Eccleſiæ, quiſq; tenetur ad id credendum ni mori velit crudeliſſimo mortis genere quo ulli unquam malefactores affici ſolent. Quis poteſt quin hujuſmodi hominum cœtum non ſolùm tanquam Antichriſtianum æſtimet, ſed, ſi fas ſit ità loqui, Anti-humanum, tanquam juratos humani generis hoſtes, qui quo jure quáve injuriâ eos conentur contundere Martyriiſq; conficere, ſubjugare manciparéq; corpore juxtà atq; animâ, magíſq; crudelem Tyrannidem in ipſos exercere quàm par eſt ut quiſquam Homo in ipſa bruta Animalia exerceat.

Ecquid fingi poteſt magìs *Antichriſtianum* quàm hoc eſt, magíſve contrarium nobili illi ac Divino ſpiritui *Charitatis* dulcíſque Benignitatis quæ tam conſpicua erat in Domino *Jeſu* Chriſto, qui tam frequenter in Scriptura appellatur *filius Hominis*, quippe ad quem pertinebat expectatum illud *Pacis Regnum* ſanctíq; *Amoris* & *Humanitatis*?

9. Quamobrem ex brevi hac delineatione credo quemlibet intelligere poſſe me admodum veram fidelémq; realis eſſentialíſq; *Antichriſtianiſmi Ideam* exhibuiſſe, & ad ſummum profectò qui fingi poteſt gradum. Si quis enim rem extenuare velit dicendo *Pſeudochriſtianam* hanc Eccleſiam Chriſtum ejúſve Evangelium non apertè negare, nec unumquemq; qui Chriſtiani nomen gerit perſequi, nec deniq; Imagines erigere Paganorum Numinibus, *Marti*, *Veneri* reliquíſque, ad hæc breviter reſpondeo.

Ad primum; E re ipſorum non fore ſi totam Evangelii veritatem negarent, quippe quòd poteſtas ipſorum hoc pacto atq; exiſtimatio apud homines concideret. At enim è re Eccleſiæ Dei futurum eſſet, ſi ità facerent. Unde eos conſtat inimicos eſſe omnium peſſimos, ut qui majorem noxam ſub obtentu amicitiæ, quàm quilibet profeſſus Hoſtis, inferunt. Ut hîc prætermittam manifeſta eſſe in Scripturis argumenta *Antichriſtum* externâ profeſſione fore *Chriſtianum* non *Paganum* ullúmve alium à Republica Chriſtiana alienum.

Ad ſecundum, Quòd univerſos non occidant, qui appellantur Chriſtiani, argumento eſſe eorum malitiam ac crudelitatem accuratiori modo in *Chriſtum ipſum* intorqueri & dirigi, ex eo quòd odium ſuum in *ſola vera* illius *ſincerâq; membra* evomant. Ii enim quibus iſti parcunt, non ſunt veri Chriſti ſervi, ſed hujus ſummi Sacerdotis mancipia, aut ſaltem tales ab eo reputantur, alioqui illius furorem nequaquam effugerent, adeò ut illius contra Chriſtum molitiones majori tantùm cum *aſtu artéque*, nè aberrent ſcopo, collineentur, non autem minùs *truculentæ* ſunt aut *malignæ*.

Et ad poſtremum, Quòd Imagines Perſonáſve colunt, non quidem *Veneris*, nec *Neptuni*, nec *Martis*, ſed Beatæ Virginis, S. *Petri*, S. *Pauli*, &c. Supponamus præcellentem aliquem Principem, probúmq; perinde ac potentem contra Adulterium carnalémq; Fornicationem ſevera Edicta promulgâſſe, quoſdámq; hujuſmodi facinorum reos apud ſuum Principem ad hunc modum ſe defendere. Equidem verum eſt auguſtiſſime Princeps, nos fornicationem commiſiſſe, verùm enixè hoc à te petimus, ut unum hoc ſummoperè obſervare digneris, quàm excuſabilibus ſcilicet id à nobis factum ſit & diſculpabilibus circumſtantiis. Neq; enim nos ſumus ex craſſo illo ſordidóq; *Fornicatorum* genere qui quâlibet carne ſe lubenter polluant, ſed talibus ſolummodo, quas (idq; ex ſummo ſuo merito) magno ſanè honore ſinceróq; amore proſequimur, idq; eo potiſſimùm nomine quòd tam propinquâ neceſſitudine *Celſitudini* veſtræ ſint vinctæ, *Filias* intelligimus, *Sorores*, *Neptéſque*, & ſi quæ adhuc arctiori propinquitatis vinculo veſtræ Celſitudini ſint conjunctæ. An non hujuſmodi defenſio animum Principis majori irâ adversùs improbam eorum impudentiam accenderet?

Quàm inviſa igitur ac ridicula foret iſtiuſmodi defenſio de Fornicatione ſpirituali cum chariſſimis beati Servatoris amicis ac cognatione proximis? Num *ſpirituale adulterium* quæ eſt *Idololatria*, in Beatam Virginem, in S. *Johannem* alióſq; perpetratum tolerabilius eſſe poteſt quàm in *Dianam*, *Apollinem* alióſq; ab Ethnicis in Deorum numerum relatos mortales?

Quinimò, an non poſterius hoc ſimplex duntaxat futurum eſſet Fornicatio vel Adulterium (ſiquidem nulla eſt in hujuſmodi profanis perſonis à recipiendis Divinis honoribus averſatio) prius verò *Raptus execrabilis*, cùm *Idololatria* ſive ſpiritualis Fornicatio contra voluntatem horum cœleſtium *Sanctorum* committatur, quos ad hunc modum vel ingratiis ſuis dehoneſtant ac blaſphemant?

Adeò ut nè minimum quidem ſcrupulum ſupereſſe videam, cur quis dubitet quin *Ideam* delineaverim maximè perfecti maximéq; deteſtabilis *Antichriſtianiſmi* qui poteſt exiſtere.

10. Atq; jam poſtquam tam plenè perfectéq; *Ideam Antichriſti* delineaverim, poſſem equidem, juxta propoſitam methodum, illius Applicationem ad ſtatum Eccleſiæ eò lapſum hîc inſtituere.

Sed enimvero cùm ſint qui tam difficulter perſuaderi queunt ullam Eccleſiæ Chriſtianæ degenerationem, quamdiu externâ formâ *Jeſum* profiteantur eſſe *Chriſtum*, omnes numeros explere poſſe famoſi illius inſigníſq; *Antichriſti* quem vaticinia videntur indigitare, quem illi ſumma cum confidentia contendunt apertè Jeſum abnegaturum eſſe, ſéq; expectatum *Meſſiam* eſſe aſſerturum, non profeſſum Succeſſorem veri Chriſti, ejúſve diſcipulum; equidem utile fore exiſtimo, antequam ad applicationem hujus *Ideæ Antichriſtianiſmi* progrediamur, ut paulò exquiſitiùs vaticinia perſcrutemur indéq; demonſtremus cum irrefragabili, prout ſpero, evidentiâ talem in ſumma *Antichriſtum* præfiguratum fuiſſe à ſanctis Prophetis prædictúmque, qualem nos in hac *Idea* repræſentavimus; talem ſcilicet, qui tametſi iſtiuſmodi abominanda facinora perpetret quæ nos commemoravimus, profiteatur tamen ſe interim partem, immò principem partem capútve Corporis Chriſti quæ eſt Eccleſia.

Hoc enim niſi præſtitero, probè novi tam verſutum ac prævaricatorium eſſe *Ignorantiæ* ac *Falſitatis* Genium, ut ſe putaturus ſit hæc omnia poſſe evadere, dicendo me ſatìs operoſam concinnâſſe deſcriptionem *veræ* quidem *Ideæ*, ſed non *illius* veræ *Ideæ Antichriſtianiſmi* quam libri Titulus præ ſe fert; hoc eſt, Eccleſiam ſanè admodum nequiter feciſſe, & ſecundùm aliquem ſenſum, Antichriſtianè, quòd in iſtiuſmodi enormitates prolapſa ſit, totum verò hoc non poſſe *illum* conſtituere *Antichriſtum* propriè ſpeciatímq; ſic dictum & Prophetarum prædictionibus indigitatum.

Quas igitur neceſſe eſt ut antè perſcrutemur quàm ad cætera pergamus; quod eò lubentiùs facturi ſumus, cùm methodus utrovis modo perinde ſit naturalis. Prima enim propoſita methodus erat ut poſt hanc *Ideæ Antichriſtianiſmi* deſcriptionem, accuratam illius ad lapſum Eccleſiæ ſtatum applicationem inſtituiſſemus, ad detegendum quis de facto ille inſignis eſſet *Antichriſtus*, poſteáq; vaticinia comparâſſemus cum eventis, unde conſtare potuiſſet vaticinia etiam idem malum, quod *Idea* noſtra, præfigurâſſe. Præſens verò methodus eſt, poſt Deſcriptionem *Ideæ Antichriſtianiſmi*, perſcrutari ſtatim vaticinia, quo comperiamus præfigurationes *Antichriſti* in præcipuis ſuis lineamentis (neq; enim vaticinia de Chriſto, prædictiones ſunt omnium particularium ipſius Actionum) manifeſtiſſimè reſpondere *Ideæ* quam nos exhibuimus, illúmq; *Antichriſtianiſmum* quem illa prædicunt degenerationem eſſe ſive Apoſtaſiam Eccleſiæ, formalem Chriſtianitatis profeſſionem adhuc retinentis, quemadmodum nos in *Idea* noſtra rem deſcripſimus. Tandémq; loco ultimo accuratiorem *Ideæ Antichriſtianiſmi* ſuo cum prædictionibus Propheticis conſenſu ad hunc modum confirmatæ, ad Apoſtaticum Eccleſiæ ſtatum à tot ſeculis ad noſtrâ uſq; tempora Applicationem facere. Quæ plenior futura foret evictio ſtupendæ veracitatis vaticiniorum. Eſtq; perinde proba ac naturalis methodus vaticiniorum *veritatem* arguere plenitudine Eventuum, atq; illuſtrare *eventuum naturam* applicatione Vaticiniorum.

Cæterùm intereà loci neceſſitas erit in præſenti hac inquiſitione aliquo ſaltem modo recurrendi ad eventa. Quis enim vaticinia ſine omni recurſu ad eventa interpretari poterit? Omnis verò Hiſtoria ad quam opus erit ut recurramus, cùm aut talis ſit quæ diſtincta eſt ab omni parte hujus *Ideæ* quam delineavimus, (ac proinde producenda in conſpectum, prout loca quæ interpretaturi ſumus, requiſiverint)

rint) aut Notitia tantùm generalis iſtorum membrorum *Antichriſtianiſmi* quæ deſcripſimus, quæ vix quiſquam eſt qui ignoret dubitétve. Poſſumus profectò citra omnem confuſionem vel obſcuritatem (partim remittendo Lectorem ad hanc *Ideam* in eis rebus quæ probatione non indigent, partim producendo Hiſtoriam prout occaſio requiſiverit) ad propoſitam Inquiſitionem in vaticinia, ut veritatem *Ideæ Antichriſtianiſmi* pleniùs demonſtremus, noſmet accingere. Quod poſtquam finiverimus, accuratiorem faciemus illius Applicationem, ad reos manifeſtiùs convincendos, & liberandos innocentes ab omnibus hujuſmodi injuſtis, quibus impeti poſſint, Inſimulationibus.

SYNOPSIS PROPHETICA:

SIVE

INQUISITIONIS

IN

Mysterium Iniquitatis

PARS POSTERIOR,

Compendiosum continens Prospectum in illa Sacræ Scripturæ

VATICINIA,

Quibus Regnum Antichristi insigníve Lapsus seu Degeneratio

ECCLESIÆ,

In eis rebus omnibus quæ in *IDEA* Antichristianismi comprehenduntur, præfiguratur vel prædicitur.

Per *Henricum Morum* Cantabrigiensem.

Theognis.

Ἄνθρωποι τὰ μάταια νομίζομεν εἰδότες ἐσθλά·
Θεοὶ δ' ἐκ σφίσιν πάντα τελοῦσι νόον.

Daniel. 4.

Hæc res decreto Vigilum, *hæc* Rogatio *pronunciatione* Sanctorum *perlata est.*

LONDINI,

Typis *J. Macock*, Impensis *Johan. Martyn* sub Signo Campanæ, & *Gualteri Kettilby* sub Signo Capitis Episcopi in Divi *Pauli* Cœmeterio.

MDCLXXIV.

SYNOPSIS PROPHETICA,
SIVE
COMPENDIOSUS PROSPECTUS
In Sacrarum Scripturarum
VATICINIA
DE
ANTICHRISTO VENTURO.

LIB. I.

CAP. I.

1. Antichriſtianiſmum *quem in* Idea *noſtra tam accuratè deſcripſimus, quémq; in genere tam vulgariter notum eſt per Chriſti Eccleſiam ſe diffudiſſe, reverà* Pagano-Chriſtianiſmi *genus quoddam eſſe.* 2. *Quòd incredibile eſt nullas eſſe Prædictiones de tam notabili mutatione.* 3. *Malè collocata opera quorundam Interpretum qui obſcurandis iſtiuſmodi Prædictionibus operam navârunt, eas diſtorquendo in alios inutiles ſenſus.* 4. *Utrùm de magno hoc* Antichriſto *quicquam prædictum ſit in Epiſtola S.* Johannis *ſub hoc ipſo nomine.* 5. Barchocab, *ſi omninò applicabilis ſit Textui, Typum eſſe poſſe inſignis illius* Antichriſti. 6. *Famam magni illius* Antichriſti *à* Daniele *prædicti occaſionem dediſſe mentioni multorum iſtorum* Antichriſtorum *apud S.* Johannem. 7. *Parem ferè rationem eſſe tarditatis* Chriſtianorum *in detegendo vero* Antichriſto, *atq;* Judæorum *olim in vero* Chriſto *dignoſcendo.* 8. *Fraudulentum & Hypocriticum Oppugnatorem Chriſti æquè realem eſſe poſſe ac formidabilem* Antichriſtum, *quàm profeſſum ac apertum Inimicum; ſanctiq;* Johannis *Deſcriptionem ei æquè eſſe applicabilem.* 9. *Inepta ac delicatula tergiverſatio in declinando nomine* Antichriſti, *quódq; Titulus hic magno huic Eccleſiæ Inimico per occaſionem ex Epiſtola S.* Johannis *ſumptam ab antiquis Patribus ſit impoſitus.* 10. *Quædam conſiderationes de* Styli Prophetici *obſcuritate propoſitæ.*

1. A D quàm enormem gradum Eccleſia Chriſti degenerare poſſit vel apoſtatare potiùs à Puritate Evangelii in horrendam illam *Antichriſtianiſmi* conditionem, & tamen externam *Chriſtianitatis* profeſſionem retinere, abunde demonſtravimus, nempe dum utuntur *Titulis* quidem & *Hiſtoriâ Chriſti* & Apoſtolorum, ſed introducunt interim ſub eo obtentu talem faciem *Idololatriæ* & *Paganicæ* ſuperſtitionis barbaræq; *Crudelitatis* adversùs veros Chriſti ſervos ut ab iis quorum judicia magis libera ſunt ac perſpicacia, hujuſmodi Eccleſiæ ſtatus *Paganiſmi* potiùs reviviſcentia quàm non-interrupta ſucceſſio *Chriſtianitatis* non poſſit non judicari; vel ut molliſſimâ, quam rei veritas admittere poteſt, formâ loquendi utar,

utar, pura quidem censeri non potest & inadulterata Christianitas, sed quidam potiùs *Pagano-Christianismus*. Siquidem ritus *Paganici*, Idololatriæ & Superstitiones, licèt circa objecta *Christiana* reverà exercentur, & *Paganismus* hic in adulterata hac *Christianitate* æquè ferinâ crudelitate propugnatur atq; antiquus ille Paganismus Ethnicorum Imperatorum temporibus est propugnatus. Nunc restat ut, secundùm propositam methodum, sacra scrutemur Oracula ad investigandum an istiusmodi *Antichristianismus* quem ego descripserim in eis non sit præfiguratus, támq; horrenda in Ecclesia Christi mutatio, quàm in genere manifestum est (secundùm omnium hominum sententias qui non sponte cæcutiunt) ab aliquam-multis seculis Ecclesiam invasisse, non sit olim prædicta à Prophetis aut Apostolis, aut ab utrisque.

2. Mira enim mihi res videtur ac planè incredibilis, ut Deus qui tanto studio atq; curâ Ecclesiæ *Judaicæ* invigilabat (prædicendo Captivitates eorum, reditúsq; ex Captivitate, & præmonendo eos de rebus cujusvis momenti ferè omnibus per ora Prophetarum suorum multis centenis aliquando annis ante eventum) Christi Ecclesiam per tam longam seculorum seriem sine *Ephod* & sine *Teraphim* relinqueret, hoc est sine Prophetis ullísve tempestivis Prædictionibus earum rerum quæ ipsi in tam longi temporis quàm mille ducentorum trecentorúmve annorum continuorum decursu, sint obventuræ; ut eam pateretur errabundam in tam immensa Nocte palari, ac fluitare super fluctus absq; omni quâ gubernetur *Cynosura*. Quamobrem nullus dubito, quin Christus tam fidelem se suæ Sponsæ præstiterit, ut monumenta aliqua oracularia reliquerit in quibus quis, modò oculos nullo caligantes præjudicio eis admoveat, charactere sanè admodum legibili statum conditionémq; Ecclesiæ grandémq; hanc illius Apostasiam cum maximè insignibus ejus circumstantiis perlegere possit, eáq; ferè omnia *Antichristianismi* capita quibus nos institimus illìc invenire indigitata, eíq; præsertim appropriata Ecclesiæ quam Historia hujusmodi facinorum maximè affinem repræsentat.

3. Qua de re cùm tam certò apud meipsum persuasus sim, equidem sine magno animi dolore aut indignatione malè collocatas horas quorundam hominum doctorum recordari non possum, qui universis illis illustribus vaticiniis (sive apud *Danielem* sive in *Apocalypsi* aliísve quibuscunq; in locis) quæ Dei populum de grandi hac Ecclesiæ degeneratione præmonent, ad alios sensus quantumlibet coactos frivolósq; quantumlibet distortos & abjectos pervertendis operam navârunt, obscurantes eo pacto gloriosam Dei Providentiam, cujus vigilantiæ super Ecclesiam verus ac naturalis sensus horum Vaticiniorum Testis est locupletissimus, & avertentes porrò illud commodum quod nobis obventurum esset ex recta intelligentia harum sanctarum Præfigurationum ac Prædictionum. Quæ si rectè intelligerentur, mirificam vim habituræ essent ad reducendum mundum ad bonam frugem, orbémq; Christianum convertendum ad antiquam Apostolicámq; Puritatem tam in *Praxi* quàm *Doctrina* à qua tamdiu jam aberraverunt.

Quamobrem ex condigno sensu honoris Dei ac promotionis Regni *Jesu Christi* omnia illa Vaticinia tum *Veteris* tum *Novi Testamenti* quæ ab antiquis de *Antichristiana* hac Apostasia intellecta sunt, in medium proferre statui, & sepósito omni præjudicio partiúmq; studio, eorum sensus, quâ par est libertate, explicare. Quod præstiturum me spero ea cum perspicuitate demonstrationis ac simplicitate, offerendo scilicet adeò incoactos, adeò faciles adeóq; naturales rerum sensus, & cum indubitatis principiis tam arctè cohærentes, ut nemo sit, nisi crasso occæcatur præjudicio, quin plenam satisfactionem de vera horum Divinorum Oraculorum Interpretatione sit hausturus.

4. Equidem fateor difficile fore ullum Scripturæ Textum producere in quo status hic Ecclesiæ *Apostaticus* indubitatè sub ipso nomine *Antichristi* sit prædictus, quanquam id nomen plus semel in Epistolis S. *Johannis* reperitur: Verùm, tametsi quidam id faciunt, ego sanè non ausim contendere hunc *Antichristum* vel *Antichristianismum* quem hactenus descripsi, tam apertè in singulis illis locis indicari. Non *Grotius* solùm sed ipse *Medus* istos *Antichristos* de *Pseudo-Christis* intelligit quos Servator apud *Matthæum* prædicit ante & post *Hierosolymorum* excidium exsurrecturos, quæ ἐσχάτη ὥρα erat Reipublicæ *Judaicæ*. Cùm verò ἐσχάτη ὥρα nihil aliud sit quàm καιρὸς ἔσχατος (nam עת indifferenter redditur ὥρα & καιρὸς) cúmq; quartum apud *Danielem* Regnum ultimum sit; tempus etiam illius Regni significari potest per ἐσχάτην ὥραν. Unde illud S. *Johannis* (*Filioli, ultima hora est & sicut audivistis, ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται, insignem illum Antichristum venturum, etiam nunc Antichristi multi cœperunt esse, unde ultimam horam esse intelligimus*) hujusmodi sensum, supposito Prædictionem modo aliquantulùm *elliptico* formatam esse, habere potest, nempe

1 Epist. 2. 18.

Quòd

Quòd Tempus ultimum in quatuor Regnorum Kalendario *Danielis*, hoc eſt, Regnum ultimum tunc labebatur, quod eſt Romanum; durante quo Regno Cornu parvulum, qui hîc appellatur *Antichriſtus*, in ſcenam erat aſcenſurum. Hic eſt ὁ ἀντίχριστος, inquit ille, *inſignis ille Antichriſtus*, quem ex *Daniele* accepiſtis venturum eſſe, verùm illius adventus *majori temporis ſpatio diſtat.* Ut ea igitur loquar quæ propiùs ad vos ſpectent, etiam *nunc* multi *Antichriſti* cœperunt eſſe, quos non *Daniel* quidem ſed ipſe Servator venturos prædixit, unde *rurſus* intelligimus *horam* ultimam eſſe, non autem quatuor Regnorum *Danielis* ſed *Reipublicæ Judaicæ*, quemadmodum prædixit Dominus. Vel breviùs ſic: *Filioli, ultima hora eſt*, hoc eſt, quatuor Regnorum ultimum, *Romanum* ſcilicet, & quemadmodum audiviſtis *inſignem* illum *Antichriſtum* tunc venturum eſſe, viz. in ultima hora, ità & nunc in ultima hora Politiæ *Judaicæ* multi ſanè ſunt *Antichriſti.* Unde certò colligere poſſumus ultimam illius eſſe horam, multis iſtis *Antichriſtis*, ſecundùm Prædictionem, *hanc* horam ultimam comitantibus, quemadmodum unus ille *inſignis Antichriſtus illam* demum eſt concomitaturus.

Secundùm hujuſmodi aliquem ſenſum fateor illum ipſum *Antichriſtum* vel *Antichriſtianiſmum* quem hactenus tractavi, ſub eo ipſo nomine in hoc Scripturæ loco ſignificari poſſe, quamvìs litem moturus ſim adversùs neminem qui eum aliter vult interpretari. *Grotius* inſignem hunc *Antichriſtum* de quo audiviſſe poterant, de *Barchocab* intelligit. Sed enim cùm nulla unius cujuſquam præter cæteros egregii Impoſtoris in Servatoris prædictionibus apud *Matthæum* facta ſit mentio, admodum credibile eſt hunc rumorem ex *Danielis* Vaticinio de improbo illo *Cornu parvulo* originem traxiſſe, quod proculdubio *Symbolum Propheticum* eſt eximii illius *Antichriſti* qui erat venturus.

5. Idem Author de *Barchocab* etiam interpretatur τίς ἐστιν ὁ ψεύστης, itáq; reddit, *Quis poteſt eſſe major impoſtor?* & rectè credo. Res enim admodum tenuis eſſet & frigida ſi Apoſtolus *Antichriſtum* deſcriberet ex eo ſolo quòd *Jeſum* neget eſſe Chriſtum magnum illum *Regem, Sacerdotem* ac *Prophetam* à Deo miſſum ad quem omnes Gentes eſſent confluxuræ. Tales enim *Antichriſti* Infideles omnes ſunt quorum immenſa eſt copia. Hujuſmodi igitur abnegator Chriſti hîc innuitur, qui agendo *Impoſtorem* & ſeipſum Chriſtum faciendo vel ingerendo ſe in locum veri Chriſti qui ipſe Jeſus eſt, Jeſum neget eſſe Chriſtum, atq; ſic eum negando illum etiam neget qui miſit eum, quíq; de eo teſtatus eſt eum *dilectum ſuum eſſe filium cui omnes oportet auſcultare.* Hujuſmodi præſertim *Antichriſtus* erat *Barchocab* qui faciendo ſe *Meſſiam*, eo ipſo negabat planè *Jeſum* eum eſſe. *Verſ.* 22.

Veruntamen ut eximii *Chriſti* Typi erant in populo *Judaico* taléſq; ad quos unum idémq; Vaticinium æquè ſpectaret ac ad ipſum *Chriſtum*; ità ſanè intellectu obvium eſt quòd *Antichriſti* etiam exſurgere poſſint apud eum populum cui omnia in Figuris contingebant, qui typi forent *inſignis* illius *Antichriſti* in Eccleſia Chriſtiana exſurrecturi, quódq; unus idémq; Textus utroſq; poſſit indigitare, quemadmodum haud difficile eſt conceptu hunc ipſum Textum id facere.

Nam quod ad *magnum* illum *Antichriſtum* attinet quem in *Idea Antichriſtianiſmi* deſcripſimus, manifeſtum eſt quòd is *Jeſum Regio, Sacerdotali Propheticóq;* ſuo officio exuit, illa omnia ipſe uſurpans, aut in alios ea conferens, quemadmodum copioſè illîc declaratum eſt. Quamobrem cùm ſeipſum Caput Eccleſiæ tam abſolutum faciat, *Jeſum* eo ipſo excludit quò minùs is caput ejuſdem eſſe poſſit, atq; ſic demonſtrat ſe *inſignem* illum eſſe in Orbe Chriſtiano *Antichriſtum.* Et ſanè negando *Jeſum* eum ſupremum eſſe *Regem, Sacerdotem* ac *Prophetam* cui omnes debent auſcultare & obedire, cujus decreta verbáq; Leges ſunt immutabiles, negat etiam ex conſequenti Patrem qui eum miſit, pari profectò ratione, atq; alius quiſquam *Antichriſtus* inter *Judæos* exiſtimari poteſt hoc unquam feciſſe. Quis enim ex ipſis unquam dictus eſt nomen ſuum inter *Atheos* profiteri?

6. Quæ quidem res ritè penſitatæ ſatis inſtructos nos reddent ad ſenſum faciliùs intelligendum illius quod quarto capite hujus Epiſtolæ S. *Johannis* ſcriptum eſt, ubi ait quòd *Quicunq; ſpiritus profitetur* Jeſum Meſſiam *eſſe incarnatum, ex Deo eſt. Quicunq; verò ſpiritus non profitetur* Jeſum Meſſiam *eſſe incarnatum, ex Deo non eſt. Sed hic eſt ille ſpiritus Antichriſti de quo audiviſtis eum venturum eſſe, & jam nunc in mundo eſt.* Verſio vulgaris *Latina* habet, *Et hic eſt Antichriſtus de quo audiſtis quoniam venit & nunc jam in mundo eſt.* Quod planè innuit eos non legiſſe ὁ ἀκηκόατε ſed ὃν ἀκηκόατε ὅτι ἔρχεται, *De quo Antichriſto audiviſtis quòd venturus eſt.* Addit verò porrò, καὶ νῦν ἐν τῷ κόσμῳ ἐστὶν ἤδη. Quod ſimile eſt loco illi S. *Pauli*, τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας. Ubi futurus adventus inſignioris cujuſpiam *Antichriſti* excluditur in neutro quidem loco. In hoc verò loco *Johannis Grotius* iterum

intelligit Impostorem *Barchocab*. Antiqui verò adeóq; ipsi *Pontificii* insignem illum *Antichristum* Patrum. Unde pro confesso est tum apud *Grotium* tum apud *Pontificios* talem Inficiatorem, quòd *Jesus Messias* sive *Christus* sit in carne profectus, intelligendum esse, qui sit Impostor ac seipsum illum *Christum* esse glorietur, quo *Jesum* eum esse planè pernegat, prout in priorem locum notavi.

Et loci utriusq; sensus hic esse potest; Quòd utique, cùm ii ad quos *Johannes* scripsit, rumorem famámve accepissent de eximio quodam *Antichristo* ultimis temporibus in mundum venturo (cui famæ proculdubio *Danielis* Vaticinia de *Cornu parvulo* déq; *Rege superbiæ* qui se supra omnia exaltaturus esset, dederant occasionem) cúmq; horum Vaticiniorum completio longiùs tunc abesset, quanquam certò aliquando futura, in tales ille *Antichristos* qui propinquiores essent, eorum animos defigit, quíq; licèt Typi tantùm essent ac figuræ magni illius *Antichristi* post aliquot secula venturi, ex ipsorum tamen usu magìs foret, diligentiùs eos notare: interea verò *Antichristum* sic describit ut tametsi crassiori quodam modo Typos istos futuri *Antichristi* indigitet, descriptio tamen si penitiùs introspiciatur, *magnum* illum etiam *Antichristum* firmiter prehendit arctéq; constringit, quippe quæ planè innuit eum talem esse qui per modum *Impostoræ* se in locum *Jesu* (qui verus est Christus, Rex ille, Sacerdos ac Propheta à Deo constitutus, cui omnis debetur obedientia) sit ingesturus. Quod non solùm *Barchocab* & istiusmodi falsi *Messiæ* in Republica *Judaica* fecerunt, sed & is etiam qui ità se caput Ecclesiæ constituit, ut leges doctrinásq; Christi aboleverit, idem facere deprehenditur.

7. Equidem fateor Oppugnationem & Intrusionem insignis hujus *Antichristi* inter Christianos obliquam magìs esse magísq; subtilem quàm erat falsorum istorum apud *Judæos Messiarum* molitio ac usurpatio. Sed notare simul debemus Christianorum *Messiam* sive *Christum* magìs *spiritualem* esse quàm quem *Judæi* expectârunt, ac proinde minimè mirum esse si eorum *Antichristus* alius sit naturæ; non crassus quidem & violentus Invasor Imperii Christi, sed magìs subdolus Impostor astutúsq; Hypocrita, qui simulet se omnia facturum in ordine ad Regnum Christi *spirituale*.

Nec mirari sanè debemus orbem Christianum tam tardoculum fuisse in discernendo hoc *Antichristo* postquam advenisset, quippe quibus idem hîc contigit quod *Judæis* olim contigerat qui *Messiam* suum discernere non potuerunt etiam tunc quum quotidie ipsis ante oculos obversabatur; uterq; enim error ex consimili præjudicio falsáq; rerum notione ortus est. Siquidem *Judæi* talem in animis suis *Messiam* descripserant qui Regna ipsis subjecturus esset, eósq; populum opulentum ac potentem in terris redditurus (tam crassam mundanámq; *Ideam* de illius potestate ac officio conceperant) Christiani verò talem præfiguraverant *Antichristum* qui externam *Christi* professionem planè repudiaturus esset, & directè & ex professo Regnum illius oppugnaturus.

8. Sed enimvero fraudulenta & Hypocritica Oppugnatio æquè vera est & magìs sanè pernicioſa oppugnatio quàm quæ aperta est & directa. Et qui alterum Dominum Regémq; appellitat sed profitetur interim se potestatem habere abrogandi leges illius aliásq; quascunq; ipsi libuerit sanciendi, cogendíq; hujus Principis subditos ad eas observandas, hic homo profectò seipsum reverà constituit Regem. Ac proinde is qui jus sibi assumit abrogandi leges Christi novásq; de proprio cerebro excudendi quibus orbis Christianus sit regendus, consimili sanè ratione seipsum *Christum* constituit, multóq; eminentior est *Antichristus* quàm *Barchocab*, quem *Grotius* nobis persuadere vult eum esse qui his S. *Johannis* verbis sit indigitatus; *Antichristus de quo audistis quoniam venit*; cùm tamen nihil ipsis, quod suprà monui, enotuisset de ullo uno eminenti *Antichristo* nisi ex *Cornu parvulo* apud *Danielem*, illóq; *Rege superbiæ* qui se extollit supra omne quod dicitur Deus.

Et certè omnia illa horrida lineamenta in descriptione *Antichristi* apud *Johannem* comprehensa invenientur in hoc *homine peccati*. Nam ex eo quòd se *Christum* facit, quod certè facit *Interpretativè*, eo ipso *Jesum* negat eum esse, quippe qui legis conditor est, contra quam nulla in terris potestas dispensare potest, siquidem illius Decreta decreta sunt *æterni filii Dei*. Quamobrem qui id juris sibi assumit ut contradicat, abroget, dispensétve contra has Doctrinas ac Decreta, eo ipso negat *Jesum* esse Dei filium, & qui filium negat, Patrem simul negat qui misit eum.

Hunc sensum valde perspicuum credo æquo cuivis judicio appariturum, nec opus est ut ei diutiùs insistam, cùm nonnulla quæ huc factura sint suprà suggesserim. Monebo hîc tantùm obiter quàm solenne sit in Scriptura Peccatorem directè onerare istiusmodi criminibus quæ is tamen non nisi *interpretativè* perpetraverit. Ut ubi Amos 5. 15. Deus ait, *Israëlitas* ipsi non sacrificâsse in deserto. Quod verum est tantùm *Interpretativè*,

pretativè, ex eo quòd sacrificabant etiam aliis Diis, itáq; *Jehovæ* vero Deo non sacrificabant, utpote cujus nusquam æquiparanda perfectio, nullius Rivalis Sociíve in cultu Religioso est capax, quem dum aliis præstant, *interpretativè* quidem negant *Jehovam* eum esse qui est, ac proinde ei non sacrificant, nè tunc quidem quando id maximè prætendunt, sed figmento proprii cerebri. Ità *Jeremias Judæos* istiusmodi stoliditatis insimulat ac si *ligno dixissent, Pater meus es tu, & lapidi, Tu me genuisti:* Quæ tamen accusatio vera est tantùm *interpretativè*, ex eo quòd cultum Religiosum præstabant lignis & lapidibus, eóq; pacto eos agnoscebant Deum esse universi generis humani Patrem, mundíq; conditorem. Et postremò in hac ipsa Epistola, S. Johannes ait, *eum qui negat* Jesum *esse* Christum, *patrem negare filiúmque.* Quis autem fando unquam audivit aut *Barchocab* aut alium quemvis Pseudo-christum *Judaicum* directè Deum negâsse, qui Pater erat Domini nostri *Jesu* Christi? Multa hujusmodi exempla occurrunt in Scripturis, quæ cùm ità obvia sint, nihil opus est ea proferre. Hæc pro obside esse possunt Concinnitatis nostræ Interpretationis.

Vide Ideam Antichrist. lib. 2. c. 6. sect. 6.

Jer. 2. v. 27.

9. Verùm supponamus rem totam in deplorato esse quantùm ad hanc S. *Johannis* Epistolam, nósq; eminentem hunc *Antichristum*, qui tamdiu jam in orbe Christiano regnavit, in nullo hujus scripti loco indigitari agnoscere debere, fateor equidem huic consequens esse, quòd *Antichristiana* hæc Potestas quam nos tam fusè in altero nostro Tractatu descripsimus, nusquam in Scriptura *Antichristus* sit appellata, quódq; sic quidem futurum sit, ut corruptus hic Pontifex Maximus cum Apostatico suo Clero à tali quidem exemptus fuerit infamia, ac si id nomen ei ab ipso Dei digito sit inustum; attamen non possum interea quin hoc delicias agendi tergiversandíq; genus, (in abhorrendo utiq; ad hunc modum à nominibus, cùm res ipsis significatæ adeò conspicuæ sint) æquè ridiculum existimem, atq; si monstrum aliquod hominis duodecim cubitos altum magnâ quidem exardesceret indignatione siquis eum Gigantem appellaverit, nullâ verò omninò injuriâ se affectum existimaret, ex eo quòd quis eum vocaverit *Dodecapechyn*, cùm tamen homo quispiam qui infra duodecim cubitorum staturam sit, *Gigas* meritò possit appellari.

Cæterùm quantùm ad me, equidem in ea sum sententia, compendii potiùs causâ factum fuisse quàm propter majorem Tituli infamiam, quòd Persona illa corpúsve Politicum quod adeò reverà *Antichristianum* factum erat, vulgò appellatus sit *Antichristus*, potiùs quàm *Meretrix Babylonica*, *Bestia bicornis*, *Homo peccati* & similia. Qui tituli nihilo quidem minùs sunt inviси, quanquam minùs compendioси. Estq; observatu dignum, eos Scripturæ locos super quos antiqui Patres scripserant, *Vaticinium de Antichristo*, Titulum finge undecunq; volueris petitum, (quanquam non dubito quin ab hac S. *Johannis* Epistola sit accersitus) mirum in modum aptos esse ad præsignificanda illa Eventa quæ in *Romana Hierarchia* oculis nostris palàm sunt subjecta.

Si Veterum igitur nomenclaturæ stare velimus, cùm illa Vaticinia quæ illi de *Antichristo* interpretati sunt, adeò planè indubitatéq; inveniantur ad degener illud orbis Christiani corpus spectare, omninò Rationi consentaneum est ut dictum corpus cum suo capite generaliori hâc ac compendioсiori appellatione insigniatur.

10. Ut verò quis mirabilem hanc aptitudinem & Applicabilitatem illorum Vaticiniorum apertiùs demonstret, res est sanè operoсior & laborioсior, & quæ feliciori quidem successu suscipietur si viam muniamus per considerationes quasdam de *styli Prophetici* obscuritate, apud *Danielem* præsertim & in *Apocalypsi*, ut verbi causâ, *Quare* hæc *obscuritas* sit, deinde *in quo consistat*, & postremò *quæ sit ad eam illustrandam familiarémq; nobis reddendam ratio efficaciссima.*

CAP. II.

1. *Cur* Vaticinia *saltem mediocri aliquâ obscuritate sint involvenda.* 2. *Indispensabilis Necessitas hoc genus Involutionum propter liberum hominum arbitrium.* 3. *Ut & propter Inimicos Ecclesiæ tum* Homines *tum* Dæmonas. 4. *Enumeratio ejusmodi* Schematum *seu* Figurarum *in quibus potissimùm hæc obscuritas consistat.* 5. *Quid sit* Diorismus, *cum diversis exemplis* Numeralium Diorismorum. 6. *Tutissimum videri* quinq; Locustarum menses *juxta hanc Figuram interpretari.* 7. *Usus* Numeralium Diorismorum *ratio.* 8. *Unde & aliquid lucis affertur ad rationem intelligendam incertæ designationis, in* ἑτοιμασμένοι εἰς τὴν ὥραν καὶ ἡμέραν, καὶ μῆνα καὶ ἐνιαυτόν. 9. *Exempla* Diorismorum proportionalium. 10. *Ut &* Diorismorum specificorum.

Apoc. 9. 5. & 10.

V. 15.

1. QUòd Vaticinia per obscuras ambages edita sint nec mirari debemus nec conqueri, cùm tam evidens illius rei ratio sit & tam justa. Valde enim consentaneum est ut illa scientia quæ tam longè supra captum humanum remota est, veneratione perinde humili ac profundâ recipiatur, quam omnibus quidem veritatibus obscura Mysticáq; tradendi Ratio conciliat, iis autem debetur maximè, quæ maximè sunt insignes, omniúmq; maximè facultates nostras naturales excedunt; cujusmodi est *Prophetia.* Ut omittam obscuritatem hanc non parùm quidem præcipiti fervori ac æstui quo utplurimum homines feruntur ad cognitionem rerum futurarum, obsistere & coërcere. Quam tametsi admodum paucis in sortem cedit ut modo aliquo immediato accipiant, si cui tamen obtingit, omnes ad eum ex naturali curiositate ac desiderio prænoscendi eventa futura certatim se conferunt intrudúntque. Cui ignito pruritui ac cupidini cognoscendi res futuras Providentia difficilem hanc & Ænigmaticam Prædictiones Propheticas edendi rationem pro fræno injecit, sicut leges naturalis pudoris ac modestiæ, præter superinducta Religionis Instituta Ritúsq; Politicos, illis impetuosis ad experiendas Nuptialis Thori voluptates propensionibus objecit, nè tam validis Inclinationibus citra molestioris alicujus moræ, & expectationis ceremoniam ulla fiat gratificatio. Et certè fieri potest ut hæc ipsa spes & expectatio, ut quæ quasi quædam rerum fruendarum prælibatio est, in utroq; loco voluptatem producat.

2. Cæterùm restat adhuc & alia magna hujus obscuritatis necessitas, quam nondum indicavimus, quæ hæc est: Nè Divinæ scilicet Prædictiones de Ecclesia Dei aut facilè aut certè omninò intelligantur ab eis à quibus sint implendæ antequam tempus præstitutum advenerit, ubi id fieri possit sine veræ Ecclesiæ præjudicio, hoc est, Res non tam apertè præfigurandæ sunt ut nimis violenter in liberum illud agere possint humanæ Animæ principium quo (nisi per hujusmodi miraculum de cœlo ipsi obsistatur) pro suo libitu vias suas est determinatura. Divina enim Prædictio tam aperta ut certò quempiam præmonitura sit eum tale facinus perpetraturum esse quod ad ignominiam suam ac exitium tenderet, Notáve futura esset Characterq; conspicuus & infallibilis coram toto mundo quòd is sit invisa illa persona quam tam dirum fatum maneat, efficeret proculdubio (nisi Deus validam aliquam vim adhiberet quâ vel invitus impleret Vaticinium) ut ille ex solo honoris proprii ac securitatis studio illius impletionem declinaret, omitterétq; omnes circumstantias quibus ipse sit præfiguratus ut characterem propriæ suæ personæ in Vaticinio delineatum obliteret.

Exempli causâ. Si S. *Johannes* expressim dixisset se per *Bestiam bicornem* ac *Meretricem Babylonicam* successionem Episcoporum *Romanorum* cum tota ipsis adhærenti *Hierarchia* intellexisse, equidem difficile est creditu, quòd Præsul hic *Oecumenicus* ad occultandam propriam ignominiam, sedem *septicollem* non fuisset mutaturus nè videretur is esse ad quem Vaticinium collinearet. Saltem id nunquam commisissent, ut Coronæ Papali, *Mysterium* inscriptum foret, prout factum est in *Meretrice Babylonica*, si prævidissent hanc visionem, ad *Romanum Pontificem* tam precisè spectare. Nec certè imaginari possumus si loco sexcentorum sexaginta sex, viginti quinq; *Numerus Bestiæ* dictus fuisset, quòd Ecclesia *Romana* eum numerum tantoperè fuisset affectatura. Et sic de multis aliis exemplis quæ possint produci.

Deus autem vix dici possit hominem relinquere in manu consilii sui, eíq; permittere liberè agere secundùm propriam suam naturam, si Divina hæc de rebus futuris

turis oracula modo tam aperto ac perspicuo edidisset & impletionem tamen eorum efficiendam curaret.

3. Præterea, Rerum futurarum ad Ecclesiam spectantium Notitia cum illius Inimicis communicata, in damnum illius facilè cedere potest; cùm utplurimum res plena periculi sit ut Inimicus intelligentiam habeat Consultationum nostrarum ac Propositorum.

Quod quidem verum est non solùm respectu *hominum* sed & *invisibilium* illorum *Ecclesiæ Inimicorum* qui perpetuò eam sub auspiciis Principis Potestatum Aëris, (qui magni sunt illi Adjutores & Instigatores filiorum Inobedientiæ) aggrediuntur oppugnántque. Eximium hujusce rei exemplum est illud quod *J. Medus* notavit è *S. Augustino.* Quomodo scilicet Diabolus (qui jam olim tantâ rerum mathematicarum peritiâ pollebat, ut *Athenienses* duplicandi Cubi Problemate exercuerit) computando rationem inter exterius Templi atrium & interius, quam ut videtur comperit præter propter esse ut 1260 ad 365, statim concluſit *Christianitatem* non ultra 365 annos in Mundo duraturam, sed statim futurum postea ut *Paganismus* iterum invalescat. Ac proinde propriorum suorum Oraculorum fidem surreptitiâ hâc sed perperàm intellectâ *Apocalypseos* Prædictione exornans, sic palàm pronunciabat, ut Conversionem hominum ad fidem Christianam istoc pacto impediret. Quod argumentum equidem existimo satìs validum ad nobis persuadendum quàm necessarium sit ut Vaticinia sacra *Ænigmaticis* involvantur integumentis, proptérq; indeterminabiles ambiguitates incertæ sint Interpretationis, donec aut Eventa aut fidelis aliquis Interpres Dei assistentiâ plusquam ordinariâ adjutus claram eorum solutionem sit redditurus.

4. Jam verò ad Artem quod attinet obscurandi Prædictiones in quibus potissimùm illa consistat, quamvìs totius declarationem in me non sim susceptus, tantam tamen illius portionem in medium proferam, quanta ad præsens saltem Institutum sufficiat, quam harum paucarum *Propheticarum Figurarum* sive *Schematum* explicatione complectar. Quibus haud temerè à nobis hæc data sunt Nomina, *Diorismus*, *Hylasmus*, *Henopœia*, *Zoopœia*, *Israëlismus*, *Ellipsis*, *Metalepsis*, *Homonymia*, *Paronomasia*, *Antichronismus*, *Icasmus*. Quorum pleraq; externum Vaticiniorum Corticem venustant perinde adornántque, ac pretiosum sensum in eis latitantem celant & cooperiunt.

5. *Diorismus* ejusmodi styli Prophetici schema est, quod externam *Literam* apparenti quidem sensu admodum accuratæ & determinatæ rationis rerum, quantùm ad *Numerum*, *Proportionem*, vel *Specificationem*, exornet. Quod igitur fortiùs Imaginationem ferit, ut objectum fixum immotúmq; fortiorem Impressionem oculo infert, quàm quod fugitivum est ac mobile, quemadmodum quotidianâ edocemur experientiâ. Paríq; ratione *conceptus determinatus* vividiùs & palpabiliùs animum afficit quàm qui generalior est & indeterminatior.

Exemplum primi generis illud Apocal. 2. esse censeo. *Habebitis afflictionem dierum decem*, ubi fateor me nunquam intelligere potuisse hoc aliter dictum quàm per *Diorismum* (quamdiu istas Epistolas *literaliter* intelligebam) modestámq; esse subinsinuationem perfectissimæ plenissimæq; Persecutionis, quemadmodum innuitur ex verbis subsequentibus, *Esto fidelis usq; ad mortem*, &c. Vide *Vatablum* & *Drusium* in locum, qui multa producit exempla ubi *decem* ponitur pro *multis*. Quem sensum si *decem Cornua Bestiæ* habere supponerentur, nulla profectò futura esset absurditas in admittendo illam Interpretationem, quanquam nec eorum industriam vilipendo qui de *decem* omninò inveniendis tam soliciti sunt, tantámq; ei rei impendunt operam. Nam eò fortasse validiùs obstinatos convicturi sint dum alii satìs persuasi sunt, eam tantummodo Imperii conditionem significare, quando divisum fuerit in bene notabilem multitudinem Regnorum sive Principatuum qui Regiâ Potestate pollerent.

Et certè illa *centum quadraginta quatuor millia* cum Agno in monte *Sion* non tot omninò esse, (nec plura nec pauciora,) quivis concessurus est qui observaverit Numerum 144 *Quadratum* planè esse Numeri 12, ac proinde, juxta rationem veteris *Cabbalæ*, conditionem Apostolicam illius multitudinis *symbolicè* significare, non autem Numerum determinatum, non certè magìs quàm 666 numerum notant eorum qui sequuntur Bestiam.

Præterea, illa septies mille hominum capita qui occisi fuisse dicuntur in magno illo Terræ motu, Apocal. 11. per *Diorismum* suspicor *Propheticum* sic sanè memorari. Quis verò genuinus illius loci sensus sit proprio suo loco notabimus.

Addam & quartum exemplum, *Dies utiq; mille ducentos sexaginta*; Qui cùm nihil

nihil aliud sint nisi longiorum illarum mensurarum *trium Temporum ac dimidii* vel *quadraginta duorum mensium* in numerosiores particulas diductio, minimè à ratione alienum est, variandi phrasin potiùs, externámve Vaticinii formam, ejusmodi determinatâ illorum temporum mensiúmve in 1260 dies solutione, ornandi gratiâ factum suspicari, quàm ut expectatio nostra ad defigendum se in præstitutum aliquem diem Propheticum, quo prædictum eventum contingat, excitaretur. Siquidem unus dies è tam multis, & in re tam prolixæ ac moliminosæ transactionis parùm habet usûs aut ponderis, cùm & Epocha etiam incerta sit unde Tempus suum sumat exordium. Ut omittam quod Cl. *Medus* innuit, Variationem Temporis per *Menses Diésque, opera Lucis* spectare, operáq; *Tenebrarum*: ac proinde durationem eorum qui sub principatu *Lucis* sunt per *Dies* numerari, eorum verò qui sunt sub principatu *Tenebrarum*, cùm *Luna* Noctis Regina sit, numerari per *Menses*.

Quamobrem quis, nec sanè absq; ratione, imaginari potest, latitudinem esse posse computationis etiam in hac *trium Temporum & dimidii*, *Mensiúmve quadraginta duorum* in centum viginti sex decadas dierum solutione, perinde atq; est in illis *Temporibus* ac *Mensibus*, & variationem quamlibet, suprà infráve, quæ Decadem non excedat, rationes non turbare, cùm Divina Oracula in illius *Omniscientiæ* ostentationem data non sint (quis enim ignorare potest eum vel ad minimum horæ minutum eventa posse computare?) nec ad *gratificationem* intemperantiæ humanæ *Curiositatis*, sed ad *usum* & exercitationem suæ Ecclesiæ.

Insepulta etiam Cadavera occisorum Testium *per tres dies & dimidium* in plateis Urbis magnæ jacentia, exemplum eximium est hujus *Numeralis Diorismi*. Sensus verò idem esse potest qui *trium Temporum* & *Dimidii*, quemadmodum aliàs notavi.

Apoc. 9. 6. Et postremò, quod ad Menses attinet *Locustis* ad torquendos homines, datos, equidem fateor, postquam rem paulò accuratiùs perpenderim, *Diorismum* etiam esse me suspicari, significaréq; tantùm *Symbolicè* non *Arithmeticé*. *Saracenici* enim Regni continuatio (Notabilius illud Intervallum intelligo à principio *Caliphatûs Abassidarum Bagdadi* ad urbem captam à *Togrulbeco*) nec præcisè est bis quinq; mensium annorum, nec *duplicatio* quinq; mensium satìs confirmata ex eo, quòd illud tempus bis in Vaticinio commemoretur. Nam mentio ejusdem numeri bis facta in Vaticinio Historiáve, non sufficiens causa est cur addantur invicem ad novam constituendam summam, perinde ac si *expensorum particularium Schedula* esset. Nec postremò verisimile est Spiritum Dei Annos trecentos per illos *bis quinq; menses* indigitare voluisse, quandoquidem Imperii *Saracenici* continuatio multò erat diuturnior, ut & duratio *Caliphatûs Bagdadi* non usq; adeò adæquata.

Vide J. Med. Comment. Apocalypt. in cap. 9.

Infestatio *Italiæ* per *Saracenos* ab anno 830 ad annum 980 plausibilior fuisset, modò fuisset satìs commensurata. Verùm extendit se ultra annum 980. Etenim anno 1001 *Saraceni* expelluntur è *Capua* per *Othonem*, annóq; proximo *Salernum* obsident; Anno 1008 *Barium* & *Capua* ab eorum obsidione liberantur; Anno 1017 iterum *Italiam* invadunt, præter alias pugnas turbásq; postea factas.

Hoc autem sufficit ad ostendendum quinq; menses annorum nec ad Infestationem *Italiæ* ab ipsis factam satìs quadrare. Quanquam sanè puto Cl. *Medum* speciem maximè plausibilem hisce rebus induisse cujus sint capaces; Verùm conatum illius supervacaneum perinde fuisse ac sine successu. Neq; enim ulla exacta temporis ratio per hos *quinq; menses* significandâ intenditur, sed elegans tantùm *Diorismus* est Typum spectans, quæ sunt *Locustæ*, quarum vitæ Continuatio cùm ad *Anni* spacium non pertingat, par erat ut mensibus per *Antichronismum* numeraretur. Et quis Numerus, obsecro, aptior quàm *quinarius*? Non solùm ob id quòd *Imperfectionis* symbolum esse possit (quemadmodum *Ribera* notavit, & istæ *Locustæ* dicuntur *torquere* quidem non autem *occidere*) sed etiam ex ratione durationis vitæ ipsarum, quam juxta *Plinium*, *Aristotelem* aliósq; Physiologos, verisimillimum est mensium circiter quinq; esse. Ità ut Mysterii horum Numerorum solutio non sit in simplicem *Antichronismum*, ubi *Numerus figuratus* verum numerum indicat determinátque, sed in *Diorismum* etiam, ubi quanquam accurata hæc temporis ratio in cortice exprimitur, in sensu tamen interiori non intenditur. Quod quidem Schema hîc singulari elegantiâ usurpatur propter relationem quam habet ad notum tempus continuationis illorum Animalium quæ sunt Typus.

7. Cæterùm cur hoc *Diorismorum* genus in usu sit, cúrq; non æquè accurata temporis ratio in interiori Vaticiniorum parte invenienda sit atq; cælata est in exteriori, Problema est paulò curiosius quàm in quod inquiri oporteat, quanquam non omninò inextricabile apud eos qui styli *Cabbalistici* satìs sunt gnari, & penitiùs insuper

apud

apud ſe perpendunt quàm averſa ſit Providentia à nimis duriter violentérve urgendo liberum iſtud in homine principium, illúdve neceſſariò determinando quod ſibi ipſi naturaliter permitti oportet, ut vergat quò libitum ſit ſuóq; utatur libero agendi privilegio.

8. Unde etiam ratio peti poteſt de modo exprimendi illam temporis periodum quæ à capta *Bagdado* per *Togrulbecum* ad excidium *Conſtantinopoleos* per *Mahometem ſecundum*, intercurrit. Quanquam enim Intervallum Temporis præciſè ſit 396 annorum, quemadmodum Cl. *Medus* ex *Elmachino Arabe* Hiſtorico apertè probavit, illius tamen in Vaticinio ſignificatio, εἰς τὴν ἕτοιμα ἡμένοι εἰς τὴν ὥραν καὶ ἡμέραν καὶ μῆνα καὶ ἐνιαυτὸν poteſt, quemadmodum Interpretes communiter notant, nihil amplius innuere quàm quòd parati ſint ad tempus præſtitutum, ſive diem ſeu menſem ſive annum. Nam per τὴν ὥραν verisimillimum eſt Vaticinium illam temporis partem non indigitâſſe quam *Horam* vulgò appellamus, ſed τὸν καιρὸν, quod articulus præfixus videtur inſinuare, quippe qui illi ſoli eſt præfixus. Senſúſq; eſſe potuit, *Parati ad tempus præſtitutum ſive Diem ſeu Menſem ſeu Annum*, hoc eſt, ad tempus quodlibet præſtitutum. Sed enim Eventum adeò exactum eſt & conſpicuum, ut minimè dubitem quin ſenſus ſit, Parati εἰς τὸν καιρὸν nempe καὶ ἡμέραν καὶ μῆνα καὶ ἐνιαυτὸν, *Parati ad illud tempus quod indicatur per & diem & menſem & annum.* Quæ tamen nulla omninò foret indicatio, niſi adderentur invicem; tunc enim demum 396 dies conſtituent, qui *ſtylo Prophetico* totidem ſunt anni. Quod accuratè eventui reſpondet; ac proinde certus firmúſq; paxillus eſt quo hoc *Euphrateorum* Equitum Vaticinium rebus Imperii *Turcici* affigatur. Unde, ut & ex deſcriptione *Loricarum horum Equitum*, ad quod mundi ſeculum hoc Vaticinium pertineat dignoſcimus, & conſequenter ad quod illud *Locuſtarum*. Quarum propterea Temporis exactior ulla notatio, quàm per modum *Dioriſmi* ad ornatum Vaticinii, ex hac ratione videtur minùs fuiſſe neceſſaria.

9. Exempla *Dioriſmorum proportionalium* ejuſmodi ſunt, Apoc. 8. *Tertia pars arborum exuſta eſt. Tertia pars navium perierunt. Tertia pars maris ſanguis facta eſt*; & verſ. 12. *Tertia pars Solis percuſſa eſt, & tertia pars Lunæ*, &c. Ubi *Tertia* non ſignificat illius quod percuſſum eſt rationem ad illud quod effugiſſet, ſed Imperium, laxiori ſenſu, quod percuſſum eſt, hoc numero indigitatur. Quæ loquendi formula *Cabbaliſticum* planè Genium ſapit qui numeros pro rerum ſymbolis frequenter adhibent, ſicut jam notavi. Ità *decima pars Civitatis* non eſt pars decima Civitatis quæ tunc erat, ſed Civitas ipſa, cujus amplitudo *ſubdecuplam* tantùm rationem habebat ad eam amplitudinem quæ olim fuerat, quemadmodum Cl. *Medus* ſatìs accuratè computavit.

Huc etiam referri poteſt illud Apoc. 18. *Duplicate ei duplum ſecundùm opera ejus, & Propinate ei duplum.* Quod tam definitè enunciatur quàm ſi alterum tantum ei pro illatis injuriis eſſet rependendum, cùm ſenſus tantùm ſit ei pœnarum ſatìs pro injuriis quibus alios affecerit, eſſe luendum.

10. *Specificorum Dioriſmorum* exempla talia ſunt atq; vulgarium *Synecdocharum*, ubi *ſpecies* pro *genere* ponitur, quæ cùm objectum magìs determinatum ſit, fortiùs imaginationem ferit eíq; pleniùs gratificatur. Ità Imaginatio vehementiùs afficitur audito quòd talis res perſonáve comburenda ſit igníve conſumenda, quàm ſi tantùm dictum eſſet eam perituram eſſe, vel conſumptum iri, modo diſtincto ac ſpecifico minimè indicato. Sic *Bellum gerere* magìs determinatum eſt ac ſpecificum quàm *reſiſtere*, & *capite truncari* quàm ſimpliciter *mori* vel necari, & *trucidari* vel *occidi* magìs ſpecificum quàm *perdi*, & poſtremò *Rex* terminus eſt magìs ſpecificus acriúſq; Imaginationem verberat quàm *ſupremus Magiſtratus*, aut quæcunq; appellatio quæ magìs generalis eſt & ex conſequenti magìs diluta. Quæ exempla tertii hujus generis *Dioriſmorum* paſſim occurrunt in *Apocalypſi*, & ubiq; ferè apud *Prophetas*.

CAP.

CAP. III.

1. Hylaſmus *quid ſit, cum ejus generibus.* 2. *Eximia cujuſq; generis exempla.* 3. *Quæ prima ac præcipua ſpecies* Henopœiæ. 4. *Unam ſingularem Beſtiam ſignificare corpus Politicum, demonſtratum ex* Daniele. 5. *Succeſſionem Individuorum repræſentari uno quidem Individuo.* 6. *Unam individuam Beſtiam repræſentare Regnum corpúſve Politicum ab ortu ejus uſq; ad illius exitum.* 7. *Unum etiam virum ſingularem fœmindmve* ſtylo Prophetico *corpus* Politicum *repræſentare.* 8. *Secundum genus* Henopœiæ *quid ſit, & an* Deuteropleroſis *illuc referenda.* 9. *Quid* Zoopœia, *cum illius exemplis.* 10. *Secundum genus* Zoopœiæ *probatum illuſtratúmq; ab exemplis.*

1. HYlaſmus eſt *Schema Propheticum* fortiter movens imaginationem craſſa exhibendo & palpabilia objecta, qualia in Logica notionem habitura eſſent *Subjecti* vel *Materiæ.* Primum genus coincidit cum *Metonymia Subjecti,* ut quando Civitas ponitur pro Incolis, aut Templum pro iis qui Deum inibi colunt. Hujus generis exempla paſſim apud omnes Autores occurrunt.

Ad ſecundum genus referendas eſſe cenſeo ejuſmodi Repræſentationes quæ per ædificia fiunt ac pavimenta & ſimilia, quæ ex craſſa quidem & palpabili materia coagmentantur, ſed aliarum rerum toto genere differentium *myſtica* ſunt ac *ſpiritualia ſymbola.* Exempla hujus generis ſunt *Atria* Templi *Interius* & *Exterius,* unum *Symmetrum,* alterum *Aſymmetrum*; Quæ Eccleſiam Chriſtianam ſignificant nunc quidem puram & Apoſtolicam, poſtea verò ad Idola apoſtatantem. Ità *Sancta Civitas calcata à Gentibus* Chriſtianam Eccleſiam ſignificat Paganiſmo inundatam. Adeò ut πόλις in hoc loco πολιτείας ſymbolum ſit ſive corporis Politici, ut & *Templum* eſſe poteſt vivæ Chriſti Eccleſiæ.

2. Eximium exemplum hujus generis *Hylaſmi* eſt *Hieroſolymæ* deſcriptio Apocal. 21. cum altis ſuis Muris Portíſq; duodecim, & per *Dioriſmum* Propheticum menſura Civitatis ſtatuitur ad duodecim ſtadiorum millia, & Muri quidem ad centum quadraginta quatuor cubitos. Materia verò eſt Aurum, Margaritæ & lapides pretioſi. Civitas tamen hæc adeò *Hylaſticè* repræſentata ſenſum habet maximè *ſpiritualem,* nihílque aliud ſignificat niſi Eccleſiam Chriſti ad puritatem Apoſtolicam rurſus reductam.

Maximè verò notabilis Inſtantia *Hylaſmi* Prophetici eſt deſcriptio Templi apud *Ezechielem,* quò inficiari non poſſum, quin hæc S. *Johannis* multis in locis alludat. Quòd autem *Hylaſmus* ſit non Deſcriptio *literalis,* facilè quemvis credo conceſſurum qui caput 47. perlegerit.

Poſtremò, Civitatis *Babylonis* excidium in *Apocalypſi* egregium etiam hujus Schematis exemplum eſt. Quanquam verò generaliter ad ſecundum hoc *Hylaſmi* genus pertineat, res tamen crebrò admodum illuſtrantur à genere priori, quod eſt *Metonymia Subjecti* non *continentis* quidem ut antea, ſed *occupantis,* cùm objecta Negotiationum *Spiritualium* tam craſsè exponantur deſcribantúrque.

3. Proximum *Schema Propheticum* eſt *Henopœia,* quæ ut maximam ſermoni addit gratiam, ità nec minorem quolibet alio ſuperinducit obſcuritatem. Primum verò præcipuúmq; illius genus hoc eſt; Nempe collectio multitudinis Individuorum in ſpeciem unius Individui, ut & ſucceſſionis Individuorum vel multitudinum in ſpeciem unius permanentis Individui. Hæc eſt illa antiquorum myſteriorum tradendi ratio quemadmodum quilibet deprehenſurus eſt, ſi penitiùs in naturam veritatémq; antiquæ *Cabbalæ* introſpiciat. Quam & *Danielem* & S. *Johannem,* poſſum etiam addere S. *Paulum,* in Vaticiniis ſuis imitatos eſſe facilè credo poſſe evinci.

4. Quantùm ad Collectionem multitudinis in ſpeciem ſive Repræſentationem unius Individui, id quidem manifeſtum eſt ex *Daniele.* Unus enim illîc individuus *Leo* totum Regnum *Babylonicum* denotat, unus *Urſus* Regnum *Medo-Perſarum,* unus *Pardus* Regnum *Græcorum,* quarta Beſtia Regnum *Romanum.* Equidem verum eſt quòd quatuor Beſtiæ dicuntur quatuor *Reges,* Latina tamen verſio vulgaris habet, *Quatuor Regna,* ut & *Theodotion,* ipſéq; Textus expreſſim ait, *Quòd quatuor Beſtiæ quatuor Regna ſunt in terris.* Ita *Aries* & *Hircus* in octavo capite (etiam ſecundùm ipſius *Grotii* ex Idiomate *Hebraico* Interpretationem) quamvìs dicantur *Reges, Regna* tamen ſunt. Atq; illîc ſanè ubi ſcriptum eſt, *Porrò Hircus caprarum Rex Græcorum*

Græcorum eſt, & cornu grande quod erat inter oculos ejus ipſe eſt Rex primus, niſi *Hircus* hîc ſignificet aut ſucceſſionem *Regum* aut *Regnum*, nullus eſt ſenſus; immò quantumvis ſucceſſionem, admodum durus tamen ſenſus erit ſi Cornu grande primum Regem faciamus, reliquos verò Corpus beſtiæ.

Quamobrem niſi res præter omnem modum diſtorquere volumus, *Corpus Hirci* neceſſariò ſignificat *Regnum Græciæ*, ut & *Cornua* ejus *ſupremam Poteſtatem*; juxta quam rationem *Grotius* locum explicavit, nec dubito quin illius Interpretatio ſit vera.

Nec quenquam puto tam imbecillo poſſe eſſe ingenio quin perlecto *Daniele* certus futurus ſit *unam individuam Beſtiam* in Figurationibus *Propheticis multitudinem hominum* in Regni corpus counitorum ſignificare.

5. Cæterùm, ſicut *grande Cornu Hirci* primus Rex dicitur, ità *quatuor Cornua* proculdubio quatuor Reges ſuccedentes in hoc diviſo Regno ſecundùm diſtinctas ſuas ſeries ſignificant, adeò ut quatuor ſucceſſiones Individuorum, quouſq; quidem ſe extenſuræ eſſent, repræſentarentur ſub ſpecie quatuor ſingularium Individuorum, nempe quatuor illorum *cornuum*. Et certè cùm manifeſtum ſit unam Individuam Beſtiam repræſentare multitudinis ſucceſſionem per aliquot continua ſecula (quæ ſanè multitudines mortales ſunt perinde ac ſingulares homines) in Regni corpus coagmentatæ, equidem delicatula admodum res eſſet & tergiverſatoria dubitare de ſingularium Perſonarum ſucceſſione ſub ſpecie unius Capitis Cornúve repræſentatarum.

6. Quòd verò una eadémq; Beſtia pro Regno Imperióve ponitur ab *ortu ejus* uſq; ad illius *interitum*, manifeſtum eſt tum ex *Daniele* tum ex *Apocalypſi*. Quatuor enim Beſtiæ dicuntur aſcendere ex mari, *Dan.* 7. Interitúſq; quartæ deſcribitur in eodem capite quæ ſupponitur conculcare tertiam, ut & tertia poſtea dicitur in ſubſequentibus capitibus deviciſſe ſecundam. Et in *Apocalypſi* Beſtiarum origo illîc deſcribitur, ut & earum exitium per lacum igni ardentem. Unde evidentiſſimum eſt unam individuam Beſtiam non ſolùm multitudinem ſub uno Regimine repræſentare, ſed & ſucceſſionem hujus multitudinis per multa ſecula, donec ceſſet talis eſſe multitudo. Et ex conſequenti Poteſtatem ſummam ſucceſſivam hujus multitudinis (ſive penès unum ſit ſive multos) per *capita cornuáve* talium Beſtiarum repræſentari pariter oportere, niſi *Politian* abſq; capite imaginari poſſimus, quæ certè *Politia* non foret ſed *Anarchia*.

7. Nec *irrationales* ſolùm Creaturæ *Henopoëtici* fiunt Typi multitudinis ſub unum regimen collectæ, ſed etiam *Rationales*, quemadmodum manifeſtum eſt de *Muliere in Deſerto*, quam ridiculum eſſet intelligere unam aliquam Mulierem eſſe ſingularem non autem corpus Eccleſiæ cujus verum vivúmq; caput eſt *Jeſus* Chriſtus. Mulier etiam apud *Eſdram* ſignificat *Sionem Deive Populum*. Et vir ille fortean, qui illîc è mari aſcendit, ejuſmodi aliquem ſenſum habet. Cur enim vir *unus* non æquè commodè populum multitudinémve ſignificet ac *una* mulier? Et manifeſtum eſt Populum *Iſraëlis* vocari *Filium Dei*. (*Iſrael filius meus Primogenitus meus*) Ac proinde *Filius Perditionis*, *Homóq; peccati* nihil neceſſe eſt ut ſignificent unum Hominem ſingularem Succeſſionémve ſingularium hominum, ſed Corpus Politicum ſub uno capite conſiliis peſſimis techníſq; pollenti. Per conſimilem *Henopœiam* ὁ ψευδοπροφήτης etiam, *falſus ille Propheta*, non unam ſingularem perſonam ſignificat, vel ejuſmodi ſingularium perſonarum ſucceſſionem, ſed collectionem corpúſve Impoſtorum ſub uno Regimine ſimul conſpirantium. Hæc ſanè tam facilia ſunt atq; obvia ut verear nè diutiùs quàm par ſit eis ſim immoratus.

8. Tantùm notabo alterum genus *Henopœiæ*, quod certè uſum ſuum habiturum eſt non contemnendum; eſt autem quando res naturis quidem ſatis differentes ſub uno tamen Typo comprehenduntur. Inſtantiam habemus hujus rationis interpretandi Prophetas admodum ſanè authenticam, Apoc. 17. ubi Angelus declarat non ſeptem ſolùm *Reges* ſed & ſeptem *Colles* ſub ſymbolo *ſeptem Capitum Beſtiæ* ſubindicari. Juxta hanc verò Analogiam non alienum foret ſi quis *Babylonem* interpretaretur tum de urbe *Roma* tum de *Hierarchia*; *Duos Teſtes*, de *Novo Veteriq;* Teſtamento, de *Evangelica* Oeconomia ac *Legali*, & de *Magiſtratu* deniq; & *Miniſterio*; *Cornua Beſtiæ bicornis*, de *duobus Patriarchatibus* Imperialibus, de *duobus cornubus Mitræ Epiſcopalis*, & de *duplici poteſtate ſolvendi* & *ligandi*. Atq; hoc ſanè ſecundum genus *Henopœiæ* novum videri non debet nec peregrinum, ſiquidem antiqui *Pythagorei* ac *Cabbaliſtæ* ſub unius Numeri ſymbolo multifarias quidem Notiones congerebant atq; celabant. Neſcio an & tertium huc *Henopœiæ* genus, ubi ſcilicet uno Typo prophetico eventa diverſa, temporibúſq; diſſita & diſtincta, ſignificantur, non ſit referendum, quæ *Denteropleroſis* dici poteſt. Quæ cùm tam frequenter occurrat

in Vaticiniis *Veteris* Teſtamenti, nihil abſoni ſubeſſe video ſi occurrere nonnunquam intelligatur in Vaticiniis *Novi*.

9. *Zoopœia* eſt ſignificatio Typica alicujus rei vitâ carentis per id quod vitam habet, ſive perſona ſit ſive vivum aliquod Animal, illúſve Animalis pars aliqua. In quo ſenſu, cùm *ſeptem montes* per *ſeptem Capita* Beſtiæ ſignificentur, *Zoopœia* eſt. Apoc. 11. Apoc. 19. Quemadmodum etiam foret ſi *duo Teſtes* de *duobus Novi Veteriſq;* Teſtamenti *voluminibus* intelligerentur, *ſermo Dei*, qui albo equo inſidet, de toto Bibliorum volumine. Iſtos verò ſenſus eſſe duntaxat collaterales qui ad unum aliquem primarium per *Henopœiam* reduci poſſint, ſuis locis monebimus. Quòd verò *Infernus* pallidi Apoc. 6. 8. Equi ſeſſori additus ſit pediſſequus, magìs abſoluta videtur *Zoopœia*, ut & illa Gen. 4. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, ubi actio vitæ ſanguini hominis mortui attribuitur.

10. Cæterùm hîc notabimus ſecundum etiam genus *Zoopœiæ* quod minùs durum magíſq; elegans videri poterit; éſtq; quando Actiones liberæ Agentibus liberis attribuuntur, quarum tamen illi poſſint non magìs eſſe cauſæ quàm ſi res inanimæ eſſent, omninóve in rerum univerſitate non exiſterent. Juxta hanc figuram eſt illud *Virgilii* ore *Æneæ Turnum* occidentis prolatum.

———Pallas *te hoc vulnere*, Pallas
Immolat, & pœnas ſcelerato ex ſanguine ſumit.

Pallas quantumvis mortuus *Turnum* dicitur occidere, quanquam is nihil hîc ad eum occidendum contribuit, ſed illud tantummodo quod ille paſſus erat occaſionem dedit *Æneæ* ſumendi vindictam.

Secundùm quam loquendi figuram amplior Alluſio Paraboláve conſtitui poſſet. Ut ſi *Æneas* loco unius hominis occiſi Civitatem expugnâſſet, Viros Fœmináſq; ac Infantes pariter gladio trucidâſſet, domos ipſorum combuſſiſſet, eáſq; ut ruderis acervum in vindictam mortis *Pallantis* reliquiſſet, poterat ſanè de amico mortuo ſic pronunciare; Quòd utiq; is erat qui animos militum ad muros aſcendendos inflammavit; quòd is erat qui juſtum illud, quanquam ſeverum, edictum edidit de cædendis viris fœminíſq; pariter ac infantibus; quòd is erat qui domus eorum concremavit, Civitatémq; ipſorum æquavit ſolo; & poſtremò, quòd is erat quem illi meritò ſæviorem inimicum experti ſunt poſt mortem quàm cùm in vivis eſſet. Hæc certè figura locutionis admodum intelligibilis futura eſſet, nec vulgarem Eloquentiæ ſublimitatem venuſtatémq; ſecum allatura.

Apoc. 6. 9. Juxta hoc ſchema illud Scripturæ exemplum eſt, *de animabus clamantibus ſub Altari, Uſquequò Domine*, &c. Quod nihil aliud eſt præterquam Parabola quæ ſignificat mortem eorum à Divina Juſtitia vindictam poſcere. *Eæ animæ*, inquit *Grotius, corpore ſolutæ multò magis quàm ſanguis mortem toleratam teſtantur.* Priùs enim dixerat, *Sanguis* Abelis *vindictam poſcit, ſic & animæ martyrum.* Quapropter *Zoopœia* agnoſcitur in utroq; loco.

Alcazar etiam in hunc ipſum Textum, *Idem eſt*, inquit, *dici animas petere vindictam, ac dici earum ſanguinem illam petere.* Ad quem etiam ſenſum *Tychonius* loquitur, ſicut videre eſt apud *Riberam.* Quæ omnia confirmabunt ſecundum hoc genus *Zoopœiæ*, quæ liberis Agentibus vivas liberáſq; Actiones attribuit, quæ tamen ipſorum reſpectu non ſunt Actiones liberæ ſed neceſſariæ conſequentiæ, quæ ab aliquo, quod iſtæ perſonæ patiantur aut ſaltem paſſæ ſint, naturaliter proficiſcuntur. Quod *Schema Propheticum* notatu quidem digniſſimum eſt.

CAP.

CAP. IV.

1. Iſraëliſmus *quid ſit.* 2. *Occaſionem crebri illius uſûs*, ſacramentalitatem *eſſe Eccleſiæ* Judaicæ *reſpectu* Chriſtianæ, *quemadmodum apparet ex ipſorum Tabernaculo & דביר.* 3. *Ex* Serpente æneo, Mannâ, Rupe percuſſa, *Legéq;* ignea. 4. *Ex* veſtimentis ſummi Sacerdotis, *ex* illius introitu ſemel quotannis in ſanctum ſanctorum: *& ex* adoratione *Judæorum* versùs Propitiatorium. 5. *Ex* ſervitute *Egyptiaca* fugáq; ipſorum per mare Rubrum. 6. *Quid propriè ſit* Ellipſis *Prophetica.* 7. *Quis ſenſus libri Apocalyptici* intùs & extrà ſcripti. 8. *Propheticæ* Ellipſeos *proprietas exemplo illuſtrata.* 9. Homonymia *quid ſit, & in quo differat à ſecundo genere* Henopœiæ. 10. Paronomaſia *Prophetica quid.* 11. *Quid* Metalepſis, *cum illius probatione & illuſtratione per exempla.* 12. Antichroniſmus *quid ſit, quæq; illius Origo.* 13. Tres dies *&* dimidium *inſepultorum Teſtium pro* tribus temporibus *&* dimidio *poſitos manifeſtò reſolvi in hanc figuram.* 14. *Quid ſit* Icaſmus; *Quódq; hujus figuræ crebritas non ità Vaticinia obſcurat quin æquè facilè intelligi poſſint ac ſcutorum gentilitiorum explicationes quælibet ediſci.* 15. *Quid ſit* Iconiſmorum Metallaxis.

1. *Iſraëliſmus* eſt *Schema Propheticum* admodum frequens, præſertim in *Apocalypſi*, quod declaratio eſt rerum ad Eccleſiam Chriſtianam pertinentium ſub nominibus & cum alluſionibus ad talia loca perſonáſve ac res quæ ad *Iſraëlitas* olim populúmve *Judaicum* pertinebant, ídq; *myſtico* quidem ſenſu ac *ſpirituali. Quæ vocatur ſpiritualiter* Sodoma *&* Ægyptus. Unde etiam inſinuatur plagas *myſticæ* hujus *Ægypti* Apoc. 11. 8. *Sodomæq;* Spiritualis combuſtionem, *myſticè* & *ſpiritualiter* eſſe intelligendas.

2. Crebritatem hujus *Schematis* nemo mirari debet ſi conſideret populum *Iſraëliticum* unum ingentem fuiſſe integrúmq; *Typum myſticum* ſive *Sacramentum* Eccleſiæ Dei, qualis utiq; futura eſſet ſub *Chriſto.* Juxta quod S. *Paulus* ſcripſit, *Quòd illa* 1 Cor. 10. *omnia* Typicè *eveniebant eis: Scripta autem ſunt ad noſtri admonitionem in quos fines ſeculorum occurrunt.*

Et certè valdè ſtupendum admodúmq; jucundum ſpectaculum eſt ſi quis conſideret quomodo Eccleſiæ Chriſti per populum *Iſraëliticum* in deſerto, uno quaſi intuitu, nobis repræſentetur, quomodóq; tota inibi eorum congregatio unum omninò eſſet vivens movénſq; *Sacramentum* vel Imago Chriſti ejúſq; corporis in rebus maximi quidem momenti quæ ad noſtram ſpectent Religionem. Quid enim aliud erat *Tabernaculum* & דביר unde Deus dabat oracula, quàm ſymbolum τῆ λόγυ tabernaculum ſuum in carne noſtra ponentis? Nam & *Pythagorei* hoc noſtrum corpus vocabant σκῆνος, ut & S. *Petrus* σκήνωμα. *Quamdiu ſum in hoc Tabernaculo*, inquit ille, 2 Epiſt. 1. 13. ἐν τῷ σκηνώματι τούτῳ. Et S. *Johannes* de λόγῳ loquens ait, Καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. *Et ſermo caro factus eſt, ſuúmq; inter nos poſuit tabernaculum:* Quemadmodum & in deſerto habitabat apud populum Judaicum dum ii illîc habitabant in umbraculis. Ac proinde demiror ſanè quòd *Judæi* ullo majori pungerentur ſcrupulo de adoratione Divinóve cultu versùs ſanctiſſimum *Meſſiæ* corpus exhibendo quàm versùs *Dabir* ſeu *Propitiatorium*, vel versùs *Tabernaculum* Dei. Hæc autem obiter dicta ſunto. *Tabernaculum Dei* inter *Judæos* in Tabernaculis habitantes *Sacramentum* ſive *Typum* fuiſſe *Incarnationis Chriſti* manifeſtum eſt.

3. *Serpens* verò *æneus* in ipſorum caſtris erectus talis Chriſti typus erat in Cruce pendentis; ejúſq; uſus tam exquiſitâ analogiâ illi uſui reſpondens cui apud Chriſtianos inſervit Chriſti crucifixi contemplatio, quoties aut Reatûs aut veneni Peccati ſenſu punguntur, ut in admirationem ſtuporémve quemvis abriperet qui conſideraverit quàm vivida ac ineffabilis vis repræſentandi ejus rei Imaginem ab antiqua illa Figura umbráve, quæ caſtra *Iſraëlis* ſemper comitabatur in deſerto ad ſanandos eos qui morſi eſſent ab ignitis Serpentibus, (quemadmodum & *Jeſus Crucifixus* nos ſanat quoties noſmet deprehendimus ictu peccati vulneratos) eluceret.

Manna etiam quod filii *Iſraëlis* in Deſerto comedebant, an non Typus erat manducationis veri panis qui de Cœlo deſcendit, *corporis* nempe *Chriſti*, qui quotidianus eſt animarum fidelium cibus? Et *Rupes* quæ percuſſa eſt, ex qua aqua effluebat, an non manifeſtum erat ſymbolum *ſanguinis Chriſti* ex cujus latere ſanguis atq; aqua emanabant? *Legis* porrò *promulgatio* cum *fulgurationibus* ac *coruſcationibus*, an non planè præcurſatrix erat *legis Chriſti* quæ divulgata eſt per Apoſtolos in quos *ignitæ*

4 *Eſdr.* 13.38. *linguæ* deſcenderant, éſtq; reverà *lex illa Spiritûs*, quæ quemadmodum *Eſdræ* interpretatur, aſſimilata eſt *igni*, per quem Impii conſumendi ſunt, ſicut illa viſio videtur innuere.

4. Et quod ad *Divinitatem Chriſti* attinet, an non manifeſtò in veſtimentis *Aaronis* adeò exquiſitè *Univerſum* repræſentantis eſt præfigurata? Cujus enim *Mundus* veſtimentum eſſe poteſt præterquam ſolius Dei? Et poſtremò ſingulare ejus *munus Mediatorium* & *Apotheoſis* poſt mortem (immenſum enim eſſet omnia percurrere) an non ad vivum repræſentata ſunt, alterum ex eo quòd ſummus Sacerdos in *Sanctum ſanctorum* ad intercedendum pro populo ſolus introiret, altera verò per *Tabernaculum* vel *Propitiatorium* versùs quod *Judæi* tenebantur adorare, quemadmodum planè conſtat ex *Apocalypſi*? Huic enim in Oeconomia Chriſtiana humana Chriſti Natura ſuccedit; ille eſt ἱλαστήριον ſive *Propitiatorium*, ejúſq; corpus *Templum* versùs
Apoc. 21. quod oculos debemus dirigere, quemadmodum ſcriptum eſt, *Nec Templum illic vidi, Dominus enim Omnipotens & Agnus templum illius eſt.* Et tale ſanè templum versùs quod proculdubio adorare quiſpiam poteſt pari cum ſecuritate ab omni ſuſpicione *Idololatriæ*, atq; *Judæi* olim versùs *Templum* vel *Propitiatorium* adorârunt.

5. Quamobrem cùm Populus *Judaicus* tam illuſtre ſit ac locuples earum rerum omnium quæ ad Chriſtianam Eccleſiam pertinent *Sacramentum*, minimè mirandum eſt, ſi illæ viſiones quæ ſtatum illius ſpectant adeò ſcateant Alluſionibus ad eas res quæ illi populo contigerunt. Inter quos caſus *ſervitus* quidem *Ægyptiaca* valdè celebris eſt, ac proinde eò ſæpe alluditur in *Apocalypſi*. Et tranſitus quidem eorum per *mare Rubrum*, ubi *Pharao* Tyrannus eſt peſſundatus, Eccleſiæ ex ſervili *Romanæ Hierarchiæ* jugo eluctatæ (recurrendo ſcilicet ad *Chriſti ſanguinem* quo juſtificati ſint, & à cæca ſervitute qua tenebantur ſub duris his *Penſi-exactoribus* liberati) tam viva eſt imago, ut non poſſit profectò quin mira videatur cuilibet contemplanti concinnitas; ſiquidem Typus tam perſpicua eſt illius rei prædictio quæ his proximis ſeculis in excutienda *Pharaonis Italici* ſervitute contigit.

6. Proximum Schema obſcurum eſt *Ellipſis*, quæ verbi alicujus verborúmve omiſſio eſt quæ ad determinationem ſenſûs ſunt neceſſaria. Exempla *Ellipſium* paſſim occurrunt in veteri Teſtamento, in *Pſalmis*, *Jobo* aliiſq; libris. Sed per Ellipſin hîc intelligo non ſimplicem quidem alicujus verbi, quo ſenſus expleatur, defectum, ſed eâ arte adhibitum ut effecturus ſit ut ſenſus perfectus videatur etiam abſq; ſupplemento ſubintellecto. Is enim videtur Genius eſſe harum præſertim viſionum *Apocalypticarum* ut ſic concinnatæ ſint, ut ſpeciem elegantem admodum & expreſſam, valdéq; completam ac articulatam in ipſo externo cortice præ ſe ferant, ad inſtar Libri alicujus qui jucunda quædam Emblemata & cælaturas parti exteriori affixas habet non minùs quàm veritatis Hiſtoriam intús.

7. Quò nihil dubito quin alludi poſſit in iſta locutione de hoc Viſionum volumi-
Apoc. 5. 1. ne, quòd *ſcriptum* utiq; ſit *intùs* & *extrà* juxta antiquam rationem Myſteriorum *Cabbaliſticorum*. De quibus Traditionibus *Parmenides* hoc effatum olim uſurpabat. Διττὴν τε εἶναι φιλοσοφίαν, τὴν μὲν καθ' ἀλήθειαν, τὴν δ' κατὰ δόξαν, *Duplicem eſſe Doctrinam traditionalem, unam veritatis* (אמת vocatur apud *Danielem*, ut ab *Ænigmaticis* viſionibus diſtinguatur) *alteram Typorum ſive Parabolarum ad* opinionem *guſtúmq; vulgi accommodatarum.*

Sanctus etiam *Hieronymus*, *Rupertus* aliíq; multi ſcriptionem hanc *intùs* & *extrà* de *myſtico literaliq;* ſenſu intelligunt. *Grotius* prætendit Textum commatis haud rectè diſtinctum eſſe, quem igitur ſic legit, γεγεμμένον ἔσωθεν, καὶ ὄπισθεν κεκατεσφραγισμένον, &c. *intùs ſcriptum & extrà obſignatum.* Quaſi verò ulla volumina extrà ſcripta ſint, obſignata verò intús. Tam infelix Interpres *Apocalypſeos* eſt magnus ille *Hugo* etiam in rebus minuſculis. Sed ut redeamus ad rem quæ præ manibus eſt.

8. Diſcrimen inter hæc duo *Ellipſium* genera quæ deſcripſimus, ex hiſce exemplis enoteſcere poteſt. Exod. 3. Ubi Deus à *Moſe* rogatus quid ſibi nomen ſit, reſpondet, *Ego ſum qui ſum.* Quæ *Elliptica* locutio eſt. Senſus verò integer ſic eſt. *Mihi nomen eſt, Ego ſum qui ſum.* Huic conſimile eſt quod occurrit etiam in *Apocalypſi*,
Cap. 1. 4. Gratia vobis ac pax, ἀπὸ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, quod pleniùs ſic efferretur, ἀπὸ τοῦ ὀνομαζομένου, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος. Verùm hæ *Ellipſes* iſtiuſmodi ſunt quæ apertè illius defectum exponant quod debet ſuppleri. Cujuſmodi etiam eſt illa Apocal. 18. v. 13. καὶ ἵππων καὶ ῥεδῶν καὶ σωμάτων. Qui locus quoſdam Interpretes multùm torſit, quippe qui non intellexerunt *Ellipſin* eſſe Propheticam. (Qui verò genuinus loci ſenſus ſit nos alibi uberiùs edocemus.)

Interdum verò aliter ſe res habet, ut Apocal. 17. 8. *Beſtia quam vidiſti fuit & non eſt, & aſcenſura eſt ex abyſſo, & in exitium abitura.* Et paulò pòſt, *videntes*

Beſtiam

Beſtiam quæ erat & non eſt, & tamen eſt. Qui rotundus quidem integérq; ſenſus videtur in exteriori cortice Vaticinii, cùm tamen nullus ſanus indè ſenſus conflari poſſit niſi *Ellipſis* aliqua ejuſmodi intelligatur qualem antè notavimus. Τὸ θηρίον ὃ ἦν καὶ οὐκ ἔστιν, ὀνομάζεται ἦν καὶ οὐκ ἔστιν, & βλέπουσες τὸ θηρίον ὅτι ὀνομάζεται ἦν καὶ οὐκ ἔστι, καίτοι ἐστίν. Tam expreſſim verò rem enarrâſſe, myſterium hoc nimis apertum expoſitúmq; feciſſet, quod magìs tectum fuiſſe debebat & celatum, quódq; propterea tanto ſtudio obſeratum erat hac *Ellipſi* Propheticâ. Quo de Textu pleniùs dicemus ſuo loco.

9. *Homonymia* eſt ſignificationum diverſitas in uno eodémq; ſymbolo ex quibus una ſolummodo intelligenda eſt, alioqui idem eſſet quod ſecundum genus *Henopœiæ*. Atq; hæc quidem *Homonymia* vel caſu contingere poteſt (nec majorem tunc habet difficultatem quàm vulgaris verborum *Homonymia*, cujus ſenſum ipſarum rerum contexturæ conſideratio eſt determinatura) vel ex inſtituto adhiberi ad venuſtiorem cælaturam exteriori viſionis cortici inſculpendam. Ut in viſione *Teſtium*, ubi ſanè ſuſpicor *tres dies & dimidium* quibus *Teſtes* occiſi jacent in plateis, non quidem ſignificare ut *Dies* in principio viſionis, ità ut *tres annos* innuant *& dimidium*, ſed *tria tempora & dimidium*, hoc eſt 1260 annos. Immò verò ſic eos ſignificare fateor me non ſuſpicari modò, ſed firmiter apud meipſum perſuaſum eſſe de illius rei veritate. An verò veriſimile ſit ſignificare etiam *tres annos & dimidium*, ipſa eventa optimè determinatura ſunt. Quæ ſi conſenſura eſſent, non ſimplex profectò foret *Homonymia* in hoc ſymbolo trium dierum & dimidii, ſed ſecundum genus *Henopœiæ*.

10. De *Paronomaſia* non eſt quòd multùm laboremus, poſtquam monuerimus illius ſenſum ad Rhetorum *Paronomaſiam* non reſtringi, ſed ità latè extendi ut ubiubi ſenſus Prophetiæ, ex qualicunq; aut ſimilitudine aut identitate Nominum, Nominúmve alluſivâ ſignificatione explicandus pleniúſq; intelligendus ſit, alluſio hæc ad ſimilitudinem identitatémve Nominum aut eorundem ſignificationem *Paronomaſia Prophetica* ſit appellanda. Atq; juxta hanc generalem quidem *Paronomaſiæ* Propheticæ notionem, ſunt Interpretationes *Medanæ*, ubi *Exercitum Euphrateum* ſub *Tuba ſexta* univerſos *Equites* appellari cenſet, quòd *Turcæ* apud *Græcos* Hiſtoriographos *Perſæ* ferè vocentur. *Perſæ* verò à פרס *Equites* ſignificant. Et Dan. 8. *Alexandrum Magnum Macedonum* Regem, *Hirco Caprarum* præfigurari autumat, cum alluſione ad αἴξ *capra*, unde *Macedones* dicti ſunt *Ægeadæ*, éſtq; hìc *ſimplex* ad *ſignificationem Nominum alluſio*. Quod verò affert de Typo Regis *Perſarum* Ariete, ad *agnominationem nominúmve ſimilitudinem* propiùs accedit. איל enim *Aries* ab initio vocis עילם *Perſiam* ſignificantis, non multùm ſono abludit. Multò verò expreſſior eſt illa apud *Grotium* alluſio vocis ἀπολλύων ad Ἀπόλλων, eáq; quam ipſe notavi in *Abaddon* ad אב-אדון. Et apud *Grotium* iterum vocis *Epheſus* ad Ἔφεσις, *Smyrna* ad *Myrrha*, *Sardis* ad *Sarda*, *Thyatira* ad θύειν ἀτειρία. In *Pergamus* verò, *Philadelphia* & *Laodicea*, non eſt tantùm *ſimilitudo* nominum ſed *Identitas*; & cùm Nomina ſint locorum *Propria*, ad ſignificationem alluditur tanquam ſi eſſent *Appellativa*. Ingens profectò harum *Paronomaſiarum* Propheticarum ſeges eſt in Epiſtolis ad *ſeptem Eccleſias*, ubi, cùm omnia nomina propria ſive hominum ſive locorum, ut videre eſt in noſtra *Expoſitione*, tam aptè cum ſenſu Prophetico cuiq; Epiſtolæ proprio, quatenus tale Eccleſiæ Intervallum repræſentat, conſpirent, hujuſmodi *Paronomaſias* in uſu fuiſſe apud Prophetas argumentum eſt evidentiſſimum, taléq; quod quemlibet niſi admodum hebeti aut ſceptico ſit ingenio, facilè convincat.

11. *Metalepſis* Schema Propheticum eſt quo effectum eventúmve cum eminenti aliqua *Perſona* communicatur ſive attribuitur, ex eo ſolo, vel præcipuè quòd tempus locúſq; ei conveniunt; eadémq; ratio eſt de *rebus*. Hoc ſchema fateor valdè *Poëticum* eſſe, at non inelegans nec inuſitatum. Huc referendum eſt illud Virgilii,

Candidus auratis aperit cùm cornibus annum
Taurus———

& rurſus,

Libra Dies ſomniq; pares ubi fecerat horas,

Ubi *Tauro* & *Libræ*, quia tunc in conjunctione ſunt cum *Sole*, attribuuntur aſcribuntúrq; iſtiuſmodi effecta quæ reverà non ipſis ſed *Soli* ſolummodò competunt.

Hujuſmodi verò quam deſcripſi, etiam in *Stylo Prophetico Metalepſin* eſſe, unum illud in *Apocalypſi* exemplum *Seſſoris Equi ruſi* confirmabit; cui in manum datus eſt *gladius magnus*, quíq; *pacem à terra ſublaturus* dicitur. Cùm tamen nihil aliud ſignificetur niſi quòd hujus Imperatoris temporibus furibunda futura ſit hominum cædes Cap. 6. 4.

cædes ac mactatio in Imperio, quanquam nullâ ipſius culpâ. Dicitur enim ἵνα ἀλλήλους σφάξωσιν, ac ſi Textus datâ operâ hanc clavem porrexiſſet ad aperiendum ſenſum Viſionis, quemadmodum Cl. *Medus* cum judicio ſanè obſervavit. Cujus quidem *primorum ſex Sigillorum* Interpretatio tam ſolida eſt ut impoſſibile fore credam, ut quiſquam omni immunis præjudicio, univerſis ritè penſitatis, de ipſius veritate certus non ſit futurus. Unde fit ut & ipſe tam firmiter perſuaſus ſim de præſenti Figura Prophetica quam hîc deſcripſi.

12. *Antichroniſmus*, Schema eſt Vaticinii obſcurativum quod unam pro alia temporis menſuram ponit, ut *ſeptimanam* pro *annis ſeptem*, utì fit apud *Danielem*, *Menſem* pro *triginta annis*, *Diem* pro *anno*. Quæ quidem Figura in Viſionibus *Apocalypticis* adhiberi videtur non ſolùm *obvelationis* causâ ſed & *Proportionis* & *Decori*, nè externo Vaticiniorum cortici, τὸ πιθανὸν, blanda illa & jucunda Hiſtoriæ credibilitas eſſet defutura.

Quamobrem hi *Antichroniſmi*, *Henopœiæ Propheticæ* neceſſaria ſunt ſequela, quæ immenſa Imperia aliáq; corpora Politica cum longis ſuis ſucceſſionibus in *Beſtiæ Perſonæve ſingularis* figuram ſpeciémve contrahit, unde nè vitarum duratio major quàm pro ipſarum natura videretur, neceſſarium erat ut earum continuatio obvelatè ſymbolicéq; declararetur, *dies* ponendo pro *annis*. Vita enim ipſarum multis quidem caſibus breviari poteſt. Verùm ſi quis narraret de *Beſtia Fœminâve* vel *Duobus Teſtibus*, qui 1260 annos vixerint, λόγῳ πιθανῷ *Decorum* non obſervaret, ſed quiſq; narrationem æſtimaturus eſſet tanquam incredibilem Fabulam.

13. Quod etiam futurum eſſet ſi *cadavera duorum Teſtium* dicerentur jacere per *tres annos continuos* & *dimidium*, quum tamen intra quatriduum fætorem eſſent emiſſura, quemadmodum notatum eſt de corpore *Lazari*. Quàm durum igitur futurum fuiſſet, *Teſtium* cadavera tanquam per 1260 annos continuos in Plateis jacentia repræſentâſſe? Quamobrem, tametſi occiſorum Teſtium cadavera, ut ſic jacere dicerentur, maximè conſentanea erat maximéq; viva conditionis illius repræſentatio quam ii qui ſub figura duorum Teſtium repræſentantur, per 1260 annos erant ſubituri, tamen nè leges τῆς περιτομῆς, & τῆς πιθανῆς quod in Hiſtoria requiritur, violarentur, neceſſarium erat ut hi 1260 anni ſub ſymbolo obvelarentur *trium dierum & dimidii*. Qui cùm ſignificarent idem quod *tria tempora & dimidium* (Nam יום & עת unum pro altero promiſcuè uſurpantur) & *hæc tria tempora ac dimidium* idem quod 1260 *anni*, & veritas illa ad quam Vaticinium collinearet ad poſtera ſecula fideliter tranſmittitur, & decora illa cælaturæ ratio in *externo* Vaticinii *cortice* accuratè obſervatur. Neq; hoc ſanè, tempus tantùm contrahendo, ſed etiam adnectendo illud ad finem 1260 dierum per λεμματοσυνάχειαν, quæ idem *Latinè* ſonat quod *Corticis continuatio*.

Hanc verò Figuram Propheticam, quam *Antichroniſmum* appello, non meum quidem eſſe commentum, ſed veritatem ſolidam, in *Myſterio Pietatis* jam probavi; quod & porrò demonſtraturus ſum certitudine quidem planè mathematicâ ex noſtrâ *Co-expoſitione decimi ſeptimi & decimi tertii Capitis Apocalypſeos*. *Lib. 3. c. 15.*

14. *Icaſmus*, Schema Propheticum eſt cujus uſus longè omnium creberrimè occurrit in omnibus viſionibus tum *Danielis* tum S. *Johannis*, nihílq; aliud eſt quàm rerum ac eventuum Repræſentatio per ejuſmodi ſymbola quæ aliquam ſimilitudinem gerant earum rerum ac eventuum pro quibus ponuntur. Quæ quidem *Symbola* cum multa ſint, Vaticinia interpretandi peritiam eò difficiliorem reddunt, ſed nullatenus tamen deploratam, ut delicata quædam Ingenia apud ſeipſos imaginari amant, horrorémq; quendam ſimulare ac conſternationem ad inopinatam iſtiuſmodi variformium Beſtiarum mentionem atq; Cornuum ipſarum ſtrepitum; cùm tamen ſi ludicras has tergiverſationes ſeponere vellent, poſſent equidem intelligere *Hieroglyphica* hæc *Prophetica* multò minori cum negotio familiaria ipſis reddi poſſe ac facilia, quàm *ſcutorum gentilitiorum* explicandi peritiam, quæ ſanè haud ità profunda eſt ac inſuperabilis ſcientia.

15. Ad *Icaſmum* ut *Iconiſmi* referendi ſunt, ità & *Iconiſmorum Metallaxes*. Eſt autem *Iconiſmi Metallaxis*, quando in eadem re non idem ſervatur *Iconiſmus* ab initio ad finem Vaticinii. Hujus complexæ Figuræ duo ſunt illuſtria exempla in *Apocalypſi*; unum in *duobus* illis *Teſtibus* qui primò dicuntur *amicti ſaccis* prophetari, deinde *occiſi* in plateis urbis jacere, & ſic jacentes à tribubus & populis ac gentibus aſpectari. Alterum eſt in immenſo illo omnium ferè mortalium conventu confluxúve in tres partes diviſo, quorum prima à *Deo* ſtare videtur, altera à *Dracone*, tertia à *Beſtia* ac *Pſeudo-Propheta*; ſed primò tanquam ſi *tres exercitus* eſſent in valle *Armageddon* congregati exhibentur, deinde verò tanquam una magna *Civitas* in *tres partes* terræ motu dirempta. Sed nolo hiſce immorari. *Apoc. 11.* *Apoc. 16.*

CAP.

CAP. V.

1. *Propheticorum* Iconiſmorum *Alphabeti magna utilitas.* 2. *Optima Ratio perveſtigandi verum eorum ſenſum.* 3. *Quid momenti habitura ſint antiquorum* Onirocritica *ad ſenſum eorum determinandum.* 4. *Eandem rationem eſſe ſignificationis & interpretationis* Inſomniorum *atq;* Viſionum, *modò merè* Typica *ſint non ex corporis temperie orta.* 5. Adoratio. 6. Aduſti Sole, Ædificia. Aer *Regio propria Diaboli.* Albus veſtitus. 7. Angeli, *Ipſorum miniſterium in rebus Providentiæ diſpenſandis notam eſſe* Hypotheſin *& in* Apocalypſi *& in veteri* Cabbala. 8. Aqua, Aquila. 9. Arbores, Arcus & Sagittæ. 10. Aſcenſio in cœlum. 11. Beſtia. Θηλα *Regna eſſe* Idololatrica. 12. *Ratio cur* Agnus *ſignificet ſingularem tantùm Perſonam*; *Déq;* Feris Idololatriam *æquè ac* Crudelitatem *denotantibus.* 13. Blaſphemia *quòd* Idololatriam *ſignificet tum ex Ratione tum ex Scripturæ uſu & Interpretum autoritate demonſtratum.*

1. OStendimus jam in quo potiſſimùm Vaticiniorum obſcuritas conſiſtat, & explicando antecedentes figuras gradum quidem fecimus ad faciliorem reddendam interpretandi Artem. Sed enim cùm tam multa ſint ac tam varia ultimi Schematis exempla, neceſſarium fore cenſemus eorum præcipua in unum *Alphabetum* colligere, ſingulorúmq; notare ſignificationes. Quæ ſi memoriâ retentæ fuerint, multùm profectò conducent ad facilem extricationem veri ſenſûs omnium *Ænigmaticorum* Vaticiniorum in Scriptura. Nam quod *Ariſtoteles* affirmat de *Inſomniis Ænigmaticis*, verum etiam eſt de hoc genus viſionibus. Τεχνικώτατός ἐστι κριτὴς ἐνυπνίων ὅστις δύναται τὰς ὁμοιότητας θεωρεῖν, τὰς γὰρ ἐυθυνοειδείας κρίνειν παντός ἐστιν. *Is maximè gnarus eſt Inſomniorum Interpres qui ſimilitudines optimè novit dignoſcere, quantùm enim ad ea Inſomnia quæ res ipſas Imaginationi repræſentant, de iis quilibet poteſt judicare.* Περὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς. cap. 2.

Jam verò *Danielis* Viſiones & *Apocalypſeos* non rationem quidem habent Ἐυθυνοειδῶν ſed Ἐνυπνίων αἰνιγματωδῶν, quippe quæ res ſub *ſymbolis* & *ſimilitudinibus* repræſentant. Ac proinde fixam habere ac determinatam ſignificationem (eámq; ſolidis firmíſq; rationibus innixam) hujuſmodi *Symbolorum* atq; *Iconiſmorum*, non poteſt quin ad imbuendum nos facultate dextrè & cum ſucceſſu interpretandi hæc Vaticinia, vel ſaltem intelligendi approbandíque, aut cum judicio improbandi Interpretationes aliorum hominum, multùm contribuat.

2. Et quod ad me attinet, nullam equidem meliorem novi methodum viámve deſigendi certúmq; nobiſmetipſis faciendi verum ſenſum horum Symbolorum quàm attendendo quid ipſa Scriptura de eis declaret, accuratéq; obſervando quid incoacta Ratio nobis hîc ſuggeſſerit diſpexerítve de eorum aptitudine ad res ſignificandas vel repræſentandas. Quibus ſi eorum ſuffragia adjiciamus qui *Onirocritica* ſcripſerunt, ſive utplurimum ex propria ratione & obſervatione, ſicut *Artemidorus* profitetur, ſive (quod ad rem magis facit) collectionem fecerunt Antiquiſſimorum hujus generis Scriptorum, qualem *Achmetes* filius *Seirim* nobis paravit, non poteſt quin fidem noſtram de ſenſu hujuſmodi *Iconiſmorum* multùm quidem corroboret.

3. Atq; hæc *Achmetis* Collectio præ cæteris, cùm *Onirocritica* ſint trium illorum celebratiſſimorum Interpretum Regum *Indiæ*, *Perſiæ* & *Ægypti*, ac proinde cùm adeò antiqui ſint adeóq; *Orientales*, tantò probabilius eſt majorem habitura cognationem cum *Schematis Propheticis* ſacræ Scripturæ. Primus horum eſt *Syrbacham* interpres Regis *Indiæ*. Verùm tam frequenter támq; palpabiliter Chriſtianiſſat ut meritò de ejus antiquitate dubitare poſſimus, immò pro certo concludere eum poſt adventum Chriſti vixiſſe. Alter eſt *Baram* Interpres *Saaniſanis* Regis *Perſiæ*, & tertius *Tarphan Pharaonis* Interpres Regis *Ægypti*. Quarum Interpretationum uſus approbatus eſt ab Expoſitoribus qui aliàs toto genere differunt diſſentiúntq; inter ſe, *Grotium* intelligo, ac *Joſephum Medum* cui debetur honor viam primùm aperiendi hac in re.

4. Nec quicquam ſanè ſcrupuli ſupereſt ex eo quòd *Inſomniorum* Interpretationes ſint non autem *Viſionum*. Nam præterquam quòd magna quidem affinitas eſt *Viſiones* inter & *Inſomnia*, cùm utraq; phantaſmata ſint Imaginationi, nullâ ſanè liberâ actione excitationéve noſtri ipſorum ſed ratione purè paſſivâ, impreſſa, externis etiam ſenſibus utrobiq; quodammodo conſopitis, (unde hæc ὁράματα etiam θεάματα apud *Achmetem*

Achmetem appellantur) quæſtio præterea non eſt de principio unde, modóve quo Impreſſiones hæ *Divinatoriæ* fiant, ſed quid repræſentent ſignificéntve. Quas ſi concedatur, rectè hæc vel illa in *Inſomniis* præfigurare, manifeſtum eſt eas idem prorſus præſtare in *Viſionibus*. Loquor enim de ejuſmodi Impreſſionibus quæ rationem non habent *effectorum temperamenti corporis* ulliúſve alîus cauſæ naturalis, ſed meri *Typi* ſive *Præfigurationis*.

Quamobrem non abs re fore exiſtimo ſi addam interdum horum *Onirocriticorum ſcriptorum* ſuffragia ad ea argumentorum momenta quæ ex *Scriptura* & *Ratione*, pro interpretatione *Symbolorum* vel *Iconiſmorum* noſtro *Alphabeto Prophetico* contentorum, produxero. Quod jam vobis ante oculos ponam.

5. *Adoratio.* Quòd Veneratio vel Adoratio ſubjectionis *Iconiſmus* eſſe poteſt, ex ipſius Ceremoniæ natura patet, cùm Corporis incurvatio aptum ſymbolum ſit ſubmiſſionis Animi voluntatíſque, illius poteſtati cui hunc cultum præſtamus. Quódq; ſic ſignificat Idiomate *Hebraico* ex multis exemplis manifeſtum eſt. Sed & ipſum Symbolum explicatur Gen. 37. ubi manipuli fratrum *Joſephi* dicuntur ſe incurvâſſe manipulo *Joſephi*, hoc eſt, *Joſephi* manipulum adorâſſe. Τὰ δράγματα ὑμῶν προσεκύνησαν τὸ ἐμὸν δράγμα, *Veſtri manipuli adorabant manipulum meum*; unde Fratres ejus ſtatim interpretantes *inſomnium* dixerunt ei, *Túne ergo regnabis ſuper nos*, vel, *Túne ergo dominaberis nobis?* hoc eſt, Nóſne tui ſubditi erimus, tuæve ditioni ſubjecti? Ità *Eſaias* 45. 14. de ſubjectione *Æthiopum* loquens ac *Sabæorum* Regi *Cyro*, *Poſt te ambulabunt*, inquit ille, *in compedibus tranſibunt*, *tibiq; incurvabunt ſe*. *Græcum* exemplar habet προσκυνήσουσί σοι *adorabunt te*. Quæ omnia ſubmiſſionem ſignificant ac ſubjectionem illius Imperio. Unum tantùm inſuper locum addam, Gen. 27. *Serviant tibi populi, & adorent te Tribus. Eſto dominus fratrum tuorum, &* incurventur *ante te filii matris tuæ*; vox eſt προσκυνήσουσιν in utroq; loco, ſignificátq; obedientiam ſive ſubjectionem laxè ſumptam, quemadmodum patet.

Verùm, poſito quòd hanc generalem ſignificationem non haberet, ſed denotaret tantummodo eam partem officii ſubjectionis quæ eſt *Adoratio* ſive *Incurvatio*, *Stylo* tamen *Prophetico* poſſet quidem tam laxè ſignificare per *Diориſmum*.

6. *Aduſti Sole. Achmetes*, *Onirocrit.* c. 167. Εἰ δέ ἴδοι τις ὅτι πλεῖσα ἀπέκαυσεν αὐτὸν ὁ ἥλιος, εὑρήσει τιμωρίαν παρὰ τοῦ βασιλέως ἀνάλογον τῆς καυσηείας· *Si quis ſomniaverit ſe à Sole eſſe aduſtum, pari, cum aduſtionis ratione, pœnâ à Rege afficietur*, ſecundùm doctrinam *Ægyptiorum*, *Indorum*, ac *Perſarum*.

Ædificia. Idem ſecundùm ſententiam Interpretum *Indorum*, Εἰ δὲ ὑπὸ μαρμάρου ἢ λίθου τὸ κλίσμα, ὁ ἰδὼν ἔσται πολύζωος καὶ ὁ πλοῦτος αὐτοῦ ἀκαλαμίχητος· *Si quis ſomniaverit ſibi domum eſſe ex marmore vel lapide, is longævus erit, ejúſq; divitiæ inexpugnabiles.*

Aër. Quod *Aër* accipitur pro loco Imperii Diaboli apparet ex Epheſ. 2. *Et vos cùm eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris in quibus aliquando ambulâſtis ſecundùm Principem Poteſtatis* aëris, *hujus Spiritûs qui nunc operatur in filios diffidentiæ*, hoc eſt, in Infideles, iſtiuſmodi qui ſe non ſubmiſerint Regno Dei, ſed Idolis ſerviant & ſecundùm propriæ mentis cupiditates ambulent. In quem locum *Druſius* ex מנחה חדשה. *Sciendum à terra uſq; ad expanſum omnia plena eſſe turmis ac præfectis.* Juxta quam opinionem *Rabbinorum Judaicorum*, Apoſtolus iterum loquitur cap. 6. *Neq; enim nobis lucta eſt adversùs ſanguinem & carnem, ſed adversùs principatus, adversùs poteſtates, adversùs mundipotentes tenebrarum hujus ſeculi*, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τούτου, adversùs eos qui hujus mundi imperium tenent, hujus utiq; *tenebroſi ac caliginoſi Aëris*; πρὸς τὰ πνεύματα τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *adversùs ſpiritus improbos ſive dæmonas in his locis* Aëreis *degentes.* Nam ἐπουράνιος hîc eundem omninò ſenſum habet quod *Expanſum* in מנחה חדשה *ſpatium ſcilicet à Nubibus ad terram*, quemadmodum limitatur *Gen.* 1. Alioquin improbi hi ſpiritus quomodo dici poſſent σειραῖς ζόφου ταρταρωθῆναι, & δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον τηρεῖσθαι, utì & *Petrus* & *Judas* de iis declarant?

Verùm hac de re ſatìs, & fortaſſe plus ſatìs, quoniam ubi *Aër* occurrit in viſionibus Propheticis hoc in ſenſu quo de loquimur, *Metonymia* potiùs vulgaris eſt quàm *Icaſmus*.

Albus veſtitus. Comparando *Nicephorum* cum *Aſtrampſycho*, *albus veſtitus* videtur ſignificare honorem illum animíq; hilaritatem quæ ex hominis innocentia atq; integritate oritur.

Aſtrampſychus.

Λευκὴν στολὴν κάλλιστον εἶν ὕπνῳ φορεῖν.

Nicephorus.

Nicephorus.

Χιτὼν μέλας ἔδειξεν αἰχμώσης τεύχους.

Achmetes ſecundùm ſententiam *Indorum* cap. 157. Ἐὰν ἴδῃ ἄνθρωπος ὅτι φορεῖ λευκὰ ἱμάτια, εὑρήσει χαρὰν καὶ δόξαν εἰς τὴν πίστιν καὶ ἐν τῷ κόσμῳ. Et rurſus, cap. 232. Ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι ἐνεδύσαλο ἱμάτια λευκὰ καὶ καθαρὰ, τοσοῦτον ἀποκαθαίρεται πάσης λύπης, ἀναλόγως τῆς καθάρσεως καὶ τῆς λευκότητος, ſecundùm ſententiam *Ægyptiorum* & *Perſarum*. Non opus eſt ut hîc addam dictum eſſe in *Apocalypſi*, *Veſtimenta pura ac candida eſſe juſtificationes Sanctorum*.

7. *Angeli*. Adeò frequens mentio fit miniſterii Angelorum in *Apocalypſi*, ipſorúmq; Præſidentia adeò cuiq; rei præfigitur ut committere non poſſim quin & hoc etiam *Schema* inter reliqua notem, quanquam fortaſſis *Icaſmi* notio haud ità accuratè ei conveniat, quippe Angeli *Inſtrumenta* potiùs Divinæ Providentiæ ſunt quàm illius *Symbola*. Verùm ſi vulgarem illorum Repræſentationem conſideremus (quæ proculdubio à *Moſaicis Cherubinis* ſuam traxit originem) quàm aptè alis inſtructi ſint ad celeriùs ea obeunda Miniſteria quæ ab eis expectantur, ſunt ſanè haud obſcurum *Symbolum* illius ſapientiæ quæ *omnibus mobilibus mobilior eſſe dicitur, & attingere à fine uſq; ad finem fortiter, & diſponere omnia ſuaviter*. Sapient. 8.

Quòd verò Angeli in his *Apocalypticis* viſionibus tam conſtanter ac particulariter cuiq; Divinæ Providentiæ negotio præficiuntur, oppidò quàm conſonum eſt ſenſui *Danielis* (ut in magna illa *Nebuchadnezzaris* conditionis mutatione quæ facta dicitur decreto *Vigilum*, עירין, *Græci* eos dicerent φύλακας *excubitores* ſive *Vigiles*, per quos intelliguntur *Angeli*) ut & ſenſui antiquæ *Cabbalæ* quæ numerum *ſeptenarium* Divini *Sabbatiſmi* ſymbolum facit (in quo à ſuis quieſcit operibus) eúmq; numerum φυλακῖτιν appellat cum reſpectu ad officium horum *Excubitorum* ſive *Vigilum*, *Angelorum* horum ſanctorum quos adminiſtrationi ſuæ Providentiæ præficit.

8. *Aqua*. Aquas *Hieroglyphicum* eſſe poſſe verborum ac ſermonis illiúſve doctrinæ quæ per eum communicatur, palàm eſt ex Prov. 18. 4. *Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons ſapientiæ*. Et cap. 15. 18. *Os juſti meditatur ſapientiam, os verò impii effundit mala*. Nunquam verò tam nequiter mala quàm cùm effundit iſtiuſmodi ſermones quibus diſſidia & contentiones excitentur, quod ad inſtar diſſecationis eſt aggeris marini quò omnia inundentur. Unde factum eſt ut Sapiens ſalubre illud monitum dederit, *Antequam miſceatur litem dimitte. Nam velut is qui aperit viam aquis, eſt principium contentionis*. Prov. 17. 14. Vide alias aquæ ſignificationes in *Fluvius* & *Mare*.

Aquila. Eſai. 40. 31. *Qui ſperant in domino renovabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquila, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient*. Et Exod. 19. 4. *Vos ipſi vidiſtis quæ fecerim* Ægyptiis, *quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum & aſſumpſerim mihi. Artemidor.* lib. 2. c. 20. Ὀχεῖσθαι ἀετῷ πένησι μὲν ἀγαθὸν, ἀναληφθέντες γὰρ ὑπό τινων πλουσίων ὠφεληθήσονται ὑ μικρά. *Somniare ſe aquilæ inequitare pauperibus fauſtum eſt, ſuſtentati enim ab aliquibus opulentis ac potentibus haud parvis fruentur commodis*.

9. *Arbores*. Quòd Arbores pro diverſis ſuis magnitudinibus ac proceritatibus diverſos hominum ordines gradúſq; ſignificant, manifeſtum eſt ex illo *Zachariæ*, cap. 11. *Aperi* Libane *portas tuas & comedat ignis cedros tuas. Ulula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vaſtati ſunt. Ululate quercus* Baſan, *quoniam ſuccisum eſt ſaltus munitus*. Paucula illa verba, *quoniam magnifici vaſtati ſunt*, certa clavis eſt *Parabolæ*, docéntq; Vaticinium in Arbores digitum non intendere ſed in Homines. Ac proinde *Vatablus* aliíq; Interpretes ad eum ſenſum locum Interpretantur. Proverbiale illud *Iambicum*,

Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἄνηρ ξυλεύεται.

ad hunc etiam ſenſum ſonat, *Nicephoriq; Onicritica* manifeſtius adhuc ſuffragium adjiciunt.

Κορύσσει δένδρα πλῆσιν ἀνδρῶν σημαίνει.

Et *Achmetes*, ſecundùm doctrinam *Perſarum*, *Indorum* & *Ægyptiorum* hiſce *Iconiſmis* multùm inſiſtit, applicando diverſa arborum genera diverſis Perſonarum ordinibus. Vide Onirocrit. cap. 151. Quod tamen copioſiùs adhuc facit magiſq; particulatim, cap. 200. Et poſtremò cap. 165. Ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι ἄνεμος ὕλακας δένδρων, ἢ ἀνεμὸς

Βασιλέως ἀπολουῆλαι μαγισσᾶνες ἀναλόγως τῶν Ἰνδῶν. Ad quem ſenſum etiam loquitur in Capite ſubſequenti.

Arcus & Sagittæ. Naturaliter ſignificant *intentionem* ſive *collineationem* in aliquod, *ictúſq;* *ſcopus*, *finis aſſecutionem* in inceptis noſtris. Poteſt autem modo ſpecialiori ad victoriam bellicam referri, eóq; magìs quòd Inſtrumenta bellica ſunt.

Onirocrit. 249. *Achmetes* ex *Onirocriticis Ægyptiorum & Perſarum*, Ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι ἐχεῖτο βίλη καὶ τόξα, ἐπιχαρήσεται δὲ τοῖς ἐχθροῖς αὐτοῦ *Si quis ſomniaverit ſe arcum ſagittáſq; manibus tenere, inimicis ſuis inſultabit victor.*

10. *Aſcenſio in cœlum.* Cùm *Regnum* ſive *Politia* tam expreſſim aſſimuletur *Mundo* ſive *Univerſo*, (quemadmodum videbimus ſub illo Titulo) ut *cœli* quidem *ſummis locis* ac *dignitatibus* reſpondeant, admodum facilis eſt Analogia. Juxta hunc

Cap. 14. 12. ſenſum id dictum eſt apud *Eſaiam*, *Quomodo delapſus es de cœlo Lucifer Auroræ fili! Atqui ſic cum animo tuo dicebas*, *In cœlum conſcendam*, &c. *Aſpiraveras ad ſummam dignitatem*, ſic *Vatablus*; & *Achmetes*, Εἰ δὲ ἴδῃ τις ὅτι καθῆλθεν ὡς ἐν τῷ ἐσχάτῳ, ὀνομαστὸς ἔσται καὶ μέγας, *Onirocrit.* c. 161. & in capite ſequenti, Εἰ δὲ ἴδῃ ὁ βασιλεὺς ὅτι ἀνῆλθεν εἰς τὸν ἀέρα ἐνέπεσε δὲ καὶ ὄνομα πλέον τῶν ἄλλων βασιλέων. Et paulò pòſt, Ἐὰν ἴδῃ ὁ βασιλεὺς ὅτι ἀνελθὼν ἐκάθισεν ἐν ἀέρι, μείζονα χάριν ἢ ἔχει καλακινεύσει. Sic *Achmetes* è ſcriptis *Indorum*, *Perſarum* & *Ægyptiorum*. Quæ omnia expreſsè declarant, *Aſcenſionem in cœlum* ſignificare aut acquiſitionem aut incrementum Politicarum Dignitatum ac Honorum.

11. *Aves*, videntur ſignificare poſſe *Spiritus* ſive *Angelos* tum malos tum bonos. Malos Angelos per Aves indigitari poſſe planè conſtat ex parabola Satoris, ubi ipſe Servator per *volucres* quæ ſemina devoraverint, *dæmonas* intelligit, Marc. 4. 15. & Luc. 8. 12. Angelos verò bonos aliquando per Aves ſignificari, monet alicubi *Alcazar*. *Platonicíq;* id facilè admiſerint, qui Animas nondum lapſas faciunt *alatas*.

Beſtiæ. Quàm perſpicua ſimilitudo ſit *corpus Politicum* inter atq; *Animantem* S. *Paulus* copiosè declarat, 1 Cor. 12. Eſtq; res admodum ſanè facilis intellectu, quòd quemadmodum in *Animante* partes ſunt diſtinctim formatæ quæ ità ad ſe invicem ordinantur, ut per vim illam quæ in cerebro reſidet, ope ſpirituum per omnia pervadentium, in bonum totius ſingulæ ſint movendæ; ità in *Politia* diverſi hominum ordines gradúſq; ſunt, qui unâ communi continentur lege (quæ ad inſtar vitæ ſpiritúſq; eſt corporis *Politici*) qui nutu ac Imperio *ſummæ Poteſtatis*, quæ hujus Regni vel Politiæ caput eſt, in bonum publicum movendi ſunt ac dirigendi. Unde minimè mirum eſt Homines Nationéſve in corpus Politicum ad hunc modum formatas, quod *Regnum* dicitur, repræſentari apud *Danielem* ſub ſimilitudine חיון, hoc eſt, חיות *Animantium*, ſed iſtiuſmodi quæ rectè à *ſeptuaginta Interpretibus* reddantur θηρία, *Feræ*, quippe quòd tales ſunt quæ in illis viſionibus apparent. De quibus *Grotius* in Dan. 7. ubi mentio fit quatuor magnarum Beſtiarum è Mari aſcendentium, *Ideò Beſtiæ*, inquit ille, *quia Idololatrica erant Imperia*, *ut notat hìc Jacchiades*. Non autem ob *Idololatriam* tantùm ſed etiam ob ſanguinolentam Tyrannidem, ſicut idem *Grotius* optimè notavit in *Matth.* 20. ubi Chriſto declarante quòd is qui maximus primúſq; in ſuo Regno eſſe velit, miniſter debet eſſe ac ſervus reliquorum, non autem καλακινεύειν vel καλακυριεύειν non *licentiùs imperitare* & *dominari* in ſuos Inferiores ſicut gentium Principes faciunt. *Hæc oppoſitio*, inquit ille, *oſtendit cur apud Prophetas Imperia mundi* Beſtiarum, *Regnum Chriſti*, Hominis *Imagine depingantur*. Ubi per *Beſtias* intelligi oportet *Feras*, ut vox frequentiùs ſignificat, eóq; in ſenſu accuratè reſpondebit voci θηρία apud *Septuaginta*, unde *Latinum* vocabulum *Fera* derivatur, mutando θ in φ *Æolicé*. Alioqui Regna mundi appellari poſſent ζῶα, quemadmodum quatuor Beſtiæ in Apocalypſi (quæ ad caſtra *Iſraëlis* in quatuor partes diſtributa, ſicut Cl. *Medus* rectè obſervavit, alludunt) non quidem θηρία appellantur ſed ζῶα, cùm ille Titulus in *Politian*, ubi *Humanitas æquitáſq;* dominantur, minimè quadraret.

12. Multóq; minùs conveniret vero Corpori Chriſti, minimè verò omnium *Agno* ipſi; nec Agnus ſanè idoneum fuiſſet ſymbolum Propheticum unius perſonæ ſingularis niſi quòd multò antè ille Titulus Chriſto in ſortem ceſſerat, ut qui à *Johanne* appellatus erat *Agnus Dei*, *qui tollit peccata mundi*, quippe qui Agnus ille *Paſchatis* eſt cujus ſanguis ſui populi eſt ſalus. Quamobrem niſi hujuſmodi aliquod ſit obſtaculum (etenim hæc Inſtantia videtur planè monadica) certiſſimum eſt *Animal* ſive *Beſtiam* ſtylo *Prophetico* ſignificare non quidem unum hominem ſingularem ſed hominum Cœtum, Politian, Regnúmve. Quomodo enim dici poſſent *Cornua* habere atq; *Capita*, eáq; cornua capitáq; expreſſim ab Angelo de Regibus exponi, niſi Beſtiæ integræ ſignificarent non quidem perſonas *ſingulares*, ſed *Regna*?

Cur

Cur verò hæ *Beſtiæ Feræve Idololatriam* perinde innuerent atq; *Crudelitatem* ſuo Typo, ratio quidem aliquantò profundior eſt ſed non prorſus imperveſtigabilis; quam igitur ego hanc eſſe exiſtimo, nempe quòd Cultus *Idololatricus* intra merè *Beſtialis Animaliſve* naturæ confinia hoſpitatur, ſicut apparere poteſt ex eo quod ſcripſi in *Myſterio Pietatis*, quò brevitatis causâ lectorem remitto. *Lib. 2. cap. 10.*

13. *Blaſphemia. Blaſphemia* pro *Idololatria* poſita *Icaſmus* etiam eſt. Nam quod *verba* in Deum contumelioſa ſunt ad *aures*, idem eſt *Imaginum cultus* ulliúſve Creaturæ cultus religioſus ad *oculos*. Nam utroq; modo id declaratur quod in Deum contumelia eſt ejuſdémq; vilificatio. Ac proinde minimè mirum eſt quòd ſtylus Propheticus artificioſam affectans rerum obvelationem, unum genus *Blaſphemiæ* in locum alterius ſubſtituit, illam Blaſphemiam quæ eſt διὰ λόγων ἢ ῥημάτων in locum illius quæ eſt διὰ πεϱγμάτων ἢ τύπων, quemadmodum *Chryſoſtomus* diſtinguit de Divinis Prædictionibus.

Obſervatu verò digniſſimum eſt, Scripturam etiam in multis locis *Idololatriam* appellare *Blaſphemiam*. Ut apud *Eſaiam*, *Qui ſufficerunt ſuper montes, & ſuper colles probris affecerunt me.* *Septuaginta* habent ὠνείδισάν με, quod idem planè eſt quod ἐβλασφήμησαν, quod tamen non factum eſt διὰ λόγων ſed διὰ πεϱγμάτων per actiones ſuas *Idololatricas*. *Qui colunt Idola quaſi Deos, exprobrant Deo arrogantiam Divinitatis*, inquit *Cornelius à Lapide*. Conſimilis locus planè occurrit apud *Ezechielem*; *Hæc dicit Dominus Deus, Adhuc & in hoc blaſphemârunt me Patres veſtri: Introduxi enim eos in terram ſuper quam levavi manum meam ut darem illam eis, & viderunt omnem collem excelſum & omnem arborem denſam, & ſacrificaverunt ibi ſacrificia ſua, dederúntq; ibi irritationem oblationis ſuæ*, &c. Quod idem Interpres iterum interpretatur de *Idololatriis* eorum, ut & *Gaſpar Sanctius*. Rurſus Deuter. 31. 20. *Quum comederint & ſaturati craſſiq; fuerint, avertentur ad Deos alienos & ſervient eis, detrahéntq; mihi*, &c. ſic *Latina* verſio vulgaris. *Hebraicum* verò exemplar habet ונאצוני quod proprè ſonat, *blaſphemabunt me*, quemadmodum exponitur à Septuaginta in Eſai. 52. 5. כל־היום שמי מנאץ, διὰ παντὸς ὀνομά μου βλασφημεῖται. Utì etiam נאצה redditur Ezec. 35. 12. ἤκουσα τῆς φωνῆς τῶν βλασφημιῶν σου. נאצותיך vox eſt in Textu *Hebraico*. *Cap. 65. 7.* *Cap. 20. 27, 28.*

Poſtremò obſervatu dignum eſt quod Pſalm. 69. 9. ubi *David* Propheta ait, *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me*, οἱ ὀνειδισμοὶ τῶν ὀνειδιζόντων σε (quod idem eſt ac dixiſſet αἱ βλασφημίαι τῶν βλασφημούντων σε) *Chaldæus* Paraphraſtes hoc interpretatur de illa contumelia quæ Deo fit cultum illius communicando Idolis, quanquam ſignificatur per *blaſphemiam* verborúmve contumeliam, ità enim ὀνειδισμὸς ſignificat. Quamobrem cùm filii *Iſrael* dicantur in oberrationibus ſuis circa Divinum cultum averſionibúſq; ad *Idola*, *blaſphemare*, admodum facile eſt intellectu, è Regula *Conjugatorum*, quòd hæc eorum *Idololatria* rectè dici *poſſit Blaſphemia*.

Quam proinde ob cauſam *Alcazar* Nomina *Blaſphemiæ* in ſeptem Capitibus Beſtiæ *Apocalypticæ* interpretatur de Templis *Idolorum*, ipſéq; *Grotius* γέμον ὀνομάτων βλασφημίας ſic exponit. *Plena Diis qui ità dicebantur in veri Dei injuriam.* Tam facilè ab omnibus agnoſcitur, *Blaſphemiam* poni poſſe pro *Idololatria*. Eſtq; certè aptiſſimus ſignificantiſſimúſq, *Icaſmus* qui fingi poteſt, cùm nihil deſtabilem Idololatriæ naturam eo magis graphicè depingat. Nam *Idololatria* abſolutiſſima ſubſannatio eſt ac vilificatio Dei quam malitia unquam potuit excogitare, atq; æquè improba, ac ſi eum vilis illius ac inſenſatæ materiæ nominibus ex quibus *Imagines* ſuas conficiunt, appellitarent, eúmq; pronunciarent illâ nihilo meliorem. Quippe quòd dum Divinum cultum illi præſtant, ipſi eam faciunt æqualem. Atq; hæc quidem *Blaſphemia* aliorum digniorum objectorum Cultui, qui tamen Dii non ſunt, proportionaliter ſubeſt. Nam infinitâ planè vilitate ſordeſcunt, ſi cum Deo conferantur. Ac proinde immenſa contumelia eſt horridáq; *Blaſphemia* adversùs Deum, quicquam omninò colere præter ipſum.

CAP. VI.

1. Candela. 2. Caput, *quàm aptè ſignificet ſummam Poteſtatem ſive in uno ſive in pluribus conſtitutam.* 3, 4. Caro, duæ notabiles illius ſignificationes. 5 Cauda. Cædes. 6. Cœlum & Terra. 7. Character. 8. Columnæ. Corona *gemmis ornata.* 9. Cornu. Cultus. 10. Deſertum. 11. Deus. Dies. 12. Dolor parturientis. 13. Draco. 14. Ebrietas. 15. Eclipſis. 16. Equus. Eremus.

1. *Candela.* Candela vel Lucerna ſignificare videtur proſperum rerum ſtatum in hoc mundo. Job. 18. *Nonne Lux impii extinguetur, nec ſplendebit flamma ignis ejus? Lux obtenebreſcet in tabernaculo illius,* & *Lucerna quæ ſuper eum eſt extinguetur.* Et cap. 29. *Quis mihi tribuat ut ſim juxta menſes priſtinos, ſecundùm dies quibus Deus cuſtodiebat me? Quando ſplendebat Lucerna ejus ſuper caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris.* Conſimilem proſperitatem ac ſucceſſum *Pſalmiſta* etiam eâdem figurâ deſcribit, Pſalm. 18. 28. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, tu Deus mi meas tenebras tuo lumine diſjicis*; in cantico quo Deo gratias agit pro ſua liberatione è manibus *Saul. Aſtrampſychus* & *Nicephorus.*

Φωτὸς ἐξὸν πραγμάτων δηλοῖ φάος.

Et *Artemidorus* lib. 2. cap. 9. Λύχνος ἡ καιόμενος ἐν οἰκίᾳ λαμπὰς ἀγαθὸς· πρόσληψιν γὰρ σημαίνει καὶ ἐυπορίαν πᾶσιν. *Candela ſive lucerna ſplendida in domo accenſa bonum portendit, incrementum utiq; Divitiarum rerúmq; copiam.* Poſtremò *Achmetes,* ſecundùm mentem *Ægyptiorum* & *Perſarum*; Εἴ τις ἀνῆψε λαμπάδα καὶ φέρει αὐτὴν, οἱ μὲν ἐξ βασιλεὺς ὁ ἰδὼν, εἰς δόξαν καὶ νίκας καὶ ὄλεθρον ἐχθρῶν κείνεται· εἰ δὲ τῇ κοινῇ, ἐυρήσει ἀξίωμα ἀνάλογον τῆς λαμπάδος. Et eodem capite rurſus ait, Quòd Lucernarum accenſio gaudium ſignificat & exhilarationem, χαρὰν καὶ χαροποίησιν, extinctio verò earundem, nobis invitis, θλῖψιν ἀπὸ ἐχθρῶν ἀνάλογον τῇ σβύσει, *afflictiones & ærumnas ab inimicis pro ratione tenebrarum.*

2. *Caput.* Caput Beſtiæ in his *Propheticis* figuris eam Perſonam perſonáſve ſignificare penès quas ſuprema ſit Poteſtas, æquè certò concludi poteſt, ac quartus Proportionalis in *Arithmetica* tribus numeris datis. Tres enim *Analogiæ* terminos hîc etiam habemus, nempe *Regnum ſummam* ejus *poteſtatem,* & *Beſtiam* quæ Prophetica figura eſt Regni. Quamobrem non poſſumus quin promptè ſic concludamus; ut *Regnum* ad *ſummam* ſuam *Poteſtatem,* ità Prophetica ſive *figurativa Beſtia* ad *Caput ſuum*; & alternatim, ut *Regnum* ad *Beſtiam,* ità *ſumma Poteſtas Regni* ad *caput Beſtiæ.* Unde manifeſtò videmus *Caput Beſtiæ* reſpondere *ſummæ Poteſtati* ſive in una ſingulari perſona ſita ſit ſive in multis. Nam ſicut Poteſtas in abſtracto non conſideratur, ità nec Perſonæ à Poteſtate ſua abſtractæ ſeu præciſæ, ſed utræq; in concreto *Caput* hoc *Politicum* conſtituunt. Ac proinde ſi Principatus non ſit niſi in multis, illi multi *caput* ſunt, nec certè minùs unum caput quòd ex multis perſonis conſtitit, quàm corpus minùs unum corpus, quòd ex multis conſtitit perſonis. Quinimo ſiquis *Imaginationis* ſuæ ſymmetriam potiùs ſequeretur quàm *Rationis,* caput ex multis Perſonis conſtitutum in corpore ex immenſa Perſonarum multitudine conflato, magìs elegantem magiſq; proportionatam præ ſe ferret ſpeciem, quàm una ſingularis Perſona. Quemadmodum ſi Beſtia ex globulis cereis concinnaretur mutuò ſibi adhærentibus, caput ex uno globulo confectum eiq; adjunctum, eam conformitatem haud habiturum eſſet quam caput ex multis compoſitum ejuſdem magnitudinis cum eis ex quibus totum corpus conſiſtit.

3. *Caro.* Per carnem intelligitur in Scripturis quicquid *Spiritui* opponitur, ratione utiq; *morali myſticâve,* idq; omne conſumendum eſt *ſpiritu* atq; *igni.* Verùm caro interdum magis particulatim ſignificat id omne quod vulgò venit ſub nomine
Gal. 3. 3. *Placitorum Carnalium,* tali ferè ſenſu quo illud intelligitur apud S. *Paulum. Adeòne dementes eſtis ut à ſpiritu exorſi nunc in carnem deſinatis?* vel *cùm ſpiritu inceperitis nunc carne perficimini?* ùti *Beza* habet. Apoſtolus verò loquitur de lege *Moſaica.* Authórq; ad *Hebræos* magis expreſſim, qui de Chriſto loquens eúmq; cum
Cap. 7. 16. *Aarone Moſaico* conferens, ait, *Qui non ſecundùm legem mandati* carnalis *factus eſt ſacerdos, ſed ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis.* Et quod adhuc ad rem noſtram propius accedit, cap. 9. v. 10. ubi loquitur de *ſervitio, quod in cibis duntaxat conſiſtebat*

ſiſtebat & potionibus & diverſis ablutionibus ac ritibus carnalibus *uſq; ad tempus Correctionis impoſito.* Per carnem igitur intelligi poſſunt omnia illa externa *Placita* ac Inſtituta quæ homines temerè Chriſtianitati accumulaverint, ſive ſimpliciter inutilia, ſive etiam ſuperſtitioſa ac Idololatrica. Hæc enim ſunt ad ſpiritum Chriſtianitatis idem quod obeſæ nimiúmq; ſaginatæ ac inſalubris carnis onus pondúſve ad Hominis animam vel ſpiritum, Ἐτέσιον ἄχθος ἀρύσης.

4. Sed enim & alia eſt Carnis ſignificatio quæ crebrò occurrit in *Oniroc riticis. Artemidor.* lib. 3. cap. 23. Πλουσίῳ δὲ οὐκ ἀγαθὸν ἰδεῖν ἀπὸ τῶν ἰδίων σαρκῶν, πρόβατον γὰρ ἀναλίσκοντα τὸν βίον καὶ τὴν ὕπαρξιν τῷ ἰδίῳ σημαίνει. *Diviti ſomniare quòd propriam carnem comedit, non eſt bonum, ſignificat enim funditùs ſubverſum iri opes ſubſtantiámq; ſomniantis.* Achmetes, cap. 283. juxta *Indos, Perſas, Ægyptiósq;* Interpretes; Εἰ δὲ ἴδῃ τις ὅτι κρέας ἀγελάδων εἶφεν ἢ ἔφαγεν, εὑρήσει πλοῦτον ἀνάλογον ἀπὸ μεγίστου βασιλέως Cui conſimilis eſt *Iſraëlitarum* comeſtio Carnis *Leviathanis* in Deſerto. Nam *Leviathan* ſive *Draco* eſt Rex *Ægyptius.* Et rurſus, cap. 285. Εἰ δὲ ἴδῃ τις ὅτι ἔφαγε κρέας χοιρεῖα ὄν ἐφθόν, τοιοῦτο ἐχθρὸν ὑπάρξει λάθρα. Et poſtremò ſecundùm *Indos*, cap. 87. Ἐάν τις ἴδῃ ὅτι σάρξ ὠμὴ ἐπλεόνασε, χρυσὸν καὶ πλοῦτον ἀναλόγως τῇ σαρκὶ λάβει Et ſemel tandem ac per compendium, ἡ σὰρξ ὅλη εἰς πάντα πλοῦτον καὶ χρυσὸν διακεῖται *Caro univerſim refertur ad aurum opéſque*, in Interpretatione Viſionum ac Inſomniorum.

5. *Cauda.* Cauda Beſtiæ ea pars eſt quæ eam ſequitur comitatúrve à tergo, cui igitur magni cujuſvis Principis Magnatíſve Comitatus ex Analogia reſpondet. Cæterùm Analogia quantum mihi videtur, maximè accurata eſt in ſerpentibus immanioris longitudinis, qui & longum proinde ſyrma poſt ſe trahunt; ſed ſignificationem habet ſatìs luculentam etiam in aliis Animalibus, ſicut obſervatum eſt in *Oniroc riticis. Achmet.* Ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι ἐπωχεῖτο τοιούτῳ ἵππῳ (τῷ φάσγε ſcilicet) μίγα, δασὺ, καὶ μακὺν ἔχοντι, εὑρήσει ἀκολούθως τῆς ἐξουσίας αὐτοῦ ἀναλόγως τῷ πλήθει καὶ μήκει τῆς οὐρᾶς. *Si quis ſomniaverit ſe generoſo equo inequitare* (qualem *Perſæ Pharas* appellant) *amplam habenti caudam denſámq; ac longam, comitatum habebit catervámve hominum vel officiariorum, pro amplitudine longitudinéq; Caudæ Equinæ, amplam ac prolixam.* Tenebítq; hæc Analogia à Nobilibus ad Principes uſq; ac Imperatores omnémq; Regni cujuſvis vel Reipublicæ ſummam Poteſtatem. Quo quidem in caſu eorum copiæ populúſq; *ſyrmæ* ipſorum ſunt vel *cauda.*

Cædes. Vide Mors, & Reſurrectio.

6. *Cœlum* & *Terra.* Per Cœlum & Terram intelligitur *Univerſum*, quemadmodum *Grotius* rectè obſervavit in *Geneſin*, abundéq; confirmavit in 2 Pet. 3. 13.

Cæterùm quòd per *Cœlum & Terram* Prophetæ aliquando intelligunt *Univerſum Politicum*, hoc eſt, Regnum ſive Politian, equidem illius rei luculentius argumentum exoptari non poteſt quàm quod reperitur Eſai. c. 51. 15. *At ego* Jehovah *Deus tuus qui mare, frementibus ejus fluctibus, ſindo, nomine* Jehovah *armipotens, verba mea ori tuo ſuggeram, téq; meæ manûs umbrâ tegam ad plantandum cœlum fundanddmq; terram & ad dicendum* Sioni, *Populus meus es tu*; hoc eſt, ad efficiendum ut ii qui modò diſperſi erant ac diſſipati homunciones meráq; *Ægypti* mancipia, coaleſcant demum in *Regnum* vel *Politian*, propriiſq; legibus ac magiſtratibus gubernentur. Rurſus cap. 65. 17. *Ecce enim ego creo cœlos novos & terram novam, & non memorabuntur priores nec venient in mentem; ſed gaudete & exultate in perpetuum in his quæ ego creo. Nam ecce ego creo* Jeruſalem *exultationem & populum ejus gaudium.* In quem locum *Forerius*, Decrevi enim *novum orbem condere*, per quem intelligit *Regnum Chriſti* in terris, id eſt, *Eccleſiam.* Juxta quem ſenſum etiam interpretatur, *Nam ſicut Cœli novi ac Terra nova quæ ego facturus ſum durabunt coram me, ſic durabit ſemen veſtrum atq; nomen veſtrum.* Quamdiu duraturus ſit novus orbis, i. e. *Regnum Dei & Eccleſiæ*, &c. Ipſéq; *Grotius*, quanquam hirquis obliquis intuetur nec parùm ſibi videtur metuere (quam verò ob cauſam ipſe optimè nôrit) à locis illis quæ commemoravimus, non poteſt tamen ſibi temperare quin *novos cœlos novámq; terram* Apoc. 21. interpretetur de ſtatu Eccleſiæ in Terris, & Cl. *Hammondus* in 2 Pet. 3. expreſſim agnoſcit *Novos cœlos Novámq; terram* ibi memoratam ſenſum habere *Politicum.* Quam quidem Notionem operæ pretium erat tanto ſtudium dilucidare, quoniam generalis hæc Analogia effectura eſt ut faciliùs intelligamus quid *partes Univerſi* figurativè ſignificent, ut *in cœlos ſurſum accerſiri, dejiciq; in terram* & ſimilia. Eſai. 65. 17.

7. *Character.* Servos ac milites Characteres recepiſſe in frontes manúſq; quibus dignoſci poſſet ad quos pertinerent, apud gnaros Antiquitatis omni caret controverſiâ, quippe quòd ea de re apud Scriptores abunde ſit teſtimoniorum. Vide quæ congeſta ſunt apud *Medum Grotiúmq;* in Apocal. 13. *Stylus* verò *Propheticus* ullum

viſibilem

visibilem characterem manui frontive eorum qui notari dicuntur, inustum esse nequaquam supponit, sed apertam tantùm professionem quòd ad eos pertinent quorum characterem dicuntur recepisse. Etenim hi *Typi* tantummodo sunt *Proprietatis*, nec magis intelligendi sunt reverà eis imprimi qui eos dicuntur gestare, quàm integra illa hominum regna quæ *Bestiæ* vocantur *stylo Prophetico*, credendi sunt per metamorphosin in *Ursos* Pardósve abiisse. Hæc enim omnia Attributa *Typica* sunt, non *realia* propriáve.

8. *Columnæ.* Columnæ Principes Proceréve Regni significant, μεγιστᾶνας vel τὸν μεγίστου τῆς βασιλείας, quemadmodum videre est apud *Achmetem*, cap. 148. & 160.

Corona gemmis ornata. De Corona Gemmarum ac lapidum pretiosorum, *Achmetes* ex *Onirocriticis Indorum* cap. 247. Ἐὰν ἴδῃ ὅτι ἐτέθη ἐν τῇ κεφαλῇ αὐτῆ στέφανος ἐκ τιμίων λίθων καὶ μαργαριτῶν, ἀναλόγως τῷ κόσμῳ καὶ τῷ κάλλει τοῦ σεφάνου ὅσις ἂν ᾖ, εὑρήσει πλοῦτον καὶ ὄλβον καὶ δόξαν. Ubi vis interpretationis gemmas pretiosósve lapides maximè videtur respicere, quippe qui divitiarum, summarúmq; dignitatum ac honorum sunt *symbola*. Habent etiam sensum magis *mysticum* in hoc ipso capite, significántq; τὴν δογμάτων τῶν θείων λαμπρότητα, *Divinæ doctrinæ veritatisq; splendorem*. Verùm cap. 248. secundùm mentem *Ægyptiorum* & *Persarum* de mundanis tantùm rebus exponuntur. Ἀλλὰ ἐὰν ἴδῃ ταῦτα, margaritas scilicet & pretiosos lapides, ὅτι εὑρήσει quòd abunde eorum habeat, εὑρήσει πλοῦτον ἀνάλογον καὶ δόξαν, *divitias honorémq; pro margaritarum pretiosorúmq; lapidum ratione inventurus est parem.*

9. *Cornu.* Cornu perinde ac *Caput* summam significat Potestatem Corporis Politici quod *Bestiæ* assimilatur, ut quæ Bestiæ pars est & summa & totius corporis propugnatrix. Interpretatio est Angeli apud *Danielem*, *Primum Cornu Rex primus est.* Decémq; cornua decem Reges ab Angelo dicuntur in *Apocalypsi*. Erant enim *propriorum* suorum Regnorum summitates ac cacumina, quanquam septimo capiti Bestiæ aliquo modo subordinata.

Cultus. Vide *Adoratio.*

10. *Desertum.* Per *Desertum* Paganismum intelligi *Alcazar* summa quidem cum confidentia pronunciat, loquens utiq; de *muliere in Deserto*, *In qua*, inquit, *locutione notandum est per* Desertum *proculdubio figurari Gentilitatem.* Pro qua opinione nubem quidem Testium introducit, *Clementem Alexandrinum*, *Origenem*, *Ambrosium*, *Basilium*, *Hieronymum*, *Gregorium*, *Hilarium*, *Hesychium*, &c. Rationem cujus Hieroglyphici hanc esse autumo: Quòd *Idololatria* Paganorum frequenter celebrabatur in *Lucis* & *Nemoribus*, & in montium summitatibus & solitudinibus, Nominq; Dæmonum eorum שדים & שעירים relationem habent ad *Agros* & *Deserta*. Ut omittam *Idololatras* supra vitæ merè *Animalis* Regionem nunquam ferè emergere, ipsorúmq; Cultum ac Religionem pauxillo sanè elevatiorem esse quàm Elephantorum & Cercopithecorum.

11. *Deus.* Hebraico idiomate אלהים magistratum significat perinde ac Deum, quemadmodum ex multis sacræ Scripturæ locis constat. Et *Artemidorus* Analogiam notavit à summa usq; antiquitate, lib. 2. cap. 37. Κοινὸν γὰρ πάντες οἱ θεοὶ λόγον ἔχουσι πρὸς ἀνθρώπους. Ὀρθῶς γὰρ ἔχει τὸ παλαιὸν ἔχει. Τὸ γὰρ κρεῖττον δύναμιν ἔχει θεῖον. Quicquid dominatur vim habet Dei. Et rursus lib. 3. c. 13. Θεὸς ὅστις σωλάβοι γενέσθαι πλούσιος ὤν, ἀρχὴν μεγίστην προαγορεύει. Ἐπίσης γὰρ τοῖς θεοῖς καὶ οἱ ἄρχοντες δύνανται τὸ καλῶς τινὰς ποιεῖν. *Si quis opulentus se Deum evasisse somniaverit, eum magnum obtenturum Principatum portendit. Principes enim benefaciendi & malefaciendi potestatem habent Diis ipsis quodammodo æqualem.*

Dies. Vide *Tempus.*

12. *Dolor parturientis.* Dolor parturientis Figura est sive Imago magni studii ac conatûs ad efficiendum aliquid nec sine multa difficultate, dolore, ac periculo. Finis verò propositive assecutio *enixus* quasi facinoris est quo erant gravidi, ac liberatio à dolore ac periculo quibus laborabant. Multa sunt exempla hujus *Iconismi* apud Prophetas. *Jerem.* 30. 6, 7. *Quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum quasi parturientis, & conversæ sunt universæ facies in aruginem. Væ quia magna dies illa nec est similis ejus, tempus est tribulationis* Jacob *& ex ipso salvabitur.* Item *Esai.* 66. v. 7. *Antequam parturiret peperit, antequam veniret partus ejus peperit masculum.* Interpretes pleriq; intelligunt de subito partu Ecclesiæ, de subita nempe Conversione Gentium. *Grotius* de subita liberatione *Judææ* per *Maccabæum.*

13. *Draco.* Vox *Hebraica* est תנין significátq; *Draconem* vel *Serpentem*, item *Cetum*, ut qui magnus Serpens Dracóve maris est. Et ad eam rationem *Septuaginta* reddunt התנינים הגדולים Gen. 1. τὰ κήτη τὰ μεγάλα. Figuram esse Diaboli antiqua *Cabbala Mosaica* satis nos certos facere potest; & fortean, quanquam unus aliquis præcipuus

præcipuus Diabolus ibi notatur, ſerpens tamen illic ut in *ſtylo Prophetico*, *Henopoëticè* intelligi poſſit, ſignificaréq; univerſum *Satanæ* Principatum Regnúmve Tenebrarum, quod ſemper ſe oppoſuit Regno Dei. Ac proinde minimè mirum eſt ea Regna quæ tam ſpeciali modo Eccleſiam afflixerint ſub hac figura fuiſſe repræſentata, veluti *Ægyptum Imperiúmq; Romanum.*

Suſcita te, ſuſcita te, indue te fortitudinem ô brachium Jehovæ, *ſuſcita te ſicut in diebus antiquis, ſicut in generationibus ſeculorum. Nonne tu is es qui* Ægyptum *excidiſti, qui cetum trucidâſti?* hoc eſt, *Pharaonem.* Sicut *Ezechiel* apertè pronunciat. *Ecce ego adversùs te* Pharao *Rex* Ægypti, *Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum.* Atq; ob id ipſum ſanè quòd in mediis aquis jacet, appellatur *Leviathan*, tanquam ſi Serpens aquaticus eſſet ſive Cetus. *Tu confregiſti capita* Leviathan, *dediſti eum eſcam populo in Deſerto.* Vatabl. ראשי לויתן *capita Leviathan*, ac ſi hic *Leviathan*, ut Draco *Apocalypticus* plura haberet capita. Eſai. 51. Cap. 29. Pſalm. 74. 14.

Hæ certè conſiderationes planè nobis innuunt, *ſepticipitem Serpentem* in *Apocalypſi*, qui Reſpublica eſt Regnúmve *Romanum*, ſic repræſentari, non ſolùm habitâ ratione ad antiquam illam Formam ſerpentinam quæ primos Parentes tentavit, ſed alludendo etiam ad Regnum illud Tyrannicum *Ægypti*, quod ſub imagine *Draconis Leviathaniſq;* figuratum eſt. Nec ad *Romam Paganicam* tantùm hunc Typum pertinere, ſed etiam ad *Romam Pagano-Chriſtianam.* Nam ſeptem capita omnia ſunt è corpore *Draconis*, & Beſtia *quæ erat & non eſt & tamen eſt*, æquè *Draco* eſt ac *non* eſt *Draco*, ac proinde æquè *Ægyptus* (nè dicam magìs) quàm Eccleſia Dei, Regnúmve Filii ejus Jeſu Chriſti.

14. *Ebrietas.* Aliquando ſignificat, adeò impletos eſſe homines & intoxicatos mundanarum opum ac voluptatum affluentiâ, ut nullam omninò curam ſenſúmve habeant earum rerum quæ ſpectant ad Deum. *Eſai.* 29. *Obſtupeſcite & admiramini qui cæci cæcatis, abſq; vino ebrii, abſq; temeto titubantes, quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, & clauſit oculos veſtros, Prophetas & Principes veſtros, qui vident viſiones, operuit.* In tam ſupinum ſtuporem ac temulentiam hujus mundi proſperitas homines ſæpenumero conjicit. *Achmetes* ex *Indorum* Interpretationibus, cap. III. Ἐάν τις ἴδῃ ὅτι ἐμεθύσθη οἴνῳ, εὑρήσει πλοῦτον καὶ ἐξουσίαν ἀνάλογον τῆς μέθης *Si quis ſomniaverit ſe vino inebriatum eſſe, Divitiæ ac potentia ei pro ratione Inebriationis affluent.* Idémq; affirmat in ſequenti Capite ex ſententia *Ægyptiorum* & *Perſarum.* Eſt etiam Inebriatio è poculo *Afflictionis*, cujus mentio ſæpe fit in ſacris Scripturis.

15. *Eclipſis.* Eclipſes *Luminarium* quid ſignificent facilè intelligetur ſi conſideremus quem locum habeant *Sol* atq; *Luna* in *Mundo Politico.* Sunt enim proculdubio Dignitates ſummæ in illo Cœlo. Quo de plura ſub propriis ſuis Titulis. Intereà loci ſuffecerit breviter notare ex *Achmete*, quòd ſecundùm *Indorum*, *Perſarum*, *Ægyptiorúmq; Onirocritica*, ſi Sol ſit ἀφώτιστος καὶ ἄνευ ἀκτίνων *ſine ſplendore* (tali putà ſpecie qualem *Virgilius* deſcribit.

Tum caput obſcurâ nitidum ferrugine tinxit)

& ſine radiis, τὸ πάθος καὶ ἀδοξία εἰς πρόσωπόν ὅτι βασιλέως, *ingloria illa obſcuritas & tenebroſitas refertur ad Perſonam Regis*, ejúſq; gloriæ imminutionem innuit. Ἐὰν ἡ ἴδῃ τις ὅτι τὸν ἥλιον ἐγκρύπτει ἔκλειψις, σκότος καὶ πόλεμον ἐχθρῶν εὑρήσει ὁ βασιλεύς. *Quòd ſi Sol paſſus fuerit Eclipſin, affligetur opprimetúrq; inimicorum bello Rex.*

Eandem ſententiam ferunt de *Luna* atq; *Stellis*, ſi ſint ὀλιγόφωτα, ἀφώτιστα, ſive σκοτεινὰ, τὸ πάθος εἰς λαὸν καὶ τὰς ἀρχοντίας βασιλέως κεινότου. Vide cap. 167, 168. Hæc faciliora ſunt quàm ut opus ſit eis inſiſtere, neceſſarióq; agnoſcenda ſunt illo ſemel conceſſo, quòd *Mundus* ſive *Univerſum* ſymbolum ſit Propheticum *Regni* ſive *Politiæ*, quemadmodum luculentè ſuo loco demonſtravimus.

16. *Equus.* Nulla expreſſa Interpretatio hujus Animalis eſt in Scriptura. Verùm Equus generoſus cum Seſſore naturaliter Regimen ſive Imperium denotat. Quod etiam nobis innui videtur ex illo Pſalmi 45. 4. צלח רכב, hoc eſt, *Proſperè age, equita.* Quod Septuaginta reddunt καλῶς καὶ βασίλευε, *Proſperè age & regna.*

Equus verò porrò ſignificat quemvis ſucceſſum fortunámve illius qui ipſi inequitat. Ità *Achmetes* ex Interpretationibus *Indorum.* Ἐὰν τις ἴδῃ ἐποχούμενον τῇ φάσει, &c. *Si quis ſomniaverit ſe inequitare Pharæ* (equo ſcilicet generoſo) qui ordinatim obſequentérq; incedit, ἀξίωμα καὶ φήμην *dignitatem famámq; obtinebit equo cui inequitat parem.* Atq; ſic poſtea fuſiùs diſſerit de amplitudine, denſitate, ac prolixitate *caudæ*, declarans poteſtatem comitatúmq; inequitantis ipſi ex analogiâ reſponſurum. Quòd ſi caudâ curtâ ſit piliſve rarâ, poteſtatis defectum ſignificare. Claudicationem

etiam

etiam Equi impedimenta præmonſtrare in rebus Inequitantis, ejúſq; intractabilitatem & contumaciam (ſi ἀνυπότακτος ſit καὶ σκληροχάλινος) Inequitantis noxam & afflictionem, multáq; alia conſimiliter in Equo referuntur ad eum qui ipſi inequitat, cap. 152.

Et rurſus cap. 233. Ἵππος τὸ φάρυγξ τὸ ἐνηνεὲς εἰς ὕψος καὶ ὀξίωμα κτλ τὴν τῶν ὀνείρων ἐκείθη κείσιν. Et ſtatim poſt, Ἐὰν ἴδῃ τις καθ' ὕπαρ ὅτι ἵππῳ ἐυθεῖ καὶ κεφαλονύσι φάρυγξ ἐπωχήσαλο, ἐυρήσει φήμην μεγίσην καὶ ὕψος καὶ ἀκμοσώην ἐνάντιον λαῷ. Et paulò pòſt, Εἰ δ' ἴδῃ τις ὅτι ἐποχέμενος τῇ φάρυγξ καθῆχεν ἀσπίδα, ἐυρήσει ἀσφάλειαν ἐξ ἐχθρῶν καὶ δώσιμιν ἀνάλογον τῷ ἵππῳ. Et poſtremò, Ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι ἐκὼν καθῆλθεν ὑπὸ ἵππου φάρυγξ, ἐυρήσει ἐκουσίως ἐλάτλωσιν ἐξουσίας. Ex quibus omnibus manifeſtò conſtat equos hos ſeſſorum conditionem repræſentare, Populíve cui præficiuntur, qui ipſe equus eſt cui inequitant. Quod uberrimam ſanè lucem afferret viſionibus *quatuor Equorum*, in *Apocalypſi*, intelligendis, quorum ſeſſores facilè intelliguntur *ſtrategi* aliqui eſſe, qui propriè *Imperatores* dicuntur, quódq; per equos ſignificatur, aut ad *Imperium* aut ad ipſos *Imperatores* referri.

Eremus. Vide *Deſertum.*

CAP. VII.

1. Filius maſculus. Flumen. Fluvii, *quid ſignificent reſpectu* Maris. 2. *Quid reſpectu* limpiditatis & irrigationis. 3. Grando, *ejus ſignificatio juxta Scripturam*; 4. *Juxtáq; antiqua* Onirocritica. Hora. 5. Ignis; *differentes illius ſignificationes.* 6. Ignis de Cœlo *quàm accuratum ſymbolum excommunicationis.* Inſulæ. 7. Lapides pretioſi, Locuſtæ, Luna, Lucerna, Lux. 8. Mare, Menſura, Menſis. 9. Meretrix. 10. *Accurata analogia* Idololatriam *inter* & Fornicationem. 11. Meſſis, *ſenſus illius auſpicatus & inauſpicatus.* Mola. 12. Mons; *variæ illius ſignificationes.* 13. Mors. Mundus. 14. Mulier & Mulieres. 15. Navis. Nota. 16. Nubes Cœli. Nuditas. 17. Occiſi. Oculus.

1. *Filius Maſculus.* Sicut *Mulier* quæ parit non eſt *Mulier ſingularis* ſed Eccleſia Apoſtolica, ità Filius ejus non eſt perſona aliqua ſingularis ſed *Multitudo*, Apoc. 12. cui *Grotius* etiam ſubſcribit. Et *Andreas* in ipſum locum, *Filius maſculus eſt Eccleſiæ populus*, Chriſtus myſticus. *Totus enim Chriſtus & caput & corpus eſt*, quemadmodum *Caſſandrus* notavit è S. *Auguſtino.* Quamobrem ſi υἱὸς ἄῤῥην intelligi poteſt de multitudine uni capiti ſubjecta, cur non & υἱὸς ἀπωλείας, 2 Theſſ. 2. 3?

Caſſandr. Conſult. Art. 7.

Flumen. Vide *Aqua.*

Fluvii. Fluvius duplicem habet conſiderationem, primam reſpectu *Originis* ſuæ, unde venit & quò recurrit. Quæ res innuitur Eccleſiaſt. 1. 7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant.* Juxta quam rationem ſupponendo *Mare* Typum Amplitudinis Dominii ſive Imperii alicujus Principis, utì reverà eſt, *Fluvii* ſignificabunt quaſvis *emiſſarias* ex eo *Poteſtates*, ſive *exercitus*, ſive *magiſtratus Provinciales*, ſive quoſcunq; alios qui ſummæ hujus Poteſtatis juſſu peregrè profecti, ad illius utilitatem omnia agunt referúntque. Hi ſanè juxta accuratiſſimam Analogiam *Fluvii* appellantur, quippe qui & ipſi & res ipſorum quas adminiſtrant ad magnum mare relabuntur, ipſúmq; ſemper reſpiciunt, amplitudinem utiq; illius Regni ad quod pertinent.

Achmetes cap. 178. ex ſententia *Indorum*, *Perſarum* & *Ægyptiorum*, ἡ θάλασσα καὶ ὁ βυθὸς εἰς πρόσωπον τῆς μεγάλης κείνου βασιλέως καὶ ὥσπερ οἱ ποταμοὶ πάντες βάλλουσιν ἐς αὐτὴν, ὕτω καὶ πᾶς ὁ πλοῦτος τῆς κόσμου εἰσρεῖ ἐν αὐτῷ. Cujus ſenſus eſt, *Quòd quilibet magnus Rex mari figuratur, Regnum putà ejus, quódq; quemadmodum omnes fluvii currunt in mare, ità omnes mundi divitiæ ad eum confluunt.* Et rurſus ad eundem ſenſum, Ἐὰν ἴδῃ ὁ βασιλεὺς ὅτι νέοι ποταμοὶ προσίβαλον εἰς τὴν θάλασσαν ἀσυνήθεις, πλοῦτον ἐξ ἐθνῶν μακρόθεν καὶ χαρὰν αὐτὸς δέξεται· *Quòd novi Fluvii in mare confluentes novos reditus ſignificent Regi Regnóve à remotis populis provenientes, ipſi fortean ſub poteſtatem ſubactis.*

2. Altera *Fluviorum* conſideratio, eſt eorum limpitudo & irriguitas; ſed & hoc reſpectu ſenſum habent aut *ſpiritualem* aut *mundanum.* De priori conſtat ex eo quod dictum eſt à Servatore, *Johan.* 7. 38. *Qui credit in me, flumina aquæ vivæ fluent ex ventre ejus.* Hoc autem dixit de *ſpiritu* quem credentes in eum erant accepturi.

cepturi. Fructus autem hujus ſpiritûs quatenus univerſæ Eccleſiæ communicabilis eſt, Juſtitia eſt, Pax & Gaudium, juxta *Onirocriticam* ſolutionem *Aſtrampſychi.*

Πηγὴ διαυγὴς τὰς τῶν λύπας.

De hac aqua Servator Chriſtus *Johan.* 4. *Quiſquis biberit ex aqua illa quam ego ei dabo, non ſitiet in æternum; ſed aqua illa quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Cui conſimile eſt illud *Eſai.* 58. *Et eris quaſi hortus irriguus, & ſicut Fons aquarum cujus non deficient aquæ.*

Cæterùm Aquæ intelliguntur etiam de *Mundana* affluentia, Jerem. 31. 12. *Et venient & laudabunt in monte* Sion, *& confluent ad bona Domini, frumentum & vinum & oleum & fœtum pecorum & armentorum, eritq; anima eorum quaſi hortus irriguus & ultrà non eſurient. Achmetes* cap. 176. ſecundùm ſolutiones *Ægyptiorum.* Οἱ ἀρδοντες τὴν γὴν ποταμοὶ εἰς ζωὴν διακεινονται τῶν ἀνθρώπων. *Fluvii qui ſolum irrigant, de rerum ad vitam humanam neceſſariarum affluentia intelliguntur.* Ἐὰν ἴδῃ τις τὸν ἀρδοντα τὴν γὴν σωήθως ποταμὸν ξηρανθέντα, ἐνρήσει ὁ τόπος λιμὸν καὶ μέεμναν καὶ θλῖψιν. *Si quis ſomniaverit fluvium qui terram irrigare ſolet exſiccatum eſſe, famem portendit illi loco, ærumnam ac afflictionem.*

Fornicatio. Vide *Meretrix.*

Gemmæ. Vide *Corona.*

3. *Grando.* Quando *Venti* ac *Tempeſtates*, Commotiones *Politicas* belláq; ſignificant quemadmodum à *Grotio* agnoſcitur aliiſq; Interpretibus univerſis, utì apud *Danielem*, c. 7. v. 2. (ubi quatuor venti cœli dicuntur pugnare in mari magno) valde conſentaneum eſt ut *Grandinis* tempeſtas *bellum* ſignificet & *Inimicorum incurſionem*, præſertim ſi ab *Aquilone* venerit, quippe quòd ipſa Meteori congelatio illius Regionis characterem præ ſe fert.

Duo eximia hujus figuræ Propheticæ exempla habemus apud *Eſaiam.* Primum cap. 28. *Ecce fortis robuſtúſq; Domini, quaſi grandinis quædam procella impetuoſáq; tempeſtas, quaſi impotens quædam redundantis aquæ diluvies vos vi proſternet humi. Pedibus conculcabimini ô ſuperbiæ Corona temulenti* Ephraim. Hæc ſignificant (inquit *Forerius*) hoſtium adventum qui univerſum Regnum *Iſrael* devaſtaturi erant. Verùm tam perſpicuum eſt ut nullâ indigeret Interpretatione. Alterum exemplum occurrit *Eſai.* cap. 30. *Sonabitq;* Jehova *voce ſuæ majeſtatis & brachii ſui impreſſionem oſtendet, cum truculento vultu & edacis ignis flamma, ſtrage, nimbo, grandiniſq; lapidibus. Nam* Jehovæ *voce paveſiet Aſſyrius*, &c. hoc eſt, Exercitus *Jehovæ* aggredientur *Aſſyrium* ad inſtar fulminis fulguríſq; cum grandine. Tam manifeſtum eſt procellam *grandinis*, ſymbolum eſſe *Incurſionis Impreſſioniſve Hoſtium* juxta ſtylum Scripturæ.

4. Eadémq; planè ſignificatio agnoſcitur in *Onirocriticis Artemidor.* lib. 2. c. 8. Ὄμβροι δὲ καὶ λαίλαπες καὶ χειμῶνες ταραχὰς πᾶσι καὶ κινδύνους καὶ ζημίας ἐπάγουσι. Eadem ferè profert cap. 41. quæ non multùm abludunt ab illo apud *Danielem.* Sed ut propiùs ad rem accedamus quantùm ad *Grandinem. Achmetes* ex *Indorum, Perſarum, Ægyptiorúmq;* ſolutionibus *Onirocriticis*, cap. 191. ὁ χιὼν, ὁ χάλαζα καὶ ὁ πάγος θλίψεις καὶ μεείμνας καὶ βασάνους σημαίνουσι. Sed & adhuc magìs particulatim de *Grandine* magíſq; ad noſtrum propoſitum accommodaté. Ἐὰν ἴδῃ τις χάλαζαν ἐν τόπῳ πεσοῦσαν, ἔφοβον ἀθρόαν ἐλπίζεται. *Si quis ſomniaverit grandinem cecidiſſe in locum, hoſtium expectare par eſt incurſionem denſam ac ſubitaneam.* Et porrò, Εἰ δὲ ἴδῃ ὅτι ὁ χάλαζα ἐλυμήνατο τὴν καλάμην τῶ σίτυ καὶ τῆς κειθῆς, σφαλὰ ἀνάλογοι γενήσονται τῆς κλάσεως ἐν πῷ τόπῳ ὑπὸ πολέμυ. *Quòd ſi ſomniaverit Grandinem læſiſſe culmos ſtipuláſve frumenti atq; hordei, pro eorum fractione ſtrages futuræ ſunt cædéſq; hominum eo in loco per bellum.*

Hora. Vide *Tempus.*

5. *Ignis*, Ignis varium ſymbolum eſt, ſignificátq; *bonum* perinde atq; *malum*, ſed ſemper per modum *Conſumptionis* ſive deſtructionis; quando verò id quod *malum* eſt deſtruit, eſt *bonum.* Ipſe *Spiritus ſanctus* Igni aſſimilatur, quemadmodum Baptiſta teſtatur de Chriſto. *Ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto atq; igni*, tali ſcilicet igni qui paleam exuſturus ſit, hordeum verò conſervaturus, ſicut eo in loco innuitur. Ità *Malach.* 3. *Quis autem ejus adventûs diem ſuſtinebit? aut eo apparente conſiſtet? Erit enim quaſi quidam ignis explorans aut lanaria fullonia, ſedénſq; explorabit ac expurgabit argentum, & expurgabit Levitas ac tam puros reddet quàm eſt aurum aut argentum*, hoc eſt, ſcoriam eorum abſumet. Multa occurrunt exempla hujus ſenſûs *Ignis*, ſed ſupervacaneum eſt ea producere. *Matth.* 3. 11.

Quantùm verò ad *Ignem* in altero ſenſu deſtructivo, ea ſignificatio adhuc magìs

obvia est. Unum locum pro omnibus in medium proferam, Esai 66. 15. *Est enim venturus in Igne* Jehova *similibus turbini quadrigis, ut iram sævitiámque, igneis incandescens flammis, exerat. Nam igne* Jehova *gladióq; suo mortales omnes ulciscetur, erúntq; multi à* Jehova *cæsi.*

Quàm idoneum *Ignis* symbolum sit *Consumptionis* sive *Destructionis Artemidorus* notavit, lib. 2. cap. 8. Ἴδιον δὲ πυρὸς πᾶσαν ὕλην φθείρειν. Et in eodem capite eum significare ait, si satìs magna illius in cœlo videatur copia, πολεμίων ἔφοδον *Hostium incursionem*, adventúmq; eorum ab ea cœli plaga quâ ignis sit visus. Atq; huic consimiliter *Achmetes* secundùm sententiam *Indorum* capite 159. Εἴ τις ἰκάνη ὑπὸ φλογὸς, ἐν πολέμῳ ἐχθρῶν τελευτήσει. Et *Persarum* ac *Ægyptiorum*, cap. 160. Ἐὰν ἴδῃ ὁ βασιλεὺς ὅτι οἱ κίονες τῆ παλατίῳ αὐτῆς ἐφλογίζοντο, βασιλείαν ἄλλε σημαίνει, καὶ ἀπώλειαν τῶν μεγιστάνων ὃς αὐτὸς ἔκτισεν. Et rursus, Ἐὰν ἴδῃ ὁ βασιλεὺς ὅτι ἐφλογίσθησαν αἱ τείχες αὐτῆς, τὸν λαὸν ἐν πολέμῳ ἀπολέσει. Et postremò ait, quòd si currus ipsius visus sit flammis corripi, ταπεινωθήσεσθαι ἡ βασιλεία αὐτῆς. Tam destructivum ubiq; symbolum est *Ignis*, speciatímq; denotat destructionem per bella ac hostilitates, quemadmodum observare licet ex suprà citatis Autoribus.

6. *Ignis de cœlo.* Ignis de cœlo & *Fulmen*, meritò idem æstimari potest, ὅτι ὁ κεραυνὸς ὑδέν ἐστιν ἄλλο ἢ πῦρ, quod *Artemidorus* notavit, lib. 2. cap. 8. Verùm per allusionem ad *Eliam* qui ignem de cœlo descendere fecit in eos quinquagenos qui ab *Achazia* missi erant ad eum apprehendendum, præclari illius miraculi fama efficere potuit ut *devocatio Ignis de Cœlo* in loquutionem abiret *Proverbialem*, ad significationem ingentis alicujus miraculi editi. Hic sensus probus esse potest. Nos verò *Icasmum* hic quærimus.

Ignis igitur *de cœlo*, secundùm *Artemidorum*, significare potest ἀπειλὴν ὑπερεχόντων, *comminationem eorum qui pollent potestate*; idq; aptè admodum, siquidem *Cœlum* dignitatum locus est in Universo *Politico*. Nihil autem tam minax est quàm ille *ignis* vel *fulgur* quod *Tonitru* antecedit. Quid igitur aptiùs ad significandam *Excommunicationem* quàm illud, præsertim si supponatur à nullo inferiori Officiario vibrari sed ab Episcopo aliquo *Oecumenico* Ecclesiæ Catholicæ *Capite*, qui in superioribus hujus *Cœli Politici* Regionibus est collocatus? Quæ analogia etiam adhuc accuratior erit si consideremus quod *Artemidorus* observavit de Tonitruo. οὐ γὰρ ὁ κεραυνὸς ἑνοῖ, ἀλλὰ καὶ τὰ ἡνωμένα χωρίζει. *Fulmen enim non unit, sed unita disjicit.* Quod & *excommunicatio* facit quæ membrum ab Ecclesia dilacerat.

Estq; porrò ulterior Congruentia ut *Excommunicatio* appelletur Fulmen, vel *Ignis de cœlo*, ex eo quòd *Ignis Infernalis* sit *comminatio*, cujus exitii *Sodoma* Typus erat quæ igni combusta est de cœlo, quemadmodum *J. Medus* observavit, & sanè cum judicio. Et quid obsecro novissima Ἐκπύρωσις est nisi *Ignis de cœlo?* Cui perditioni quisquis sibi tantum assumit ut homines adjudicet, meritò dici potest efficere ut *Ignis de cœlo* in ipsos descendat, quod *Fulmen* illud *Excommunicationis* comminatur.

Insulæ. Insulas significare posse *homines honore* & dignitate *excellentes*, ipsarum eminentia elatióve supra Planitiem maris nobis naturaliter insinuat. Verùm aliquando eas significare posse *Templa*, locósq; consecratos, disterminatio ipsarum à reliqua terra, ut sacra hæc Ædificia separantur à reliquis ædificiis, facilè cujusvis Imaginationem inducere potest ut credat. Vide Cl. *Medum* in *Sigillum sextum.*

7. *Lapides pretiosi.* Vide *Gemmæ.*

Locustæ. Quòd Locustæ numerosos significant exercitus hominum Regionem aliquam diripientium ac devastantium manifestum est ex *Joel.* 1. 6. *Nam invadit terram meam potens & innumerabilis Gens, Leoninis dentibus, molares habens quales sunt vetuli Leonis, qui vineas meas vastas efficit ficúsq; decorticando nudas reddit ac pervastat dealbatis earum ramis.* Per *Gentem*, *Judæi* & *Vatablus* cum aliis intelligunt multitudinem *Locustarum.* Is verò solus Typus est; *Persæ*, *Babylonii*, aliæq; Nationes quæ *Judæam* pervastaturæ erant, hoc Typo significantur juxta sententiam *Munsteri* atq; *Clarii. Grotius* etiam interpretatur de copiis *Phul* & *Salmanassaris.* Item capite proximo vers. 2. Illius Diei caligo & nubilositas *Locustarum* nubi imputatur in aëre volitantium, subitáq; earum in terram descensio Auroræ in montes diffusioni comparatur. Et v. 8. Edenis *viridarii similis est ante eas terra, post eas vasta solitudo*, nempe quòd omnes virides herbas devorant, ubicunq; venerint. Hæc est expositio multorum Interpretum *Hebræorum* ut & *Vatabli*, *Castalionis*, *Drusii*, *Liveleii. Munsterus* verò & *Grotius* interpretantur de numerosis copiis *Babyloniorum* & *Assyriorum* qui pervastaturi erant *Judæam.*

Achmetes, cap. 300. secundùm mentem *Indorum*, *Persarum* & *Ægyptiorum*, Καθ' ὅλου ἡ ἀκεὶς ἀπαρχαλλάξιας ὁς πλῆθος ἐχθρῶν κείται. ὅτω γὰρ γένηται, ὅτι θεῖφ κελεύσματι ἐκστρατεύσεται εἰς ἀπώλειαν τῆ τόπου.

Cujus

Cujus Aphoriſmi pars poſterior referenda eſt ad *Indorum Onirocritica*, ut quæ proculdubio alludit ad illud *Joëlis*. Et rurſus, Ἐὰν ἴδῃ τις βασιλεὺς ἢ ἐξουσιαστὴς ὅτι ἐξῆλθον κατὰ τόπου τινὸς ἀκεῖθεν, πλῆθος ἐχθρῶν μετ' ἐξουσίας προσδοκάτω ἐκεῖσε, καὶ ὅσον ἐλυμήναντο αὐταὶ, τοσοῦτον βλάψουσι καὶ αὐτοί. *Si Rex quivis Princépſve Locuſtas viderit exeuntes in locum aliquem, potentem illic expectet inimicorum exercitum, quantúmq; damni Locuſtæ intulerint tantundem daturi ſunt Inimici.*

Luna. Vide *Sol, Luna* & *Stellæ.*

Lucerna, Lux. Vide *Candela.*

8. *Mare.* Aquæ populum ſignificant, quemadmodum Angelus S. *Johannem* edocet. Congregatio populi in unum corpus *Politicum*, Regnúmve vel Imperium aptè appellari poteſt *Mare* in mundo *Politico*, ſiquidem Aquarum congregatio ſic appellatur in mundo *naturali*, Gen. 1. Totáq; Regnorum univerſitas magnáve pars eorum juxta hanc analogiam nuncupari poteſt *Mare magnum* vel *Oceanus*, ſicut figuratur in viſione *Danielis*, cap. 7. *Ego per nocturna viſa mihi viſus ſum videre quatuor cœli ventos in magno mari certantes*, &c. ubi per *ventos* bellum proculdubio intelligitur perinde ac per *mare magnum* multorum Regnorum comprehenſio in quibus hic Turbo Tempeſtáſq; belli ſit orta, uno Regno adversùs alterum pugnante, ut proprii Imperii fines proferant.

Hæc *Maris* ſimilitudo agnoſcitur etiam in Interpretationibus *Indorum*, *Perſarum* & *Ægyptiorum*. *Achmetes*, cap. 178. Ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι ἐδέσποσε τὴν θάλασσαν, κληρονόμος ἔσται τῆς βασιλείας πάσης. *Si quis ſomniaverit ſe dominum factum maris, ex integro Regni fiet Succeſſor.* Et ſimiliter de ventis, ὁ βασιλεὺς ἐὰν ἴδῃ τὴν θάλασσαν σφόδρα ταραττομένην ὑπὸ ἀνέμου γνωείμου, ἐκ τῆς καθοικούσης πρὸς τὸν ἄνεμον ἔθνους ταραχθήσεται. *Si Rex mare viderit vento turbatum à nota Regione, Populo aliquo ab illa Regione infeſtabitur.* Εἰ δὲ ἴδῃ γαληνιῶσαν τὴν θάλασσαν, εὐφρανθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ. *Quòd ſi tranquillum mare (per ſomnum putà) viderit, Regno fruetur cum pace.* Hæc igitur *Maris* Interpretatio *Fluviorum* Interpretationem ultrà confirmabit.

Menſura. Vide *Statera.*

Menſis. Vide *Tempus.*

9. *Meretrix* & *Fornicatio.* Per Fornicationem *Idololatriam* ſignificari infinitis exemplis in veteri Teſtamento probari poteſt. Exod. 34. 15. *Nè ineas pactum cum hominibus illarum Regionum, nè cùm fornicati fuerint cum Diis ſuis*, &c. *Deuteron.* 31. 16. *Ecce tu dormies cum patribus tuis, & populus iſte conſurgens fornicabitur poſt Deos alienos in terra ad quam ingreditur*, &c. Et Ezec. 6. 9. *Fractus fui propter cor eorum fornicans & declinans à me, & propter oculos eorum fornicantes poſt Idola ſua. Idololatriam* igitur *Fornicationi* aſſimilari manifeſtiſſimum eſt.

Et ſanè Ratio hujus *Icaſmi* minimè eſt obſcura, ſiquidem Populus Dei, illius *Sponſa* eſt, prout Deus etiam ſeipſum ejus *Maritum* appellitat. Per quam Figuram innuitur ſummum humanæ Animæ fore gaudium & oblectationem ſi ſtrictâ unione ſe cum Deo ſuo conjungat ſincerámq; ſe præſtet in ejus fœdere, ejúſq; officium eſſe ſic facere, & ſingularem illum Religionis actum devotíq; Amoris qui ipſi debetur, in nullum aliud objectum ullo modo derivare debere, mentíſq; noſtræ oculum in eum ſolum oportere defigi. Hoc officium eſt cujuſq; Animæ rationalis ſive exteriori fœdere cum Deo conjuncta ſit ſive non. Et propterea ipſa Ethnicorum *Idololatria* hac ratione rectè Fornicatio dicitur, utì in primo illo loco Exodi, quem citavi. Verùm poſtquam externo etiam fœdere cum Deo conjuncta ſit, Deúſq; maritus illius tum jure tum de facto evaſerit, Fornicatio tunc ſanè duplo eſt atrocior.

10. Videmus igitur Analogiam *Fornicationem* inter & *Idololatriam*. Nam quemadmodum in *Fornicatione* ſpecialis illa Paſſio propriíq; illius effectus, qui ſoli legitimo marito debentur, derivantur in aliam perſonam; ità in *Idololatria* ſummitas illa ac flos diviniſſimi noſtri Affectûs quæ Religioſa Devotio eſt & Adoratio cum externis ſuis ſignis ſoli Deo debitis, impenduntur exercentúrq; circa aliquam Creaturam, ſive Idola lignea lapideáque, ſive quaſcunq; alias res quæ reverà non ſunt Deus. Hæc fundamentalis Ratio eſt quòd tam crebrò uſurpatur hic *Iconiſmus* in ſacris Scripturis.

Cui paucas alias congruentias inſuper addere poteris, ut provocationem Zeli Dei adversùs eos præſertim qui externum etiam fœdus cum eo inierunt; Pompam ac ſplendorem *Idololatriæ*, *ſuco* reſpondentes *meretricum*, enormíq; ſe ornandi ſtudio, quò Amaſios ſuos illaqueent; *Proclivitatem* porrò ac *propenſionem* labendi in hoc peccatum, cùm perinde naturale ſit corruptæ huic conditioni *Animæ* viſibilia cultûs objecta deperire, atq; *corpori* eſt præceps ferri ad decerpenda illa gaudia quæ ex illecebroſo quoq; objecto ſibi obventura præſagit, niſi ſublimior aliqua Lex utrobiq;

nobis id interdiceret. Quibus ſuperadjicere potes *Inſenſibilitatem Conſcientiæ*, in quam tam proclives ſumus prolabi in utroq; peccato, dum ſecundo quaſi flumine ferimur ad hæc vitia, tantáq; *animali noſtræ naturæ* gratificatio indè obtingit. *Talis eſt via mulieris adulteræ* (utroq; ſenſu) *quæ comedit & tergens os ſuum dicit, Non ſum operata malum.* Et poſtremò, Quemadmodum in muliere quæ artibus uſibúſq; meretriciis aſſueſcit, omnis ille amor honórq; qui ſuo debentur marito, extinguuntur; ità certè dum cultibus Idololatricis irretimur, ſuffocatur prorſus in nobis enecatúrq; Divinus ille ſenſus per quem Deo reverà fruimur, cujúſq; vi noſtrum erga eum officium dignoſcimus, indiſpenſabiléſq; illas obedientiæ partes ſapimus quibus eum verè honorare debemus.

Prov. 30. 20.

Tam profundus ſenſus ac ponderoſus occultatur ſub uno hoc Prophetico *Iconiſmo* Fornicationis. Unde tam ſpeciatim videtur affectari in *Apocalypſi* non ſolùm per modum exprobrationis ob tam fœdum peccatum, ſed propter accuratam *Iconiſmi* ſignificationem, ut qui tam verè plenéq; *Idololatriæ* naturam repræſentat.

11. *Meſſis.* Demeſſio ſegetis quàm aptè hominum interitum ſignificet, ex illa apparitione duodecim virorum conſtare poteſt qui avenam certatim videbantur falcibus deſecare in *Merchia*, ex quo ſtatim Peſtilentia eſt ſubſecuta. Verùm illæ cædes quæ Bello fiunt, multò adhuc aptiùs hoc typo exprimuntur. *Achmetes* ex *Indorum Onirocriticis.* Ἐὰν ἴδῃ ὁ βασιλεὺς χώραν θεριζομένην ἢ θεισθεῖσαν καὶ λογίζεσθαι οἰκείαν εἶναι αὐτὴν, ἀκούσεται ταχέως σφαγὴν τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. *Si Rex ſomniaverit Regionem aliquam, quam propriam eſſe autumat, ſe videre demeſſam, ſubitò auditurus eſt alicunde populi ſui cædem eſſe factam.* Hæc ſimilitudo etiam in Scripturis occurrit. *Jer.* 51. 33. *Filia* Babylonis *quaſi area, tempus trituræ ejus adhuc modicum, & veniet tempus meſſionis ejus.*

Meſſis verò aliquando auſpicatiorem ſenſum habet, ut in illo Servatoris, Johan. 4. 35. *Erigite oculos & rura aſpicite ut jam alba ſint ad meſſem, & meſſor mercedem accipit & ſator fruges congerit ad vitam æternam, ut & ſator ſimul gaudeat & meſſor.*

Mola. Achmetes ex Onirocriticis *Indorum*, cap. 194. Ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι ἔχει μυλῶνα ἀλήθοντα, ἐυρήσει ἀγαθὸν καὶ εὐζωίαν ἐκ τοῦ ἔργου αὐτοῦ ἀναλόγως τοῦ πάχους καὶ τοῦ κάλλους τῶν λίθων, &c. *Si quis ſomniaverit ſe molam habere molentem, res ipſius proſperos habituræ ſunt exitus, victúſq; fruetur affluentiâ, pro craſſitudine ac amplitudine lapidum molarium*, &c. Et cap. 195. ex *Perſarum* & *Ægyptiorum* Interpretationibus, Ἐπὶ παντὸς καθόλου ὁ μυλὼν εἰς ζωὴν καὶ πλοῦτον κείνεται.

12. *Mons.* Mons varias habere poteſt ſignificationes. Ut primò, ſignificare poteſt *Templa* locóſve ſacros *Idololatrarum*, quorum crebra fit mentio in Scriptura ſub nomine *excelſorum* putà *locorum.* Jer. 3. 23. juxta verſionem vulgarem *Latinam: Verè mendaces erant colles & multitudo montium, verè in Domino Deo noſtro ſalus Iſrael.* Quem in locum *Grotius: Colles illi in quibus Idola celebrantur nos deceperunt.* Secundò, *Montes* ſignificant *Civitates.* Eſai. cap. 13. 2. de *Babylone*; *In edito monte tollatur ſignum. Forerius* ex *Chaldæo* Paraphraſte, *ſuper munitionem quæ habitat pacificé.* Vulgaris verſio *Latina* habet, *ſuper montem caliginoſum.* Super quo *Grotius: Id ideo, quia vetus* Babylon *in paluſtribus locis ſita erat unde aſcendens vapor urbem obſcurabat.* Jer. 51. 25. *Ecce ego ad te mons peſtifer, ait Dominus, qui corrumpis univerſam terram, & extendam manum meam ſuper te & evolvam te de petris*, &c. ubi *Munſterus*; *Vocat* Babylonem, inquit, *montem ob ædificiorum molem, cùm urbs ipſa in planitie fuerit ſita*; & ex eadem analogia, Petras interpretatur de præſidiis turrium eminentium. Cui *Vatablus* & *Clarius* expreſſim conſentiunt. Omnes verò montem hunc de Civitate *Babylonis* interpretantur. Et Zachar. 4. 7. *Quis tu mons magne? ante* Zorobabelem *complanaberis. Grotius* interpretatur de *Babylone* à *Cyro* diruta. Tertiò, *Achmetes* juxta ſententiam *Perſarum, Indorum* & *Ægyptiorum* montes interpretatur de viris magnis & opulentis, cap. 144. ubi de Terræ motibus loquens eíſq; rebus quæ ab illis ſubvertuntur, τὸ δ' ὄρος, inquit, ἐφ' ὑψηλὸν, ἄνδρα πλούσιον ἀναλόγως τοῦ ὄρους κείσεται. Et poſtremò videtur intelligi interdum de integro Regno quod magnum evaſerit. Ut Dan. 2. ubi *lapis abſciſſus de monte ſine manibus, ipſe fit mons magnus terrámq; implet univerſam.*

13. *Mors.* Mors eſt corporis atq; animæ diſſolutio ac propterea non niſi ad *naturale Animal* propriè ſpectat. Verùm per analogiam ad *corpora* etiam *Politica* transferri poteſt, quæ ſtylus Propheticus ſub figuris Animalium perſonarúmve ſingularium repræſentat, ſive id fiat per *ſimplicem* appellationem *Viri Fœminæve*, ſive ſuperadditis quibuſdam viri vel fœminæ *notis* vel conditionibus, ut *Meretricis, Sponſæ, Teſtis* vel ſimilium. Jam verò quod *Vita ſpiritúſq;* eſt ad *naturale Animal*, idem

eſt

eſt *Dominium* & *poteſtas* ad figurativas Perſonas vel Animalia ſenſu *Prophetico*, utpote quæ *corpora Politica* ſunt. Ac proinde quemadmodum *naturalis vitæ* jactura unius mors eſt, ità & *analogæ vitæ* perditio mors etiam eſt alterius. Cúmq; ſpiritus ſit in rebus omnibus etiam in eis quæ ſunt inanimatæ, defectus exitúſq; hujus ſpiritûs, per analogiam, earum rerum poteſt dici mors. Exempla ſunt innumerabilia. Hoc tantùm adjiciam, quòd quemadmodum Idiomate *Hebraico non eſſe* idem eſt atq; *mortuum eſſe*, ità per analogiam in re qualibet quæ *non* eſt quod *erat*, in re qualibet utiq; quæ à priori conditione eſt mutata, hæc illius mutatio pro mortis quodam genere haberi poteſt, ut & mors ipſa vulgò *mutatio* appellatur.

Mundus. Vide *Cœlum & Terra.*

14. *Mulier* & *mulieres.* Mulierem, ſchemate Prophetico, non ſignificare unam aliquam fœminam ſingularem ſed corpus politicum, jam ſuprà notavimus. *Etenim vocem audio quaſi parturientis, quaſi cruciatum primò parturientis, vocem filiæ Sionis, Jer.* 4. 31. Verùm hoc ſchema tam frequens eſt ut prorſus ſupervacaneum ſit pluribus exemplis inſiſtere. *Sion* hîc, hoc eſt, illius Incolæ, *Filia* vocatur eo ſenſu quo Puellam nobilem ac delicatulam ſignificat. Eſt verò & alius ſenſus *Filiæ* qui conſpicuus eſt, apud *Ezechielem*, ubi *Jeruſalem* meretricem vocat, cap. 16. v. 35. *Propterea ô meretrix, audi verbum Domini*, &c. declarátque, longiùs in criminatione ſua ſive querela progreſſus, ut *Hieroſolyma* cum ſuis filiabus pejor erat quàm ſuæ ſorores duæ *Sodoma* & *Samaria*, cum ſuis filiabus, quæ tamen v. 45. dicuntur viros ſuos reſpuiſſe, hoc eſt, meretrices fuiſſe & commiſiſſe Idololatriam. *Metropolis* igitur cum minoribus oppidis *Mater* ac *Filiæ* ſunt, & conſequenter mulieres omnes, & ſi Idololatricæ, tales quidem mulieres quæ illos inquinaturæ ſint qui cultu publico cum eis fuerint conjuncti.

Cæterùm alius etiam ſenſus ſupereſt hujus ſymboli *Mulieris*, non *Politicus* quidem ſed magìs *Phyſicus Cabbaliſticúſq;* quatenus vitam, ſenſum, ſapientiámq; *carnis* ſignificat. Hæc *mulier* eſt à qua ſummoperè nobis cavendum eſt nè cum ea coinquinemur, nimio ſcilicet affectu ejus ſuggeſtiones amplectendo, nimíſve intimè cum ea compatiendo, ſapiendóve eas voluptates quibus nos illaqueare velit animúmq; noſtrum ac voluntatem quàm arctiſſimè ſibi hoc pacto conſtringere. Neq; enim ſola *Idololatria* ſed & alia omnia enormia vitia in nobis oriuntur ex eo quòd falſis conſiliis hujus *Evæ* domeſticæ auſcultemus.

15. *Navis.* Quòd *Navis* perinde ac *Mola* Hieroglyphicum eſſe poſſit *lucri*, quivis facilè intelligere poteſt modò *Mercaturam* conſideret. *Achmetes* ſecundùm mentem *Ægyptiorum* & *Perſarum*, cap. 180. Ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι λίζει πλοῖα, πλάτυ περσθήκην ἀνάλογον τῶν πλοίων ἕξει. *Si quis ſomniaverit ſe naves ædificare, opulentus evadet pro ratione numeri navigiorum quæ ædificaverit.* Verùm antecedenti capite, juxta doctrinam *Indorum* Interpretum. Ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι ἐτεκλόνει πλοῖον ἐμπορευλικὸν, συναγωγὴν ἀνθρώπων διὰ μυσήεια ποιήσει. Quæ profectò Interpretatio eſt ab extremis uſq; *Indis* petita. Nec facilè ſanè conjicere poſſumus cur *Navis* ſignificet cœtum hominum, religioſorum quorundam myſteriorum celebrandorum gratiâ congregatum, niſi Navigium concipiamus Templum repræſentare. Quod cur faciamus equidem neſcio, niſi quòd Naves ædificia ſunt diſterminata ac ſolitaria ad inſtar *Templorum*, non ſibi invicem conjuncta, non ſanè magìs quàm *Templa* aliis *ædificiis*. Quòd verò πλοῖον ἐμπορευλικὸν dicitur, *Navis mercatoria*; ad *lucrum* Sacerdotis fortean è ſacrificiis & oblationibus Idolis factis proveniens, ea in re alluditur. An verò obſcuriores aliqui receſſus in Nave repræſentare poſſint *Adyta* in Templis, neſcio. Hujuſmodi particularia perſequenda per otium disquirendáq; cujuſq; Imaginationi relinquo.

Nota. Vide *Character.*

16. *Nubes Cœli.* Phraſi ſcripturali videntur ſignificare gloriam magnam ac poteſtatem. *Achmetes*, cap. 194. Ἐὰν ἴδῃ ὁ βασιλεὺς ὅτι κάθηλαι ἐν νεφέλαις ἀγόμενος ὕδατα δίδει, ἐχθρῶν δεσπόσει καὶ ἐυρήσει νίκας καὶ χαρὰς ἀπερσδοκήτους, ſecundùm mentem *Perſarum* & *Ægyptiorum.* Et cap. 162. ſecundùm *Ægyptios*, *Perſas*, & *Indos.* Εἰ δὲ ἴδῃ ὁ βασιλεὺς ὅτι ἀνήλαλο ὡς τὸν ἠέρα ἔνθα οἱ ἀςέρες, ἐυρήσει ὕψος καὶ ὄνομα πλέον τῶν ἄλλων βασιλέων. Et rurſus in eodem capite. Ἐὰν ἴδῃ ὅτι ἀνελθὼν ἐκάθισεν ἐν ἠέρι, μείζονα χώρην ἢ ἔχει καλαινεισήσει. Quorum omnium ſenſus hic eſt, Quòd *Inequitatio nubibus Aſcenſióq; in cœlum, honorem ac proſperitatem, ſucceſſúmq; adversùs inimicos & poteſtatis dignitatiſq; amplificationem ſignificat.*

Nuditas, intelligitur aut ſpiritualiter, ut Apoc. 3. 18. nempe Divinis gratiis nos eſſe deſtitutos, aut ſenſu magìs vulgari, afflictionem, paupertatem & ignominiam ſignificat. *Achmetes* ἐκ τῶν Ἰνδῶν περὶ γυμνώσεως. Ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι ἐγυμνώθη ἀθρόως ἐν πλήρ τινι, καὶ ὅτι ἐφάνησαν τὰ κρυπτὰ αὐτῦ ἐνώπιον λαῦ, φανερωθήσεται καὶ θλιβήσεται μεγάλως. Vide etiam cap. 117. ubi occurrunt quæ eódem faciunt.

17. *Occiſi.*

17. *Occiſi.* Vide *Reſurrectio* & *Mors.*

Oculus. Lux corporis, inquit Servator, *Oculus eſt.* Et *Ariſtoteles*, ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, νῦς ἐν ψυχῇ, *Oculum* utiq; *Animæ, mentem eſſe ſive Intellectum.* Adeò ut manifeſtum ſit oculum eſſe *Iconiſmum ſcientiæ*, ut *Tenebræ cæcitáſq;* ſunt *Ignorantiæ.* Quæ locutio eſt quæ crebrò occurrit in Scripturis. *Top. lib. 1. cap. 14.*

Eſt autem peculiaris aptitudo in oculo ad ſignificandam *humanam ſapientiam* proſpectionémve *Politicam*; ſiquidem illud corporis organum non ſolùm in *Capite* ſitum eſt, ſed & præcipuus illius dux eſt totiúſq; corporis, ut qui longiùs multò pertingere poteſt celeriúſq; procurrere quàm quivis alius ſenſus. Quamobrem proſpiciendi quidem in longitudinem, hoc eſt, ſapienter maturéq; conſulendi de rebus rectè adminiſtrandis, adinveniendíq; tales rationes quæ ad ſummæ rerum ſecuritatem maximè facturæ ſint & ad promovenda Reipublicæ commoda, *Oculus* profectò hujus peritiæ *ſymbolum* eſt ſignificantiſſimum. Quod & *Ægyptii* videntur innuiſſe in noto illo *Hieroglyphico, ſceptro* ſcilicet *cum oculo in ipſius ſummitate poſito*; ubi palàm eſt oculum ſignificare ſapientiam illam *Politicam* proſpectionémq; ac conſilium quæ neceſſaria ſunt ad Rempublicam rectè adminiſtrandam in maximam illius ſecuritatem atq; amplificationem. *Oculos* verò Divinæ etiam Providentiæ adminiſtrationem ſignificare videtur innui Zachar. 4. 10. cui tamen hic non eſt inſiſtendi locus.

CAP. VIII.

1. Paradiſus. Pardus. Parturientis dolor. 2. Philtrum, οἶνον θυμῦ, *virus eſſe amatorium.* 3. *Verba* Magica *adhiberi ſolere in miſcendis* Philtris. 4. Piſcatura. Piſces *in mari* mortui. 5. Pluvia. 6. Ranæ. 7. Reſurrectio. Interfici *vel* occidi *ſignificare etiam* Politicé. 8. Rex & Regnum. Rubrum. 9. Sancti. 10. Sanguis. Scorpius. 11. Sepultura. Serpens. 12. Sol, Luna & Stellæ; *ſpiritualis ſignificatio* Solis & Lunæ. 13. *Secularis eorum ſignificatio in genere.* 14. *Significatio eorum magìs particularis eo in ſenſu.* 15. *Quonam ſenſu Rex* Babylonis *vocetur* הילל *ſive* Lucifer, *Occidentaliſq;* Cæſareatus Stella, *in* Apocalypſi. 16. Stellarum *ſignificatio magis* myſtica; *quidq;* ἀσὴς πεπλωκὼς ſignificet. Sole aduſti. Statera.

1. PAradiſus. *Achmetes*, cap. 8. juxta *Indorum* Interpretum ſententiam; *Si quis ſomniaverit ſe Paradiſum intrâſſe, eum ſalvatum iri ſignificat.* Ἀλλὰ καὶ πλοῦτου κοσμικοῦ τοῦτο ἐπίλυσιν σημαίνει. *Verùm ſignificat etiam divitias mundanámq; proſperitatem.* Et ſtatim pòſt de fructibus *Paradiſi:* Ἐὰν δὲ ἴδῃ τις, inquit, ὅτι ἔφαγεν ἐκ τῶν καρπῶν τῶν δένδρων, αὐτὸς ἐυρήσει ἐν τῇ πίσει αὐτῆ σοφίαν καὶ γνῶσιν, διότι οἱ καρποὶ τῆ παραδείσου λόγοι θεῖοι καὶ ἀγαθοὶ τυγχάνουσι. *Si quis ſomniaverit ſe ediſſe è fructibus arborum, inventurus eſt cum* Fide *ſua* Sapientiam & Cognitionem, *quippe Paradiſi fructus Notiones ſunt divinæ atq; utiles.*

Pardus. Achmetes cap. 272. ὁ πάρδος εἰς ἐχθρὸν ἀδιάλλακτον κείνται. *Pardus ſignificat Inimicum irreconciliabilem.* Et in eodem Paragrapho; Si quis Dux belli ſomniaverit ſe pugnare cum hoc Animale, ἐυρήσει πόλεμον μετ' ἐχθρῆ δυνατῆ καὶ δολίᾳ καὶ ἀποφόβῳ· *Cum hoſte potente, fraudulento, & formidoloſo bellum eſt geſturus.*

Parturientis dolor. Vide *Dolor parturientis.*

2. *Philtrum.* Philtrum eſt Potio amatoria, Virus amatorium, Compoſitio ad amorem extorquendum ab eo qui eam biberit. J. *Medus* illud Apocal. 14. 8. *Vinum* ſcilicet *iræ ſcortationis ſuæ* (quod in Textu *Græco* eſt ἐκ τῆ οἴνου τῆ θυμῆ τῆς πορνείας αὐτῆς) *Philtri* facit periphraſin. Quod igitur ſic reddit, *ex vino veneficii ſcortationis ſuæ.* Quemadmodum enim vox *Hebraica* חמה ſignificat & *iram* & *venenum*, ità vox *Græca* θυμὸς eadem ſignificat; ſicut planiſſimè conſtat ex uno illo loco Deuteron. 32. 33. *Venenum draconum vinum eorum & venenum aſpidum crudele.* Quod *Septuaginta* reddunt, θυμὸς δρακόντων ὁ οἶνος αὐτῶν καὶ θυμὸς ἀσπίδων ἀνίατος. Sunt & alia multa loca Scripturæ quæ eódem ſpectant. Vide *Grotium* in locum. Quamobrem ὁ οἶνος τῆ θυμῆ idem eſt quod vinum venenatum, tali utiq; ſenſu quo *virus* eſſe poſſit *amatorium.* Quam enim aliam Potionem par eſt in manu eſſe meretricis, talis præſertim quæ dicitur ἐν τῇ φαρμακείᾳ αὐτῆς, per veneficium ſuum ac incantationem Nationes terræ ſeduxiſſe, hoc eſt, per poculum ſuum incantatum, ἐν τῷ οἴνῳ τῆ φαρμάκου τῆς πορνείας αὐτῆς; Nam φάρμακον ſignificat venenum perinde ac θυμὸς.

3. Ritus

3. Ritus verò Magicos ac Incantamenta in miſcendis his Potionibus amatoriis adhibita fuiſſe in Poëtarum ſcriptis paſſim famigeratur, ut apud *Juvenalem*, Satyr. 6.

Hippomanes carménq; loquar coctúmq; venenum.

Et prope finem illius Satyræ,

Hic magicos affert cantus, hic Theſſala vendit
Philtra———

Quæ planè innuunt *Philtra* fieri per *Incantationem* & *veneficium*. Et *Virgilius* ſanè de ſuperſtitioſa collectione *Hippomanis*, potentis, ut creditur, in hujuſmodi effectis eliciendis, idem notat, Georgic. 3.

Hippomanes quod ſæpe malæ legêre Novercæ,
Miſcuerúntq; herbas & non innoxia verba.

Et poſtremò *Ovidius* lib. 2. de Arte amandi.

Non facient ut vivat amor Medeides *herbæ,*
Miſtáq; cum Magicis Marſa *venena ſonis.*

Quæ omnia loca cum multis aliis abunde nos erudiunt de natura *Philtri*, eam *Potionem* ſcilicet eſſe *Magicam*, & per certos quoſdam ritus, legéſq; *Incantationis* ac *veneficii*, qualiacunque, quæ vocantur, *Ingredientia* fuerint, ſuperſtitiosè mixtam; ac proinde τὸν οἶνον τῆ θυμῆ, *vinum veneficii Philtrúmve* redditum, quod eſt *virus amatorium*, optimè conſentire cum φαρμακείᾳ cum *veneficio* meretricis (Apoc. 18.23.) memorato; cujus cùm accuſata ſit, nec ulla illius improbitatis indicia præter poculum quod manu tenet, in ea appareant, maximè omnium veriſimile eſt illic quidem reperiri.

4. *Piſcatura. Artemidor.* lib. 2. cap. 14. λαμβάνειν ἰχθύας ὅμα πολλὰς καὶ μεγάλας ἀγαθὸν καὶ κέρδος φέρειν πᾶσιν. *Somniare de piſcium captura multorum magnorúmq; bonum eſt, lucrúmq; portendit omnibus qui ità ſomniaverint. Achmetes* cap. 178. Ἐὰν ἴδῃ ὅτι ἠγκίστρευσεν ἰχθύας ἐν τῇ θαλάσῃ δελέασιν, εὑρήσει πλοῦτον, &c. *Si quis ſomniaverit ſe piſces ineſcatos cepiſſe in mari, divitias inventurus eſt*, &c.

Piſces in *mari mortui*, *Artemidor.* lib. 2. cap. 18. Ἰχθῦς νεκροὺς ἐν θαλάσῃ ὁρᾶν δοκεῖν ἢ εὑρεῖν, οὐκ ἀγαθόν· μαλαίας γὰρ ἐλπίδας σημαίνουσι, καὶ τὰ προσδοκώμενα οὐκ ἐῶσι τελεσθῆναι. *Si piſces mortuos in mari videaris ſomniare non eſt bonum: ſignificat enim ſpes noſtras irritas fore, nec quæ expectamus unquam eventura.*

5. *Pluvia.* Pluvia ſignificare poteſt puræ cœleſtíſq; doctrinæ refectionem. Ut in *Deuteronomio* cap. 32. 2. *Deſtillabit in modum pluviæ doctrina mea, ſluet ut ros oratio mea, ut imber in ſtirpes, ut minuta pluvia in herbas.* Item Pacem & Juſtitiam per ſupremam Poteſtatem, Pſalm. 72. 6. Regnum Chriſti eo modo deſcribitur. *Erit quaſi deſcendens in detonſa prata pluvia, ut terram irrorans imber. Florebunt ejus tempore boni, multáq; pax donec deſinet eſſe Luna.* Similiter *Hoſeæ* cap. 10. v. 12. mentio fit de Domino adventuro depluturóq; Juſtitiam. *Achmetes* ex ſolutionibus *Indorum*, cap. 171. ἡ βροχὴ εἰς αἴτήσεως ἐκπλήρωσιν καὶ εἰς ὕλεον διακένισιν. *Pluvia in petitionis impletionem divinámq; miſericordiam ſolvitur.* Et proinde ait, *Si quis ſomniaverit agrum ſuum pluviâ irrigari,* εὑρήσει πλοῦτον καὶ χαρὰν καὶ ἔλεον ἀπὸ θεοῦ, *divitias, gaudium & miſericordiam à Deo inventurus eſt.* Et paulò pòſt, τὴν βροχὴν καθαρὰν interpretatur τὴν κοινὴν εὐεργεσίαν. Quò ſpectat etiam illud *Pſalmiſtæ*, Pſalm. 68. 9. *Tu pluviâ magnificè tuum, ô Deus, patrimonium conſpergebas, feſſúmq; recreabas.*

6. *Ranæ.* Rana *Hieroglyphicum* eſt imperfectionis, inquit *Pierius*, ex doctrina Sacerdotum *Ægyptiorum*; exiſtimátq; obſervationem ſemiperfectæ generationis hujus Animalis è limo *Nili* quem is inundans in terram ejicit, huic Hieroglyphico occaſionem dediſſe. Quippe poſt hanc inundationem Fluvii, Animal hoc ſemi-formatum cernitur, partim *Rana* partímq; *Lutum*; quod & *Horus Apollo* expreſſim affirmat: Ἐὰν ὅτε ὁρᾶται τὰ ἑτέρῳ μέρει αὐτῆς βαλβόχῳ, τὰ δὲ λοιπῷ γεώδει τινὶ ἡμφιεσμένα. *Hierog'yph. lib 29.* *Lib. 1 Hieroglyph 25.*

Cæterùm ex eo quòd è cœno limóq; gignitur, equidem idoneum eam ego ſymbolum exiſtimo ad ſignificandam illam ſapientiam quæ ſupernè non eſt, ſed ἐπίγειος, ψυχικὴ καὶ δαιμονιώδης, *terrena, animalis* ſive *ſenſualis* & dæmoniaca, *zelo amaro comitata & irritatione in corde*, utì Apoſtolus eo in loco innuit, *ſapientiæq; quæ ſupernè proficiſcatur,*

ficiſcatur, prorſus contraria, quippe quæ primò *pura eſt* nullis mundanis concupiſcentiis inquinata, *dein pacifica*, nullas conflans diſſenſiones, non verbis ſcatens & altercationibus rixíſque, importunarum ſimilibus aſperarúmq; ac diſſonarum coaxationum Ranarum (ità *Græcè* dictarum ab illo ingrato ſtrepitu, ac ſi βάτραχοι idem eſſet atq; βοαλεγχεῖς, παρὰ τῆς τραχύτητ& τῆς βοῆς, à *canora aſperitate ſtrepitûs* quem edunt) multóq; minùs ad bellum proclivis ſanguiníſq; effuſionem aut ad inſtigandos Reges Principéſq; ad eandem. Cujus flagitioſi ſtudii rauca aſperáq; horum animalium coaxatio aptiſſimum poteſt eſſe ſymbolum, tantóq; magìs, ſi iſti ad Bellum Buccinatores, homines ſupponantur tales, qui perinde molles ſint & imbelles ac nuda hæc & limoſa animalia, non magìs idonei ad pugnam quàm illa, ſed tantùm qui buccinatores ſint & inſtigatores ad bellum & confuſionem, ídq, proprii lucri causâ, quippe qui fervidis illis declamationibus & vociferationibus ſui ipſorum gratiâ utuntur, quemadmodum ſtrepitus quem Rana edit linguâ fit introrſum versùs gulam ſuam conversâ. Unde hoc Animal videtur miſerorum horum homuncionum viva admodum Imago. *Artemidor.* lib. 2. cap. 15. βάτραχοι δ' ἀνδρας γοήτας καὶ βωμολόχους σημαίνουσιν· *Ranæ homines impoſtores & ſcurras ſignificant.* Quod certè non multùm abludit ab ampliori hac noſtra deſcriptione ipſorum.

7. *Reſurrectio.* Reſurrectionem mortuorum ſenſum *Politicum* habere æquè ac *Theologicum Phyſicúmq;* manifeſtò conſtat ex *Ezechiele* cap. 37. 9. *Atq; ille mihi, Vaticinare ad Spiritum, inquit, vaticinare homo, & dic ſpiritui, ſic dicit Dominus Jehova, A quatuor Regionibus veni ô ſpiritus & hos interfectos affla, ut reviviſcant. Itaq; vaticinatus ſum, ſicut eram juſſus, atq; in illa venit ſpiritus revixeruntq; & in pedes ſuos conſtiterunt, exercitus ſanè maximus.* Hoc intelligendum eſſe ſenſu quidem *Politico* de reſtitutione populi *Iſraëlitici* è ſervitute & captivitate in terram propriam, manifeſtum eſt ex ipſius Dei ore in verſibus ſubſequentibus. *Et ille mihi, Homo, inquit, hæc oſſa ſunt totum genus* Iſraëlitarum *qui ſanè dicunt aruiſſe oſſa ſua, ſpem ſuam periiſſe, ſéq; exciſos eſſe. Quamobrem vaticinare & eis dicito, ſic dicit Dominus* Jehova, *Ego aperiam ſepulchra veſtra, & vos meos ex ſepulchris veſtris extractos in terram Iſraëliticam introducam*, &c.

Unde palàm eſt, *excidi, interfici* & è *mortuis ſuſcitari*, ſenſum, quod dixi, *Politicum* habere æquè ac *Naturalem* vel *Theologicum*, *Reſurrectionémq;* Recuperationem eſſe ejuſmodi Jurum ac Immunitatum quæ nobis ereptæ ſint, & liberationem à perſecutione, afflictione & ſervitute. *Achmetes* cap. 5. ſecundùm doctrinam *Indorum*; Ἐάν τις ἐν ὀνείρῳ θεάσηται ἀνάστασιν νεκρῶν, ἐν ᾧ τόπῳ θεωρήσῃ τις, ἐκεῖ δικαιοσύνη πεπραχθήσεται. Et cap. 6. ſecundùm doctrinam *Onirocriticorum Perſarum*, Ἐάν τις ἴδῃ καθ' ὕπνους νεκρῶν ἐγερσιν, ἐν ᾧ τόπῳ ἡ ὄψις, ἐκεῖ δεσμῶν λύτρωσις καὶ θλίψεων ἀπολύτρωσις ἔσαι. Et poſtremò ſecundùm *Ægyptios*, cap. 7. Ἐάν τις ἴδῃ καθ' ὕπνους νεκρῶν ἔγερσιν, δεσμίων ἐλευθερίαν καὶ πολέμων παῦσιν σημαίνει. Quorum omnium ſimul ſumptorum ſenſus eſt, Quòd *Viſa* per ſomnum de *mortuorum reſurrectione*, Juſtitiæ adminiſtrationem, & liberationem à bello, ſervitute & afflictione ſignificant.

8. *Rex* & *Regnum.* Si Rex conſideretur tanquam unum aliquod diſtinctum genus ſummæ Poteſtatis, quando pro ſupremo Gubernatore ponitur, aut *Icaſmus* eſſe poteſt, (Nam ſupremus quiſq; gubernator ſe habet ad ſuum corpus Politicum ut Rex ad ſuum) aut certè *Dioriſmus*, qui Prophetica quædam *Synecdoche* eſt, utì dixi, ſpeciémq; ponit pro genere. Verùm ſi ità ſe res habeat, quemadmodum Cl. *Medus* abundè probavit (in diſſertatiuncula ſua, *Quòd Regnum Romanum eſt quartum Regnum* Danielis) quòd *Rex* utiq; & *Regnum Hebraico* idiomate æquè amplum ſignificationis uſum habet ac *ſumma Poteſtas illúdq; corpus quod ei ſubjicitur* ſive *Regnum* ſit ſive *Reſpublica*, tum certè vocem *Rex* pro qualibet ſumma Poteſtate promiſcuè uſurpare (ut βασιλεὺς appellatur Apoc. 17.) *Helleniſmus* tantùm eſt, & Interpretatio ſeptem inibi capitum per ſeptem Reges ſolutionem requirit nec in *Dioriſmum* nec *Icaſmum*, ſed tantùm in *Henopœiam*, quantùm ſcilicet ad ea capita, quæ ſupponuntur tales eſſe ſummæ Poteſtates quæ penès multos ſint.

Quódq; porrò dicuntur *ſeptem Reges* non *ſeptem genera* Regum, ea certè non eſt inuſitata loquendi formula. Dicimus enim, *Quatuor morales virtutes, Quinq; ſenſus, Tria Principia Phyſica, Quatuor Paſſiones*, & ſic de reliquis. Ità quatuor *Beſtiæ* apud *Danielem* quæ dicuntur aſcendere ex mari, ſunt quatuor *genera* Beſtiarum, non *Individua* ejuſdem generis. Et *duo Teſtes* in *Apocalypſi* ſunt duo *genera* Teſtium, quemadmodum & *Grotius* ipſe agnoſcit.

Cæterùm, niſi eſſet quòd uſus hanc loquendi formulam nobis familiarem reddiderit, ſeptem certè genera Regum ſeptem Reges appellare *Dioriſmus* eſſet, quippe quòd ſermo magìs reſtrictus eſt & determinatus. Nam *Individuum* magìs determinatum

natum eſt quàm *Species*, & *Species* quàm *Genus*. Tam parùm in eo difficultatis eſt, quòd ſeptem *genera* ſupremorum Gubernatorum *ſeptem Reges* appellantur, quemadmodum fit in hoc loco *Apocalypſeos*, cap. 17. 10.

Rubrum. Quòd Rubrum Rufúmve ſymbolum ſit ſanguinolentæ crudelitatis barbaræq; perſecutionis, intellectu adeò obvium eſt ut minimum operæ pretium videatur notâſſe. Quiſq; agnoſcit, quòd δράκων μέγας πυρρὸς. Apoc. 12. *draco ille magnus ruſus* cum *ſeptem Capitibus* ità appellatur propter ſuam ſanguinolentiam ſive crudelitatem. Quòd verò ſeptimum ejus caput è *ruſo* enaſcens *corpore* ſignificat Beſtiam hanc crudelem fore etiam ſub *ſeptimo capite*, ipſámq; hanc crudelitatem partem eſſe *Imaginis Beſtiæ*, nemo, quod ſciam, hactenus obſervavit.

9. *Sancti.* Prima *Sanctorum* Appellatio ad *Iſraëlitas* pertinet qui populus erant *ſeparatus*, diviſúſq; à reliquis Nationibus Dominóq; ſanctificatus, adhærendo legi quam ipſis dederat, nec contaminando ſeipſos *Idololâtricis* Inſtitutis Gentium, Deuteron. 33. 2. *Dominus de* Sinai *venit & de* Sier *ortus eſt nobis*; *apparuit de monte* Pharan *& cum eo ſanctorum millia.* Hoc eſt, inquit *Vatablus*, *cum populo* Iſrael, *quorum fuerunt quidem multa millia, licèt non ſinguli ſancti, tamen ſancta fuerunt millia quòd Deus illos ſanctificâſſet & in populum ſuum illos ſibi ſegregâſſet.* Et porrò in ſubſequenti verſu, *Dilexit populos, omnes ſancti in manu ejus ſunt.* Quod planè dicitur de *Iſraëlitis* ſecundùm eum ſenſum in *Exodo*, cap. 19. v. 5, 6. ubi vocantur *Dei peculium ab omnibus populis ſeparatum, Regnúmq; Sacerdotum & Gens ſancta.* Atq; ſic eſſe quidem dicuntur ſi dicto audientes Deo ſint, fœdúſq; illius conſervent.

Unde facile intellectu eſt eos Chriſtianos in hunc Titulum ſuccedere qui purè Evangelici ſunt, nec contaminant ſeipſos ullis *Idololatricis* ritibus vel conſuetudinibus contra mandatum fœdúſq; Dei; eos ſcilicet *ſanctos* eſſe peculiari hoc ſenſu ac ſeparato quòd ſe cum ritibus Gentium non miſcent, ſed præcepta unici illius Magiſtri *Jeſu Chriſti* ſtrictè obſervant, Quod ſi ſincerè conſtantérq; faciunt (& certè de ſinceritate ipſorum minimum ſubeſſe poteſt dubium, cùm vitam ſuam pro veritate profundere ipſi minimè dubitaverint) quamvis ſanè haud uſquequaq; ſapientes ſint, quantùm ad rationes *mundanas*, aut prudentes & plauſibiles, nec humanæ infirmitatis labeculis omni ex parte immunes, ſunt tamen proculdubio *ſancti illi* quorum tam crebrò in *Apocalypſi* occurrit mentio, verúſq; *Iſrael* Dei, quibuſcunq; ſub aſperitatibus duriſq; Fortunæ conditionibus perſonarum ipſorum dignitas obveletur. Teſtes enim amiciendi erant faccis per mille ducentos ſexaginta annos.

10. *Sanguis.* Sanguinem Cædis eſſe *Hieroglyphicum* ipſa Providentia videtur ſupponere præmittendo ſubinde prodigium pluviæ ſanguineæ ante eruptiones Bellorum atq; Cædium, ut Hiſtoriæ referunt omnéſq; homines naturaliter interpretantur. Atq; ubi Apoſtolus ait, *Nondum ad ſanguinem uſq; reſtitiſtis*, ſenſus eſt ad mortem uſque, ſive *myſticè* ſive *naturaliter* intelligatur. Sed enim etiam illîc ubi mors *myſticè* intelligitur, mentio fit etiam ſanguinis. Ut quando Prophetæ præcipitur ut denunciet contra eum qui in legem Dei contumaci animo peccaverit quòd certò ſit moriturus, de morte æterna loquens; tamen ſi hanc comminationem omiſerit Propheta, *ſanguis* de illius manu dicitur requirendus. Et cap. 14. 19. etiam *mors naturalis*, ubi nulla eſt ſanguinis effuſio, ità deſcribitur. *Si autem & peſtilentiam immiſero ſuper terram illam & effudero indignationem meam in ſanguine ut auferam ex ea hominem & jumentum.* In quem locum *Grotius* rectè ex *Chaldæo Paraphraſte*, *Omne mortis immaturæ genus ſanguis Hebræis. Sanguis* igitur *mortem* ſignificat, & *ſanguineum*, mortuum. Quoniam, prout ſcriptum eſt, *in ſanguine vita eſt.* Atq; huic quidem conſonanter *Achmetes* juxta ſententiam *Ægyptiorum* & *Perſarum.* Τὸ αἷμα σύνταξις τῆς ἀνθρώπου ψυχῆς ἐστιν. Ubi effuſionem igitur illius ſanguinis oportet eſſe mortem. Et per analogiam, cujuſvis rei virium abolitio illiúſve potentiæ virtutíſve, quâ eſt quod eſt, illius rei *mors* eſt, ſive res animata ſit ſive inanimata.

Hebr. 12. 4.

Ezek. 33. 8.

Scorpius. Vide *Serpens.*

11. *Sepultura.* Ubi cadaver inſepultum jacet, duplicem habere poteſt ſignificationem, aut mortis magìs ignominioſæ aut ſpei Reſuſcitationis ad vitam. Juxta primum ſenſum illud dicitur apud *Eccleſiaſten. Siquis vel centum liberos gignat & per multos annos vitam ætatis ſuæ proroget, & idem non modò appetitum ſuum bonis non exaturet, verùm etiam ſepulturâ careat, dico hunc deteriore conditione eſſe quàm abortum.* Aliàs, *non ſepeliri*, ſignificare poteſt ſolummodò illud quod viſio portendit ex omni parte non perfectum iri, ſiquidem ſepultura omnium finis eſt ac conſummatio, etiam ipſius mortis. Unde *Leonas Syrus* cum ſomniâſſet ſe *mortuum* eſſe *non* autem *ſepultum*, *Artemidorus* interpretatur de iſthoc eventu, quòd ſcilicet *victoriam* adeptus

Cap. 6. 3.

Artemid. lib. 4. c. 84.

adeptus esset *non* autem *coronatus*. *Menander* verò *Smyrnensis* cùm somniâsset se etiam sepultum esse, Ludis *Olympicis* victor coronatus est. Quamobrem *non sepeliri*, in visionibus quæ bonum portendunt, malum est, in iis verò quæ malum portendunt, bonum. Et *Achmetes* expressim juxta sententiam *Indorum* Interpretum, ὁ σῆμαις ἐνλαφίων εἰς ἐλπίδα σωτηρίας κεῖται. *Si quid desit quò minùs defunctus sepeliatur, spem significat reviviscendi.*

Serpens. Forma illa infamis serpentina quæ *Adamum* decepit atq; *Evam* eósq; conjecit in rebellionem adversùs Deum, non potest quin cuivis fidem faciat verisimillimum esse, omne genus *Serpentinum* in Scriptura à Prophetis descriptum ad regnum referendum esse *Diaboli*. Vide *Draco*.

12. *Sol, Luna, & Stellæ*. *Sol* & *Luna* aut *spiritualem* habent significationem aut *secularem*. *Spiritualis* significationis *Solis* illud exemplum est ubi Christus appellatur *Sol justitiæ*; utì fit apud Prophetam *Malachiam*. Apostolus etiam ad *Ephesios*;
Cap. 5. 14. *Expergiscere qui dormis & surge ex mortuis, & Christus tibi affulgebit*. *Luna* etiam habere potest significationem *spiritualem*, si eam supponamus *Mosaicæ* Oeconomiæ *symbolum*. Quod certè meritò esse potest, tum quòd *Lux* sit, multóq; *obscurior Lux* quàm Lux *Evangelii*, tum etiam quòd admodum scitè sic alludi potest ad *Novilunia* aliáq; *Judæorum* festa quorum ordo omninò ab isthoc Planeta dependebat. Vide *J. Medum* in Apoc. 12.

Quibus addere potes, Quòd quemadmodum Lex *Mosaica* comparatur *Lunæ*, ità *Lux Evangelii* Christi *Soli* comparari potest. *Verbum enim Dei Luci* comparari manifestum est ex illo *Davidis*; *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*, magnáq; illa Universi Lampas *Sol* lumen clarissimum est in quo homines possunt ambulare. Unde vulgaris illa locutio, *Apricitas* scilicet *Evangelii*, laudabili profectò Analogiâ formata est ultráq; nobis confirmat lucem Evangelii unam esse posse ex significationibus *spiritualibus* Solis.
Psal. 119. 105.

13. *Secularis* significatio *Solis* atq; *Lunæ* est quando significant Potentiam Gloriámq; *mundanam*. Idq; aliquando in genere sensûve lato sumpto, ut Jerem. 15. v. 9. *Occidit ei Sol cùm adhuc esset Dies*. Quod *Targum* reddit, *Gloria ipsorum ab eis transiit etiam dum in vivis erant*. Huic consimile est illud Amos. 8. 9. *Faciam ut occidat in meridie Sol, terrámq; clarâ die tenebris obducam*. *Vatabl*. Cùm eritis *in supremo felicitatis gradu, tunc indè vos dejiciam & infelicissimos reddam*. Rursus *Esai*. 60. 20. *Non occumbet ampliùs Sol tuus tuáve Luna occidet*, hoc est, Non-interruptam habebis gloriam ac prosperitatem, quemadmodum immediatè sequitur. *Nam* Jehova *tibi luxerit æterna, finitâ tui luctûs die*. In hujusmodi locis *Sol* & *Luna* sensum quidem non habent determinatum ad ullam particularem in Regno quovis Dignitatem, sed gloriam illius ac felicitatem tantùm in genere significant.

14. In aliis verò locis sensus particularior esse potest horum *Luminarium*. Etenim, quemadmodum *Politicum* Universùm est æquè ac *Naturale* (sicut jam ostendi) quod *cælum* suum habet perinde atq; *terram*; ità oportet esse aliquid in cœlo hoc *Politico* quod Principalibus maximéq; conspicuis *Naturalis* cœli partibus, *Soli, Lunæ, Stelliſq;* respondeat. Unde consequitur quòd is qui Princeps est in mundo hoc *Politico*, illius sit *Sol*. Sicut constare potest ex exemplo quantumvis ignobiliori, de corpore scilicet *Oeconomico*, Gen. 37. 9. ex Insomnio nimirum *Josephi* qui *Solem* utiq; *Lunámq;* & duodecim *Stellas* eum adorâsse somniavit. Quod *Jacobus* interpretans, *Quorsum spectat illud somnium*, inquit, *fili mi, An ego & mater tua atq; fratres te summisè veneratum veniemus*? Quamobrem si hæc symbola tam distinctè significant in Familia, quod tantùm *Oeconomicum* corpus est, multò magìs credendum est ea ità significare in corpore *Politico*.

Achmetes secundùm mentem *Indorum, Persarum* & *Ægyptiorum*, cap. 167. ὁ ἥλιος εἰς πρόσωπον βασιλέως κεῖται ἀπαρχλλάκλως, ἢ ἡ σελήνη εἰς πρόσωπον τῆ ὑπὸ τῆ βασιλέως κειμένη δευτέρᾳ ἐξουσιαστῆ (in sequenti capite eum appellat τὸν δεύτερον ἤτοι τὸν ἐλάττονα βασιλέα, *secundum, minorémve Regem*) ἢ Ἀφροδίτη εἰς πρόσωπον τῆς Ἀυγούστης, ἢ οἱ λοιποὶ τῶν μεγίστων ἀστέρων εἰς τοὺς μεγίστους ἄνδρας τῆ βασιλέως, quos sequenti capite appellat τοὺς ὐγιανοῦς ἢ πλουσίους ἢ τοὺς ἔγγιστα τῆ βασιλέως. Sensus quorum omnium breviter hic est, Quòd in Visionum Insomniorúmq; interpretationibus *Sol quidem semper Regem significat, Luna illi potestate proximum, Planeta Venus Reginam, reliquæ Stellæ majores, Principes Procerésve Regni*.

15. Quod tam præcisè scrupulosèq; intelligendum non est quin si Regina non sit, quælibet persona dignitatis gradu tertia per Planetam *Veneris* repræsentari possit. Nam *Venus* hæc etiam *Lucifer* est quem Hebræi הילל appellant, sub quo magnus

ille

ille Rex *Babylonis* repræſentatur, Eſai. 14. 12. *Quo modo delapſus es de cœlo Lucifer Auroræ fili, deturbatus ad terram qui Gentes opprimebas?* Quod videtur adverſari Analogiæ *Onirocriticorum* quæ *Solem* ſtatuunt *Regem* ſignificare ἀπαραλλάκτως. At enim non aiunt *Stellam* eum ſignificare non poſſe, præſertim cùm computatur non quidem cum *Regni ſui Principibus* ac Magnatibus, ſed cum aliis *Regibus*. Nam ut plures *Soles* ſimul ſint in mundo, contra Naturam eſt. Quamobrem in hujuſmodi caſibus Parabola deſumenda eſt de *Stellis* tantùm, præcipuúſq; è Regibus maximâ ſplendidiſſimáq; Stellâ ſignificandus. Quam ob cauſam quum *Romanum* Imperium duos habebat *Cæſares*, alterum alteri minimè ſubordinatos, *Soles* illi rectè appellari non poterant, ſed *Stellæ*, quanquam maximè illuſtres ſanè ac ſplendidæ. Quod optimè convenit cum Interpretatione Cl. *Medi* qui magnam illam Stellam quæ ad clangorem *Tubæ tertiæ* cecidit, de Occidentalis *Cæſareatûs* exſpiratione intelligit.

16. Sed enim & magìs *myſticum* Stellarum ſenſum eſſe, ex promiſſo Chriſti videtur innui, Apoc. 2. 28. *Et dabo ei Stellam matutinam*; quanquam nec ſenſum *Politicum* fateor hic excludi. Verùm ubi Chriſtus ait, *Ego ſum* Davidis *ſtirps atq; genus, ſtella clara & matutina*, proculdubio illud intelligendum eſt in ſenſu *Politico*. Omnia enim Regna ei tunc ſe non ſubmiſerant, nec etiamnum ſe ſubmiſerunt. Ubi verò *Stellæ Angelos* ſignificant, illud magìs *Cabbaliſticum* eſt. Apoc. 1. 20. *Septem Stellæ Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum.* Quo ſenſu etiam intelligendæ ſunt Job. 38. 7. *Cùm me laudarent ſimul Stellæ matutinæ, & jubilarent omnes filii Dei.* E quibus quotquot ſtationem ſuam non ſervârunt ſed in hanc terreſtrem pollutionem delapſæ ſunt, Stellæ deciduæ dici poſſunt; ἀστέρες ἐκ τῦ ὐρανῦ εἰς τὴν γῆν πεπτωκότες, *Stellæ de cœlo in terram lapſæ.* Juxta quam rationem illud Apoc. 9. 1. καὶ εἶδον ἀστέρα ἐκ τῦ ὐρανῦ πεπτωκότα εἰς τὴν γῆν, nihil aliud eſt quàm periphraſis *lapſi* alicujus *Angeli* vel *Dæmonis*, qui poſtea appellatur Angelus Abyſſi, magnus quidem præfectus in *Regno Tenebrarum.* Quòd hic ſenſus ſit, manifeſtum eſt ex eo quòd dicitur non πίπτων ſed πεπτωκὼς tempore perfecto. Nec alienum fortè erit huc addere quod *Horus Apollo* de hoc *Hieroglyphico* enunciat: Ἀσὶς παρ' Αἰγυπτίοις πολὺ μὲν θεὸν σημαίνει, ποτὲ δ' ψυχὴν ἀνθρώπου ἄρρενα. *Cap. 22. 16.* *Lib. 2. Hieroglyph. 1.*

Sole aduſti. Vide *Aduſti Sole.*

Statera. Vide *Trutina.*

CAP. IX.

1. Tempus. Horæ. Dies. *Quòd* Dies Annum ſignificat, *Icaſmum eſſe.* 2. Menſium & Dierum *ad Hiſtoriam impiorum ac juſtorum Appropriatio, Latitudóq; ex poſteriori in computandis diebus* 1260 *Apocalypticis concluſa.* 3. Templum. Tenebræ, 4. Terræ motus. 5. Thronus Dei. Tonitru, *Divini Auxilii* Iconiſmus *in diſſipandis hoſtium copiis*; 6. *Aliæ illius expoſitiones magìs* myſticæ. 7. Torcular; 8. *Spiritualem etiam cædem interitúmve ſignificare.* 9. Trutina. Veſtitus albus. Venti. Univerſum. 10. Stylum Propheticum *tam determinatè intelligibilem eſſe ut Vaticiniorum interpretandi ſtudium ob rei difficultatem, admodum iniquè ſanè reprehendatur.* 11. *An ſinguli* Parabolarum *Viſionúmve* ſymbolicarum *apices in* Redditionibus *ſectandi ſint, & de ſchemate* Lemmatocoſmeſia *ſive* Paraphyadia. 12. Regulæ *quædam ad quas expendi poſſint* Vaticiniorum Interpretationes *ad dijudicandum quæ magìs legitimæ ſint ac genuinæ, quæ verò minús.*

1. TEmpus. *Tempus & Tempora ac dimidium Temporis* apud *Danielem* ſignificare *tres Annos ac dimidium, Grotii* etiam calculo comprobatur, nec certè ulli, quod ſciam, Interpretes ea de re diſſentiunt. Verùm hæc loquendi Formula ad nullum *Propheticorum ſchematum* quæ deſcripſi, referri poteſt; ſed nuda duntaxat eſt *ſynecdoche Generis*, quemadmodum & *Hora ſynecdoche ſpeciei* quando ponitur pro Tempore indefinitè brevi, ſicut interdum ſit, ut 1 Theſſ. 2. 17. *Nos verò fratres orbati vobis ad temporis momentum*, &c. Textus *Græcus* habet πρὸς καιρὸν ὥρας. Item ad *Philem.* 15. *Fortaſſis enim ideò ad tempus abfuit ut eum reciperes in perpetuum*, &c. ad tempus in *Græco* exemplari eſt πρὸς ὥραν.

Hic uſus vocabuli *Hora*, in ſtylo vulgari eſt, utì dixi, *ſynecdoche ſpeciei*; *Dioriſmus* verò ei voci ſubeſt in ſtylo Prophetico. Quantùm verò ad *Diem* quando

pro *Anno* ſumitur, *Icaſmus* eſt, cùm utrobiq; *Solis* ſit *circuitus*, ac proinde mutuam inter ſe ſimilitudinem gerant. Unde porrò ſequetur, ſi unus *Dies* ponatur pro uno *Anno*, *mevſem dierum* ex regula proportionis pro *triginta annis* rectè poni poſſe.

2. Cæterùm, Numerationem per *Menſes* appropriari operibus *tenebrarum*, ut qui ad *Lunæ* circuitus referuntur, quæ *Noctis* Domina eſt, & Numerationem per circuitus *Solares* appropriari operibus *Juſtitiæ*, obſervatio eſt, quod & ſuprà notavi, Cl. *Medi*, ſtylóq; *Apocalyptico* exactè congruit, ubi *continuatio Beſtiæ*, & *ſanctæ Civitatis Prophanatio* per Gentes, numeratur per *Menſes*; ſed *Teſtium vaticinatio*, ut & fortis ipſorum *toleratio Martyrii*, cadaverúmq; in Plateis *inſepultorum expoſitio*, per *Dies*. Mora etiam mulieris in *Deſerto* per *Dies* numeratur, & per *Tempus*, *Tempora & dimidium Temporis*, quæ ſecundùm hanc Appropriationis curioſitatem neceſſariò ſignificare debent *tres Solares annos & dimidium*, à quibus tamen, viginti ferè diebus, deficiunt. At verò, *Modicum nec curat Prætor nec Propheta*, rectiùs hîc applicari poteſt quàm ubi *Grotius* illud applicat. Atq; hinc profectò demonſtrari poteſt celatam quandam tacitámq; viginti ſaltem annorum latitudinem in his 1260 diebus latére, qui idem ſunt quod *Tempus*, *Tempora* & *dimidium Temporis*, primámq; menſuram *Icadem* eſſe poſſe. Sed enimverò cùm *ſexaginta* ſonent, illa verò ſileat in hoc Numero, haud ità veri diſſimile eſt, *Hexecadem*, ſi opus fuerit, ſumi poſſe pro prima menſura ſive *Diviſore* hujus Numeri. Verùm *Dioriſmum* 1260 diebus ſubeſſe, ſuprà expreſſim notavimus.

3. *Templum*. Ut miſſos faciam illos *myſticos* moraléſq; ſenſus *Templi*, id tantùm monere ſufficiet, ſignificare ſcilicet aliquando, Populum Deo conſecratum & appropriatum externâ illius profeſſione, atq; ſic ab aliis gentibus ſeparatum, ut loca ſacra ſeparantur ab aliis ædificiis terræve areis. 1 Tim. cap. 3. 15. *Ut ſcire poſſis quomodo oporteat in domo Dei verſari, quæ eſt Eccleſia.* Et Apoc. cap. 3. 12. *Siquis vicerit, faciam ut ſit columna in Templo Dei mei.* Quod & *Grotius* & doctiſſimus *Hammondus* de Eccleſia viſibili interpretantur. *Grotius* de *Sardiana*, *Hammondus* de Eccleſia Catholica.

Tenebræ. Vide *Candela*, & *Oculus*.

4. *Terræ-motus*; ſic utiq; utplurimum reddimus vocem *Græcam* σεισμὸς. Verùm ea ſignificat etiam generaliùs quamlibet agitationem vel concuſſionem, ut *Hebr.* 12.26. Ἔτι ἅπαξ ἐγὼ σείω οὐ μόνον τὴν γῆν ἀλλὰ καὶ τὸν οὐρανόν. Ubi Author ait hunc σεισμὸν ſignificare *concutiendorum amotionem*. *Hagg.* cap. 2. v. 21. *Loquere ad* Zorobabel *ducem* Judæ, *dicens, Ego movebo cœlum pariter & terram, & ſubvertam ſolium Regnorum, & conteram fortitudinem Regni Gentium.* Ἰδοὺ ἐγὼ σείσω, &c. Atq; hæc manifeſta eſt μεϑάϑεσις τῶν σαλευομένων. Conſimilis clades ruináq; rerum exponitur, ſed per effecta σεισμῶ ſive *Terræ-motùs*, propriè ſic dicti, Jerem. 4. 24. *Vidi montes & ecce movebantur, & omnes colles conturbati ſunt.* Quod verſ. 26. ſic interpretatur, ut *Haggæus* ſuprà, *Aſpexi, & ecce locus fertilis erat ut Deſertum, & omnes ejus Urbes deſtructæ ſunt*, &c.

Achmetes ex *Indorum*, *Perſarum*, *Ægyptiorúmq; Onirocriticis*. Ἐὰν ἴδῃ τις βασιλεὺς ὅτι ἰσείσθη ἡ πόλις αὐτοῦ ἢ ἡ γῆ αὐτοῦ, εἰς πόλεμον ἐδνῶν καὶ ἐπιβουλὴν καθ' αὐτοῦ κείνεται. *Artemidor.* lib. 2. cap. 46. Τῷ κινεμένῳ τὰ πράγματα τοῦ ἰδόντος κινηθήσεσθαι σημαίνει. Χάσματα δὲ καὶ σεισμοὶ καὶ συμπλώσεις πάντας ἀνθρώπους ἀδικοῦσι καὶ διαφθείρουσιν αὐτοὺς ἢ τὰ ὑπάρχοντα αὐτῶν. *Bella ſcilicet hominúmq; cædes ac Fortunarum ſubverſiones per Terræ-motus ſignificari.* Verùm hic *Iconiſmus* tam facilis eſt ut vix operæ pretium eſſet tot teſtimonia producere.

5. *Thronus Dei*. Thronus Dei magnum Thronum ſignificat, vel Thronum magnificum juxta vulgarem illum *Hebraiſmum* ubi Nomina cum אלהים אל vel יהוה conjuncta ſenſum acquirunt excellentiæ, vehementiæ vel magnitudinis. Sic *Arbores Dei*, *Cedri Dei*, *Montes Dei*, magnæ ac proceræ *Arbores* ſunt, *Cedri*, & Montes; *Ignis Dei*, ignis *vehemens* & ſimilia. Juxta quam rationem *Thronus Dei* ſublimis eſt excelſúſq; Thronus, ſedes *Regia* vel *Imperialis*, è qua mundus *Politicus* gubernatur, ut *Deus* è cœlo totum hoc Univerſum gubernat.

Tonitru. Tonitru & Fulmen disjectionem ſignificant & diſſipationem copiarum bellicarum. *Eſai.* 29. 6. *A domino exercituum viſitaberis in Tonitruo, & commotione Terræ & voce magnâ turbinis & tempeſtatis & flammæ ignis devorantis.* Et Job. 39. 25. *Procul odoratur bellum, Tonitruum ducum currúmq; ipſorum.* Frequenter admodum uſurpatur de Divina Profligatione hoſtium *Eccleſiæ*. 1 Reg. cap. 2. v. 10. *Dominum formidabunt adverſarii ejus, & ſuper ipſos in cœlis tonabit.* Rurſus cap. 7. v. 10. *Factum eſt autem cùm* Samuel *offerret holocauſtum*, Philiſtæi *iniêre prælium contra* Iſrael. *Intonuit autem Dominus fragore magno die illâ ſuper* Philiſthiim,

ſthiim, *& exterruit eos & perſecuti ſunt Philiſthæos, & percuſſerunt eos uſq; ad locum qui erat ſubter* Bethoar. Quod ſive intelligatur *figurativè* ſive *naturaliter*, per *Iſraëliſmum* profectò Imago erit ac figura liberationis Eccleſiæ ab hoſtibus ſuis in omnem poſteritatem. *David* etiam ſuam ab inimicis liberationem ad hunc modum deſcribit, Pſalm. 18. *Intonuit de cœlo Dominus & Altiſſimus dedit vocem ſuam, grando & carbones ignis; miſit ſagittas ſuas & diſſipavit eos, fulgura multiplicavit & conturbavit eos.*

6. Eſt verò & alia Tonitrui ſignificatio magìs *Myſtica*, ubi *Prophetiam* Divinámve *Revelationem* ſignificat per modum alluſionis ad בת קיל *filiam vocis*, quod unum Prophetiæ genus eſt. Talis erat vox illa de cœlo quæ de Servatore Chriſto teſtimonium perhibuit, *Matth.* 3. 17. item *Johan.* 12. 28. ubi populus qui aſtabant dixerunt, *Tonitrum eſſe factum.* Vide *Druſium* in locum. Cæterùm, præter hæc, *Tonitruum* ex ſe ſignificationem habet *Prophetiæ*, cùm alterum vox cœli ſit *vóxq; Dei* appelletur, altera verò à Deo editum Oraculum, quanquam id fortè externo aliquo modo non fiat, ſed in intimis humani animi penetralibus, quod verum vivúmq; eſt *Sanctum ſanctorum Dei.*

Eſt verò & alius ſenſus, cujus *Tonitruum* capax eſſe poteſt, ut nempe ſymbolum ſit ſpecialis alicujus præluſtríſq; Promulgationis *Evangelii* populo alicui qui aut nondum illud audiiſſet aut ſaltem ipſi nondum aſſenſus ſit ritéve ei crediderit, atq; hoc ſanè per alluſionem ad legem *Iſraëlitis* latam cum *tonitru* & *fulgure*; nè dicam etiam aliquâ ratione habitâ ad modum quo Deus è nubibus de filio Chriſto teſtificatus eſt, per *Tonitrui vocem* declarans, ſe & nomen ſuum in eo glorificâſſe, rurſúſq; glorificaturum eſſe. Vide *Ignis.* *Johan.* 12. 28, 29.

7. *Torcular.* Torcular Hieroglyphicum eſſe magnæ preſſuræ & afflictionis, immò verò effuſionis ſanguinis magnæq; cædis, ipſius rei natura teſtificatur, compreſſionem intelligo uvarum uſq; dum *ſanguis* earum elidatur, quemadmodum appellatur *Deuter.* 32. 14. *Et ſanguinem uvæ biberit meraciſſimum.* Ad quam quidem rationem Scriptura hoc ſymbolo utitur. *Lament.* cap. 1. v. 15. *Conculcavit generoſiſſimos quoſq; meorum in medio mei, indicto adversùm me conventu ſolenni ad frangendos meos juvenes, Torculari calcavit Dominus virginem puellam* Judæam. Et Joel. cap. 3. 12. *Concieantur & proficiſcantur gentes in vallem* Jehoſaphat, *nam ibi ſedebo ad judicandum gentes omnes undique. Immittite falcem, maturuit enim meſſis; adeſte, deſcendite, nam refertum eſt prælum, redundant torcula, tanta eorum eſt improbitas.* Hoc intelligitur de magna cæde Inimicorum *Judæorum* in valle *Jehoſaphat*, ἐν τῇ κοιλάδι Ἰωσαφάτ, quemadmodum Septuaginta reddunt.

8. Sed enimvero quamvìs hîc *Torcularis Iconiſmus* cædem ſignificet, copioſámq; ſanguinis effuſionem, meminiſſe tamen oportet *mortem* ipſam cædémq; non ſemper *Phyſicè* ſignificare, ſed interdum *moraliter.* Et quantùm ad me, equidem nullus dubito quin illud Eſai. 63. (*Quis eſt qui venit de* Edom *tinctis veſtibus de* Boſra, &c. & rurſus, *Torcular calcavi ſolus, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea*) quemcunq; alium ſenſum habeat, habeat etiam talem aliquam ſignificationem *Allegoricam*, qualem antiqui Patres de *ſpiritualibus* Chriſti victoriis ei affixerunt, quam fuſiùs explicandi ſuo loco dabitur occaſio.

9. *Trutina. Libram, Trutinam, Staterámve, Juſtitiam* ſignificare conceptu cuivis obvium eſt, cùm præcipuum ſit *Juſtitiæ commutativæ* Inſtrumentum, aptiſſimúmq; ſymbolum exactè ponderandi partiendíq; omnia, omniáve accuratè diſpenſandi. *Achmetes* ex *Indorum Onirocriticis*, cap. 15. Ἐάν τις ἴδῃ καὶ ὄναρ ζυγὸν ἐν τόπῳ τινὶ ταθμιζόμενον, τοῦτο εἰς πρόσωπον νοείτω κειτῆ. Omitto huc tranſcribere, ut πλάστιγγας, *bilancem* ſcilicet ad *aures* judicis refert, *pondera* in lances injecta ad *argumenta* ab utraque parte allata, quæ ipſe ſine omni partium ſtudio debet ponderare. Et rurſus in eodem capite, Ἐὰν τὸ ζύγιον ἴδῃ δεξιὸν καθαρὸν, νοείτω, ὅτι ὁ κειτὴς τῷ τόπῳ δίκαιος ἐστιν. Et rationibus ſanè particularioribus de conditione *Bilancis* atq; *Jugi* porrò diſſerit; ſed hæc ſufficere exiſtimo ad oſtendendum quàm confeſſum *Juſtitiæ ſymbolum* ſit *Trutina.* Idémq; inſinuat περὶ τῶν μοδίων de *menſuris.*

Venti. Vide *Mare.*

Veſtitus albus. Vide *Albus veſtitus.*

Univerſum. Vide *Cœlum* & *Terra.*

Volucres. Vide *Aves.*

10. Hæ ſunt præcipuæ voces *Icaſticæ* quæ in ſtylo Prophetico occurrunt, quæ ſi fortè plures numero videri poſſint, quàm quæ præſentis hujus Tractatûs uſui inſerviant, alienum tamen minimè reputo hanc operam inſumpſiſſe propter ea quæ in *Myſterio Pietatis* mihi ſcribendi data eſt occaſio. Ut nihil dicam de non ingrata earum utilitate

utilitate in genere ad præcipuas *Visiones* ac *Prophetias* in Scriptura intelligendas. Speróq; me manifestum feciſſe partim hoc *Iconiſmorum Alphabeto*, partim antecedentium *Schematum Propheticorum* explicatione, quòd æquè facile ſit *Vaticinium* vel *Viſionem* ex hoc ſtylo *Prophetico* in *linguam vulgarem* vertere, atq; eſt unam linguam per alteram interpretari. Quódq; difficultas intelligendi *Prophetias* haud ſanè major ſit, poſtquam quis determinatum peculiarium *ipſarum Iconiſmorum* ſenſum notaverit, quàm ſi vulgari ſermone ſcriptæ fuiſſent, in quo æquè frequentes ſunt verborum *Homonymiæ*, atq; hîc *Iconiſmorum*; & quòd nemini proinde vitio verti æquum ſit, quòd *Vaticiniis* Scripturæ *intelligendis* operam navaverit, non magis certè quàm quòd *Hiſtoriis*, cùm ipſa *Prophetia* nihil aliud ſit quàm *Hiſtoria* quædam *Anticipatoria*, quæq; ſemel impleta æquè manifeſta Hiſtoria eſt atq; illa de qua nulla unquam facta eſt prædictio.

11. Atq; hæc de *Propheticis* tum *Schematibus* tum *Iconiſmis* dicta ſunto; in quorum poſterioribus recenſendis ſpero me nihil ullius momenti omiſiſſe; & quantùm ad priora an quicquam illîc ullius momenti omiſſum ſit, ex eorum judicio dependet qui in *Parabolis* (eadémq; ratio eſt in *Viſionibus ſymbolicis* quæ planè *Propheticæ* ſunt *Parabolæ*) interpretandis uniuſcujuſq; *particulæ* Parabolæ tam accuratam rationem in *Redditione* habendam eſſe negant, ut ſingulis in *Parabola* ramuſculis aliquid in interpretamento ex analogia ſemper *particulariter* reſpondeat. Quædam enim tanquam παραφυάδας τινὰς, quæ ſubſtantiæ Parabolæ adnaſcantur eíve ornatûs causâ agglutinentur, conſiderant, nullámq; in *Redditione* niſi fortè generalem habere debere ſignificationem contendunt, inſcitæq; eſſe πειεργίας, ſiquis articulatiori hîc inſudet inveſti-

Matth. 13. 32. gandæ Analogiæ: ut in Parabola de *grano ſinapis*, *quod cùm excreverit maximum ſit olerum*, *adeò ut veniant volucres cœli ut nidulentur in ramis ipſius.* Hîc rudem πειεργίαν eſſe volunt ſiquis in *Redditione* quærat quid ex analogia reſpondeat volucribus cœli; id enim generalem tantùm habere ſignificationem & ad illuſtrandam magnitudinem arboris tantùm eſſe adhibitum. Quod idem proculdubio illi ſtatuturi eſ-

Cap. 19. 21. ſent de illo loco *Apocalypſeos*, *Et omnes aves ſaturatæ ſunt carnibus eorum*, nempe ſignificare tantùm, plenam fuiſſe victoriam cædémq; magnam. Sic in *Parabola Virginum*, Matth. 25. v. 9. *Ite verò potiùs ad eos qui vendunt & ipſæ vobis emite.* Inſubidè hîc quæri contenderent, quinam ſint illi qui in *Redditione* Parabolæ, hîc *olei venditoribus* reſpondeant: παραφυάδα enim tantùm eſſe externi corticis parabolæ, ad nihil aliud adhibitam, quàm ut ſignificetur impeditum iri eos aliquibus rationibus in Chriſti adventu quò minùs introëant in gaudia cœleſtia, qui jam de ſuo non habeant quò tantæ felicitatis fiant capaces. Ad me verò quod attinet, equidem ingenuè fateor proniorem me eſſe ad ſingulos Parabolarum viſionúmq; ſymbolicarum apices ſpectandos, ad eorúmq; reddendam rationem in ipſarum Interpretationibus. Quòd ſi graves doctíq; viri id aliquando σφάλερον fore contenderint, & intra modeſtiores limites eſſe ſubſiſtendum, non multùm renitor. Iſthoc verò conceſſo, quòd ſint aliquæ in Parabolis viſionibúſq; *ſymbolicis* particulæ, quarum nulla in *Redditionibus*, ſive Interpretationibus, ſaltem *particularis*, habenda ſit ratio, manifeſtum eſt hoc eſſe quoddam *Schema Parabolicum* vel *Propheticum.* Nempe *quando aliqua particula* Viſionis *vel* Parabolæ, *Decori vel ornatûs causâ*, *externo adnaſci cortici intelligitur*, *cujus nulla*, *niſi fortè in genere*, *in interpretamento habenda eſt ratio*; quæ igitur cùm exteriori Parabolæ viſioniſve cortici, ornatûs gratiâ, ſic adnaſci vel adhæreſcere concipiatur, παραφυαδεία vel λεμμαλοκοσμησία aptè poteſt appellari, intérq; *Schemata Prophetica* eis nominibus recenſeri. Quod ſic obiter monuiſſe eis hominibus fortè haud inutile erit, qui nimiùm multis alluſionibus rerum & analogiis non facilè patiuntur mentem ſuam obrui.

12. Id ſolum jam ſupereſt, ut paucas adnectamus *Regulas* quibus indicari poſſit de *Vaticiniorum* Interpretationibus, utra utri ſit præferenda & tunc concludamus.

Prima Regula.

Illa Interpretatio quæ exempla approbata notámq; ſtyli Prophetici analogiam ſtrictiſſimè obſervat, præferenda eſt eis quæ ad arbitrium formantur, privatámq; Imaginationem Interpretis.

Fundamentum hujus Regulæ hoc eſt, Quòd præterquam quòd tutius eſt approbata exempla ſequi quàm eiſdem deſtitui, privatóq; ſenſui in totum indulgere, cùm ipſe ſtylus Prophetarum *peculiaris quaſi* quædam *lingua* ſit ſive *dialectus*; neceſſitas præterea eſt res intelligendi juxta ſenſum *ipſorum dialecti* linguæve, non autem ſecundùm id quod *noſtra* fortean ſonaverit. Quod perinde ridiculum eſt ac ſi *Anglus*

quis

quis auditâ *Latinâ* voce *Dux*, *Anates*, *Hebraicâ* verò יחדו, *Monedulam* ex ſua lingua vernacula intelligeret. Et tamen æquè abſonum eſt & incongruum Prophetarum *Iconiſmos* interpretari ad ſenſus aut *vulgares* aut noſtros proprios. Ac ſi propterea quòd vitia ac virtutes pinguntur figuris *Fœminarum Beſtiarúmve*, nos ideo eum ſenſum ſtylo *Prophetico* applicaremus, cùm tamen ſemper ſignificent corpus *Politicum*, etiam in eo ipſo ſchemate ubi Inſcriptiones abſtractæ eis imponuntur, Zachar. 5. 7. ubi mulier in media *Epha* ſedens dicitur *Impietas*. Per quam Fœminam nihilominus *Vatabus* decem Tribus intelligit in *Idololatriam* lapſas. Aliíq; Interpretes ad eundem ſenſum exponunt. Atq; ſic *grandinem* interpretari de *duritie cordis* perinde eſt ac ſiquis *Græcam Latinámve* vocem ex proximo alicujus *Anglicanæ* vocis ſono interpretaretur. Hoc certè eſſet μεταβάινειν εἰς ἄλλο γένος ut *Ariſtoteles* loquitur, prorſúſq; oblivíſci ubi ſimus quídve rei ſimus acturi.

Secunda Regula.

Illa Interpretatio quæ eundem ſenſûs tenorem in eiſdem verbis, in eadem præſertim viſione, obſervat, præferenda eſt illi quæ prorſum retrorſúmq; curſum iterat, tótq; ferè diſtinctas ſignificationes voci affingit, quot locis diſtinctis occurrit in viſione.

Teſtem alternantem omnes ſuſpectum habent, vel potiùs pro certo convictum tenent falſimonii; & certè ejuſdem vocis in una eadémq; viſione interpretationem variare *ſine ulla ſolida ratione*, fraudulentæ quidem & coactæ Interpretationis clara eſt demonſtratio, Interpretémq; ex mundani alicujus commodi ſenſu de via deflexiſſe, turpitérq; in ſui gratiam vim Textui intuliſſe. Exempli gratiâ; Siquis ſic interpretaretur *Iconiſmum Beſtiæ*, ut *Regnum* vel *Imperium* nunc ſignificet, nunc verò *Perſonam* aliquam Imperii *ſingularem*, mox verò *enorme aliquod* Imperii *vitium* denotet, an non fœda hæc foret ac deformis rerum conſarcinatio, præ ea Interpretatione *Beſtiæ*, quâ tale Regnum corpúſve *Politicum* in ſingulis Viſionis locis ſignificetur? Atq; alias quidem hoc genus Tergiverſationes huc afferre poſſim, verùm una hæc inſtantia hoc loco ſufficiet.

Tertia Regula.

Illa Interpretatio quæ ad res Religionis Deiq; Eccleſiam ſpectat, quæq; ad utilitatem ædificationémq; noſtram facit maximè, veriſimilior Interpretatio eſt, eiq; longè præferenda quæ minùs ad nos ſpectat, ſed ſupponere videtur Divinum ſpiritum eas res prædixiſſe quæ ad Eccleſiæ utilitatem parum aut nihil facturæ ſint.

Veritas hujus Regulæ non ſolùm ex perpetuis vaticiniorum exemplis, ubi admodum rarò occurrunt ulla quæ Dei Eccleſiam ſpeciali aliquo modo non reſpiciunt, (Nam & *Ruſi, Nigri Pallidiq; Equorum Seſſores* erant quaſi tot ſpeculatores qui Eccleſiam de ſuccedentibus rerum ſuarum Periodis certiorem facerent) ſed etiam ex ipſius rei ratione apparet. Nam ſi numerus Vaticiniorum hac menſurâ non limitetur, quinam tandem illius futuri ſunt limites, & ſi ultra hos ſint aliqua, cur non de omnibus Nationibus rebúſq; earum data ſunt vaticinia etiam abſq; omni reſpectu ad Eccleſiam? *Apoc. 6.*

Regula ultima.

Eas veriſimilius eſt Interpretationes veras eſſe quæ menti nullo occæcatæ præjudicio externóve præpondio de via deflexæ ſuggeruntur, quàm eas quæ ab ejuſmodi hominibus formentur quibus rerum ſecularium ſenſus, mundanæq; ſpes vel timores, ullâve inimicitia aut diſplicentia præpondium falſum agglutinaverit eorúmq; judicium partium ſtudio infecerint.

Veritas hujus Regulæ vel primo aſpectu manifeſta eſt, uſum verò illius fateor magis mancum eſſe & incertum. Quanquam enim ſatis conſtare poteſt in multis locis Interpretem præjudicio laborare propter aliquam earum rationum quas ſubindicavi; tamen cùm haud ità facile ſit certò cognoſcere an quis omni omninò præjudicio ſit immunis, Applicationem Regulæ neceſſe eſt ſanè eò difficiliorem repertum iri. Cæterùm ubi certa deeſt demonſtratio, cauta conjectatio in illius locum jure ſuccedit. Nec certè eſt quòd de vi atq; uſu hujus ultimæ Regulæ nimis ſoliciti ſimus, quippe qui Interpretem magis quàm Interpretationem reſpicit, & à qualitate potiùs Perſonæ arguit quàm ab operis ſoliditate, quod rectiùs per tres antecedentes Regulas examinatur aliíq; firma Principia Rationis ac Scientiæ.

CAP.

CAP. X.

1. *Ordo & Introitus ſcrutationis Vaticiniorum, incipiendo à decimo ſeptimo capite* Apocalypſeos. 2. *Decimum ſeptimum & decimum tertium capita idem ſubjectum adæquatè tractare per duos* Congruentiarum Paralleliſmos *probatum.* 3. Paralleliſmus Congruentiarum *inter* Beſtiam bicornem & Meretricem Babylonis. 4. Paralleliſmus Congruentiarum *inter* ſepticipitem Beſtiam cum decem cornibus *in capite decimo tertio* & ſepticipitem Beſtiam cum decem cornibus *in capite decimo ſeptimo.* 5. Paralleliſmum ſepticipitum Beſtiarum *in illis capitibus perfectè adæquatum eſſe atq; exactum, ut* & Beſtiæ bicornis & Meretricis, *excepto quòd ortus ejus omiſſus, exitium verò memoratum ſit in capite decimo ſeptimo, de quibus utriſq; ſufficiens redditur Ratio.* 6. *Adæquata horum* Paralleliſmorum *ratio demonſtrata, decimo ſeptimo & decimo tertio capitibus ità inter ſe comparatis ut unum conſtet ab altero totum imbibi, excepto ſolummodo quod ſuprà exceptum eſt.* 7. *Quam Naturalis autem & incoacta hæc ſit Imbibitio, per duorum capitum* Coexpoſitionem *mox pleniùs probatum iri.*

1. ATq; nunc tandem ſanè ſpero nos ſatìs inſtructos eſſe ad præcipuum noſtrum Inſtitutum proſequendum. Quod eſt, in Scripturarum vaticiniis, fœdæ hujus Chriſtiani orbis in conditionem illam Antichriſtianam Apoſtaſiæ, in quam vulgò notum eſt eum degenerâſſe, prædictiones ac præfigurationes notare. Quod faciemus eodem ordine quem in *Idea Antichriſtianiſmi* obſervavimus, incipiendo primùm à primo illo & eminentiſſimo membro *Antichriſtianiſmi, Idololatriâ*, quam per omnia illa vaticinia quæ eò digitum intendiſſe autumamus ſive in *Veteri* ſive *Novo* Teſtamento, notabimus. Ordiendo à decimo ſeptimo capite *Apocalypſeos*, quæ *Porta* quaſi *Regia* eſt, quæ nos ad contuendas, ſummâ quidem quæ exoptari poteſt claritate & certitudine, omnes illas rerum futurarum ſcenas, quæ aut à S. *Johanne* ipſo aut à S. *Paulo, Danicléve* de Eccleſia Chriſti in eo, quem nos deſcripſimus ſtatu, exhibentur, intromittet.

Quamobrem cùm tanti ſit momenti verum ſenſum *Viſionis* hujus capitis certò cognoſcere, diligentiâ ſanè haud ordinariâ (quod & cum æquali, ut ſpero, factum eſt ſucceſſu) genuinum *illius* ſenſum indagare par eſſe putabam, credóq; me, (diligenter eam comparando cum viſione capitis decimi tertii, atq; ſic demonſtrando utraq; capita eandem adæquatè rem tractare, ut & ſtrictè obſervando notam *Propheticorum Schematum* analogiam,) tam indubitatam ſignificationis utrarumq; viſionum claritatem elicuiſſe, ut nemo ſit, niſi datâ operâ cæcutiat, quin diſtinctè illius decimi ſeptimi capitis veritatem ſit percepturus.

2. Utraq; hæc capita idem prorſus ſubjectum tractare, & ut magìs particulatim loquar, *Beſtiam bicornem* eandem eſſe atq; *meretricem Babylonis, ſepticipitémq; Beſtiam cum decem cornibus* in decimo tertio capite, eandem omni ex parte eſſe atq; *Beſtiam ſepticipitem cum decem cornibus* in capite decimo ſeptimo, multiplices *Congruentiæ* inter binas priores, & inter binas poſteriores in his duobus ſequentibus *Paralleliſmis* abundè demonſtrabunt.

3. *Paralleliſmus Congruentiarum* inter *Beſtiam bicornem* & *Meretricem Babylonicam.*

Congruentia I.

Beſtia bicornis Meretrixq; Babylonica utræq; Inſtauratrices ſunt Promotricéſq; *Idololatriæ* in Imperio.

Congruentia II.

Utræq; regimen imperiúmve exercebant in *Beſtiam ſepticipitem* cum *decem cornibus.*

Congruentia III.

Utræq; aſpirabant ad Majeſtatem Poteſtatémq; planè Imperialem.

Congruentia IV.

Utræq; miraculorum effectrices erant, vel Præſtigiatrices quædam ſeu *Veneficæ*, ídq; in eum finem ut Idololatriam inſtaurarent.

Congruentia

Congruentia V.

Utræq; Pietatis ſunt ſimulatrices magnámq; præ ſe ferunt ſpeciem omnia agendi Chriſti causâ, cùm reverà ſunt interim *Idololatriæ* introductrices & *Antichriſtianiſmi.*

Congruentia VI.

Utræq; crudeles ac ſanguinolentæ perſecutrices ſunt Sanctorum, Teſtiúmq; *Jeſu.*

Congruentia VII.

Utræq; ità deſcribuntur ut Juriſdictionem habere intelligantur in totum Imperium tam *Orientale* quàm *Occidentale.*

Congruentia VIII.

Sedes utrarumq; ità notificatur, ut perinde intelligi poſſit *novæ Romæ* eſſe ſive *Conſtantinopoli* atq; in *Roma veteri.*

Congruentia IX.

Utrarumq; ſedes poſtea determinantur ad *Romam veterem.*

4. *Paralleliſmus Congruentiarum* inter *Beſtiam ſepticipitem cum decem cornibus* in capite decimo tertio, & *Beſtiam ſepticipitem cum decem cornibus* cap. decimo ſeptimo.

Congruentia I.

Utræq; ſeptem capita habent & decem cornua.

Congruentia II.

Utrarumq; corpora deſcripta ſunt ſymbolis crudelitatis & Idololatriæ.

Congruentia III.

In utriſq; viſionibus Beſtia ſepticeps Beſtia eſt quæ aliquo modo eſſe ceſſaverat, quæq; reſtituta eſt ac ſanata rurſúſq; revixit.

Congruentia IV.

Tempus interitûs ſive Non-exiſtentiæ utriuſq; non erat diuturnum.

Congruentia V.

In neutra viſione Beſtia tam perfectè reſtituta eſt ut omni ex parte ſit eadem, ſed ut ſit potiùs *Imago* prioris, vel ut ità ſit quæ prior uno ſenſu, ut non ſit quæ prior altero, unde appellatur *Beſtia quæ non eſt & tamen eſt*, vel *quæ erat, & non eſt & tamen eſt.*

Congruentia VI.

Utræq; Beſtiæ dicuntur aſcendere è mari.

Congruentia VII.

Utræq; deſtinantur ad exitium, ut quæ Regnum Sanctorum non ſunt quod duraturum eſt in perpetuum.

Congruentia VIII.

De utriſq; hiſce Beſtiis reſtitutis dictum eſt, eos *quorum nomina in libro vitæ non ſunt ſcripta, adoraturos illas eſſe atq; admiraturos.*

Congruentia IX.

Septem capita in utriſq; capita ſunt Idololatrica.

Congruentia X.

Beſtiæ occiduntur & è vita exterminantur ſub ſexto capite, reſtituuntur ſive in vitam reſuſcitantur ſub capite ſeptimo.

Congruentia XI.

Decem cornua in neutra Beſtia actu regnabant temporibus S. *Johannis.*

Congruentia XII.

Decem cornua in utraq; Beſtia regnum inchoârunt cum Beſtia.

Congruentia XIII.

Decem cornua in utraq; Beſtia virtutem ſuam dant Beſtiæ.

Congruentia XIV.

Beſtiæ in utraq; viſione bellum gerunt cum Sanctis.

Congruentia XV.

Sancti in utraq; viſione tandem Beſtiam vincunt.

Congruentia XVI.

Fides & conſtantia Sanctorum exercetur ab utraq; Beſtia.

Congruentia XVII.

Tempus utriuſq; Beſtiæ à Deo dicitur determinatum, ſanctíſq; Prophetis eſſe prædictum.

Congruentia XVIII.

Sedes hujus *ſepticipitis Beſtiæ* non definitur (ſed libera relinquitur in utraq; viſione) quamvis *Meretricis* ſedes *Beſtiæq;* *bicornis*, ſatis accuratè ſit determinata. Quod mirabilem ſanè conſenſum habet cum Eventis.

5. Hi ſunt duo *Paralleliſmi Congruentiarum*, de quorum poſteriori auſim affirmare, eum tam exactum eſſe atq; adæquatum ut *Parallela ſepticipitem Beſtiam* inter capite decimo tertio, & *Beſtiam ſepticipitem* decimo ſeptimo totum exhauriant in utroq; capite quod ad eam Beſtiam ſpectat. Prior *Paralleliſmus* non eſt ità accuratus cùm origo *Beſtiæ bicornis* nulli rei *Parallela* ſit in *Meretrice*, exitiúmq; *Meretricis* nulli rei *Parallelum* in *Beſtia bicorni*, prout illic deſcribitur. Quamobrem illud peculiare eſt in *Viſione* capitis decimi ſeptimi quod de ſupplicio *Beſtiæ bicornis*, *Meretriciſve* tractat, juxta ipſum Titulum Viſionis. *Heus tu, oſtendam tibi ſupplicium ſive damnationem Meretricis magnæ.* Hoc verò nullum argumentum eſt adversùs *identitatem* perſonarum ipſarum, præſertim cùm ipſa *Beſtia bicornis* ſupplicio afficienda ſit mortéq; mulctanda eodem tempore quo ipſa *Meretrix*, quemadmodum facilè demonſtrari poteſt ex *ſynchroniſmis Apocalypticis*. Et quantùm ad omiſſionem originis *Meretricis* quò minùs cum origine *Beſtiæ bicornis* poſſit conferri, neq; illud certè ullum argumentum eſt contra ipſarum *Identitatem*. Equidem ſi origo *Meretrici* aſſignata fuiſſet quæ ab origine *Beſtiæ bicornis* diſcreparet, aliquid momenti id fuiſſet habiturum; Nunc verò cùm non ſit niſi nuda illius omiſſio, nihil ſignificare poteſt niſi accuratum quoddam artificium *exterioris* etiam *corticis viſionum*, quæ decorum in rebus omnibus uſquequaq; obſervant. Ac proinde, cùm haud ità ſpecioſum eſſet aut conſentaneum Mulierem narrare è terra enatam (quanquam bruta ſanè ſic nata dicuntur Gen. 1. 14.) illius originis mentio perquam opportunè profectò omiſſa eſt, præſertim cùm *Beſtiæ inequitans* ſit introducta.

6. Verùm enimverò cùm minor *Congruentiarum* numerus in utroq; *Paralleliſmo* (modò nullæ intermixtæ repugnantiæ apparerent) non poſſet quin validum futurum ſit argumentum pro *Identitate* ſubjectorum *Viſionum* in utroq; capite, nempe, Quòd *Beſtia bicornis* ac *Meretrix* una ſit, *Beſtiáq;* *ſepticeps* in utroq; capite eadem; quàm planè nunc perſuaſos nos eſſe oportet de his *Identitatibus*, cùm *Congruentiæ* horum duorum *Paralleliſmorum* (illis ſolis locis exceptis de quibus tam pulchram reddidi rationem) totam utriuſq; capitis materiam prorſus exhauriant? Quod ut apertiùs conſtare poſſit, exponam vobis ante oculos totum caput *decimum ſeptimum*, ſinguliſq; verſibus quicquid ei in capite *decimo tertio* parallelum ſit, perpetuo ordine ſubjungam; videbimus enim quòd ſic totum caput ſit imbibiturum.

Apoc. CAP. 17.

1. *Tunc venit unus ex ſeptem Angelis qui habebant ſeptem phialas, & locutus eſt mecum dicens mihi, Heus tu, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ ſedentis ſuper aquas multas.*

CAP. 13.

Maxima pars hujus primi versûs capitis *decimi ſeptimi Apocalypſeos* ſola *Introductio* eſt ad Viſionem, *nulla pars viſionis* ipſius, ac proinde nihil opus ut in *decimo tertio* capite quicquam illi occurrat *parallelum*. Cæterùm ut *Meretricis* collocatio ſuper aquas multas conſentire videatur cum uno ex noſtris *Parallelis*, ſuo loco notabimus, nempe in *Co-expoſitione* horum duorum capitum.

CAP. 17.

2. *Cum qua* [a] *ſcortati ſunt Reges terræ, & cujus* [a] *ſcortationis vino inebriati ſunt Incolæ terræ.*

CAP. 13.

11----Sed loquebatur ut [a] Draco.

12. Et facit ut terra & ipſius incolæ adorent Beſtiam illam [a] primam cujus curata fuerit plaga lethalis.

14. Dicens incolis terræ, ut faciant [a] imaginem Beſtiæ quæ gladio vulnerata fuit, & revixit.

[a] Parall. 1. Congr. 1.

CAP.

CAP. 17.

3. *Cúmq; me per ſpiritum in deſertum transtuliſſet, vidi mulierem * inſidentem Beſtiæ [a] cocciuæ, plenæ nominibus [b] blaſphemiæ, habenti [c] capita ſeptem & cornua decem.*

CAP. 13.

* Parall. 1. Congr. 2.

15. *Datúmq; eſt ei ut * animaret imaginem Beſtiæ ut etiam loquatur Imago Beſtiæ.*

2. *Erátq; hæc Beſtia quam vidi, ſimilis [a] Pardo, & pedes ejus ut pedes Urſi, & [b] os ejus ut os Leonis.* a{ Parall. 2. b{ Congr. 2.

5. *Datúmq; eſt os ei loquens magna & blaſphemias.*

6. *Aperuit igitur os ſuum ad [b] blaſphemiam adversùs Deum, ut convitiis afficeret nomen ejus & tabernaculum ejus, & eos qui in cœlo habitant.*

1. *Tum vidi beſtiam quæ habebat [c] capita ſeptem & cornua decem.* c Parall. 2. Congr. 1.

CAP. 17.

4. *Erat autem mulier illa amicta [a] purpurâ & cocco, & inaurata auro, lapidibus pretioſis & margaritis, habens [b] poculum aureum in manu ſua plenum abominationibus & immunditiâ ſcortationis ſuæ.*

CAP. 13.

12. *Ea verò [a] Poteſtatem prioris beſtiæ omnem exercet in conſpectu ejus.* a Parall. 1. Congr. 4.

13. *Editq; [b] ſigna magna adeò ut etiam ignem faciat è cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum.* b Parall. 1. Congr. 4.

14. *Et ſeducit incolas terræ propter [b] ſigna quæ datum eſt ei ut faciat in conſpectu beſtiæ.*

CAP. 17.

5. *Et in fronte ſua nomen ſcriptum, [a] Myſterium, Babylon magna, mater illa ſcortationum & abominationum Terræ.*

CAP. 13.

a Parall. 1. Congr. 5.

11. *Deinde vidi aliam beſtiam aſcendentem è terra habentem cornua duo ſimilia [a] Agni, ſed loquebatur ut Draco.*

CAP. 17.

6. *Et vidi mulierem illam ebriam * ſanguine Sanctorum & ſanguine Martyrum Jeſu, & miratus ſum cùm viderem illam, admiratione magnâ.*

CAP. 13.

* Parall. 1. Congr. 6.

15. *Datúmq; eſt ei ut animaret imaginem beſtiæ ut etiam loquatur imago beſtiæ, & faciat ut quicunq; non adoraverit imaginem beſtiæ * occidantur.*

CAP. 17.

7. *Tunc dixit mihi Angelus, Quare miraris? Ego dicam tibi myſterium mulieris & Beſtiæ quæ [a] portat eam, quæ habet [b] capita ſeptem & cornua decem.*

CAP. 13.

a Parall. 1. Congr. 7. b Parall. 2. Congr. 1.

11. *Deinde vidi aliam beſtiam aſcendentem è terra habentem cornua [a] duo ſimilia Agni.*

1. *Tum vidi Beſtiam habentem [b] capita ſeptem & cornua decem.*

CAP. 17.

8. *Beſtia quam vidiſti* [a] *fuit & non eſt, & aſcenſura eſt ex* [b] *Abyſſo & in* [c] *exitium abitura: &* [d] *mirabuntur incolæ terræ (quorum* [d] *nomina ſcripta non ſunt in libro vitæ à jactis mundi fundamentis) videntes beſtiam quæ* [c] *erat & non eſt, & tamen eſt.*

CAP. 13.

[a] Parall. 2. Congr. 3.
[b] Parall. 2. Congr. 6.
[c] Parall. 2. Congr. 7.
[d] Parall. 2. Congr. 8.

2. *Dedit autem* [a] *ei Draco virtutem ſuam ac Thronum ſuum & Poteſtatem magnam.*
4. *Et adorârunt* [a] *Draconem qui dedit poteſtatem beſtiæ,* &c. Vide & verſ. 3.
1. *Tunc vidi beſtiam è* [b] *mari aſcendentem.*
10. *Siquis in captivitatem abduxerit, in* [c] *captivitatem abibit; ſi quis gladio occiderit, oportet eum gladio* [c] *occidi.*
3. *Et* [d] *admirans univerſa terra ſecuta eſt beſtiam.*
8. *Itaq; adorabunt eum omnes incolæ terræ quorum non ſunt ſcripta nomina* [d] *in libro vitæ Agni mactati jam inde à jactis mundi fundamentis.*
3. Et vidi unum ex capitibus ejus quaſi [a] lethaliter cæſum, ſed ipſius plaga lethalis [a] curata eſt.

[e] Parall. 2. Congr. 5.

14. *Dicens incolis terræ ut faciant* [e] *imaginem beſtiæ quæ gladio vulnerata fuit, & revixit.*
15. *Datúmq; eſt ei ut animaret* [e] *imaginem ut etiam loquatur Imago beſtiæ.*

CAP. 17.

9. *Hîc eſt mens quæ habet ſapientiam, ſeptem capita* [a] *ſeptem montes ſunt ſuper quos mulier ſedet.*

CAP. 13.

[a] Parall. 1. Congr. 8.

11. *Deinde vidi aliam beſtiam aſcendentem è terra habentem cornua* [a] *duo ſimilia agni, ſed loquebatur ut Draco.*

CAP. 17.

10. *Et Reges ſeptem ſunt, quinq; ecciderunt, unus eſt &* * *alius nondum venit, & cùm venerit oportet eum* [b] *breve tempus manere.*

* Parall. 2. Congr. 10.

CAP. 13.

[b] Parall. 2. Congr. 4.

1.----*Quæ habebat capita* * *ſeptem & ſuper capita ejus nomen blaſphemiæ.*
3. *Et vidi unum ex capitibus ejus quaſi lethaliter cæſum, ſed ipſius plaga lethalis* [b] *curata eſt.*

CAP. 17.

[a] Parall. 2. Congr. 9.
† Parall. 2. Congr. 7.

11. *Beſtia autem quæ erat & non eſt is octavus eſt, & è* [a] *ſeptem illis eſt, & in* †*exitium abit.*

CAP. 13.

1. *Quæ habebat capita ſeptem, & ſuper capita ejus nomen* [a] *blaſphemiæ.*
10. *Siquis gladio occiderit, eum oportet gladio* † *occidi.*

CAP. 17.

[a] Parall. 2. Congr. 11, 12.

12. *Decem autem cornua quæ vidiſti, decem Reges ſunt qui regnum* [a] *nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam Reges* [a] *unâ horâ accipient cum beſtia.*

CAP. 13.

1. *Quæ habebat capita ſeptem & cornua decem & ſuper cornua ejus decem* [a] *diademata.*

CAP. 17.

* Parall. 2. Congr. 13.

13. *Hi unum conſilium habent & vires ac poteſtatem ſuam beſtiæ* * *tradent.*

CAP.

CAP. 13.

1. *Tum vidi beſtiam è mari aſcendentem quæ* * *habebat cornua decem.* *Parall. 2. Congr. 13.

CAP. 17.

14. *Hi cum Agno* [a] *pugnabunt, & Agnus* [b] *vincet eos, quoniam Dominus dominorum eſt & Rex regum, & qui cum eo ſunt* [c] *vocati & electi & fideles.*

CAP. 13.

4. *Quis ſimilis Beſtiæ? quis poterit* [a] *pugnare cum eâ?*
7. *Et datum eſt ei* [a] *bellum gerere cum Sanctis, & eos vincere.* a Parall. 2. Congr. 14.
16. *Sed & facit ut omnes, parvi & magni, divites & pauperes, liberi & ſervi accipiant characterem in manu ſua dextra aut in frontibus ſuis.*
17. *Et nè quis poſſit* [a] *emere aut vendere, niſi qui habeat characterem aut nomen Beſtiæ aut numerum nominis ejus.*
10. *Siquis in captivitatem abduxerit in captivitatem* [b] *abibit, ſiquis gladio occiderit oportet eum gladio occidi: hîc eſt patientia &* [c] *fides Sanctorum.* b Parall. 2. Congr. 15. c Parall. 2. Congr. 16.

CAP. 17.

15. *Deinde dixit mihi, Aquæ quas vidiſti, ubi meretrix ſedet,* [a] *populi ſunt & turbæ & gentes & linguæ.*

CAP. 13.

7. *Et data eſt ei poteſtas in omnem* [a] *tribum & linguam & gentem.* a Parall. 1. Congr. 7.
12. *Deinde vidi aliam Beſtiam aſcendentem è terra habentem cornua* [a] *duo ſimilia Agni, & poteſtatem prioris Beſtiæ* [a] *omnem exercet in conſpectu ejus.*

CAP. 17.

16. *Et decem cornua quæ vidiſti in beſtia hi odio perſequentur meretricem, & ſolam reddent illam & nudam, & carnes ejus comedent & ipſam igne exurent.*

CAP. 13.

Nihil eſt in decimo tertio hoc capite quod decimo ſexto verſui alterius reſpondeat: Verùm ille verſus accuratè reſpondet præcipuo Titulo viſionis, qui eſt *Magnæ Meretricis damnatio.* Hunc verò defectum certitudini Paralleliſmi noſtri nihil derogare jam ſuprà notavimus.

CAP. 17.

17. *Deus enim dedit in corda eorum ut faciant quod placitum eſt ei, & ut conſentiant dénq; regnum ſuum Beſtiæ donec compleantur* [a] *verba Dei.*

a Parall. 2. Congr. 7.

CAP. 13.

5. *Datúmq; eſt ei os loquens magna & blaſphemias, & data eſt ei poteſtas agendi menſes* [a] *quadraginta duos.*

CAP. 17.

18. *Et mulier quam vidiſti eſt urbs illa magna quæ* [a] *habet regnum ſuper Reges Terræ.*

CAP. 13.

a Parall. 1. Congr. 9.

18. *Hîc ſapientia eſt, Qui intelligentiâ præditus eſt, computet numerum Beſtiæ, numerus enim hominis eſt, & numerus ejus* [a] *ſexcenta ſexaginta ſex.*
7. Atq; ſic duas *decimi tertii* capitis *viſiones* in *viſionem decimi ſeptimi* totas imbibitas videmus, exceptâ origine Beſtiæ bicornis, qua de re rationem jam reddidi. Naturaliter verò imbibitas eſſe, non per vim injectas, ex *Co-expoſitione* noſtra quam de

de duobus hiſce ſimul capitibus formaturus ſum, mox clarè conſtabit; ubi verſus illos verſuúmve partes *decimi tertii*, quos ſingulis verſibus *decimi ſeptimi* ſubjunximus, unà cum illis verſibus quibus ſubjuncti ſunt interpretabimur. Cæterùm antequam hoc penſum aggrediar, viam primò muniam confirmando certam quandam *Poſitionem* quæ magni profectò momenti eſt univerſalíſq; Influentiæ ad dilucidandam demonſtrandámq; veram ſignificationem viſionum in utriſq; capitibus. Quod penſum & diligentiâ & brevitate abſolvam quantâ poſſum maximâ.

CAP. XI.

1. *Quanti ſit momenti probare* ſeptem capita Beſtiæ *ſeptem eſſe* ſummorum Magiſtratuum genera. 2. *Demonſtrationem, quòd* ſepticeps Beſtia *Romanum Regnum Imperiúmve* Idololatricum *ſignificet, quatenus* Idololatricum, *multùm conferre ad prioris* Poſitionis *probationem.* 3. Beſtiam ſepticipitem *Regnum eſſe ſive Imperium*; 4. *Et nominatim* Romanum. 5. *Idololatricum eam eſſe Regnum Imperiúmve* Romanum. 6. *Eam Imperium hoc Regnúmve* Idololatricum *eſſe per omnia illa ſecula quibus ſit* Idololatricum. 7. *Romanum Regnum ſive Imperium eam repræſentare per ea ſola ſecula quibus ſit* Idololatricum. *Unde verus ſenſus cædis Beſtiæ ulteriórq; confirmatio prioris Aſſertionis eſt intelligenda.* 8. *Adæquatam hanc Repræſentationem Idololatricæ durationis Imperii planè innuere nullas ſeptem perſonas ſingulares ſeptem illius capita eſſe poſſe.* 9. *Eadem Concluſio ex inuſta* Idololatriæ *nota* ſeptem capitibus, *cùm plures ſeptem immò univerſi Imperatores Pagàni* Idololatræ *eſſent, illata.* 10. *Utì etiam ex vulgari loquendi formula quando Animalia per partium numerum diſtinguimus.* 11. *Et poſtremò, ex eo quòd certum ſit quòd caput ſeptimum una ſingularis perſona non ſit ſed ſucceſſio.* 12. *Quæcunq; Interpretatio ſeptem hæc capita perſonas eſſe ſingulares ſupponit, non falſam ſolùm eſſe ſed & impoſſibilem.* 13. *Ex his quæ probata ſunt, ſequi Beſtiam, cap.* 17. *Apoc.* Romanum *eſſe* Imperium *in Paganiſmi quoddam genus relapſum.* 14. *Ut &* Meretricem Babylonicam *non* Romam Paganam *eſſe ſed* Pagano-Chriſtianam. 15. *Adventúmq; Antichriſti in extrema conſummatione ſeculi Fictionem eſſe* Chimæricam. 16. *Verum argumentum Viſionum decimi ſeptimi & decimi tertii capitum* Apocalypſeos.

1. POſitio cujus mentionem feci, quæq; tanti eſt momenti, hæc eſt, *Septem* ſcilicet *capita Beſtiæ non eſſe ſeptem perſonas ſingulares ſive Imperatores, ſive alios ſummos Magiſtratus, ſed ſeptem ſummorum Magiſtratuum genera alia aliis ſuccedentia.* Quo quidem demonſtrato, abundè nobis illinc conſtabit quodnam argumentum ſit, quíſq; ſenſus genuinus *Viſionum* horum duorum capitum quæ præ manibus ſunt.

2. Et certè multùm nos in demonſtratione hujus tanti momenti *Poſitionis* profeciſſe deprehendemus, poſtquam concluſionem hanc quæ viam eò muniat, ſatìs ſtabiliverimus; *Beſtiam* ſcilicet *ſepticipitem* cum decem cornibus *Regnum* Imperiúmve *Romanum Idololatricum*, quatenus *Idololatricum*, ſignificare, hoc eſt, quando & quamdiu Idololatricum, nec ultrá. Cujus Propoſitionis veritati demonſtrandæ operam dabo gradatim & perpartes.

1. 3. Primò igitur, per *Beſtiam Regnum Imperiúmve* intelligi, nihil opus eſt hîc repetere, cùm id in *Alphabeto Prophetico* ſatìs luculentè probaverim, monuerímq; porrò in *prima Regula* de comparandis Vaticiniorum Interpretationibus quàm abſonum ſit atq; ridiculum *Figuras Propheticas* ſecundùm approbatum ſenſum ratúmq; *ſtyli Prophetici* uſum non interpretari. Quibus demum addere potes, cùm *ſeptem Capita Beſtiæ* intelligantur de ſeptem Regibus in *ſucceſſione*, decémq; cornua de decem Regibus ad eam eodem tempore pertinentibus, neceſſe eſt ut *Regnum* ſit ſive *Imperium.*

2. 4. Secundò, *Septicipitem* hanc Beſtiam cum *decem cornibus Romanum* Regnum Imperiúmve eſſe, præterquam quòd *decem cornua* quæ *decacorni Beſtiæ* apud *Danielem* reſpondent (quam Eccleſia ſemper de *Imperio Romano* interpretata eſt) Vaticinium ad hunc ſenſum videntur determinare, *Meretrix* præterea *Babylonica*, quæ dicitur inſidere *Beſtiæ ſepticipiti*, quámq; omnes *Romam* eſſe intelligunt, (*Alcazar* viginti minimùm Interpretes affert) idem neceſſariò infert. Et poſtremò, Interpretatio Angeli,

Angeli, qui ſeptem *capita Beſtiæ* ſignificare ait *ſeptem Montes* perinde ac ſeptem Reges planè demonſtrat Beſtiam eſſe *Romanam*, cùm montes *Romæ* montes ſint. Quomodo enim fieri poteſt ut ſeptem montes *Romæ*, ſeptem capita Beſtiæ dicantur, niſi Beſtia *Romanum* eſſet Imperium?

Septem verò montes *Romam* denotare nec ipſa *Ribera* negare auſus eſt. Et *Grotius* expreſsè ſuper Textu, *Noti ſatìs montes ex Poëtis & Hiſtoriis, nec ulla poteſt ad deſcribendam* Romam *adferri nota illuſtrior.* Eſtq; communis omnium Interpretum ſenſus. Et quantùm ſanè ad *Montacutium* Epiſcopum qui ad Imperium *Turcicum* vult extendi, qui jam *Conſtantinopoleos* poſſeſſionem nacti ſunt (quam Hiſtoria ſeptem collium mentione aliquo etiam modo nobilitavit) veterem tamen *Romam* ab Angeli Interpretatione non excludit. Cæterùm Beſtiam ſepticipitem *Turcicum* Imperium non eſſe, certitudine planè mathematicâ concludere poſſumus. Quippe quòd ea Imperium eſt quod per ſucceſſionem quinq; capitum etiam S. *Johannis* temporibus duraverat, cùm Imperium *Turcicum* nè in rerum quidem natura eſſet, multis centenis annis póſt. Nec ullum Imperium erat cujus Metropolis ob ſeptem colles celebris erat præter *Romanum*. Unde ſummâ, quæ exoptari poteſt, certitudine concludere licet, *Beſtiam ſepticipitem cum decem cornibus Imperium* eſſe *Romanum*.

5. Tertiò, Septicipitem hanc Beſtiam *Idololatricum Regnum* Imperiúmve *Romanum* eſſe ex multis indiciis apparere poteſt. Et primùm, ex eo quòd ipſe *Iconiſmus* Beſtiæ, eo ſenſu quem vox *Græca* ſonat, quæ θηρίον eſt, hoc eſt, *Fera* ex ſeipſo ſignificat Regnum Imperiúmve Idololatricum, quemadmodum in *Alphabeto Prophetico* ſatìs demonſtravimus. Quod quidem ſolum ſufficere poſſit ad evincendam tertiam hanc aſſertionis noſtræ partem. 3. Cap. 5.

Cæterùm præter hæc, notatu dignum eſt in unaquaq; viſione in qua ſepticeps hæc Beſtia repræſentatur, illud occurrere quod planè eam declarat *Idololatricam*. Ut Apocalypſ. 12. Ibi *Draco* dicitur vel *Serpens*; Quod igitur neceſſe eſt eſſe Regnum aliquod *Paganicum*, Imperiúmve *Idololatricum*, quippe cujus figura eſt ipſa effigies *Diaboli*, cujus bellum adversùs Eccleſiam Chriſti, cujúſq; debellatio atq; caſus Regni Chriſti exaltatio. Ipſéq; *Grotius* hunc πυῤῥὸν δρακοντα μέγαν *magnum hunc rufum Draconem*, *Martem*, Dæmonem Politiæ *Romanæ* Præſidem, quæ æquè inſigniter *Idololatrica* erat atq; *crudelis*, lubens agnoſcit. Apoc. 12.

Jam verò ſicut certum eſt *rufum Draconem* Imperium eſſe *Romanum Idololatricum*, ità *ſepticipitem Beſtiam*, cap. 13. commemoratam, *idem Imperium Idololatricum* eſſe æquè certò indicatur, ex eo quòd Beſtia eſt cujus *plaga lethalis curata* eſt, quam in conflictu cum *Michaëlis* copiis acceperat, quódq; *Draco* dictus ſit poteſtatem ſuam huic beſtiæ tradidiſſe, Beſtiáq; hæc *Imago* appelletur *Draconis*, qui tam lethaliter vulneratus erat. Et ex eo porrò quòd capite 17. *ſepticeps Beſtia* quæ illîc exhibetur, *Beſtia quæ erat*, nominata ſit. Et quis alius, obſecro, ille eſt quàm *Draco*? Ac proinde *Draco hic redivivus* ſive hæc *Imago Draconis* non poteſt non eſſe *Imperium Idololatricum*, vel Imperium rurſus in Idololatriam lapſum.

Et poſtremò, Nè Lector fortè non ſatìs attentus ſit ad obſervandam Idololatriam *ſepticipitis Beſtiæ* in 13. & 17. capitibus ex eis rationibus quas ego nominavi, Spiritus Dei ulteriori expreſſioríq; hujus notæ inuſtione eam inſignivit in utriſq; illis viſionibus, nomina *Blaſphemiæ* ſuper ſeptem illius capita collocando in 13. cap. & declarando corpus ejus plenum nominibus *Blaſphemiæ* cap. 17. per *Blaſphemiam* intelligens *Idololatriam*, quemadmodum *Alphabeto Prophetico* abundè probavimus.

6. Quartò, Has viſiones exhibere *Romanum Imperium ut Idololatricum, per omnia illa tempora quibus ſic erat, aut erat futurum*, hinc apparet, Primò ex *generali* natura harum *Propheticarum Figurarum*, ubi *Beſtia* ſemper ſignificat Regnum Imperiúmve *integrâ ſuâ ſucceſſione & duratione*, niſi quid fortè innuatur contrarium. Quod manifeſtum eſt tum ex illis exemplis *Danielis*, ubi quatuor *Beſtiæ* ſignificant totidem Regna cum integris ſuis ſucceſſionibus, tum etiam ex ipſa natura illius Schematis Prophetici quam *Henopœiam* appellamus, quæ ſemper cum his Beſtiarum *Iconiſmis* conjuncta eſt. *Henopœia* enim nihil aliud eſt quàm Collectio tam ſucceſſionis quàm multitudinis in unam individuam Formam vel ſpeciem, ſive *Humana* ſit ſive *Belluina*. 4. *Vide cap. 3. ſect. 6.*

Rurſus, ex eo quòd *ſepticeps Beſtia* cap. 13. dicitur *Imago Draconis*, eadémq; Beſtia cap. 17. *Beſtia* nominatur *quæ erat*, qui proculdubio erat *Draco*, hinc etiam patet duarum illarum Viſionum ſcopum eſſe Imperium repræſentare per omnia tempora quibus ſit *Idololatricum*, per tempora Primitivæ ſuæ puréve Paganæ *Idololatriæ*, perinde ac Imaginis Inſtaurationiſve illius per *Paganicum* quoddam *Idololatricúmq;* genus Chriſtianitatis. Vel pleniùs ſic; Septiceps hæc Beſtia ſic repræſentatur

ut

ut intelligas eam ſub uno aliquo capitum ſuorum pugnâſſe & lethaliter vulneratam eſſe, poſtea verò revixiſſe; Item ad certum tempus extitiſſe, deinde verò exiſtere deſiiſſe, poſtea verò rurſus extituram, & tum demum perituram in perpetuum. Quamobrem tota duratio Beſtiæ videtur his finibus concludi, diviſa in duas partes per mortem ceſſationémve Beſtiæ ad tempus. Cujus ſenſus apertus hic eſt; Imperium ſcilicet Regnúmve *Romanum*, fuiſſe ac futurum eſſe *Beſtiam*, hoc eſt, *Idololatricum*, per certam temporis ſeriem, tunc verò ſic eſſe *ad certum tempus* ceſſaturum, poſtea verò *Idololatricum* rurſus futurum eſſe, & tum poſtea ſic eſſe *in perpetuum* ceſſaturum. Hæ figuræ igitur Propheticæ, Beſtias has intelligo, quæ hunc ſenſum exhibent, neceſſariò duas has integras Temporis partes, quibus Imperium repræſentatur tanquam *Idololatricum*, ſupponunt. Quemadmodum is qui lineam *diſſecat*, *totam* lineam in duas partes *ſecat*.

Quibus omnibus adjicere potes, Cùm ſeptem capita *Draconis* repræſententur tanquam actu coronata, quamvis quinq; eorum cecidiſſent tempore S. *Johannis*, nec niſi unum præſens eſſet, ſeptimúmq; propterea in rerum natura nondum exiſteret, ex eo planè conſtare, totàm durationem ſucceſſionémq; Beſtiæ hîc exhiberi ſimul. Quod & adhuc evidentius eſt ex eo quòd ſeptimum caput eſt ultimum ſub quo *Beſtia* unà cum *illo capite* perit, quemadmodum Textus ille Ellipticus proculdubio innuit, cap. 17. v. 11. Cujus ſenſus integer hic eſt; Et *Beſtia quæ erat & non eſt, caput ejus ſcilicet, is eſt octavus & è ſeptem illis eſt, eáq; cum capite ſuo abit in perditionem*, quemadmodum pleniùs per occaſionem notabo ſuo in loco.

Quamobrem conſentaneum eſt concludere, Quòd *primum* caput ad primum *Beſtiæ* vel Imperii *Romani* principium pertingit, æquè ac *ultimum* ad illius perditionem. Neq; hîc ſuperaddam, cùm ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος *Romanum* Imperium æquè ac Diabolum connotet, eum antiquitatem perinde utriuſq; connotare poſſe.

5. 7. Quiutò & ultimò, Quòd *ſepticeps Beſtia Romanum Imperium non ultrà repræſentat quàm quatenus Idololatricum*, (quæ pars ultima noſtræ aſſertionis eſt) ex eo apparebit, quòd *Imago* hæc *Prophetica* ſive *Iconiſmus* ϑηελυ ſive *Feræ* non adhibetur ad repræſentandum ullum Imperium quod non ſit *Idololatricum*, quemadmodum ſuprà notavi; ac proinde ſi poneretur pro Regno Imperióve quod non eſt *Idololatricum*, conſimile eſſet falſæ in verbis affirmationi, ſymbolicáq; reperiretur calumnia. Nomina etiam *Blaſphemiæ* in capitibus & in corpore ejus, ineptiorem adhuc reddunt hanc *ſepticipitem Beſtiam* ad repræſentandum ullum Regnum quamdiu ab Idololatria ſit immune. *Vitam*, inquam, reddunt *exiſtentiámq; Beſtiæ* omninò ineptam.

Cædes verò *Beſtiæ* ejúſve exterminatio è rerum natura, ſignificare poteſt Imperium aliquod, quod *Idololatricum* erat, & ex conſequenti ſecundùm ſtylum Propheticum *Beſtia*, nunc ceſſare ſic eſſe: Cúmq; *Romanum* Imperium, quatenus Imperium, nondum eſſe ceſſaverit, ceſſaret verò *Idololatricum* eſſe poſtquam *Conſtantinus* ad Fidem Chriſtianam converſus eſſet, manifeſtum eſt *cædem* Beſtiæ ejúſve *exiſtentiæ ceſſationem* intelligendam eſſe de illo ſtatu Imperii. Nam à tempore *Conſtantini* uſq; ad introitum rurſus *Idololatriæ* in Imperium, *Beſtia vivens exiſténſq;* inepta illius erat imago, meráque, quod dixi, *Hieroglyphica* calumnia.

Cæterùm, ſicut *Beſtia occiſa*, durante tempore quo cæſa jacet, omne tempus quo pura Chriſtianitas in Imperio florebat, complectitur; ità *Beſtia nondum cæſa*, & poſt cædem *ad vitam reſtituta*, totum illud temporis ſpatium quo Regnum Imperiúmve Romanum *Idololatricum* erat, comprehendit, illud perinde quod anteceſſerat florentem puræ Chriſtianitatis ſtatum atq; illud quod ſuccedebat. Quæ altera clara eſt confirmatio veritatis quartæ partis noſtræ Aſſertionis.

8. Abundè igitur liquet ex eis quæ allegavimus, *Beſtiam ſepticipitem cum decem cornibus* Imperium Regnúmve *Romanum Idololatricum* ſignificare, quatenus *Idololatricum*, hoc eſt, *quando* & *quamdiu* Idololatricum eſt, & non ultrá. Quod unum argumentum eſt haud mediocris ſanè momenti ad evincendum *ſeptem capita Beſtiæ* non *ſeptem eſſe Perſonas ſingulares aliis alias ſuccedentes, ſed ſeptem ſummorum Magiſtratuum genera.* Quæ enim *Perſonæ ſeptem* tempus explere poſſunt durationis Imperii quamdiu *Idololatricum* eſſet, nec multos centenos annos (immò ſupra annorum mille) ſummo Magiſtratu deſtitutos relinquere, atq; ſic Beſtiam fingere tot ſecula abſq; capite viventem? Quo nihil dici poteſt abſurdius.

9. Verùm huic ſoli Argumento non innitimur, quanquam illud ſolum ſufficere poteſt ad præcipuam noſtram Theſin ſtabiliendam. Confirmari enim porrò poteſt conſiderando naturam ac deſcriptionem horum *ſeptem capitum*. Nam id quo deſcribuntur, intelligi debet tanquam character qui ea diſtincturus ſit ab omnibus aliis *Beſtiæ*

capitibus

capitibus (ſiqua ſint alia præter ipſa) quæ omiſſa ſint, & ſignificaturus hæc quæ hoc charactere inſigniuntur, omnia omninò eſſe quæ hujus ſunt characteris. Ac proinde quando *ſeptem hæc Capita* dicuntur *ſeptem Coronas* geſtare (niſi eſſet ut diſtinguerentur à ſeptem montibus quibus Coronæ non tam propriè competunt) quærerem ex iis qui *ſeptem hæc capita, ſeptem Romanos Imperatores* faciunt, an ſeptem ſolummodò *Romani Imperatores* coronati eſſent? Sed ipſe quæſtioni à me propoſitæ jam reſpondi, agnoſcendo *ſeptem capita* geſtare *ſeptem Coronas*, ad ſenſum determinandum eo in loco ad talia objecta quorum proprium ſit Coronas geſtare, nempe ad *ſeptem Reges*, nè cujuſquam Imaginatio ad ſeptem montes colléſve divagetur.

At enimvero, cùm in ſubſequenti capite, ſeptem hæc capita (Nam eadem eſſe quæ cum *Michaële* pugnaverant, ex eo apparet, quòd unum ex ipſis repræſentatur tanquam lethaliter in prælio vulneratum) dicantur inſcripta ſibi habere nomina *blaſphemiæ*, hoc eſt, *Idololatriæ*, inſtanter rogo, an plures non erant *blaſphemi* ſive *idololatrici* Imperatores in tota *Romana* ſucceſſione quàm *ſeptem*? Et reſpondere ſanè audeo, nihil morando conſenſum Adverſariorum, fuiſſe plures. Ac proinde *ſeptem ſingulares* Imperatores per *ſeptem Capita* intelligi non poſſe, ſed *ſeptem ſummorum Magiſtratuum genera.*

10. Cui in ſecundo loco addere potes; Quemadmodum in vulgari ſermone, per *Animal bipes* intelligitur Animal quod *duos omninò* habet *pedes*, non plures aut pauciores, & ſic *Animal quadrupes* quod *quatuor omninò pedes habet*, non plures: ità per *Beſtiam ſepticipitem* naturaliter intelligendum eſſe Beſtiam quæ *ſeptem habet capita*, non plura nec puciora, cùm tam conſtanter * repræſentetur cum illo capitum numero, non plurium. Quod verum eſſe non poteſt de Imperio *Romano Idololatrico*, niſi ſeptem *generum* ſummorum Magiſtratuum numerus non *Perſonarum* intelligatur. Nam ſeptem *ſingulares Perſonæ* in toto tractu durationis Imperii nihilo meliorem profectò ſpeciem præbebunt quàm ſetæ ſeptem ſolitariæ in Apri *Calydonii* dorſo eminentes, qui neq; pingi nec dici poteſt Aper *cum ſeptem* ſetis, cùm integra quidem ſepes ſtrigáve ſit horum ſpiculorum ſetaceorum ejuſdem naturæ cum eis ſeptem quæ nominentur aut depingantur.

* *Ut cum omnibus ſeptem coronatis, Apoc. 12. cum uno è ſeptem vulnerato, cap. 13. cum ſucceſſione omnium ſeptem, cap. 17. Quæ ſunt omnia omninò loca ubi capitum beſtiæ fit mentio.*

11. Poſtremò, *Beſtia* (utì ex ipſo Textu planè apparet) occiſa eſt ſub *ſexto capite*, quoniam illius cædes à S. *Johanne* * prædicta eſt qui vixit etiam cùm ſextum caput florebat, ultimúmq; caput caput eſt *reſtitutionis* illius ſive reviviſcentiæ, nec ſunt plura omninò capita quàm ſeptem. Quamobrem manifeſtum eſt *Beſtiam* ſub *ſexto capite* fuiſſe *occiſam.* Nec præcisè dici poterat caput ultimum, caput eſſe Beſtiæ *quæ erat & non eſt & tamen eſt*, ſi antè extitiſſet quàm Beſtia occiſa eſſet & reſtituta. Quapropter palàm eſt cædem illius fuiſſe ſub *ſexto capite*, ut & *Beſtiam reſtitutam* non habere niſi *unum caput* à principio illius reſtitutionis ad finalem uſq; ejus perditionem, ſiquidem capita omninò non ſunt plura quàm ſeptem.

* *Apoc. 17. 11.*

Jam verò *cædem Beſtiæ* ſive *illius è rerum natura exterminationem*, manifeſtum eſt fuiſſe *Chriſtianitatis*, *Paganiſmi* loco, in Imperium introductionem, & *Chriſtianorum* Imperatorum loco *Paganicorum Cæſarum.* Cujus rerum ſtatûs duratio breve tantùm tempus fore dicitur, ſi cum *Beſtiæ* reſtitutæ ſucceſſione conferatur. (Nam tempus breve dici tam proximè ſubſequentis capitis quàm proximè antecedentis capitis durationis reſpectu nullus dubito.) Verùm breve illud tempus nemo dixerit tam breve eſſe ut unius Imperatoris Regno claudatur, ac proinde neceſſe eſt ut *Imperatorum* purè *Chriſtianorum* ſucceſſionem ſignificet.

Vide ſect. 7.

Apoc. 17.

Atq; ea propter multò magìs caput ſeptimum (qui etiam *Rex octavus* appellatur, ſed inter capita *ultimum* perinde eſt atq; *ſeptimum*) ſignificare debet *ſucceſſionem*, cùm illius duratio futura ſit multò diuturnior. Quod eos verò attinet qui introitum rurſus *Idololatriæ* in Imperium recentiorem faciunt, nondúmve eam contendunt introiviſſe, quàm diuturnum, obſecro, Regnum illius Beſtiæ *quæ erat & non eſt & tamen eſt, juxta eorum computum, reperiendum erit?* Si tempus illud breve in tredecies centenos annos jam excurrerit, quot tandem annorum millia Regnum reſtitutæ Beſtiæ eſt duraturum? Tam impoſſibile eſt ut *ſeptimum ultimúmve* caput de ulla *ſingulari perſona* intelligatur, ſed de *ſucceſſione*; niſi Beſtiam volunt vivere annos aliquot millenos ſine capite.

Quòd ſi ſeptimum ultimúmve Caput, certi alicujus generis ſummorum Magiſtratuum ſucceſſionem ſignificat, non *Perſonam ſingularem*, tunc ſanè reliqua *ſex Capita ſex ſummorum Magiſtratuum genera* non *ſex perſonas* ſignificare debent, quemadmodum quivis qui nullò laborat præjudicio, facilè agniturus eſt.

12. Quæ quidem Concluſio digna erat inveſtigatu, quippe cujus plena confirmatio tam planè evincit talem Interpretationem quæ *ſeptem* ſupponat *Capita ſeptem*

eſſe diverſi generis ſummorum *Magiſtratuum ſucceſſiones*, non ſolùm commodam eſſe ipsíq; Textui apertè conſentaneam, ſed etiam prorſus neceſſariam, omnésq; alias Interpretationes quæ *ſeptem Perſonis* nituntur, non ſolùm *falſas* eſſe ſed & *impoſſibiles*.

13. Jam verò ex concluſis porrò patet, *quodnam ſit præcipuum ſubjectum hujus viſionis in hoc decimo ſeptimo capite Apocalypſeos*. Quòd utiq; non ſit Imperium *Romanum* purè *Paganicum*, quippe quod tranſierat maxima ex parte ſub *quinq; primis capitibus*, tranſibátq; tunc ſub *ſexto* S. *Johannis* temporibus. Quòd *caput ſextum* unà cum *Beſtia* occiſum eſt ceſſabátq; eſſe ſtatim atq; Imperium *Romanum* Chriſtianitatem receperat, *Imperatoréſq;* evaſerant *Chriſtiani*, Chriſtianáq; Religio permanebat cultibus *Idololatricis* incontaminata. Nam dum hoc erat (atq; ità profectò erat aliquando) Beſtia ceſſabat eſſe. Cæterùm Beſtia S. *Johanni* exhibita in hac viſione (*Beſtia quam vidiſti fuit & non eſt*) *Beſtia eſt quæ fuit ſed poſtea ceſſabat eſſe, dein verò extitura erat, ſed demum in perpetuum peritura.* Quæ Notæ ſimul ſumptæ, tunc ſolùm Beſtiæ competere poſſunt ubi ad tempus ceſſaverit exiſtere. Noménq; eſt ei inditum cum reſpectu ad illud tempus momentaneæ ſuæ ceſſationis. Tunc enim omnia iſta de illo vera erant, propriúſq; illius naturæ character eſt ordiníſq; ſucceſſionis, nempe quòd *illa ipſa ſit Beſtia quæ puræ Chriſtianitati in Imperio erat ſucceſſura.*

Apoc. 17. 8.

Quapropter manifeſtum eſt, ſubjectum hujus viſionis eſſe *Romanum* Imperium in *Idololatriam* quaſi redivivam rurſus relapſum, itáq; manſuram uſq; ad finalem ex ipſo *Idololatriæ* extirpationem. Quæ plena perfectáq; Beſtiæ perditio eſt, illiúſq; è rerum natura in perpetuum exterminatio, quemadmodum exterminatio *Idololatriæ* ex Imperio ad tempus, lethalis erat plaga cædéſve Beſtiæ ad tempus; ità tamen ut rurſus revixerit evigilaverítq; in admodum vivam ſuiipſius Imaginem.

14 Ex quibus porrò ſequitur, Quòd *Meretrix Babylonica* de *Roma Paganica* neutiquam intelligi poteſt, ſed de *Roma Pagano-Chriſtiana*, ſive de *Romana Hierarchia*, (*Romanam* intelligendo latiſſimo ſenſu) illicitis ſuis doctrinis, Idololatricíſq; ritibus *Chriſtianitatem* corrumpente. Quî autem fieri poteſt ut *Roma Paganica* quæ ſub *ſex primis* capitibus tranſierat, inſideret Beſtiæ *quæ erat & non eſt & tamen eſt*, hoc eſt, illi Beſtiæ quæ nullam antè habebat exiſtentiam quàm pura Chriſtianitas facta eſſet Religio Imperii, ſed illi rerum ſtatui, tanquam funeſta illius corruptio, ſub *ſeptimo Capite* erat ſucceſſura?

Roma igitur *Paganica* ſub ſola ſucceſſione *ſex primorum* Capitum, *Beſtiæ ſepticipiti* inſidebat. Quibus quidem ſolis temporibus rectè dici poterat & ſimpliciter *quòd ſit*. Verùm ſtatim atq; incorrupta Chriſtianitas facta erat Religio Imperii, tunc rectè dici poterat, Quòd Beſtia *erat ſed non eſt*, ſed quòd rurſus aſcenſura erat ex Abyſſo, & poſt certum quoddam, ídq; haud exiguum, temporis ſpacium penitus peritura. Durante verò tempore corruptæ illius conditionis quando *Chriſtiana* Religio *Paganica* evaſerat & *Idololatrica*, rectè dici tunc poterat de Imperio, Quòd *Beſtia eſt quæ erat & non eſt & tamen eſt*. Verùm *Meretrix* dicitur inſidere huic ipſi Beſtiæ. Quamobrem antiqua *Roma* non eſt ſed *Mœcha Pagano-Chriſtiana*, *Romanáve Hierarchia*, quæ *Meretrix* eſt quæ Beſtiæ inſidet in hac viſione.

15. Nec intelligi poteſt viſio de *Paganiſmo* craſsè ſic dicto, qui rurſus *Romanum* Imperium inundaturus eſſet paulò ante finem mundi ſub *Chimærico Antichriſto* tunc apparituro (quemadmodum quidam ſubterfugii causâ libenter imaginantur) ſed interpretanda eſt de *Antichriſtianiſmo* qui jam ipſum occupavit, propterea quòd dictum eſt, *Cæſares* verè *Chriſtianos* ad breve tantùm tempus eſſe manſuros. Quod planè innuit ſtatum *Antichriſtianum*, præ eo, ad longum ſanè tempus eſſe duraturum.

Quamobrem ſi ſtatus hic *Antichriſtianus* nondum venerit, ſed omnia probè ſe habeant, nec *Idololatria Pagano-Chriſtiana* adhuc intraverit à regno *Conſtantini* ad hunc uſq; diem, Regnum ſanè *Antichriſti* minimùm erit, ter quatérve millenos annos, duraturum. Quæ tam monſtroſa eſt conſequentia támq; ex diametro * ſacris Scripturis contraria, ut omninò neceſſe ſit Poſitionem quæ illam inferat eſſe falſam.

* Daniel. 7 25. & c. 12. 7. Apoc. 13. 5.

16. Quamobrem tutò concludere poſſumus, *Præcipuum ſubjectum viſionis* in hoc decimo ſeptimo capite *Apocalypſeos*, ut & illius in decimo tertio (quæ ferè eadem eſt quæ hæc) *ſtatum eſſe* Romani *Imperii corruptum & relapſum à vera ac pura Chriſtianitate in conditionem Paganicam & Idololatricam*, propter falſas directiones inſcitáq; aut maligna moderamina *Romanæ* Hierarchiæ, qui adminiſtrationem Imperii quantùm ad res Religionis ſibi aſſumpſerunt. Sed ità tamen ut hæc *Idololatrica* conditio tum in *Hierarchia* tum in *Imperio* poſt certam Temporis periodum mutanda ſit, veráq; Chriſtianitas omnia iterum inundatura, nec *Idololatria* unquam repullulatura.

Hæc

Hæc eſt harum Viſionum ratio ſummaria. Aggrediemur nunc expoſitionem ſingularum particularum utriuſq; capitis, quâ generalis hæc Ratio firmiùs adhuc & luculentiùs demonſtrabitur.

CAP. XII.

1. *Hujus* Co-expoſitionis *ſcopus atq; ordo. Verſ. I. Quid intelligatur per* Meretricem. 2. *Cur* magna *dicta ſit.* 3. *Eam* Romam Paganicam *non eſſe ſed Romam* Pſeudo-Chriſtianam. *Ver. II. Qui* Reges *ſint terræ, quæq; ipſorum* Ebrietas. 2. *Prima* Congruentia Paralleliſmi *primi confirmata. Ver. III. Quòd &* Beſtia bicornis *&* Meretrix *in deſerto repræſententur, inter primi* Paralleliſmi Congruentias *recenſeri potuiſſe.* 2. *Secunda* Congruentia *primi* Paralleliſmi. 3. *Quid intelligatur per* colorem *Beſtiæ* coccineum. 4. *Secundi* Paralleliſmi Congruentia *ſecunda.* 5. *Secundi* Paralleliſmi Congruentia *prima. Ver. IV. Quid* purpura *ac* coccum *Mulieris*, lapidéſq; pretioſi *ac* margaritæ *ſignificent.* 2. *Quámq; manifeſtò tertia* Congruentia *primi* Paralleliſmi *ſit demonſtrata.* 3. *Quid intelligatur per* Poculum abominationum in manu Meretricis. 4. *Quòd Poculum ſit* Philtroſum, *cum illatione illinc veritatis quartæ* Congruentiæ Paralleliſmi *primi.* 5. *Præcipuum Incantamentum quod in miſcendo hoc* Philtro *adhibitum ſit.* 6. Ignis de cœlo *Excommunicatio.* 7. *Alia miracula ad promovendam Idololatriam.* 8. *Quid* Poculum aureum *reſpectu metalli ſignificet. Ver. V. Nomina Meretricum frontibus ſuis inſcripta.* 2. *Totam ſententiam nomen eſſe* Meretricis; *quámq; ridiculum ſit per* [Myſterium] *meram ſynecdochen intelligere.* 3. *Interpretatio harum partium Nominis*, Myſterium *&* Babylon; 4. *Ut &*, Babylon magna, mater Fornicationum. 5. *Quintæ* Congruentiæ *primi* Paralleliſmi *demonſtratio.* 6. Beſtiæ bicornis *ortus ab aliis diverſus.*

1. IN hac *Co-expoſitione*, quanquam in aliis rebus non ſim defuturus, præcipuus tamen ſcopus erit notare & confirmare *Congruentias* duorum *Paralleliſmorum* quos ſuprà delineavi. Et brevitatis causâ abſq; ulla ulteriori *Analyſi*, ſecundùm ordinem verſuum decimi ſeptimi capitis expoſitionem meam deducam, tranſeundo à verſu ad verſum & comparando illos è *decimo tertio* capite, quos perpetuò ſubjunxi, cum ſingulis in unoquoq; verſu *decimi ſeptimi* comprehenſis, quemadmodum ſuprà me facturum præmonui.

Ver. I. *Damnationem meretricis magnæ ſedentis ſuper aquas multas.* Condemnatio *magnæ meretricis* ſive ſupplicium ad quod adjudicatur, eximia pars hujus viſionis eſt, & propterea Titulum gerit totius. Nihil opus eſt ut eis rebus hîc inſiſtam in quibus tam plenè Lectorem in Doctrina *Propheticorum Schematum* erudivi; Quomodo corpus *Politicum* multitudóve Perſonarum earúmq; ſucceſſio ſub una individua ſpecie formáve repræſentetur; quod ſchema *Henopœiam* appellamus. Ac propterea facilè intellecturus eſt *Meretricem* non ſingularem quidem particularémve Fœminam ullam eſſe, ſed Typum corporis *Politici*, quod cùm *Meretrix* appellatur, conditionem illorum *Idololatricam* ſignificat, quemadmodum abundè probavi in explicatione illius *Iconiſmi* in *Alphabeto* meo *Prophetico.* *Cap. 3. ſect. 7.* *Cap. 7 ſect 9.*

2. Quòd verò dicitur *magna* illa *Meretrix*, ſignificat aut ſummum in ea fornicandi furorem ac libidinem, aut amplitudinem illius Juriſdictionis. Quorum poſterius optimè convenit cum illius collocatione ſuper *aquas multas.* Exemplar *Græcum* habet ὃς ἡ τῶν ὑδάτων τῶν πολλῶν, ubi ſecundum τῶν videtur demonſtrativum eſſe & *emphaticum*, totum *Romanum* Imperium indigitans. Illud enim reverà *multæ illæ* ſunt *aquæ*, magnum *mare* ſive *oceanus*, juxta ſtylum *Propheticum.* Unde equidem exiſtimo magnam *Meretricem*, *Romanam* eſſe *Hierarchiam* lato ſenſu ſumptam, intelligendo totum corpus Cleri *Idololatrici* per totum *Romanum* Imperium diffuſi; quanquam nihil dubito quin hæc Imputatio magìs inſigniter ſpectatura ſit ad unam partem quàm ad alteram, ad *Romanam* magìs quàm ad Eccleſiam *Græcam*; & tunc præcipuè cùm *Epiſcopus Romanus* Univerſalis Epiſcopi Titulum nactus eſſet, quippe qui hinc modo magìs peculiari affinem ſe fecit omnium fœdarum depravationum in Eccleſia Catholica.

3. Quódq; *Beſtiæ bicornis* viſio ejuſmodi univerſalem corruptionem *Idololatricam* *Part. 1. Corr. 7.*

in Clero ſignificat in *Orientalibus* pariter atq; in *Occidentalibus* partibus Imperii, per *duo cornua* hujus Beſtiæ innuitur, utì etiam ex eo quòd dicitur *exercere omnem poteſtatem prioris Beſtiæ in conſpectu ejus*; qua de re ampliùs loqui differam donec ad decimum quintum hujus præſentis Capitis verſum pervenimus. Hoc tantùm notabo antequam ulteriùs progrediar, me in antecedenti capite, methodo planè demonſtrativâ, probâſſe, *magnam* hanc *Meretricem* non intelligendam eſſe de ullo corpore *Politico* quod *Idololatriam*, dum Imperium *Paganicum* erat, promoverit, ſed poſtquam evaſiſſet permanſiſſétq; aliquandiu *Chriſtianum*, quanquam *Paganicâ* quâdam novelli modi *Idololatriâ* illius operâ tandem conſpurcatum; Quam clarè evici per multa jam ſecula extitiſſe, juxta evidentem ſenſum vaticinii. Ità ut nullum hîc obſtaculum ſupereſſe poſſit, nec ullus ſuper hac re ſcrupulus.

Ver. II. *Cum qua ſcortati ſunt Reges terræ*; hoc eſt, cujus illecebris & perſuaſionibus inducti Reges *Romani* Imperii (quod οἰκουμένη, Terra habitabilis appellatur, Luc. 2.) doctrinas ritúſq; *Idololatricos*, quæ eſt *ſpiritualis fornicatio*, admiſerunt & amplexati ſunt. Ad decem Reges fortean hîc alludi poteſt, quorum mentio fit v. 13. quíq; *unum conſilium habere dicuntur, & vires ac poteſtatem ſuam Beſtiæ tradere cui meretrix* inſidet. *Et cujus ſcortationis vino inebriati ſunt Incolæ terræ*, hoc eſt, Populus Imperii adeò inflammati erant, intoxicati & dementati inſano zeli *Idololatrici* æſtu, ut eos furore oppidò quàm Tragico adversùs omnes pulchræ ſuæ *Dianæ* oppugnatores contemptoréſq; imbueret, támq; ſtupidos, ſocordes ſecuróſq; redderet, ut omnibus injuriis impoſturíſq; expoſiti eſſent quibus hæc præſtigioſa *Circe* eos poſſet circumvenire.

2. Jam verò quemadmodum *magna* hæc *Meretrix* tantæ eſſe dicitur Promotrix inſtauratrixq; *Idololatriæ*, idem ſimiliter de *bicorni Beſtia* innuitur; quæ tametſi *duo* habet *cornua* inſtar *Agni*, loqui tamen dicitur ut *Draco*, id eſt, Edicta doctrinásq; *Idololatricas* edere. Et rurſus v. 12. *facere* dicitur *ut terra & ipſius incolæ*, hoc eſt, Imperium (ut ſuprà dixi) *adorent Beſtiam illam primam cujus curata fuerit plaga lethalis*. Et v. 14. *jubere terræ incolas imaginem Beſtiæ facere quæ gladio vulnerata fuit, & revixit*. Quarum citationum poſterioris ſenſus hic eſt, *Beſtiam* ſcilicet *Bicornem* ſuâ autoritate ſermoníſq; vi perſuaſiſſe Incolis Imperii, quod tum purè Chriſtianum erat (ac proinde tempus tunc erat cædis mortíſq; Beſtiæ, ſicut antecedenti capite demonſtravi) ejuſmodi *Idololatriæ* faciem rurſus introducere (quanquam ſub prætextu meliùs ornandi promovendíq; Chriſtianitatem) ut Beſtia occiſa meritò videri poſſit in hac *Imagine* reviviſcere, hoc eſt, Imperium rectè dici *Beſtia* denuò evaſiſſe evadendo *Idololatricum*, ſicut *cædes Beſtiæ* erat Imperii ab *Idololatria* ceſſatio. Ac proinde, Imaginem facere Beſtiæ quæ occiſa eſt, idem eſt atq; imaginem facere in gratiam Beſtiæ, quæ occiſa eſt, ut reviviſceret denuò, ſaltem in hac imagine. Et in ipſo Textu dicitur, ἐζησεν, & *revixit*; ità *Vatablus* & *Grotius*, hoc eſt, ſtatim atq; facta eſt hæc *Imago*, *Beſtia* revixit denuò, in hac ſcilicet *Imagine*.

Ac propterea non adeò mirum eſt *Bicornem* hanc *Beſtiam* dici *facere ut Terræ Incolæ adorent Beſtiam illam primam, cujus curata fuerit plaga lethalis*, cùm ea eſſet ſanatrix illius & ad vitam reſtitutrix, capacémq; illam faceret illius adorationis, hoc eſt, *Obedientiæ*, quemadmodum notavi in *Alphabeto Prophetico*, ídq; in iſtiuſmodi mandatis quæ impia erant & *Idololatrica*. Etenim poſtquam *Pagano-Chriſtianiſmus* hic Religio facta eſt Imperii, Lex Decretúmq; Imperii eo ipſo fiebat, ità ut obedientia rectè dici poſſet ſanatæ Beſtiæ præſtari ab omnibus qui talem Religionem amplecterentur ſéq; illi ſubmitterent. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, *Beſtiam bicornem* perinde ac *Meretricem Babylonicam* inſtauratricem fuiſſe *Idololatriæ* in Imperio ac Promotricem.

Ver. III. *Cúmq; me per ſpiritum in deſertum tranſtuliſſet.* Hæc nulla pars viſionis eſt niſi *Deſertum* etiam Hieroglyphicum faciamus. Et certè *Alcazar* ex autoritate multorum è Patribus ſymbolum *Gentiliſmi* facit. Cæterùm ſive Typum conſideremus, ſive ſecùs, Bicorne hoc θηρίον ſive *Fera*, naturaliter intelligetur eſſe in *Deſerto* æquè ac *Meretrix* ſic eſſe declaratur; atq; *Pagano-Chriſtianiſmus* hic cujus ambæ cultrices ſunt, quidnam aliud eſt quàm *Gentiliſmus* quidam? Adeò ut haud ità abſonum fuiſſet etiam hanc inter alias *Paralleliſmi* primi *Congruentias* recenſuiſſe.

2. *Vidi mulierem inſidentem Beſtiæ coccinæ.* Inſidere Beſtiæ innuit inequitationem, & directionem illius, excitationem ſtimulationémq; in hunc vel illum curſum, prout viſum fuerit illius Seſſori. Et *Beſtia bicornis* ſimiliter dicitur animare Beſtiam ſepticipitem & excitare ad ſanguinolenta illa Edicta ad quæ alluſum videtur cap. 13. v. 15. ut Beſtia reviviſcens loqueretur, facerétq; ut quotquot ei ſe non ſubmiſerint, quatenus

Paral. 1. Congr. 1.

Paral. 1. Congr. 2.

quatenus *Beſtiæ*, hoc eſt, quatenus *Idololatricæ*, occidantur. Atq; hoc ſufficere poteſt ad ſubindicationem veritatis ſecundæ *Congruentiæ Paralleliſmi* primi, Quòd nempe *Meretrix* æquè atq; *Beſtia Bicornis* moderamen habet atq; regimen in *Beſtiam ſepticipitem*.

3. Jam verò quantùm ad *colorem* Beſtiæ *coccineum*, duplicem habet indicationem, primam *Crudelitatis Tyrannicæ*, alteram *Majeſtatis Imperialis*. Priori ſenſu *Victorinus*, *Aretas*, *Zegerus*, *Viegas*, *Alcàzar* aliiq; eum interpretantur; poſteriori *Cornelius à lapide*, *Paræus*, *Ribera* & *Grotius*. *Fera coccinea*, inquit ille, *nimirum quia illo colore tingi ſolebant Imperatorum* Romanorum *Paludamenta*. Verùm ubi uterq; ſenſus adeò aptus eſt, ambo ſanè intelligendi ſunt per *Henopœiam*, quæ multa objecta præfigurata ſub unum Typum reducit. Impræſentiarum verò *crudelitatem* Beſtiæ tantùm notabo ſanguineo hoc colore depictam. Idémq; ſimiliter figuratur in externa *Beſtiæ ſepticipitis* forma, capite decimo tertio. *Pardi corpus* illic habet, *pedes Urſi*, *os* verò *Leonis*, quæ omnes Beſtiæ eximiæ rapacitatis ſunt & *crudelitatis*, unde planè confirmatur *Paralleliſmi* ſecundi *Congruentia* ſecunda. *Paral 2. Congr. 2.*

4. *Plenæ nominibus Blaſphemiæ*, hoc eſt, plenæ Titulis generibúſq; Idololatriæ. *Plenæ Diis*, ità *Grotius*, de Paganico Imperio interpretans. Nóſq; tutò reddere poſſumus *Plenæ dæmonibus*, ſecundùm ſenſum Cl. *Medi*, hoc eſt, Plenæ ſuperſtitioſo *Idololatricóq;* cultu Animarum Sanctorum defunctorum (præter alias *Idololatrias* circa rationem colendi debitum religionis noſtræ objectum, Deum Chriſtúmque, commiſſas) poſtquam utiq; Imperium *Pagano-Chriſtianum* evaſerat.

Nec certè *Beſtia*, capite decimo tertio, ob fœdum hoc peccatum minùs eſt memorabilis. Nam quemadmodum *Beſtia coccina* plena erat *nominibus Blaſphemiæ*, ſcutulata quaſi nigricantibus iſtis Titulis, ità *Grotius Pardum* facit variis *Idololatriæ* objectis maculatum. *Pardalis varii coloris Animal, ſic Idololatria Romana Deos habebat Mares, Fœminas, Marifœminas, Maximos, Medioximos, Minimos, vario vultu, vario habitu*, variâ poteſtate. Et certè *Idololatria Pagano-Chriſtiana* ecquid ea illîc deficit? Annon & illa habet Divos ſuos Diváſq; quibus cultum religioſum præſtant? Annon & illi *Dulian* profitentur & *Hyperdulian* perinde ac *Latrian*? Quod certè quàm proximè accedit ad rationem Deorum *Minimorum* & *Medioximorum* cultorum à *Paganis*. An non alii *Sancti* celebres ſunt ob facultatem mala quædam particularia infligendi, alii ob facultatem impertiendi particularia quædam bona? Alii uno aſpectu habitúque, alii autem alio? Annon quidam unum habent officium, alii aliud? quemadmodum pleniùs fuſiúſq; ſuo loco diſſeremus.

Cæterùm *Blaſphemia*, hoc eſt, *Idololatria* hujus Beſtiæ copioſiùs commemoratur expreſſiúſq; v. 5. *Datúmq; eſt ei os loquens magna & blaſphemias*, hoc eſt, Autoritas ſtabiliendi magnas craſſáſve *Idololatrias* in Dei vivi contumeliam, *Cujus nomen dicitur blaſphemare*, in proximè ſequenti verſu, *& tabernaculum ejus, & eos qui in cœlo habitant. Deum* quidem *blaſphemare*, nempe colendo eum per Imagines, aliiſve cultum religioſum tribuendo qui illi ſoli debeatur, eúmq; ſic vilificando, æquandóq; ipſi Creaturas. *Blaſphemare* verò *Tabernaculum Dei*, hoc eſt, *corpus Chriſti, (in quo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*, ut loquitur Apoſtolus) prætendendo fruſtum panis, quod in iſtiuſmodi fœdum gurguſtium ablegant, quò vel Imaginatio cujuſvis hominis horreat deſcendere, ipſiſſimum corpus Chriſti eſſe, illud utiq; corpus ſtupendâ gloriâ plenum. Quæ proculdubio miſerè obſcuratur vilitérq; proculcatur, dum fruſtum panis illud ipſum corpus reverà eſſe aſſeritur, & ob eam ipſam rationem adoratur. Et poſtremò *blaſphemare eos qui in cœlo habitant, Sanctos* ſcilicet, declarando eos adeò ambitioſos eſſe rebelléſq; adverſùs Deum, ut non ſolùm acceptare ſed extorquere velint cultum religioſum ab hominibus per Neces & Incarcerationes variáſq; preſſuras & afflictiones quas ſanguinolenta hæc Beſtia ſinceris Chriſti membris infert, odioſo *Hæretici* nomine ac ignominioſo eis priùs inuſto, prætendens quidem hac in re zelum quendam ac honorem erga *Sanctos*, ſed reverà his rationibus ſummâ eos afficiens contumeliâ, blaſphemiáque, tanquam crudeles & inhumanos erga homines, æquè ac rebelles & perfidos adverſùs Deum. Adeò mirum in modum verus eſt & ſignificans hic Blaſphemiæ character in Beſtia, adeóq; indè luculentè ſecundam *Congruentiam Paralleliſmi* ſecundi confirmavimus. *Cl. 2 0. Vide Ideam Antichriſt lib. 2. c. 5. ſect. 2, 3.* *Vide Ideam Antichriſt lib. 1. cap. 16. ſect. 2.*

5. *Habenti capita ſeptem & cornua decem.* Ità cap. 13. *Tum vidi Beſtiam è mari aſcendentem quæ habebat capita ſeptem & cornua decem.* Quæ primæ *Congruentiæ* ſecundi *Paralleliſmi* evidentiſſima eſt demonſtratio. Quid verò ſignificetur per *capita ſeptem decémq; cornua*, mox intelligemus. *Parall. 2. Congr. 1.*

Ver. IV. *Erat autem mulier illa amicta purpurâ & cocco, & inaurata auro, lapidibus pretioſis, & margaritis. Purpuram* & *coccum* colorem eſſe *Imperialem* ſuprà notavimus

notavimus, atq; ſic eſſe iterum hîc à *Grotio* in hunc quartum verſum agnoſcitur. Sed enim opportunum hîc eſt obſervare, Quòd, quemadmodum Beſtiam, quæ eſt univerſum Imperium Romanum, *coccinam* Beſtiam appellari conceſſum eſt, quanquam ille Habitus capitum Imperii erat proprius, Imperatores ipſos intelligo ac Senatores; ità hæc *Meretrix* purpurâ coccóq; amicta dici poteſt (hoc eſt, *Romana Hierarchia* totúmve corpus illius Cleri) tametſi hic color ad caput ſolummodo pertineret, aut ſaltem ad ſuperiores hujus corporis ordines à ſummo capite proximos. Taléſq; ſunt Togæ Habitúſq; *Romanorum Cardinalium*, quemadmodum ſatìs notum eſt. Quod verò *aurum* ſpectat, *pretioſos lapides* & *margaritas*, manifeſtum eſt referri ad Coronam Papæ auream, Gemmis ac pretioſis lapidibus coruſcantem, ut & ad Margaritas ſumptuoſæ ſuæ veſtis *Sacerdotalis*, &c. Quòd quidem arguit hanc viſionem Eccleſiam *Romanam* propriè ſic dictam modo magìs peculiari reſpicere, quamvìs leviori aliquâ ſtrictúrâ univerſum Imperii Clerum Idololatricum poſſit etiam attingere.

Caput verò *Romanæ Hierarchiæ* cum purpuratis ſuis *Cardinalibus Imperatorium Senatoriúmq;* ſplendorem adeò referunt, ut manifeſtum ſit Poteſtatis *Imperialis* ipſi *Papæ* ineſſe affectationem, cùm *Corona* ejus ac *veſtimenta* tam planè ſint *Imperialia*. Et certè tametſi color Beſtiæ capútq; ſeptimum ab hoc *Mitrato* capite diſtinctum, *Imperatorem* agnoſcendum innuit diſtinctum à *Papa*, Hieroglyphicum tamen hoc planè ſignificat *Papam Imperatoris* partes agere æquè aut magìs quàm *Imperator* ipſe. Quod mirificè convenit cum noto rerum eventu, apertéq; etiam prædicitur cap. 13. v. 12. *Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem exercet in conſpectu ejus*, hoc eſt, *Imperatoris* partes agit æquè magiſve quàm ipſe. Quod tamen intelligendum eſt præcipuè de *Bicorni Beſtia in Roma* veteri reſidente, vel quatenus illîc reſidet, qui maturè ſanè univerſalis Epiſcopi jus ſibi vendicabat maturéq; per *Phocæ* Imperatoris liberalitatem ſibi collatum habuit, poſteáq; ità ſupra ipſos Imperatores emicuit, ut ſe ipſis majorem effecerit. Quanquam diffiteri nolo quin id verum ſit quod *Grotius* tantoperè contendit, nec ipſos nec Imperium ipſorum adhuc ceſſâſſe, quemadmodum & ipſum vaticinium videtur teſtificari, cùm caput *ſeptimum* ſit hujus Beſtiæ à capite Beſtiæ *Bicornis* ſive *Meretricis* diſtinctum. *Par. 1. Congr. 3.*

2. Quòd verò *Beſtia* hæc *Bicornis*, pars princeps ſcilicet illius maximéq; eminens, exercet omnem poteſtatem primæ Beſtiæ in conſpectu ejus, ad admirationem uſq; ex eo impletur quòd *Papa* adeò partes agit *Imperatoris*, nempe ex eo quòd non ſolùm *Mitram* ſimplicem *Bicornem* gerit ut *Epiſcopus*, ſed Coronam triplicem *Imperialem* tanquam ſi eſſet *Imperator*. Veſtimenta etiam purpurea rubeáq; ſandalia; Titulus ejus, *Dominus Deus noſter*; Senatus Cardinalium purpuratorum; ut Reges Principéſq; pedes ejus deoſculentur inſtitutus mos; Tributum è remotiſſimis Imperii partibus receptum; ejus Sanctorum cum junctis *Cardinalium* ſuffragiis Canonizatio; Legatorum miſſio ad Principes; vectigal ex proſtibulis & meretricibus, &c. (de quibus multis id genus aliis pleniùs te docebit *Molinæus* in *Vate ſuo*) omnia ſanè hæc *Imperialis Poteſtatis* dignitatíſq; quædam erant imitamenta. Tam accuratè profectò dici poteſt exercere omnem poteſtatem *primæ Beſtiæ* in conſpectu ejus. *Lib. 5. cap. 17.*

Quod & adhuc magìs luculentè verum eſt, ex eo quòd omnem in rebus *Eccleſiaſticis* poteſtatem *Imperatoris* aufert, ipſéq; eam ſolus exercere vult; nè addam ut virtute hujus integræ *Eccleſiaſticæ Poteſtatis*, *civilem* etiam Imperii *poteſtatem* Imperatoris manibus magna ex parte extorſit. Tam terrifica res erat Excommunicationis fulmen *Papale*. Atq; hoc quidem ſufficit ad confirmandum primi *Paralleliſmi Congruentiam* tertiam.

3. *Habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominationibus & immunditiâ ſcortationis ſuæ.* Ubi *Grotius* in vocem *Abominationibus*; Βδελύγμαϊα, inquit ille, *in viſo quidem intelligendo, humor fœtens, in re verò Dii falſi quos Græci vocant* βδελύγμαϊα *Hebræi* שקוצים & תועבות. Ac proinde *immunditia ſcortationis* ſuæ idem ſonat quod priora, omniáq; ſignificant *Romanæ Hierarchiæ Idololatriam*. Et quemadmodum in antecedenti capite demonſtravimus *Meretricem* hanc non intelligendam eſſe de *Roma Paganica*, ità hæc ſanè circumſtantia oppidò quàm naturaliter cum eo convenit. Mulier enim hæc cum poculo in manu, innuit Inchoatricem illam eſſe non quidem *Propinationis ſalutiferæ* ſed *damnabilis* hujus *Pollutionis Idololatriæ*: Cúmq; Imperium caſtum evaſiſſet, refrixiſſétque, quantùm ad hanc dementiam ac inſaniam, vi puri Evangelii Chriſti ab iſtiuſmodi ſordibus repurgatum, iſtam certè mulierem per hoc *Incentivum*, per hoc *virus amatorium*, inflammare velle eorum animos novis ſtimulis libidinibúſq; colendi Idola, efficeréq; ut ſcortentur à Deo ſuo.

4. Verùm aliquid porrò ſupereſt in hoc poculo obſervatu dignum, nempe qua in re vis illius Incantationis Magiæve conſiſtat. Poculum enim eſſe incantatum *Philtrúmve*

trúmve abundè ſub eo Titulo in *Alphabeto Prophetico* probavi, nec ſolus Cl. *Alcasar* ſed & *Cornelius à lapide*, *Alcazárq*; ad eum ſenſum interpretantur. Quorum poſtremus præter fœditatem compoſitionis ut Bufonum cineres, Cerebrúmq; hominum patibulis ſuſpenſorum, *cantiones* & *execranda verba* ſuperaddit, quæ igitur neceſſe eſt ut *Magica* eſſe intelligantur, & virtutem habere miraculoſam. Cui quidem reſpondet illud cap. 13. de *Beſtia bicorni*, quæ ibi dicitur *edere ſigna magna, adeò etiam ut ignem faciat è cœlo deſcendere in terram, itáq; ſeducere incolas terræ propter ſigna quæ datum eſt ei ut faciat in conſpectu Beſtiæ*, hoc eſt, in conſpectu *Imperii* quod illa his ſignis ad Idololatriam ſeducebat, itáq; rurſus hac ſeductione, *eciſæ Beſtiæ* introducebat *Imaginem*. Unde manifeſtum eſt, *Magiam* miraculáq; *Meretricis* atq; *Beſtiæ bicornis* ad unum finem tendere, ad reducendam ſcilicet rurſus Idololatriam in Imperium juxta quartam *Congruentiam Paralleliſmi* primi. *V. 13, 14. Paral. 1. Congr. 4.*

5. Una verò ex præcipuis *Incantationibus* quæ adhibitæ ſunt in Poculo hoc *Magico*, erant proculdubiò præpotentia illa ac terrifica verba *Excommunicationis*, comminatio illa damnandi homines ad *Ignem Infernalem* niſi ſe Idololatricis Eccleſiæ Inſtitutis ſint ſubmiſſuri. Hoc fulmen à *Romano Vejove* non fecit ſanè ut acceſſeret hoc Poculum, ſed illius hauſtum dulciorem jucundiorémq; reddidit, quippe quod ſic *ſalutis Poculi* ſpeciem adeò præ ſe ferebat in eis qui ipſum hauſerint, poſtquam tanta cum autoritate ac terrore declaratum eſſet eos qui repudiaverint certò eſſe perituros. Hoc principale *carmen* erat quod virtutem hujus Potionis adauxit, fecitq; *Meretricis* Amaſios preſſiùs ſe in ſinum ejus contrahere, attonitos ſcilicet ineſſabili periculo & miſeriâ quæ eos maneat qui ex eo auſint prorepere. Quæ ſimulatitia facultas ablegandi homines ad *Infernum* ob non commiſſam *Idololatriam*, cùm nec *legitima* ſit nec *naturalis*, ſed ſupra vires Naturæ, quæ alia meritò cenſeri poteſt quàm *Magica*, vel *Diabolica*? Atq; hæc ea ipſa poteſtas eſt quæ planè apertéq; figuratur in illis verbis cap. 13. ubi *Beſtia bicornis facere dicitur ut ignis è cœlo deſcendat*. Quem *Alphabeto Prophetico* planè jam probavi ſignificantiſſimum eſſe *Excommunicationis Iconiſmum*. *Cap. 7. ſect. 6.*

6. Nec frequentius quicquam in ore omnium mortalium occurrit quàm *Fulmen Papale*, de quo tam miraculoſum imaginati ſunt effectum, ut populus *Pariſienſis* vulgò crediderint illud *Hæreticos* ità uſtulâſſe ut facies ipſorum, diabolorum inſtar, nigreſcerent, oculíq; diro aſpectu extarent, halitúſq; noxii eſſent & peſtilentes, quemadmodum præſtantiſſimus ille vir *Edwinus Sandys* in ſuo *Europæ ſpeculo* commemorat. *Eraſmus* etiam crebrò hâc metaphorâ utitur in colloquiis, ipſíq; Pontifices in ea gloriantur. Et certè ac ſi Populus non ſatìs promptus eſſet ad intelligendam hanc ſimilitudinem abſq; viſibili aliqua Ceremonia, *Papa* in ſolenni quadam Excommunicatione ardentes faces è ſublimi jaculatur. Et poſtremò *Nauclerus* hac phraſi Fulminationis intra unius & alterius Paginæ ambitum ter quatérve utitur, ipſíq; *Papæ* eos quos excommunicaverint tanquam fulmine afflatos conſiderant, itáq; de eis loquuntur, quemadmodum *Paræus* etiam notavit in locum. Ità ut nullum omninò ſpatium relictum ſit addubitationibus an ad Excommunicationem alluſum ſit in illo oſtento faciendi *ut ignis deſcendat è cœlo*, ut enim *Mortalis* quiſquam id faciat, ingens profectò eſt miraculum.

7. Verùm ubi dicitur, quòd *ſeducit Incolas terræ propter ſigna quæ datum eſt ei ut faciat*, equidem fateor ad alia etiam miracula illìc poſſe alludi, cujuſmodi magna copia eſt de quibus *Romana Eccleſia* gloriatur, quibúſq; multas, quæ apud ipſos obtinent, Idololatriæ ſpecies volunt confirmare. Quæ tamen, quotquot eorum vera ſint, ingenti Sacerdotum ſtudio ac diligentiæ *Idololatriam* promovendi meritò attribui poſſunt, qui eo pacto Diabolum invitant ad iſtos ludos faciendos circa *Imagines*, *Altaria*, *Cœmeteriáve*; Sed ut ad poculum *Magicum* denuò redeamus.

8. Conſideravimus quæ in ipſo fuit intùs, Magiámq; illam *ſupernaturalem* liquori infuſam; ſed & ipſum Poculi *metallum* quod Aurum eſt, ſuam etiam habet ſignificationem, ſenſúmq; ſecum gerit *Magiæ* cujuſdam magìs naturalis quæ attrahit univerſa.

——Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Quamobrem magna illa divitiarum affluentia, Honoréſq; ac dignitates quæ obtineri poſſunt in Eccleſia *Romana*, non minima quidem Pars eſt intoxicatricis illius Potionis τῆς πορνείας τοῦ θυμοῦ, immò verò *quâ incolas terræ inebriavit*, fumis vaporibúſq; *Ambitionis* & *Avaritiæ* caput ipſorum occupantibus, eorum præſertim è Clero *Romano*, qui his aureis Eccleſiæ donis non ditantur niſi ſub conditione adjuvandi promo-

promovendíq; illius Idololatriam. Hoc poculum igitur ſymbolum eſſe cenſeo *Senſualitatis*, *Luxuriæ* & *Affluentiæ*, ex eóq; *inebriari* idem eſſe atq; abundare *mundanâ felicitate*, uſq; ad Inſenſibilitatem rerum meliorum, ſtupidámq; ſecuritatem & acquieſcentiam in oblectamentis ac voluptatibus hujus præſentis vitæ. Hic unus etiam eſſe poteſt ſenſus poculi hujus intoxicatorii, præter ea quæ ſuprà attigimus.

Ver. V. *Et in fronte ſua nomen ſcriptum.* Quod Interpretes rectè notaverunt ad conſuetudinem impudentium quarundam Meretricum, quæ nomina ſua propriis frontibus inſcripta habebant, alludere; utì apparet ex illo apud *Senecam*, *Nomen tuum pependit in fronte, pretia ſtupri accepiſti, & manus quæ diis datura erat ſacra, capturas tulit.*

2. *Myſterium, Babylon magna, mater illa ſcortationum & abominationum terræ.* Quam totam Inſcriptionem nomen *Meretricis* eſſe exiſtimo. Scriptura enim ſæpe perquam longa format Nomina etiam ex integra ſententia, quemadmodum pleniùs notandi mox dabitur occaſio. Quinimò ipſum vocabulum [*Myſterium*] pars Nominis eſt. Totiúſq; ſenſus hic eſt, Nomen utiq; meretricis, eſſe *Babylonem magnam myſticam, meretricum matrem*, vel potiùs matrem *ſcortationum* πορνειῶν, ità quædam exemplaria habent, quæ Verſio vulgaris *Latina* ſequitur, *Bezáque*, quódq; *Grotius* maximè probat, optiméq; convenit cum eo quod ſequitur, & *abominationum Terræ*, ut utraq; eſſe poſſint *Abſtracta*. *Myſticum* autem hîc idem ſignificat quod *ſpirituale* alibi in *Apocalypſi*, Quæ vocatur *ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus*, quemadmodum & *Cornelius à lapide* loca comparando ſtatuit. Et certè *magna* Civitas eſt quæ illic ità appellatur. Quamobrem ad cujuſvis judicium provoco, an *Myſtica ſpiritualiſve Babylon* de *Roma Paganica* intelligi poſſit, ánve veriſimile ſit ut Spiritus Dei vocem [*Myſterium*] inſcriptioni præfigere poſſit quæ nihil ampliùs quàm jejunam *Synecdochen* in ſe habere intelligatur? Nam ſi de *Roma Paganica* exponi debet, nihil amplius *Myſterii* ſubeſt quàm unius *Paganicæ*, Idololatricæ & perſecutricis Civitatis poſitio pro altera. Cum qua proculdubio tam profunda ac venerabilis Præfatio quàm eſt [*Myſterium*] rectè convenire non poteſt.

Cap. 11. *v* 8.

3. Quocircà, de *Civitate* ſeu *Politia Chriſtiana Idololatrica* intelligi debet, aliósq; Idololatriis ſuis contaminante; ſenſúmq; *Myſterii* hunc eſſe oportet, Ut illa utiq; *Hierarchia* quæ per totum Imperium diffuſa prætendit ſe puram illam eſſe & nondum adulteratam Eccleſiam Apoſtolicam, vulgóq; ſic eſſe creditur, immò *Civitas illa è cœlo, Fundamenta cujus muri ſunt duodecim, in quibus duodecim nomina Apoſtolorum Agni ſunt inſcripta, illa Civitas in qua Deus abſterſurus eſt omnem lacrymam ab oculis ſervorum ſuorum, in qua mors ampliùs non extabit neq; luctus neq; clamor neq; dolor*, hoc eſt, nullæ cruentæ perſecutiones, preſſuræ, torturæve fidelium ſervorum Chriſti futuræ ſunt ampliùs, ut rectè *Grotius* locum interpretatur; illa deniq; Civitas *ubi nullum Templum eſt*, hoc eſt, nullum objectum versùs quod nos incurvemus præter Dominum Deum omnipotentem & Agnum, qui ſolus religioſo cultu eſt colendus: Hoc, inquam, *myſterium* eſt, ut *Oecumenica* hæc *Hierarchia* corpúſve Cleri, qui gloriantur ſe puram hanc eſſe & Apoſtolicam Civitatem, ut qui circa res Fidei planè infallibili ſunt judicio utì jactant, ipſa civitas *Babylon* reverà ſint, quæ, tantum abfuit, ut caſtum puritatis cultûs exemplar eſſet, ut è contrà Hominibus defunctis ſacrificaret, *Belúmq;* coleret & adoraret, cultúmq; *Baalim*, hoc eſt, cultum *Dæmonum*, falſorúmve Deorum per totum terrarum orbem propagaret, ipſos etiam *Judæos* peculiarem Dei populum eo morbo inficiens; tantúmq; abfuit ut veris Dei ſervis *protectio* eſſet & levamen, ut longâ eos & triſti captivitate teneret, in ardentem igne fornacem illos etiam conjiciens qui incurvare ſe noluerint versùs Imaginem quam *Nebuchadnezar* erexerat. Hoc *Myſterium* eſt, & tamen oppidò quàm verum.

Etenim nimis ſanè manifeſtum eſt *Pſeudo-Chriſtianam* hanc *Hierarchiam* profeſſum Dei populum variis *Idololatriæ* generibus contaminâſſe, eóſq; ſub dura ſervitute longo tempore captivos tenuiſſe, & præter alias torturas ac perſecutiones, multa fidelium ſervorum Chriſti millia vivicomburio confeciſſe. Quapropter verè *Myſterium* eſt ut illa quæ tam audacter ſe Civitatem Dei profitetur, cuíq; tam feliciter res ſucceſſit, ut ab univerſis ferè ſic eſſe crederetur, reipsâ reperiretur *Babylon illa ſanguinolenta & Idololatrica.*

4. Et quia gloriatur ſe *Catholicam* illam eſſe æquè ac *Apoſtolicam* Eccleſiam, exornatur porrò Titulo *Magnæ* perinde atq; *Babylonis*, & unâ ſimul dictione appellatur *Babylon illa magna*, quippe cujus vaſtus civitatis ambitus (quam qui maximè parcam computationem inierunt ad 360 vel 380 ſtadia ſtatuerunt circuitu extendi, *Plinius* & *Herodotus* ad 480) aptum ſymbolum eſt illius ipſorum jactantiæ, quaſi ii reverà

verà essent Ecclesia illa ***Catholica*** & ***universalis***. Et postremò quia prætendit se *sponsam* esse Agni, ***Matérq; Ecclesia*** amat appellari, Spiritus Dei in hujus falsæ gloriationis opprobrium, ***Matrem illam meretricum*** appellat *&* ***Abominationum Terræ***.

5. Qui Titulus planè demonstrat hanc Civitatem ***Babylonis Romam Paganicam*** non esse, sed ***Politian*** aliquam ***Christianam***. ***Roma*** enim Paganica non erat μήτηρ πορνῶν, ut ***Grotius*** legit, Mater, hoc est, Author vel disseminatrix Idololatriæ per terrarum orbem. Gentes enim Idololatricæ erant ex seipsis absq; illius ope, illáq; discipula potiùs receptríxq; ***Idololatriarum*** ab ipsis, quas pro victoriarum numero adauxit, quemadmodum apparere potest ex Carmine illo promissorio quod ***Macrobius*** describit à ***Romanis*** adhibito quoties spem habebant urbem expugnandi capiendíque, evocantes per illud ***Tutelares Deos Loci***, Templáq; ac solennes ritus eis ***Romæ*** pollicentes. *Saturnal. lib. 3. cap 9.*

Quamobrem ***Mysterii*** Titulus nomini ***Meretricis*** præfixus (vel potiùs cùm ipse pars Nominis sit, planéq; Mysterio Iniquitatis quod commemorat Apostolus, respondeat) simul cum hac parte nominis consideratus (***mater Fornicationum & Abominationum Terræ***) cum demonstratione nostra in præcedenti capite manifestò consentit, ubi probavi per ***Babylonem*** necessariò intelligendam esse non quidem ***Romam Ethnicam***, sed statum ***Ecclesiæ*** qui in ***Ethnicismum Idololatriámq;*** degenerâsset. Quod, cum profundiùs absconderetur quàm ut quilibet primo intuitu deprehendere potuerit, & coloratum obauratúmq; esset speciosis prætextis magnificandi Christum ejúsq; Apostolos cum ***Sanctis*** reliquis, præsertim ***Mariam*** Virginem ***Matrem Christi***, rectè appellatur ***Mysterium***. Qua in re ***Meretrix*** hæc ***Bicornísq; Bestia*** accuratè conveniunt. Etenim quòd ***cornua agni similia*** habet, id sanè prætextum est succedendi Christo & Apostolis, & potestatem indè habendi quâ Ecclesiam ad mentem Christi moderetur & gubernet, in rem ejus ac honorem, quem rebus singulis obtendunt. Verùm ***loquela*** illius ***Draconica*** planè indicat eos Idololatricorum rituum authores esse, doctrinarúmq; cultûs adulterati editores. Unde quinta ***Congruentia Paralleliſmi*** primi manifesta est, cùm & ***Meretrix*** & ***Bicornis Bestia*** Introductrices reperiantur Idololatriæ sub obtentu promovendi Christianitatem. *2 Thess. 2. 7.* *Parall. 1. Congr. 5.*

6. Hic ***Agninorum cornuum*** loquelæq; ***Draconicæ*** sensus est in ***Bestia bicorni***. Quantùm verò ad ascensionem ejus ***è Terra***, quæ ipsi peculiaris est, cùm reliquæ Bestiæ tum apud ***Danielem*** tum in ***Apocalypsi*** describantur tanquam ascendentes è ***Mari***, etiam ventis in illius superficie contra se invicem præliantibus in ***quatuor Bestiarum*** ascensione apud ***Danielem***, hoc demonstrat hanc quidem Bestiam generis esse prorsus diversi à cæteris, ut quæ caput suum extulit, non per bellum nec per vim gladii, quemadmodum alii ***mundani Dynastæ*** solent, sed ratione magis tacitâ occultáque, & ab obscurioribus primordiis. ***Cui origo privata non publica***, inquit ***Grotius***; addítq; porrò, morem esse ***Hebræorum*** vocare τὸν ἰδιώτην ***populum terræ***. Et ***Molinæus*** etiam in locum, Sic ***Latini*** homines novos & ex sordibus provectos ad nobilitatem & opes vocant ***terræ Filios***, ipsáq; Scriptura dicit ***Deum attollere humilem ex pulvere***. Quod quàm verum sit de ***Meretrice*** & ***Bestia bicorni***, omnibus notum est. *Apoc. 13. 11.*

CAP. XIII.

Ver. VI. Quid intelligatur per Martyres Jeſu. 2. *Sexta* Congruentia Paralleliſmi *primi. Ver. VII. Mulierem non eſſe* Romam Ethnicam *demonſtrari poſſe è Beſtia quæ eam bajulat.* 2. *Eam toti Imperio inequitare.* 3. Duo Cornua *Beſtiæ duos eſſe* Patriarchatus Imperiales, *ſed per Henopœiam perſtringere etiam poſſe poteſtatem* ligandi & ſolvendi, *ut &* mitræ Epiſcopalis *cornua.* 4. *Septima* Congruentia Paralleliſmi *primi.* 5. *Prima* Congruentia *ſecundi. Ver. VIII. Quid ſignificetur per* ἀπώλειαν. 2. *Scopum viſionis Beſtiæ in hoc capite eſſe repræſentationem Imperii in illa* ſucceſſione *quâ fit* Pagano-Chriſtiana. 3. *Prolixitatem Tituli nihil impedire quò minùs appellari poſſit* Nomen Beſtiæ. 4. *Quæ ſit* Nominis *ſignificatio.* 5. *Quòd Angelus, poſtquam integras Regni Imperiive* Romani *ſucceſſiones conſiderâſſet, mentem defixit in* illud tempus quo *Imperium* purè Chriſtianum foret, *& quare. Quódq; indè apparet quæ Temporis Beſtiæ ſucceſſio ſit intelligenda.* 6. *Vtì etiam ex nomine titulóve mutato in* Fuit & non eſt & tamen eſt, *unde quinta* Congruentia *ſecundi* Paralleliſmi *etiam evincitur.* 7, 8. *Quî factum ut Angelus hæc nomina Beſtiæ daret. Quódq;* Ellipſis *eſt ubi Angelus ait,* Beſtia quam vidiſti fuit & non eſt, *&c.* 9. *Nomen* Fuit & non eſt & aſcenſura eſt, *&c. ſignificare ſucceſſionum* exiſtendi ordinem, *non* actualem Exiſtentiam *aut* Non-exiſtentiam *Beſtiæ, cum illius rei confirmatione ex* Alcazare. 10. *Manifeſta evictio ex Nomine* [Fuit & non eſt & tamen eſt] *quòd* [Fuit & non eſt & tamen eſt] *non ſignificat* actualem exiſtentiam *aut* non-exiſtentiam, *ſed* ordinem exiſtentiæ *&* ſimilitudinem. 11. *Quòd* [non eſt & tamen eſt] *nec ſenſus tolerabilis foret nec elegantia ulla, niſi leges* contradictionis legitimæ *preſsè attingerentur in hac* Myſtica *aſſertione.* 12. *Abſolutam tamen* Identitatem *in* Eſſentia *aut* Qualitate *huic affirmationi citra falſitatem ſubeſſe non poſſe, unde* ſimilitudinem *eâ innui neceſſe eſt.* 13. *Quòd certitudo ſignificationis hujus Tituli* [Fuit & non eſt & tamen eſt] *prioris ſenſum confirmat, & latitantem* Ellipſin *demonſtrat in applicatione horum Nominum Beſtiæ, quod etiam ex aliis rationibus arguitur.* 14. *Cur* Re-exiſtentiam *ſive* Imaginem Beſtiæ *de Imperio Idololatrico rurſus facto, potiùs quàm de* veteri Politia Romana *in* Poteſtate Pontificia denuò reviviſcente *ſit interpretatus.* 15. Congruentia *tertia* Paralleliſmi *ſecundi.* 16. Congruentia *ſexta.* 17. *Septima* Congruentia. 18. Congruentia *octava.* 19. Congruentia *tertia iterum notata, cum confirmatione indidem ſuprà memoratæ* Ellipſeos. 20. Similitudinis propinquitatem *pro Identitate haberi in communi ſermonis elegantia, unde Beſtiam* quæ fuit & non eſt & tamen eſt, *&* Imaginem Beſtiæ *rurſus evincitur idem eſſe, quintáq; ſecundi* Paralleliſmi Congruentia *indè pleniùs confirmatur.*

VER. VI. *Et vidi mulierem illam ebriam ſanguine Sanctorum & ſanguine Martyrum Jeſu,* hoc eſt, ſanguine Sanctorum qui erant Martyres *Jeſu.* Qui ſcilicet *Martyres* non erant pro doctrina hujus vel illius *erronei ſpiritûs* falſíve Doctoris, qui eos infatuare poſſit ſtolidâ confidentiâ, obfirmatáq; temeritate deponendi vitam in teſtimonium pro mendacio ſubdolè aſtutéq; confícto in rem mundanúmve commodum eorum qui ipſum excogitaverint. Equidem hi iſtiuſmodi *Martyres* non erant, ſed preſſi ac præciſi Sectatores *Agni Jeſu Chriſti,* illiúſq; ſolius veſtigiis inſiſtebant, & veſtigiis eorum qui eum fideliter ſectati ſunt, Apoſtolos intelligo, juxta propriam ipſorum præceptionem, *Imitatores mei eſtote ſicut ego ſum Chriſti,* atq; eum ſanè ſequebantur per res proſperas & adverſas, per convitia & laudes, per vitam, ipſámq; adeò mortem. *1 Cor. 11. 1.*

2. Quorum quidem mors *Meretrici* hîc imputatur, quoniam illa conſiliis & animationibus ſuis *Beſtiam ſepticipitem* ſtimulat ad homicidium ſanguiníſq; effuſionem, quemadmodum dicitur de *Bicorni Beſtia,* quòd vitam & animationem huic Beſtiæ redivivæ dedit, fecítq; ut ſpirans hæc *Imago* loqueretur, mandarétq; ut quotquot noluerint adorare, hoc eſt, *obedire* morémq; gerere *Imagini Beſtiæ,* etiam in eis rebus in quibus *occiſæ Beſtiæ Imaginem gerebat,* in ipſa putà *Idololatria,* trucidarentur. Qua ſexta planè *Congruentia* eſt *Paralleliſmi* primi. *Paral 1. Congr. 6.*

Ver. VII. *Ego dicam tibi myſterium mulieris & beſtiæ quæ portat eam.* Quod quidem mulieris Myſterium referat explicando primò ordinem & ſucceſſionem Beſtiæ quæ eam portat. Hæc enim demonſtratio eſt, de *Roma Paganica,* (quemadmodum capite

capite undecimo hujus libri luculentè probavi) intelligi non oportere, ac proinde ſenſum Myſterii Tituli Meretricis, qui illius naturam illuſtrat, talem eſſe, qualem in verſum quintum præcedenti capite declaravi.

2. Hîc tantùm notabimus ejus *inequitationem Beſtiæ*, illam innuere talem eſſe Politian quæ totius Imperii regimen haberet, non ad unam partem limitaretur. Quemadmodum is qui equo vehitur, non intelligitur unam Equi partem equitare, alteram verò non-equitatam relinquere, ſed totum equitare Equum: Ità certè *Meretrix* toti inequitat Beſtiæ, hoc eſt, toti Imperio, tam *Orientali* quàm *Occidentali*. Quod cum deſcriptione *Beſtiæ bicornis* etiam convenit, quam ſic depictam in Viſione exiſtimo propter duos Patriarchatus Imperiales, alterum *Romæ*, alterum *Conſtantinopoli*, partientes quodammodo ſic inter ſe Imperium, quemadmodum *Orientales Occidentaléſq; Cæſares* faciebant. Cæterùm totus Clerus Imperii, Clerum intelligo *Idololatricum*, corpus eſt hujus *Meretricis* ſive *Beſtiæ*, cujus duo hi Patriarchatus Imperiales ſunt *Cornua*.

3. Nec inveni quicquam adhuc apud Interpretes quod juxta ſtylum Propheticum de cornibus poſſet exponi, niſi hujuſmodi aliqua Poteſtas in concreto locum etiam habere poſſit in Typo. Verùm per *ſecundariam Henopœiam* (hoc ſemel admiſſo quòd hi duo *Patriarchatus* duæ ſunt reales Poteſtates ſive Dignitates in concreto, nam Patriarchas ipſos hâc poteſtate præditos ego hîc intelligo) ad duo etiam cornua *Mitræ Epiſcopalis* fortean alludi etiam poteſt, ſicut *ſeptem Capita* ſignificant *ſeptem Montes* perinde ac *ſeptem Reges*. Et *Joſephus Acoſta* in *Tractatu ſuo de Temporibus noviſſimis*, de *Beſtia bicorni* loquens, *Duo cornua*, inquit, *Epiſcopalis dignitatis, putà Mitræ ſive Infuſæ (hæc enim eſt bicornis) inſigne ſunt. Videtur ergò quòd hic Pſeudopropheta erit Epiſcopus quiſpiam Apoſtata & ſimulator religionis.* Ad quam Interpretationem *duorum cornuum* Beſtiæ, *Cornelii à lapide* etiam videtur inclinare ſententia; rectéq; ſanè cenſet Interpretationem non magìs opprobrio eſſe Epiſcopatui, quàm quòd *cornua Agni* dicuntur, opprobrio eſſe Chriſto; ſed quòd argumentum potiùs eſt excellentiæ illius Gradûs ac Functionis, cùm magnus hic Apoſtata populo commendare ſe ſtudeat ſub hoc Habitu ac Dignitate. *Lib. 2. cap. 17.*

Nec opus eſt ut Cl. *Medi* Interpretationem hinc excludamus, qui per duo cornua poteſtatem *ligandi* & *ſolvendi* intelligit, quam *Pſeudoprophetica* hæc *Beſtia* ab *Agno* Jeſu Chriſto ad ſe derivatam prætendit; nam hæ duæ ſignificationes, pluréſq; ſi plures eſſent, aptæ ac congruentes, per *Henopœiam* uni huic Typo ſubdi poſſent, proviſo primùm, quod jam dixi, ut Typus unam ſignificationem habeat, ex ſtylo Prophetico planè approbandam: Qui paſſim apud *Danielem* & in *Apocalypſi* per cornua *perſonas* aliquas intelligt ſummo loco ac dignitate conſtitutas non *abſtractas poteſtates virtutéſve*, tanquam ſiquis Imperatorem cum duobus cornibus depingeret propterea quòd poteſtatem habeat *vitæ* atq; *necis*. Hoc ſanè in *ſtylo Prophetico* non eſt tolerabile; Neq; hic ſenſus ſolus ſuffulcire poſſet tam ſolidum ſymbolum.

4. Quamobrem cùm *duo* hæc *cornua* Beſtiam *Pſeudopropheticam* innuant ſuper *Orientalem* æquè ac ſuper *Occidentalem* Imperii partem extendi, cúmq; *Meretricis* inequitatio ſuper *Beſtiam ſepticipitem*, eam denotet totius Imperii habenas quodammodo tenuiſſe, hinc certè apparet ſeptimam primi noſtri *Paralleliſmi Congruentiam* argumentis ex his viſionibus hauriendis minimè deſtitui. Quibus ſuperaddere potes ulteriorem pleniorémq; confirmationem ex eis quæ diximus in verſum primum Capite præcedente, ſectionibus ſecundâ ac tertiâ. *Parall. 1. Congr. 7.*

5. *Quæ habet capita ſeptem & cornua decem.* Eadem prorſus deſcriptio eſt Beſtiæ quantùm ad hoc, in capite decimo tertio, verſ. 2. Et ſuprà jam notavimus eam apertè probare *Congruentiam* primam *Paralleliſmi* ſecundi. *Paral. 2. Congr. 1.*

Ver. VIII. *Beſtia quam vidiſti fuit & non eſt, & aſcenſura eſt ex abyſſo, & in exitium abitura*; καὶ εἰς ἀπώλειαν ὑπάγειν, hoc eſt, εἰς παγωλεθρίαν, in *exitium conſummatum perniciémve finalem*. Circumſtantia enim eum planè ſenſum innuit. Etenim ex eo quòd dicitur etiam ante ultimam hanc vicem, eam non fuiſſe, (quod planè arguit eam fuiſſe perditam) naturaliter ſequitur ultimam hanc inſigniorem fore perditionem, & finalem perinde atq; ultimam; vocémq; ἀπώλεια tali ſenſu accipiendam eſſe atq; in υἱὸς ἀπωλείας *Filius Perditionis*, qui idcirco ſic appellatur quia claritate adventûs Chriſti penitùs ſiderandus eſt atq; conſumendus; ac proinde hæc perditio eadem eſt de qua *Daniel* loquitur, *Et ſpectante me perempta eſt Beſtia* (& de *bicorni* ſanè Beſtia loquitur) *ejúſq; contrucidatum corpus igni traditum eſt ad cremandum*, hoc eſt, ut penitùs conſumeretur. Cæterùm octavi hujus versûs intelligentia cùm tanti ſit momenti, uberiorem in eum *Paraphraſin* inſtituam, ut eò pleniùs illius ſcopum intelligamus, cujus hunc ferè ſenſum eſſe exiſtimo. *Dan. 7. 11.*

2. Beſtia quam vidiſti, quámq; duabus prioribus viſionibus videras, eadem Beſtia eſt, quemadmodum apparere poteſt è præcipuo illius charactere, *ſeptem capitibus decémq; cornibus*, atq; unum idémq; eſt Regnum Imperiúmve Idololatricum, ſicuti conſtat ex *ſerpentino* illius *corpore* in prima viſione, è Nominibus *Blaſphemiæ* in *ſingulis capitibus* in ſecunda, & è *corpore pleno Nominibus Blaſphemiæ* in hac tertia & ultima. Præcipuus verò ſcopus hujus ultimæ viſionis (quamvis priorem partem ſucceſſionis hujus Imperii *Idololatrici* leviori aliquo reſpectu attingat, quatenus ſcilicet denuò *repræſentatur* ea in parte integræ ſucceſſionis quæ proximè antecedit Intervallum illud in quo ad tempus ceſſaret eſſe) præcipuus, inquam, ſcopus hujus viſionis eſt determinatè hoc Imperium *Idololatricum* & adæquatè repræſentare ſub illa temporis ſucceſſione, quæ inceperit ſtatim ab exitu illius Intervalli quo Imperium eſſet purè *Chriſtianum*, nec Idololatricis ſuperſtitionibus adhuc contaminatum, etiam ad illud uſq; tempus, quo Idololatria poſtquam curſum ſuum rurſus peregerit, ex Imperio prorſus exterminanda ſit, illuc nunquam reditura.

3. Quamobrem Angelus rerum ordinem quaſi ſuper digitos dinumerans, & tunc particulatim magis hanc temporis ſucceſſionem indigitans, *Beſtia quam vidiſti* (inquit ille *Johanni*) *nomen* ſcilicet ejus (nam *ecſtaticus* Prophetiæ ſtylus facilè ejuſmodi *Ellipſin* admittere poteſt) eſt, *Fuit & non eſt & aſcenſura eſt ex Abyſſo & in exitium abitura.* Quod certè nomen eſt pauciorum ſyllabarum quàm, *Myſterium, Babylon illa magna, mater ſcortationum & abominationum Terræ.* Verùm tam prolixa Nomina non ſunt adeò inuſitata in Scripturis, quemadmodum apparet in *Maher-ſhalal-haſh-baſh.* Quod *Latinè* ſic ſonat, *ad feſtinandum ſpolium acceleravit prædam.*

Eſai. 8. 1.

4. Jam verò ſenſus *Tituli Nominiſve Beſtiæ* hic eſt, Idololatricum ſcilicet hoc Imperium repræſentari ſolummodò ſub illa temporis ſucceſſione (ſecundùm *præcipuum* præſentis hujus viſionis ſcopum) ſub qua ſi conſideretur, opportunum aliquando erit dicere, eam Beſtiam eſſe quæ *fuit* & *non eſt* & aſcenſura eſt ex Abyſſo & tum poſtea in exitium abitura, hoc eſt, peritura in perpetuum, nunquam denuò revictura. De illo tempore ſtatúve Imperii, ſub quo ſi conſideretur aliquando tempeſtivum erit ſic pronunciare, præſens hæc viſio Beſtiæ intelligenda eſt, & de nullo alio, ac proinde ob eam ipſam cauſam ſpeciatim Chriſti Eccleſiæ commendata eſt in illud tempus, quo Imperium ceſſaret eſſe *Idololatricum.*

5. Angelus igitur cogitationes defigens in ea Eccleſiæ tempora, fideles hîc prænonet de mira mutatione *Chriſtiani* Imperii dum manebat adhuc purè Chriſtianum, nondúmq; conſpurcatum Idololatriâ. Purum utiq; hunc felicémq; ſtatum abiturum eſſe, Beſtiámq; rurſus revicturam & in ſcenam produturam, hoc eſt, Imperium *Idololatricum* denuò evaſurum. Quæ prænonitio cùm tam utilis ſit omnibus qui eam ſint recepturi, nempe ad præmuniendos illos contra *Idololatricas* illas Innovationes, quæ, futurum erat, ut introducantur in Eccleſiam, minimè quidem mirum eſt mentem Angeli defixam eſſe in illa tempora, quando hujus viſionis ſenſum *Johanni* aperuit, tanquam ſi præſens tum inter eos verſaretur, commonefaciens ipſos de periculo futuro.

Hæc eſt una ratio determinandi ſenſum hujus Viſionis ad illud tempus ſtatúmve Imperii *Idololatrici* ad quod ea digitum intendit, nempe mentes dirigendo in ea tempora quibus hæc *Nota Noménve Beſtiæ* rectè ei applicari poteſt tanquam futuræ nec dum ad vitam rurſus reſtitutæ, quod tum erat quando Imperium planè erat Chriſtianum.

6. Verùm enimverò, ut adhuc firmiùs viſionis mentem teneatis, certóq; intelligatis ſub qua temporis *ſucceſſione Idololatricum* hoc Imperium hîc repræſentatum ſit, ejus Notam Noménve, inquit Angelus, paululùm immutabo, eámq; appellabo, *Beſtiam quæ erat & non eſt & tamen eſt.* Qui quidem Titulus ſupponit eam conſideratam tanquam præſentem, quamvis etiam agnoſcatur adhuc futura, quippe quòd *Prophetia* ſit non *Hiſtoria.* Dico autem eam in hoc Titulo conſiderari tanquam præſentem. Quemadmodum & illa verba maximè naturaliter innuunt, *videntes Beſtiam quæ erat & non eſt & tamen eſt.* Videmus enim oculíſq; uſurpamus quæ *præſentia* ſunt, ac proinde καίπερ ὄντα Lectio videtur magis conſentanea perinde ac magis authentica & approbata, (non autem ὃ παρῆν, quemadmodum Cl. *Medus* contendit ex *Aretha*) denotátq; Imperium rurſus factum *Idololatricum* ut olim, ac proinde Beſtiam eſſe quæ *erat*, & tamen verum id etiam eſſe, quòd Beſtia *eſt*; verùm ea Idololatria non eſt quæ conſiſtit in cultu antiquorum Numinum *Paganicorum, Martis, Veneris, Vulcani*, &c. quamobrem hac ratione Beſtia eſt quæ *erat* & *non eſt.* Conſiderando verò rurſum, quod dixi, objecta ſolummodò mutata eſſe, *Sanctóſq;* coli tali

Idololatriâ

Idololatriâ quâ Paganica Numina olim colebantur, iſtoc ſanè reſpectu, *Paganiſmus* rancidus eſt quamvis circa nova objecta exerceatur. Et propterea quanquam Beſtia aliquo modo dicitur *non eſſe*, verum tamen eſt, ſenſu valdè memorabili, eam etiam *eſſe*. Unde manifeſtum eſt per *Beſtiam, quæ erat & non eſt & tamen eſt*, Romanum Imperium intelligi, poſtquam in *Paganicam* quandam & *Idololatricam* Chriſtianitatem degenerâſſet. Quod tametſi *Chriſtianitatem* profiteretur, *imaginem* tamen geſſit antiqui Imperii *Paganici* & *Idololatrici*.

Ità ut *Imago Beſtiæ*, & Beſtia *quæ erat & non eſt & tamen eſt*, ad amuſſim ſibi invicem reſpondeant. Imago enim eſt & non eſt illud cujus eſt Imago. Quod à quolibet facilè concipi poteſt & agnoſci. Unde quintæ *Congruentiæ* ſecundi *Paralleliſmi* veritas planè apparet. *Paral. 2. Congr. 5.*

7. Interpretatio hæc quam dedi hujus verſûs tam naturalis eſt & conſentanea ut impoſſibile credam fore ut quiſquam de ea dubitaret abſq; obſcuritate eſſet quæ oritur ex *Elliptica* loquendi formula quæ in principio verſûs occurrit, *Beſtia quam vidiſti fuit & non eſt & aſcenſura eſt*, &c. videtur enim ſupponere *Romanum* hoc Imperium *Idololatricum* S. *Johannis* temporibus non fuiſſe aut præteriiſſe, quod veritati planè contrarium eſt. Verùm reſpondeo *Ellipſin* eſſe quam ſuppleri oportet, atq; tunc errorem in ſumos eſſe arbiturum. Quod ſupplementum vel ſic inſtitui poteſt, quemadmodum jam innui, *Beſtia quam vidiſti, nomen ſcilicet ejus eſt, Fuit & non eſt*, &c. vel ſic, *Beſtia quam vidiſti fuit & non eſt & aſcenſura eſt*, &c. *hoc illius nomen* eſt hic ejus character quo intelligatis ſub qua temporis ſucceſſione ſit expectanda.

Etenim planè intelligendum eſt Angelum in conſpectu ſuo habuiſſe integram Beſtiæ ſucceſſionem in duas partes, temporariâ illius interemptione per introductionem puræ Chriſtianitatis in Paganiſmi locum, ut Religio fieret Imperii, diſſectam. Jam verò has ſeculorum ſeries mente ſuâ revolvens cum relatione ad Beſtiam, primæ quidem nullum alium Titulum inſcribere potuit quam, *Eſt*. Quippe quòd ante Idololatriæ ceſſationem in Imperio per victoriam puræ ac intemeratæ Chriſtianitatis non erat proprium pronunciare de Beſtia quòd *Fuit*, cùm adhuc in rerum natura permaneret, multóq; minùs quòd, *Non eſt*, cùm etiamnum exiſteret. Nec opportunum ſanè erat mentionem facere de *Re-aſcenſione* illius ex *Abyſſo*, cùm nondum illuc deſcendiſſet, nec de ultima ac *finali* illius *perditione*, quippe quam poſt primam illius Interemptionem oporteret priùs reviviſcere.

8. Quamobrem cùm Titulus hic *Imperio Idololatrico* in *prima* temporis *ſerie* ſub qua conſideraretur, minimè competat, manifeſtum eſt Angelum aſpectum ſuum in has ſeculorum *ſucceſſiones* porrò projeciſſe, cúmq; Intervallum inveniſſet in quo Beſtia *ceſſat eſſe*, ſed prævideret ſimul eam rurſus ad vitam reſtitutum iri, & tum poſt certam temporis durationem in perpetuum perituram, ſub ea ipſa periodo, palàm eſt, eum Beſtiam deſcripſiſſe, nominando eam (ratione quidem abruptâ & raptuosâ abſq; omni præfatione quòd id nomen ejus eſſet) *Beſtiam quæ fuit & non eſt, ſed quæ rurſus in exiſtentiam emerſura eſſet, & poſtea in perpetuum peritura.* Quod Nomen Angelus ei tribuit dum oculum ſuum defigit in illud *Interregnum* ejus *temporariámve Non-exiſtentiam*, ſed cum relatione tamen ad ejus *exiſtentiam futuram* quæ objectum eſt hujus viſionis. Quæ quidem occaſio nominis ejus quanquam erat ferè momentanea, ſicut & illa Infantis qui appellabatur *Maher-ſhalal-haſh-baſh*, permanens tamen eſſe poteſt Beſtiæ nomenclatura, ad oſtendendum ſuæ ſucceſſionis ordinem. Nam conditio ejus ordóq; *ſucceſſionis* in *exiſtentiam* hoc nomine potiùs notatur, quàm declaratur quidquam de ipſius *exiſtentia* aut *non-exiſtentia* in temporibus S. *Johannis*. Quæ ſi diligenter conſiderentur rectéq; intelligantur, facilè ablatura ſunt apparentem illam difficultatem in Textu quaſi Beſtia in S. *Johannis* temporibus non exiſteret.

9. Hæc enim locutio iſtiuſmodi Aſſertionem minimè omnium attingit, ſed tantùm conſiderat ſucceſſionem ſeriémve temporis ſub quo Imperium hoc Idololatricum comprehenditur. Noménq; indidit *Beſtiæ* ſub ultima ſucceſſione non quidem cum relatione ad tempora S. *Johannis*, ſed cum relatione ad *primam temporis ſeriem* ſub quo *Imperium Idololatricum* oporteret *exiſtere*, & tunc ad temporis ſeriem quo ipſum oporteret *non exiſtere*, & poſtremò ad ſeriem ſucceſſionis quâ oporteret *rurſus exiſtere* & poſtea *perire* in *perpetuum*. Qui character ab his temporum ſucceſſionibus cum ſe invicem comparatis æquè commodè fieri potuit temporibus *Danielis* atq; S. *Johannis*, quippe quæ nullam cohærentiam ligationémve habent cum tempore Prophetæ, ſed ſolummodò cum ſe invicem. Nam quicquid in hoc verſu exprimitur, ſignificatio tantùm eſt de *ſucceſſionis ordine* in *Exiſtentia, Non-exiſtentia*

&

& *Re-exiſtentia.* Quæ mutationes eâ quidem ratione inter ſe ſatìs arctè connectuntur; ſed adhuc liberæ ſunt ab omni colligatione cum Prophetæ tempore aut cum tempore cujuſquam alterius.

Cui quidem rei evincendæ quanquam ſatìs anxiè profectò inſudavi, eſt tamen ſententia admiſſu ità facilis, ut *Alcazar* eam in ſua expoſitione ſupponat, nullâ rogatâ veniâ, nulláve datâ ratione cur ſuppoſuerit. Etenim dum intelligit redivivam ſive re-exiſtentem Beſtiam de Imperio perſecutorio ſub *Juliano* Apoſtata quem *Regem* facit *octavum*, viſionéſq; agnoſcit *Johanni* exhibitas eſſe *Domitiani* temporibus, quando *Romanum* Imperium actu erat *perſecutorium*, manifeſtò ſanè innuit [*Beſtia quam vidiſti fuit & non eſt*] non quidem intelligendum eſſe de *Exiſtentia* aut *Non-exiſtentia* cum viſionis tempore connexa (falſum enim fuiſſet dicere temporibus *Domitiani* Beſtia non eſt) ſed de mutationibus duntaxat & ſucceſſionibus conditionis Imperii. *Cùm igitur*, inquit ille, *perſecutiones interrumpendæ forent, hac ipsâ Interruptione ſignificatur quod Angelus ter repetit capite decimo ſeptimo, dum ait de Beſtia*, Fuit & non eſt, erat & non eſt. *Quod idem eſt ac ſi diceret, Modò eſt & modò non eſt.* Quæ phraſis nullum certum *Exiſtentiæ* aut *Non-exiſtentiæ* tempus ſignificat, ſed tantùm earum viciſſitudinem.

Hæc in caput decimum tertium, & ad eundem ſenſum loquitur in decimum ſeptimum caput, ubi aſſerit, per *Beſtiam quæ fuit & non eſt*, Angelum tantummodò ſignificare, *Intermiſſionem fore perſecutionis.* Quibus adjicere poſſim Proteſtantium Interpretum expoſitiones generaliter eâdem niti ſuppoſitione, quemadmodum *Paræus* notavit. Verùm hanc rem ſpero me jam abundè demonſtrâſſe.

10. Et certè quod dictum eſt de prima Deſcriptione Beſtiæ, *Fuit & non eſt, & aſcenſura eſt ex Abyſſo & in exitium abitura*, intelligendum etiam eſt de ſecunda, *Erat & non eſt & tamen eſt*, nempe quòd *Nomen, Natura*, ſive *Character* Beſtiæ eſt, nulla verò Aſſertio de præſenti illius *Exiſtentia* aut *Non-exiſtentia.* Nam de Idololatrico illo Imperio quod hîc indigitatur, propriè dici non poterat, quando *Johannes* ſcripſit, illud *fuiſſe*, ſed *non eſſe.* Nam durabat tunc adhuc *exiſtentiâ non-interruptâ.* Nec dici de eo poterat, *eſſe & non eſſe*, quippe quòd Idololatrici illius Imperii Paganici *Imago* non erat ſed *ipſum* Imperium. Idq; ſummoperè notandum eſt quòd hæc Beſtia ſic deſcribitur tanquam poſthac ex abyſſo aſcenſura, quódq; populus cùm in ſcenam iterum prodierit miraturi ſint, *Beſtiam videntes quæ erat & non eſt & tamen eſt.* Ubi igitur neq; [*erat*] neq; [*non eſt*] ullam habent connexionem ligationémve cum præſenti ætate S. *Johannis*, cùm adeò manifeſtum ſit [*eſt*] nullum habere, cùm prædictio non ſit de *præſenti* Beſtia ſed de Beſtia *futura.* Atq; equidem mihi oppidò quàm improbabile videtur ut Titulus noménve Beſtiæ tam immediatè in eodem verſu cum hac tenui variatione rurſus repeteretur, niſi id factum fuiſſet datâ operâ ut *Clavis* eſſe poſſet Tituli prioris interpretationi, & Lectorem conſideratum in ejuſmodi ſenſum conjicere, qualem ego explicavi. Verùm legere ὃ παρῆσαι pro καίπερ ὄντι eſt certè Prophetiam inſipidâ inutilíq; onerare tautologiâ, præcipuúmq; ſignum notámve directionis ad verum illius ſenſum, obliterare. Sed pergimus.

11. Nec poteſt [*eſt & non eſt*] de ullo intelligi objecto ſine preſſa quadam quaſi ſtrictura ad notas leges legitimæ *Contradictionis.* Qui ornatus ille myſticus eſt qui hîc affectatur ad excitandam admirationem, & ſine quo ſententia nec ſenſum habitura eſſet nec elegantiam. *Eadem* igitur *res* aliquo ſenſu affirmari hîc debet & negari de *eodem ſubjecto.* Quamobrem quemadmodum per illam partem Tituli [*erat & non eſt*] naturaliter intelligitur eam non eſſe quæ fuit, & ſicut [*non eſt*] eâdem latitudine intelligendum eſt qua [*erat*] (ut ſi [*erat*] totam exiſtentiam innuat, [*non eſt*] totam etiam debet exiſtentiam tollere, & ſi [*erat*] conditionem duntaxat exiſtentiæ qualitatémve denotet, [*non eſt*] tantundem etiam tollere debet & nihil amplius) Ità ſanè [*non eſt & tamen eſt*] eâdem latitudine oportet intelligi, objectúmq; Affirmationis eorum atq; Negationis eſſe æquale, hoc eſt, aut tota rei exiſtentia affirmari debet & negari, aut eadem conditio ſive qualitas.

12. Prius, hoc in caſu dici non poteſt, cùm tam *realis* ſit *contradictio*, ut aperta ſit falſitas. Et certè in poſteriori ſi perfecta eſſet identitas, æquè rancida eſſet & irreconciliabilis *Contradictio.* Ut verbi gratiâ, ſi quis *Rex* eſſet & tum poſtea deponeretur ad tempus, mox verò in Regnum æquè plena cum poteſtate atq; antea reſtitueretur, realis profectò contradictio foret craſſáq; falſitas dicere, & *Rex eſt* & tamen *non eſt Rex.* Unde Interpretationis *Hugonis Grotii* ineptitudo detegitur qui *Domitianum* facit Beſtiam, *quæ non eſt & tamen eſt.* Nunquam enim de eo dici poterat eum Imperatorem non eſſe dum erat Imperator, aut dum non erat Imperator,

eum

eum Imperatorem eſſe, ſiquidem Imperatorem eſſe eadem prorſus erat conditio utriſq; vicibus quibus ſic fuit, ſi utiq; ſic fuit duabus diſtinctis vicibus. Ubi nullum ſanè habet ſubterfugium eruditus *Grotius* niſi recurrendo ad lectionem ϰ) παρίσου.

Verùm quando hæc *Identitas* aliqua ex parte defectiva eſt, vergítq; ad naturam *ſimilitudinis* potiùs quàm *exactæ Identitatis*, tum demum proprius eſt hujuſmodi ænigma adhibendi locus, quippe quòd tametſi mentem legentis *contradictionis* umbrâ conſternare poterit, declarabit tamen *veritatem*, quemadmodum apparet ex noſtra Interpretatione *Beſtiæ quæ non eſt & tamen eſt*; Quæ ſic eſt, Quòd antiquum ſcilicet Imperium Idololatricum *non eſt & tamen eſt*. Ubi utraq; pars vera eſt. Quantùm enim ad modum *Idololatriæ*, eadem eſt Beſtia; reſpectu verò perſonarum quas ſic colere ſtudent, non eſt eadem; ac proinde, quemadmodum jam notavi, appellatur etiam *Imago Beſtiæ*. *Paral. 2. Congr. 5.*

13. Quapropter ſecundus hic Titulus Beſtiæ [*Erat & non eſt & tamen eſt*] cùm tam clarè deprehendatur non ſignificare quidem *exiſtentiam* ſed *conditionem ordinémq; ſucceſſionis*, ulterior confirmatio eſt Interpretationem noſtram in priori Titulo Beſtiæ, eſſe etiam veram, omiſſionémq; interſertionis vel ſubjunctionis hujuſmodi formulæ, *Hoc eſt nomen ejus*, vel, *hæc eſt proprietas ejus*, & ſimilia, meram *Ellipſin Propheticam* eſſe, celándíq; artificium, ob duplicem rationem hîc quidem approbandum, aut tanquam raptuosè & ecſtaticè dictum, & propterea adeò *Ellipticè*, aut ob id ſaltem quòd exempla reperiantur ejuſmodi *Ellipſeos* in aliis locis Scripturæ & in eiſdem planè circumſtantiis, ut Apoc. 1. & Exod. 3.

Objicere verò hîc eas *Ellipſes* non talem offundere ſenſui obſcuritatem atq; huic loco offunditur, id ipſum equidem eſſet agnoſcere pro quo ego tantoperè contendo, *Ellipſin* nempe hîc adhiberi datâ operâ ut ſenſus *obſcuretur*; ſed obſcurationem hanc rurſus eò commendabiliorem eſſe, nec omninò invincibilem, ex eo quòd *Ellipſis* hæc exemplis non caret in Scriptura, fitq; fortean non ſine aliqua alluſione ad eos ipſos Textus, ubi Nomen Dei eſt אהיה אשר אהיה *Ero qui ero* & ὁ ὢν ϰ) ὁ ἦν ϰ) ὁ ἐρχόμενος. Quæ *Zegerus* & *Cornelius à lapide* ad inſignem oſtendendam diſcrepantiam cum nomine Beſtiæ comparant. Et poſterior quidem concludit Regnum impiorum aptè exprimi per *Erat & non eſt*; nomen verò Dei qui ſolus habet immortalitatem, cujúſq; Regnum Regnum eſt omnium ſeculorum, per *Qui eſt & qui erat & qui venturus eſt*; multáq; alia id genus addit comparando hoc *nomen* Dei cum *Nomine* Beſtiæ, nam ità is hanc ejus deſcriptionem appellat: *Sicut Dei nomen eſt Jehovah*, hoc eſt, QUI EST; *ità Beſtiæ nomen eſt*, QUI NON EST. *Secundò, Dei nomen eſt*, QUI FUIT ET EST; Beſtiæ, QUI FUIT ET NON EST. *Tertiò, Dei nomen eſt*, FUIT ET ERIT; *Beſtiæ*, NON ERIT AMPLIUS. Sic *Cornelius*. Quorum ultimum accuratè reſpondet noſtræ interpretationi illius locutionis εἰς ἀπώλειαν ὑπάγει. Cæterùm nimis copioſi ſumus nimíſq; ſoliciti in re dilucidanda quam tam plenè * jam ſuprà demonſtravimus, probando ſcilicet hanc Beſtiam cujus *Nomen*, Titulus vel Deſcriptio eſt [*erat & non eſt*] &c. *Romanum* eſſe Imperium poſtquam Chriſtianitatis profeſſionem ſuſcepiſſet, & degenerâſſet denuò in poſthumum quoddam genus Paganiſmi. *Exod. 3. 14.* * *Cap. 11 ſect. 13, 14, &c.*

14. Quòd verò interpretatus ſim Beſtiam in ſua *Re-exiſtentia* de Imperio *Idololatrico iterum facto*, potiùs quàm de formatione illius in novum aliquod Regimen Politicum, ut multi faciunt, id ſanè ob hanc rationem feci, quia hoc *tertiæ* meæ *Regulæ* de *interpretandis Vaticiniis* magis eſt conſentaneum. Et præterea quia Imperium ſenſu quidem Politico dici non poteſt unquam adhuc ceſsâſſe exiſtere; Nunquam adhuc tempus fuit à primis uſq; illius exordiis quo quis dicere potuerit, Non eſt. Et poſtremò *Meretrix* & *Beſtia bicornis* contemporaneæ non forent *Beſtiæ quæ erat & non eſt & tamen eſt*, niſi ortus hujus Beſtiæ incipere intelligatur ex ejuſmodi rationibus quas declaraverim, nempe niſi origo Beſtiæ relapſus Imperii fuerit in Paganiſmi quoddam genus ac Idololatriæ.

15. Atq; hæc quidem de *Nomine* Beſtiæ; *Congruentiarum* detectionem nunc proſequamur. *Fuit & non eſt & aſcenſura eſt ex Abyſſo*, hoc eſt, Fuit in illo temporis decurſu antequam *Michael* cum *Dracone* pugnavit eúmq; occidit, ſed ex ea cæde ceſſavit exiſtere. Ac proinde dicitur capite decimo tertio, Quòd *Draco dedit ei ſuas vires*, hoc eſt, ſucceſſit Hæres copiarum *Draconis*, Draconíſq; exercitus (ſic enim δύναμις ſignificat ut in κύει & δυνάμεων) relictus eſt illius uſui & Regimini. Vel quia *Draco* Diabolum ſignificat perinde atq; Imperium Paganicum, *Diabolus* huic Beſtiæ copias ſuas tradidit ſuámq; poteſtatem ac thronum ſicut Imperio Paganico fecerat, hoc eſt, Aſſiſtentiam *malorum ſpirituum*, *Idolorum* ſive *Imaginum*, omnémq; Pompam ac ſatellitium Regni ſui tenebroſi, ſed ità ut mutaverit ſeipſum eáq; omnia

in

in ſpeciem veræ Lucis, ſuámq; malignitatem occultaverit ſub prætextu ornandi promovendíq; Cultum Chriſtianum. Vide Cl. *Medum* in locum.

Parall. 2. Congr. 3. Quæ Beſtiæ rurſus *erectio*, quæ plagam lethalem acceperat, illiúſq; in vitam *reſuſcitatio*, Draconis ope armíſq; illius militiæ propriis, cujuſmodi ſunt *Idolola* ac *Imagines falsáq;* *miracula*, aptiſſimè conveniunt cum *Re-aſcenſione* ejus ex *Abyſſo*. Sic enim ἄβυσσος ſignificare poteſt, *Infernum* ſcilicet perinde atq; *Mare*. Atq; hinc demonſtratur veritas *Congruentiæ* tertiæ *Paralleliſmi* ſecundi.

Parall. 2. Congr. 6. 16. Quòd ſi intelligamus ἄβυσσον mare denotare, quod frequentiſſimè ſolet, & certè reſpectu Imperii, nullus dubito quin ità hîc ſignificet, hoc reſpondet *ſepticipiti Beſtiæ* aſcendenti ex *mari* cap. 13. v. 1. éſtq; ſexta *Congruentia* ſecundi *Paralleliſmi*.

Parall. 2. Congr. 7. 17. *Et in exitium abitura.* Juxta id quod ſcriptum eſt cap. 13. v. 10. *Qui in Captivitatem duxerit, in Captivitatem vadet. Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Quæ *Congruentia* ſeptima eſt *Paralleliſmi* ſecundi.

Parall. 2. Congr. 8. 18. *Et mirabuntur incolæ terræ quorum nomina ſcripta non ſunt in libro vitæ.* Secundùm illud quod legimus cap. 13. v. 3. *Et admirans univerſa terra ſecuta eſt Beſtiam*, & v. 8. *Itaq; adorabunt eam omnes Incolæ terræ quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni*, &c. Quæ ſecundi *Paralleliſmi Congruentia* octava eſt.

19. *Videntes beſtiam quæ erat & non eſt.* Dicitur hîc vel potiùs in principio hujus versûs, *non eſſe*, quemadmodum & *occidi* cap. 13. v. 3. *Et vidi unum ex capitibus ejus quaſi lethaliter cæſum*; vulgaris verſio, *quaſi occiſum in mortem*, quod eódem redit, ambóq; cum *Græco* conſentiunt ὡς ἐσφαγμένην εἰς θάνατον. Nec certè ὡς, quod *quaſi* redditur, caput innuit haud ità lethali plagâ cæſum eſſe ut moreretur. Nam præterquam quòd vulnus hoc πληγὴ τῆ θανατῳ *lethale vulnus* plus ſemel appellatur, evidens eſt præterea quòd particula ὡς non ſemper attenuat minuítve ſenſum, utì apparet cap. 5. v. 6. ubi reperimus ἀρνίον ἑστηὸς ὡς ἐσφαγμένον, qui tamen Agnus reverà penitúſq; occiſus mactatúſve erat, &c. Igitur ad Rationem *Imaginariam Repræſentationis* refertur, non ad Imperfectionem *mortis* cædíſve *repræſentatæ*. Quamobrem hoc caput reverà occiſum & trucidatum erat, ac ſupponit proinde corpus etiam fuiſſe *mortuum*, quemadmodum & hîc dicitur *non eſſe*. Quod jam notavi tertiam *Parall. 2. Congr. 3.* *Congruentiam* eſſe *Paralleliſmi* ſecundi.

Quæ *Congruentia* cum *Congruentiis* hujus *Paralleliſmi* perpetuis ſimul conſiderata, invincibilis confirmatio eſt veritatis expoſitionis noſtræ in hunc locum, *Beſtia quam vidiſti fuit & non eſt*, &c. Nempe quòd adæquatè loquitur de Beſtia, ſub ultima ſucceſſione, *re-exiſtente*, in hoc decimo ſeptimo capite, perinde atq; de Beſtia *ſanata* in decimo tertio; quódq; nulla poteſt eſſe objectio contra nimis arctam ſenſûs occultationem in hac inſigni *Ellipſi*, quippe quòd tametſi commiſſura æquè inviſibilis ſit atq; in Artificiis Chalybeis perquam affabrè factis, manifeſtæ tamen *Congruentiæ* hujus *Paralleliſmi* ſecundi inter *ſepticipites*, hujus & decimi tertii capitis, *Beſtias* non poſſunt quin ſenſum referent apud homines conſideratos & intelligentes.

Parall. 2. Congr. 5. 20. *Non eſt & tamen eſt.* Cujus jam oſtendi nullum eſſe poſſe ſenſum, niſi intelligamus non perfectam quidem *Identitatem* ſed potiùs repræſentationem quandam vel *ſimilitudinem*. Quæ quidem *Repræſentatio* elegantiæ causâ Titulo indui poteſt *Identitatis*, tanquam ſi id quod valdè *ſimile* eſt, omninò eſſet *idem*. Ità is qui in *Eliæ* ſpiritu venerat, appellatus eſt *Elias*. Et egregius quiſpiam *Epicureus* vel *Platonicus* appellari poteſt *Epicurus redivivus*, vel *Plato redivivus*. Et vulgaris ſanè locutio eſt, Talem quempiam nunquam moriturum eſſe quamdiu talis quiſpiam, putà filius ejus, ei admodum ſimilis, ſit victurus; concedendo ſic patrem & vivum & mortuum eſſe poſſe ſimul; mortuum quidem quantùm ad propriam ſuam perſonam, vivum verò in viva ſui Imagine in ſuperſtite, ſcilicet filio. *Quanquam nullum monumentum clarius* Servius Sulpitius *relinquere potuit, quàm effigiem morum ſuorum, conſtantiæ, pietatis, ingenii filium.* De hujuſmodi filio eſt illud dictum *Eccleſ. 30. 4.* *Siracidis*; *Mortuus eſt pater ejus & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.*

Quapropter, quemadmodum *Servius Sulpitius* dici poteſt mortuus vivúſq; ſimul, mortuus quidem quantùm ad propriam perſonam, vivus verò in filio ſuo, qui tam perfecta illius effigies eſt; ità dici poteſt de Beſtia, quòd *non eſt & tamen eſt*, quoniam antiquum illud Paganicum Imperium, quæ Beſtia illa erat, introductione puræ Chriſtianitatis, occiſa, reverà *non eſt*, & tamen *eſt*, ex eo quòd revixerit in Imperio adeò *Paganicè* Idololatrico rurſus facto, & adeò ad vivum referente illius ſtatum in temporibus *Draconis*. *Res enim dicitur exiſtere* (inquit *Cornelius à lapide*) *cùm ejus exemplar, Imago, Typus aut Figura exiſtit.* Et quàm viva ſanè *Imago*

ſive

sive Repræsentatio degener hoc Imperium sit illius sub *Dracone*, particulatim hîc explicare possim; Verùm id differam potiùs in Capita sequentia. Intereà loci hoc sufficere potest in genere ad demonstrandam quintam nostram *Congruentiam Paralleliſmi* secundi.

CAP. XIV.

Ver. IX. Σοφία *quid significet, quódq;* Siracides *ad* Hebraicum צפיה *alludere videtur in descriptione illius.* 2. Constantinopolin *etiam septem montes habere conceditur, idq; ad confirmationem facere octavæ* Congruentiæ Paralleliſmi *primi. Ver. X. Septem Capita de septem summorum Magistratuum generibus interpretari, nullam esse* τερατολογίαν *sed naturalem ac necessariam veritatem.* 2. *Quàm naturaliter differentes supremarum Potestatum Romani Imperii successiones in octo partes se dissolvant.* 3. *Unica illa vera ratio cur* octo Reges *recenseantur, cùm tamen* septem tantùm capita *sint Bestiæ.* 4. *Divisionem Imperatorum in* Paganos, Christianos, *& Pagano-Christianos intendi supponive in enumeratione* octo Regum, *veritatem esse irrefragabilem.* 5. *Verisimillimum esse Angelum, post* Regem sextum, *nullam aliam summarum Potestatum Imperii rationem respexisse quàm quæ ad Religionem pertineret.* 6. *Ratio demonstrativa ab* [unus est] Ellipsin *subesse in* Bestia quam vidisti fuit & non est, &c. *Apoc. 17. 10.* 7. *Cur* ὁ ἄλλος ὅπου ἦλθεν, *potiùs quàm* ὁ ἔβδομος. *Unde ultima subdivisio confirmatur, decimáq;* Congruentia *secundi* Paralleliſmi *evincitur.* 8. *Quarta* Congruentia Paralleliſmi *secundi. Ver. XI. Descriptionem Bestiæ,* Nomen *illius esse, ejúsq;* partem *pro* toto *usurpari, quemadmodum sit in Nomine Dei. Quod & suprà memoratam* Ellipsin *porrò confirmat.* 2. *Facilis genuinúsq; sensus istorum verborum* καὶ αὐτὸς ὄγδοός ἐστι καὶ ἐκ τῶν ἑπτά ἐστιν. 3. *Sensum illius sententiæ* [Bestia quæ erat & non est is octavus est] *esse quòd* illius caput *is* octavus *est.* *Ver. 11.* 4. Octavum Regem *per* Henopœiam *admittere posse plures* Cæsares *uno, in eodem tempore, & quare.* 5. Paralleliſmi *secundi* Congruentia *nona.* 6. *Septima* Congruentia. *Ver. XII. Paralleliſmi secundi* Congrueutia *undecima.* 2. *Duodecima* Congruentia. 3. *Illius sententiæ sensus,* Ἐξουσίαν ὡς βασιλεῖς μίαν ὥραν *Ver. 12.* λαμβάνουσι μετὰ τοῦ θηρίου. *Ver. XIII.* Congruentia *Decima tertia, cum explicatione illius versûs,* Hi unum consilium habent ac vires & potestatem suam Bestiæ tra- *Ver. 13.* dent. 2. Papam *supra Imperatorem etiam seculari Potestate elatum continuare posse successionem* septimi Capitis, *cùm per ipsum nihil aliud significetur quàm* seculares *Principatus* Pagano-Christianus *Imperii. Ver. XIV. Decima quarta* Congruentia Paralleliſmi *secundi.* 2. Congruentia *Decima quinta.* 3. *Decima sexta secundi* Paralleliſmi *Congruentia.*

VER. IX. *Hîc est mens quæ habet sapientiam,* ὧδε ὁ νοῦς ὁ ἔχων σοφίαν, in tali sensu quo ὧδε ἡ σοφία ἐστὶν, cap. 13. 18. *hîc est sapientia,* hoc est, hic est *speciale Arcanum,* hîc sapientia *recondita* est, vel Parabola *Cabbalistica.* Quemadmodum innuitur Ecclesiastic. 6. 22. Σοφία γὰρ κατὰ τὸ ὄνομα αὐτῆς ἐστι, καὶ οὐ πολλοῖς ἐστι φανερά, *Sapientia enim secundùm nomen est ejus, & non est multis manifesta.* Ubi verisimillimum est *Siracidem* alludere ad צפה quod significat rem *cooperire* atq; sic eam celare, ac si σοφία indè derivata esset. Et proculdubio sapientia veterum talis erat, externámq; habebat crustam sive corticem perinde ac pulpàm internam. *Diogenémq;* sic potiùs oportebat de *Parmenide* scripsisse Διττὴν τε εἶναι σοφίαν (non autem φιλοσοφίαν) τὴν μὲν κατ' ἀλήθειαν, τὴν δὲ κατὰ δόξαν. Antiquam scilicet *Sophiam,* quam *Siracides* sono alludere supponit ad צפיה, duplicem habere sensum, unum secundùm *externam apparentiam,* alterum secundùm *internam veritatem.* Quamobrem sicut ὧδε ἡ σοφία significat, Hîc est hujusmodi recondita sapientia qualem descripsi; ità ὧδε ὁ νοῦς ὁ ἔχων σοφίαν significat, Hîc sensus est qui tanquam in speciali antiquæ *Sophiæ* exemplo latitat, quæ solita est insignes summíq; momenti veritates externis *Hieroglyphicis Typísq;* occultare.

2. *Septem capita septem montes sunt super quos mulier sedet. Romam* veterem hîc indigitari per hos septem montes omnes Interpretes unanimiter consentiunt, cùm illa civitas eo nomine celebratissima sit tum apud Historicos, tum apud Poëtas. Ut apud *Dionysium Halicarnassæum, Plinium, Plutarchum,* etiam apud *Varronem, Tertullia-*

num, aliósque. Apud Poëtas, ut *Virgilium*, *Horatium*, *Ovidium*, *Claudianum*, & *Sibyllas*. Quæ res cùm adeò notæ ſint & obviæ apud Expoſitores *Apocalypſeos*, prorſus ſupervacaneum puto ulla huc afferre exempla.

Sunt autem qui magnoperè ſibi placent quòd *Conſtantinopolin* etiam ob ſeptem Colles in monumentis antiquitatis celebratam invenerint. Quod & *Montacutius* Epiſcopus facit in Tractatu, quem inſcripſit, *Appello Cæſarem*; ubi affirmat Civitatem hanc πόλιν ἑπτάλοφον à *Niceta* appellari, Urbémq; ſepticollem à *Paulo Diacono*, atq; ſic eſſe agnoſci à *Jano Douſa*, ac *Richardo Knolliſio* in Hiſtoria ſua *Turcica*. Quibus addam quod in Theatro urbium reperio, nempe *Scholarium* Patriarcham *Conſtantinopolitanum* in ſua *Enarratione vaticinii de Turcici Regni interitu*, Civitatem ἑπτάλοφον nominare. *Dilichius* etiam in hujus Civitatis Deſcriptione non ſolùm ſeptem montes commemorat, ſed narrat præterea quàm magnifica ſuper ipſos ædificia ſita ſint. Et poſtremò *Ludovicus Gotofredus*, *Muri ejus* (inquit ille de hac Civitate loquens) *ſunt incredibilis altitudinis, complectentes ambitu ſuo ſeptem colles*. Adeò ut tametſi non ſit tam antiqua ac matura mentio ſeptem montium *Byzantii* ſive *Conſtantinopoleos* quàm ſit *Romæ*, nec veridiſſimile ſit quin poſtquam Imperator Civitatem *Novam Romam* appellandam ſtatuiſſet, *ſeptem* etiam *colles* in ea invenire vellent (per æmulationem veteris urbis *Imperialis*) ſive ſeptem omninò eſſent ſive non, hoc eſt, quamvis plures eſſent quàm ſeptem, vel ſi pauciores, captare occaſionem imaginandi unum eundémq; montem ob inæqualitates aliquas ſive lacunulas, uno plures eſſe; dubitare tamen non poſſum quin ratio hujus Tituli aliqua ſit haud contemnenda; cúmq; apud Hiſtoriæ illius Scriptores obtinuerit, equidem non ibo inficias quin & illa pro urbe ſepticolli poſſit etiam haberi. Quod expoſitioni noſtræ nihil allaturum eſt incommodi, ſed confirmaturum potiùs Interpretationem de *cornibus Beſtiæ*, quæ ego duos *Patriarchatus* Imperiales *Romanum* & *Conſtantinopolitanum* eſſe exiſtimo. Quod latè patentem quidem Pſeudopropheticæ illius Beſtiæ Juriſdictionem oſtendit, utpote quæ ſuper totum Imperium tam *Orientale* quàm *Occidentale* ſit diffuſa.

Atq; hîc invenimus ſedem *Meretricis* æquè latam, his ſeptem montibus ad *Romam veterem*, ut vulgò creditur, eam non defigentibus, ſed illam permittentibus reſidere etiam *Novæ Romæ* ſive *Conſtantinopoli*, cùm & *ſeptem colles* illîc ſint æquè ac in altera ſede, quanquam non tam celebres quàm ſunt illi alteri, quemadmodum nec fornicationum fama tanta ab unis ſit quanta ab alteris. Juxta quem ſenſum αἱ ἑπτὰ κεφαλαὶ ὄρη εἰσὶν ἑπτὰ reddi debet, *ſeptem capita ſeptem ſunt montes*, hoc eſt, *ſeptem capita* ſignificant *duos* montium *ſeptenarios*, unum *Romæ*, alterum *Conſtantinopoli*, unde octava primi *Paralleliſmi Congruentia* eluceſcit.

Paral. 1. *Congr.* 8.

Ver. X. *Et Reges ſeptem ſunt*, hoc eſt, ſignificant ſeptem *ſummorum Magiſtratuum* genera. Qui *Reges* hîc appellantur per *Dioriſmum* vel *Hebraiſmum*, qui per Regem Regnúmq; quodvis corpus Politicum cum ſumma ſua Poteſtate intelligunt, ſive penès unum ſit ſive multos. Atq; *ſeptem* quidem *genera* ſunt, non *ſeptem* diverſorum generum *Individua*, ſed tota cujuſq; generis ſucceſſio, per uſitatam *Henopœiam*. Quòd verò *ſeptem* diverſa Magiſtratuum *genera* æquè aptè appellari poſſunt *ſeptem capita* ac *ſeptem perſonæ Individuæ*, ratione apertè demonſtrari poſſe cenſeo, quippe quòd major differentia eſt inter genus & genus, quàm inter individua ejuſdem generis. Unde profectò temeritatem *Grotii* demiror, quòd ſeptem Formas Regiminis, in concreto acceptas (ſicut omnes eas accipiunt) τερατολογίαν appellaverit; cùm tamen ſi ſit hujuſmodi ſeptuplex ſummarum Poteſtatum in ſucceſſione Imperii differentia, Imperio ſemel conſiderato ut *Beſtia*, nobis vel invitis eo ipſo *ſepticeps* evadet. Tantum proinde abeſt ut ſit τερατολογία, ut *veritas* naturalis ſit & inevitabilis.

2. Nunc verò Diviſio ſucceſſionis ſummarum Poteſtatum Imperii naturaliter ſic fit. Poteſtas hæc aut penès *multos* erat aut penès *unum*. Penès *multos*, ut in *Conſulibus*, *Tribunis militum* & *Decemviris*; Penès *unum*, ut in *Regibus*, *Dictatoribus* & *Imperatoribus*. Quos *Imperatores* rurſus dividam in *Paganos*, *Chriſtianos*, & *Pagano-Chriſtianos*. Ità ut tota linea ſucceſſionis harum ſupremarum Poteſtatum diviſa ſit primùm in *duas* partes æquales, deinde utraq; duarum in *tres* ſubdiviſa, & poſtremò una pars ſecundæ ſubdiviſionis rurſus in *tres*, ità ut tota linea naturaliter in *octo* partes ſolvatur, congruenter quidem rerum *Hiſtoriæ* ac declarationi *Vaticinii*.

Nam recenſentur planè *octo* Reges, quanquam *ſeptem* tantùm *capita* Beſtiæ. Nam ſub *Chriſtianis Imperatoribus* Imperium non erat *Beſtia*, ac proinde nullum poterat illius eſſe caput.

3. Nec certè ſcio ullam tolerabilem hujus Ænigmatis, *octo* quidem *Regum* & tamen *ſeptem* tantùm *capitum*, ſolutionem præter hanc. Brevis enim mora Chriſtianæ

ſucceſſionis

successionis è numero Capitum eos expungere non potest, cùm mora *Decemvirorum* plus quadraginta vicibus brevior esset. Quamobrem hoc in causâ non est; sed quia *Imperium* durante eorum successione non erat *Bestia*, nec ipsi idonea veráve *Bestiæ* capita, sed *capita* tantùm erant *Regisve nondum degenerantis* nec adhuc rursus *Paganissantis Imperii*. Quod igitur intervallum erat *interitûs Bestiæ* quando *non erat*, capútq; proinde nec habebat nec habere poterat.

4. Nec minimus quidem locus est ulli Cavillo adversùs postremam nostram *subdivisionem*, quæ est Imperatorum divisio in *Paganos*, *purè Christianos* & *Pagano-Christianos*, tanquam si causa non esset satìs fundamentalis ultimæ hujus distributionis. Cùm tamen è contrà tam fortis oppositio sit inter duo prima illius membra ut alterum alterum excludat, *septimo* sanè *Rege sextum caput* vulnerante & occidente. Et certè, quandoquidem, postquam Religio facta sit Religio Regni Imperiive, Lex quodammodo illius Imperii evadit, cum ratione profectò concludi potest *Politicum* etiam discrimen esse inter *Christianum* & *Paganicum* Imperatorem. Ac postremò quicquid de eo fit, manifestum est omnibus, oppidò quàm eminentem insignémq; differentiam esse *Christianum* Imperatorem inter & *Paganicum*, majorísq; momenti quantùm ad *Ecclesiam Dei*, quàm est ulla *Politica* Regiminum distinctio. Quod verò maximè Ecclesiæ illius interfit, certi esse possumus Deum maximè curare, ac proinde æquè saltem verisimile esse eum summorum Magistratuum successionem hoc discerniculo distincturum fuisse atq; ullo alio.

5. Immò verò tutò addi posse existimo, probabile esse, postquam Angelus ad divisionem *capitum* vel potiùs *Regum* in *Christianos* & *Pagano-Christianos* perveniisset, eum neglexisse omninò considerationem *Politicæ* differentiæ Formarum Regiminis in Imperio, cùm ista notio ad suum propositum parùm jam faceret, & eorum distinctione ex solius Religionis ratione factâ contentum fuisse; verùm usq; dum huc perveniisset eos numerâsse juxta Formæ *Politicæ* distinctionem, cùm omnes usq; ad illud tempus in puro Paganismo consentirent. Adeò ut hujus sententiæ sensus [*Bestiæ quæ erat & non est illius caput octavus est*] hîc esse videatur, summam scilicet Potestatem, (Politica forma Titulúsve cuicuimodi fuerit, quæ redivivæ Bestiæ præest, hoc est, quæ *Idololatrico* rursum facto præest Imperio) totam illam successionem, ubicunq; oculum defixeris, sive in *Papam*, sive in *Imperatorem*, considerari tanquam *octavum Regem ultimúmve caput Bestiæ*. Hoc enim est cui soli hæc visio inservit, non autem inutilibus discriminatiunculis & curiositatibus. Quæ suppositio *tertiæ nostræ Regulæ interpretandi prophetias* apprimè convenit.

Et quod dictum est in gratiam distinctionis duorum primorum membrorum ultimæ meæ subdivisionis, tam facilè applicari potest ad postremum cum secundo comparatum, hoc est, Pagano-Christianum cum Christiano, ut nihil ampliùs opus sit quàm ut hoc obiter moneam & sic ad alias res pergam.

Demonstrationem veritatis primæ meæ subdivisionis in *Consules*, *Tribunos militum*, *Decemviros*, & *Reges*, *Dictatores* & *Imperatores* sive *Cæsares*, usq; dum hanc meam *Coexpositionem* finivero, differam.

6. *Quinq; ceciderunt, unus est.* Quinq; qui ceciderunt S. *Johannis* temporibus, *Reges* erant, *Consules*, *Decemviri*, *Dictatores* & *Tribuni militum*; unus qui tunc erat, continuata erat successio *Cæsarum Paganicorum*.

Atq; hîc opportunum erit notare, cùm S. *Johannes* unum è septem capitibus Bestiæ vixisse nec dum occisum fuisse quando hæc visio illi obtingebat, tam apertè asserat, quòd & tunc *Bestia vixit*, & in rerum natura extitit, ac proinde quòd tum Bestia non pervenerat ad statum [*erat & non est*]. Quæ demonstratio est planè Mathematica quòd [*erat & non est*] vel [*fuit & non est*] non significant fixam aliquam determinatámve *existentiam* vel *non-existentiam*, sed earum tantùm *ordinem* vel *successionem*, quemadmodum declaravi; quódq; ex consequenti ejusmodi *Ellipsis* est qualem suppositi in [*Bestia quam vidisti fuit & non est*,] &c. Tam demonstrativâ evidentiâ nituntur singulæ partes Interpretationis nostræ; sed pergo.

7. *Et alius nondum venit*, ὁ ἄλλος οὔπω ἦλθεν. Non ait ὁ ἔβδομος οὔπω ἦλθεν, sed ὁ ἄλλος, quippe quòd septimus hic non est propriè ex linea antecessorum, cùm omnes illi essent *Pagani*. Quapropter appellatur ὁ ἄλλος ob insignem *differentiam* distinctionémve ab eis qui præcesserant, tanquam si planè *specifica* esset, quemadmodum *Porphyrius* definivit, Ὅλη πᾶσα διαφορὰ προσγινομένη τινὶ ἑτεροῖον ποιεῖ, ἀλλ' αἱ μὲν κοιναῖς τε καὶ ἰδίως ἀλλοῖον ποιοῦσιν, αἱ δὲ ἰδιώταλα, ἄλλο. Et tunc addit αἱ μὲν οὖν ποιοῦσαι ἄλλο εἰδοποιοὶ κέκληνται, *Illæ differentiæ quæ rem faciunt* ἄλλο τι, *differentiæ vocantur specificæ*, Quæ maximæ sunt differentiæ quæ fieri possunt. Subdivisionis nostræ ultimæ tam solida profectò est ratio.

Ex quibus porrò planè constat, Bestiam lethali plagâ affectam esse in *sexto capite*. Hîc enim ὁ ἄλλος, cùm tam perfectè illi oppositus esset atq; contrarius, è rerum natura eam exterminabat, siquidem impossibile erat ut *caput Imperii* purè *Christianum* esset & *Paganicum* simul. Quod cum eo apprimè convenit quod occurrit capite decimo tertio, ubi enumerantur *septem capita Bestiæ* cum inscriptione in singulis *Blasphemiæ*, hoc est, *Idololatriæ*. Jam verò cùm *septem* tantùm sint *capita Idololatrica*, quorum quinq; ceciderant S. *Johannis* temporibus, septimúmq; ac ultimum pertineret ad *Bestiam redivivam*, cujus curata fuerit plaga lethalis, quæq; hîc appellatur *Bestia quæ erat & non est & tamen est*, necessariò illa fors *sexto capiti* illîc obtingit ut sit vulneratum cæsúmve caput, sicut & caput est ex *existentia exterminatum* in hoc capite decimo septimo. Unde decimæ *Congruentiæ* secundi *Paralleliſmi* veritas apparet.

Parall. 2. Congr. 10.

8. *Et cùm venerit, oportet illum breve tempus manere.* Breve & longum termini sunt comparativi, respiceréq; debent alium aliquem terminum cum quo comparentur. Et proculdubio ad id quod proximum est, maximéq; recèns memoratum maximè naturaliter respecturum sit; Ad durationem scilicet sexti Capitis vel Regis. Mora *septimi Regis* brevis erit si cum *sexto* conferatur. Quódq; mora illius brevis futura sit, videtur etiam præfigurari in illis verbis Capitis decimi tertii, *Et ipsius plaga lethalis curata est.* Nam tametsi ἐσφαγμένη εἰς θάνατον eam tandem reverà mortuam supponit, tamen ἡ πληγὴ τοῦ θανάτου αὐτῆς ἐθεραπεύθη. *ipsius plaga lethalis curata est*, videtur innuere moram illius in morte non fuisse diuturnam, sed ad instar potiùs alti cujusdam profundíq; somni, lethalísve animi deliquii. Talis enim plaga quæ hominem longo tempore in statum mortuorum transmittit, prorsus incurabilis est. Hæc verò hîc curata fuisse dicitur.

Quamobrem hic mortis status in hac lethaliter vulnerata Bestia breve tantùm tempus erat, sicut regnum τοῦ ἄλλου esse affirmatur, altero alterum necessariò inferente. Nam omninò quamdiu *Cæsares* purè erant *Christiani*, tamdiu *sextum* Caput quod cæsum erat (qui *Cæsares* erant *Idololatrici*) in terra mortuum jacebat nec diutiús. Quod quartam *Congruentiam* secundi *Paralleliſmi* confirmat; Tempus scilicet *Mortis* sive *Non-existentiæ* Bestiæ in neutra illius fati descriptione fore diuturnum.

Paral. 2. Congr. 4.

Ver. XI. *Bestia autem quæ erat & non est, is octavus est.* Observatu sanè dignum est, quòd quemadmodum Exod. 3. postquam Deus declarâsset *nomen* suum esse ERO QUI ERO, postmodum partem tantùm illius sumit, dicens, *Sic dicas filiis Israel, ERO misit me ad vos:* ità hîc postquam hæc Bestia sic descripta esset [*Fuit & non est & ascensura est ex abyſſo & in exitium abitura*] & paulò pòst [*erat & non est & tamen est*] brevis tamen portiuncula illius tantùm adhibetur [*Bestia quæ erat & non est*] per quod significari censeo (sicut suprà notavi) hanc illius descriptionem tanquam nomen ejus considerari, sicut ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος consideratur tanquam nomen Dei; atq; in his locis omnibus *Ellipsin* subesse, defectúmve hujusmodi Monitionis, verùm perinde firmiter subintelligéndum esse ac si tale aliquod factum fuisset supplementum. V. 8. Θηείον ὃ εἶδες ὀνομάζεται, ἦν καὶ οὐκ ἔστι, &c. Et in eodem versu, βλέποντες τὸ θηείον, ὅτινι τὸ ὄνομα αὐτῷ, ἦν καὶ οὐκ ἔστι καίπερ ἐστίν. Et in versu hoc undecimo, καὶ τὸ θηείον ᾧ τὸ ὄνομα αὐτῷ, ἦν καὶ οὐκ ἔστι, &c.

2. *Is est octavus*, ità *Beza*, sed sensu haud ità pleno & adæquato. *Græcum* habet, καὶ αὐτὸς ὄγδοός ἐστι καὶ ἐκ τῶν ἑπτά ἐστι. Quod facillimè maximéq; naturaliter sic reddi potest, *Et ipsiſſimus ille octavus est & tamen è septem*; vel breviùs sic, *& ipse octavus est & de septem.* Bestiam hanc *quæ erat & non est*, nempe caput ejus (est enim manifestò *Synecdoche*) & octavum Regem esse, & simul è *septem*, nempe è septem illis Regibus qui significantur per *capita Blaſphemiæ*, sive Idololatrica capita.

Ubi certè perquam dignum est notatu quanta cum cautione & circumspectione res in sacrosancto hoc Mysticóq; *Apocalypseos* volumine descriptæ sint. Primùm enim postquam venisset ad sextum caput sive Regem, non dicebat *sextus* est, sed *unus* est, ut viam sterneret ad proximum numerandum sub nomine τοῦ ἄλλου, quod tam apertæ significationis est sicut suprà notavi, támq; necessariæ ad describendam naturam illius ab omnibus ejus antecessoribus prorsus differentem, cùm illius propriè omninò non sit generis seu lineæ. Quid enim communionis affinitatísve intercedere potest purè *Christianos Cæsares* inter puréq; *Paganicos*?

Jam verò statim atq; pervenit ad ultimum hoc caput, quod non possum quin significantiæ causâ *Pagano-Christianum* appellem, (siquidem totum Imperium à capite ad calcem tale esse supponitur) hunc Regem *octavum* quidem appellandum censet, quippe qui è duplici linea oriundus, omnium suorum Antecessorum cognationem complectitur, *Christianorum* perinde ac *Paganorum*, ac proinde annume-

rando

rando τὸν ἄλλον ſucceſſioni à quo etiam prognatus eſt, meritò vocatur Rex *octavus*. Et tamen conſiderando quòd *Paganicum* ſive *Idololatricum* caput eſt æquè ac *Chriſtianum*, dicitur unus eſſe è *ſeptem*, nempe è ſeptem iſtis Regibus qui notantur per ſeptem iſta *blaſphema capita* Beſtiæ, quæ *ſeptem* omninò ſunt, non plura. Hic quidem, meo judicio, ſenſûs certiſſimus, facillimúſq; eſt quem de ullo Scripturæ loco quis exoptare poteſt.

3. Nec certè ei diffidere oportet propter duram illam, ut videtur, *ſynecdochen*, quâ tota Beſtia pro parte ponitur, nempe pro capite, ſiquidem hæc loquendi formula non ſolùm per hanc figuram defendi poteſt, ſed & exemplis confirmari. Ut Dan. 2. 38. *Tu es ergo, ô Rex, caput aureum*; & tamen caput hoc aureum Typus erat totius Regni *Babylonis*. Quapropter manifeſtum eſt totum caput aureum pro præcipua aliqua illius parte poni. Item Dan. 4. 20, 22. *Arbor quam vidiſti ſublimem atq; robuſtam*, &c. *tu es Rex qui magnificatus es & invaluiſti*, &c. Ubi nihilominus arbor illa ſymbolum erat totius illius Regni largæq; Amplitudinis Dominii ejus. Ità ut Rex hîc rurſus Arbor appellatus ſit, quamvis reverà pars ſit tantùm illius, *Radix* putà, prout βασιλεὺς dicitur βάσις eſſe τῦ λαῦ. Arboríſq; detruncatio ad humum uſque, Figura erat ad ſignificandum abſciſſionem ejus à Regno ſuo ad tempus. Quibus omnibus addas, ſenſum plañè non eſſe ſine hac *ſynecdoche*. Quomodo enim caput verè propriéq; eſſe poteſt tota Beſtia? Quomodóve Beſtia eſſe poteſt ſine capite?

4. Quamobrem Rex octavus ſucceſſio eſt Chriſtianorum *Cæſarum* per illud tempus quo Imperium rurſus *Paganiſſat*, hoc eſt, Idololatrias exercet in Chriſtianitate. Quæ quidem tametſi eorum ſucceſſio longa ſit, perſonæq; plures uno ſimul in aliquibus ſeculis, per *Henopœiam* tamen ſub unius Regis ſingularis ſpecie repræſentantur. Nam diviſio in *ſeptem* non per *Individua* ſed per *Generum differentias*, ſicut ſuprà declaravimus, facta eſt. Ac proinde *Orientales*, *Occidentaléſq;* Imperatores in Imperio ſimul regnantes in hoc Prophetico computandi modo rationes minimè confundunt, quippe qui per *Individua* non numerat ſed per *Genera ſucceſſionéſq;* in unam Individuam formam ſpeciémve concinnatas. Quæ ratio eſt cur nullius ſucceſſionis *Perſonarum*, non certè magìs quàm enumerationis *annorum*, in hoc libro *Apocalypſeos* uſquam facta ſit mentio, quanquam res tractat quæ bis ferè mille annorum periodum explent ídq; ſanè citra tempus *Millennii*.

5. *Et è ſeptem illis eſt.* Hoc etiam innuit ſeptem capita Beſtiæ capita eſſe Idololatrica, quemadmodum declarantur cap. 13. v. 1. Quæ demonſtratio eſt nonæ *Congruentiæ Paralleliſmi* ſecundi. *Parall. 2. Congr. 9.*

6. *Et in exitium abit*, hoc eſt, in finalem perniciem; quemadmodum etiam innuitur capite decimo tertio v. 5. & v. 10. ubi tempus etiam ejus ſtatuitur 1260 dierum, poſtea verò morti adjudicatur. Eſtq; ſeptima *Congruentia* ſecundi *Paralleliſmi* quemadmodum jam notavimus. *Paral 2. Congr. 7.*

Ver. XII. *Decem autem cornua quæ vidiſti decem Reges ſunt qui regnum nondum acceperunt*, hoc eſt, in temporibus S. *Johannis* qui vixit dum ſextum caput regnabat, ſub quo Beſtia pugnavit & à *Michaële* occiſa eſt, quo quidem in prælio etiam repræſentatur cum ſeptem capitibus & decem cornibus *ſine coronis impoſitis*, quippe quorum Coronatio non futura erat ante caput ſeptimum. Ac proinde [*qui regnum nondum acceperunt*] *cornuum* Typo reſpondet *nondum coronatorum*. Quæ eſt undecima *Congruentia* ſecundi *Paralleliſmi*. *Parall. 2. Congr. 11.*

2. *Sed Poteſtatem tanquam Reges unâ horâ accipiunt cum Beſtia*, hoc eſt, cum Beſtia cujus nomen eſt [*erat & non eſt & tamen eſt*] quæ eſt Beſtia conſiderata ſub ſucceſſione ſeptimi ultimíve capitis, capitis ſanati ſive convaleſcentis à lethali plaga ſub qua ſuccubuerat. Reges poteſtatem accipiunt & reipſa coronantur tanquam Reges eo tempore quo Beſtia rurſus in *Exiſtentiam* prodit. Atq; ea propter *ſanatæ* hujus Beſtiæ cornua decem cum decem impoſitis coronis repræſentantur cap. 13. v. 1. Quod accuratè huic præſenti Textui reſpondet, *Poteſtatem tanquam Reges unâ horâ accipiunt cum Beſtia*, manifeſtáq; probatio eſt duodecimæ *Congruentiæ Paralleliſmi* ſecundi. *Parall. 2. Congr. 12.*

3. Ἀλλ' ἐξουσίαν ὡς βασιλεῖς μίαν ὥραν λαμβάνουσι μετὰ τῦ θηρίυ. Cujus ſenſum eſſe cenſeo, *Sed poteſtatem tanquam Reges accipiunt nunc hic nunc ille, vel nunc hi nunc illi, circa eandem horam cum Beſtia.* Tempus enim præſens in λαμβάνουσιν, *actionis* productionem innuere poteſt, eſſéq; quaſi *in fieri*, nec certè ſupponit quin acceptum eant (non quidem ratione adeò paſſivâ ut excludat omnem ſtrenuum conatum in ipſis ſtudiúmq; acquirendi hanc poteſtatem; nam λαμβάνειν ἀρχὴν & λαμβάνειν πόλιν alacriorem ſenſum habent, magíſq; actuoſum quàm ut ſic exponantur) quin accipiant, inquam, acceptúmq; eant regiam hanc poteſtatem per aliquod temporis ſpacium continuum, quamvis

quamvis alii aliis citiùs voti compotes fiant, nulli verò diu prædâ carent. Sic enim intelligi volo μίαν ὥραν per *Dioriſmum*, ut Horam non ſignificet propriè dictam, ſed breve quodlibet temporis ſpacium de cujus menſura Circumſtantiarum ratio optimè nos doctura eſt quid ſit judicandum. Quapropter ſic reddendum cenſeo, *Sed poteſtatem accipiunt tanquam Reges circa idem tempus cum Beſtia.* Sic ut verſio *Anglicana* exponit Exod. 5. 18. *En cras pluam circa hoc tempus grandinem multam nimis.* *Græcum* habet, Ἰδὺ ἐγὼ βρέχω ταύτην τὴν ὥραν ἄυριον χάλαζαν. Quòd verò μίαν ὥραν ſignificet τὴν αὐτὴν ὥραν manifeſtum eſt ex *Exod.* 36. 9. aliiſq; multis Scripturæ locis.

Senſus igitur hujuſmodi eſt; Circa id tempus ſcilicet quo futurum ſit ut Beſtia reviviſcat & adoretur, hoc eſt, ut ei pareatur; vel apertiùs ſic; Circa illud tempus quo Imperium in *Idololatriam* rurſus ſit relapſurum, veteréſq; Ritus Paganicos reſumpturum, quantumvis in objecta quidem Chriſtiana eos ſit collocaturum, circa illud ipſum tempus fore ut Imperium in *decem* diripiatur *Regna*, decemve hi Reges captent accipiántq; regalem poteſtatem, omnibus in ſcenam ſe proferentibus, Inceptáq; peragentibus intra pauxillùm tempus à prima degeneratione Imperii in Paganicas Superſtitiones & Idololatrias. Quod fieri poteſt intra ſpacium quadraginta vel quinquaginta annorum. Vide *Diagramma* decem Regum apud *J. Medum.*

Parall. 1. *Congr.* 13. Ver. XIII. *Hi unum conſilium habent, & vires ac poteſtatem ſuam Beſtiæ tradunt.* Ac propterea capite decimo tertio, hoc dono beneficióve dato exornatur, ubi deſcribitur Beſtia *cum ſeptem capitibus ac decem cornibus, & cum decem diadematis ſuper cornua decem.* Quod planè oſtendit, etiam tunc cùm reipſa Reges erant, *ſe ſponte* vires ſuas huic Beſtiæ tradidiſſe. Quæ enim vis potentiáve in Imperio eos compellere poterat, cùm ipſi ejuſdem robur eſſent? Unde decimæ tertiæ *Congruentiæ* ſecundi *Paralleliſmi* veritas apparet.

Verùm ſenſus hujus verſûs breviter ſic eſt; Hi decem Reges unam mentem habebunt, hoc eſt, unam mentem ſententiámve in rebus Religionis, Religionem Imperii profitebuntur, hoc eſt, Religionem Pagano-Chriſtianam, quâ Imperium denuò Beſtia evadit, *ſuáſq; vires ac poteſtatem Beſtiæ tradent*, hoc eſt, parati erunt, etiam vi armorum, ſi opus fuerit, aliáve quâcunq; potentiâ vel autoritate quam habuerint, Beſtiam hanc in ſua Beſtiali, hoc eſt, in ſua *Idololatrica* conditione *Paganiciſq;* ſuperſtitionibus tueri ac defendere; vel perpetuam ſupponendo *Synecdochen*, Pagano-Chriſtiano Imperatori (qui caput eſt hujus Beſtiæ) copiarum ſuarum auxilium adversùs omnes hujus *Pagano-Chriſtianiſmi* oppugnatores miniſtrabunt. Imperator enim ſpectatur tanquam Pugil præcipuus, maximéq; univerſalis Dux omnium copiarum *Pagano-Chriſtianarum.* Et ſanè quantumvis diſtincti hi Reges ſint abſolutíq; in Regnis ſuis propriis, tamen ſi ſpectemus eos tanquam in unum, ex ratione Religionis Imperii, colligatos, cujus, Imperator, ex officio ſuo, præcipuus ſit *Hyperaſpiſtes*, hi decem quidem Reges conſiderari poſſunt tanquam in ſubordinationem quandam ſub ipſo reducti, concipíq; cornua eſſe hujus capitis, hujus nempe univerſaliſſimi *Ducis*, *Imperatoríſve* illius exercitûs qui pugnant cum Agno; ſed vis illa poteſtáſve quæ omnia actuat animátq; *Meretrix* eſt quæ *Beſtiæ* inſidet.

2. Et certè ſimul atq; caput *Meretricis* tam grande repertum ſit ut ſupra ſecularia capita *Imperii* ipſóſq; adeò Imperatores emineat, ut jactitatum illud jus *utriuſq; gladii* ſibi vendicet & uſurpet, hoc eſt, ſimul atq; *Papa* repertus ſit *Cæſarem* agere æquè ac univerſalem *Patriarcham*, non eſt ſanè incongruens eum agnoſcere repræſentari in duobus locis perinde ac duas partes ſuſtinere, conciperéq; illum in *ultimo capite* Beſtiæ æquè ac in ſumptuosè ornato *capite Meretricis* præfiguratum. Noſtra verò ratio magis diſtincta eſt *Grotiiq;* opinioni magis conſentanea, qui majeſtatem Imperialem ad hunc uſq; diem permanere tam acriter contendit. Et mihi ſanè rationi maximè conſonum videtur *Prophetias* interpretari juxta ſenſum phraſímq; *Hiſtoriæ.* Siquidem *Prophetia* nihil aliud quàm *Anticipativa Hiſtoria* eſt. Ac proinde cùm *Romanorum* Imperatorum ſeries Imperiíq; Titulus ac corpus Imperii etiamnum maneat (quanquam multò contractius) cúmq; ut tale in Hiſtoria conſideretur, equidem maximè naturalem interpretandi vaticinia rationem cenſeo, ſecundùm vulgò agnitam phraſin ſenſúmq; Hiſtoricorum ea interpretari.

Verùm quod dixi, ſi *Papa* intelligatur locum ſupplere *Imperatorum*, quàm primùm quotiéſve appareat eum ſupra eos etiam *ſeculari* poteſtate emicare, verúmq; ſe oſtendere Imperii caput, *Cæſaris* partes agendo æquè ac *Patriarchæ*, illa etiam Interpretatio admodum laudabilis eſſet & irreprehenſibilis. Summa enim Poteſtas Beſtiæ, *quæ erat & non eſt*, ab Angelo tanquam unum idémq; caput ſpectatur, modò perpetuò caput ſit illius Beſtiæ quæ eſt *Pagano-Chriſtiana.* Spiritus enim Prophetiæ inutiles diſtinctiones & diſcriminationes nihil moratur. Quamobrem illa ſuprema Poteſtas

teſtas quæ reperta fuerit Pagano-Chriſtiana, unum idémq; perpetuò Caput eſt, juxta ſtylum Propheticum, quemadmodum ſuprà notavi. Illud verò quod illi reverà ſubſit, quamvis Imperatoris Titulo inſignitum eſſet, in decem cornuum numerum referendum foret, ex diviſione Imperii in multa Regna emergentium, in decem putà minimùm, vel circiter. Numerum enim illum ſymbolicè potiùs quàm omninò *Arithmeticè* ſignificare exiſtimo.

Ver. XIV. *Hi cum Agno pugnabunt.* Quod hîc dicitur de decem his Regibus, de Beſtia dicitur capite decimo tertio. *Quòd datum ſit ei bellum gerere cum Sanctis,* quod idem eſt atq; *pugnare cum Agno.* Saul, Saul, *quid me perſequeris?* Quúmq; decem hi Reges cornua ſint Beſtiæ, quicquid ab illis fit, ab ipſa ſit Beſtia. Ità ut Beſtiæ in utroq; capite bellum gerant cum Sanctis ſecundùm Decimam quartam *Congruentiam Paralleliſmi* ſecundi. *Parall. 2. Congr. 14.*

Quantùm verò ad decimum ſextum & decimum ſeptimum verſum capitis decimi tertii, ſenſus ſic eſt, Neminem hominem ſcilicet cujuſcunq; ſit ordinis, niſi ſit *Pagano-Chriſtianæ* Profeſſionis (id enim intelligitur per Characterem in dextra vel in frontibus acceptum) permiſſum iri mercaturam facere, ullúmve tractare negotium in Imperio, decémve horum Regum territoriis; quod ſanè obſidionis quoddam genus eſt per famem, ac proinde meritò inter belli Hoſtilitates recenſitum. Quæ commercii interdictio effectum eſt Excommunicationis per *Beſtiam Bicornem.* Exempla hoc genus militiæ in Hiſtoria paſſim ſunt obvia. De Nomine Beſtiæ, Numeróq; nominis illius quorum fit mentio verſu 17, ad verſum ultimum præſentis hujus capitis loquar.

2. *Et Agnus vincet eos.* Juxta illud quod occurrit capite decimo tertio v. 10. *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet.* Decima quinta hæc *Congruentia* ſecundi *Paralleliſmi* abundè manifeſta eſt. *Parall. 2. Congr. 15.*

3. *Et qui cum eo ſunt, vocati & electi, & fideles.* Congruenter quidem illi quod habetur capite decimo tertio v. 10. *Hîc eſt patientia & fides Sanctorum.* Pondus rei illis verbis incumbit, *Electi & fideles, Patientia* & *Fides. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Illi verò electi qui cum eo eſſe dicuntur, ſtrenui profectò milites ſunt, & qui Agnum ſequentur quócunq; iverit, nunquam eum ob quamcunq; perſecutionem relicturi; ſed firmiter ei fidelitérq; adhæſuri, quibuſcunq; perpeſſionibus Patientia ipſorum exercenda ſit. In quo decima ſexta *Congruentia* ſecundi *Paralleliſmi* comprehenditur. *Parall. 2. Congr. 16.*

CAP.

CAP. XV.

Ver. XV. Congruentia *ſeptima* Paralleliſmi *primi. Ver. XVI. Inſcitia eorum Interpretum qui* Meretricis combuſtionem *de ædium* Romæ *per ignem concremationè intelligunt. Ver. XVII.* Decem Reges Poteſtatem Regnúmq; ſuum dediſſe Beſtiæ juxta Divinum propoſitum, *quàm ſtupendum ſit Arcanum.* 2. *Quo ſenſu dici poſſit Deus* dediſſe in corda ipſorum. 3. Fatum *fuiſſe potiùs quàm Prudentiam* Politicam *quo res Meretricis tam proſperè olim geſtæ ſint, cum monitione ſuper ea re.* 4. Donec compleantur verba Dei *quomodo intelligendum ſit; cum admonitione ad Eccleſiam* Apoſtaticam. 5. *Veritatis* Congruentiæ *decimæ ſeptimæ ſecundi* Paralleliſmi *demonſtratio. Ver. XVIII. Cur* ſedes Meretricis *tam determinatè affixa ſit tandem* Romæ veteri *in hoc vaticinio.* 2, 3. *Evidens ac confeſſa demonſtratio quòd* Roma vetus *hîc indigitatur tanquam* ſedes Meretricis, *cum brevi Paraphraſi in ſenſum illius verſûs.* 4. *Sedem* Beſtiæ bicornis *veteri* Romæ *etiam affixam eſſe; & de* Cabbaliſtica *ratione* Apocalypſeos. 5. Numerale *Nomen Beſtiæ eſſe* Λατῖνος. *sic*; *eſſe ſcribendum, non autem* Λατῖνος, *probatur ex antiqua orthographia Linguæ tum* Græcæ *tum* Latinæ. 6. Latinos *veteres qui utplurimum* [i] *longum ut* [ει] *diphthongum proferebant, vocales ſuas pronunciâſſe ad* Græcorum *exemplum proximè.* 7. *Quàm accuratè hoc nomen* Λατῖνος *eventui reſpondeat.* 8. *Inventionem Numeri* 666 *in aliis nominibus, determinatam hujus Applicabilitatem neutiquam enervare.* 9. *Quo ſenſu numerus* 666 numerus Beſtiæ *appelletur.* 10. *Applicatio Radicis illius ex applicatione Radicis* Tetractyos *illuſtrata.* 11. *Ultima* Congruentia Paralleliſmi *primi.* 12. *Ultima* Congruentia *ſecundi.* 13. *Viſionem* Meretricis *magis peculiarem eſſe ac appropriatam Eccleſiæ* Romanæ. 14. *De Inſcriptione* Myſterii *in Coronam* Papalem, *& de Fœmina* Papa.

VER. XV. *Aquæ quas vidiſti, ubi Meretrix ſedet, Populi ſunt, & Gentes & Linguæ.* Hæc aquarum Interpretatio ad deſcribendam amplitudinem Juriſdictionis Meretricis facta, eam innuit admodum amplam eſſe. Et certè ſi cum iſthoc conferamus quod occurrit capite decimo tertio v. 7. non minorem quidem indicare videtur ambitum quàm qui totius ſit Imperii. Beſtia enim illîc proculdubio totum Imperium eſt, & de ea tamen tantùm dicitur, ὅτι ἐδόθη αὐτῷ ἐξουσία ἐπὶ πᾶσαν φυλὴν καὶ γλῶσσαν καὶ ἔθνος. Non hîc dicitur fateor, πάντας λαοὺς καὶ ὄχλους, &c. Præcepta enim Artis interpretandi vaticinia hîc tradit Angelus, ac proinde commodè dicere non potuit aquas ſignificare *omnes* populos ac turbas; veruntamen ex eo quòd tam multa verba accumulat præ quàm in ſuprà citato verſu alterius Capitis occurrunt, ídq; in numero plurali, videtur eundem latitudinis ambitum hîc indicare atq; in altero illo loco. Quod, ex eo quòd hos *populos*, *turbas*, *gentes*, & *Linguas*, τὰ ὕδατα τὰ πολλὰ ſub initio hujus vaticinii appellat, (quæ totum Imperium videntur indicare, *utì ſuprà monui) porrò confirmatur. Quibus addere potes quòd tum *Grotius* tum *Alcazar* ſenſum loci de univerſali Romani Imperii ambitu intelligunt. Eſtq; præterea *Cornelii à lapide* in Textum gloſſema, *Aquæ quas vidiſti* (ait ille) *ſignificant omnes gentes & populos quibus Roma imperabit.*

* *Cap.* 12. *in v.* 1, 2.

Paral. 1. *Congr.* 7.

Cæterùm duo cornua *ſecundæ Beſtiæ* idem ſignificare ſuprà jam monui. Utrùm verò ejus uſurpatio omnis Poteſtatis primæ Beſtiæ in conſpectu ipſius, ad loci amplitudinem perinde referri non debeat atq; ad poteſtatis genera, aliis porrò diſquirendum relinquo. Satìs jam prolatum eſt ad evincendam ſeptimam *Congruentiam* noſtri *Paralleliſmi* primi.

Ver. XVI. *Et decem cornua quæ vidiſti in Beſtia, hi odio perſequentur Meretricem, & ſolam reddent eam & nudam, & carnes ejus comedent & ipſam igne exurent.* Igne exurere *Dioriſmus* eſt, & ſignificat tantùm conſumere & perimere, faceréq; ut quid deſinat eſſe quod erat. Qualem etiam cladem [*ſolam eam reddere ac nudam, & carnes ejus comedere*] ſignificet, ejus rei declarationem in ultimam Tractatûs noſtri partem differam.

Interea loci poſtquam tam apertè deteximus *Meretricem* hanc non eſſe quidem Civitatem lignis & lapidibus extructam, ſed *Hierarchicam Politiam*, quæ in *Idololatrici* Paganiſmi genus quoddam degeneraverit, equidem fateor me nullam videre neceſſitatem ullius iſtiuſmodi pugnæ, quæ ad antiquæ Civitatis *Romæ* Incendium collineet,

collineet, ſed vaticinium hoc abſq; ullo tali tumultu ſtrepitúve bellico ſtragibúſve aut *veſtibus ſanguine volutatis* expleri poſſe. Quæ certè res eſt quæ propter orbis Chriſtiani pacem ac proſperitatem ſeriò ſit conſideranda. Odium enim horum Decem Cornuum adversùs Meretricem, ejúſq; perſecutio, nullas neceſſariò ſupponit militum conſcriptiones, nullas inſtructas acies, vel Propugnaculorum oppugnationes, aut Murorum Ædiúmve, longáſve ad *Romam* uſq; Expeditiones. Hæc enim *Civitas* amplior eſt quàm ut univerſæ *Italiæ* finibus contineatur. Eſt enim *Politia Pſeudoprophetica* quæ ſe per omnes fines Imperii diffudit, *Nympha aquatica*, cujus veſtimentorum oræ tam laxæ ſunt ut toti Imperiali Oceano per multa ſecula fluitans inſederit, ac proinde talis eſt cui nec concremationis ſupplicium nec ſubmerſionis competat, ſenſu quidem illo craſſo ac *literali*, quemadmodum vulgò res intelligitur; verùm de iſtis proprio ſuo loco dicendum erit.

Ver. XVII. *Deus enim dedit in corda eorum ut faciant quod placitum eſt ei, & ut conſentiant déntq; regnum ſuum Beſtiæ.* Hoc idem prorſus videtur eſſe atq; verſus decimus tertius, *Hi unum conſilium vel unum animum habent* (μίαν γνώμην ἔχουσι, quod reſpondet τὸ ποιῆσαι μίαν γνώμην hoc in loco) *& vires ac poteſtatem ſuam Beſtiæ tradent.* Quod verò maximè ſtupendum Arcanum eſt, nec ſine ſumma humilitate ac veneratione recognoſcendum, hoc eſt, Quòd Deus utiq; huic conſilio ac communi Propoſito horum Regum hîc immiſcetur. Is hîc dicitur *in eorum corda dediſſe*, appellatúrq; *illius propoſiti conſiliive impletio* (τῆς γνώμης αὐτοῦ) *Regnum ſuum Beſtiæ tradere.* Cujus ſenſus obvius eſt, contribuere Regna ſua ad conſtituendam hanc *Beſtiam Decacornem*, ut filii *Iſraëlis* dici poterant ad aureum vitulum conflandum inaures ſuas contribuiſſe.

2. Mirandum profectò hîc videtur Providentiæ ſpecimen. Quò illud S. Pauli Act. 17. vix pertingit, ubi de craſſis Paganorum *Idololatriis* loquens quæ multis ſeculis per orbem terrarum invaluerant, *Temporibus*, inquit ille, *iſtius ignorantiæ per conniventiam diſſimulatis, Deus nunc denunciat omnibus ubiq; hominibus ut reſipiſcant.* Deus verò hîc non ſolùm dicitur *connivere* in hac re, ſed *in corda* horum regum *dediſſe*, &c. *Ver.* 30.

Quamobrem proximè omnium accedit ad indurationem cordis *Pharaonis*, ut nè dimitteret *Iſraëlem*, vel ad Chriſti Servatoris crucifixionem à *Judæis*. *Quem cùm* inquit *Petrus, accepiſſent, manibus ſceleratis cruci affixum interemerunt,* τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ θεοῦ ἐκδότον, *definito conſilio & providentiâ Dei ipſorum furori quaſi expoſitum atq; deditum.* Videtur igitur quòd ejuſmodi inſuperabiles Circumſtantiæ & opportunitates invitatoriæ, quas permiſſivâ ſuâ magíſve poſitivâ Providentiâ Deus in mundum introducit ad explorandum vel potiùs detegendum quid in impiorum cordibus ſit, quáſq; certus eſt naturaliter effectum ſortituras eſſe in eis qui in inferiorem hanc ſortem fatúmve lapſi ſunt, conſiderantur quidem tanquam ſuggeſtiones, tranſmiſſionéſve ac motiones in corda hominum à Deo ipſo; quódq; per hujuſmodi providentialem rerum contexturam, quam is permittit ſaltem ſi non fabricat, humanæ mentes ad hoc vel illud agendum determinantur. Nec ullam certè aliam rationem opus eſt ut intelligamus, de corde *Pharaonis*, quomodo induratum ſit à Deo. Cujus præcipua cauſa erat, quòd Deus *Magis* permitteret, imitari ſaltem ſi non æquare maxima ex parte ipſius *Moſis* Miracula, ſic enim Textus innuit, *Magos* ſcilicet *per ſuas incantationes idem feciſſe, & cor* Pharaonis *induratum fuiſſe.* Act. 2. 23.

Et intellectu profectò facile eſt, permitti poſſe *Beſtiæ Pſeudoprophetic æ* (per officioſam opitulationem Poteſtatum tenebrarum) iſtiuſmodi portenta edere, talibúſq; uti rationibus imponendi decem Regibus quæ ſatis certò determinaturæ eſſent mentes eorum ad *Idololatricam* Imperii Religionem. Quòd verò tam certò futurum eſſet ut deciperentur, ipſorum lapſui imputandum eſt maligníſq illius conſequentiis, nulli verò Injuſtitiæ Dei.

3. Cæterùm opportunum eſt hîc conſiderare (nè falſorum Prophetarum Schola nimiùm quantùm ſuis retibus ſacrificent, nimíſq; fusè mirandæ perfectioni ſuæ & anteceſſorum ſuorum Peritiæ Politicæ applaudant) ut Politici Pontificii per longum quidem temporis ſpacium ſecundo quaſi flumine remigaverint, útq; Deus hujus Ignorantiæ tempora per conniventiam quaſi diſſimulaverit, ante inopinatam utiq; illam, in *reſurrectione Teſtium*, Civitati ipſorum inflictam cladem, quâ amplitudo Regni Beſtiæ haud parùm ſanè acciſa eſt, quanquam quod reliquum erat firmiùs forſan eo pacto coaluerit. Verùm nihilominus pro certo ſtatuere poſſumus, *Noctem jam proceſſiſſe Diémq; propinquâſſe*, quo futurum eſt, ut nec Deus diu conniveat, nec homines tam univerſim dormiant altóve ſopore obruantur quin facilè tandem evigilaturi ſint ad vocem S. *Pauli* præcipientis *omnibus ubiq; hominibus ut reſipiſcant*;

vel, ſi malis, *Johannis Baptiſtæ*, *Reſipiſcite*, *appropinquavit enim Regnum Cœlorum.* Neq; enim ullâ aliâ ratione præcaveri poteſt tremenda illa ac peremptoria ſententia adversùs Meretricem, *(quæ in corde ſuo dicit, Sedeo Regina, nec ſum vidua nec luctum videbo)* quàm abjiciendo Idola ſua ac ſerviendo Deo viventi. Alioquin, *unâ die venient ejus plagæ, mors, & luctus, & fames, & igne exuretur, quia validus eſt Dominus Deus qui damnabit eam.* Quæ comminatio, quemadmodum haud ità pridem aliqua ex parte expleta eſt, ità pleno tandem, niſi reſipuerint, maximéq; ingrato ſenſu poterit expleri. Tempus autem integræ ſuæ proſperitatis præfixum erat, utì planè apparet ex eo quod ſequitur in præſenti hoc verſu Capitis hujus decimi ſeptimi.

Apoc. 18. 7.

4. *Donec compleantur verba Dei*, hoc eſt, Decem hæc regna, quæ ad *decacornem Beſtiam* conſtituendam conſpiraverant, cui *Meretrix* inequitatura eſſet eámq; pro ſuo libitu agitatura, ad hunc modum ſubjecta fore ad illud tantùm tempus quod à Deo decretum ſit & à Prophetis ſuis prædictum. Ad illud quidem tempus eos ſervos ipſius fore, ἄχει τελεσθῇ τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ; *donec compleantur Dei verba*, Prophetæ *Danielis* ore prolata, non autem diutiús. Nam apud *Danielem* cap. 7. apertè dicitur de *parvo Cornu*, qui poteſtatem ſibi aſſùmit mutandi tempora atq; leges (hoc eſt, qui dies feſtos ac ſolennitates pro libitu ſtatuit, & in proprium lucrum Leges & Inſtituta facit, non ſolùm nova quidem ſed notis Dei legibus planè repugnantia) ea ſcilicet *illius in manu traditum iri uſq; ad tempus & tempora & dimidium temporis.* Statim verò ſequitur, *At judicium ſedebit, ut auferatur potentia & conteratur ac diſperdatur uſq; ad finem.*

Verſus igitur hic decimus ſeptimus rationem reddit inexpectati odii ac hoſtilitatis decem cornuum adversùs Meretricem in præcedenti verſu; Traditionem ſcilicet Regnorum ſuorum Beſtiæ (quæ Religionis *Idololatricæ* profeſſio eſt quâ per *Meretricem Beſtiæ* inſidentem ſunt intoxicati) ad tempus duntaxat determinatum duraturam eſſe Divinis Oraculis prædictum; illâ verò periodo finiente, rerum ſcenam fataliter mutatum iri, & de *Cornu parvulo magnáve Meretrice* ſumptum iri ſupplicium, potentiámq; ſubinde contritum iri ac diſperditum uſq; ad finem. Durum verò eſſe contra ſtimulos recalcitrare, ſicut cœlitùs *Saulo* dixit Servator. Atq; utinam illi quorum maximè intereſt, fidem habere vellent voci, atq; ſic pro perſecutoribus, veri diſcipuli Chriſti, viváq; illius Corporis, veræ utiq; Catholicæ Apoſtolicæq; Eccleſiæ, membra evaderent, ceſſaréntq; eſſe *corpus Meretricis.*

Act. 9.

5. Verùm obſervare poſſumus à conjuncta horum duorum verſuum conſideratione, Decem hos Reges *ſua Regna Beſtiæ tradere* & *fœdere cum Meretrice conſociari* idem eſſe. Nam ex eo quòd à *Meretrice* regantur, fit ut Imperium *Beſtia* evadat, cùm eo pacto fiat *Idololatricum.* Et quantùm ad decem illa Regna, quanquam *Reges* appellantur *cornua Beſtiæ* (ut quatuor *Alexandri* ſucceſſores quatuor cornua *Græci* Imperii in quatuor partes diviſi nuncupantur) tamen hæc Regna ipſa conſiderari poſſunt tanquam maxima pars corporis Beſtiæ, dum Meretricis voluntati ſubjecta ſunt ejúſq; *Idololatricam* Religionem profitentur. Unde, ipſos adoriri Meretricem ad conſumendam eam, idem reverà eſt, atq; perimere & interficere *Beſtiam*, hoc eſt, efficere ut Imperium ceſſet eſſe *Idololatricum.*

Quamobrem manifeſtum eſt durationem hujus *decacornis Beſtiæ* à Deo determinatam dici in hoc capite æquè ac in Capite decimo tertio ubi dicitur datum ei eſſe poteſtatem faciendi *menſes quadraginta duos*, hoc eſt, *tres annos & dimidium*, quod eſt, *Tempus & Tempora & dimidium temporis.* Unde veritas decimæ ſeptimæ *Congruentiæ* ſecundi *Paralleliſmi* elucet.

Parall. 2. Congr. 17.

Ver. XVIII. *Et mulier quam vidiſti eſt urbs illa magna quæ habet regnum ſuper Reges Terræ.* Hujus ultimæ partis Interpretationis adjectio eximii momenti eſt, rerúmq; eventis admodum congruens. Etenim cùm hæc *Hierarchia Idololatrica* æquè magnificam primitùs ſedem haberet in *Orientali* parte Imperii atq; in *Occidentali*; cúmq; ambo hi *Imperiales Patriarchatus* æqualem, aut æquali ſaltem cum autoritate, operam darent Imperio depravando Idololatricis doctrinis & conſuetudinibus, ſedes magnæ *Meretricis* neceſſariò primitùs non reſtringitur ad unum locum magìs quàm alterum. Verùm cùm *Occidentalis* hic poſtea *Patriarchatus* tantò ſupra alterum emergeret, eúmq; excederet, non ſolùm obſtinato Idololatriam tuendi propagandíq; ſtudio, (támq; fœdè delibutus eſſet vel potiùs ſuillinosè inebriatus ſanguine Martyrum *Jeſu*) ſed & præterea jus titulúmq; *Epiſcopi Univerſalis* acquiſiviſſet; cúmq; diu jam hanc poteſtatem ſibi arrogaverit exercuerítq; (ut miſſas hîc faciam indignas illius inſultationes in majeſtatem *Cæſaream*, ejus jurum uſurpationes, geſtationéſq; Inſignium Imperialium) cùm *Idololatrica*, inquam, hæc *Hierarchia* in his *occi-*

dentalibus

dentalibus Imperii partibus tantùm creverit, poteſtáſq; eorum qui in partibus erant *Orientalibus* tantùm decreverit & contabuerit, nec duraverit adoleveritve ad eam craſſam *Antichriſtianiſmi* menſuram quæ in altera reperitur, Spiritus Dei ſimiliter dignorationis notam fortiùs *Occidentali Hierarchiæ* impreſſit quàm *Orientali*; & quia illa jus ſibi vendicat univerſalis Juriſdictionis, *Romam veterem*, (*totam Hierarchiam* intelligo, cujus Caput illîc ſitum eſt,) magnam hanc fecit *Meretricem*. Ait enim, *Mulier quam vidiſti eſt Urbs illa magna, quæ* nunc *habet regnum ſuper Reges Terræ*. Eſt enim tempus præſens, dictúmq; in S. *Johannis* temporibus, quando nulla erat ſepticollis Civitas præter *Romam veterem*; quæ regnum habebat ſuper Reges Terræ. Ac proinde neceſſe eſt ut illa ſit.

2. Cæterùm præterquam quòd ἡ ἔχουσα βασιλείαν ſignificationem habet temporis præſentis, idémq; eſt atq; ſi quis dixerit, *quæ nunc regnat*, obſervatu porrò dignum eſt, quòd niſi determinaretur ad hunc ſenſum, Nugatio potiùs eſſet, ſi fas ſit ità loqui, quàm Interpretatio, nullíq; uſui foret illius additio, quippe quòd incertum ſonat, nec quicquam poteſt, quod non antè dictum ſit, ſignificare. Nam ex eo quòd dicitur ſcortari cum Regibus Terræ, & Beſtiæ inequitare, inſideréq; populis & multitudinibus, & Nationibus, & Linguis, hoc jam tantundem valet quantum Regnum habere ſuper Reges Terræ. Quamobrem adjectio hæc hoc in ſe peculiare habere debet, ut dicendo, ἡ ἔχουσα βασιλείαν, illa Civitas intelligeretur quæ orbi terrarum imperabat tempore S. *Johannis*. Ac proinde *Roma* eſſet ſepticollis.

Sed enim quid ego tanto ſtudio enitor illud probare quod & ipſi Adverſarii noſtri minimè inficiantur, ut *Ribera* & *Cornelius à Lapide*, qui ambo agnoſcunt *Romam veterem* hîc intelligi, & *Alcazar* etiam & *Bellarminus*, ab hoc verſu particulariter convicti? Verba *Bellarmini* hæc ſunt; *Neq; enim alia Civitas eſt quæ* Johannis *tempore imperium habuerit ſuper Reges Terræ quàm Roma; & notiſſimum eſt ſuper ſeptem montes Romam ædificatam eſſe.* Quæ duo ſimul conſiderata demonſtratio eſt *Romam* in *Italia* hîc intelligi, nullam verò aliam Civitatem.

3. Senſus igitur hujus verſûs brevi hâc Paraphraſi ſic enucleari poteſt; *Mulier* quam vidiſti inſidentem *Beſtiæ quæ erat & non eſt & tamen eſt*, magna illa Civitas, eſt quæ regnat ſuper Reges Terræ, hoc eſt, *Roma* eſt, cujus Incolæ, quamvis fluxu perpetuo alii aliis ſuccedant, habentur tamen una eadémq; Civitas, quippe qui eiſdem mœniis ædibúſq; includuntur, ut is unus idémq; fluvius habetur qui inter eaſdem ripas fluit, quanquam eadem Aqua unum diem continuum non permanet.

Hæc *Mulier* igitur, quam *Johannes* Imperio ſub ultimo capite inequitantem vidit, ſub prætextu quidem, quòd verè Catholica & Apoſtolica Eccleſia eſſet, quanquam reipſa Meretrix Apoſtatica; hæc mulier, inquam, illa ipſa Civitas, illa magna Civitas, magna illa *Politia* Statúſve *Romanus* eſt qui nunc regnum habet ſuper Reges Terræ, inquit *Angelus* S. *Johanni*. Ubi verò undéve hoc fieri poterat niſi à *Roma* urbe Imperiali? Unde manifeſtum eſt *Romanam* Catholicam Eccleſiam (quemadmodum ſe appellitat) quæ à ſeptem montibus orbi imperat, intelligendam eſſe, utpote quæ conſideratur tanquam una eadémq; Fœmina, cùm nova hæc *Romana Hierarchia* æquè ſuccedat ſitáq; ſit in eadem Civitate, hoc eſt, intra mœnia *Romana*, ac antiqua *Politia* erat.

Quod æquè facile intellectu eſt ac ſi quis de certo quodam fluvio vaticinaretur qui poſt trecentos annos ſanguine fluxurus eſſet, & tum demum adderet, fluvium hunc fluvium eſſe qui nunc ſeptem oſtiis in mare Mediterraneum ſe exonerat; manifeſtum enim eſt hoc intelligi oportere de Aquis *Nili*, nec tamen de eis quæ jam fluunt, ſed de eis quæ poſt trecentos annos ſunt fluxuræ. Et quemadmodum diceremus hunc ipſum fluvium *Nilum* qui nunc in Mediterraneum currit, illum fluvium eſſe qui poſt trecentos abhinc annos tinctus ſanguine illuc ſit curſurus, quamvis aqua eadem non ſit hoc tempore atq; illo nec ejuſdem qualitatis: ità dici poterat tempore S. *Johannis* illam ipſam Civitatem (intelligendo poteſtatem inibi ſive *Politian*) quæ tunc orbi imperabat, *Beſtiæ quæ erat, & non eſt & tamen eſt*, poſt tot ſecula inequitaturam, quanquam ſanè *Politia* non magis eadem ſit quàm aqua Nili nunc fluens eadem eſt quæ cruenta illa aqua quæ prædicitur intra ripas ſuas poſt trecentos abhinc annos fluxura.

Tam facilis ac Naturalis eſt locutio Angeli in hoc ultimo verſu, támq; manifeſta *ſedis Mulieris* determinatio ad *Romam veterem*, ſicut reverà factum eſt.

4. Utq; viſio *Beſtiæ bicornis* pari paſſu cum hac *Meretricis* procedat, ob eaſdem rationes quas hîc jam attuli, ſect. 1. ſedes *Beſtiæ bicornis* ad *Romam* itidem tandem reſtringitur tanquam ad unicam univerſalis Capitis Corporis Pſeudoprophetici ſedem.

Quæ reſtrictio detegitur per *Numerale Nomen* Beſtiæ perinde ac per *Numerationem Numeri* ejus nomine comprehenſi. Priorem Computationem, obſervatum eſt à *Dounhamo* Epiſcopo, cavillis à quibuſdam tanquam *Cabbaliſticam* excipi. Sed enim ſatis luculentè probat ex *Irenæo* hunc computandi modum etiam ab ipſo S. *Johanne* traditum fuiſſe: Et certè tametſi multi *Pſeudo-cabbaliſtæ* ipſum nomen *Cabbalæ* ſuſpectum reddiderint, ingenuè tamen fateor me exiſtimare, non de nihilo illius famam ortam eſſe & increbuiſſe, verùm reverà fuiſſe ejuſmodi occultam rationem magna tradendi ſcientiæ Arcana, ejúſq; partem fuiſſe *Numerorum ſymbola* (quod quidem frequens eſt in hoc Libro *Apocalypſeos*, ut & primo capite *Geneſeos* perpetuum) ut præteream illam ipſam loquendi formulam *Alpha & Omega*, videri planè *Cabbaliſticam*, quippe apud quos frequens ſit mentio *Aleph lucidi* & *Aleph tenebroſi*, de quibus *Robertus Flud* (qui magnoperè ſibi placebat induendo ſe in hæc Profunda, quóuſq; illius ſitula pertingere poterat) *Habetis*, inquit ille, Aleph Cabbaliſtarum *tenebroſum in lucidum converſum omnia creans, cœlúmq; ac terram informans, & conſequenter habetis* Alpha & Omega, *Principium & Finem*. Hoc reſpondet verſui illi *Orphaico* de Deo.

De Antichriſt. lib. 8. cap. 4.

Meteorolog. Coſmic. lib. 4. cap. 3.

Ἀρχὴν αὐτὸς ἔχων ἅμα καὶ μέσον ἠδὲ τελευτήν.

Quem *Plato* τὸν παλαιὸν λόγον appellat, nec dubito quin veterum *Cabbaliſtarum* doctrina fuerit, veriſimillimúmq; ſit eam aliquo hujuſmodi ornatu fuiſſe tectam.

Grotius ipſe agnoſcit phraſin *Alpha* & *Omega Rabbinicam* eſſe, deſumptámq; ab ipſorum מאלף ועד תיו. Illúdq; quod ſequitur, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, quid aliud eſt quàm vocum אהיה vel יהוה *Talmudica* Expoſitio? Quæ hujus libri *Apocalypſeos* eſt quædam peculiaritas. Quamobrem ſi deprehendatur in aliis rebus *Cabbalam* ſapere, *Cabbaliſtica* hæc Numeri Beſtiæ Computatio majorem ex eo meretur fidem quòd ſit *Cabbaliſtica*.

Apoc. 1. 8.

5. Jam verò ex hac Computatione nomen illius invenitur Λατεῖνος. *Valores* enim *Numerales* harum *Literarum* ad ſummam aſſurgunt 666.

Λ A T E I N O Σ.
30. 1. 300. 5. 10. 50. 70. 200.

Hos numeros ſi addas, omninò conficiunt 666. *Grotius* Orthographiam vocis Λατεῖνος vellicat, ac ſi ſcribi oporteret Λατῖνος. Verùm præterquam quòd *Irenæus*, Pater *Græcus*, qui certiùs cognoſcere poterat quàm *Grotius* ullúſve nunc dierum alius quomodo tunc hanc vocem ſcriberent, apertè affirmat eam cum ει ſcribi, eo ipſo in loco quo an Τειτὰν ſic ſcribendum ſit dubitat, & tali quidem tempore quando neſciebat an ea unquam huic Textui futura eſſet applicabilis. *Joſephus Scaliger* hanc Regulam etiam tradit, *Græcos* utiq; in *Latinis* vocabulis mutare *i* longam ante *n* in ει, ut Ζαβεῖνος, Ἀντωνεῖνος, Λατεῖνος. Et *Latini* ſanè ipſi loco *i* longæ *ei* diphthongum ſcribebant. Cujus infinita occurrunt exempla apud *Ennium*,

Poinei ſunt ſolitei ſos ſacrificare puellos
Diveis———

Annalium libro ſeptimo. Et rurſus in eodem libro,

Quorum virtutes bellei fortuna pepercit,
Horundem me leibertatei parcere certum eſt.

Unum tantummodò verſiculum ſuperaddam, ſed qui non pauciora quàm quinq; exempla offert.

Quam preimum Caſcei populei tenuêre Lateinei.

Tam pauxillâ profectò ratione nititur illa opinio *Grotii*.

6. Nec ſanè enervari poſſunt hæc exempla propter ſuam antiquitatem aut infirmari, quippe quòd priſci *Latini* ad exemplum *Græcorum* proximè pronunciabant, ſicut apparet in iſtis diphthongis *æ* & *œ*, & in *y*, quam recentiores *Latini* non diſtinguebant ab *i*; quæ tamen *u* brevis erat *Græcorum*, nec ullam aliam habebant præter ipſam. Quòd verò *Græci* eam pronunciabant ut *u*, ex multis vocibus apparet

ab

ab ea Lingua derivatis; ut in *Sus*, *Super*, *Fucus*, *Turba*, *Trutina*, & ſimilibus, quæ fiunt à Græcis ὗς, ὑπὲρ, φῦκος, τύφη, τρυτάνη. Quam Analogiam obſervat *Ennius*, in eo quòd dicit *Olumpus* non *Olympus*, *Cuclops* non *Cyclops*, *Luchnus* non autem *Lychnus*, pronunciátq; *æ*, *oi*, & *æ*, *ai*,

——Adeſte
Muſai quai pedibus magnum polſatis Olumpum. Annal. lib. 1.

Et quantùm ad illud exemplum in *Cuclops*, nono Annalium libro occurrit.

Cuclopis venter velut olim turſerat, alti
Carnibus humaneis.——

Tertiúmq; exemplum eodem loco habetur,

——Luchnorum lumina bis ſex.

Quod pronunciationem ſpectat æ diphthongi tanquam *oi*, unum jam allatum eſt exemplum in *Poinei*. Cui adjicere potes lib. 1.

Quanquam molta manus ad coilei coirola templa
Tendebam lacrumans.

Ubi etiam eſt *lacrumans* pro *lacrymans* quod à *Græco* δάκρυον eſt, mutando δ in *l*, ut in *Ulyſſes* ab Ὀδυσσεύς. Duo etiam habuimus exempla pronunciandi æ ut *ai*, in *Muſai*, & *qnai*; quibus addere potes ex eodem libro,

——O gnata tibei ſunt ante ferondai
Airomnai.

Súntq; alia exempla infinita eódem ſpectantia, unde apparere poteſt, Latinos veteres multò propiùs ad modum pronunciandi *Græcanicum* acceſſiſſe quàm *Latinos* recentiores, ac proinde veriſimillimum eſſe *Græcos Latina* vocabula pronunciâſſe ſecundùm modum veterum *Latinorum*; cúmq; hi dicerent *Lateinus* non autem *Latinus*, *Græcos* eo ipſo dixiſſe ſcripſiſſéq; Λατῖνος non autem Λατῖνος. Quòd ſi Λατῖνος reperiatur apud *Græcos* Authores, id factum fuiſſe ex officioſa Imperitia temerariorum quorundam ScribarumCriticorúmve qui vocis Orthographiam depravaverint. De cujuſmodi temeritate exempla extant innumerabilia. Hæc verò argumenta trivialiora ſunt quàm ut eis inſiſtamus.

7. Atq; ſic tandem Nominis Orthographiam confirmavimus. Jam verò Applicatio Beſtiæ bicorni mirum in modum adaptata eſt. Quanquam enim primò ſua cornua quodam quaſi cum æquilibrïo geſtare poterat, poſtea tamen cùm Cornu *Orientale* tanto intervallo, omni ex parte, ab altero ſuperatum eſſet, & in tam tenuem poteſtatem contractum, Beſtia tandem tota ferè facta eſt ὅλη Λατῖνος, non Ῥωμαῖος. Et ſatìs notum eſt ſtatim ex Diviſione Imperii in *Orientale* & *Occidentale*, *Græcos* Occidentales Eccleſias, *Latinas* Eccleſias appellâſſe, ſeipſos verò vocâſſe *Romanos*.

Quamobrem cùm non ſolùm *Latini* ſed & *Græci Romanos* ſe appellarent, ſuóſq; Imperatores Imperatores *Romanos*, & ſuam porrò Civitatem *Romam novam*, Regionémq; circa eam, *Romaniam*, Eccleſia *Latina*, ſive καθ' ὅλος Λατῖνος, admodum particulariter ſanè ac diſcriminatim indigitatur deſcribitúrq; per hoc *Numerale Nomen* Beſtiæ Λατῖνος, Eventu cum vaticinio perquam accuratè conſentiente. Hæc enim diſtinctio *Græcæ Latinæq;* Eccleſiæ adeò inſignis erat adeóq; in confeſſo, ut in generalibus Conciliis *Occidentales* Epiſcopi *Latini* Epiſcopi appellarentur, & utrorumq; ſubſcriptiones ſimiliter diſtinctæ eſſent ſub Titulis *Patrum Latinorum* & *Patrum Græcorum*. Tam exquiſitè profectò Nomen Beſtiæ eam ad *Romam Italiámq;* determinat.

8. Nec quicquam hîc valeret ſi quis objiceret, multa alia eſſe nomina in quibus literarum valores additi ſummam 666 conficiant. Nam hanc vocem Λατῖνος nihilominus ipſiſſimam illam eſſe vocem ſive Nomen, non ſolùm Eventum ſed & connexio quam *Beſtia bicornis* cum *Beſtia ſepticipite* & *decacorni* i. e. cum Imperio *Romano* habet, planè demonſtrat. Quis igitur tam idoneus ad hoſce ludos in eo faciendos quàm hæc Beſtia *Latina*, cujuſmodi planè deprehenditur, itáq; in rebus omnibus *Latiniſſat*,

niſſat, *Miſſa*, *Precibus*, *Hymnis*, *Litania*, *Canonibus*, *Decretalibus*, *Bullis*, *Conciliis*, *Bibliis*, & ſimilibus, ut levis profectò cauſa videri non poſſit quæ Divinum Spiritum moverit ad tam particulariter eam deſcribendam ab hoc Nomine? Non poteſt, inquam, quodlibet, cujus nomen 666 ſuis literis complectatur, *hæc* eſſe *Beſtia*, ſed unà cum nomine hunc numerum continente, omnia illa quæ de *bicorni Beſtia* dicuntur, ei adaptata eſſe debent, cuicuimodi ſit, quam hanc Beſtiam eſſe velis. Nemo enim qui animum attendit ad ea quæ dicturus eſt, ſic unquam argumentabitur, Hujus *Perſonæ* hujúſve *Politiæ* nomen 666 complectitur, Ergo hæc eſt *Beſtia*. Sed potiùs ſic, Hæc *Perſona* vel *Politia* facit fecítve omnia illa quæ *Beſtia bicornis*, quantùm ad *Romanum* Imperium, feciſſe dicitur, & Nomen illius præterea complectitur 666. Quamobrem hæc proculdubio eſt Beſtia. Hæc ſolida demum Ratiocinatio eſt, immò perfecta Demonſtratio.

9. Hactenus Numerum Beſtiæ in *Nomine* tantùm Beſtiæ numeravimus. Eſt verò porrò ulterioris *Cabbaliſmi* in numerando *Numero ipſo*, quo principalis Beſtiæ reſidentia iterum determinatim detegatur, *Romanáq;* Catholica Eccleſia quæ nunc ſic appellatur, ea eſſe deprehendatur ad quam hæc *Beſtiæ bicornis* viſio maximè collineat. Quamobrem ut in antiqua *Cabbala* Numerus *Denarius* & Numerus *Triginta ſex*, uterq; appellantur *Tetractys*, cùm reverà δύναμις ſive *potentia Tetractyos* ſint, (quanquam ſenſu *Cabbaliſtico* magìs quàm *Geometrico* aut *Arithmetico*) quippe quorum alter è partibus *Quaternarii* ſimul additis, alter ex additione *quatuor primorum* Numerorum *fœmininorum* & *maſculinorum* oritur: ità hic *Numerus Beſtiæ* (quamvis *Numerus* illius appellatur) *Potentia* potiùs illius Numeri eſt qui Beſtiam detegit, quàm *Numerus ipſe*.

Neq; enim dicere poterat, ὧδε ἡ σοφία, &, *Qui intelligentiâ præditus eſt computet numerum Beſtiæ*, ſi ſimplex perlectio Numeri eſſet, vel *numeralium literarum* alicujus Nominis additio. Major igitur Peritia requiritur ad computandum *Numerum Beſtiæ* quàm ad computandum *Numerum Nominis* illius. Et tamen humano more computandus eſt, Quemadmodum innuitur iſtis verbis [*Numerus enim hominis eſt*] Cæterùm unum ſolum Numerum datum computare non poſſumus niſi per *Radicis extractionem*.

10. Quamobrem ſicut *Radix quadratica* numeri 36. meritò concipi poteſt indicare quòd celebratiſſima illa *Tetractys* ad *Hexameron Moſaicum* relationem habebat, ſignificabátq; uniuſcujuſq; Diei Creationem principium ſuum habere *fœmininum* perinde ac *maſculinum*, ipſo primo non excepto (quod conſentaneum eſt illi *Judæorum* Aphoriſmo, [*Nulla virtus Divina deſcendit ſine indumento*] *Moſiſq;* aſſimulationi Creationis primi diei, *Luci*) ità *Radix quadratica* hujus *Numeri Beſtiæ* indicare etiam poteſt ad quem hæc *Beſtiæ bicornis* viſio pertineat. Et jam ſanè in *Myſterio Pietatis*, Radicem oſtendi hujus Numeri eſſe 25, eámq; planè convenire cum multis rebus memorabilibus in Eccleſia *Romana* eorúmq; Civitate, ídq; per modum perfectæ ἀλληγορίας *Numero* 12, qui *Radix* eſt 144, Numeri Cohortium quæ conſpiciuntur cum Agno in monte *Sion*. Quæ cùm abundè explicata ſint in dicto Tractatu, & adhuc pleniùs intelligi poſſint ex *Pottero* ipſo, plura verba ſuper hac re hoc in lòco facere ſuperſedebo, Lectorémq; illuc prorſus remittam quò ſibi ſatisfaciat.

Lib. 5. cap. 16. Sect. 8.

Paral. 1. Congr. 9.

11. Intereà loci non dubitabo concludere manifeſtum eſſe partim ex eis quæ illîc tradidi, partim ex his quæ ſuperaddidi hoc in loco, ſedem tam *Bicornis Beſtiæ* quàm *Meretricis*, tandem in ſuis utriuſq; viſionibus ad *veterem Romam* determinari, tanquam maximè durabilem conſpicuámq; Sacerdotii Apoſtatici ſedem, talémq; quæ, cùm tam inſigne hujus nequitiæ exemplum ſit, menſura Reguláq; fiat comparandi dijudicandíq; magnitudinem Apoſtaſiæ aliarum Eccleſiarum ex propinquiori acceſſu & conſenſu cum hac Regina Meretricum. Ac proinde ex indicatione Nominis, Numeri, Sedíſve hujus præcipuæ partis Cleri Apoſtatici, clara indè nobis ſuppeditatur notitia firmáq; deprehenſio totius corporis corrupti omniúmq; illius partium ubicunq; & quamdiucunq; reperiendæ ſint intra fines *Romani* Imperii.

Poſtquam verò ſemel abſorptæ ſint, & extraneæ alicujus Poteſtatis quaſi alluvione abreptæ & alîus alicujus Imperii ſubjectæ juriſdictioni, equidem fateor, quòd (tametſi has etiam hac menſurâ metiri poſſumus) non video tamen, quî illas hæc duo vaticinia attingere poſſint ad eáſve collineare, cùm & *Beſtia bicornis* & *Meretrix* conſiderentur tanquam inequitatrices rectricéſq; *Beſtiæ ſepticipitis* cum *decem cornibus*, ac proinde ſupponantur intra *Romanum* eſſe Imperium. Quæ quidem cauſa manifeſta eſt cur hæc vaticinia *Romanæ* Eccleſiæ tam firmiter ad finem ſe affixerint, perinde ac ſi ad eam ſolam pertinerent. Pax enim erat ut ſic fieret, propter durationis illius *permanentiam* æquè ac *eminentiam* Improbitatis.

Quæ

Quæ una etiam ratio eſſe poteſt cur hoc Cleri adulterati corpus *Beſtia* appelletur *bicornis*, quippe quòd omnes illi *Patriarchatus Græcæ* Eccleſiæ accenſiti, maturè abrepti eſſent novo eos Imperio inundante; *Patriarchatus* verò *Conſtantinopolitanus* uſq; ad ducentos circiter abhinc annos liber erat ab ea inundatione. Adeò fidelis eſt ſpiritus propheticus in præfiguratione Eventuum; quemadmodum quivis deprehendere poteſt cui libuerit Hiſtoriam conſulere. Intereà loci, ſatis (quod dixi) manifeſtum eſt ſedem *Meretricis* perinde ac *Beſtiæ bicornis* ad *Romam veterem* in utraq; viſione determinari, Quæ eſt ultima Congruentia Paralleliſmi primi.

12. Ut & ultima ſecundi eſt, ſedem *Beſtiæ ſepticipitis* in utraq; viſione liberam relinqui, nec ad ullam particularem Metropolin defigi. Equidem ex eo quòd *ſeptem Capita* Beſtiæ Angelus de ſeptem montibus *Romæ* interpretatur, manifeſtum eſt Beſtiam aliquo modo ad eum locum referri, aliquémq; Titulum ſive denominationem ab ea Civitate habere debere. Aliter quî fieri poterat ut *ſeptem* Beſtiæ *capita* ſeptem montium Typi eſſent? vaticinium verò quaſi datâ operâ Imperialis ſedis *Beſtiæ ſepticipitis* determinationem prætermittens, privilegium illud *Meretrici* impertit, illiq; ſedem ſepticollem aſſignat, dicens, *Septem capita ſeptem montes ſunt ſuper quos Mulier ſedet*. Quod mirandum in modum cum eventu congruit. Nam *Roma* profectò *Meretricis* conſtans ſedes fuit, ſedes verò Beſtiæ ſepticipitis varia, nunc *Romæ*, nunc *Conſtantinopoli*, poſtremò in *Germania*. *Parall. 2. Congr. 18.*

13. Atq; ſic quidem exquiſitam vidimus Congruentiam Coincidentiámq; omnium partium viſionum horum decimi tertii & decimi ſeptimi Capitum cum ſe invicem: Quæ tametſi adeò accuratè ſibi mutuò reſpondeant, fateor tamen non uſq; adeò adæquatè, quin viſio *Meretricis Romanam* Eccleſiam preſſiori arctioríq; ratione perpetuò perſtringat. Et certè præter apertam ſedis illius deſignationem, quæ utriq; communis eſt, ornatus ejus ſupra modum ſplendidus ac magnificus, ſanguiníſq; ſitiens crudelitas, vel potiùs profuſiſſima ex Sanctorum ſanguine ebrietas, quemadmodum deſcribitur, videtur peculiari modo illi magìs quàm Eccleſiæ *Græcæ* hanc viſionem appropriare. Quæ quidem Ebrietas ut & enormis ornatuum ſplendor quamvis per totum Meretricis regnum non perpetuò fuerint, pro ratione tamen harum Figurarum Propheticarum, quæ integram rerum ſucceſſionem ſub una compacta ſpecie exhibent, citra omnem temporis diſcriminationem ſemel erant repræſentanda.

Quæ quidem conſideratio quemlibet alium conſimilem ſcrupulum de his Propheticis ſchematis & repræſentationibus tollere poteſt. Quod enim ad tempus duntaxat factum ſit, æquè has Imagines exornat ac quod permanens eſt & perpetuum, cùm nulla ſucceſſionis temporis mentio fiat ſed omnia ſemel repræſententur.

14. Et propterea tametſi illa Inſcriptio [*Myſterium*] in Coronam Pontificis, quod proculdubio per imitationem factum eſt Inſcriptionis in Mitram *Aaronis* (ſiquidem omnium illius veſtimentorum ornamentorúmq; de induſtria in ornatu *Papali* affectatur imitatio) nunc mutata ſit in [*Julius Pontifex Maximus*] nihilo tamen minùs probabile eſt ad eam in hac Meretricis deſcriptione alluſum eſſe. Cujus Hiſtoriæ veritatem *Dounhamus* Epiſcopus ſumma quidem cum confidentia aſſerit, *Quòd autem dit in fronte Meretricis ſcriptum fuiſſe nomen* [*Myſterium*] *id in* Romano *Pontifice completum eſſe, pro comperto habemus*. Quæ quidem veritas eſt adeò apud omnes in confeſſo, ut nec ipſe *Leſſius* in ſuo ad *Jacobum* Regem Reſponſo, eam negare potuerit. Quapropter quemadmodum Chriſtus Servator primum illum proferendo verſum Pſalmi viceſimi ſecundi, *Deus meus Deus meus ut quid dereliquiſti me?* omnibus ſignificavit totum Pſalmum de ſua paſſione eſſe vaticinium: ità primum hoc vocabulum Nominis *Meretricis Babylonis* in *Papalem* Tiaram inſcriptum ſubindicatio erat totum nomen Titulúmve ad *Papam* ejúſq; Clerum pertinere, eóſq; eſſe *magnam hanc Meretricem quæ Terræ Incolas vino ſcortationis ſuæ inebriavit*. *De Antichriſt. lib. 1. cap. 7.*

Hæc quidem in Coronam Papalem Inſcriptio, & Papæ fœminæ electio, quæ (præter alia) ſe Meretricem eſſe prodidit in *Romæ* plateis ſolenni proceſſione laborando è dolore partúmq; reddendo (atq; ſic omnibus populis patefaciendo oppidò quàm palpabili Hieroglyphico, *Romam* reverà ſedem eſſe magnæ illius Meretricis Apocalypticæ) duo inſignia ſpecimina ſunt jocabundæ illius, ſi fas ſit ità loqui, Feſtivitatis, quæ aliquando obſervari poteſt in *Divina Providentia*, quæ *Naturæ* lucibus aliquo modo reſpondet in ſuis *Gamaieu* & ejuſmodi jocularibus ludicríſq; Productionibus. Atq; equidem hujus de Papa Fœmina Hiſtoriæ veritas æquè certa eſt atq; illa Inſcriptionis, ſi quidem ſexaginta ampliùs Scriptorum teſtimonia ídq; Pontificiorum, ſat eſſe cenſendum ſit ad fidem ei faciendam. Quæ omnia à *Gabriele Powello* afferuntur in Diſputationibus ſuis Theologicis de *Antichriſto*. Verùm haſce res Expoſitioni horum duorum Capitum temerè interſerendas non cenſui, ſiquidem rerum contextura abundè abſq; eis perſpicua eſt atq; firma. *Lib. 1. Cap 28. theſ. 7.*

CAP.

CAP. XVI.

1. *Quid reſtet ad pleniſſimam, quæ exoptari poteſt, veritati noſtræ* Co-expoſitionis *fidem faciendam.* 2. *Politian* Romanam *à Principio uſq; ad finem tanquam unum Regnum Imperiúmve conſiderari, ex* Floro *conſtare.* 3. *Quinq; præterii ſſe ſupremi Magiſtratûs genera tempore S.* Johannis, Reges, Conſules, Tribunos Conſulares, Decemviros, Dictatores; Tribunóſq; Plebis *ſummum Magiſtratum non fuiſſe;* 4. *Nec* Tribunos militum *ſimpliciter ſic dictos.* 5. Decemviros *verò ac* Tribunos Conſulares *reverà fuiſſe;* 6. *Vt &* Dictatores. 7. *Plura quàm quinq; ſummorum Magiſtratuum genera S.* Johannis *tempore non præterii ſſe,* Interreges *verò nec fuiſſe nec habitos eſſe ab Hiſtoricis ſummi Magiſtratûs genus à* Regibus *diſtinctum.* 8. *Triumviratum Reipublicæ conſtituendæ aut temporaneam fuiſſe contentionem conſuſionémq; in Politia* Romana; 9. *Aut formalem* Cæſareatum *quem* Auguſtus, Lepidus & Antonius *exercuerint.* 10. *Plenè ac ſufficienter demonſtrari poſſe Ratione & Hiſtoriâ* Triumviratum Reipublicæ conſtituendæ *ſextam formam Regiminis non eſſe cenſendam ab* Imperatoribus *& quinq; Antecedentibus Formis diſtinctam.* 11. *Quamvis aliæ fuiſſent Formæ reverà diſtinctæ ſed proximæ quidem affinitatis cum reliquarum aliquibus, haud ità abſonum fuiſſe, eas tanquam eaſdem cenſere cum eis cum quibus tantam habebant affinitatem.* 12. *Verùm rationem applicandi hanc viſionem magis exactam eſſe, talémq; de qua vel ipſe* Scepticiſmus *vix poſſit dubitare.* 13. *Argumenti totius capitis Concluſio, cum preſſiore inculcatione illius veritatis.*

1. FInivimus jam *Co-expoſitionem* horum decimi ſeptimi & decimi tertii Capitum *Apocalypſeos,* niſi quòd reſtat ut eam partem pleniùs confirmemus quæ *ſeptem Capita* de *ſeptem ſummorum Magiſtratuum* generibus ſibi invicem in Imperiò ſuccedentibus interpretatur; & ut magis particulatim indigitemus *quàm accurata Beſtiæ occiſæ imago ſit Beſtia rediviva quantùm ad Superſtitionem & Idololatriam.* Quibus ſi addidero ſolidam *Riberæ* Interpretationis de *Beſtia ſepticipite* Confutationem, ut & *Hugonis Grotii,* ſpero nihil defuturum ad maximam veritati Interpretationis noſtræ fidem faciendam quæ poteſt exoptari.

2. In primo Argumento Controverſia tantùm eſt de *ſex primis Capitibus,* utrùm ſcilicet à *Regibus* ad *Paganicos* uſq; *Imperatores,* intelligendo incluſivè, ſex Formæ Regiminis fuerint non plures; vel, ſi malis, utrùm quinq; omninò fuerint ante *Cæſares Romanos.*

Regnum Imperiúmve Romanum à primis uſq; Regibus ac deinceps repetendum eſſe neminem credo dubitaturum, eandémve perpetuò eſſe *Beſtiam,* quemadmodum *Florus* ipſum tanquam *unum Hominem* conſiderat, ejúſq; ætates diſtinguit, primos à *Romulo* ducenos quinquagenos annos Populi Imperiíve *Romani* Infantiæ aſſignans, & ducenos dein annos illius *Juventuti,* alteróſq; ducenos quinquagenos qui ad *Auguſti* tempora pertingebant, *Virili ætati* Imperii; Proximos verò ducentos annos Senectutem Imperii appellat. Quod planè oſtendit eum totam ſucceſſionem, quanquam ſub diverſis ætatibus, tanquam unum idémq; Imperium ſpectâſſe. Quod tamen multo longævius erat quàm ut *Trajani* temporibus exiſtimaretur conſenuiſſe. Quamobrem cùm ipſa Hiſtoria totam ſucceſſionem *Romani* Populi tanquam unum corpus Politicum conſiderat, nè minimum quidem incongruentiæ eſſe poteſt in deſcribendo hoc corpore per ejuſmodi numerum Capitum quæ à primo Succeſſionis initio ad ultimam Imperii Periodum pertingerent.

3. Quorum quinq; præterierant temporibus *Johannis,* non autem plura nec pauciora quàm quinque, quemadmodum jam probaturus ſum, *Reges* ſcilicet, *Conſules, Tribuni, Decemviri* & *Dictatores.* Populus enim *Romanus* nullas unquam præter has habuit ſummas Poteſtates ante *Cæſares* ſuos, nempe præter *Reges, Conſules, Tribunos Conſulares, Decemviros, Dictatores.*

De *Regibus* & *Conſulibus* nulla omninò extat Controverſia. Jam verò quantùm ad Tribunos Conſulares, illi quidem ità appellantur ad diſtinguendum eos à *Tribunis Plebis,* & *Tribunis militum,* vulgò ſic dictis, quorum neutri ſummæ Poteſtates erant *Romani* Regni ſive Imperii. Nam *Tribuni plebis,* Plebis potiùs quàm populi *Romani* Magiſtratus erant. Et quod paucos illos annos ſpectat quibus impediebant electionem aliorum Magiſtratuum, Civitas tunc conſiderabatur tanquam Magiſtratu deſtituta. *Quatuor annis ſine Magiſtratibus* Roma *fuit,* inquit *ſextus Ruſus* de eo tempore.

pore. Quam Civitatis conditionem *Diodorus Siculus* etiam ἀναρχίαν appellat. Atq; illud etiam *Marci Varronis* apud *Gellium* planè oſtendit hos ſummam Poteſtatem eſſe non poſſe. *In Magiſtratu habent alii vocationem, alii prenſionem, alii neutrum; Vocationem, ut Conſules & alii qui habent Imperium; Prenſionem, ut Tribuni Plebis & alii qui habent viatorem: Neq; vocationem neq; prenſionem, ut Quæſtores & cæteri qui neq; lictorem habent nec viatorem.* Ubi manifeſtum eſt *Tribunos plebis* inter eos recenſeri qui non habent Imperium, ac proinde non ſunt ſummi Magiſtratus. *A Gell. N. A. Attic. lib. 13. cap. 12.*

4. Ut certè *Tribuni militum* ſimpliciter ſic dicti, non ſunt; quemadmodum ex illo *Livii* loco apparet. *Diſciplinâ enim militari, miles Centurionis, Centurio Tribuni, Tribunus Legati, Legatus Conſulis paret imperio. Tribuni* verò *militum Conſulari* poteſtate ii ipſi *Tribuni Conſulares* ſunt quos jam nominavi. De quibus *Feneſtella*; *Penès quem ſanè magiſtratum (ut ipſum nomen indicat) eadem quæ apud Conſules poteſtas erat, collata eſt, nominibus tantùm immutatis, ac Plebis ratione haberi cœptâ.* *Liv. lib. 8.* *De magiſtr. Roman. c. 16.*

5. *Decemviros* ſummam fuiſſe Poteſtatem manifeſtum eſt ex *Livio: Anno trecenteſimo altero quàm condita* Roma *erat, iterum mutatur forma Civitatis ab Conſulibus ad Decemviros, quemadmodum ab Regibus antè ad Conſules venerat, tranſlato Imperio,* Item ex *Sexto Rufo*: Quadraginta enim novem annis *Romæ Conſules defuerunt*; *ſub* Decemviris, *duobus*; ſub *Tribunis militum*, quadraginta tribus; ſine Magiſtratibus *Roma* fuit annis quatuor. Sic *Rufus* in ſuo Breviario; ubi nupera editio Textum fœdiſſimè corrupit, legendo, *Novem enim annis*, pro *Quadraginta enim novem annis*, & poſtea, *tribus* pro *quadraginta tribus*, obliviſcendo prorſus *Hiſtoricum* paulò antè dixiſſe Populum *Romanum* ſub *Conſulibus* fuiſſe quadringentos ſexaginta ſeptem annos, nempe à *Bruto* & *Poplicola* ad *Pauſam* & *Hirtium*, & tamen intra hoc ſpacium numerâſſe tantùm quadringentos ſeptendecim Conſules. Quî igitur fieri poteſt ut novem anni lacunam expleant? Atq; hoc quidem dictum ſit obiter. Hinc verò planè apparet ſummam Poteſtatem horum *Tribunorum Militum* perinde ac Decemvirorum ab hoc Autore aſſeri, *Conſulari* Poteſtate eorum temporibus ceſſante. Et quod brevitatem regni *Decemvirorum* attinet quod non durabat ultra biennium, id certè nihilo magis eos ex harum Formarum Regiminis catalogo delere poteſt, quàm *Othonis* regnum tantùm trimeſtre eum poteſt ex *Romanorum* Imperatorum catalogo expungere. *Liv. lib. 3.*

6. Et poſtremò, *Dictatoris* ſummam Poteſtatem fuiſſe minimè dubitatur, immò apertè affirmatur à *Feneſtella. Ea ſumma quidem apud* Romanos *poteſtas fuit, à qua nec provocandi jus fuiſſe & animadverſionem in capite cujuſcunq; Civis Romani, totiúſq; Reipublicæ ſummam ditionem penès ipſam habuiſſe, veterum ſcripta teſtantur.* Nec quicquam contra nos facit quòd *Conſules* erant, etiam Dictatore ſuam poteſtatem obtinente, cùm iidem etiam eſſent durante regno *Imperatorum.* Quamdiu enim *Dictator* erat, *Conſules* Reipublicæ *Romanæ* ſupremum Caput non erant, immò minori pollebant poteſtate quàm ſub *Imperatoribus.* Et quanquam ſanè hæc poteſtas diu durare non debebat, tamen prout rerum neceſſitas exigebat, ſubinde repetenda erat. *Sylla* tres annos continuos hoc officio fungebatur, & *Julius Cæſar* decem; mox verò perpetua *Dictatura* unà cum *Imperatoris* Titulo illi commiſſa eſt, in quo *Auguſtus* cæteriq; *Imperatores Romani* ipſi ſucceſſerunt. *De Magiſtr. Rom. c. 8.*

7. Atq; ſic certi ſumus quinq; fuiſſe ſummorum Magiſtratuum genera in Politia ſive Imperio *Romano*, ante S. *Johannis* tempora. Nec plura quàm quinq; fuiſſe credo facilè perſuaderi poſſe, cùm nullos queant alios Competitores afferre præter *Interreges*, & *Triumviros Reipublicæ conſtituendæ*, quos urget *Grotius.* Manifeſtum enim eſt *Interreges* ad *Regalem* Poteſtatem neceſſariò reduci debere, quippe quæ vicaria tantùm illius appendix eſt, non autem ſummæ poteſtatis ſpecies per ſe diſtincta nec ab Hiſtoricis ità habita. Nam *Meſſalus Corvinus* in libro de *Auguſti Progenie* mentionem tantùm facit de *Regibus*, *Conſulibus*, *Dictatoribus*, *Tribunis militaribus*, & *Tribunis plebis* uſq; ad tempora *Cæſarum*, omiſſis *Interregibus* & *Triumviris* illis quibus *Grotius* patrocinatur. Errat tantùm in eo quòd *Tribunos plebis* ſummum facit Magiſtratum, quemadmodum apparet ex eis quæ ſuprà dicta ſunt. *Livius* etiam *Interreges* omittit in ſua *Romanarum* formarum Regiminis enumeratione. *Quæ ab condita urbe* Roma *ad captam eandem urbem* Romani *ſub* Regibus *primùm*, Conſulibus *deinde*, *ac* Dictatoribus, Decemviriſq; *ac* Tribunis Conſularibus *geſſêre, foris bella, domi ſeditiones, quinq; libris expoſui.* Ubi quinq; illæ formæ pro quibus contendimus diſtinctè enumerantur, nulla verò *Interregum* fit mentio (non certè magis quàm *Proconſulum*) cùm & ipſi quaſi *Proreges* tantùm eſſent, ſubitáq; & temporanea ſedis vacantis ſuppletio, maturâ mox perfecti permanentiſq; Regis *Liv. lib. 6.*

electione implendæ. Et dum res administrabant, dicuntur præfuisse cum *Regia Potestate* ac Insignibus. Adeò manifestum est *Reges* & *Interreges* unam duntaxat esse *Regiam* Potestatem, ac proinde rectè significari per unum Bestiæ caput, non autem per duo.

8. Et quantùm ad *Triumviros Reipublicæ constituendæ*, *Tacitus*, qui datâ operâ sub initio Annalium suorum omnes summæ Potestatis formas in Politia Romana recenset, hujusmodi Triumviratûs mentionem omnem omittit. *Urbem* Romam *à principio* Reges *habuêre* (nulla illîc mentio *Interregum*;) *Libertatem &* Consulatum L. Brutus *instituit*; Dictaturæ *ad tempus sumebantur*; *neq;* Decemviratûs *potestas ultra biennium*, *neq;* Tribunorum Militum Consulare *jus diu valnit.* Quæ loquendi ratio innuit eum nullam summæ Potestatis formam, quàm libet brevissimæ durationis, omittere voluisse, modò à cæteris satìs esset distincta. Jam verò quum ea aggreditur tempora quibus hic *Trinmviratus Reipublicæ constituendæ* notandus esset, eum profectò prætervolat tanquam rem notatu haud satìs dignam, ad hunc omninò modum pergens, *Non* Cinnæ, *non* Sullæ *longa dominatio*, *&* Pompeii Crassíq; *potentia citò in* Cæsarem (qui quidem *Cinna* Consul tantùm erat, *Sulla* primùm *Consul*, dein *Dictator*, & *Pompeius* & *Crassus Consules* aut *Proconsules*, & nihil ampliùs:) nunc verò ubi locus maximè opportunus erat nominandi hunc *Triumviratum Reipublicæ constituendæ*, tantùm addit, Lepidi *&* Antonii *arma in* Augustum *cessêre*, *qui cuncta discordiis Civilibus fessa nomine Principis sub Imperium cepit.*

Quamobrem juxta hanc rerum descriptionem; obtentus hic Triumviratus, summus Magistratus non est, sed Politica digladiatio contentióve, aut momentanea colluctatio inter hosce tres viros *Octavium*, *Antonium* & *Lepidum.* Et tametsi Triumviros Reipublicæ constituendos seipsos appellaverunt, fucum tamen in eo tantùm populo fecerunt, nec ullam quidem legitimam habuerunt creationem ad illud officium, nisi *Octavius* supponatur fuisse *Imperator*, illíq; instituti admisíve ab ipso in participationem suæ *Imperatoriæ* Potestatis. Atq; tunc manifestum erit hanc omninò partem fuisse sexti Capitis quod & tempore S. *Johannis* existebat. Alioqui non est nisi momentanea usurpatio confusióq; in Republica, nullus autem legitimus Magistratus.

De Magistr. Rom. cap. 22.

Ac proinde *Fenestella*, quanquam primùm subdubitanter quidem de hoc *Triumviratu* loquitur, *utrùm Potestatibus annumerandum censuerim haud satìs scio*; mox tamen animum recolligit magísq; definitè pronunciat: *Quippe quòd eas Potestates quas injussu prætérq; Senatûs autoritatem quisq; non dicam sortitus fuerit, sed per libidinem dominandi arripuerit, Tyrannides potiùs quàm Potestates seu Magistratus appellandos duxerim.* Et ad calcem ejusdem Capitis, rursus hujus Potestatis prætextum severiter taxat, nullúmq; legitimum Magistratum esse concludit: *Igitur Tyrannidem prætextu Magistratûs palliare pergentes, sese Triumviros Reipublicæ constituendæ appellavêre, quorum nutu & auspiciis omnis Respublica niteretur. Cæterùm eorum animos quorsum inclinarent, mox ipse eventus rerum ostendit, omnes res simul divinas humanásq; commiscens.* Quamobrem rebus sic intellectis, hujusmodi momentanea Colluctatio qualis hæc erat, nulla legitima Regiminis forma esse potest, sed præsens Romanæ Reipublicæ confusio, quibuscunq; nominibus hi usurpatores seipsos aliíve eos aut per metum aut per adulationem appellaverint.

9. Cæterùm si hanc rem per alteram ansam tractemus, consideremúsq; *Octavium Augustum* tanquam *Julii Cæsaris* hæredem, penès quem summa Imperii potestas fuerat, & tanquam hominem cui Senatus dignitatem supra ipsos *Consules* concesserat, potestatémq; nullâ lege limitatam, adeò ut meritò *Princeps Reipublicæ* existimari posset, eúmq; per technam tantummodò invitâsse, permisisséq; *Antonio* & *Lepido* Principatûs sui fieri participes, quò faciliùs *Brutum Cassiúmque*, posteáq; hos ipsos sui Imperii socios unum post alterum supprimeret; Hi sanè *Triumviri* reverà reperientur tres esse *Imperatores* (ut certè bini subinde fuerunt, & terni aliquando quaterníq; in aliquibus Imperii casibus, sicut notum est omnibus in Historia vel mediocriter versatis) nulla autem species Regiminis à *sexto Capite* distincta quod est *Imperatorum.*

Etenim cùm essent Copiarum Imperii tres summi Duces, *Antonius* quidem *Orientalium*, *Octavius* verò *Occidentalium*, & *Lepidus* deniq; *Africanarum*, potestatémq; haberent legibus prorsus solutam nullíve alii Magistratui subordinatam, quid aliud obsecro erant quàm tres *Imperatores* simul, eáq; planè notione quâ *Romani* Monarchæ postea appellati sunt *Imperatores?* Et certè ad hanc rationem *Augustus* apud Historicos ab ipso obitu *Julii* patris ut *Imperator* dicitur negrâsse. Ad quem sensum *Suetonius* loquitur, *Atq; ab eo tempore excercitibus comparatis primùm cum* Marco Antonio

Antonio Marcóq; Lepido, *dein tantùm cum* Antonio, *per duodecim ferè annos, novissimè per quatuor & quadraginta ſolus Rempublicam tenuit.* In quæ *Nauclerus* ſic commentatur: *Regnavit annis quinquaginta ſex, duodecim cum* Antonio & Lepido, *ſolus verò quadraginta quatuor.* Et *Chronologi* quidem tum *Pontificii* tum *Proteſtantes*, initium Regni illius anno ab N. C. ſeptingenteſimo decimo affigunt.

10. Quamobrem hi *Triumviri Reipublicæ conſtituendæ* cùm aut nullus in Republica *Romana* Magiſtratus eſſent aut cum *Imperatoribus* planè coinciderent, cúmq; in formarum Regiminis enumeratione apud Hiſtoricos Romanos omiſſi ſunt, aut lineæ *ſexti Capitis*, hoc eſt, ordini *Imperatorum* accenſiti; manifeſtum eſt ſufficientem fuiſſe, vel potiùs neceſſariam cauſam non numerandi hunc *Triumviratum* inter illa Capita quæ *Johannis* tempore præterierant, ac proinde Hiſtoriæ veritatem accuratè cum *viſione* conſentire, quæ ait, *Quinq; ceciderunt*, non autem ſex, nedum ſeptem. Nulli enim Hiſtorici aliter numerant. Et quid pleniorem rei fidem facere poteſt quàm ut Prophetia ipsâ linguâ utatur *Hiſtoricorum?* Quídve incongrui eſt aut indecori ſupponere viſionem tot ſolummodò diſtincta capita recenſere quot apertè & ex confeſſo habentur & *capita* & *diſtincta*, notantúrq; paſſim in *Hiſtoria* tanquam memorabiles in Politia *Romana* Formæ Regiminis; cùm & illæ quæ omiſſæ ſunt in *viſione*, in *Hiſtoricis* etiam narrationibus prætermittantur, tanquam ejuſmodi de quibus aut conſenſum non ſit diſtinctas eſſe formas aut omninò concluſum non eſſe?

11. Et certè ſi ullæ aliæ Regiminis formæ fuiſſent quæ viderentur ſolennem hunc ſeptenarii Numerum conturbare, modò ſatìs propinquam affinitatem cum aliquibus è principali ſeptenario haberent, exiſtimari potuiſſent ſingulæ tanquam unæ cum illis cum quibus tam propinquam haberent affinitatem, atq; ità Beſtia etiamnum *ſepticeps* haberi, ut & *Nilus* ſeptem habere oſtia; (dum diſtincti illi Rivuli qui prope principalia fluenta hujus Fluvii ſeptemflui currunt fluentis accenſentur Principalibus, uníq; cum eis habentur) atq; ſic tanquam ἑπτάπορος vel ἑπτάτομος fluvius apud probatos Autores paſſim celebrari. Quæ quidem libertas admodum tolerabilis futura fuiſſet, immò verò prorſus irreprehenſibilis in quinq; illis Capitibus quæ jam præterierant; quandoquidem computus in poſterum, cui totum rei pondus innititur, tam certò in *ſexto* defixus eſt (cujus Apoſtolorum temporibus vices erant) ut nullam obſcuritatem ſuperinducere potuerit aut confuſionem.

12. Et tamen ratio hîc multò exactior adhibetur, unde manifeſtum eſt maximam, quæ exoptari poteſt, de vero ſenſu hujus viſionis quantùm ad locum hunc, nos habere certitudinem; ſiquidem ſuprà demonſtravimus ſeptem Capita Beſtiæ ità intelligenda eſſe ut per totam Capitum ſucceſſionem à principio ad finem uſq; pertingant, ac proinde neceſſe eſſe ut ſint diſtinctæ ſucceſſiones tot generum ſummarum Poteſtatum, non ſeptem perſonæ ſingulares; deprehendimúſq; porrò de facto quinq; harum ſucceſſionum perquam accuratè convenire cum numero quinq; illarum Formarum Regiminis quæ juxta Hiſtoriæ fidem, tempore *Johannis* præterierant, ſextámq; quæ ſucceſſerit, qui ſunt Imperatores Paganici, illud ipſum fuiſſe caput quod tunc exiſtebat. Quæ quidem res tam accuratâ ratione conveniunt, ut ipſum *Scepticiſmum* vix credam ſe abſtinere poſſe quin aſſenſum præbeat tam luculentæ veritati.

13. Manifeſtò igitur evicimus ſex omninò fuiſſe ſummarum poteſtatum genera, *Regium* ſcilicet, *Conſulare*, *Tribunitium*, *Decemvirale*, *Dictatorium* & *Imperatorium*, à primo Regni *Romani* initio ad tempora Apoſtolorum. Illa enim *Interregum* Poteſtas planè erat *Regia* (ſi omninò memorabilis) ac proinde naturaliter uno eodémq; Capitis Typo quo Poteſtas *Regia* ſignificatur; quemadmodum & *Triumviratus Reipublicæ conſtituendæ* (niſi ſtatus belli & confuſionis fuerit) *Imperatoria* etiam erat *Poteſtas*, quanquam alio nomine obtecta, ac proinde ad ſextum Caput rectè reducitur. Quod valdè proclive ac naturale cuilibet videbitur qui conſideraverit quàm *Collectivi*, atq; *Henopoëtici*, ſi fas ſit ità loqui, Typi Prophetici ſint. Cujus *Collectivæ* horum Typorum *unitivæq;* rationis conſideratio ex una parte, & expreſſa explicitáque, apud Hiſtoricos, quinq; diſtinctorum generum ſummarum Poteſtatum enumeratio ex altera, non poteſt quin certam & indubitatam homini perſuaſionem imprimat, Spiritum Propheticum nec plures nec pauciores *Regiminis* formas ante *Imperatores* recenſere voluiſſe quàm quinque. Quod cùm ſatìs jam demonſtratum ſit, ad alterum pergo; nempe ad pleniùs explicandum, quàm aptè congruentérq; degener ille Imperii ſtatus qui præfiguratur per *Beſtiam* quæ erat & non eſt & tamen eſt, *Imago* etiam *Beſtiæ* appelletur.

CAP. XVII.

1. *Relapſum Imperii in Idololatriam in genere ſufficere ad illud reddendum* Imaginem *veteris Imperii* Paganici, *& tamen ſimilitudinem eſſe adhuc magis exquiſitam & articulatam.* 2. *Propoſitum imitandi ritus* Paganicos *in Eccleſia* degenerante. 3. Papa *cum* Cæſaribus Paganicis *comparatus, ejúſq;* Cardinales *cum Senatu* Romano. 4. Tutelares Sancti *cum* Diis Tutelaribus *comparati; Et de* eſu *illius quod* adoratur. 5. *Minutorum multitudo* Deaſtrorum Paganicorum *collata, minórq; deprehenſa quàm* Divorum Medicinæ rerúmq; ruralium Præſidum *in hac* Pagano-Chriſtiana *Eccleſia.* 6. *Quod etiam ſit in Artium Mechanicarum Præſidibus.* 7. Sancti Numináq; Paganica *quantùm ad ſua officia comparati, & quàm ſcitè* beatam Virginem *ſurrogaverint in locum* Veneris *atq;* Lunæ. 8. *Viva admodum lineamenta Paganiſmi reſtituti in* Pantheo, Virgini *cunctiſq;* Sanctis *dedicato; uti etiam in ſeptem montibus ſeptem diſtinctis* Sanctis *dedicatis; In extruendo* Altaria *&* Imagines *ſuper ea erigendo; In* exornandis *hiſce Imaginibus; In diebus* Feſtis *ſtatuendis; In* Adoratione *& Precibus; In oblationibus* Cereorum *&* Incenſi; *& in* deportando Imagines *in* Proceſſionibus. 9. *In* Votis, Juramentis, *hominum defunctorum* Deificationibus, Peregrinationibus, Curationibus miraculoſis, *earúmq;* monumentis *in* Templo ſuſpenſis. 10. *In* Aſperſionibus *& Purificationibus per aquam* luſtralem. 11. *In abigendo Diabolo per* Campanarum baptizatarum *ſtrepitus.* 12. *In* Jubilæis *modiſq; generalibus celebrandi ſuorum Feſtorum.* 13. *In celebrandis* Calendis Maii; *In* diſcurrendo per agros *cum* accenſis facibus; *In conſpergendo pecudes aquâ luſtrali per fraterculos S.* Antonii; *In tranſiliendo ignes S.* Johannis; *In* Sputo Baptiſmali; *In* Ludicrorum Magiſtro *in Chriſti Natalitiis; in* Carniſprivio *aliiſq;* Feſtis. 14. *Imaginem etiam Beſtiæ aliquo modo in* Funeribus *revixiſſe.* 15. *Sed majorem in modum in* religioſis Fraternitatibus *ſub hoc vel illo* Sancto. 16. *Uti etiam in* Capitibus raſis; *In* Cœlibatûs voto, *& in* Ninevitis *ſuis ſive* Flagellantibus. 17. *In venditata facultate* Chriſtum corporaliter *& perſonaliter* deducendi *in* Miſſa; 18, 19. *Ut & in magnificentioribus ſuis* Proceſſionibus. 20. *Magna utilitas obſervandi quàm accuratè Eventus prædictionibus de ſtatu Eccleſiæ, reſpondeant.* 21. *Quàm demiretur ſtupeátq;* Hugonem Grotium, *quòd tam claram facilémq;* Imaginis Beſtiæ *ſignificationem declinaverit, & tam impoſſibilem elegerit & inutilem.*

1. EQuidem ſimplicem Imperii mutationem denuò in ſuperſtitioſam aliquam & Idololatricam conditionem, tametſi nullum fuiſſet imitandi ſtudium, ulláve, inobſervata primitùs, coincidentia aut convenientia cum *particularibus* modis illius *Idololatriæ* ac *ſuperſtitionis* quæ antè extitêre; propter *generalem* tamen in eis Imperii ſic relapſi conſenſum meritò eam dici poſſe fatear prioris illius ſtatûs Imaginem. Sed enim cùm magis *articulata ſimilitudo* ſit etiam ad affectationem uſq; aut ſaltem miro quodam fato, non abs re fore cenſeo pauca ex multis illis exemplis quæ occurrunt adnotare, ad majorem lucem pleniorémq; fidem faciendam, quòd per *Imaginem Beſtiæ* intelligendus ſit hic in Paganicas Superſtitiones ac Idololatrias Imperii relapſus.

2. Et certè hanc *Imaginem* non fortè fortunâ factum fuiſſe, ſed per imitationem, jam olim obſervatum eſt etiam ab eis qui in *Romana* Eccleſia vixerunt, & aliquo modo facta excusârunt; ut à *Polydoro Virgilio*, in Proœmio ad quinq; ultimos libros *De rerum Inventoribus*, ubi, *Patres*, ait, *Ritus ſuos ac Ceremonias à Paganis* recepiſſe, *ſed in bona illorum parte recipienda, piè ac cum cauſa feciſſe, quippe qui gentes etiam barbaras ad veræ pietatis cultum ducere aventes, arbitrati ſunt humanitatis condimentis tractandas, cùm earum inſtituta haud prorſus horruerint, nec abſtulerint, ſed meliora fecerint, quo nè ullum religionis periculum crearetur*, &c. Ubi loqui videtur ad ſenſum *Gregorii Magni* in Epiſtola ad *Mellitum*, in qua *Dæmonum* oblationes mutari mavult quàm aboleri, Feſtáq; *Deorum* in *Sanctorum* Celebritates verti. Quorum *Reliquiarum* Repoſitorium, Paganorum more, foliis ramíſq; arborum ornandum ſtatuit in diebus ipſorum nomini dedicatis. Et *Theodoretus* pingui ſanè confidentiâ confitetur Feſta S. *Pauli*, S. *Petri*, S. *Marcelli*, S. *Thomæ*, &c. in *Dionyſiorum*, *Diaſiorum*, *Pandiorum* aliarúmq; Solennitatum *Paganicarum* locum ſucceſſiſſe. Quod *Beſtiam lethaliter vulneratam* ſanandi & in vitam revocandi maturam

Lib. 9. Epiſt. 71.

De curandis Græc. Affect. Diſſert. 8.

maturam planè affectationem, in quolibet illius membro lineamentóve, demonſtrat.

Et *Durandum* deniq; tam parùm pudet imitationis conſuetudinum *Paganicarum*, ut Eccleſiarum ſuarum dedicationem cum *Judæorum* Templo comparare non ſit contentus, ſed ſtatim ſuperaddit exemplum Dedicationis Imaginis illius *Babylonicæ* apud *Danielem: Nabuchodonoſor etiam Rex*, inquit ille, *vocavit omnes Satrapas & Optimates ad dedicationem ſtatuæ aureæ quam fecerat.* Cujus tamen rei in imaginum conſecratione mentionem facere opportunius fuiſſet. Verùm ut minùs ſoliciti ſimus de ipſorum profeſſionibus, ipſum Effectum propenſionem eorum ad veteres Ritus conſuetudinéſq; *Paganicas* declarabit, quemadmodum plurimis quanquam breviuſculis exemplis luculentè probabo.

3. Ut primùm, ex *Divinis* illis *Honoribus* quos ſuprà notavi à *Papa* & affectari & acceptari, ut & *pedis deoſculationem*; Quid verò aliud iſta ſunt præterquam *Cæſarum Paganicorum* imitatio qui Divinos Honores etiam antequam defuncti eſſent recepêre? Quantóve minùs *Idololatricè* ſonat *Dominus Deus noſter Papa* de Epiſcopo *Romano*, quàm *Edictum Domini Deiq; noſtri* de *Romano* Imperatore *Domitiano?* De quo etiam *Lampridius*, & *Aurelius Victor* eam teſtificantur affectationem, *Paſſus eſt adorari ſe appellariq; uti Deum:* Quem igitur *Papæ* ad vivum imitantur, qui etiam à *Diocletiano* aliiſq; Imperatoribus didicerunt *pedem porrigere ad deoſculandum.* Et quemadmodum *Numa Martium Marci* filium (quem *Pontificem Maximum* fecit) *Judicem* conſtituit *ac Arbritrum rerum æquè Divinarum ac humanarum*, uti refert *Feſtus*; ità *Papa* ſub prætextu univerſalis ſui Pontificatûs jus ſibi vendicat utriuſq; gladii, *Cæſariſq;* partes agere vult perinde ac *Epiſcopi*, ut *Romani Cæſares* ante eum æquè *Pontifices Maximi* erant atq; *Imperatores.* Quæ viva lineamenta ſunt in rediviva *Beſtiæ Imagine.*

Quibus addere porrò potes Senatum *purpuratorum Cardinalium purpuratis Senatoribus* quos Imperatores in ſua Politia habuerunt, reſpondentium; Poteſtatémq; *canonizandi Sanctos* quæ penès hos *Cardinales* cum *Papa* eſt, quæ poteſtati Senatûs *Romani* reſpondet, penès quem jus erat *Apotheoſeos* ſive homines defunctos referendi in album Deorum, conſtituendíq; ipſis *Templa*, *Aras*, *Statuas*, *Feſta*, quemadmodum *Papa* & *Cardinales* faciunt *Sanctis* defunctis, qui de Eccleſia *Romana* bene meruerint. Vide *Polydorum Virgilium* de *rerum Inventoribus*, ubi ſummâ confidentiâ affirmat Imitationem eſſe veteris Conſuetudinis *Romanæ.* *Hujus rei rationem noſtri Pontifices ſecuti non dubitanter videri poſſunt.* *Polydor. lib. 6. cap. 8.*

4. Rurſus, quemadmodum veteres Pagani *Tutelaria* ſua *Numina* habuerunt Regnorum, Provinciarum & Civitatum;

Dii quibus Imperium hoc ſteterat ——

(ſupráq; notavi quomodo conſueti ſint *Deos Tutelares* è Civitatibus certo quodam carmine evocare) ità *Romana Eccleſia* ſuos habet *Tutelares Sanctos* hiſce *Paganicis Numinibus* ad amuſſim reſpondentes; ut S. *Georgium* pro *Anglia*, S. *Andræam* pro *Scotia*, S. *Patricium* pro *Hibernia*, S. *Jacobum* pro *Hiſpania*, S. *Michaëlem* pro *Gallia*, S. *Marcum* pro *Venetiis*, S. *Ambroſium* pro *Mediolano*, S. *Dionyſium* pro *Lutetia Pariſiorum*, S. *Romboutum* pro *Mechlinia*, S. *Petrum* & S. *Paulum*, vice *Romuli* & *Remi*, pro *Roma.* *Cap. 12 verſ. 5. ſect. 5.*

Præterea,. Appropriatio horum *Sanctorum* peculiaribus ſuis officiis exquiſitiſſimo modo *Paganica* eſt, & Diviſioni *unius* illius *objecti* Divini cultûs in plurima, oppidò quàm conſentanea; pro qua *Plinius* hanc inſtituit Apologiam, *Fragilis & laborioſa mortalitas in partes iſta digeſſit infirmitatis ſuæ memor, ut portionibus quiſq; polleret quo maximè indigeret.* Ac proinde ex hac ratione Numina *Paganica* in immenſam ferè multitudinem excreverunt cùm nec *Allia Cepæq;* apud ipſos quodam *Divinitatis* genere caruerint. *Hiſt. Nat. lib. 1 cap 7.*

Τὸ γὰρ τρέφον με τοῦτ' ἐγὼ οἶμαι θεόν.

In hos *Ægyptios Idololatras* eſt acerrimum illud *Ciceronis* dictum; *Ecquem tam amentem eſſe putas qui illud quo veſcatur Deum eſſe credat?* Cujus tamen *Paganicæ* amentiæ *Pontificii* planè rei videntur, dum profitentur eum Deum eſſe quem in ventres ſuos deglutiunt. *De naturâ Deorum lib. 3.*

5. Quàm minutam *Romani* fecerint deorum ſuorum diſtributionem is facilè obſervare poteſt qui hæc nomina perlegerit, *Victua*, *Potua*, *Pomona*, *Flora*, *Cinxia*, *Unxia*, *Carna*,

Carna, *Cloacina*, *Febris*, *Fortuna*, *Tempeſtas*, &c. Infinitum eſſet tot varietates recenſere, & cùm univerſis notiſſimæ ſint, prorſus ſupervacaneum. Et certè *Romana* quæ nunc eſt Eccleſia, veteri ſuperſtitioni vix quicquam cedit hac particularitatum copiâ. Quid enim eſt cui illi *Sanctum* non præfecerunt perinde ac antiqui *Pagani* Deum Deámve, immò vero fortean magìs particulatim quàm ipſi? Nam unus univerſalis Medicinæ præſes Deus, unus putà *Apollo*, unúſve potiùs *Æſculapius* ipſis non ſatisfacit, verùm tot peculiares *Sanctos* rei Medicæ præficiunt quot ferè ſunt morbi: S. *Rochum* quidem peſtilentiæ, S. *Coſmum* & *Damianum* ulceribus ac tumoribus, S. *Jobum* puſtulis, S. *Apolloniam* dolori dentium, S. *Claram* oculis affectis, S. *Agatham* mammillis ulceratis, S. *Margaretam* obſtetricationibus, S. *Petronellam* febribus, S. *Johannem* & S. *Valentinum* morbo comitiali, S. *Benedictum* venenis, S. *Genoam* podagræ, S. *Mainium* ſcabiei, S. *Phiacrum* hæmorrhoidibus, S. *Sigiſmundum* cauſoni, & S. *Eutropium* hydropi, cum multis aliis quos nimio faſtidio eſſet recenſere.

Quemadmodum etiam Pagani varia habuerunt *Numina Ruralia*, ità Eccleſia *Romana* varios habet *Sanctos* Rurales; ut S. *Wendelinum* pro paſtoribus, S. *Pelagium* pro bubulcis, S. *Antonium* pro ſubulcis, S. *Loyium* pro equis & armentis, S. *Feriolum* pro anſeribus, S. *Johannem* pro *agnis*, S. *Hubertum* pro venatoribus ſuíſq; canibus, S. *Getrudus* etiam ſpecialem poteſtatem habet in mures ſoricéſque.

6. In *Romano Paganiſmo* veteri mercibus emundis vendundíſq; omnibúſq; omninò artibus factitandis, *Mercurius*, ſicut & nomen illius innuit, præerat, erátq; ſimiliter popularis Eloquentiæ Deus. Verùm *Eccleſia Romana* hac in re multò curioſior videtur, quæ ſingulis ferè artibus factitandis peculiarem *Sanctum* præfecit; ut S. *Honorium* piſtoribus, S. *Eloyium* fabris ferrariis, S. *Lucam* pictoribus, S. *Nicolaum* nautis, S. *Ivam* juriſperitis, S. *Criſpinum* calcearíis, S. *Arnoldum* molitoribus, S. *Stephanum* textoribus, S. *Eulogium* carpentariis, S. *Goodmannum* ſutoribus veſtiariis, S. *Goarum* figulis, & S. *Urbanum* equitibus, quos vocant, cerviſiariis, bellíſve congerronibus, ſicut & S. *Magdalenam* curtiſannis ſive meretricibus. Immenſum eſſet tam prolixas afferre Inductiones quàm hæc materia eſt capax. Hoc ſufficiet ad oſtendendum quàm planè antiqua Theologia *Paganica* in appropriatis *Sanctorum* officiis revixerit, & quàm utilis illius notitia prætendi poſſit, quemadmodum & *Varro* olim definivit de Diis *Paganorum*, quantum interſit, *ſi ſciatur quam quiſq; Deus vim ac poteſtatem habeat cujuſq; rei*, ut perinde invocari poſſit.

7. Facilè etiam hic eſſet, ſed ſuperfluum, hos *Sanctos* cum Paganorum *Divis* quantùm ad officia ſua comparare. Sic enim S. *Nicolaus* eſſet Divus *Neptunus*; S. *Margareta*, Diva *Lucina*; S. *Magdalena*, Diva *Flora*, & S. *Martinus*, Divus *Bacchus*; S. *Hubertus*, Diva *Diana*, & S. *Maturinus*, Divus *Apollo*; ſiquidem ſapientiæ Deum conſentaneum eſt optimum fore medicum Fatuorum.

Cæterùm beata Virgo, prout *Reginam Cœli* eam appellitant, ità tot officia titulóſq; habitura eſt quot & ipſa *Luna*. *Junonem* enim *Lucinam* eam faciunt dum tam conſtanter illam invocant mulieres dolore laborantes; & deinde *Hecaten* ſive *Proſerpinam*, quippe quæ fingitur tam frequenter ad infernales umbras deſcendere ad animas liberandas è Purgatorio. Nautæq; eam tam frequenter invocando in Tempeſtatibus, in locum *Veneris* ſubſtituunt, *Neptunive*, ſicut manifeſtum eſt ex ſupplicatione illa Rhythmica quam ad eam effundunt in Itinerationibus ſuis marinis.

Salve ſplendor Firmamenti,
Tu caliginoſæ menti
Deſuper irradia.
Placa mare maris Stella,
Nè involvat nos procella
Et tempeſtas obvia.

Et poſtremò nimiùm exuberans erga eam in terris mortalium devotio, tam multa illi extruendo Templa & Altaria, occaſionem dedit plura illi indendi nomina quàm *Dea* illa *Paganica* unquam habuit. Nam quemadmodum *Venus* appellata eſt *Idalia*, *Cytherea*, *Cnidia*, *Paphia*, multíſq; aliis id genus Nominibus, à locis ubi colebatur; ità Virgo *Maria* appellatur virgo *Lauretenſis*, virgo *Bononienſis*, *Aquæ-ſextienſis*, *Montferratenſis*; virgo *Carmilitana*, virgo *Lucorum*, *Agrorum*, *Fontiúmque*, cum innumerabilibus aliis Appellationibus. Verùm hæc minoris forſan momenti videri poſſunt.

8. Rediviva hæc veteris *Paganiſmi Romani Imago* magìs adhuc luculentè ſe prodit in extruendo Templa multifariis his *novorum* Deorum generibus (ſic enim fit quicquid

quicquid cultu colitur religioſo) aut religioſum Cultum eis exhibendo in Templis *veterum*. Cujus egregium quidem Exemplum eſt Beatæ *Virgini* omnibúſq; *Sanctis Panthei* conſecratio, quod à Paganis dedicatum erat *Cybelæ omnibúſq; Diis*. Quod perquam elegans profectò eſt lineamentum *redivivæ* hujus *Imaginis Beſtiæ*. Neq; illud ſanè multò inferius eſt quod *Cornelius à lapide* etiam notavit. Sub Regibus ſcilicet *Romanis* quemadmodum ſeptem montes conſecrati fuêre *ſinguli ſingulis Diis*, *ità nunc conſecratos* eſſe *ſingulos ſingulis Sanctis*; Quod & alterum vivum lineamentum eſt hujus effigiei à S. *Johanne* prædictæ.

Verùm pergo; Speciatim etiam revivificatur hæc Imago in erigendo *Altaria*, *Statuáſq; Sanctorum* ſuper ipſa collocando, in veſtiendo ipſas veſtimentis ſumptuoſis exornandóq; materiâ pretioſiſſimâ, Auro putà, Ebore & Gemmis. Coronas præterea imponendo florúmq; ſerta eorum Capitibus, Diéſq; feſtos inſtituendo in honorem nominis eorum & incurvando ſe coram ipſis, precéſq; ac ſupplicationes fundendo oculis manibúſq; devotè versùs eos ſublatis. Ecqua poteſt eſſe magìs viva antiqui *Paganiſmi* Imago quàm eſt hæc? Et tamen hoc facit *Sanctis* ſuis eorúmq; Imaginibus *Eccleſia Romana*, multóq; ſanè plura, ad revivificandam *Imaginem Beſtiæ* & ad vaticinium implendum. *Vide lib. 2. cap. 22. ſect. 5, 6.*

Nam ut *Pagani* oblationes ferebant Idolis ſuis atq; Diis, ità & hi *Sanctorum* ſuorum Imaginibus, quemadmodum notiſſimum eſt. Ut Pagani *lumina* ante *Imagines* ſuas accendebant, (ut verbi causâ ante aram *Saturni* ex humaniori Expoſitione, ab *Hercule*, illius oraculi, factâ,

Καὶ κεφαλὰς ἅδδη ϗ̓ πῦ πατεὶ πέμπελε φῶτα)

multúmq; Religionis in igni *Veſtali* ſtatuebant; *Apud nos itidem*, inquit *Polydorus*, *nullo magìs honore quàm Cereis candelis decorantur extrinſecùs Cœlicolæ*. Antiqui *Pagani* Incenſum adolebant Diis ſuis,

(——*ubi Templum illi centúmq;* Sabæo
Thure calent Aræ) *Æneid. lib. 1.*

quod conſumptitium ſacrificium (eſt, ipſáq; notatio vocabuli *Thus*, eſt παρὰ τὸ θύειν, à ſacrificando:) ità & Eccleſia *Romana* Incenſum adolet coram Imaginibus *Sanctorum* ſuorum, atq; hoc ſacrificii genus ipſis perpetrant. *Pagani* certis quibuſdam temporibus *Idola* ſua in *proceſſione* deportabant; Quod itidem facit *Eccleſia Romana*; In Imagine ſcilicet S. *Rochi*, *Apollinis* illius *Apotropæi*, & S. *Genevefvæ*, *Jovis* illius *pluvii*, vel ſi mavis, *Junonis* pluviæ, &c.

9. Ora *Paganorum* implebantur variis jurandi formulis per nomina Deorum ſuorum: ità & ora *Pagano-Chriſtianorum* per ſuorum *Sanctorum* nomina. *Votáq; faciendi* ratio admodum conſimilis eſt in utriſque. Patres Primitivæ Eccleſiæ in opprobrium *Ethnicis* objiciebant quòd Divinum honorem puris putis Mortalibus exhiberent, quorum Cadavera ſive Reliquiæ in ipſis Templis eorum erant. Et *Eccleſia* certè *Romana* annon illa hunc ipſum Honorem *Sanctis* ſuis præſtat, profitetúrq; eorum *Reliquias* in ſuis Eccleſiis reponi? Veteres *Pagani* laborioſa ſuſceperunt itinera, ad oraculum putà *Delphicum*, vel *Jovis Hammonis*, ad Templum *Æſculapii* aliáve ejuſmodi loca, ad reſponſa reportanda aut malorum levamina; & *Romaniſtæ*, annon illi æquè moleſtas peregrinationes ad *Sanctorum* ſuorum delubra ſuſcipiunt?

Sive Sacerdotum fraude id factum ſit ſive officioſorum aliquorum *Dæmonum* ope, multa profectò miracula prodigioſæq; morborum Curationes credebantur fieri in Templis & prope Imagines Deorum *Paganicorum*, certáq; earum monumenta in honorem *Numinum* ſuorum lucrúmq; Sacerdotis, (ut oblationes eo pacto augerentur) appenſa erant. *Polydorus è Strabone*, *Mos fuit in Templo*, inquit, *ejus Dei qui auxiliatus eſſet & præſertim Æſculapii quod* Epidauri *inſigne erat*, *tabellas appendere in quibus morbi ſanati erant inſcripti*. Ad ſenſum cujus conſuetudinis eſt illud *Tibulli* diſtichon,

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi; nam poſſe mederi
Picta docet Templis multa tabella tuis. *Eleg. lib. 1, 3.*

Idem agnoſcit *Polydorus* fieri in *Eccleſia Romana*, & in memoriam cruris, brachii, auris, mammillæ aliúſve cujuſvis partis ab hoc vel illo *Sancto* curatæ, effigiem harum partium publicè prope Delubra, aut ſaltem in Sacellis eorum Templíſve appendi.

10. Ipſorum

10. Ipſorum etiam ſuperſtitio in *Aqua luſtrali* notatu haud indigna eſt. Illius uſus frequens erat apud *Athenienſes*,

(Spargit aquâ captos luſtrali Graia *Sacerdos)*

virtus verò illius meritò ac cum judicio deridetur ab *Ovidio*.

Faſt. lib. 2.

Ah nimiùm faciles, qui triſtia crimina cædis
Flumineâ tolli poſſe putatis aquâ.

Æneas verò apud *Virgilium* contrà ſentire videtur, qui patrem *Anchiſen* alloquens quando ſacrificium oblaturs erat, ſic argumentatur.

Ænid. lib. 2.

Tu, genitor, cape ſacra manu patriósq; penates;
Me bello à tanto digreſſum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Et rurſus in alio loco,

Occupat Æneas aditum, corpúſq; recenti
Spargit aquâ.

Et in funere *Miſeni*,

Ænid. 6.

Idem ter ſocios purâ circundedit undâ
Spargens rore levi & ramo felicis olivæ,
Luſtravitq; viros.

Tibullus etiam libro ſecundo Elegiarum,

Caſta placent Superis: pura cum veſte venite,
Et manibus puram ſumite fontis aquam.

Aqua erat prope *Portam Capenam Mercurio* ſacra quâ *Romani* veteres cum Ramo laureo ſoliti ſunt ſe aſpergere, *Mercatores* præſertim ad purgandos ſe à ſuis peccatis, ſpeciatim à fraudibus & mendaciis. *Ovidius* tam graphicè ac feſtiviter Ceremoniam deſcripſit, & cum tam acri Judicii nota de malo effectu hujuſmodi fictitiarum Purificationum ad corrumpendos hominum mores, ut mihi temperare non poſſim quin narrationem tranſcribam quanquam aliquantulùm prolixam.

Faſt. lib. 5.

Eſt aqua Mercurii *portæ vicina* Capenæ,
Si juvat expertis credere, Numen habet.
Huc venit incinctus tunicâ Mercator, & urnâ
Purus ſuffuſâ, quam ferat, haurit aquam.
Uda ſit hinc Laurus; Lauro ſparguntur ab uda
Omnia quæ dominos ſunt habitura novos.
Spargit & ipſe ſuos Lauro rorante capillos,
Et peragit ſolitâ fallere voce preces.
Ablue præteriti perjuria temporis, inquit;
Ablue præteritâ perfida verba fide.
Sive ego te feci teſtem, falſóve citavi
Non audituri numina vana Jovis;
Sive Deum prudens alium Divámve fefelli,
Abſtulerint celeres improba verba Noti.
Da modò lucra mihi, da facto gaudia lucro,
Et face ut emptori verba dediſſe juvet.

Hoc eſt, à *Mercurio* petit ut virtute hujus ſuperſtitioſæ Devotionis aſperſioníſq; ſuiipſius aquâ ſuo Numini ſacrâ emptores circumveniat diteſcátq; cum hilari conſcientia, & citra periculum iræ Deorum.

Exempla *aquæ luſtralis* infinita ſunt, ut & imitatio illius ſuperſtitionis oppidò quàm

quàm frequens in *Eccleſia Romana*; ac certè verendum eſt, nè pari cum Hypocriſi & ſecuritate peccandi, ex vana præſumptione virtutis hujuſmodi ſuperſtitioſarum & imaginariarum Purificationum, quas Poëta hîc deſcripſerit.

11. *Tubiluſtria* ſive purificatio Tubarum aliqualem ſanè cum Papali *Campanarum baptizatione* habere videtur affinitatem. Verùm ſimilitudo, fateor, major foret ſi quemadmodum conſecratæ hæ *Campanæ* creduntur vim habere abigendi tinnitu ſuo Spiritus malos, ità hæ Tubæ creditæ fuiſſent virtutem habere fugandi Lemures ſpectráq; ſuo clangore. Cæterùm ut hæ Tubæ non credantur iſtiuſmodi ſpecialem virtutem habere, Inſtrumentorum æneorum tinnitus cum *Aqua luſtrali* conjunctus eam planè habere dicitur in *Faſtis Ovidianis*.

Rurſus aquam tangit, Temeſæáq; concrepat æra, *Faſt. lib. 5.*
Et rogat ut tectis exeat umbra ſuis.

Quòd verò æneárum tinnitus Cucumarum, Cymbalorum, aliarúmve ejuſmodi rerum, ſuperſtitiosè credebatur ab Ethnicis vim habere contra faſcinationes & incantamenta, quæ effecta ſunt mali alicujus Dæmonis, *Tibullus* etiam videtur in illo diſticho ſignificare,

Cantus & à curru Lunam deducere tentat, *Lib. 1. Eleg. 8*
Et faceret, ſi non æra repulſa ſonent.

Quàm propè hoc accedat ad Pontificiam illam ſuperſtitionem abigendi malos Dæmonas *Campanarum baptizatarum ſtrepitu* cuilibet judicandum relinquo.

12. Jam verò quantùm ad Feſta, Quid erat *Papæ Bonifacii octavi* ſingulis centenis annis *Jubilæi* Inſtitutio, niſi *Ludorum ſecularium* imitatio apud *Romanos*? Nam ſi *Moſem* imitatus eſſet, quinquaginta anni iſtius Celebritatis fuiſſet Periodicum Intervallum. Verùm ut quæ magìs generalia ſunt notemus, Cantus, Choreæ, Compotationes, pedúmq; vacillationes Feſtorum Paganicorum perpetui ferè erant comites.

Immemores noſtri feſtas duxêre Choreas.

Et rurſus apud eundem Poëtam,

Pars pedibus terram pulſant & carmina dicunt.

Tibullus etiam dies eorum feſtos deſcribit ab otiando combibendóq; uſq; dum pedibus titubent.

Vina diem celebrent, non feſtâ luce madere *Lib. 2. Eleg. 11.*
Eſt pudor, errantes & malè ferre pedes.

Quem Eraſmus in Colloquiis magnoperè conqueritur modum eſſe celebrandi *Sanctorum* Feſta ſuis Temporibus.

Mos erat apud Paganos in Feſtis Deorum ſuorum celebrandis, *Deos induere*, quemadmodum loquitur *Tertullianus*, hoc eſt, ut unus quiſpiam perſonam ſuſtineat partéſq; agat illius Dei cujus Feſtum celebretur. Hanc conſuetudinem etiam invaluiſſe in Eccleſia *Romana* in ſuorum *Sanctorum* Feſtis, particulatim à fidis Teſtibus edoctus ſum, unúmq; aliquem in eis *Sancti* partes agere, ad demulcendum populum hilari quidem quanquam ſuperſtitioſo quodam genere Ludicrorum. Vide *Polydor. Virgilium* de *rerum Inventoribus*, lib. 5. cap. 2.

13. Cæterùm ut pauca quædam ex ipſorum Feſtis particulatim conſideremus, eáq; ſtrictim attingamus; *Maiarum* frondium à ludibunda utriuſq; ſexûs Juventute domum reportatio quid aliud eſt præterquam imitatio *Floralium Romanorum* (quemadmodum *Polydorus* obſervavit) *apud quos*, inquit ille, *ſic Flora cunctorum fructuum Dea, menſe Maio laſcivè colebatur? Cerealia* Paganorum noctu celebrabantur Sacerdotibus cum facibus ultrò citróq; diſcurrentibus. In cujus ſuperſtitionis imitationem *Polydorus* ait, in *Umbria* aliiſq; *Italiæ* partibus pridie Calend. *Martias*, id eſt, eâ nocte quæ primum diem menſis *Martii* præcedit, crebros paſſim fieri ignes, pueróſq; facibus, quæ ex arundinibus jam aridis utplurimum fiunt, accenſis per arva currere, *ut precantes fœcunditatem agrorum tum terrâ jam fœtum parturiente.* De *Paliliis*, Ovidii præceptum eſt in Faſtis. *De rerum Invent. l. 5. c. 2.* *Lib. 5. cap. 2.*

Faſt. lib. 4.

Paſtor oves ſaturas ad prima crepuſcula luſtret,
Unda priùs ſpargat, virgáq; verrat humum.

Sed hæc tantùm præparatio eſt ad ovium *Luſtrationem*; Ceremonia præcipua adhuc ſupereſt.

Cærulei fiant puro de ſulphure fumi,
Tactáq; fumanti ſulphure balet ovis.

Quæ *luſtratio* per fumigationem in *aquæ luſtralis* aſperſionem ſtato anni tempore non in oves ſolas ſed & equos bovéſque, à S. *Antonii* fraterculis commutata eſt. Verùm utriq; in ſuperſtitioſa expiatione ſive luſtratione brutorum animalium conveniunt. Mos tranſiliendi Ignes quoſdam S. *Johannis Baptiſtæ* die ſtructos exactior imitatio eſt antiquæ conſuetudinis *Paganorum*, qui Ignes etiam in ſuprà dictis *Paliliis* Feſtóve quod Dea *Pales* ſibi conſecratum habebat, tranſiliêre.

Faſt. lib. 4.

Móxq; per ardentes ſtipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri ſtrenua membra pede.

Romanúſq; hic *Hierophanta Ovidius* hujuſce rei rationem illicò reddit.

Omnia purgat edax ignis ———

Adeò ut manifeſtum ſit hujuſmodi conſuetudines quæ in Eccleſia *Romana* retentæ fuerint, Paganicarum ſuperſtitionum & Purificationum quædam quaſi eſſe veſtigia. Quarum ipſum *Sputum Baptiſmale* luculentum ſanè videtur exemplum, quemadmodum ex illo *Perſii* loco apparere poteſt.

Satyr. 2.

Ecce avia, aut metuens Divûm matertera cunis
Exemit puerum, frontémq; atq; uda labella
Infami digito & luſtralibus antè ſalivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita,
Tunc manibus quatit, &c.

Tam mirandam virtutem in *Sputo* eſſe arbitrabantur vetulæ *Romanæ* contra faſcinum aggreſſurámq; diaboli. Quam ceremoniam peragebant in ipſo die *luſtrico* Infantis qui etiam Dies *Nominalis* dicitur cùm & nomen Infanti illo die tribuerent, ut *Saliva* hæc *luſtralis Sputo Baptiſmali* in *Romana* Eccleſia magìs accuratè reſpondeat. Verùm id obiter dictum eſto.

In antiquis *Saturnalibus*, Domini ſervis miniſtrabant epulis eos excipientes, quemadmodum L. *Accius* in his verſibus commemorat;

———*per agros urbéſq; ferè omnes*
Exercent epulis læti, famulóſq; procurant
Quiſq; ſuos———

De rerum Inveni. l. 5. c. 2.

Unde *Polydorus* notat conſuetudinem in Natalitiis Chriſti, unum aliquem ex ſervis conſtituendi Magiſtellum ludicrorum cui ſervi reliqui ipſéq; adeò Dominus patérve familias obediat, eſſe profectam. In *Quinquatriis* minoribus *Ludíſve Megalenſibus* homines perſonati veſanè laſcivientérq; diſcurrebant impudica multa committentes. Hæc inſania diem tantùm unum & alterum in antiquo hoc Feſto *Romano* durabat; verùm eam non ſolùm imitatur Eccleſia *Romana* in ſuis *Carniſpriviis* ſed longè excedit. Quippe quòd hæc licentia iſtiuſmodi atrocia ſub perſonis perpetrandi flagitia (tanquam ſi abſcondere ſe à conſpectu Dei iſtoc pacto poſſent) non in dies duos ſed in duos continuos Menſes aliquibus in locis producitur. Quo etiam tempore intemperanter edendi bibendíq; libertatem ſibi immane quantum indulgent, perinde ac ſi corpora ſua *Cellaria Penariáq;* in imminens *Quadrageſimæ* jejunium conſtituere intenderent, quò faciliùs religioſæ illius Famis *obſidionem* poſſent ſuſtinere. Unde *Carniſprivium* hoc duarum illarum nefariarum ſolennitatum *Paganicarum* videtur conjunctio, ludos *Megalenſes* intelligo & *Bacchanalia*. Fœdæ quorum Feſtorum & abominabiles atrocitates in impuris impudicíſq; geſtibus, omnigeníſq; verborum pariter

pariter atq; actionum obſcœnitatibus, quanquam tantæ ſunt & tam variæ ut non cujuſlibet ſanè hominis ſit, niſi perlectis harum Paganicarum Enormitatum narrationibus, eas imaginatione ſuâ aſſequi; novus tamen hic *Romaniſmus*, quemadmodum Hiſtoria ab oculatis teſtibus Pagano-Chriſtianorum *Bacchanaliorum* nos certos facit, *Romam veterem* in omni genere impudentiſſimæ ſpurcitiei ac impuritatis in hoc feſto ſuperavit. Adeò ut *Beſtia* hoc quidem in Articulo non ſolùm ſanata ſit, ſed & robuſtior facta & pinguior.

Pergere hîc poſſim obſervaréq; quibus in rebus Eccleſia *Romana* veterum *Vinalia*, *Robigalia*, *Terminalia*, *Parentalia*, *Proſerpinalia*, aliáq; *Ethnicorum* Feſta imitetur; verùm hæc ſylva tam ampla vaſtáve eſt ut citiùs illîc æternùm errabundus hærere quàm ullum poſſim invenire exitum.

14. Cæterùm non omittam *Beſtiam* aliquo modo revixiſſe etiam in *Funeribus* defunctorum.

Hinc Tuba, Candelæ, tandémq; beatulus alto
Compoſitus lecto —— *Perſ. Satyr. 3.*

Hanc ſolennitatem Funereas etiam cantilenas habuiſſe, Præficáſq; quæ mœſtis ſuis modulationibus dolorem cierent, conductas, res eſt quam nemo non obſervavit. Facéſq; portandi pompa admodum graphicè apud *Virgilium* deſcribitur.

Arcades *ad portas ruere & de more vetuſto* *Æneid.*
Funereas rapuêre faces: lucet via longo
Ordine flammarum & latè diſcriminat agros.

Quàm propinqua Imitatio hujus Nocturnæ pompæ moderna *Pontificiorum* Funera ſint, vel tardiſſima Imaginatio facilè poteſt diſcernere. Verùm hujuſmodi rebus non multùm inſiſtendum puto.

15. Nimis prolixum foret ut & ſupervacaneum rationem inire variorum Religioſorum Ordinum in veteri novóq; *Romaniſmo*. Satìs erit ſi notemus, quemadmodum conſtat varias fuiſſe *ſodalitates* Sacerdotum, Marium pariter atq; Fœminarum, in veteri Religione *Paganica*, devotas dedicatáſq; alias *Marti*, *Veneri* alias, aliáſq; *Veſtæ*, & alias deniq; uni Numini, alias alteri; ità in *Romana* Eccleſia varios eſſe Sacerdotum Perſonarúmq; Religioſarum Ordines, quorum alii hujus *Sancti* cultui addicti ſunt, alii alterius; quidam cultui beatæ *Virginis*, alii S. *Franciſci*, & ſic de reliquis.

16. Tantùm notabo *raſos vertices* nuperum non eſſe Inventum, ſed ceremoniam antiquorum Sacerdotum *Iſidis* ac *Dianæ*. Nec *Cœlibatûs votum* adeò recens eſſe ut *Romanæ*, quæ nunc eſt, Religionis Manachis approprietur, ſiquidem *Veſtæ*, *Apollinis*, *Junonis Argivæ*, *Dianæ* ac *Minervæ* Sacerdotes ad perpetuam damnabantur virginitatem. *Cybeléſq;* Deorum matris Sacerdotes exſecando ſibi virilia certò ſibi conſtantem aſciſcebant *Cœlibatum*. Hoc novam *Romam* fateor non adeò examuſſim imitari, caſtitatem tamen interim tanta cum confidentia vovere, ac ſi ſeipſos ſenſu *Origenico* ac *Literali* Eunuchas feciſſent, aut nati eſſent Eunuchi, propter Regnum Cœlorum. Verùm quemadmodum hac in re à *Gallis* ſuperantur, ità *Lupercos* longè ſuperant in *Ninevitis* ſuis ac *Flagellantibus*, quippe qui ſcuticis caprinis non ſeipſos flagellabant ſed obvios quoſque. Illa igitur *Ninevitarum* aliorúmq; ſeipſos flagellantium ſeveritas ab *Ægypto* potiùs, quæ tamen Imperii Romani pars erat, petenda eſt, quàm à *Roma* veteri, (ſiquidem qui *Iſidi* ſacrificabant, cædebant ſeipſos, dum Holocauſtum igni conſumebatur; καιομένων δ ἱρῶν τύπλουλαι πάντες, inquit *Herodotus*:) aut à Sacerdotum *Deæ Syriæ* in ſe ſævitia, aut à rigida *Dianæ Lacedæmoniæ* diſciplina, quæ placanda non erat niſi per ſævas cruentáſq; verberationes, quemadmodum aliàs notavi. *Myſter. Piet. lib. 3. cap. 13.*

17. Tot profectò ſuperſtitionum *Romanæ Eccleſiæ* cum antiquo *Paganiſmo* Coincidentiæ ſunt, ut oppidò quàm laborioſi penſi foret ſi vel minimam adniterer earum partem recenſere, ac proinde hîc lubens plura referre ſuperſedebo. Permitte modò unicam inſuper Congruentiam quæ menti meæ obverſatur, eámq; præcipuam, ſilentio non præterire.

Paganorum Sacerdotes Ἐπόπτειαν quandam prætendebant ſive Αὐλοψίαν; ſe nempe facultatem habere exhibendi in Templorum Adytis *præſentialem* Deorum ſuorum *aſpectum*. Quò reſpicere videtur illud Claudiani.

De raptu Proſerpinæ lib. 1.

Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri,
Sedibus, & clarum diſpergere culmina lumen
Adventum teſtata Dei.

Jam verò cujuſlibet nullo laborantis præjudicio Conſcientiam appello, an *Pontificia Tranſubſtantiatio* profeſſióq; facultatis præſentialem exhibendi, Quinquiverbalis ſui carminis (utì ipſum illi faciunt) virtute, ipſius corporeæ Chriſti perſonæ comparentiam, admodum exquiſita non ſit hujus Paganicæ *Epoptiæ* imitatio. Chriſtus, fateor, ſecundùm ſuam Divinitatem ubiq; eſt & per ſpecialem illius operationem in aliquibus locis, & ex aliquibus occaſionibus, modo quodam extraordinario adeſſe rectè dici poteſt; verùm profiteri ſe humanam corporeámve Chriſti præſentiam de Cœlo in Templum Sacellúmve certâ verborum formulâ deducere poſſe, Beſtiam profectò reviviſicare eſt in memorabili illa Impoſturæ ac ſuperſtitionis *Paganicæ* parte, quæ appellatur Ἐπόπτεια, ſive Deorum è Cœlo evocatio, ut viſibilem ſuam præſentiam Hominibus exhibeant.

18. Unicam adhuc ſingularem Rituum collationem ſuperaddam & tunc concludam. Eſt autem Sacrificalis Pompæ *Paganorum* cum ſupplicationibus ſive Proceſſionibus *Eccleſiæ Romanæ* comparatio, prout *Polydorus Virgilius* utraſq; deſcripſit.

De rerum Invent l. 6. c. 11.

Pagani in ſuperſtitioſis ſuis & *Idololatricis* Pompis Proceſſionalibus Deorum ſuorum Imagines deportabant, ſed ad demulcendos animos rudis multitudinis ibat etiam in hac Proceſſione Imago quædam ludicra quam *Latini Citeriam* vocant; quámq; vulgò derivant à κίτλα & ἰέναι, alludendo in ea vocis ratione, ad *Picæ loquacitatem*. Nam ità formata eſt hæc Imago ut crepitaret & obgarriret in morem illius avis. *Quid ego cum illo diſſertem amplius, quem ego deniq; credo in pompa vectitatum iri ludis pro* Citeria? *Catonis* verba ſunt contra *M. Cæcilium*. *Plautus* autem alterius formidabilis Idoli mentionem facit, quod portabatur in his ſuperſtitioſis ſpectaculis, quem is *Manducum* appellat. *Quid ſi ad ludos me pro Manduco locem, quapropter clarè crepito dentibus?* Erat enim ingens deformíſq; Imago cum ore laxo, ad aures uſq; utrinq; reſciſſo, & horribiliter hians, & immanè dentibus ſtridens crepitánſq; in magnum hominum ſimplicium terrorem. De hac *Mormo* eſt illud *Juvenalis* dictum, quam Ruſticorum infantes in ſinu Matrum vaſtis ſuis hiatibus ait territare.

——Cùm perſonæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat ruſticus Infans.

Verùm poſtea hujus ſuperſtitioſæ Pompæ *Paganicæ* ex *Apuleio* magìs continua eſt deſcriptio. *Ecce*, inquit, *pompæ magnæ paulatim procedunt anteludia. Hic incinctus haltheo militem gerebat; illum ſuccinctum Chlamyde copides, (i. e. cultri recurvi) & venabula venatorem fecerant; nec ille deerat qui Magiſtratum faſcibus purpuráq; luderet; Vidi & urſam*, inquit, *manſuetam quæ cultu matronali ſellâ vehebatur, & ſimiam pileo textili.* Et ſequitur, *Jam ſoſpitatricis Deæ* (Lunam intelligit) *peculiaris Pompa moliebatur. Mulieres erant candido ſplendentes amicimine, vario lætantes geſtamine, verno florentes coronamine, quæ de gremio per viam quà ſacer incedebat comitatus, ſolum ſternebant floſculis. Illæ etiam quæ cæteris unguentis & geniali balſamo guttatim excuſſo conſpergebant plateas. Magnus præterea ſexûs utriuſq; numerus lucernis, tædis, cereis, & alio genere ficti luminis ſiderum cæleſtium ſtirpem propitiantes. Symphoniæ debinc ſuaves fiſtulæ tibiæq; modulis dulciſſimis perſonabant; eas amœnus lætiſſimæ juventutis veſte niveâ prænitens ſequebatur Chorus. Erant etiam qui facilem ſacris viam dari prædicarent; Locáq; velabantur quâ veheretur pompa, nec permittebatur cuiquam è feneſtris eos ſpectare.* Sic erant antiquorum Paganicorum religioſæ Pompæ ac Proceſſiones.

19. Nunc rationem deſcribamus quarundam Proceſſionum ſive ſupplicationum in *Eccleſia Romana*, vel potiùs ex eodem *Polydoro* tranſcribamus, qui iſtiuſmodi ritus ignorare non poterat. *In ſupplicationum noſtrarum pompa*, inquit, *ſolent ludicra quædam procedere*, hoc eſt, *ordo militaris equitum peditúmq; vel effigies aliqua arguta, loquax, ridicula, aut magnis malis latè debiſcens, dentibúſq; ſonitum faciens, valdè formidoloſa, ac aliæ oblectationes ludicræ vagari; In quibus Prophetæ repræſentantur, alati pueri concinunt, chorus inducitur fœminarum & virorum tripudiantium, hic agit* Davidem, *ille* Salomonem *gerit, alii Reginas fingunt, alii venatores ludunt, ſimiam vel jumenta ſimul inducentes; ut deniq; in hoc ludicro apparatu multijuges recitentur Hiſtoriæ antiquæ! Item cereæ tædæ & ſymphoniæ adhibentur, loca velan-*

tur

tur quà pompa vehitur. Item pueri & puellæ ex feneſtris vetantur deſpicere, hoc eſt, ex feneſtris deorſum verſum ſpectare. Præterea Sacerdotes vel alii Divorum perſonas agunt, eorum Imagines aut Reliquias ferentes, viæ & plateæ variis odoribus conſperguntur floribúſq; ſternuntur, ac demum aliquot præficiuntur qui jubeant viam dari ut pompa ſine impedimento procedat. Nunquid ovum ovo ſimilius eſſe poteſt quàm eſt hæc Romana Proceſſio antiquæ Pompæ ſuperſtitioſæ Paganorum? Solidè igitur *Polydorus* infert & citra omnem exceptionem, *Ità Romani factitabant & aliæ pleræq; gentes à quibus ad nos ritus ejuſmodi dubio procul manavit.*

20. Tam plenè ſanè antiquum hoc *Paganicum* Imperium, *occiſa* utiq; *Beſtia*, in vitam denuò rediit, támq; perfectè affabréq; ejus *Imago* concinnata eſt conſilio & regimine *Beſtiæ Bicornis* ſive *Pſeudoprophetæ*.. Nec poſſum, dum hæc conſidero, quin flexo poplite Divinam Providentiam, quæ tam accuratè rebus humanis invigilat, adorem, agnoſcámq; cum gratiarum actione, ac humilitate quantâ poſſum maximâ, magni noſtri Paſtoris Domini *Jeſu Chriſti* benigniſſimam curam ac fidelitatem qui ſtatum Eccleſiæ tam exquiſitè præfiguravit antéq; nos præmonuit, quomodo res ad tempus ſe eſſent habituræ, ut veritas horum eventuum firmiori nobis pignori foret certitudinis ejus reſtitutionis ad primitivam ſuam ac Apoſtolicam puritatem, quemadmodum & ipſe prædixit in his propheticis Viſionibus.

21. Equidem accurata hæc *Romanæ Eccleſiæ* in *Idololatria* & *Superſtitione* cum *Imperio Paganico* congruentia, cum abominabili utriuſq; in vera Chriſti membra *crudelitate*, ſimul conſiderata cum interdictione omnis civilis commercii, vitæq; neceſſariorum privatione, niſi in *Idololatrica* praxi & profeſſione ipſis ſe adjunxerint,

Non illis emendi quicquam
Aut vendendi copia,
Nec ipſam haurire aquam
Dabatur licentia,
Antequam thurificarent
Deteſtandis Idolis.

(quæ, quemadmodum *Beda* conqueritur, conditio erat primitivorum Chriſtianorum qui Paganiſmi Idololatriis ſe nolebant ſubmittere, & quæ reverà ſors eſt eorum ſub *Eccleſia Romana*, qui contra ipſorum *Pagano-Chriſtianiſmum* ſuam ſententiam declarant; immò Inquiſitiones inſtituunt quibus vitam inſontibus eripiant, ſanguinémq; venantur hominum innocentum, torquéntq; ac cruciant & vivicomburiis deſæviunt in eos qui craſſam Idololatriam cum eis committere renuunt:) ſimilitudo, inquam, quam ſtatus *Romanæ Eccleſiæ* cum antiquo *Paganiſmo* gerit, in *Idololatria*, *Superſtitione* & *crudelitate* (ut mendacia miracula taceam & impoſturas) tam perfecta eſt omnibúſq; numeris abſoluta, ut non poſſim quin religioſiſſimè admirer exactam harum *Divinarum viſionum* in Prædictione rei tanti momenti veracitatem, quemadmodum nec poſſum pariter ſatìs demirari, nè dicam ſtupere *Hugonis Grotii* ſortem, (cùm eventus rerum tam pleni ſint & adæquati, tam apti exquiſitéq; accommodati ad hanc *Imaginis Beſtiæ* Interpretationem) ut homo eo ingenio & eruditione, expoſitione tam coactâ quàm ſit illa quam is elegit, contentus ſit, & tam futili, tam impoſſibili deniq; támq; inutili. Quam tamen nunc pleniùs confutabo, poſtquam Interpretationis *Riberæ* vanitatem ac ineptitudinem demonſtravero.

SYNOPSIS

SYNOPSIS PROPHETICA,
SIVE
COMPENDIOSUS PROSPECTUS
In Sacrarum Scripturarum
VATICINIA
DE
ANTICHRISTO VENTURO.

LIB. II.

CAP. I.

1. *Magna utilitas demonſtrandi ineptitudinem Expoſitionum* Riberæ & Grotii *ſuper his duobus Capitibus* Apocalypſeos. 2. *Beſtiam, juxta ſententiam* Riberæ, *eſſe* Diabolum; 3. *Septémq; Reges, Reges impios ſeptem ſeculorum Mundi.* 4. *Quinq; ex his ſeculis præteriiſſe tempore S.* Johannis, *Regnúmq;* Antichriſti *eſſe ſeptimum*, Romámq; Ethnicam *Meretricem.* 5. Co-expoſitionis *noſtræ utilitas generalis.* 6. Beſtiam *non eſſe* Diabolum *ex multis circumſtantiis per* eam *probatum, Nec* ſeptem Capita *ſeptem iſtiuſmodi* ſecula *ex* lethali plaga *in* ſextum caput inflicta; 7. *Nec Meretricem* Romam *eſſe* Ethnicam, *non certè magìs quàm* Bicornis Beſtia *ea ſit.* 8. Diabolum *non poſſe eſſe* Beſtiam quæ fuit & non eſt, &c. *argumentis probatum* Co-expoſitioni *noſtræ non innitentibus.* 9. *Ulterior ejus rei probatio, ex ea parte illius Nominis* [& tamen eſt] *cum vindicatione illius Lectionis.* 10. *Expoſitionis* ſeptem capitum *apud* Riberam *confutatio ex diviſione durationis Mundi in ſeptem ſecula precariâ & obnoxiâ.* 11. *Ex* incoaleſcentia *Regum cujuſq; ſeculi in unum caput.* 12. *Ex* Diaboli Eminentia *& ſuperioritate* ſuper hæc capita. 13. *Ex eo quòd nec* tempus *nec* ſpacium *relinquitur* octavo Regi. 14. *Ex* diſproportionalitate ſeptimi ſeculi *mundi ad* reliqua, *ac præſertim ad mirandа illa facinora quæ intra illud tempus perpetratum iri aiunt ab* Antichriſto. 15. *Et poſtremò à* ſeptem montibus Romano *Imperio neceſſariò appropriandis.* 16. *Has* Riberæ *Expoſitiones ut & reliquas* Romanorum *Interpretum etiam ipſius* Grotii *judicio eſſe admodum ineptas, quippe quæ & illi occaſionem dederunt excudendi novas.*

1. HActenus verò ac genuino ſenſui horum duorum præcipuorum Capitum *Apocalypſeos* plenè ac luculentè demonſtrando operam impendimus. Sed enimverò cùm Hypocriſis eorum & averſatio, quos mundani commodi ſenſus aliò diverterit, promptæ pronæq; admodum futuræ ſint ad pondus ac evidentiam eludendam tam claræ demonſtrationis, prætendendo ſcilicet homines quidem perquam doctos *Expoſitiones*, huic prorſus diſſimiles, horum vaticiniorum tradidiſſe, ac proinde planè incertum eſſe quid ſignificent, duos è præcipuis Expoſitoribus in medium producam eóſq; quibus *Romana*

Eccleſia

Eccleſia maximè adhæret, maximoperéq; in eis ſibi ipſi applaudit, *Riberam* intelligo & *Grotium*, claréq; demonſtrabo quàm ineptæ, quàm coactæ, quàm omninò impoſſibiles ſint ipſorum *Expoſitiones*; ut vel eos, qui præjudicio aliàs occæcati ſint, pudeat in poſterum ſe ad tam miſera ſuffugia ac diverticula recipere.

2. Expoſitio *Beſtiæ ſepticipitis* cum *decem cornibus*, quæ *erat & non eſt & tamen eſt*, ac *Meretricis Babylonicæ* quæ ei inſidet, apud *Riberam* breviter ſic eſt: Beſtia *Diabolus* eſt conſideratus cum relatione ad ſtatum regnandi & non regnandi in orbe terrarum. Quamobrem ubi dictum eſt, *Beſtia quam vidiſti fuit & non eſt*, illud is interpretatur ad hunc modum, Diabolus in ſeculis præcedentibus ante Chriſtum erat *Diabolus regnans*, verùm tempore S. *Johannis* non erat *Diabolus regnans*, quippe quòd *Princeps hujus mundi tunc ejectus erat.* Ac proinde ad hunc ſenſum dicitur *Beſtia quæ fuit & non eſt*, verùm futurus eſt denuò *Diabolus regnans* in Antichriſto, qui caput ſeptimum eſt, quo regnante rurſus aſcenſurus eſt ex Abyſſo.

3. *Septem Reges*, Reges ſunt impii ſeptem ætatum ſive ſeculorum mundi ab *Adamo* ad diem uſq; noviſſimum. Primum ſeculum eſt ab *Adamo* ad *Noe*, in quo *Cain* & *Gigantes* particulatim vapulant. Secundum à *Noe* ad *Abrahamum*, in quo *Nimrodes* perſtringitur. Tertium ab *Abrahamo* ad *Davidem*, in quo Reges *Ægypti*, aliíq; notantur tanquam perſecutores oppugnatoréſq; Populi Dei. Quartum à *Davide* ad *Captivitatem Babylonicam* in quo populus *Judaicus* multùm affligebatur à Regibus *Aſſyriæ*. Quintum à Captivitate *Babylonica* ad Adventum Chriſti, in quo multùm affligebantur à *Chaldæis* & *Græcis*. Sextum ab adventu *Chriſti* ad adventum *Antichriſti*, in quo Eccleſia multas paſſa eſt perſecutiones à *Romanis* Imperatoribus & à *Turcis* & *Saracenis*, pluréſq; adhuc pati poteſt ab eis qui in poſterum ſint exſurrecturi. Septimum ab adventu *Antichriſti* ad Diem noviſſimum, in quo intervallo *Antichriſtus* cum decem ſuis cornibus, hoc eſt decem Regibus, crudeliùs Eccleſiam perſecuturus eſt quàm unquam factum eſt hactenus.

4. Quinq; ex his *Capitibus*, id eſt, ex his *ſeculis* ætatibúſve cum impiis ſuis Regibus præterierant S. *Johannis temporibus*; unum tunc erat & etiamnum durat; alterum, id eſt, ſeptimum & ultimum, nondum advenit, poſtquam verò ſemel advenerit, durare oportet breve tempus, hoc eſt, *tres annos & dimidium*, ſive menſes quadraginta duos, quippe quòd *Antichriſtus* Beſtia eſt in Capite decimo tertio, quemadmodum ille interpretatur. Et poſtremò quantùm ad *Meretricem*, quæ *Beſtiæ quæ erat & non eſt* inequitat, *Romam Ethnicam* eſſe ait. Hæc perſpicua fideliſq; eſt Expoſitionis *Riberæ* recitatio, quemadmodum cuivis liquere poteſt, cui eum lubet ſuper ipſo loco conſulere.

5. In cujus examinatione ut & inſequentis *Expoſitionis*, utilitatem noſtræ adeò perſpicuæ demonſtrationis, *quòd utiq; una eadémq; res omninò intelligatur per ſepticipitem Beſtiam in decimo tertio capite, & per ſepticipitem Beſtiam in capite decimo ſeptimo*, deprehendere poſſumus: quod ſimiliter fit in *Meretrice Babylonica* & *Beſtia bicorni*. Nam vel hoc unum nugacitates ac vacillationes harum Expoſitionum per ſe facilè eſt detecturum.

6. *Beſtiam quæ erat & non eſt*, *Regnum Diaboli* (ut *Ribera* loquitur) *eſſe non poſſe*, *Diabolúmve regnantem* in mundo per ſua membra qui ab initio ferè mundi regnare cœpit in hominibus, demonſtrari poteſt ex Beſtia ſepticipite in capite decimo tertio, quæ eadem planè eſt Beſtia, cujus tempus durationis *menſibus quadraginta duobus definitur.* Quod indicium eſt *Riberam* toto cœlo errâſſe. Nam eadem numero Beſtia debet habere eandem numero durationem. Rurſus, *Beſtiam* in decimo tertio capite *Antichriſtum* facit, hanc verò *Diabolum*, quæ altera eſt in ejus Interpretatione vacillatio. Verùm porrò, cùm *Beſtia* capite decimo tertio, dicatur aſcendere *ex mari*, manifeſtum eſt ſecundùm uſitatum ſenſum illius Typi in *Stylo Prophetico*, corpus eſſe *Politicum* ex hominibus conſtitutum: Quomodo autem Diabolus talis eſſe poteſt cum tenebroſis ſuis Legionibus? Illi *homines* non ſunt ſed *Diaboli*, nec qui in Captivitatem duci poſſint aut gladio occidi, quod tamen dicitur de Beſtia cujus illîc fit mentio. Præterea, *Draco*, hoc eſt *Diabolus*, copias ſuas tradere dicitur Beſtiæ ſepticipiti in capite decimo tertio. Quomodo igitur *Beſtia* poteſt eſſe ipſe *Diabolus?*

Quibus omnibus addere potes, *Sextum* caput Beſtiæ in illo capite lethaliter eſſe vulneratum, nunquam ſanandum ante revivificationem Beſtiæ ejúſq; reſtitutionem ſub capite *ſeptimo.* Quomodo verò dici poſſunt impii ſextæ Ætatis Reges lethaliter eſſe vulnerati, Beſtiáve non reviviſcere ante caput *ſeptimum*, cùm Eccleſia Chriſti tam horrendis perſecutionibus afflicta ſit primitivis temporibus, & ad hunc uſq; Diem à *Turcis* tam crudeliter infeſtetur ut antè à *Saracenis*? Hæ profecto Actiones

nulla

nulla indicia ſunt quòd caput *ſextum* magis lethaliter aut æquè certè vulneratum ſit quàm quinq; præcedentia. Poſtremò, Quomodo *Diabolus* in hoc decimo ſeptimo capite *Imago* eſſe poteſt Beſtiæ redivivæ quæ lethaliter vulnerata erat, cùm Diabolus denuò regnans *Pagano-Chriſtianus* futurus non ſit, ſed aut omninò *Paganus* aut *Judæus*, quemadmodum & adverſarii noſtri confitentur? Ac proinde non futurus eſt *Imago* ſed aut *res ipſa*, aut nè *Imago* quidem illius ſed res toto cœlo differens.

7. Et quantùm ad *Meretricem* quæ Beſtiæ inſidet, equidem hîc quærere poſſim, quo ſenſu *Roma Ethnica* duo cornua habeat *ſimilia Agni*, cur *è terra aſcendere* dicatur, cum aliis id genus quæſtionibus, quas brevitatis causâ omitto. Notabo potiùs quàm indecorum ſit atq; abſonum, *Romam Ethnicam* fingere *Diabolo inequitantem*, cùm multò magis conſentaneum ſit concipere *Diabolum inequitantem Romæ Ethnicæ*, hoc eſt, regentem, actuantem, inſtigantémq; quò ipſi viſum fuerit.

8. Cæterùm *Beſtiam, quæ erat & non eſt*, non eſſe *Diabolum*, nunc aliis argumentis citra relationem ad caput decimum tertium evincemus. Ut, primùm, Si Diabolus Beſtia ſit, id quod cum talem conſtituit eſt illius naturæ improbitas, crudelitas ejus in Eccleſiam Dei, ſtudiúmq; *regnum* erigendi, contra eum, *Idololatrarum*. Jam verò Diabolus nunquam talis ceſſavit eſſe ab initio Mundi ad hunc uſq; diem. Hæc eſt ipſa indoles naturáve Beſtiæ, atq; hæc natura ejus nondum occiſa eſt, nec unquam, opinor, occidetur. Quamobrem nunquam de eo verum erat nec unquam futurum eſt verum, *Quòd ſit Beſtia quæ erat & non eſt*. Nam ut regnet poſteáq; regnare deſinat, id tamen non efficit, ut Beſtia ſit & poſtmodum non Beſtia, ſed tantùm *non regnans* Beſtia; ſed & hoc etiam falſum eſt, quòd unquam hactenus regnans eſſe Beſtia deſiverit.

Nam ante adventum Chriſti exceptis *Judæis* toti ferè terrarum orbi imperabat, poſt verò Chriſti adventum trecentos circiter annos Tyrannidem in Chriſtianos exercebat. Et poſtquam Imperium in ſolidum ferè Chriſtianum factum eſſet, regnum tamen Diaboli anguſtioribus terminis non claudebatur quàm reliqui orbis habitabilis, cum quo ſi pars altera conferatur, exiguum ſanè eſt terræ ſpaciolum; de quo tamen magna profectò ſegmina ſunt abſciſſa, ut taceam illius in ipſum orbem Chriſtianum dominationem introducendo tam univerſalem ſpiritûs Antichriſtianiſmi colluviem craſſis *Idololatriis* crudelibúſq; chariſſimorum ſervorum Dei perſecutionibus conſiſtentem. Nunc ergo quivis rem apud ſe perpendat pronunciétque, Diabolus Beſtia ſit non regnans an regnans in mundo ab adventu Chriſti ad hunc diem, & quàm omni ratione caret *Riberæ* Interpretatio qui Beſtiam quæ erat & non eſt, de *Diabolo laxè* intelligit, non autem de *Romano Imperio* tali ſenſu quo nos expoſuimus.

Quartum enim eſſe Imperium, quod eſt *Romanum*, decem cornua planè indicant, quæ ſunt quartæ Beſtiæ apud *Danielem* inſignia, quod neminem credo adhuc fuiſſe tam enormiter delirum ut de *Diabolo* interpretaretur.

9. Præterea, Beſtia hæc non ſolùm dicitur *Beſtia quæ erat & non eſt*, ſed ſuperadditur illius Titulo [*& tamen eſt*] Qui totus titulus de Diabolo *Antichriſti* temporibus regnante ſecundùm *Riberæ* ſententiam, verus eſſe non poteſt. Etenim cùm tunc *regnet*, idem prorſus Diabolus eſt uſquequaque, nemóq; tunc dicere poteſt quòd ſit *non regnans*, quanquam tunc verum eſt, quòd *ſit*. Adeò ut pars tantùm Tituli ei convenerit, nempe eum *fuiſſe* & *eſſe*. Quæ altera perſpicua eſt falſitatis expoſitionis *Riberæ* detectio.

Nec ullum hîc in variis Lectionibus quærendum eſt effugium. Exemplaria enim pleraq; omnia habent, ἦν ἔστι, καὶ οὐκ ἔστιν. Quæ iſtiuſmodi videtur Contradictio, ut eſſecerit ut quidam καὶ οὐκ ἔστιν omiſerint, alii in ὃ πάρεστιν ipſum commutaverint; cùm neutri interim ad genuinum vaticinii ſenſum penetrâſſent. Verùm cùm hæc Lectio quam ſequimur, tam generaliter obtineat, quamvis primo aſpectu tam obvia videatur ineſſe incongruitas & repugnantia, irrefragabile profectò argumentum eſt veram hanc omninò eſſe ac genuinam lectionem; & ex ſola indubitata authenticáq; exemplarium fide factum eſſe, ut duæ illæ alteræ lectiones expunctæ ſint, quas quorundam temeritas & imperitia in veræ locum intruſerant.

10. Rurſus, contra *ſeptem Capitum*, quam tradidit, Expoſitionem, multa quidem objici poſſunt. Ut primùm, Diviſionem, quam fecit, totius durationis Mundi in ſeptem ætates ſive ſecula, rem eſſe ſine omni ratione meréq; precariam, cùm nihil occurrat in Traditione aut Scriptura quod eam poſſit ſuffulcire. Eſt ſanè antiqua *Eliæ* Traditio, quæ durationem Mundi in quatuor partes dividit, *Bis millenos annos vacuitati*, *bis millenos Legi*, & *bis millenos Meſſiæ* aſſignans, magnúmq; demum ſuperaddens *Sabbatiſmum*. Verùm hujuſmodi Diviſionis qualem *Ribera* finxit, nulla apud Antiquos fama eſt aut exemplum. Et in illis quidem gradibus

quos

quos fecit, caput *Moſis* tranſiliit oppido quàm, profectò, inciviliter, ac ſi is homo eſſet nullius pretii, nec dignus qui inter præclaros hujus Diviſionis *Articulos* recenſeatur; cùm tamen proculdubio ea una ſit ex eminentiſſimis temporum *Epochis*, ſicut apparet ex illa traditione *Eliæ*, ac proinde illius mentionem antè factam eſſe oportebat quàm deſcenderetur ad *Davidem*; ut & *Enochi* Natalitia ob ſuam tam celebrem in cœlum aſſumptionem, antè notata eſſe debebant, quàm deveniretur ad *Noachum*. Ut alias præteream æquè legitimas Diviſiones, quas facile hîc eſſet adnotare. Verùm breves hæ Indicatiunculæ ſuffecerint ad oſtendendum quàm lubricum fictitiúmq; etiam ex hac parte commentum ſit *Riberæ* Expoſitio.

11. Verùm ſecundò, quî poſſunt Reges in ſingulis harum Mundi ætatum, cùm nullam habeant inter ſe *ſubordinationem* ſed abſoluti ſint, abſolutéq; propriis ſuis Regnis disjuncti, vel potiùs nullam habeant Politicam *Coordinationem* conſociationémve tanquam Capita unius corporis *Politici*, quî, inquam, poſſunt unum caput ſingulare pro ſingulis Ætatibus conſtituere? Nullum omninò firmamentum eſt aut exemplum ullius hujuſmodi rei in *ſtylo Prophetico*. Quòd ſi dixeris ſingulorum ſeculorum Reges unum eſſe caput, propterea quòd ad unum corpus pertinent, nempe ad *Diabolum*, tota quidem ſucceſſio impiorum ac perſecutivorum Regum per omnia hæc ſecula ex hac ratione non niſi unum erunt caput, atq; ità *Beſtia unum tantùm* caput habebit non *ſeptem*. Temporis enim diſtantia & ſucceſſionis, nullum diſcrimen *Capitum Beſtiarúmve*, ſed notabilis aliqua ipſarum naturarum diſtinctio in *ſtylo Prophetico* conſtituit.

12. Tertiò, Admodum abſonum eſt & incongruum hos improbos Reges Diaboli capita fingere, cùm Diabolus è contrà ipſorum potiùs Princeps ſit atq; caput, quippe qui ſupra ipſos emicat tum *Naturæ præeminentiâ*, cùm Angelus ſit quantumvis impius, ut & illi non niſi impii homines, tum etiam *jure Imperii*, ſiquidem omnes qui rebelles ſunt adversùs Regnum Dei additamentum fiunt Regno Diaboli. Adeò ut expoſitio hac ratione æquè dura ſit & præpoſtera, atq; ſiquis Equum pingeret caput quidem in coccyge, caudam verò à pectore pendulam habentem,

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

13. Quartò, Si *ſeptem Reges*, ſeptem Ætatum Mundi Reges impii ſunt ad diem uſq; noviſſimum, quis eſt ille Rex octavus? quóve Mundi ſeculo is futurus eſt? Videtur enim nihil aut loci aut temporis illi reliquum eſſe. Imò profectò *Ribera* hîc verſutum admodum callidúmq; huic rei præfecit Artificem qui è re ſua in omnia, ſi poſſibile ſit, loca temporáq; ſe inſinuaturus ſit: *Octavus* hic *Rex*, inquit ille, *Diabolus* eſt; verùm, *Diabolus*, inquam ego, Beſtia eſt, juxta *Riberæ* ſcilicet ſententiam ſive Hypotheſin, atq; octavus hic dicitur unus è ſeptem, nempe Capitibus ſive Regibus; Quî verò fieri poteſt ut unus idémq; & tota Beſtia ſit & tamen non niſi unum è capitibus ejus? Quamobrem manifeſtum eſt hanc Expoſitionem hoc reſpectu communi ſenſui ipsíſq; primis humani intellectûs Notionibus adverſari.

14. Quintò, Septimum Mundi ſeculum, quod Regni *Antichriſti* menſura eſt, ridiculæ profectò diſparitatis eſt ſi cum reliquis conferatur, ut quod trium annorum & dimidii ſpacium non excedit, quemadmodum *Ribera* computat. Quod tamen magìs tolerabile eſſet, ſi rectè proportionatum eſſet ad ingentia illa facinora quæ brevi iſtoc ſpacio ab *Antichriſto* ſunt perpetranda. Oportet enim eum univerſum terrarum orbem hoc pauxillo tempore ſibi ſubjicere, vel ſi malis, decem Reges, quos illi fingunt tunc temporis quando Antichriſtus ſuos ludos incepturus eſt totius orbis fore Imperatores. Primâ enim illius Expeditione adversùs tres Reges tranſactâ, Regem putà *Ægypti*, Regem *Libyæ*, & Regem *Æthiopiæ*, eiſdémq; ab ipſo occiſis, reliqui ſeptem illi ſe ſponte ſubmittent, ſeptémq; fient Capita *Antichriſti*, quorum primum bella ejus gerendo lethaliter vulneratum is è mortuis per miraculum ſuſcitabit. Atq; ſic mirabili Metamorphoſi decem cornua in ſeptem Capita mutaverunt, fecerúntq; quidem ut cornua *Antichriſti* ante capita naſcerentur. Tam miſerè hærent hi homines & implicantur in prævaricatoriis ſuis Expoſitionibus ſanctorum Oraculorum Dei.

Nec contenti uno hoc ſingulari Miraculo, occiſos è mortuis ſuſcitandi, magnum hunc *Dynaſten* exornare, aſſignant illi porrò poteſtatem ignem *literaliter* de cœlo evocandi, efficiendíq; ut propria ſua ſtatua loquatur. Regium ejus Palatium in *Judæa* collocant, Genealogiámq; deducunt de tribu *Dan*, Thronúmq; faciunt ipſum Templum Dei *Hieroſolymis*, ipſúmq; quaſi Præconis voce expectatum *Judæorum Meſſiam* pronunciant, ad quem omnes ſe congregare debeant. *Roma* etiam ab ipſo

obſidenda eſt & comburenda. Et convocabit ad ſe gentes è quatuor Terræ Regionibus ad conſilia incunda quò Nomen Chriſtianum ſubter Cœlum penitùs deleant: Quod ut videtur nihil obſtante *Pontificis* vigilantiâ totiúſq; Concilii *Cardinalium* ſedulorúmq; ſuorum Emiſſariorum, omniúmq; Copiarum Chriſtiani orbis, in ſolidum ferè ſunt effecturi: atq; hoc omne, quod miraculum eſt omnium ſanè miraculorum maximum, intra ſpacium *trium annorum & dimidii.* Immò quod adhuc magìs ſtupendum eſt, hic quadrimulus *Antichriſtus* non ſolùm orbem Chriſtianum debellabit, ſed & *Turcarum* ſubjugabit Imperatorem, *Perſiam* perdomabit, faciétq; ut *Cham Tartarorum* in ſeptentrione ſibi ſe ſubmittat, & uſq; ad remotiſſima *Africæ* regna ſui Imperii fines promovebit. Quæ profectò talis Prophetica Fabuloſitas eſt qualem nemo quiſquam in Hiſtoriis vel maximè *Romanticis* unquam auſus ſit imitari. Tam incredibilis etiam ex hac ratione eſt hæc *Riberæ* Expoſitio de ſeptem Capitibus Beſtiæ.

15. Sextò & ultimò, Ad eam ſolam Beſtiam ad quam aliquo ſaltem modo *ſeptem montes* ſpectant, *ſeptem Reges* poſſunt pertinere; Nam utriq; per ſeptem Beſtiæ capita dicuntur ſignificari, ac proinde utriq; proprio quodam ac peculiari modo ad Beſtiam referuntur. Etenim cùm capita ipſius, Capita Typica ſint, neceſſe eſt ut ad eam illud pertineat cujus ſint Typi; ſunt autem capita Typi montium perinde ac Regum: verùm manifeſtum eſt ſeptem montes ad *Romanam* Beſtiam, hoc eſt, ad *Romanum* Imperium pertinere. Quamobrem ut ſeptem Reges eò ſimiliter pertineant, neceſſe eſt. Unde planè ſequitur, hos Reges, Reges ſeptem ſeculorum Mundi eſſe non poſſe. *Roma* enim condita non erat ante Annum ferè Mundi 3200, quando quartum etiam Mundi ſeculum, juxta ipſius *Riberæ* computationem, penè præterierat. Adeò omni ex parte impoſſibilis eſt hæc illius Expoſitio contráq; omnem ſenſum & rationem. Et tamen optima omnium eſt quas habent *Pontificii*, talíſq; in qua ſe putent tutiſſimum reperire ſuffugium, utì apparet ex eo quòd *Cornelius à lapide Leſſiúſq;* illi magìs adhærent quàm ullis aliis quæ hactenus ab eis inventæ ſint.

16. Ineptitudinis quarum omnium Expoſitionum, amicè, ut videtur, miſertus *Grotius* novam in ipſorum gratiam ſuper propriam ſuam incudem emalleavit, quam tametſi aliàs aliqua ex parte jam examinavimus, levémq; invenimus & adulteratam, tamen cùm tanti momenti res ſit, ad ſecundum examen adducemus, in quo ſi rurſus manifeſtò falſa deprehenſa fuerit pleniúſq; detecta craſſis Incongruitatibus ac Repugnantiis abundare, nihil profectò omiſſum ſpero, quò minùs ſumma quæ exoptari poteſt certitudo appareat veritatis illius *Expoſitionis* quam nos in hæc decimum ſeptimum & decimum tertium Capita *Apocalypſeos* tanto ſtudio elaboravimus.

CAP.

CAP. II.

1. Beſtia coccina ſepticeps & decacornis Muliérq; ei inſidens *quid ſignificent ſecundùm* Grotium. 2. Grotianæ *Interpretationis ex* Co-expoſitione *noſtra Confutatio.* 3. *Duo Fundamenta principalia fulcráve neceſſaria Interpretationis* Grotii; *Unum quòd S.* Johannes *ſeptem capita recenſet incipiens à* Claudio, *cum illius Confutatione*; 4. *Alterum, quòd viſio hæc ſcripta ſit temporibus* Veſpaſiani, *oſtenditúrq; quàm falſa ac vacillans ſit iſta opinio.* 5. *Exulationem* Judæorum *à* Roma *per* Claudium *multùm abeſſe à demonſtratione quòd* Johannes *tunc in* Patmo *exularet, illáq; verba* [Impulſore Chreſto] *apud* Suetonium *nè hoc quidem evincere, quòd ulli tunc Chriſtiani è Civitate expellerentur*; 6. *Nec ſi illud Decretum ad Chriſtianos pertineret, continuò ſequi ad* Johannem *etiam pertigiſſe.* 7. *Reſponſum ad locum* Epiphanii *pro* Johannis *exilio tunc temporis allegatum.* 8. *Reſponſum ad alium locum eódem ſpectantem.* 9. *Teſtimonium* Epiphanii *contra principalem* Grotii *ſcopum facere.* 10. Epiphanii *Teſtimonium unicum eſſe ac ſolitarium contra teſtimonia reliquorum Patrum, uniúſq* Irenæi *teſtimonium illius teſtimonio longè eſſe præferendum.* 11. *Teſtimonii* Irenæi *explicatio irreprehenſibilis: quódq; nec ipſa ſenſûs illius detorſio* Grotii *propoſito inſervire poteſt.* 12. *Nè minimam quidem eſſe ſpeciem Probabilitatis* Apocalypſin *citiùs ſcriptam fuiſſe quàm ſub exitum Regni* Domitiani. 13. *Argumenta ex ipſa* Apocalypſi *quòd ſcripta non ſit ante Perſecutionem ſub* Domitiano. 14. *Quanti ſit momenti hanc veritatem demonſtrâſſe, quandoquidem univerſas Interpretationes* Grotianas *ſubvertit Sigillorum Tubarúmq; cum omnibus ſuis Synchronis.*

1. EXaminemus igitur accuratiùs *Grotii* Interpretationem, cujus ſumma hæc eſt: *Beſtia coccina* cui inſidet *Meretrix Babylonica* eſt antiqua *Idololatria Romana*, quam antiquus Ethnicus *Romanus* ſtatus ſive Dominatio, quemadmodum ille appellat, regit ac diſpenſat. *Septem capita Beſtiæ* ſeptem *Romani* ſunt Imperatores, *Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius*, qui quidem quinq; ceciderant, quando viſio hæc *Johanni* obtigit, aut ſaltem ſcripſit, utì ſupponit *Grotius*. *Veſpaſianus* verò tunc regnabat, *Titus* qui ſeptimus, nondum advenerat, poſtquam verò advenerit breve tempus manſurus eſt. *Beſtia* verò *quæ erat & non eſt*, quíq; *Octavus* Rex eſt, & ex conſequenti *Caput octavum*, is *Domitianus* eſt, qui quemadmodum prætendit *Grotius*, primùm regnabat abſente *Veſpaſiano* patre, cùm verò poſt reditum *Veſpaſiani*, ab Imperii gubernaculo receſſiſſet, tunc factus eſt *Beſtia quæ erat & non eſt*, emerſurus verò erat poſtea rurſúſq; Imperium reſumpturus poſt *Veſpaſiani Titiq;* regnum, mortémq; violentam obiturus. *Decem cornua*, deniq; ait ille, decem Reges ſunt, qui nondum erant (hoc eſt S. *Johannis* temporibus) in fide & reverentia *Imperii Romani*, ſed futuri erant ad tempus. Iique, inquit, erant, *Oſtrogotthi, Wiſigotthi, Vandali, Gepidæ, Longobardi, Heruli, Burgundiones, Hunni, Franci, Angli* ſive *Saxones.*

2. Hæc ſunt fila principalia Interpretationis *Grotii* in decimum ſeptimum caput *Apocalypſeos*, cujus generales delineationes cùm iſtis decimi tertii minimè reſpondeant, meritò eam ſuſpectam reddat eis, qui ſatìs conſideraverint, quàm magna ſit præſumptio vel potiùs demonſtratio, quòd hæc duo capita eaſdem planè res tractent, itáq; interim ſint conſtituta ut alterum alteri lucem ferant.

Quamobrem, cùm *Draco* Capite duodecimo, *ſeptem capita habens ſeptémq; in capitibus diademata* (quæ planè innuunt, *Regum* ſignificationem non *montium* illîc intelligi) in uno Capitum vulneratus ſit illo prælio, ſanatúſq; rurſus, ità ut omnes poſt eum admirarentur, hîc rogare vellem *Grotium*, quiſnam ſit ex Imperatoribus qui lethaliter vulneratus ſit in prælio illo cum *Michaële* ſanatúſq; rurſum ad totius Mundi admirationem? Porrò, Non ſunt niſi *ſeptem* Reges capite decimo tertio, quî fit igitur ut *octo* ſint in decimo ſeptimo? Tertiò, *Octo* Reges capite decimo ſeptimo juxta illius ſententiam, Idololatrici ſunt univerſi. Idololatria verò *ſeptem tantummodò* capitibus inſcribitur capite decimo tertio, quod planè innuit Beſtiam plura non habuiſſe capita. Quarum rerum nullus eſſe poteſt ſenſus, niſi ſecundùm talem Expoſitionem qualem ego jam exhibui.

Præterea, ſi *Beſtia*, decimo ſeptimo capite, *Idololatria* ſit *Romana Paganica*, quî fit ut ultra menſes quadraginta duos non maneat, juxta ſenſum hunc *Grotianum*?

illa enim duratio eſt *ſepticipitis Beſtiæ* capite decimo tertio; Ipſe etiam *decem cornua* unius Beſtiæ agnoſcit non eadem eſſe quæ *decem cornua* alterius. Omitto hîc Dominationem *Romanam*, quam ait *Meretricem Babylonicam* eſſe in capite decimo tertio, non eandem eſſe quæ *Magia* in capite altero, cùm tamen ſatìs conſtare exiſtimem, *Meretricem Babylonicam Beſtiámq;* *bicornem* unius ejuſdémq; rei Typos eſſe. Verùm fateor nimis Magiſtrale meritò hoc videri poſſe, propriam noſtram *Expoſitionem* quantumlibèt veram, reliquarum normam ac regulam conſtituere. Quamobrem ab iniquis hujuſmodi conditionibus *Grotium* in ſolidum liberabo, illiúſq; Interpretationes in hæc duo capita *Apocalypſeos*, ſecundùm ejuſmodi libera & communia principia, jam examinabo, ad quæ omnes provocent.

3. Quod facturus ſum primò, ratione generaliori, duorum principalium Fundamentorum, quæ ſupponit, examinando ſoliditatem. Quorum unum eſt, Quòd S. *Johannes ſeptem capita Beſtiæ* à *Claudio* incipiens recenſeat; Alterum, Quòd viſio *Meretricis Babylonicæ* ac *Beſtiæ quæ erat & non eſt*, ſcripta ſit à S. *Johanne* temporibus *Veſpaſiani*. Quæ Fundamenta tam neceſſaria ſunt illius Interpretationi, ut ſine illis non ſolùm *incongrua* foret ſed etiam *impoſſibilis*; propterea quòd *quinq;* dicuntur *cecidiſſe & unus eſſe*, &c. quem hæc igitur Interpretatio neceſſariò requirit, ſupponítq; eſſe *Veſpaſianum*, adeóq; tunc fuiſſe quando hæc viſio *viſa* eſt aut ſaltem *ſcripta*. Ac proinde rationes quas pro his Fundamentis adducit eò diligentiorem merentur examinationem.

Pro quorum primo haſce duas profert. Prior eſt, quòd *Claudius* primus eſſet Imperator qui perſecutus eſt Chriſtianos. Quod tamen univerſæ antiquitatis ſuffragiis adverſatur, qui primam perſecutionem *Neroni* affigunt, omittentes *Judæorum* expulſionem è *Roma*, aut ut nullius momenti rem, aut ut nihil ad Chriſtianos attinentem, quatenus tales erant, ſed quatenus habiti ſunt *Judæi*. Quantùm autem ego video, *Caius Claudii* anteceſſor plus *Judæos Chriſtianóſq;* afflixit immanibus ſuis exorbitantiis quàm unquam fecit *Claudius*. Qua de re ipſe *Grotius* ſcripſit in Notationibus in 2 Theſſ. 2. *Mæror metúſq; maximus & Judæorum & Chriſtianorum plenum habuit effectum*. Adeò ut *Epocha* figi potuiſſet in *Caligula* æquè commodè ac in *Claudio* juxta hanc rationem, quod planè oſtendit *Expoſitionem* eſſe precariam. Præterea, ſi *Epocha* incipiat à *Claudio*, quoniam Perſecutor erat, cur non abrupta eſt computatio ſtatim atq; perſecutio ceſſaverat? Nec *Galba* enim nec *Otho*, nec *Vitellius* nec *Titus* nec *Veſpaſianus*, nulli horum infames erant ob ullam perſecutionem.

Altera ratio cur hæc *Epocha* fixa ſit in *Claudio* eſt, quòd ipſe S. *Johannes Patmon* miſſus ſit in exilium temporibus *Claudii*. Ac proinde calculum iniit à tempore ſui *exilii*, ut *Ezekiel* ab Epocha ſuæ *Captivitatis*. Verùm hæc admodum infirma eſt argumentatio. *Ezekiel* enim tempora non computabat à ſua particulari Captivitate ſed à captivitate *Jechoniæ*, quemadmodum videre eſt ſemel atq; iterum apud *Gaſparem Sanctium* in *Ezekielem*. Præterea, alia res eſt computare quod ſibi acciderit, utì fecit *Ezekil*, à tempore privatæ ſuæ captivitatis, alia verò Regum ſucceſſiones recenſere ac Imperatorum à tam privata Epocha. Porrò, quod adhuc deterius eſt, non omninò probabile eſt, S. *Johannem Patmon* in Exilium miſſum fuiſſe regno *Claudii*, non ſolùm quòd id paſſus ſit non quidem ut *Judæus* ſed ut *Teſtis Jeſu*, verùm etiam quòd *Epocham* hanc literis non mandaverit, quod admodùm neceſſarium fuiſſet peſſiméq; omiſſum, ſi tanti futurum fuiſſet momenti ut indè certi poſſimus eſſe de veritate principalium viſionum *Apocalypſeos*.

His adde, quòd S. *Johannes* non erat *Romæ*, eúmq; proinde ab hoc *Claudii* edicto immunem fuiſſe; & ſi illîc fuiſſet, aut ubicunq; alibi, nullam fieri mentionem relegandi homines ad certa loca in his expulſionibus; videmúſq; Act. 18. *Aquilam* & *Priſcillam*, qui *Româ* expulſi erant, ſatìs ſecurè degiſſe *Corinthi*, quibus & S. *Paulus* ſe adjunxit, artémq; communem cum ipſis exercuit Tabernaculariam. Et poſtremò contra univerſum Antiquitatis conſenſum eſt, *Irenæi*, *Origenis*, *Tertulliani*, *Euſebii*, *Hieronymi*, *Nicephori*, *Victorini*, *Primaſii*, *Andreæ*, & *Aretæ*, contráq; univerſa tum *Pontificiorum* tum *Proteſtantium* ſuffragia, qui uno ore teſtantur S. *Johannem* in *Patmon* ſub *Domitiano* miſſum eſſe in exilium. Sed non opus eſt ut hiſce rebus tam prolixè in præſens immorer, ſiquidem & hoc etiam penitùs ſubverſura ſit ſecundi Fundamenti confutatio.

4. Quod ſecundum Fundamentum hoc eſt, Viſionem ſcilicet *Meretricis* & *Beſtiæ* à S. *Johanne* ſcriptam fuiſſe temporibus *Veſpaſiani*. At enimvero niſi & tunc viſa ſit, ad *Grotii* propoſitum nihil facit, quandoquidem vox eſt non quidem *Johannis* ſed Angeli dicentis, *Quinq; ceciderunt & unus eſt*, & propterea ipſam viſionem perinde ac ſcriptionem illius oportet eſſe tempore *Veſpaſiani*, alioqui nihil effecturum eſt.

eſt. Addo & in *Patmo* Inſula, quia ſemel ac in genere in ipſo initio hujus *libri Viſionum*, eas ſibi obtigiſſe ait in *Patmo* Inſula, nec aliter uſquam monet per totum librum; unde incredibile eſt quin omnes ei obtigerint in iſtoc ſeceſſu. Quod ego hîc noto ut obviàm ire poſſim ſuppoſitioni *Grotii* in Diſſertatione de *Antichriſto*, nempe Quòd tametſi S. *Johannes* in *Patmon* miſſus eſſet in exilium ſub *Claudio*, reverſus tamen erat ex Inſula tempore *Veſpaſiani*. Unde inferri volo, viſionem Meretricis ac Beſtiæ à *Johanne* non fuiſſe viſam temporibus *Veſpaſiani*, ſed ſcriptam tantùm, prout & ipſe * *Grotius* & *Hamondus* innuunt. Quod Expoſitionem *Grotii* penitùs ſubvertit, quemadmodùm ſuprà notavi. Vide Sect. 9.

* *Vide* Grotium & Hamondum, *in Apoc. c. 17. v. 9, 10.*

5. Atq; hoc unum profectò quod ſuâ ſponte conceſſit, ſufficere poteſt ad finem imponendum huic controverſiæ. Cæterùm cùm res tanti momenti ſit, paulò diutiùs ei immorabor, planéq; demonſtrabo omnimodam hujus *Fundamenti* quo *Grotius* utitur, ineptitudinem ac imbecillitatem. Quamobrem perquam arctè adhærentes ſuffragio Antiquitatis Catholico, omniúmq; ſcriptorum, Pontificiorum pariter atq; Proteſtantium, examinemus iterum quam rationem habeat *Grotius* ut in exilium mittat *Johannem* in *Patmon* regnante *Claudio*. Expulſio enim *Judæorum* è *Roma* per *Claudium* multùm ſanè abeſt à demonſtratione, quòd *Johannes Patmon* miſſus ſit in Exilium.

Primò enim probare debuit *Grotius* per *Judæos*, Chriſtianos intelligi eo in loco. Neq; enim deſunt non contemnendæ rationes quibus inducamur credere *Judæos* non *Chriſtianos* hîc intelligendos eſſe. Primò, quòd Chriſtiani regnum ſupernum quærebant ac cœleſte, non ſublunare ac terrenum. *Judæi* verò iſtiuſmodi *Chriſtum Meſſiámve* qui eos Mundi Dominos reddere poſſet, veſano quidem modo affectabant, ac proinde ab illis ſolis periculum eſſe *Romæ* rectè ſtatui poterat, quippe quorum tumultus ad terrena reportanda ſpolia manifeſtò tendebant. Secundò, in *Actis Apoſtolorum* Edicti *Claudii* mentio fit tanquam ad *Judæos* ſolos pertinentis, *Aquiláq;* & *Priſcilla* ut *Judæi* (quòd Chriſtiani enim eſſent illo in loco, nè minima quidem eſt ſubindicatio) dicuntur à *Roma Corinthum* receſſiſſe. Tertiò, Edicti *Tiberii* adversùs Chriſtianorum Accuſatores recens recordatio, eam etiamnum in animis ſucceſſorum ipſius vim obtinere potuit, ut ſententia adeò dura contra ipſos tam citò non ferretur; præſertim cùm populus eſſent, ut dixi, quorum cogitationes ad cœlum anhelabant, minimè verò inhiabant rebus terrenis. Et poſtremò, nulli antiquorum *Claudium* unquam ob ullam Chriſtianis illatam injuriam culpaverunt, cùm tamen ſi in exilium miſſi fuiſſent, ipſéq; S. *Johannes* in *Patmon* relegatus (quod ſanè admodum ſeverum futurum fuiſſet ſupplicium, carníq; & ſanguini ipsâ morte paulò tolerabilius) proculdubio tantæ crudelitatis infamia ad poſteros per Eccleſiam tranſmiſſa fuiſſet, *Claudiúſq;* Perſecutoris inuſtam notam non effugiſſet.

Nec illa ſanè *Suetonii* verba, Claudius Judæos *impulſore* Chreſto *tumultuantes* Roma *expulit*, edictum probant ad *Chriſtianos* pertinere; ſed Decretum tantùm fuiſſe adversùs *Judæos*. Quis enim ullam vim ejus aſſertioni ineſſe putare poteſt, quaſi tumultuarentur *impulſore Chreſto*, cùm *Chriſtus* tunc in terris non viveret, multóq; minùs *Romæ*, quò *Judæos* cieret in tumultus? niſi fortè fieri poſſet ut *Judæi* per occaſionem à Chriſtianis offenderentur *Romæ*, omnéſq; in partes ſe moverent adversùs eos quòd talem agnoſcerent *Meſſiam* qui crucifixus erat, & de quo proinde nulla ſpes eſſet ut ipſorum propoſito inſerviret in recuperando libertatem eorum eóſq; cumulando mundanis opibus ac potentiâ. Quamobrem cùm has turbas excitarent *Judæi* de ſuo *Chriſto* ſive *Meſſia* adversùs *Chriſtianos*, incerta fama efficere potuit ut *Suetonius* iſtâ loquendi formâ uteretur; Hæc verò in *Judæorum* genium inſpectio movere *Claudium* ut Civitate eos expelleret, in gratiam fortè *Chriſtianorum* perinde ac propriæ ſecuritatis. Tantum abeſt ut hic locus *Suetonii* Edictum determinet ad Chriſtianos, ut *Oroſius* hanc de ipſo ſententiam tulerit: *Utrùm contra Chriſtum tumultuantes* Judæos *coërceri & comprimi juſſerit, an etiam Chriſtianos ſimul velut cognatæ Religionis homines, voluerit expelli, nequaquam diſcernitur.* Tam parùm conſtat *Claudium* ullo malo affeciſſe *Chriſtianos* per Edictum illud à *Suetonio* memoratum.

6. Verùm ſupponamus Decretum ad Chriſtianos etiam *Romæ* ſpectâſſe; equidem precaria planè ſuppoſitio eſt exiſtimare illud ad alias Imperii partes pertigiſſe. Et ſi ad alias partes Imperii pertigerit, non eſt tamen *ad certum locum relegatio*, ſed tantùm, quod ſuprà monui, *à certo loco Expulſio*; & talium ſolummodò, ut veriſimillimum eſt, qui tumultuarentur, aut à talibus ſaltem oppidis ubi tumultus excitare poſſent. Quod factum iri maximè omnium improbabile erat, ubi S. *Johannes* degebat. Cujus mite ac manſuetum Ingenium quemvis prudentem Præfectum meritò

invitare

invitare potuit ut eum retineret, ad magis pacificam rerum administrationem. Et tamen tam absona est hæc suppositio & absurda, ut hic solus sit qui tam duriter sit tractatus; nec cujusquam præterea exemplum producere possunt, temporibus *Claudii*, exulantis, cùm tamen omnes Apostoli proculdubio satìs studiosè incumberent suis muneribus fungendis ad Christianitatem propagandam in Imperio.

7. Cæterùm respondebitis, Testimonium hoc de *Claudio*, quòd *Judæos* Româ expulerit, cùm ei succenturiatum sit Testimonium etiam *Epiphanii*, qui *Johannem* affirmat *Patmon* missum esse in Exilium sub eodem Imperatore, istiusmodi duplicem funiculum esse qui facilè abrumpi non possit. Quod lubentiùs concederem si ullam vim haberent singuli, quippe quòd primum nullam habere satìs ostendi, idem effecturus in secundo.

Duo loci allegantur ex *Epiphanio*: Prior, *Hæres.* 51. sect. 33. ubi de S. *Johanne* loquens, sic scribit; Αυτὸς ὁ προφητεύσας, ἐν χρόνοις Κλαυδίου Καίσαρος ἀνωλάτω, ὅτε εἰς τὴν Πάτμον ἀπῆξεν, &c. Hæc verò verba non definitivè dicuntur de S. *Johanne*, tanquam si certò in *Patmo* esset regnante *Claudio Cæsare*, sed quòd in *Patmo* esset ibíq; prophetâsset. Quantùm verò ad tempus, ait, longissimè quàm fieri poterat, fuisse regno *Claudii*. Is enim sensus est vocis ἀνωλάτω, quòd maturius fieri non possit ut prophetaret exul in *Patmo*. Verùm non affirmat simpliciter eum *tunc* prophetâsse. Adeò ut laxior sit magísq; conjecturalis Affirmatio de tempore, solúmq; asserit ultimam esse distantiam intra quam putari potest prophetâsse, neutiquam interim negans quin tempus prophetandi serius esse possit, in regno putà *Domitiani*. Qua de re *Petavius* ità certus est, ut è regione Textûs qui habet [*Imperante Claudio*] brevem hanc Notam Marginalem scripserit, *mendosè pro Domitiano*, pro concesso habens *Epiphanium* magis definitivè locutum esse, quàm ego eum locutum credo; suspicórq; tum *Grotium* tum alios qui locum hunc in eundem finem cum illo citant, conscios fuisse ejusmodi sensûs vocis ἀνωλάτω quem ego innui, quod effecit, ut in Citationibus suis omitterent, ut quæ vim hujus Testimonii multùm enervatura esset.

Neq; ullum profectò argumentum est, *Epiphanium* dogmaticè definire de S. *Johanne* quòd prophetaret temporibus *Claudii*, quia si sic persuasus non esset, vulgarem secuturus fuisset opinionem, ut quæ commodior erat adversùs *Montanistas* qui veritati *Apocalypseos* derogabant propter Epistolam ad Ecclesiam *Thyatirensem*, quum illi *Apocalypsin* antè scriptam prætendunt, quàm ulla illîc esset Ecclesia: tunc enim quò serius scripta sit, eò factum fuisset melius. Supponendo verò Patrem incertum esse utrùm verum esset, nec satìs securum quin *Montanistæ* probare possint nè *Domitiani* quidem temporibus ullam *Thyatiris* Ecclesiam fuisse, ecquid verisimilitudinis erat ut precisè ad *Domitiani* regnum se alligaret potiùs quàm alterius, nec utrumq; potiùs declinaret, & ad aliud responsum se reciperet, quod & reverà facit? Videtur enim valdè adamare objectionem his circumstantiis vestitam, cùm eò usque, utì putat, Objectorem indè debellaverit, ut per suam ipsorum suppositionem ab eis extorquere posset S. *Johannem* Autorémve hujus *libri visionum* Spiritu Prophetico reverà fuisse præditum. Ἐὰν γὰρ εἴπωσιν, ἐκ ἦν νῦν ἐκκλησία εἰς Θυάτειρα, δεικνύσι πεπροφητευκέναι τὸν Ἰωάννην. *Nam si dicunt Ecclesiam in* Thyatiris *tunc non fuisse quando* Johannes *scripsit, planè declarant eum prophetâsse anteáq; significâsse mox futuram.* Quamobrem *Epiphanius* parum invenit rationis ex statu præsentis Controversiæ cur vulgarem potiùs opinionem eligeret, quàm quæ ipsi attribuitur ut propria.

8. Alter locus *Epiphanii* occurrit, *Hæres.* 51. sect. 12. ubi dicit S. *Johannem* impulsum fuisse coactúmq; instigatione Spiritûs sancti ad scribendum Evangelium, quum multùm, δι' ὑπερβολὴν τῆς ταπεινοφροσύνην, illud declinaret. Adactus tamen est illo impulsu etiam cùm grandævus esset, μετὰ ἔτη ἐννενήκοντα τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς, μετὰ τὴν αὐτοῦ ἀπὸ τῆς Πάτμου ἐπάνοδον τὴν ὅτε Κλαυδίου γεγονότος Καίσαρος. *Nonaginta ampliùs annos natus, post reditum ejus è* Patmo, *qui* Claudii *temporibus contigit.* Ubi mentio adjicitur reditûs illius è *Patmo* tanquam confirmatio grandævitatis Apostoli eo tempore.

Jam verò videamus quid operæ magnus hic testis & Historiarum diligentissimus Inquisitor (quemadmodum *Grotius* eum perinde appellat atq; *Petavium* qui tam apertè illi hac in re contradicit) docto huic Interpreti in præsenti controversia præstare possit. Hic enim locus, si qua vis fuisset in altero, eam penitùs obtundit, quippe qui *Epiphanium* ostendit Chronologiæ nullatenus diligentem (sicut *Alcazar* rectè etiam observavit) dum S. *Johannem* nonaginta ampliùs annos natum facit temporibus *Claudii*: cùm communis traditio Ecclesiæ sit eum admodum adolescentem fuisse quando suum iniit Apostolatum. S. *Hieronymus* Christum eum elegisse dicit cùm omninò Adolescens esset sive puer. *Baronius* viginti quinq; annos non ampliùs natum facit in *Passione Servatoris*. Scriptura ipsa etiam eum innuit valdè Juvenem fuisse

ex

ex eo quòd Chriſtus matri ait de *Johanne*, *Mulier, ecce filius tuus*, quod ſupponit eum ſaltem æquè juvenem fuiſſe ac Servatorem Chriſtum, quippe qui virgine natus eſt cùm omninò quindecennis eſſet, ſicut refert *Nicephorus* ex Epiſtola *Evodii* Epiſcopi *Antiochienſis*. Ex *Epiphanii* verò Chronologia S. *Johannes* viginti minimùm annis ætatem B. Virginis excederet; de qua tamen nihilominus Chriſtus ait *Johanni*, *Ecce mater tua.* Et quod adhuc funeſtius eſt, ſi *Johannes* nonaginta annos natus eſſet quando è *Patmo* rediit regnante *Claudio*, Nativitatem Chriſti quadraginta ferè annos retrò pelleret, longéq; ante *Cyrenium* Syriæ Præfectum eam conſtitueret: quandoquidem omnes homines *Johannem* æquè juvenem ſaltem credunt ac Servatorem ſi non multò juniorem.

Quæ abſurditates *Epiphanium* oſtendunt haud adeò magnum & irrefragabilem Teſtem in Hiſtoria, quàm *Grotius* eum facit. Ac proinde *Petavius* rurſus ſidenter in margine, è regione iſtorum verborum *Epiphanii*, ἐπάνοδον τὴν ἐπὶ Κλαυδίου γενομένην Καίσαρος. ſcribit, *Sub* Cocceio Nerva Johannes *revocatur ab exilio.* Quod proculdubio verum eſt, conſentítq; cum ætate quam *Epiphanius* aſſignat *Johanni* quando ſcripſit Evangelium. Nam ſi eum ſupponamus natum eodem tempore quo Servator, paulóve ſeriùs, hæc Evangelii ſcriptio in *Nervæ* annos incidet, erítve ſaltem paucis annis poſt *Domitianum*, quemadmodum videre eſt in Libris *Chronologicis*.

9. Cæterùm quamvis Teſtimonium *Epiphanii* validum hac in re admitteremus, idem *Epiphanius* qui teſtatur *Johannem* in *Patmo* fuiſſe imperante *Claudio*, teſtatur etiam eodem tempore exiiſſe. Quod, quemadmodum * ſuprà notavi, *Grotii* inſtitutum prorſus ſubvertit, utpote qui *Johannem* contendere debet *Veſpaſiani* temporibus prophetâſſe, alioqui actum omninò eſt de illius Expoſitione Capitis decimi ſeptimi *Apocalypſeos*. Credo autem me planè probâſſe nihil ex *Epiphanio* elici poſſe, ad *Grotii* opinionem ſtabiliendam, quandoquidem hæc Patris loca aut conjecturæ ſunt, aut inadvertentiæ, aut ſcribæ deniq; lapſus, qui nomen *Claudii*, ut videtur, magis promptè expeditéve ſcripſit, quàm duorum alterorum Imperatorum, quemadmodum apparere poteſt in ſecunda illa Citatione, ſiquidem *Johannes* reverà id ætatis erat quando è *Patmo* exiit temporibus *Cocceii Nervæ*, non autem *Claudii*. * *Sect.* 4.

10. Adeò ut nè unum quidem teſtem *Grotius* habeat ad ſuffulciendam novam hanc ſuam Inventionem. Et ſi unum hunc haberet, quid unus hic valet contra univerſum conſenſum *Antiquitatis* & *Eccleſiarum?* Immò verò quid eſt *Epiphanii* Teſtimonium ſi cum Teſtimonio conferatur vel unici illius Patris *Irenæi* qui ducentis annis propiùs à S. *Johannis* temporibus aberat quàm *Epiphanius*, quíq; expreſſim aſſerit apud *Euſebium*, quòd *Apocalypſis* S. *Johanni* communicata ſit ſub exitum regni *Domitiani*? Nam de nomine Beſtiæ loquens ſic ſcribit, Εἰ δὲ ἔδει ἀναφανδὸν ἐν τῷ νῦν καιρῷ κηρύττεσθαι τοὔνομα αὐτοῦ, δι' ἐκείνου ἂν ἐρρήθη τοῦ τὴν Ἀποκάλυψιν ἑωρακότος. ὁ γὰρ πρὸ πολλοῦ χρόνου ἑωράθη πρὸς τῷ τέλει Δομιτιανοῦ ἀρχῆς. *Si nomen Beſtiæ vulgò hoc tempore eſſet propalandum, ab eo utiq; dictum fuiſſet qui eas viſiones vidit quæ ſub uno Titulo collectivo vocatur* Apocalypſis. *Nam haud diu eſt ex quo ſunt viſæ, ſub exitum ſcilicet regni* Domitiani.

11. Nullus dubito quin hic horum verborum genuinus ſit ſenſus, nec de *Viſione ſolius Beſtiæ* loquatur ſub nomine *Apocalypſeos* ſed de toto *ſyſtemate viſionum* ità appellato: Alioqui diſtinctionis ergò dicturus fuiſſet, non quidem τὴν ἀποκάλυψιν ἑωρακότος, ſed τὴν αὐτοῦ ἀποκάλυψιν ἑωρακότος· præſertim cùm *Apocalypſis* notiſſimus tunc temporis eſſet hujus voluminis viſionum *Titulus*, ut omittam *nomen Beſtiæ* non viſum fuiſſe à S. *Johanne* ſed *Numerum Nominis* ejus. Ac proinde cùm *Latinum* exemplar habeat, *Antichriſti nomen per ipſum utiq; editum fuiſſet, qui Apocalypſin videret, neq; enim antè multum temporis viſum eſt*, facile credo [*viſum*] irrepſiſſe pro *viſa* per Scribæ oſcitantiam. Etenim niſi *Irenæi* interpres intellexiſſet [*qui Apocalypſin videret*] de toto *ſyſtemate viſionum*, non autem de *Beſtia ſola, ejúſq; nomine*, dixiſſet potiùs *Revelationem*, & in majorem cautelam [ejus] etiam addidiſſet, ad reddendum ſenſum diſtinctum magis & determinatum; *qui Revelationem ejus videret.* Et poſtremò ſi ſupponeremus Teſtimonium hoc ſolummodò probare viſionem decimi tertii capitis *Apocalypſeos* viſam fuiſſe ſub exitum regni Domitiani, (quod nè minima quidem ex parte mihi probabile videtur) *Grotii* inſtituto neutiquam tamen inſerviet, ſiquidem hæc decimi ſeptimi capitis viſio poſterior eſt tum *ordine poſitionis* in *Apocalypſi* tum etiam *ordine naturæ.* Cùm enim maximè perſpicua ſit viſio de *Beſtia ſepticipiti* & decacorni, quæ unquam S. *Johanni* exhibita eſt, cúmq; clavem in ſe contineat ad alteras rectè intelligendas, loco ultimo ſuccedere debet, quippe Commentarius naturaliter Textu poſterior eſt juxta communem omnium hominum ſenſum ac rationem.

12. Quamobrem

12. Quamobrem cùm nullum Argumentum produci poſſit, quod probet *Claudium* Chriſtianos perſecutum eſſe, multóq; minùs *Johannem* miſiſſe exulem in *Patmon*, *Domitianum* verò infamem fuiſſe Perſecutorem; cúmq; univerſa teſtetur Antiquitas S. *Johannem* in *Patmon* eo regnante miſſum eſſe exulem, ibíq; Apocalypſin recepiſſe, nihil eſt quod obicem ponere poteſt quò minùs concludamus totum harum viſionum volumen illîc ab eo ſcriptum fuiſſe ſub exitum regni *Domitiani*, quemadmodum affirmavit *Irenæus*; (quandoquidem ſecunda perſecutio non incepit ante annum decimum *Domitiani*) exitum autem intelligo regni ejus realis & indubitati poſtquam *Tito* fratri ſucceſſiſſet, non imaginarii illius in abſentia Patris, tunc enim reverà non erat Imperator. Et certè tametſi admitteremus bis regnâſſe, ſi regni exitûs mentio fiat in genere veluti hîc fit apud *Irenæum*, neceſſe eſt ut ſignificet aut totius temporis exitum quo regnaverit, aut exitum notabilioris ſui regni magíſq; confeſſi, qui idem planè eſt, ac proinde proculdubio hîc indigitatur; ità ut *Irenæi* Autoritas hoc artificio eludi non poſſit. Ut præteream, nullam Perſecutionem memorari toto regno *Veſpaſiani* factam, nullámq; proinde *Johanni Patmon*, & ex conſequenti nullam Prophetiam obtigiſſe; quemadmodum ſuprà notavi. Adeò ut nè minima quidem Probabilitatis ſpecies reliqua ſit, *Apocalypſin* ullo alio tempore ſcriptam fuiſſe quàm quo eam ſcriptam *Irenæus* declarat.

13. Ipſa etiam *Apocalypſis* in generali Præfatione omnibus viſionibus præfixâ, teſtimonium perhibet contra hoc inſomnium quòd *Johannes* in *Patmo* eſſet regnante *Claudio*. *Ego* Johannes *qui & frater veſter ſum & ſocius in afflictione & regno & tolerantia Chriſti Jeſu*, &c. quod planè arguit tempus fuiſſe maximarum anguſtiarum apud *Chriſtianos*, acerbæq; Perſecutionis. Quod tamen nemini contigit præterquam *Johanni*, ſi hoc contigerit temporibus *Claudii* ſaltem in *Aſia*, quibus Eccleſiis ſcribit.

Eſt autem & alius locus noſtro propoſito magis appoſitus, *Martyrium* intelligo *Antipæ Pergamenæ* Eccleſiæ Epiſcopi, qui paſſus eſt ſub *Domitiano* annum circa decimum illius regni. Cujus in Hiſtoria id notatu digniſſimum puto, quòd ſolicitaretur à Loci Præfecto ad renunciandum Chriſtianitati, quòd *Novitas* eſſet, urgendo in ipſum ὅτι τὰ πρεσβύτερα τιμιώτερα, ipſiſſimum argumentum quo Pontificii utuntur ad ſeducendos modernos *Antipas* ſive *Antipapiſtas*. Id verò quò collineo hoc eſt; Quòd Martyrii *Antipæ* mentio in principio hujus libri viſionum tanquam rei præteritæ, planè oſtendit omnes viſas fuiſſe poſt initium ſecundæ Perſecutionis, quæ erat ſub *Domitiano*, & viginti ampliùs annis poſt excidium *Hieroſolymæ* per *Titum*. Nam de ipſo tempore Martyrii *Antipæ* nulla ſubeſſe poteſt dubitatio, cùm illius mentio in *Apocalypſi* facta Eccleſiam obligaret hujus Martyris memoriam haud vulgari diligentiâ ac curâ conſervare. Nec poſſunt quidem ulla Poſt-figmenta de Martyrii circumſtantiis modóve, fidem Eccleſiæ de tempore ſuſpectam reddere. Tam ſolida undiquaq; certitudo eſt quòd viſionum *Apocalypticarum* volumen *Johanni* traditum ſit in *Patmo* ſub exitum Regni *Domitiani*, evidentiáq; ex omni parte tam demonſtrativa, ut *Scepticum* eſſe oporteat ad delirium uſq; qui poſt debitam rei penſitationem de ea poſſit dubitare.

14. Cujus veritatis Evictionem tam copioſè ſedulóq; elaboravi, propterea quòd non ſolùm omnes *Grotii* interpretationes decimi tertii & decimi ſeptimi Capitis ſolo æquat prorſúſq; ſubvertit, ſed & omnes illius expoſitiones *ſeptem Sigillorum*, *ſeptémq; Tubarum*, & ex conſequenti totius Libri *Apocalypſeos*. *Sigilla* enim & *Tubas* interpretatur de rebus quæ multis annis ante hanc Prophetiam contigerant. Quod tam bellum *Apocalypſeos* ſenſum reddit quàm ſi *Prædictio* eſſet *rerum præteritarum*, cùm tamen totius libri Præfatio vel potiùs Titulus expreſſim ſic ſe habeat, *Apocalypſis* ſive *Revelatio Jeſu Chriſti quam dedit ipſi Deus ut indicaret ſervis ſuis*, ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει, *quæ oporteat fieri citó*. Attamen ſecundùm *Grotii* Interpretationem *Sigillorum* & *Tubarum*, quæ præcipua pars eſt Prophetiæ, ut & prælii *Michaëlis* cum *Dracone* multarúmq; aliarum viſionum, Titulus ſic ſe habere deberet, *Revelatio Jeſu Chriſti quam dedit ipſi Deus ut indicaret ſervis ſuis, quæ haud ità pridem facta ſunt.* Quæ res cùm tam Ænigmaticè deſcriptæ ſint, tanquam ſi ipſi in animo eſſet occultare ea, quæ in lucem ediderant manifeſti eventus, Titulus magis propriè ſic inſtitui poſſet, *Obvelatio* ſive *Obſcuratio*, quàm *Revelatio*. Tam fœcunda eſt vel una abſurditas ſemel admiſſa ad multas alias progignendas propagandáſque.

CAP.

CAP. III.

1. Grotium, *ut* Parachroniſmum *admiſit in aſſignando tempore harum viſionum, ità & Interpretationes feciſſe perinde abſurdas & incongruas.* 2. *Quàm abſq; omni ratione ſit numerationem inire* ſeptem Capitum *à* Claudio, *& deſinere in* Domitiano. 3. *Antiquorum Patrum Cæcutientia qui* Domitianum, Beſtiam eſſe quæ erat & non eſt, *diſcernere non poterant, qui infinito ferè propinquiùs ei adſtabant quàm* Grotius. 4. *Quàm frivolum falſúmq; ſit hoc illius commentum.* 5. *Secunda, tertia, quartáq; Abſurditas* Grotianæ *Expoſitionis hujus decimi ſeptimi Capitis.* 6. *Abſurditas quinta, ſexta, ſeptima & octava.* 7. *Nona, decima, undecima, & duodecima.* 8. *Decima tertia, decima quarta, decima quinta, & decima ſexta Abſurditas hujus Expoſitionis.*

1. QUamobrem cùm Fundamentum Expoſitionum *Grotii* tam falſum ſit & vacillans, taléq; quod non poſſit ſi duriùs prematur non ſubſidere, nec ſtructura quidem poteſt eſſe ſolida, nec bene formata, ſed coacta, diſtorta, & deformis. Nam ſi Prophetiæ eis perinde temporibus quadrant quò non collineant, atq; eis ad quæ pertinent, tam invincibili profectò obſcuritate obnubilabuntur, ut & utilitatem ſuam omnem perdituræ ſint & Autoritatem.

Demonſtrabimus igitur, quemadmodum *Grotius* falſum poſuit Fundamentum, ità omnes ejus *Expoſitiones* horum Capitum *decimi ſeptimi* & *decimi tertii*, perinde duras eſſe & inapplicabiles, viámq; Regiam eum reliquiſſe, pérq; vepres foſſáſq; prorupiſſe, omniáq; evulſiſſe ſepimenta, ut florum faſciculum colligat & malè olentium, ſtatímq; marceſcentium in manibus etiam dum eos colligit.

2. Suppoſito igitur quòd decimi ſeptimi & decimi tertii Capitis viſiones S. *Johanni* impertitæ ſint temporibus *Veſpaſiani* (quod tamen nullus dubito quin falſiſſimum ſit) brevem hanc faciamus perluſtrationem Aſperitatum atq; Incongruitatum Interpretationis à *Grotio* factæ.

Ut primò, Cùm ſeptem Capita Beſtiæ ſeptem Imperatores faciat, quorum quinq; cecidiſſent tempore *Veſpaſiani*, nempe *Claudius*, *Nero*, *Galba*, *Otho* & *Vitellius*; dico me jam oſtendiſſe nullam omninò eſſe rationem cur computum ineat à *Claudio*, ſiquidem neq; *Johannes* in exilium miſſus eſt eo regnante, nec is tam malus Imperator erat quàm Anteceſſor ejus *Caius Caligula*, nec Eccleſia decem Perſecutiones commemorat tanquam ante *Neronem* inchoatas, nec ulla facta eſt querela de *Neronis* ſucceſſoribus ante *Domitianum*, quò hi iſtiuſmodi capita ſint Blaſphemiæ præ reliquis Imperatoribus. Unde abſq; omni ratione res eſt planéq; fictitia, ut quis aſſerat quinq; ſolummodò Capita præceſſiſſe *Veſpaſianum*, cùm is decimus eſſet à *Julio Cæſare*, & è ſucceſſoribus duos tantùm aſſumat, *Titum* & *Domitianum*, cùm triginta ſaltem ei ſucceſſerint, quorum temporibus octo Chriſtianorum Perſecutiones contigerunt.

3. Quem curtum mancúmq; Computum *Grotius* nullâ aliâ ratione excuſare poteſt, quàm quòd tam commodè in ſortem cedat *Domitiano* ut ſit *Beſtia quæ erat & non eſt & tamen eſt*, quippe qui Imperator *fuerat* in abſentia Patris, *non erat* quando impertita eſt hæc viſio, & tamen *erat*, nempe in rerum natura, & *rurſus aſcenſurus erat ex abyſſo*, hoc eſt, Imperator rurſum futurus poſt Patris Fratríſq; *Titi* obitum. Hoc eſt in quo *Grotius* tantoperè ſibi applaudit in magnam ſanè antiquorum Patrum ignominiam, qui cùm adeò immani quanto propinquiores erant temporibus *Domitiani* quàm *Grotius*, non potuerunt tamen hanc Prophetiam in eo impletam diſcernere: quæ proinde, ut videtur, ſemper inutilis erat Eccleſiæ, cùm nullus rei ipſis facta ſit præmonitio.

4. Sed ut liberè noſtram ſuper hoc Commento proferam ſententiam; videtur equidem mihi ſupponere quòd *ſpiritus Prophetiæ* prædictionem affectet rerum *bellularum* potiùs quàm ponderoſarum & *utilium*. Verùm quemadmodum jam ex *Chronologia* demonſtravi ſuppoſitionem temporis hujus viſionis eſſe falſam (quo peculiare fulcrum & commendabilitas Interpretationis funditùs ſubvertitur) ità multæ in ea ſunt Inconcinnitates defectúſq; etiam in *Hiſtoria*, nihílq; omninò ineſt quod non durum ſit & ſuſpectum.

Primùm enim, negabo *Domitianum* Imperatorem reverà unquam fuiſſe temporibus patris, ſed præfervidum tantummodò fuiſſe juvenem & actuoſum, *terminóſq;*

ætatis, quod & *Veſpaſianus* pater conquerebatur, & *conceſſa filio egreſſum eſſe*; quod facere potuit nec tamen Imperator eſſe, ut & eo Titulo ſalutari, per enormem Civilitatem hominum Adulatorum: Civilis verò ſalutatio, nulla in Imperatoriam Poteſtatem eſt Inauguratio, alioqui *Titus* etiam Imperator factus fuiſſet tempore patris, quem Milites in Excidio *Hieroſolymitano* univerſali Acclamatione gratulatoriâ ſalutârunt Imperatorem. Immò verò *Memphide* in *Apis Ægyptiaci* conſecratione diadema geſtavit. Magníq; rumores erant & ſuſpiciones quòd Orientalem Imperii partem contra patrem occupâſſet. Nimis prolixa res eſſet me in Hiſtoriam induere; nullus verò dubito, quin locis omnibus comparatis, *Titus* Imperator æquè inventus erat temporibus patris atq; *Domitianus*, multóq; forſan magìs, aptiórq; proinde perſona quæ *Beſtia ſit quæ erat & non eſt*, hoc reſpectu, quàm *Domitianus*. Neutri verò apti, cùm neuter eorum reverà Imperator eſſet ante patris obitum.

Præterea, planè extra viam ſtyli Prophetici eſt Perſonam ſingularem *Beſtiam* appellare, quæ eo ſtylo *Corpus Politicum* ſemper ſignificat. Et dein dicere, quòd non *eſt* quia *non eſt Imperator*, vix quidem verum eſt. Elegánſq; illa contradictio [non eſt & tamen eſt] ſic expoſita, ac ſi *homo* ſit quamvìs *non* ſit *Imperator*, non eſt niſi ſurda & diluta Oppoſitio ſi cum ea conferatur quæ in noſtra Expoſitione occurrit, ubi oſtendo *Imaginem Beſtiæ*, *Beſtiam eſſe* & tamen *non* eſſe *Beſtiam*. Non potuerunt autem dicere tempore *Veſpaſiani*, nec ipſius *Domitiani* tempore, *Domitianum* & *Imperatorem* fuiſſe & *non Imperatorem* ſimul.

Et poſtremò, *Aſcenſio ejus ex Abyſſo*, Phraſis prophetica eſt, idémq; ſignificat atq; *è mari aſcendere*, ſive è multitudine aquarum, quod corporibus *Politicis* propriè competit, ut quæ ex hominum multitudinibus conſiſtunt. De *perſona* verò *ſingulari* rectè non dicitur, non certè magìs quàm *Beſtia*, ſtylo putà Prophetico.

5. Secundò, Interpretatio Angeli de *Capitibus Beſtiæ*, eſt, quòd tot ſint Reges, quorum, inquit *Grotius*, *Domitianus* eſt octavus, ὥστε ὄγδοός ἐστιν, *Is octavus Rex eſt*. Quocirca *Domitianus* planè & inevitabiliter caput *octavum* eſt, ſecundùm Interpretationem *Grotii* (quæ omnium horum Regum naturam unam facit ac congenerem) & antecedentem Angeli expoſitionem quæ rejici non poteſt. Unde ſequitur Beſtiam *octo* habere capita, quod univerſis Beſtiæ viſionibus quæ eam ſemper *ſepticipitem* exhibent, ex diametro repugnat.

Tertiò, Et tamen *Grotius Domitianum* Beſtiam ipſam etiam facit. Quod impoſſibile eſt, ut una eadémq; res & Beſtia integra ſit & Caput Beſtiæ. Præterea, quàm durus & coactus ſenſus eſt, vel potiùs quàm ab omni omninò ſenſu aliena eſt Interpretatio quæ *Claudium*, *Neronem*, *Galbam*, *Othonem*, *Vitellium*, *Veſpaſianum*, & *Titum*, *Domitiani* Capita faciat, cùm omnes illi Poteſtate, utpote ſummâ, eſſent Pares; *Domitianus* utiq; cum reliquis illis ſeptem antecedentibus *Cæſaribus*, qui & deſiverant eſſe quando ille erat Beſtia, quíq; proinde impoſſibile eſt ut illius eſſent ſeptem Capita?

Quartò, Quàm veſanum Commentum eſt, decem cornua hujus unius, ſive hominis ſive Beſtiæ, *Domitiani*, poſt aliquot ſecula quàm eſſe deſiviſſet, capiti inſerere, quemadmodum alibi *Grotium* feciſſe notavi, qui decem hæc cornua *Oſtrogotthos*, *Viſigotthos*, *Vandalos*, *Gepidas*, &c. eſſe ſtatuit? Equidem *Domitianum* ex Inferis reſuſcitari oportet quò rurſum in terris vivat (ſicut nuperus quidam Interpretator *Apocalypſeos* imaginatus eſt) ut hæc pars Prophetiæ ullatenus illi competat. Unde Expoſitionis *Grotianæ* Enormitas plenè detegitur, quæ abſq; adeò incredibilium fabularum adminiculo ſuffulciri non poteſt.

6. Quintò, *Beſtia quæ erat & non eſt*, ea ipſa Beſtia eſt cui Meretrix inſidere dicitur, ſicut patet ex Textu, *Beſtia quam vidiſti fuit & non eſt*, & Meretrix ei Beſtiæ quam *Johannes vidit*, inſidebat. Meretríxne igitur (quam *Grotius Romanam* Dominationem interpretetur) eques *Domitiani* temporibus tantùm facta eſt, in antecedentibus verò & ſubſequentibus ſeculis ſemper incedebat pedes?

Sextò, *Beſtiam* quam vidit *Johannes*, *Grotius*, primò, interpretatur *Idololatriam Romanam Paganicam*. Verùm enimvero adeóne brevis ævi erat hæc Beſtia, ut ſeptem Imperatorum regni ſpacio illius vita concluderetur? vixítve hæc Beſtia tam longo tempore ſine ullis capitibus, dein verò cum *ſeptem capitibus* continuatim ſuccedentibus, & rurſus deniq; longo tempore ſine capitibus ullis, quò Beſtia cum ſeptem omninò Capitibus rectè appelletur?

Septimò, Idololatriam *in abſtracto* Beſtiam appellare à ſtylo Prophetico prorſus alienum eſt; unámq; & eandem Beſtiam nunc *Idololatriam* facere, nunc *Domitianum*, eſt certè *Accidentia* in *ſubſtantias* mutare & *ſubſtantias* viciſſim in *Accidentia*, loquíq;

quíq; repugnanter expreſſæ ipſius Angeli interpretationi, qui ait, *Beſtia quam vidiſti fuit & non eſt*, quæ juxta rationes *Grotianas*, nullus eſſe poteſt præter *Domitianum*. Nec quærendum eſt ullum ſubterfugium hoc caſu in *Henopœia* ſecundaria. Illa enim Figura nullum Receptaculum eſt *Imperitiarum* & *Tergiverſationum* ab *Abſtractis* ad *Concreta* in eodem genere, ſed Repoſitorium commodum rerum diverſarum eodem Typo ſignificatarum; ſicut facile eſt intelligere ex eis quæ ſuper eo ſchemate declaravimus.

Octavò, ſi *Domitianus* Beſtia ſit *Meretrixq*; Poteſtas *Romana*, *Romana* tunc Poteſtas *Domitiani* dorſo inequitat, ac ſi *Domitianus* Caput non eſſet ſed Corpus Imperii. Vel ſi mavis, transformatus eſſet per mirificam hanc Interpretationem in Aſinum *Apuleianum*, cui *Romana* Poteſtas inſideat. Sed enimverò cùm *Domitianus* Poteſtatis Romanæ Princeps ſit, hac quidem ratione ſibi ipſi eum inequitare oportet, talémq; *Centaurum* conſtituere, qualem nullus vel profundiſſimi ingenii Poëta unquam ſomniaverit.

7. Nonò, ſi *Meretrix* ſit *Romana* Poteſtas *Paganica*, quomodo dici poteſt mater Fornicationum, pérq; poculum ſuum Reges terræ iſtoc Improbitatis genere intoxicâſſe, cùm univerſa Terra antequam Imperium Chriſtianum factum ſit, ſuâ ſponte Idololatræ eſſent, multóſq; Idololatriæ modos ipſi *Romæ* ſuppeditarent? Quam objectionem nec *Grotius* ipſe nec quiſquam alius, omnibus ſuis technis ſcitíſq; inventiunculis, unquam poterit diluere.

Decimò, Inſcriptio hæc in frontem *Meretricis Babylonicæ*, *Babylon magna mater illa ſcortationum*, non poteſt intelligi de *Roma Ethnica* prout vult *Grotius*, quoniam ipſi præfixum eſt [*Myſterium.*] Quod valdè puſillum profectò eſſet Myſterium, ſi nuda eſſet *Synecdoche*, nihílq; aliud ſignificaret quàm *Romam* Paganicam alteram eſſe *Babylonem*. *ὦ βάθος, O Myſterii Profunditatem!*

Undecimò, Decem illa regna quæ *Grotius* inſinuat *decem* eſſe *cornua*, Regna intra fines Imperii Romani (utì ille loquitur) non erant ante Imperii Converſionem ad Chriſtianitatem, immò verò ante illius ſubverſionem diſcerptionémve in multa Regna; quomodo igitur poterant hi Reges vires ac poteſtatem ſuam tradere *Beſtiæ*, non dicam *Domitiano* qui longiùs ab ipſis remotus eſt, ſed & *Idololatriæ Romanæ Paganicæ*, quæ ante tempus hoc *diſcerptionis*, Imperii Religio eſſe deſiverat? Quomodóve dici poſſunt *carnem Meretricis comedere ipſámq; igne exurere*, cùm Civitas *Romæ* Meretrix *Paganica* antè eſſe deſiviſſet quàm hi Reges exiſterent, multóq; priùs quàm impugnata eſſet per *Totilam* & exciſa, quod factum eſt Anno 547. cùm *Gentiliſmus* è contrà ejectus eſſet, Templáq; ipſorum & Idola diruta circa Annum 399. ei anno proximum, quo (ſecundùm falſam Diaboli conjecturam ex ſupputatione Rationis *interioris* Atrii Templi ad *exterius* factam) ab Ethnicis expectabatur ut *Chriſtianitas* ſupremum efflaret halitum? Apoc. 17. v. 16.

Duodecimò, Quomodo decem iſti Reges quos *Grotius* profert, dici poſſunt, ſecundùm illius ſenſum, cum Agno pugnare, hoc eſt, pro *Idololatria* Romana *Paganica* contra *Chriſtianitatem*, cùm Imperium jam factum ſit Chriſtianum, nec *Beſtia* illa *Paganica* eſſet cui vires ac poteſtatem ſuam commodarent contra Evangelii Prædicationem? Nunquid veriſimile erat ut iſtiuſmodi Reges decem qui hoſtes eſſent Chriſtianitatis, intra fines, quod ait *Grotius*, Imperii *Romani Romanis* ipſis concedentibus regnarent? Adeò undiquaq; impoſſibilis eſt de decem Cornibus hæc *Grotii* Interpretatio. Apoc. 17. 14.

8. Decimotertiò, Deſtructio hæc *Babylonis* perfecta eſt *παμπληθεία*, plena ac finalis deſtructio, projectione Lapidis molaris in medium mare illuſtrata. Nemo autem ex decem Regibus *Grotii*, Romam ad hunc modum unquam deſtruxit vaſtavítve.

Decimoquartò, Exhortatio illa ad Populum Dei ut exirent ex *Babylone*, nè peccatorum illius fiant participes, nullum bonum ferre ſenſum poteſt temporibus *Totilæ*. Númnam enim vult Angelus univerſos Chriſtianos Civitatem *Romæ* relinquere in Anno 546. à multíſq; retrò Annis versùs tempora Conſtantini, quòd nonnulli inter eos etiamnum eſſe poſſent Idololatræ Paganici, & non potiùs in Civitate manere, quò meliùs Idololatriam ſupprimant penitúſq; extinguant, nec eam ſinant proſerpere per cordatiorum ſinceriorúmq; Chriſtianorum abſentiam? Equidem hoc gloſſema *Grotii* valdè ridiculum eſt & incredibile, quod Angelum facit tam abſonam adhibere Exhortationem.

Decimoquintò, ſi [Exite ex ea populo mi nè participes ſitis peccatorum ejus] ſic ſonet, quemadmodum *Grotius* interpretatur, *Tu populo mi, ubi apparuerit* Totilæ *exercitus, exite ad Baſilicas Apoſtolorum extra urbem*; conſequens erit, ut revertiſſe

tisse rursus in Civitatem postquam *Totilas* abiisset, reverti fuisset rursus in *Babylonem*, ejúsq; denuò peccatorum participes fieri. Quod commentum est valdè vanum ac ineptum.

9. Postremò, Ut interpretetur istam Instigationem [*Reddite ei sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate ei duplum*, &c.] tanquam *Totilæ* factam atq; *Gothis*, durum est & ab omni ratione alienum. Quam enim injuriam *Roma* intulerat Gothis? Quinimò Imperium ab ipsis potiùs injuriam est passum. Ac proinde *Grotius* memor quàm malè pronomen ὑμῖν suæ Interpretationi inserviat, *Manuscripto* cuidam applaudit, quod pronomen illud omiserat, quanquam profectò haud admodum canorè, quippe cui reliqua exemplaria universa contradicunt. Sed ὑμῖν abest in MS. non malé.

CAP. IV.

1. *Necesse esse ut visionum* Parachronizatio Grotium *in consimiles Absurditates in interpretando capite decimo tertio conjiciat; Expositionémq; primi versûs illius novem decémve Absurditatibus laborare.* 2. *Quatuor crassæ Repugnantiæ in secundo.* 3. *Incongruitates totidem sive vacillationes in tertio;* 4. *Quemadmodum & in quarto quintóque.* 5. *Duæ Absurditates in sexto & septimo;* 6. *Totidem in octavo.* 7. *Tres difficultates in Expositione versûs decimi.* 8. *Quinq; Incongruitates in undecimo.* 9. *Crassa Interpretatio versûs duodecimi.* 10. *Quatuor Absurditates in decimo tertio.* 11. *Octo Incongruitates sive vacillationes in expositionibus versûs decimi quarti.* 12. *Tres in decimo quinto.* 13. *Tres quatuórve adhuc in decimo sexto & decimo septimo.* 14. *Novem deniq; in versu decimo octavo.* 15. *Stupenda consideratio Absurditatis* Grotianarum *Expositionum cum Ingenii dotibus ac eruditione ejus comparatæ.* 16. *Perquam utilis à misello hoc* Grotii, *in hoc genere, specimine Illatio;* Omnes nempe Pontificiorum Expositiones in hæc duo Capita supra modum frivolas esse & incredibiles.

1. TOT quidem *Incongruitates* & *Incompetentiæ*, nè dicam *Impossibilitates* & *Contradictiones*, inventæ sunt in *Expositione* hujus Capitis *decimi septimi.* Videamus jam quàm bellè ipsi res successerit in *decimo tertio.* Ubi cùm eandem libertatem sibi assumpserit applicandi vaticinia temporibus, de quibus nunquam intelligenda erant, mininè profectò mirandum est si Interpretationes reperiamus perinde duras & incongruentes. Percurramus igitur totum Caput à versu ad versum. Ubi,

In versu primo, *Bestiam septicipitem & decacornem* Idololatriam facit *Romanam*, cujus *Capita* sint septem Montes, cujúsq; *Cornua* Reges decem, nempe, *Armeniæ*, *Thraciæ*, *Galatiæ*, *Ponti*, *Judææ*, *Arabiæ*, *Adiabenæ*, *Sueviæ*, *Alpium Cottiarum*, & *Alpium Idionni.* A quo computo tamen in secundis Notationibus variat. De quibus omittam quicquam amplius notare, quàm quòd Reges tam [1] pusilli quàm istorum quidam sunt, præsertim si cum Imperio conferantur *Romano*, nomen Cornuum ipsius rectè mereri non possint, ídq; minùs ratione *Idololatriæ*, [2] acsi tam peculiares illius essent Defensores; nulla enim Historia commemorat quenquam adeò speciatim ac notabiliter illius causâ ab his cornubus impetitum ac vulneratum, ipsáq; *Judæa* cornu videtur admodum incongruens Capiti Idololatrico. Præterea [3] Diadematum gestatio nimis magnificum est ornamentum pro eorum statu qui Tributarii erant Imperio Romano, ut quorundam taceam peranguśta Territoria. Adeò ut inventio hæc de decem Regibus, videatur haud parùm elumbis ac languida, ipsúmq; vaticinium sic expositum inutile, ut quod nullius rei notitiam Ecclesiæ affert, quæ ipsi ullo tempore in ullum usum inserviat.

Jam verò quantùm ad Bestiam ipsam; Præterquam quòd [4] non sit secundùm stylum Propheticum *Bestiam* interpretari de *vitio* sed de *corpore Politico*, quomodo per eam repræsentari potest [5] *Romana* Idololatria, cùm dicatur ascendere ex mari, quod & ipse *Grotius* confitetur significare, *ortum habere? Romana* verò *Idololatria* à *Johanne* præfigurari non potuit tanquam res postea surrectura, cùm per multa secula in mundo jam fuisset, & etiamnum duraret. Quamobrem non [6] inceptura erat cum quadraginta duobus mensibus futuris, nec cum eisdem desitura secundùm sensum

ſenſum *Grotii.* Nec *Cæſarum* quidem *Deificatio* novam conſtituit Idololatriam, non certè magìs quàm aliorum Numinum in ſuam Religionem aſſumptio. Nec 7 durabat *illa* Idololatria non niſi quadraginta duos menſes, prout *Grotius* hoc loco menſes exponit. Nec *Romana*, inquam, Idololatria, nec Crudelitas durabat non niſi menſes quadraginta duos, ac proinde *Beſtia* hîc deſcripta non poteſt eſſe Idololatria ferino more ſæviens eo ſenſu quam innuit *Grotius.*

Quibus omnibus addas, Quòd *ſeptem capita ſeptem montes Romæ* faciat, valdè improbabilem eſſe expoſitionem; tum quòd in præcedenti capite *Capita hæc* dicuntur 8 *diademata geſtare*, quod montibus ſanè non competit, 9 unúmq; ex ipſis in hoc capite 13. *vulnerari* & *ſanari* rurſus, quod æquè parum profectò competit inanimis hiſce Terræ cumulis: tum etiam quòd admodum abſonum ſit 10 ſeptem Capita decémq; cornua *ſenſu concreto*, Beſtiæ, quod *abſtractum* ſit, inſerere. Quod æquè diſſentaneum eſt, ac ſi quis corpus Tauri ruffedinem faceret in *abſtracto*, ſolidúmq; dein ei caput & cornua inſereret ex duris oſſibus ac carne, &c. Si quis adeò curioſus eſſe velit ut computum ineat, inveniet ſanè Interpretationem *Grotii* Novem minimùm decémve vacillationibus vel incongruitatibus in hoc ipſo primo verſu laborare. Sed pergimus.

2. In ſecundo, Corpus quidem Beſtiæ hujus Pardo ſimilis *Claudium* facit, *Domitianum* verò Os ejus. Quo nihil quidem eſſe poteſt à ratione alienius. *Beſtiam* enim hanc *ſcpticipitem* & *decacornem*, etiam capite decimo ſeptimo, *Romanam* agnoſcit *Idololatriam.* Unde conſequens eſt, 1 *Claudium* & corpus eſſe Beſtiæ & unum ex capitibus, 2 *Domitianum* verò & corpus & caput & os, quemadmodum apparet ex eis quæ præcedenti capite notavimus. Præterea, quod æquè durum eſt atq; quodvis aliud, cùm *Claudius* corpus Beſtiæ ſit, *Domitianus* verò os ejus, 3 corpus per tot annos ore carebit quot interceſſerunt *Claudii* Regnum inter & *Domitiani*, quod ſpacium erat annorum circiter quadraginta. Quòd 4 Draco etiam Poteſtatem ſuam Beſtiæ dederit atq; Thronum, de *Romana Idololatria* vaticinium eſſe non poteſt, quaſi ipſa tunc reciperet, quippe quòd illud multa ante ſecula factum ſit.

3. In tertio, *Caput Beſtiæ lethaliter vulneratum* Capitolium facit, ejúſq; ſanationem Reædificationem ejus per *Veſpatianum*, cujus etiam in Nummis impreſſum eſt, *Roma reſurges.* Jam verò dico primùm, 1 duram eſſe Metaphoram de ligneo lapideóve ædificio dicere, quòd lethaliter vulneratum ſit, poſteáq; ſanatum. Sed Capitolium ponamus vulneratum, 2 Mons ipſe non erat læſus, ſaltem non vulneratus lethaliter. Adeò ut niſi ſeptem perinde eſſent Capitolia atq; Colles ſeptem, admodum ægrè ſe cuiquam commendabit hoc commentum. Verùm ſi *Capitolium* mittas, & ad *Collem* te recipias, Collis certè vulnerari magìs dici non poteſt, quàm caput hominis cùm piléus ſolummodò inciſus ſit. Porrò, Res præcipua ad quam collineat *Grotius* in interpretando cæſum hoc caput de *Capitolio*, non eſt vera. 3 *Idololatria* enim non omninò imminuta eſt Capitolii lapſu, nec *Romanorum* metus erat nè Idolorum cultus ſtatim poſt ipſum lapſurus eſſet, ſed nè Imperium vaſtaretur ſeptentrionalium gentium Incurſionibus, & ob hanc rationem omen illud *Veſpaſiani* Nummis inſcriptum eſt, *Roma reſurges.* Et poſtremò, ubi dicitur, *& admirata eſt univerſa terra poſt Beſtiam*, ex lethali vulnere ſanato, manifeſtum eſt rem aliquam 4 mirabiliorem hîc intelligendam eſſe quàm *Capitolii* reædificationem. Adeóne enim res mira erat, & quæ totum mundum attonitum reddat, ut Capitolium à tam opulenta Civitate totiúſq; Mundi ferè Domina reædificaretur? Equidem ſi reædificatum non fuiſſet, id demum omnium maximum futurum fuiſſet miraculum.

4. In quarto, Interpretatur προσεκύνησαν τῷ θηρίῳ *Idololatriæ inſervierunt*, ac ſi ſcriptum fuiſſet προσεκύνησαν εἰδωλολατρείᾳ, *Idololatriam adoraverunt.* Quæ dura admodum locutio eſt atq; abſona.

In quinto, Hîc *Domitianus* os Beſtiæ fingitur, ut ſuprà dixi, regnúmq; Beſtiæ ei attribuendo, 2 tota quidem Beſtia; ídq; fit propterea quòd perſecutio *Domitiani* ſupponitur non excedere tres annos & dimidium. Perſequi enim incepit, inquit *Grotius*, anno decimo tertio regni ſui, & occiſus eſt decimo ſexto. 3 Hoc verò non probat illius perſecutionem durâſſe tres annos omninò & dimidium. Et *Baronius* aliíq; Chronologi initium ejus perſecutionis, anno Regni ſui decimo conſtituunt. Præterea 4 Textus non ait, Perſecuturam eſſe tres annos & dimidium, ſed tamdiu manſuram. Sic enim ποιῆσαι μῆνας τεσσαρακονθα δύο, hoc loco ſignificat. Vide Jac. c. 4. v. 13. *Domitianus* verò in Imperio manſit plus annos tres & dimidium, regnavit enim ſexdecim annos, ipſo confitente *Grotio.*

5. In

5. In ſexto ſeptimóque, *Domitianum* etiamnum Beſtiam facit, exponítq; [& data eſt ei poteſtas in omnem tribum & linguam & gentem] de vi exempli ejus ad impudentiorem uſum Idololatriæ. Hoc unum effugium eſt. Alterum verò hoc; Quòd *Dacæ*, *Catti*, & *Sarmatæ* illius regno victi ſint, Romanáq; eo pacto Idololatria propagata; ac ſi illa deterior eſſet Idololatria quàm iſta Barbarorum. Penès quemlibet verò judicium eſto, an tam laxus ſenſus ac improprius mentem explere poſſit Prophetiæ, quæ de [1] *Politica* loquitur, non de *Morali* potentia in Nationes, déq; re tanquam [2] nova. Quòd autem *Romanum* Imperium tam amplam haberet Dominationem, in regnis antecedentium Imperatorum perinde verum erat atq; in illius, nempe ut poteſtatem haberet in omnem tribum, &c.

6. In octavo, Hîc Beſtiam facit, quam omnes (quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ) adorant, in una quidem Expoſitione, *Domitianum*, & [1] adorare ipſum, eſſe Idololatriam ejus ac crudelitatem imitari, qui ſenſus eſt admodum inſipidus & ſine exemplo in hoc caſu, talíſq; cui ipſe minimè confidit. Ac proinde in ſua Poſt-expoſitione, *Domitianus* non eſt Beſtia ſed Idololatria, ac ſi [2] adorare Idololatriam Locutio eſſet paulò tolerabilior. Verùm neceſſe eſt hujuſmodi alternationes eſſe partiúmq; quaſi in ſella dimotitationes, quando Interpretatio tam incommodè inſidet Textui quàm hîc facit.

7. In decimo, Siquis gladio occiderit oportet eum gladio occidi. Hoc applicat *Domitiano* qui à *Stephano* confoſſus eſt. Videtur autem maximè [1] conſentaneum ut abductionis in Captivitatem comminatio & occiſionis gladio, eódem ſpectare intelligantur. Ac proinde cùm abductio in Captivitatem de *Domitiano* non intelligatur, ut nec occiſio gladii ad eum referatur; ſed ut vaticinium ad corpus Politicum pertineat non ad perſonam ſingularem. Nam [2] Patientia Fidéſq; Sanctorum videtur etiam innuere ampliorem virtutum ſuarum exercendarum campum quàm qui trium annorum & dimidii terminis contineatur; quemadmodum & intimatio [3] eos liberatum iri à calamitatibus & ærumnis, poſtquam hæc Beſtia devicta ſit. Quòd ſi *Domitianus* illa Beſtia ſit, nè minima quidem earum pars ab illius obitu præteriiſſe cenſenda eſt, cùm non pauciores quidem quàm octo graviſſimæ perſecutiones eos adhuc manerent. Nè ſuggeram majorem Chriſtianos tolerâſſe afflictionem *Neronis* temporibus quàm *Domitiani*, quem ideo *Tertullianus* portionem Neronis tantùm appellat. Ac proinde tunc maximè exercebatur *Fides* ac *Patientia* Sanctorum. Quod porrò oſtendit quàm precaria ſit quámq; ſine omni ratione hæc *Grotii* Expoſitio.

8. In undecimo, Hîc *Beſtiam cornua duo ſimilia Agni habentem*, Artem facit Magicam, ipſáq; duo cornua *abſtinentiam à Cibis*, & *Caſtitatem* ſive *abſtinentiam à Mulieribus*, Quas ille vult Imitationes eſſe *Chriſtianitatis* ac proinde *Agni cornua* appellari. Quòd verò *Beſtia loquitur ut Draco*, eâ quidem re ſignificari, quòd in honorem Diaboli ſit quicquid loquitur. In qua Interpretatione hæc ſunt vitia; Primùm, quòd Beſtia *Ars* ſit, non autem corpus Politicum, quod Styli Prophetici legibus planè adverſatur. 2. Quòd *Cornua virtutes* ſimulatitiæ ſint non poteſtates *Politicæ* in hominibus aliquibus collocatæ, qui genuinus ſenſus eſt *cornuum* in ſtylo Prophetico, quíq; priùs inveniendus eſt quàm ullus alius ſenſus ſecundarius Typo adjungendus. 3. Cœlibatûs votum, Ciborúmq; Abſtinentia tantùm abeſt ut ſint Characteriſticæ virtutes *Chriſtianitatis* ut ab ea prorſus abhorreant tanquam partes ſignáve magnæ illius Apoſtaſiæ quæ occupatura eſſet Eccleſiam. 4. Mira videtur ſubindicari in hujus Beſtiæ ingenio repugnantia ac contrarietas, ut, cùm ſpeciem *Chriſtianam* adeò referret, loqueretur tamen ut *Diabolus*: Quòd ſi hæc Beſtia *Magia* eſſet, mirum certè eſſet ſi non loqueretur linguâ Draconis. Poſtremò, Tempora quibus *Grotius* hanc Prophetiam affigit, *Domitiani* ſcilicet & *Trajani*, commento huic minimè conveniunt, cùm hi Imperatores *Magiæ* fautores omninò non eſſent, priórq; ejus potiùs perſecutor, adeóq; illius ipſius *Apollonii* quem *Grotius* ſpeciatim indigitari cenſet in hoc vaticinio.

9. In duodecimo, Quòd *Beſtia bicornis poteſtatem prioris Beſtiæ omnem in conſpectu ejus exerceat*, per hoc ſignificari vult, *Magiam* etiam ſua perinde habere ſacrificia atq; *Idololatriam*. At verò *Magia* quanquam ſacrificia habebat, *clandeſtina* tamen erant, utpote quæ erant tam execrabilia atq; horrida. Sæpéq; *Philoſtratus* huic rei incumbit ut *Apollonium* purget ab hac ſuſpicione. Quod argumento eſt *Magiam* haud ità in propatulo horrendorum ſuorum ſacrificiorum uſum habuiſſe quàm hic Textus innueret, ſi *Grotii* Interpretatio vera eſſet. *Plinius ſacra prodigioſa* appellat, narrátq; hanc hominum mactationem Senatûs decreto ſublatam fuiſſe, hoc Epiphonemate *Romanam* Rempublicam impertiens, ob tam præclarum

Hiſtor. Natur. lib. 30. cap. 1.

Senatûs-

Senatûs-Conſultum. *Non ſatis æſtimari poteſt quantum Romanis debeatur qui ſuſtulêre monſtra, in quibus hominem occidere religioſum erat, mandi verò etiam ſaluberrimum.* Atq; hæc proculdubio illa propriè *Magia* eſt quæ diſtinguebatur ab *Idololatria Paganica* propriè ſic dicta, taliſq; erat quam *Romana* Idololatria ſuam Poteſtatem in conſpectu ejus exercere nullo prætextu pati voluerit. Neq; ullam hujuſmodi poteſtatem exercebat *Apollonius*, qui cùm *Pythagoreus* eſſet ab omnibus cuicuimodi ſacrificiis cruentis abhorrebat.

10. In decimo tertio, Interpretatur *eductionem Ignis de cœlo*, de fulgure quod in *Apollonii* Nativitate contigit, déq; coruſcatiuncula luminis quam *Achillis* umbra edidit in deceſſu poſt *Apollonii* noctu ad ſepulchrum cum ea colloquium. Quæ admodum frigida eſt Expoſitio. Cur enim fulgur illud quod in *Apollonii* Nativitate contigit, imputaretur ei tanquam effectum *Magiæ* illius, [1] qui tunc nec *Magiæ* nec alîus cujuſquam Artis erat capax? Ut omittam natum fuiſſe ante hoc vaticinium, quemadmodum & ipſe *Grotius* ex propria ſua Computatione neceſſariò debet admittere & agnoſcere; ob [2] quam ipſam ideo rationem, Interpretatio eſt planè impoſſibilis. Illa luminis etiam coruſcatiuncula quam *Achillis* umbra in ſuo deceſſu edidit, ut ſit eductio ignis de cœlo, omninò eſt incredibile. [3] Illa enim ſcintillatio Luminis fuit in terra ubi erat umbra, nec cœlitùs delapſa, ſed prope terram emiſſa; ut omittam in [4] ſecreto factum fuiſſe, quemadmodum conſtat apud *Philoſtratum*, non autem ἐνώπιον τῆς ἀνθρώπων, in propatulo ſive in conſpectu hominum.

11. In decimo quarto [*dicens incolis terræ ut imaginem faciant Beſtiæ*] ille interpretatur de *Apollonio* gloriante ſe *Achillis* umbram excitâſſe in gratiam *Idololatriæ*. Quis autem unquam expoſuit ποιῆσαι εἰκόνα (quod eſt Imaginem, Picturam, Statuámve facere) umbram excitare? Suppoſito enim quòd εἰκὼν ità ſignificet ut *umbra* Latinè, (cujus tamen auſim dicere nullum extare exemplum) ποιῆσαι εἰκόνα nihilominus ſenſus eſſet ſatis profectò ineptus, quandoquidem Evocationes *Magicæ* hujuſmodi umbras non faciant, ſed faciunt tantùm ut nobis ante oculos appareant. 2. Non dicturus fuiſſet ποιῆσαι, quod utplurimum nihil ampliùs ſignificat quàm ποιεῖν, ſed πεποιηκέναι, ſi gloriatio eſſet de re aliqua jam facta, non autem Præceptum Mandatúmve faciendi aliquid. 3. Si ſenſus eſſet λέγων πεποιηκέναι, dictum etiam fuiſſet ad ſenſum commodius continuandum in verſu proximo, ᾧ ὅτι ἐδόθη ἀυτῷ δοῦναι, quemadmodum quivis agnoſciturus eſt qui totius ſententiæ contexturam obſervaverit. Poſtremò, Cùm *Achillis* Umbræ Evocatio facta ſit ad revivificandam Beſtiam quæ lethalem plagam acceperat, ſicut *Grotius* innuit, hæc ſanè cum antecedente ſua expoſitione digladiatur, quæ plagam hanc in reædificando Capitolio ſanatam affirmat. Nec intelligi certè poteſt hæc ſanatio naturaliter de ulla alia plaga præter eam qua de primùm facta eſt mentio, quámq; Beſtia in pugna acceperat cum *Michaële*.

Grotius verò de aptitudine hujus Expoſitionis diffidens, poſt ſecundas cogitationes alteram excudit addítque, nempe, Diſcipulos *Apollonii* feciſſe, ut *Statua* ipſi erigeretur. Verùm ſi hoc ſit ποιῆσαι εἰκόνα θηρίῳ, *Apollonius* reperietur ſepticeps illa Beſtia, quandoquidem Imago illi erigitur. 2. *Grotius* nullam profert Hiſtoriam quæ teſtetur Magos quoſdam diſcipulos *Apollonii* hujuſmodi Mandatum dediſſe. 3. Illa locutio [*dicens incolis terræ*] majus quid ſonat quàm pro mandato privato quorundam diſcipulorum *Apollonii*, ſingulari oppido paucíſve in eo perſonis dato. Poſtremò, Res eſt equidem admodum jejuna unam ſingularem *Statuam Idololatriæ* dicatam notare, cùm innumeræ jam eſſent in Imperio Romano.

12. In decimo quinto [*datúmq; eſt ei ut animaret imaginem Beſtiæ ut etiam loquatur Imago Beſtiæ*] hoc interpretatur de confabulatione *Apollonii* cum umbra *Achillis*, vel de ſuæ Statuæ loquela. Suppoſito autem Statuam ejus locutam eſſe (quod tamen *Philoſtratus*, qui hoc ſibi onus impoſuit, ut multis itinerationibus ſedulíſq; inquiſitionibus cognoſceret ubi ſepultus ſit *Apollonius*, nuſquam commemorat) non ſtatim illud *Magiæ* imputandum eſt, cùm illa *Idolorum* garrulitas ſæpiùs notata ſit in Hiſtoria abſq; ulla iſtiuſmodi criminatione. 2. Imago illa quæ hîc dicitur loqui, dicitur etiam præcipere, ut quicunq; non adorârint Imaginem Beſtiæ, occidantur. Nullum autem extat teſtimonium ejuſmodi Edicti aut ab *Achillis* umbra aut à *Statua* Apollonii, ut ii qui non adorârint Imagines eorum, occidantur. 3. Quòd ſi adoratio Imaginis Beſtiæ intelligatur de univerſalitate Imaginum ſive Idolorum; præterquam quòd valde durum eſt atq; abſonum certum ſenſum hujus vocabuli mutare in quo ter antea uſurpatum erat, illud præterea probatione caret, quòd aut Statua *Apollonii* aut *Achillis* ſpectrum unquam præceperit, ut ii qui imagines in genere non adorârint, occidantur.

13. In

13. In decimo ſexto & decimo ſeptimo, καὶ ποιῶ πάντας, videtur maximè naturaliter dici de imagine Beſtiæ in verſu præcedenti, de qua dictum eſt, ἵνα ποιήσῃ, quæ aut umbra *Achillis* erat aut *Statua Apollonii*; hîc tamen derepentè *Magiæ* intelligitur, quod durum quidem eſt effugium. Verùm hæc *Magia* ipſa eſt quæ facit ut omnes omnium ordinum homines alicui religioſæ ſodalitati ſe adjungant, & in illius rei argumentum characterem recipiant inuſtum hujus vel illius Numinis, fulmen putà pro *Jove*, folium hederaceum pro *Baccho*, caſſidem pro *Marte*, & *Tridentem* pro *Neptuno*; aut nomina deorum ſuorum, numerúmve nominibus comprehenſum, alioquin ut nec liceat eis aut emere aut vendere.

Ad hæc verò reſpondeo, Characterem obſignatorum (cap. 7.) non eſſe viſibilem puncturam ſive ſtigmatiſmum, ac proinde nec veriſimile eſſe ut in libro tam ſymbolico quàm ſit *Apocalypſis*, Character Beſtiæ tam craſsè & literaliter intelligatur. 2. Hæ Fraternitates ſive ſodalitates, *Magiæ Apollonii* operâ, *Trajani* temporibus non ſunt factæ, cùm à longo antè tempore in uſu fuiſſent. Poſtremò, non eſt credibile, nec ex ulla Hiſtoria probari poteſt, nullum Paganum potuiſſe emere aut vendere niſi ſacrum aliquem in Corpore geſtaret ſtigmatiſmum. Tam inadæquata eſt támq; omnem citra rationem hæc Interpretationis *Grotii* pars.

14. In decimo octavo, *Vlpium Trajanum* eum facit ad quem Numerus 666. pertineat; ſed citra, immò verò contra omnem rationem. Eſt enim pura puta illius hallucinatio quòd exiſtimet Numerum intelligendum eſſe de cujuſcunq; hominis Nomine, quippe quòd expreſsè dicitur, *Nomen eſſe Beſtiæ:* Omnémq; occaſionem tollit *Ribera* ullius hoc genus erroris, interpretando [*Numerus enim hominis eſt*] juxta mentem *Aretæ*, (aut ſaltem juxta quod putavit illius mentem pariter fuiſſe oportere atq; ſuam) alio planè ſenſu; *Numerus enim proprius hominis eſt, & intellectum habentis & ratiocinantis eſt numerare.* 2. Si Numerus hominis eſſet, cùm aſſignaretur ut nota unius cujuſpiam inſigniter improbi & Eccleſiæ injurioſi, cur *Trajano* in ſortem cedat, cùm Imperatores eſſent illo longè deteriores, vel potiùs cùm is adeò benignus eſſet Imperator, nec tam crudelis Chriſtianorum perſecutor quàm alii, ſed talis qui facilè deſiſtebat, poſtquam rectè de ſtatu rerum monitus eſſet, qui tantâ apud Chriſtianos exiſtimatione fuit, ut cœleſtibus gaudiis eum poſt mortem fruiturum tandem arbitrarentur, quíq; apud Paganos partem fauſtæ illius acclamationis Senatûs ad *Cæſares* ſuos explebat, *Felicior* Auguſto, *melior* Trajano? 3. Qualis hic ſaltus eſt, ſeptem Beſtiæ capita univerſa præterire, unúmq; eligere, qui per totum hoc tempus in ſcena non apparuerat? 4. Illud etiam valdè infirmum eſt & ſuſpectum, quòd Numerus in Prænomine non autem in Nomine obſervetur. 5. Multò verò adhuc deterius eſt, quòd malè inſtituatur computatio. Nam proculdubio in Οὐλπιος, quomodocunq; ſigma finale ſcripſeris, cùm etiamnum ſigma ſit, nullum alium habiturum eſt valorem quam 200. unde ſumma Nominis erit, non quidem 666. ſed 860. ut cuilibet conſtare poteſt, cui adlubeſcit computare. Nam quòd Sigma etiam in fine poſitum ſignificet 200. manifeſtum eſt in Νεῖλος, Ἰησοῦς, Λαλῆνος, multíſq; aliis exemplis. Hoc equidem veriſſimum eſt nec ullo evitari poteſt ſubterfugio, quemadmodum *Mareſius*, *Grotii* adverſarius, plenè contra ipſum demonſtravit, ut certè ubiq; ferè eum debellat devincítque, quanquam *Grotius* interim ſatìs præter decorum eum contemnit & in lutum ſub inurbano illo ſordidóq; nomine *Borboritæ* proculcat. 6. Character, Nomen & Numerus ad unum eundémq; pertinent. Quamobrem ſi Numerus *Trajani* ſit, Characterem illius etiam eſſe oportet. Nemóne verò emere aut vendere potuit niſi qui illius Characterem in manibus haberet frontibúſq; inuſtum? 7. *Hîc ſapientia eſt, qui intelligentiâ præditus eſt computet Numerum Beſtiæ*, illiuſmodi Præfatio eſt, quæ aliud Numerationis genus innuat, quàm ſimplicem collectionem Numeralium literarum Nominis in unam ſummam. 8. In quem finem poſitus eſt hic Numerus 666. quo denotetur *Vlpius Trajanus* Imperator, cùm in nullius unquam mortalis mentem venerit eum hîc ſignificari, antequam *Grotius* hunc ſcopum & attigit & aberravit ſimul? 9. Et poſtremò, ſi Οὐλπιος in ſe 666. præcisè contineret, (ut planiſſimè 860. præcisè continet,) ſequeretur quidem, hoc nulli fore obſtaculo quò minùs *Trajanus* illa prior eſſe poſſit Beſtia in viſione ſecundùm Expoſitionem *Grotii*. At verò ſimul recordari oportet quòd *Domitianum* antea fecerat hanc Beſtiam atq; *Claudium*; adeò ut *Beſtiarum Triumviratus* una tantùm ſit Beſtia. Sed his tribus variationibus non contentus & Idololatriam præterea eam facit in *Abſtracto*. Quod craſſum profectò peccatum eſt adversùs *ſecundam* noſtram *Regulam* rectè interpretandi Prophetias. Tam infinitis modis coacta & diſtorta, immò precaria prorſus aut ſibi ipſi repugnans perpetuò eſt horum duorum Capitum Apocalypſeos *Grotiana* Interpretatio.

15. Cujus

15. Cujus quidem rei conſideratio ſæpè me attonitum reddidit, ut Virutiq; tam mirandis Ingenii dotibus ac eruditione præditus, támq; utì ego ſemper ſperabam, ingenuus, in ullo hoc genus ſpecimine ſibi unquam ullatenùs placeret. Atq; equidem plus hæreo in inveſtiganda causâ hujus infelicis Erroris in quem incidit, quàm ullius Phænomeni in Natura, quod cogitationes meas unquam exercuit. Nam ut rem ſeriò egiſſe exiſtimem in hac expoſitione ſinceréq; dixiſſe ſententiam, nota ejus in aliis rebus peritia atq; acumen mihi non permittit. Nec patitur ſanè illa Ingenuitas & Integritas quam ei ineſſe ſemper putavi, ut ſuſpicarer eum ſcientem volentémq; ex ſtudio partium, falſa procudiſſe gloſſemata verúmq; ſenſum adulterâſſe Oraculorum Dei: cùm nihil profectò ſit, meo judicio, magis abominandum, quàm ut quiſpiam, quem Deus præclaris ingenii dotibus, doctrinæq; copiâ, ac bonâ apud homines exiſtimatione locupletaverit, hiſce omnibus utatur adversùs largitorem, & ut *Factionis* commodis inſervire poſſit, Chriſti Regnum tanto incommodo afficiat, ut veritates vel maximi momenti quæ eò pertineant, datâ operâ abſcondat ab hominibus, illóſq; claritatis ſui nimiùm celebrati Nominis ſplendore, oculos inter dictáſq; veritates interpoſito, ſtudeat occæcare.

16. Sed nolo nimis curioſus eſſe circa rem cujus profundum aſſequi non poſſum. Id quod è re noſtra magis eſſet conſiderare, hoc eſt, Cùm *Grotius* ſcilicet eximio ingenio doctrinâq; vir, adeò in Hiſtoria verſatus, tanto zelo ſtudióq; ad commodum harum viſionum ſenſum in gratiam Eccleſiæ *Romanæ* concinnandum percitus eſſet, ut in eum finem libertatem ſibi aſſumeret (etiam contra univerſum Antiquitatis conſenſum) in ea irruendi tempora quæ ſuo inſtituto maximè accommoda putaret, & tamen poſt hæc omnia, tam miſerum ac incongruum artis ſuæ ſpecimen ediderit, quanquam proculdubio, propriâ ſuâ ſententiâ, multò præſtantius quàm quicquam eorum quæ Eccleſia *Romana* pro ſeipſa antea procudiſſet, quòd utiq; manifeſtum ſit partim hinc, ab ipſius nempe *Grotii* Judicio, qui novo hoc Invento omnes præcedentes Expoſitiones antiquavit & condemnavit, & partim ex noſtra multifariarum Incongruitatum &, ut ità dicam, Impoſſibilitatum Expoſitionis illius obſervatione, nullam extare Interpretationem contra principalem ſenſum Proteſtantium, quæ non ſupra modum infirma ſit ac frivola, prorſúſq; incredibilis & impoſſibilis. Immò quidni auſim etiam dicere, nec ullas in poſterum excudi poſſe aut excogitari, quæ non ſtatim omninò falſæ deprehendantur & incongruæ?

CAP. V.

1. *Noviter inventæ Interpretationis* ſeptem Capitum Beſtiæ *ſcopus*; *ut vim nempe Demonſtrationis noſtræ lib.* 1. *cap.* 11. *deſcriptæ eludat.* 2. *Summa illius demonſtrationis propoſita.* 3. *Hujus novæ Interpretationis brevis Propoſitio.* 4. *Argumenta quibus hæc Interpretatio funditus ſubvertitur.* 5. *Plures eódem ſpectantes Refutationes.*

1. QUod nè temerè affirmare videar, novum quoddam hujus generis ſpecimen non inelegans ſanè nec inargutum, in quod haud ità pridem incidi, in medium producam, quod ſtatim atq; examinatum fuerit, non dubito quin falſum ac abſurdum ſis deprehenſurus. Eò autem præcipuè collineat, ut vim demonſtrationis eludat quæ occurrit lib. 1. cap. 11. ubi manifeſtò evinco *Meretricem* quæ Beſtiæ inequitat *quæ erat & non eſt & tamen eſt*, *Romam* eſſe non quidem *Paganicam* ſed *Pontificiam.*

2. Quod breviter ſic effeci, Probando, 1. Beſtiam ſepticipitem decacornem Romanum eſſe Imperium, quatenus, vel quamdiu, vel quibuſcunq; temporum viciſſitudinibus ſit *Idololatricum*, & nunquam aliás. 2. Deinde *ſeptem Capita* ſeptem eſſe genera ſummorum Magiſtratuum, ſed *Idololatrica* univerſa, temporibus *Idololatriæ* Imperii commenſurata præciſéve conjuncta. 3. *Caput* deniq; *ſextum* Imperatores eſſe *Paganicos*, ipſúmq; hoc caput eſſe quod dicitur *lethaliter vulnerari*, ut & Beſtia cum ipſo interimi, & ceſſare exiſtere. Unde duo hæc manifeſtò promanant Conſectaria.

Conſectarium primum.

Cùm nihil utiq; ſit in univerſa Hiſtoria quod præfiguretur per cædem hujus Beſtiæ Capitiſq; ſexti lethalem vulnerationem præter Imperii Converſionem ad Chriſtianitatem ſucceſſionémq; Chriſtianorum Imperatorum in locum Paganicorum; *cúmq; ſucceſſio hæc atq; converſio Præfigurationi Propheticæ ad amuſſim reſpondeat, liquidò hinc conſtare, quòd Chriſtiani Imperatores ſexto capiti immediatè ſuccedant, fuitq; proinde* Rex ſeptimus, *qui breve tempus dicitur manſurus*, Beſtiáq; quæ erat, non eſt & tamen eſt, *ſtatim ſucceſſura, cujus caput* Rex octavus *ſit, & tamen* Caput Beſtiæ ſeptimum, *utpote qui futurus ſit* Idololatricus.

Conſectarium ſecundum.

Unde neceſſariò ſequitur, Meretricem Babylonicam *quæ inequitare dicitur* Beſtiæ quæ erat, non eſt & tamen eſt, *non quidem eſſe* Romam Paganicam *ſed* Pontificiam, *utpote quæ ſub Paganicis* Cæſaribus *Beſtiæ non inequitat, ſed* Beſtiæ *in* vitam *exiſtentiámq; rurſus reſtitutæ (utì & nomen ipſius indicat) ſive* Beſtiæ ſanatæ reſuſcitatæve *in* vivam Imaginem *Imperii Paganici Idololatrici, poſtquam Chriſtianum factum eſſet, puréq; Chriſtianorum* Cæſarum *ſucceſſio exiiſſet, quæ breve tantummodò tempus erat duratura.*

3. Hæc eſt Demonſtrationis noſtræ ſumma dicto loco uberiùs deductæ, quam nova hæc, quam dixi, Interpretatio eludere conatur ad hunc modum. Etenim cùm negari non poſſit quin *ſeptem capita Beſtiæ, ſeptem* ſint ſummorum *Magiſtratuum genera* non *Perſonæ ſingulares ſeptem*, hæc etiam Interpretatio, primùm, admittit vel potiùs ſupponit ſeptem ſucceſſiones non quidem *Perſonarum ſingularium*, ſed *ſummorum Magiſtratuum* aliquo modo diſtinctorum, *ſextúmq; caput Beſtiæ* ſtatuit *Cæſarum* ſucceſſionem ab *Auguſto* ad *Diocletianum*, ſolitariè, hoc eſt, abſq; ullis ſibi conjunctis Collegis regnantium, quem ſtatum *Cæſarum* durâſſe innuit ad Annum Chriſti 282. ubi *Diocletianus* regnum init aſſumpto ſtatim Collegâ *Maximiano*. Deinde ſeptimum Caput eſſe Imperatores, ſocios Imperii Collegáſve habentes, à *Diocletiano* ad Annum Chriſti 306. quod intervallum haud ampliùs 24 annos continet, ut *Caput ſeptimum* vel *Rex ſeptimus* breve tempus durare rectè dicatur. *Octavum* deniq; *Caput* ſive *Regem Octavum* eſſe Imperatores *Arianos*. Quod certè Inventum iis, qui quodlibet credere malunt quàm *Romam Pontificiam* eſſe *Idololatricam*, ingenioſum meritò videri poteſt. Quàm verò falſum ſit ac imbecillum, multis argumentis facile eſt demonſtrare.

4. Etenim ut præteream, hiatum eſſe, ſeptimum inter octavúmq; caput; vel id ſolum, quòd *octo* Capita faciat hæc Interpretatio, manifeſtò evincit illius falſitatem, ſiquidem apertè id repugnet Textui, qui ſeptem tantùm Capita Beſtiæ ubiq; aſſignat.

Deinde, Planiſſimè conſtat ex eis quæ ſcripſimus, (lib. 1. cap. 11. ſect. 11.) ſextum eſſe Caput ſub quo *Beſtia* lethaliter vulnerata eſt & ad *Non-exiſtentiæ* ſtatum redacta. Nullus autem hujuſmodi ſtatus Imperio obtigit ſub ſucceſſione Imperatorum ſingularium ſive ſolitariè & ſine Collega regnantium, nempe ante *Diocletianum*. Quamobrem horum ſucceſſio ſextum Caput eſſe non poteſt.

Porrò, Beſtia *quæ erat & non eſt & tamen eſt; plena* dicitur nominibus *Blaſphemiæ*, hoc eſt, *Idololatriæ*; Imperium verò *Arianum* factum, non erat plenum *Idololatriis*, cùm unâ illâ tantùm infectum eſſet Idololatriâ, quòd Chriſtum cultu colerent religioſo, tametſi verum eum non arbitrabantur eſſe Deum. Ut omittam, cùm reverà Deus eſſet, quæſtionem profectò eſſe an propriè dicti cenſendi ſint *Idololatræ*, utpote quorum cultus religioſus legitimum offendebat objectum, quanquam id factum ſit *caſu* potiùs, quàm *conſilio*, debitâve rei agendæ peritiâ.

Præterea, *Beſtia quæ erat & non eſt & tamen eſt, Imago Beſtiæ eſt.* Imperium verò *Arianum* factum, qualis ea, obſecro, *Beſtiæ* Imago eſt, quæ unicum tantùm illius lineamentum habet, illúdq; gracile admodum & evanidum? Compara *Arianam* hanc Beſtiæ Imaginem cum illa quæ deſcripta eſt lib. 1. cap. 17. et tunc dic mihi quænam ex duabus vera demum illius ſit Imago. Si vel unum ξύλον ἄνθρωπον cultu religioſo colere, *Imaginem Beſtiæ* in Imperio conſtituit, quid facturæ ſunt tot defunctorum hominum in Imperio *Pontificio* cultæ multitudines!

Rurſus

Rurſus, Si Imperium *Arianiſmo* infectum, Imago ſit Beſtiæ, ubinam erat illa *Beſtia bicornis* quæ miracula edidit coram hominibus, fecítq; ut ignis de cœlo deſcenderet modo ſpeciali præ cæteris ac mirabili, ad inſtaurandam *Beſtiæ Imaginem?*

Ad hæc, Si Imperium infectum *Arianiſmo* Beſtia ſit inſtaurata, *Romana Eccleſia Meretrix* erat quæ ipſi inequitaret. Cur autem *Romana Eccleſia* Meretrix hæc cenſeri debeat potiùs quàm ulla alia Eccleſia, cùm multæ aliæ Eccleſiæ *Arianiſmo* majorem in modum laborarent quàm *Romana*, (quæ non niſi unum eis temporibus apud Hiſtoricos notatur Epiſcopum habuiſſe *Arianum*,) ego certè non video.

Denique, Beſtiæ inſtauratæ data eſt Poteſtas agendi menſes quadraginta duos, Imperium verò factum *Arianum* non ſic manſit tam pauxillo tempore, nec ad annos 1260. ſive ad tempus, tempora & dimidium temporis ſic duravit.

5. Atq; hæc ſanè Argumenta ſufficere poſſunt ad tam lepidum commentum penitùs ſubvertendum, quanquam rationes aliæ plures ſuppetunt ſi cui liberet expatiari. Opportunè enim hîc quæri poteſt de hujus Beſtiæ inſtauratæ Synchronis, *ſex* ſcilicet *Tubis*, quomodo contemporent Imperio facto *Ariano?* Et quænam ſit *ſeptem Phialarum* in Meretricem *Arianam* effuſio? Cúrve *Arianæ Meretrici* inſcriptum fronti ſit μυςήριον, cùm *Arianiſmus* aperta eſſet maturéq; damnata Hæreſis, nec Myſticum quicquam affectaret, ſed à magis reconditis potiùs abhorreret Myſteriis? Adde, Meretricis ſedem ſeptem *Romæ* montibus affixam eſſe, *Arianiſmum* verò rem fuiſſe vagam, & in *Oriente* plus viguiſſe quàm in *Occidente*; Repetitámq; toties Imperatorum *Arianorum* & *Orthodoxorum* ſubalternationem non tam bellè convenire cum *una* illa Capitis Beſtiæ lethaliter cæſi plaga. De *Magia* etiam & *Incantamentis* Eccleſiæ *Arianæ* quæri poteſt aliiſq; pluribus, ſed plus ſatìs jam dictum eſt in re tam facili ac comperta. Et tamen novum hoc inventum in medium proferre haud abs re fore duxi, ut clarè pateret, quibus auſpiciis quiſquam ulla excuſurus ſit Interpretamenta quæ interpretationi tam firmis validíſq; vaticiniorum interpretandorum rationibus ac fundamentis innixæ adverſentur, quámq; facile ſit, denſo ea argumentorum imbre ſtatim atq; apparuerint, obruere & confodere.

CAP. VI.

1. Co-expoſitionis *noſtræ* Conſectarium *primum*, *veritatiſq; illius probatio.* 2. *Secundi* Conſectarii *utilitas magna ad pacem & ſecuritatem Eccleſiæ.* 3. *Determinata Notio* Longi *ac* Brevis. 4. *Veritatis hujus* Conſectarii *demonſtratio.* 5. Conſectarium *tertium*, *quartum*, *quintum*, *ſextúmque*, *cum ipſorum probationibus.* 6. *Demonſtratio* Conſectarii *ſeptimi*, *quámq; ſpecialem uſum habeat ad Orbis Chriſtiani pacem.* 7. *Conſectarium* octavum *cum illius probatione.* 8. Conſectarium *nonum cum copioſa veritatis ejus demonſtratione.* 9. *Veritas decimi* Conſectarii, *quòd Proteſtantes liberat à ſchiſmate*, *clarè demonſtrata.* 10. Conſectarii *undecimi probatio.* 11. *Probatio utilitáſq; inſignis* Conſectarii *duodecimi.* 12. *Quàm clarè apertéq; illa pars* Antichriſtianiſmi *quæ in* Idololatria *conſiſtit*, *in his viſionibus præfigurata ſit ac prædicta*, *in* Co-expoſitione *noſtra ſatìs explicatum eſſe.*

1. QUamobrem cùm omni ex parte Adverſarios profligaverimus campóq; expulerimus, ſatíſq; de vero ſenſu horum duorum capitum *Apacalypſeos* facti ſimus ſecuri, quandoquidem nihil in *Expoſitione* noſtra diſtortum ſit coactúmve, ſed omnia juxta ratas Interpretationis *Propheticæ* rationes in quatuor illis *Regulis* quas poſuimus, juxtáq; notiſſimum ſymbolorum in *Alphabeto Prophetico* memoratorum ſenſum formata ſint ac delineata; pauca nunc demum, ſed quæ admodum ponderoſa ſint, *Conſectaria*, aut partim inibi contenta, aut ſaltem neceſſariò è perpetua *Co-expoſitionis* dictorum capitum firmitudine emanantia, obſervemus ac deſcribamus, ut primùm,

Conſect. 1.

Quòd quadraginta duo menſes, per quos duratio Beſtiæ ſepticipitis & decacornis, *poſt cæſi capitis curationem, præfiguratur, dierum menſes non ſunt, ſed Anni* 1260.

Hoc neceſſariò ſequitur ex *Co-expoſitione* noſtra, in qua clarè demonſtravimus, *Beſtiam cujus plaga lethalis curata ſit, Beſtiámq; quæ erat, non eſt & tamen eſt*, unam & eandem abſolutè & adæquatè eſſe Beſtiam, ac eandem propterea neceſſariò habere durationem. Duratio autem *Beſtiæ quæ erat & non eſt & tamen eſt*, non poteſt eſſe per menſes 42 *literaliter* intellectos. Oportet igitur eos *Symbolicè* ſignificare, exponíq; debent de menſibus *Annorum*, quemadmodum Annorum Hebdomades apud *Danielem* exponuntur. Jam verò quòd duratio 42 menſium *literaliter* intelligi non poſſit de Beſtia *quæ erat & non eſt & tamen eſt*, hinc eſt manifeſtum, quòd
Apoc. 17. 10. de *Rege ſeptimo* dictum ſit, quòd oportet illum *breve tempus manere*. Quæ debet peculiaris illius eſſe proprietas & diſtincta tum à proximè antecedente, tum à proximè ſubſequente Rege. Quod innuit utroſq; illo diutiùs manere oportere. Et tamen ille brevis *ævi Rex* centum circiter annos ad minimum manſit, prout apparere poteſt ex Hiſtoria, ulteriúſq; demonſtrabitur in ſequenti *Conſectario*. Unde neceſſe eſt, ut Beſtia quæ erat & non eſt, plus *tres annos ac dimidium maneat*, immò verò plus
Vide Myſt. Piet. l. 5 c. 15. ſect. 2. annos centum. Quos, cùm menſes quadraginta duo minimè apti ſint ſignificare, manifeſtum eſt per menſes hos, annos 1260 intelligi oportere. Quod erat demonſtrandum.

Conſect. II.

Quòd Eccleſia libera erat ab Idololatria & Antichriſtianiſmo uſq; ad quadringenteſimum ferè à Chriſto nato Annum.

2. Inſignis hæc certè eſt veritas, magnóq; propugnaculo contra ferocem multarum Sectarum Fanaticarum impetum qui ſub prætextu judicandi rem quamlibet quæ ad propriam ſuam Imaginationem non quadret, *Idololatricam & Antichriſtianam*, reformare volunt etiam ad extremam Confuſionem, Deformitatem & Vaſtationem. Hoc autem *Conſectarium* ſummis maximéq; conſpicuis Religionis Chriſtianæ veritatibus tutum eſt Refugium; cùm generali ſententiæ Eccleſiæ de iſtiuſmodi rebus quæ univerſim tunc tenerentur, concluſæve eſſent in Conciliis, nec *Idololatricas* fuiſſe nec *Antichriſtianas*, quaſi per Dei digitum facta ſit ſubſcriptio.

3. Jam verò Conſectarii veritas ſic patet. De *Rege ſeptimo* qui vocatur ὁ ἄλλος,
Apoc. 17. 10. (quémq; probavi Imperatores eſſe purè Chriſtianos) de eo inquam, dicitur, quòd oportet illum *breve tempus manere*; quod niſi vaticinium omninò indeterminatè loquitur nihilq; definit, conſentaneum eſt ut intelligatur de tertia circiter parte illius ſpacii, quod hæc Locutio ſubindicat *longum* eſſe. *Breve* enim & *Longum* termini abſoluti non ſunt ſed *relativi* ſive *comparativi*, duóq; ſunt extrema quæ medium ſupponunt. Quamobrem determinatam eorum Ideam meliori ratione definire non poſſumus, quàm ſi lineam ſupponamus in tres partes æquales diviſam, totámq; conſideremus lineam tanquam ſubjectum *Longitudinis*, duos Trientes lineæ ut ſubjectum *Mediocritatis*, unúmq; Trientem *Brevitatis*. Unde colligere poſſumus univerſim quam Rationem (ſi accuratè Mathematicéq; loqui velimus) *Breve* & *Longum* ad ſe invicem habeant. Quòd ſcilicet notione quidem præciſâ, id quod *tertia* omninò pars eſt alterius, illius reſpectu *Breve* ſit, ſed in uſu loquendi communi, quamvis paulo majus minúſve ſit, rationes nihil conturbat.

Hujuſmodi modus aliquis adinveniri debet ad definiendam hanc Notionem, alioqui *Breve* & *Longum* nihil ſignificatura ſunt, ſed verba erunt ſine ſcopo dicta, niſi eis in locis, ubi nota menſura ſit *mediocritatis*. Ut quando dicimus, Homo procerus, vel Homo humilis ſtaturæ, ubi pro conceſſo habetur, mediocris ſtaturæ hominem tot habere pedes nec ampliùs. Poſtquam determinatæ alicujus Notionis horum duorum vocabulorum neceſſitatem ſeriò conſiderâſſem, quámq; naturaliter in hanc Proportionem labantur, equidem non potui aſſenſum à tam manifeſta veritate conti-
Myſt. Piet. lib. 5. c. 15. ſect. 9 nere, quanquam præjudicio præpeditus meritò videri poteram, ex eis quæ alibi de μικρὸν χρόνον ſcripſi; ſed verò tunc temporis rem tam accuratè non perpenderam.

4. Admiſſo igitur illo pro genuino ſenſu horum terminorum *Brevis* & *Longi*, quem ego propoſui, & duratione *Regis ſeptimi* cum duratione *ſexti* comparatâ, nempe *Cæſarum Paganicorum*, quæ à *Julio* ad *Conſtantinum* annos facit circiter 360; manifeſtum eſt *Regis ſeptimi* durationem, hoc eſt, *Cæſarum* purè *Chriſtianorum*, 120 ferè annos conſtituere. Qui additi Annis Chriſti 312, quando *Conſtantinus* converſus eſt ad Chriſtianitatem, annos 432 conficiunt. Quod nolo pronunciare ità definitum eſſe ac ſi intelligeremus ἀκριβῶς Mathematicam in rationibus *Brevis* atq; *Longi*, ſed cum aliqua laxitate, qualis communem ſermonem deceat in hujuſmodi locutionibus, quamvis neceſſe ſit ſubinde recurrere ad Ideam hanc Mathematicam ut dijudicemus an horum terminorum uſus tolerabilis ſit, an immane quantum devius.

devius. Quod verò laxiùs hîc relinquo, magìs præcisè determinabitur in proportione *Interioris* Atrii Templi ad *Exterius*, quæ tempus hoc paululùm intra quadringentos annos coërcebit, ità tamen ut præſentis hujus Computi ratio ad eam facilè flecti poſſit & attemperari. Nam ſi *brevis* Terminus, viz. 120, in tres gradus partéſve ſubdividatur, quicquid duos Trientes excedit, rectè & cum ratione Breve cenſeri poteſt in primo gradu Comparationis. Et meminiſſe quidem oportet durationem Beſtiæ inſtauratæ per Annorum menſes computari, quod, ſicut ſuprà notavi, latitudinem innuit triginta annis haud minorem, in harum Epocharum computatione; cùm coarctatio rerum ad Anni coincidentiam, in tam longis periodis, naturíſve rerum ipſarum prædictarum, parùm habeat utilitatis, nec proinde affectetur intendatúrq; à Spiritu illo qui hæc vaticinia dictaverit. Quæ non dubito quin admodum vera ſit ſolidáq; obſervatio. Quamobrem ſatìs manifeſtum eſt Eccleſiæ lapſum in Antichriſtianiſmum ante quadringentos ferè annos poſt natum Chriſtum non contigiſſe, cùm ſeptimi Regis imperium ante id tempus non exiverit.

Conſect. III.

Quòd Regnum Antichriſti *intra* 1260 *ferè annorum ambitum comprehenditur.*

5. Tamdiu enim *Imperium* permanſurum erat Idololatricum, ſicut evidens eſt ex *Co-expoſitione* noſtra, primóq; illius *Conſectario*. Sed ferè impoſſibile eſt ut Imperium diutiùs maneat Idololatricum quàm Clerus Idololatricus ei inequitet regátque, quæ *Meretrix* eſt *Beſtiáve bicornis*, atq; hi typi, Typi ſunt ſive ſymbola *Antichriſti*: Quas cum *Beſtia decacorni*, i. e. cum Imperio *Pagano-Chriſtiano* contemporare, pleniùs ſequenti Capite probabimus.

Conſect. IV.

Quòd Antichriſtus *jamdudum ingreſſus eſt in mundum, milléq; ferè ac ducentos annos jam regnavit.*

Veritas hujus *Conſectarii* liquet ex ſecundo, ubi oſtenditur quòd ὁ ἄλλος ſive *Cæſarum* purè Chriſtianorum ſucceſſio centum viginti ferè annos non exceſſerit, qui anno Converſionis *Conſtantini* additi 312, annos 432 conficiunt; ab eo ferè tempore *Antichriſtus* regnare incepit, ac proinde mille ducentos ad minimum annos jam regnavit.

Conſect. V.

Quòd ſecundùm computationem Propheticam Ruina Antichriſti appropinquet, nihilq; eam retardare poſſit præter Nequitiam, Hypocriſin & Factioſitatem, ſi ità fas ſit loqui, Eccleſiarum Reformatarum.

Hoc *Conſectarium* valdè manifeſtum eſt è tribus Conſectariis proximè præcedentibus, nec opus eſt ut quicquam addamus ulterioris illuſtrationis ergô. Tantùm vide ſi lubet, *Myſterium Pietatis*, lib. 5. cap. 17. ſect. 10. Qui quidem locus ut & quæ hîc dicuntur in hoc quinto Conſectario, *Medanæ Hypotheſi* innituntur, de numerando durationem Beſtiæ & Synchronorum illius per annos. Quid verò ego de ipſa ſentiam, in pluribus locis monui, apertéq; declaravi Periodum mille ducentorum ſexaginta dierum, ſive *temporis*, *temporum & dimidii temporis*, jam exiiſſe quantùm ad uſum omnem Propheticum, Ruinámq; Antichriſti ſpeciminalem jam factam eſſe in *Teſtium Reſurrectione*. Id tamen etiamnum verum eſt, noſtrarum Eccleſiarum peccata nè finalis illa *Antichriſti* ruina appropinquet, ſeculáq; *Philadelphiana* accelerentur, poſſe eſſe obſtaculo.

Conſect. VI.

Quòd Imperium Romanum *in decem Regna diviſum, ſedes facta ſit* Antichriſti.

Hoc directè in *Co-expoſitione* noſtra continetur, quippe Beſtia *decacornis* ibi probatur *Romanum* eſſe Imperium ſic diviſum, *Meretrixque*, qui eſt *Antichriſtus*, dicitur huic Beſtiæ inſidere, *Beſtiáq; bicornis* Clerus eſſe Imperii Idololatricus ſub duobus illis Imperialibus *Patriarchatibus Romæ* & *Conſtantinopoleos*; ut & *Meretrix* & *Beſtia bicornis* unum idémq; eſſe ibidem demonſtrantur. Quæ abunde confirmant hoc ſextum Conſectarium.

Conſect.

Conſect. VII.

Quòd ruina quartæ Monarchiæ, quintæq; Introductio, quæ Regnum eſt Sanctorum Altiſſimi *quemadmodum* Daniel *eam appellat, bella non ſupponit nec ſpolia Jurúmve Invaſionem ullius Principis Populive, ſecundùm Styli quidem Prophetici tenorem, ſed Renovationem duntaxat Imperii in Evangelicam Doctrinæ, Cultûs, vitæq; Chriſtianæ Puritatem.*

6. Hoc planè conſtant ex *Co-expoſitione* noſtra, ubi manifeſtum eſt, quòd *Beſtia*, quæ eſt Monarchia *Romana*, dicitur occidi & in rerum natura non eſſe, ex ea ſola cauſa quòd *Idololatria Paganica* ex ea expulſa eſſet, ceſsâſſétve Religio eſſe Imperii, quódq; reſuſcitata ſit è mortuis & in exiſtentiam denuò reducta, ſolâ Reintroductione *Idololatriæ* in Imperium, Ritúſq; Paganicos uſurpando circa Objecta Chriſtianitatis. Quod confirmari porrò poteſt è Sigillo ſexto, ubi Cœlum Terráq; miſceri videntur totáq; Univerſitas *Politica* diſſolvi, & tamen ipſum *Romanum Imperium* eſſe minimè deſiit, ſed mutatio tantùm fuit à *Paganiſmo* ad *Chriſtianitatem.* Quo de ſexto Sigillo eruditiſſimus *Medus* hoc etiam adnotavit; *Jam verò mutationis hujus Objectum eſt Imperium Romanum; at non quà Politicè à* Cæſaribus *gubernatum, ſed quà* Satanæ *Principi ejúſq; Angelis Dæmonibus religioſo nomine ſubditum.*

Quapropter evidens eſt, quòd ſecundùm ſtylum Propheticum quarta hæc Monarchia Idololatrica, ſolius *Idololatriæ*, & quicquid aliud in ea ſit *Antichriſtianiſmi*, repetitâ exterminatione deſtrui poteſt, eóq; ipſo verum Regnum *Sanctorum Altiſſimi* inchoari, quanquam nè capillus quidem de capite cujuſquam cadat, nec Princeps ullus ſubditúſve in Juribus ſuis ac Fortunis quicquam lædatur. Hoc *Conſectarium* valdè perſpicuum eſt, & perinde utile ad ſedandum æſtum & furorem quorundam Fanaticorum qui tale expectant *Regnum Sanctorum* qualem *Judæi Meſſiam*, qui temporalibus ſcilicet eorum commodis inſervire poſſit. Amor verò mundanus utrorumq; judicia perinde occæcavit.

Conſect. VIII.

Quòd nulla expoſitio decimi ſeptimi Capitis Apocalypſeos *quæ τὸν ἄλλον ſive* Regem ſeptimum *purè Chriſtianum non fecerit, vera eſſe poteſt & perfecta.*

7. Hoc facilè apparebit ſi conſideremus mirificam Harmoniam quæ reperitur decimum tertium Caput inter & Caput decimum ſeptimum; Quorum uno Beſtia *occidi* dicitur, altero *ceſſare eſſe*; Uno *redivivæ eſſe Beſtiæ Imago*, altero *Beſtia eſſe quæ erat & non eſt & tamen eſt:* quódq; tametſi *octo Reges* ſint, non ſunt tamen niſi *ſeptem Beſtiæ capita*; quem nodum nihil præter hanc Hypotheſin ſolvere poteſt. Dum enim ὁ ἄλλος regnabat, Beſtia *non fuit.* At verò ſi caput illud *purè Chriſtianum* non erat ſed *Idololatricum*, Beſtia adhuc *fuit* in rerum natura, *octóq;* habuit *Capita* etiam juxta ipſius Angeli computationem. Cæterùm manifeſtum eſt ſupponi in Beſtia ceſſationem ab exiſtendo, ex iſtis verbis, *Erat & non eſt, & aſcenſura eſt ex Abyſſo.* Quorum verborum ſenſum reddendo, præſtantiſſimum illum interpretem *Joſephum Medum* hac ſuppoſitione deſtitutum, ſolita ſua etiam deſtituit peritia. Ait enim dici poſſe de hac Beſtia, ídq; S. *Johannis* tempore, & jam olim eam fuiſſe necdum tamen natam eſſe. Quod quidem menti nullo præjudicio laboranti non poteſt quin duriter ſonet verbis Textûs applicatum. Nemo enim unquam dicet de re etiamnum exiſtente, *Erat*, multóq; minùs, *Et non eſt.* Hujuſmodi equidem aſperitudo ſenſus meos tam duriter radit, ut ſi vaticinium abſq; tali violentia contra ordinariam verborum ſignificationem facta intelligere non poſſem, multum frigidæ ſuffunderet quò minùs Interpretationi præberem aſſenſum. Verùm doctiſſimus vir in aliis rebus tam egregiè ſe geſſit, ut facilè hîc mereatur veniam.

Conſect. IX.

Quòd Meretrix Babylonica Conſtantinopli *nunc non ſedeat, ſed quòd* vetus Roma *ſit, ſi ità fas ſit loqui, ſedes illius Imperialis.*

8. Hujus *Conſectarii* veritas ex multis Concluſionibus in *Co-expoſitione* noſtra apparet. 1. Primò enim, Meretrix *Babylonica Romano* Imperio inſidet, regítq; illud ac gubernat in rebus Religionis. Quod de *Turca* verum non eſt, *Conſtantinopoli.*

tinopoli. 2. *Meretrix* Urbi illi *ſepticolli* inſidet quæ quaſi orbis terrarum Domina erat S. *Johannis* temporibus (hic traditur tanquam certiſſimus ſedis ſuæ character) quam *Conſtantinopolin* tunc non fuiſſe notiſſimum eſt. 3. Nomen Beſtiæ repertum eſt Λατεῖνος, quæ *Beſtia bicornis* cùm eadem ſit quæ *Meretrix*, manifeſtum eſt hanc meretricem ſedem habere in *Italia*. Et certè tametſi *Montacutius* Epiſcopus ingenii ſui feſtivitatem oſtentaverit in inveniendo Numero 666 in Μαομέθις, credo tamen eum feciſſe tantùm per ludum jocúmq; in diſpectos Adverſarios, ut eorum ignorantiæ imponat illudátque. Quomodo enim exiſtimare poteſt Numerus 666. *Mahometis* nomen ſubindicare, cùm tam variis modis ſcriptum occurat apud *Græcos* Hiſtoriographos? Etenim apud *Nicetam* vocatur Μωάμεθ· apud *Chalcocondylam* Μεχμέτης· apud *Johannem Cantacuzenum* Μαχόμετ· apud *Ducam Michaëlem* Μέχεμετ· & poſtremò apud *Johannem Cananum* Μωάμεθ & Μαχομέθης· ſed nuſquam quod ſciam appellatur Μαομέτις. Nec veriſimile eſt nomen ejus exiturum in τις ſed in της. Adeò ut planè ſuſpicer feſtivum Epiſcopi eſſe commentum quò ſe in hilaritatem paulò laxiùs effundat. 4. Septem montium *Romæ* fama alterorum notitiam ità obruit & obſcurat, ut non ſit probabile quin illi, ſi non ſoli, præcipuè tamen indigitentur in deſcriptione ſedis *Meretricis*. Quòd ſi unica è Civitatibus indigitaretur, intolerandum eſſet opinari vaticinium ità lubricum eſſe & imperfectum, ut cùm duæ eſſent Civitates, una ob ſeptem montes celebratiſſima, altera tam parùm celebrata ut frequenter dubitetur utrùm ſeptem montes habeat necne, hanc Poſteriorem per urbem *ſepticollem* intelligeret, non autem priorem, cùm nè minima ſubindicatio in Textu ſit quòd intelligatur de poſteriori ad eámve ullo modo determinetur. 5. *Meretrix* ſive *Antichriſtus* qui ſeptem collibus inſidet, multos ante annos erat, ſicut ex quarto apparet *Conſectario*, quàm Turca *Conſtantinopoleos* factus eſt dominus, quod non ampliùs ducentos abhinc annos contigit; ità ut *Antichriſtus*, ut videtur, mille annos ſederit citra Pulvinum. 6. Fronti Meretricis *Babylonicæ* inſcriptum eſt *Myſterium*; *Turca* verò apertus profeſſúſq; eſt Chriſtianorum Adverſarius. 7. Denique, *Meretrix* ſive *Antichriſtus* Imperii corruptor eſt per *Idololatriam* cultúmve Idolorum; *Turca* verò eorundem everſor. Tam vana eſt eorum opinio qui *Turcam Antichriſtum* imaginantur in *Apocalypſi* præfiguratum.

Conſect. X.

Quòd Eccleſia Anglicana *aliáve quævis Proteſtantium Eccleſia Eccleſiam reliquerit* Romanam, *non eſſe ſchiſma.*

9. Hoc vel primo aſpectu, per *Co-expoſitionem* noſtram, verum eſt. Neq; enim ſchiſma eſſe poteſt illud facere quod omittere peccatum eſſet; vel ſi id non ſufficit, quod monemur facere per Divinam vocem in *Apocalypſi*, *Exite ex ea populo mi, nè participes ſitis peccatorum ejus & ex plagis ejus accipiatis.* Quæ quidem monitio digna eſt cui ab omnibus auſcultetur quibus Incolumitas ſua & ſalus cordi eſt, immunitáſq; à peccato pœníſq; *Meretricis.* Apoc. 18. 4.

Conſect. XI.

Quòd Autoritas Patrum Conciliorúmq; poſt annos ferè quadringentos à Chriſto nato habitorum nullam vim habeat ad controverſias dirimendas adversùs Eccleſias Proteſtantium iis de rebus in quibus Eccleſia Romana *ab ipſis diſſentit.*

10. Hoc ſpontè fluit ex Epocha *Antichriſtianiſmi* in ea tempora incidentis quorum facta eſt mentio: poſt quæ cùm Eccleſia ſupponatur in grandem *Apoſtaſiam* aliquo modo lapſa, nec *Patrum* doctrinæ, nec *Concilia* jus ullum habent ità decidendi controverſias *nos* inter & *Pontificios*, ut *Autoritativè* quicquam adversùs nos teſtificentur. At enim obſervatu dignum eſt, Teſtimonium eorum vim habere adversùs *Pontificios* in eis rebus in quibus ipſis contradicunt, utpote qui ea in re ſucceſſivæ ſententiæ Eccleſiæ ſerpenti hâc lue nondum mutatæ Teſtes ſunt, aut ſaltem teſtantur quid de facto verum fuerit contra falſos prætextus Traditionum *Pontificiarum.*

Conſect. XII.

Quòd omnes viſiones quæ huic Beſtiæ ſepticipitis & decacornis viſioni, quæ durare dicitur menſes quadraginta duos, *ſynchronæ ſunt aut iſochronæ, ſpacium neceſſariò habent annorum mille ducentorum ſexaginta.* 11. *Syn-*

11. *Synchronum* esse idem est atq; *incipere, continuare,* & *desinere simul.* Unde manifestum est, illud quod synchronum est illi quod mille ducentos sexaginta annos durat, ipsum annos totidem durare oportere. *Bestiæ* verò *menses quadraginta duo,* mille ducenti sexaginta anni sunt, per *Consectarium* primum. Quæ veritatis *Consectarii* hujus ultimi perspicua est demonstratio. Cujus usus maximi profectò momenti est ad detegendam falsitatem iftiusmodi pusillarum Expositionum quas nonnulli his visionibus quæ huic *instauratæ Bestiæ visioni* synchronæ sunt, imponant. Si enim super hanc temporis mensuram distendas, disrumpentur statim & in frustula dissilient, eóq; pacto (quod hîc maturè notatum volo) *ab omni ulterioris ipsarum confutationis me liberabunt molestia.*

Quam ob causam operæ pretium fore existimo omnes visiones quæ huic instauratæ Bestiæ visioni synchronæ sunt notare, cùm tam necessaria sit Methodus ad rectum earum sensum assequendum, certiúsq; discernendum in quibus *Apocalypseos* vaticiniis illa *Antichristianismi* lineamenta præfigurata sint, quæ in antecedenti Tractatu Lectori ante oculos proposuimus.

12. Interèà loci nihil opus habeo ei in memoriam revocare, quòd visiones horum duorum Capitum, quæ tam accuratè exposuimus, insignem illam *Antichristianismi* partem, quæ in cultu *Idololatrico* consistit, manifestò prædicunt, quomodo utiq; illa se per Imperium propagatura esset per seductionem & sedulitatem fallacis Cleri. Qui præfiguratus est in Typo *Bestiæ* duo cornua *Agni similia* habentis, sed quæ locutura sit ut *Draco, Imaginémq;* veteris *Paganismi,* sub prætextu elevatioris cujusdam devotionis & affectionis erga Christum, beatam Virginem reliquósq; Sanctos ac Martyres, rursus introductura : ut & in Typo *Meretricis Babylonicæ* quæ vocatur *Mater scortationum & abominationum Terræ,* i. e. Cultûs *Idololatrici* & Paganico similis; quæq; Reges Terræ illiúsq; Incolas poculo immunditiæ Fornicationum suarum dicitur inebriare, i. e. ad Idololatriam seducere. Hoc enim est ποτίσαι *Idololatriæ* calicem, quemadmodum & ipse *Grotius* interpretatur. Quamobrem hæ duæ insignes sunt Ecclesiæ in *Paganicos Idololatricósq;* cultus lapsæ *Prædictiones.* Producturus sum tamen & alias ex eodem libro, postquam viam Synchronismos quosdam demonstrando qui eódem pertineant, præmunivero.

CAP.

CAP. VII.

1. *Synchroniſmus* Meretricis, Beſtiæ bicornis, Beſtiæq; inſtauratæ *ſive Beſtiæ* quæ erat, non eſt & tamen eſt, *è* Co-expoſitione *noſtra demonſtratus.* 2. *Quibus &* Pſeudopropheta *probatur ſynchronus,* Cœtus virgineus, Duo Teſtes, Mulier *in Deſerto, &* Atrium Exterius, *ut qui aut iidem ſunt aut* Antiſtœchi, *aut perpetuò cum illis ex neceſſitate connexi.* 3. *Rurſus ratione magis abſtractâ, Quòd* Beſtia inſtaurata, Mulier in Deſerto, Atrium exterius duóq; Teſtes Iſochroni *ſunt.* 4. Mulierem in Deſerto Beſtiámq; inſtauratam *ſimul incipere, ac proinde* Synchronas *eſſe.* 5. Beſtiam *verò* inſtauratam duóſq; Teſtes *ſynchronos eſſe, ut qui ſimul finiunt.* 6. Duos *verò* Teſtes Atriúmq; exterius *ſynchrona eſſe, ut quæ & incipiunt & finiunt ſimul. Quatuórq; hæc* Synchrona Meretrici *ac* Beſtiæ bicorni *contemporare, quoniam* Beſtia bicornis Meretríxq; Beſtiæ inſtauratæ *contemporant, cui & contemporant reliqua tria.* 7. Cœtum virgineum, *éq;* duodecim Tribubus obſignatos *eundem eſſe Cœtum, ac utroſq; proinde* Meretrici *per ἀντιστοιχίαν* ſynchronos, *& ex conſequenti reliquis ſex quibus illa contemporat.* 8. Cœtum virgineum obſignatorum *ſuprà dictum* ſex primarum Tubarum ſeriei *contemporare, ut qui obſignati ſunt immediatè ante clangorem* Tubæ primæ, luctuíq; Teſtium *contemporant qui in* fine Tubæ ſextæ *ceſſat.* 9. Sex prima Sigilla, Prælium Michaëlis *cum* Dracone Atriúmq; Interius *ſynchrona probantur.* 10. *Quòd viſio* menſurationis Templi *à prima Epocha incipiat, indicari à qualitate Perſonæ quæ* librum apertum *manu tenet.* 11. *Et ex eo quòd locum ſupplet* Angeli ſeptimi, Tubæq; ſeptimæ *ſpacium* ſeptem Tonitruis. 12. *A ſuſpenſione Clangoris Tubæ ſeptimæ ut fiat Regreſſio.* 13. *Et ex eo quòd aut* novus Liber *ſit in manu Angeli, aut* nova *ſaltem* libri Conditio. 14. *A* voce colloquente *cum* Johanne *de cœlo, ut in initio Prophetiarum* Sigillorum. 15. *Ab amaritudine libelli in ventre ejus, & quòd* iterum *juſſus ſit vaticinari, idq;* coram Regibus, Populis *ac Nationibus.* 16. *Ab* Epocha *deniq;* Viſionis in ſequenti *Capite.* 17. *Synchroniſmus primorum* ſex Sigillorum *cum* Interiori Atrio, *res maximi momenti.* 18. Millenne Chriſti Imperium, Turbam Palmiferam, Novámq; Hieroſolymam *ac* Ligationem Satanæ, ſeptimæ Tubæ *aliquo modo* Synchrona *eſſe univerſa.* Apoc. 12.

1. QUòd *Beſtia ſepticeps* capite decimo tertio contemporet *Beſtiæ* quæ *Meretricem bajulat* decimo ſeptimo, manifeſtum eſt ex eo quòd utræq; omni ex parte una eadémq; Beſtia ſint, quemadmodum ex *Co-expoſitione* noſtra apparet. Quòd *Meretrix* etiam *Babylonica, Beſtiáq; bicornis* eadem res ſit, ex dicta Expoſitione liquidò conſtat, quódq; proinde contemporent, niſi una eadémq; res oriri poſſit etiam cùm aliquandiu in rerum natura extiterit, duraréq; adhuc etiam cùm deſierit exiſtere. Quòd *Meretrix Bicorníſq; Beſtia Beſtiæ ſepticipiti* & *decacorni* in his duobus capitibus contemporent, ex eo manifeſtum eſt, quòd *Beſtia bicornis* Inſtauratrix eſt & ſanatrix *hujus ſepticipitis* Beſtiæ, ejúſve in Exiſtentiam Reſtitutrix, hoc eſt, *Clerus Idololatricus Imperium Idololatricum* rurſus facit, unum ſine altero non poteſt conſiſtere, nec unum altero diutiùs durare, ut ex ipſarum rerum natura abundè conſtat. Adeò ut manifeſtum ſit, quòd naturæ rerum per has viſiones ſignificatarum connexio perpetua firmam nobis fidem facit eas *ſynchronas* eſſe, i. e. incipere, durare, & finire ſimul. Atq; ſic ex plano perſpicuéq; demonſtrabili ſenſu, viſionum Capitis *decimi tertii & decimi ſeptimi* infallibiliter colligimus, *Beſtiam bicornem, Meretricem Babylonicam, Beſtiam quæ erat & non eſt & tamen eſt,* ſive *Beſtiam Inſtauratam* ſeu redivivam quæ dicitur ſeptem habere capita decémq; cornua diadematis redimita, *ſibi invicem contemporare.*

2. Sed quatuor adhuc ſuperſunt viſiones hiſce *Synchronæ,* quæ ſic eſſe eodem modo poſſunt demonſtrari, à naturali putà & neceſſaria rerum ipſarum præfiguratarum inter ſe connexione, vel ex perfecta ipſarum identitate ſub diverſis ſchematis & Typis, cùm res quas naturaliter ſignificent *tribus primis ſynchronis* jam comprehenſæ ſunt, vel deniq; ex ratione Ἀντιστοιχίας perpetuæve oppoſitionis. Ut primò, per modum *Identitatis, Pſeudopropheta,* hoc eſt, univerſum falſorum Prophetarum Corpus neceſſariò contemporat *Beſtiæ bicorni,* ſive *Meretrici,* cùm eædem planè res ſint ſub diverſis *Typis* vel *Nominibus.* Per modum Ἀντιστοιχίας ſive *oppoſitæ Correſpondentiæ,* ut in *Teſtibus lugubribus, Cœtúq; virgineo.* Suppoſito enim quòd vera Eccle-

ſia nunquam eſſe deſiverit, (quemadmodum omnes conſentiunt) neceſſe eſt, ut cum temporibus *Meretricis Beſtiæq*; *bicornis Cœtus virgineus Teſtéſq*; *lugubres* correſpondenti oppoſitione concurrant, & Poſteriores quidem per *cauſalem* cum illis connexionem. Quod proinde exemplum eſſe poteſt modi primi ſuprà memorati, quanquam nulla illius antea producta ſit Inſtantia.

Subjectum etiam duarum iſtarum viſionum *mixtarum* neceſſariò eodem tempore cum tribus primis ſynchronis continetur, hac Hypotheſi conceſsâ, *Quòd vera Eccleſia nunquam intercidit.* Tunc enim *Mulier in deſerto* quid eſt aliud niſi Eccleſia pura ac virginea in Paganiſſante Imperio abſcondita, quæ *Imago* eſt *Beſtiæ?* Quídve *Atrium Templi exterius à Gentibus calcatum*, niſi Chriſtianum Imperium Chriſto veróq; Dei cultui dedicatum, ſed novo quodam *Gentiliſmo* cultúve *Idololatrico* obſitum, qui ſic omnia inundat ut vera virgineáq; Eccleſia occultetur quodammodo hoc *Idololatrarum* diluvio, vel proculcetur ſaltem valdéq; deprimatur, Chriſtiani orbis pars abjectiſſima facta? Quamobrem, ex nuda, inquam, rerum ipſarum natura arctáq; quam habent inter ſe connexione, evidentiſſimè patet, *Meretricem*, *Beſtiam bicornem*, *Beſtiam ſepticipitem decacornem inſtauratam*, *Pſeudoprophetam*, *Cœtum virgineum*, *Mulierem in Deſerto*, *Duos Teſtes*, *Atrium Templi exterius à Gentibus calcatum*, univerſa inter ſe contemporare.

3. Sed enimvero rationem illam magìs abſtractam quam doctiſſimus *Medus* in probando hæc *ſynchrona* adhibuit, in totum non negligemus. Primò igitur manifeſtum eſt, *Mulierem in Deſerto*, *Beſtiam decacornem inſtauratam*, *Atrium exterius à Gentibus calcatum*, *Luctum duorum Teſtium*, *Iſochrona* eſſe. *Mora* enim *Mulieris in deſerto* notatur per *tempus & tempora & dimidium temporis*, utì etiam *per dies* 1260. Quæ ambæ locutiones tres annos & dimidium *literaliter* ſignificant. *Beſtiæ* etiam *decacornis inſtauratæ* duratio, per *menſes quadraginta duos* deſcribitur, ut & *Atrii exterioris Conculcatio*; Diéſq; *Teſtium ſaccis amictorum* ſunt 1260. Quæ omnes temporis deſcriptiones, Moræ *Mulieris in deſerto Iſochronæ* ſunt, ſúntq; *literaliter* tres anni & dimidium. E quibus omnibus ſi vel una ſymbolicè ſignificet, credo neminem eſſe poſſe adeò *Scepticum* perverſúmve, ut alias ſic facere neget. Jam verò hæc quatuor non ſolùm *Iſochrona* ſed *Synchrona* eſſe breviter ſic apparebit.

Vide Cap. 5. Conſect. 1.

4. *Mulier in Deſerto Beſtiáq*; *decacornis inſtaurata* ſimul incipiunt. Nam dum *Mulier* in deſertum properat, *Draco* ex ore ſuo flumen ejicit quo eam abripi faceret, ſi poſſit, antequam illuc perveniſſet. Sed ſcopo excidens ac furore percitus, ſtatim ad alia conſilia ſe confert, *Beſtiámq*; *decacornem* inſtaurat, ſuíſq; viribus, & Throno magnáq; Poteſtate donat. Quamobrem *Mulier* in *Eremum* citiùs ingredi non potuit, quàm *Draco* Inimicum adversùs eam inſtruxiſſet. Verùm evidens eſt *Iſochrona* ab eodem tempore incipientia eſſe *Synchrona*.

Apoc. 12. 15.

5. *Beſtia decacornis inſtaurata* luctúſq; *duorum Teſtium* ſimul finiunt. Nam ſub exitum *Tubæ ſextæ Teſtes* in cœlum aſcendunt, & in principio *ſeptimæ*, quod *ſextæ* fini conterminum eſt, hæc de cœlo fit Acclamatio, *Facta ſunt Regna Mundi Regna Domini noſtri & Chriſti ejus.* Unde manifeſtum eſt aliquo quidem ſenſu *quadraginta duos menſes*, quod tempus eſt Regni *Beſtiæ decacornis inſtauratæ*, tunc finiri. Quæ verò *Iſochrona* ſunt ſimúlq; finiuntur, ſunt etiam *ſynchrona.*

Apoc. 11. v. 12, 14, 15.

6. Luctus *duorum Teſtium* & *ſanctæ Civitatis* ſive *Exterioris Atrii à Gentibus conculcatio* ſimul incipiunt: quemadmodum apparet Apocalypſ. 11. ubi planè innuitur uno eodémq; tempore oriri. *Luctum* intelligo *Teſtium*, doloríſq; eorum *Objectum*, *Civitatis* utiq; *ſanctæ conculcationem à Gentibus.* Et præterea ſub finem *Tubæ ſextæ Teſtes* in cœlum aſcendunt, & in principio *ſeptimæ* Gentes dicuntur propter Divinam in ipſas vindictam iraſci: adeò ut *Synchroniſmus* hic (quanquam ſupervacaneum eſt, cùm hæc *viſa* ſuprà inventa ſint *Iſochrona*) in utroq; termino firmiter ſit ligatus: *Mulier* verò *in Deſerto* cùm *Beſtiæ decacorni inſtauratæ* ſynchrona ſit, *Beſtia* hæc *decacornis duobus Teſtibus*, hi *duo Teſtes Exterioris Atrii* ſive ſanctæ Civitatis *Conculcationi à Gentibus*, manifeſtum eſt cuncta quatuor inter ſe contemporare.

V. 2, 3.

Sed enim vi *Co-expoſitionis* noſtræ demonſtrari etiam poteſt, *Beſtiam Bicornem*, *Meretricem*, & *Beſtiam decacornem inſtauratam*, quæ planè Beſtia eſt *quæ erat & non eſt & tamen eſt*, contemporare inter ſe. *Meretrix* enim & *bicornis Beſtia* unus idémq; eſt hominum cœtus atq; ordo, quorum ſuaſu ac regimine Imperium Paganicum quod lethaliter vulneratum erat purâ Evangelii prædicatione, iterum factum eſt *Paganiſſans*, atq; ità à ſalubri illo vulnere convaluit, reſuſcitatúmq; eſt rurſus in priorem ſtatum *Idololatricum*, factáq; eſt Beſtia *quæ erat & non eſt & tamen eſt.* Unde manifeſtum eſt Autores hujus Inſtaurationis Beſtiæ, *Imaginiſve Beſtiæ* artifices,

ces, quà tales, incepiſſe ſimul cum Beſtia. Hi verò, *Beſtiam* intelligo & *Pſeudoprophetam*, (qui figuratur per *Meretricem* & *Beſtiam bicornem*) ambo ſimul capiuntur, & vivi conjiciuntur in ſtagnum ignis ardens ſulphure, Apocalyps. 19. 20. Quamobrem cùm *Beſtia hæc decacornis inſtaurata*, ſicut ſuprà demonſtratum eſt, ſynchrona ſit *Mulieri in deſerto, duobus Teſtibus, ſanctæq; Civitatis* ſive Atrii exterioris *conculcationi*, manifeſtum eſt, *Meretricem* etiam *Babylonicam Beſtiámq; bicornem* ipſis *ſynchronas* eſſe, cùm cunctæ ſint *Beſtiæ decacorni inſtauratæ* ſynchronæ. Atq; demum in ſumma, *Mulierem in Deſerto, Beſtiam decacornem inſtauratam* (quæ eadem eſt quæ Beſtia *quæ erat & non eſt & tamen eſt*, ſive *Imago Beſtiæ*) *Civitatem ſanctam* ſive *Atrium Exterius* à *Gentibus calcatum, Luctum Teſtium, Beſtiam bicornem* & *Meretricem Babylonicam*, ſena nempe hæc univerſa ſynchrona eſſe inter ſe.

7. De contemporatione *Cœtûs virginei* cum *Meretrice* (& conſequenter cum reliquis quinq;) vide Cl. *Medum.* Res non eſt ubi quis hæſitare poſſit, propter neceſſariam ἀντιστοιχίαν magnámq; rei congruentiam ut Chriſtus ſuos *milites obſignatos* haberet, quæ ſunt *Agni Cohortes* in monte *Sion*, ſimulatq; & quamdiu ii eſſent qui *Characterem Beſtiæ* geſtarent, quod fieri ſupponitur per totum illius Regnum, quandoquidem hæc Characteris receptio nihil aliud eſt quàm aperta profeſſio à quorum partibus quis ſtet, eíſve ſaltem appropriatio.

Verorum illorum membrorum *conſignatorúmve militum* Chriſti mentio fit in *ſeptimo* & *decimo quarto* capite *Apocalypſeos.* In quibus locis utriſq; *Numerus idem* eſt, nempe 144 *Chiliades*, ſive *Cohortes*, dicuntúrq; conſignari, vel fronti notam inſcriptam habere. *Afflictio* & *Patientia lætáq;* demum ſuper inimicos *victoria* utrorumq; ſors eſt, utræq; Cohortes ſunt *Apoſtolicæ* ut quæ abhorrent ab *Idololatria*, ſiquidem *Virgines* capite decimo quarto appellantur, eáq; in ſeptimo adhibetur cautio in ordinata collocatione duodecim Tribuum ut eæ præcedant quæ ſplendidiſſima ſpecimina zeli ſui adversùs *Idololatriam* ediderint. *Dan* verò & *Ephraim* ex illo cenſu planè expunguntur, quòd eo in crimine adeò eſſent obnoxii, quemadmodum prolixiùs videre eſt apud *Joſephum Meaum.* Nam quòd Duodecim Tribus de *Chriſtianis* intelligendæ ſint, non autem de *Judæis*, nemo dubitaturus eſt qui conſideraverit quàm plena *Apocalypſis* ubiq; ſit *Iſraëliſmis*, adeò ut falſi *Chriſtiani, Judæi* ſimulatitii appellentur, Apoc. 2. 9. *Novi blaſphemiam eorum qui ſe dicunt Judæos eſſe & non ſunt, ſed ſynagoga Satanæ.*

Manifeſtum eſt igitur 144 *Chiliadas* conſignatorum ſervorum Dei capite ſeptimo, & 144 *Chiliadas* in capite decimo quarto, eundem eſſe Apoſtolicum virgineúmve Cœtum. Quod multùm profectò refert ut notemus, quandoquidem hinc evidens erit, quòd *ſex primæ Tubæ ſex primis noſtris ſynchronis* contemporent, utpote quibus univerſis contemporant hæ 144 *Chiliades conſignatorum Militum, cohortéſve virgineæ* Chriſti.

8. Sex prima noſtra ſynchrona his 144 cohortibus contemporare jam probatum eſt, ex eo quòd illæ & quinq; è ſex ſynchronis *Meretrici* contemporent. Seriem verò *ſex primarum Tubarum* eis contemporare ſic demonſtratur; Incipiunt enim cum *prima Tuba*, & ad finem uſq; *ſextæ* durant. Quòd incipiunt cum *prima Tuba*, ex capite ſeptimo apparet. Poſt *ſexti* enim *Sigilli* effectum, cùm procedendum ſtatim eſſet ad *ſeptimum*, quod *Tubarum Sigillum* eſt, ſuſpenſio tamen fit pauliſper, uſq; dum hæ 144 *Chiliades* conſignatæ ſint, itáq; præmunitæ adversùs *Tubarum* mala. Verùm ſimul atq; illæ conſignatæ eſſent, aperitur *Sigillum ſeptimum*, ſeptémq; Angeli cum *Tubis* ſuis apparent, &c. Quòd 144 cohortes quantùm ad belli conditionem, & ἀντιστοιχίαν ad Adverſarios qui ſub *charactere Beſtiæ* militant, terminantur in exitum *ſextæ Tubæ*, ex eo manifeſtum eſt, quòd lugubris *Teſtium* conditio quæ cum hac bellicoſa Cœtûs virginei conditione contemporat, ſub *Tubæ ſextæ* exitum finitur, cap. 11. v. 14. *Væ ſecundum abiit*, hoc eſt, *Tuba ſexta abiit*, quod immediatè dicitur poſt *Teſtium* Aſcenſionem in cœlum, magnámq; rerum commotionem, quæ eâdem horâ accidit. Quamobrem 144 *Cohortes virgineæ*, quæ conſignatæ erant initio *Tubæ primæ*, quantùm ad earum conflictantem conditionem, terminantur quidem in exitum *ſextæ.*

Atq; ſic videmus, quemadmodum in *Synchroniſmorum Tabulis* depictum eſt, 144 *Chiliadum* cohortes è duodecim Tribubus *Iſrael* ſigillo Dei frontibus conſignatas, eſſe *communem* quaſi *terminum* omnium eorum ſynchronorum ex hac atq; illac parte ſitorum; nempe ſeriei *primarum ſex Tubarum* ex uno latere, & ſex primorum noſtrorum ſynchronorum ex altero. *Decacornis* ſcilicet *Beſtiæ inſtauratæ, Beſtiæ bicornis, Duorum Teſtium ſaccis amictorum, Conculcationis exterioris Atrii*, ſive ſanctæ Civitatis, *Mulieris in deſerto*, ac *Meretricis.*

9. Ità ut tutam firmámq; totius ſucceſſionis rerum in his viſionibus Propheticis jam nacti ſimus comprehenſiunculam, ut qui mediam hanc partem tam arctè manu teneamus, ut nullo pacto poſſit elabi, quò minùs facile nobis foret, neceſſarium reliquorum ordinem aperire. Etenim neceſſe eſt ut *ſex prima ſigilla ſeptimum* antecedant, *Præliúmq;* *Michaëlem* inter & *Draconem* ſit ante vulnerationem cædémve Beſtiæ ejúſq; Inſtaurationem. Unde conſequens eſt ex ipſa natura rerum atq; ordine, eas eſſe ſynchronas; ſeriem intelligo ſex primorum ſigillorum, præliúmq; *Michaëlis* cum *Dracone.* Quòd verò *Interius Templi Atrium*, quod Angelus calamo ſuo *ſymmetrum* ſive *commenſurabile* invenit, *ſex primis Sigillis* ſit etiam *ſynchronum*, hinc apparere poteſt, quod conditionis eorum temporum *ſymbolum* tam aptum ſit & ſignificans. Nam in cruento illo *Draconis* prælio ſancti Dei vitas proprias illius causâ lubenter ſacrificabant, quod perquam aptè repræſentatur per Altare Holocauſtorum *Interiori* Templi *Atrio* collocatum, ac planè apertéq; reſpondet viſioni *Sigilli quinti*, ubi occiſorum animæ dicuntur magnâ voce vindictam petere de ſub *Altari.*

Apoc. 6. 9.

10. Sed præterea, cap. 11. viſiones de novo incipiunt à prima Temporis *Epocha* quâ Sigilla. Unde *Atrium Interius* exquiſitè ſex primis ſigillis ſynchronum eſſe oportet, cùm *Exterius* Atrium cum ſeptimo inceperit.

Jam verò quòd nova vaticiniorum ſeries à prima uſq; *Epocha* illîc incipiat, indicationes ſunt multæ ac notabiles cap. 10. quæ ad quemlibet hominem qui vel micam habuerit ſagacitatis convincendum ſufficiant. Primò enim, magnificentia illius Angeli, quemadmodum appellatur, qui *Librum apertum* manu tenet, tanta eſt, ut valdè veriſimile ſit minorem perſonam non eſſe quàm ipſum Chriſtum. Illuſtrium illorum radiorum gloriæ deſcriptio ab eis non multùm abludit qui primo capite ei attribuuntur. Quòd verò ἰχνεῖς appellatur, quid illud aliud eſt quàm אל גבור? Quódq; pictus ſit cum *Iride* circa caput cúmq; facie Solem referente, quid hoc ſignificare poteſt minus quàm *ſolem Juſtitiæ*, qui & *æternum eſt verbum*, cujúſq; veſtitus *Mundus* eſt quem ipſe fecit? Quin & loquela ejus ipſum facit manifeſtum, ejus rugitus ad morem *Leonis*, innuens eum *Leonem eſſe ex Tribu Judah.* Videtur igitur quòd is qui ſub ſpecie *Agni* librum *ſeptem Sigillis* obſignatum ad ultimum uſq; *Sigillum* aperuerat, ſub alia ſpecie hîc appareat novam vaticiniorum inchoans ſeriem ab eadem *Epocha* in *Libro* hoc *aperto.*

11. Qua de re adhuc certiores eſſe poſſumus ſi conſideremus quòd in locum *ſeptimi Angeli* ſe intulerit, *Tubæq;* *ſeptimæ* ſpacium *ſeptem Tonitruis* compleat; Quod ſignum evidens eſt totum curriculum *ſeptem Sigillorum* percurſum eſſe ad ultimum uſq; *Tonitru* Diei Judicii, eò uſq; vel potiùs eo modo quo ipſi hoc tempore viſum ſit percurrere, antequam orſurus ſit de novo.

12. Tertiò, Ex eo quòd jurat, *tempus non fore amplius, ſed in diebus vocis ſeptimi Angeli, quum futurum eſt ut clangat, conſummandum eſſe Myſterium Dei ſicut annunciavit ſervis ſuis Prophetis*, (ubi proculdubio reſpicitur illud Dan. 12. 7.) manifeſtum eſt temperare ſe ab explicitè procedendo ad finem uſq; *Sigilli ſeptimi*, hoc eſt, ad *Tubæ ſeptimæ* ſpeciale ac determinatum effectum. Quæ ſuſpenſio haud parùm nobis confirmat *Regreſſionem* eſſe; & quò, obſecro, niſi ad ipſam primam novæ ſeriei vaticiniorum Epocham? *Immò* verò *Regreſſio* neceſſariò ſupponitur propter juramentum Angeli, *tempus non fore ampliùs* niſi quod à *Tuba ſeptima* occupatur, cujus clangor non eſt ante *Teſtium Reſurrectionem*, utì videre eſt ſequenti capite, verſ. 14, 15.

13. Quartò, *Novus* hic *liber*, (quod tamen nunc haud ità probabile cenſeo, ſed priorem potiùs eſſe librum cujus ſigilla omnia ab Agno aperta ſint, quíq; illius adhuc in manu ſit, tametſi ſub alia ſpecie appareat) aut *nova* libri *conditio* (utpote qui liber *apertus* nunc eſt, cùm antea eſſet *ſignatus*, prior liber *oculis conſpiciendus*, hic *deglutiendus* in *ventrem*) *novam* innuit vaticiniorum *ſeriem* inchoandam, diverſæ naturæ à priori, unâ, putà, *Fatum Imperii* reſpiciente, alterâ *Eccleſiæ*, ut vult Cl. *Medus*; ut univerſus verò hic paratus nulli novo Inſtituto inſerviat, mira res eſt & incredibilis.

14. Quintò, Illud quod eruditiſſimus *Medus* urget de *voce de cœlo tanquam Tubæ colloquentis* cum *Johanne*, ſuâ vi non caret. Etenim, quemadmodum aliàs notavi, mentio *Tubæ*, quæ loco hoc tertio ſupprimitur, quámq; J. *Medus* vult ſubintelligi, omitti hîc poteſt, nè ſenſus vaticiniorum nimis apertus ſit & expoſitus. Verùm obſervatu dignum eſt ſatìs notabilem Affinitatem intercedere inter Introitum primæ illius ſeriei Prophetiarum *Sigillorum*, atq; harum *Libri aperti.* Nam manifeſtum eſt cap. 4. v. 1. quòd ait *oſtium apertum eſſe in cœlo, primámq; vocem, quæ erat tanquam Tubæ,*

Tubæ, cum eo collocutam: Ità hîc cap. 10. ait, *vocem de cœlo cum eo collocutam eſſe.* λαλοῦσα μεθ' ἐμοῦ· quo innuitur vocale colloquium vel ſermocinatio. Et loco prioris ἡ πρώτη, hîc ponitur πάλιν. Quod tametſi referri poteſt ad vocem de cœlo v. 4. tamen quò minus opus eſt hac intimatione cœlíq; mentione propter rem tam recens factam, eò probabilius eſt referri oportere ad vocem de cœlo quæ collocuta eſt cum eo Cap. 4. 1. Eóq; magìs, quòd illa ſola vox dicta ſit λαλοῦν, hæc autem verſ. 4. hujus Capitis tantummodo λέγων· ac proinde tam rectè dici non poteſt, πάλιν λαλοῦν, cùm nè omninò quidem λαλοῦν dicta ſit antea. Quapropter verſ. 8. πάλιν λαλοῦσα μεθ' ἐμοῦ maximè naturaliter refertur ad Caput 4. v. 1. ac proinde novum ab ea ipſa *Epocha* vaticiniorum initium indicat.

15. Sextò & ultimò, Poſtquam *Johannes* libellum devorâſſet, tales equidem licet obſervare circumſtantias quæ ſtrenuè ſuggerant novam vaticiniorum ſeriem ordiendam eſſe, qua *Eccleſiæ Fatum* præcipuè contineri videatur. Primùm, ex eo quòd libellus quanquam in ore ejus dulcis erat tanquam mel, amaruiſſe tamen dicitur in ventriculo. Qua de amaritudine harum Prophetiarum præ iſtis quæ anteceſſerunt, nulla reddi poteſt ratio ſi idem ſubjectum reſpiciant, unæq; ad *Imperium* non pertineant, alteræ verò ad *Eccleſiam* Dei. Quamobrem *Eccleſiæ fatum* his continetur, ac proinde ab *Epocha* perinde alta ordiendæ ſunt atq; illæ *Imperii*. Deinde, ex eo quòd Angelus ait, δεῖ σε πάλιν προφητεῦσαι. Quæ quidem locutio, niſi ipſi rurſus incipiendum eſſet prophetare à prima uſq; *Epocha* eorum temporum de quibus hactenus prophetaverat, omni careret ratione. Nam ſi ſimpliciter ſignificet eum iterum prophetare debere, eo ſanè ſenſu iterum atq; iterum jam prophetaverat, ut qui tot viſiones viderat, earúmq; fecerat declarationes. Tertiò denique, ex eo quòd additur, *Coram populis, gentibus, linguis, & regibus multis*, argumento eſt, eum non ad pauca quæ reliqua ſunt *particularia* pergere, ſed magìs excitatè jam & evigilatè agere oportere, altiúſq; rem repetere; cúmq; jam *libello devorato*, quaſi cibo ſumpto, refectus eſſet, de novo curriculum facere à prima uſq; *Epocha*, & ſic ut univerſi Mundi res æquè hîc agatur atq; in Prophetiis *Sigillorum*.

16. Hæ rationes, ſpero, quemlibet inducere poſſunt ad credendum, quòd caput undecimum à *prima* viſionum *Apocalypticarum Epocha* incipiat. His verò adde, quòd caput duodecimum ſic incipit, quemadmodum jam demonſtratum eſt. Nulla enim viſio inter *Sigilla* eſt, quæ *Michaëlis* pugnâ cum *Dracone* ſit prior. Quod demonſtrationi eſt, quòd S. *Johannes* ſecundâ hac vaticinandi vice ad altiſſimam *Epocham* recurrit, novámq; orditur vaticiniorum ſeriem, quæ nempe pertinent ad *Eccleſiam*. Quod cùm tam clarè conſtat, quemlibet appello an omninò credibile ſit aut poſſibile, ut cum viſione adeò *acephala* inciperet, quæ à prima *Epocha* trecentis quadringentíſve annis deficiat.

17. Quamobrem, proculdubio ut *Exterius Atrium* gentibus calcatum *primis ſex Tubis* in ſigillo ſeptimo ſynchronum eſt, ità *Atrium Interius primis ſex ſigillis* eſt ſynchronum, quod erat demonſtrandum. Quæ quidem concluſio ſummæ utilitatis eſt maximíq; ponderis, ſicut ſuo loco apparebit. *Cap 8. ſect. 7. Cap. 9. ſect. 1.*

18. Et ut tandem finiam; ut *Medialia* noſtra *ſynchrona* ea quæ præcedunt neceſſariò ad hunc modum detexerunt; ità pari facilitate & certitudine etiam quæ ſequuntur, detegent. Nam *Millenne Sanctorum Imperium, Ligatio Satanæ, Turbæ palmiferæ Triumphus, Cæleſtiſq; Hieroſolyma* in terris conſpicua, hæc omnia aliquo ſenſu cum *Tuba ſeptima* planè contemporant. *Septimus igitur Angelus clanxit, & factæ ſunt voces magnæ in cœlo, dicentes, Facta ſunt regna mundi, regna Domini noſtri & Chriſti ejus, qui regnabit in ſecula ſeculorum.* Adeò ut manifeſtum ſit *Millenne Chriſti* Sanctorúmq; *Imperium* ſub *Tuba ſeptima* eventurum eſſe. *Turba* etiam *Palmifera* immediatè ſuccedit 144 *Cohortibus virgineis*, quæ *ſex primis Tubis contemporant*, unde & *Turba* hæc *Palmifera* ſub *ſeptima* neceſſariò eſt. *Ruina* etiam *Babylonis ſextæ Tubæ* conterminat; ac proinde *Nova-Hieroſolyma* quæ ſuccedit, neceſſariò reperitur in ſeptima. Et poſtremò, *Satanus* qui cum *Michaële* pugnavit per *ſex prima* continua *Sigilla*, adeóq; dominatus eſt in regno *Antichriſti* per *ſex primas Tubas*, dici non poteſt *ligari*, in *Abyſſum conjici*, ibíq; obſeratus includi in mille annos, ante *millenne* Chriſti *Imperium*, ante gloriam ac ſplendorem *Cæleſtis Hieroſolymæ* in terris, ante *Turbæ Palmiferæ* victoriam & Triumphum, hoc eſt, ante clangorem *Tubæ ultimæ*, non ſolâ *ſynchronorum* ſerie, ſed & ipſarum rerum *naturâ Satanæ ligationem* in poſtremam illam temporum Periodum propellente.

Hoc

Hoc admodum planum eſt atq; obvium. Quòd ſiquis adhuc hæſitet, legat *Joſ. Medum*, Part. 2. Synchroniſm. 4, 5, 6, 7. ubi pleniorem habiturus eſt & copioſiorem demonſtrationem horum ſynchronorum *Tubæ ſeptimæ* contemporantium. Quomodo verò hæc *contemporatio* intelligenda ſit, ex ſequenti capite meliùs apparebit.

CAP. VIII.

1. *Ratio, cur* ſex primæ Phialæ *intra* Tubam ſextam *collocentur, apud* Joſeph. Medum. 2. *Quòd veritas hujus rationis ab haud veriſimili ſenſu* expirationis Regni Beſtiæ *dependeat, quaſi immediatè paſt* 42 *menſes integrè & univerſim eſſet expiraturum.* 3. *De interpretatione* Styli Prophetici *cautio.* 4. *Expiratio* Regni Beſtiæ *in exitu Tubæ ſextæ*, partialis *ſive* ſpeciminalis *eſſe, ex eo quòd Tuba ſeptima* Væ-Tuba *appelletur, probatur*; 5. *Uti etiam à* ſeptem Tonitruis. 6. *Duo alia Argumenta eódem ſpectantia.* 7. *Deniq; à fixa* Epocha ſynchronorum Medialium, *cum rebus* Europæ *comparatâ.* 8. *Hinc ſequi, quòd omnes* Phialæ *loca ſua capeſſere debeant in* Tuba ſeptima, *utpote quæ* ſeptem ultimæ Plagæ *ſunt.* 9. *Idemporrò probatur à cantico* Citharistarum *poſt partam in Beſtiam victoriam*; 10. *Et ab ordine viſionis* Phialarum, *ut & à* Templo *(ex quo Angeli egrediuntur) poſt* ſextam Tubam *apparente, & ante ullius* Phialæ *effuſionem.* 11. *Quo ſenſu* Synchrona Medialia *in Exitu* Tubæ ſextæ *ſint implenda.* 12. Medialia ſynchrona *quocunq; ſenſu gradúve expirent, omnia ſimul expirare.* 13. *De initio* Synchronorum Poſt-Medialium, *quidq; tempus ſit* Millennii *magis eminenter ſic dicti.* 14. *Utilitas præmiſſorum horum ritè ordinatorum* ſynchroniſmorum *ad ulteriorem Inquiſitionem in ea vaticinia quæ lapſum Eccleſiæ in* Antichriſtianiſmum *prædicunt.*

1. OMiſeram ferè *Phialarum* collocationem, quarum *ſex primas* Cl. *Medus* intra *Tubam ſextam* collocat, ob hanc breviter rationem: Quòd cùm *ſeptem ultimæ Plagæ* ſint *Beſtiæ*, ab occidentis & ruentis *Beſtiæ* initio debeant incipere. Verùm ſuprà probatum eſt quadraginta duos menſes dominationis Beſtiæ & victoriarum in Sanctos, cum ultimo halitu Tubæ ſextæ expirare, quemadmodum omnia *Synchrona Medialia* faciunt. Ac perinde verum eſt, *Thronum Beſtiæ tenebroſum non ſieri* ante *Phialam quintam.* Unde concludit *quinq;* ſaltem *Phialas*, ſi non *ſex, Tubam ſeptimam* præcedere.

2. Quæ quidem Cl. *Medi* ratiocinatio admodum firma foret, ſi certi eſſe poſſemus ſenſum durationis Beſtiæ per 42 menſes talem eſſe qualem ille ſupponit. Quòd duratio nempe regnúmve ejus intelligendum ſit *abſolutè* (quaſi tamdiu regnatura eſſet non autem diutiùs) nequaquam verò *comparativè*, hoc eſt, quòd exactis 42 menſibus non regnatura ſit cum tam plena poteſtate ſplendidiſq; victoriis in *Sanctos*, ità eos ſubdomando ut diſtincta *Politia* ſive *Dynaſtia* apparere non poſſint ſatis potens ac valida ad ſeipſam defendendam ab illius Tyrannide & Crudelitatibus.

Qui poſterior legitimus vaticinii poteſt eſſe ſenſus, perinde ac prior, nempe, Quòd ſimul atq; *Regnum* apparuerit ſive *Politia* ex *Chriſtianis* verè *Evangelicis* ſive *Apoſtolicis* conſtituta, non Superſtitioſis, non *Idololatricis*, non *Sanguinolentis*, mináſq; ac cædem adversùs veros Chriſti diſcipulos ſpirantibus, ſed qui animitùs in manifeſtis Religionis Chriſtianæ articulis conſentiant, nec alia ponant Fundamenta quàm quæ indubitatus verbi Divini ſenſus requirat, in aliis homines liberos ſibi permittentes; ſimul, inquam, atq; hujuſmodi *Politia* extiterit, quòd quadraginta duo menſes Beſtiæ dici poſſint, & quantùm ad regni illius *integralitatem*, & ex eo quòd id jam inceptum ſit quod illis certò ruinam pariet, exiiſſe, ac proinde *Stylo Prophetico*, ruinam æſtimetur jam dediſſe. Juxta quam rationem *Cap. 21. 9.* *J. Medus* interpretatus eſt illud apud *Eſaiam*, *Cecidit, cecidit Babylon*; Cùm tamen *Eſaiæ* temporibus prima duntaxat jacta eſſent ruinæ ejus fundamenta per *Medos*, qui jugum *Aſſyrium* excutientes, ſéq; aſſerentes in libertatem, *Ecbatanáq;* ſub novo ſuo Rege *Deioce* ædificantes, Regni fundamenta jecerunt, quod fatale futurum erat *Babyloni.*

Nec

Nec certè commodè intelligere poſſumus illud in *Apocalypſi*, poſt clangorem *Tubæ ſeptimæ*, ad eum planè gradum quo dictum videtur, *Facta ſunt regna mundi regna Domini noſtri ac Chriſti ejus.* Cujus quidem fateor me non poſſe non ſuſpicari ſenſum maximè ſobrium Dicti illius Servatoris nonnihil eſſe ſimilem, *Nunc mundi hujus adeſt Damnatio, nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foràs.* Et tamen Poſſeſſionem tenuit uſq; ad tempora *Conſtantini.* Cæterùm tali ſenſu quo regna mundi ſub initium *Tubæ ſeptimæ* fiant regna Chriſti, *Beſtia* etiam ſuum Regnum perdidit, menſéſq; quadraginta duo expiravêre. *Johan.12.31.*

3. Magna igitur cautio adhibenda eſt in locutionibus Propheticis intelligendis, quæ ſemper altum admodum grandéq; ſonant, réſq; ſic exprimunt, quemadmodum mentem maximè impleant, fortiſſiméq; feriant Imaginationem; quæ ſi præcisè ſcriberentur, reſtrictéq; ad μικρολογίαν, ſtyli altitudinem majeſtatémq; diminueret & deprimeret, facerétq; ut apud lectorem vim ſuam planè perdant *ecſtaticam* ac *raptoriam*; ut taceam notabilem utilitatem quam iſtiuſmodi animoſæ pompaticæq; locutiones ſecum adducunt.

4. Neq; hic poſſibilis ſolummodo ſenſus eſt expirationis 42 *menſium Beſtiæ* cum *Tuba ſexta*; ſed valdè etiam probabilis. Primò, quoniam *Tuba ſeptima* una ex *væ-Tubis* eſt, & ruinam proinde cladémq; in aliquo ſenſu ſignificat. *Væ ſecundum abiit*, (hoc eſt, illius Præfiguratio, tali ſenſu quo *Ovidius* ait, *Janus habet finem*; manifeſtum verò eſt quòd effectus *Tubæ ſextæ* poſt inceptam *ſeptimam* durare poteſt, ut effecta *primi Sigilli Tubæq; primæ* durârunt poſtquam *ſecunda* incepiſſent, ſucceſſione, in effectis, harum partium viſionum non quidem jacente, ut Pavimenti teſſerulæ, ſed ut ſquamæ Piſcium, ubi pars poſterior prioris ſuper priorem poſterioris partem obducitur; ſed hoc obiter dictum ſit) *& ecce Væ tertium veniet citó.* Quæ hæc *ſeptima Tuba* eſt, quæ igitur Flatus eſt deſtructionis in omnes Poteſtates quæ ſe Chriſti regno opponunt. Quod igitur eum ſupponit prodire vincentem & ut vinceret, totúmq; opus nondum conſummatum eſſe in ipſo introitu Tubæ ſeptimæ, ſed tantum adhuc ſupereſſe ut veriſimillimum ſit 42 menſes Beſtiæ nondum exactos eſſe ullo alio ſenſu quàm quo jam definivimus.

5. Quod adhuc magìs conſentaneum videbitur, ſi, ſecundo in loco, *ſeptem Tonitrua* conſideremus, quæ nullus dubito quin partes integrales ſint *Tubæ ſeptimæ.* Textúſq; ait, quòd *fortis ille Angelus* (quem Expoſitores vulgò Chriſtum interpretantur Leonem è Tribu *Judah*) *clamavit voce magnâ ſicut Leo rugit, quódq; cùm clamaret loquuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas*, ſic enim *Græcus* Textus ſe habet, καὶ ὅτε ἔκραξεν, ἐλάλησαν αἱ ἑπτὰ βρονταὶ τὰς ἑαυτῶν φωνάς. Quamobrem perpetuus hic rugitus Leonis è tribu *Judah* per *ſeptem* hæc *Tonitrua*, diſtinctióq; ſpacii Tubæ ſeptimæ in has ſeptem portiones, in quibus proculdubio belli ſtatus, ſeptémq; notabilia prælia ac victoriæ, Judiciáve ac Triumphi, miráve molimina, aliquo in ſenſu, intelliguntur, perquam latam ſupponunt *Continentem*, quæ de jure ad Chriſti regnum pertineat, ſub initium Tubæ ſeptimæ, nondum debellatam. Ac proinde valdè probabile eſt perquam magnam *Romani* Imperii partem ſub juriſdictione & regimine Bicornis Beſtiæ eſſe poſſe etiam ſub primum *Tubæ ultimæ* flatum, intráve *Tonitrui primi* fragorem.

6. Tertiò, Dicitur de *Meretrice Babylonica*, quæ damnatur ad concremationem, quòd fumus ejus aſcendit εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, hoc eſt, ad remotiſſima noviſſimáq; mundi ſecula. Nullus autem fumus eſſe poteſt quin aliquid ignis ſubſit, nec ſanè ignis, niſi materia aliqua ſit combuſtibilis. Qui locus igitur inſinuat aliquid *Meretricis* ſuperfuturum quod comburatur, in poſtrema uſq; mundi ſecula, in ſecula uſq; *Tubæ noviſſimæ.* Et manifeſtum eſt dum quidam Reges eam igne exurunt, quòd alii illius vicem dolent, defléntque, *(tales utiq; qui cum ea ſcortati ſunt & luxuriati) dum fumum vident incendii ejus.* *Apoc.* 19 3. *Apoc.* 18.

Quartò, Divinæ ſapientiæ magìs conſentaneum videtur ut Antichriſtiani hi *Canaanitæ* ad tempus maneant, partim ut umbra maculáve ſint ad quam Eccleſiæ Apoſtolicæ immaculata puritas amabiliſq; pulchritudo comparata illuſtrior appareat, & partim ut in excitamentum ſint & exercitium zeli eorum & vigilantiæ, aliarúmq; omnium gratiarum ac virtutum.

7. Quintò & ultimò, Synchronorum *Medialium Epocha* tam firmiter affixa eſt temporibus circa annum à Chriſto nato quadringenteſimum, tum propter rationem brevis ſpacii durationis *Regis ſeptimi* ad durationem *ſexti*, Atriíq; *interioris* ad *exterius*, tum etiam propter exquiſitam concinnitatem *Medanæ* Interpretationis *Tubæ primæ*, ut omninò non ſit veriſimile, Reſiduum, ſiquod ſit, 42 *Menſium, Annorúmve Regni Beſtiæ* mille ducentorum ſexaginta, ad talem Imperii mutationem

ſufficere

ſufficere poſſe, quæ ad pleniorem *exitûs* regni illius ſenſum aſſurrectura ſit, quàm nos jam tradidimus. Et Interpretes certè, quanquam Prophetæ per raptum & ecſtaſin ſcribunt, viſiones tamen eorum exponere debent cum cautione & ſobrietate. Niſi res *Europæ* derepentè dehiſcant, quemadmodum *Olaus* de Oceano glaciali narrat, quem & rugire ait Tonitrui inſtar in fiſſura glaciei, ſtatímq; glaciem ſubſidere, (quod miraculum eſt ſupra omnem fidem) nullam video omninò probabilitatem ſenſûs cujuſquam alîus reſtringendi *Regnum Beſtiæ* ad menſes 42, quàm iſtiuſmodi quem nos jam declaravimus.

8. Cujus Concluſionis conſequens quidem hoc eſt, Quòd nulla ratio reliqua ſit cur ſeptem *Phialas* ante Tubam ſeptimam collocemus, quódq; proinde luxatio quædam ſchematis *Chronologici* vaticiniorum meritò exiſtimari poſſit, quæ Cl. *Medus* aliàs magno ſanè cum judicio & acumine diſpoſuit. Quamobrem locum debitum unumquodq; membrum capeſſat, ſeptémq; *Phialæ* aut ſeptem *Tonitruis* currant parallelæ; (Quæ tunc probabilius eſt ſuppreſſa fuiſſe, quòd hæ illorum locum ſuppleturæ eſſent) currant, inquam, intra *Tubam ſeptimam*, ut *Tubæ ſeptem* intra *ſeptimum ſigillum*, (Hæc enim videtur facillima, naturaliſſima maximéq; approportionata
Apoc. 15. 1. ipſarum diſpoſitio. Hujúſq; Poſituræ jus ſibi vendicare videntur, ex eo quòd appellentur ſeptem *Plagæ ultimæ* per quas expleta vel finita ſit ira Dei, quod fieri non poſſet niſi *Tubæ ultimæ* plagæ eſſent) aut ſaltem ſynchronæ ſint *Tonitruo primo*, ut *ſeptem Tonitrua Tubæ ultimæ*. Qua de re ſuo loco magìs determinatè diſſeremus.

9. Quibus omnibus addere potes quod occurrit Apoc. 15. ubi mentio fit eorum qui victoriam jam nacti erant adversùs Beſtiam, & *Iſraëlitarum* more ex *Ægypto* effugerant, & propterea Citharas Dei manu tenentes cantant Canticum *Moſis* ſervi Dei & Can-
Apoc. 15. 3, 4. ticum Agni, dicentes; *Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine, Deus Omnipotens, juſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſanctorum. Quis non timebit te, Domine, & glorificabit nomen tuum? Nam ſolus ſanctus es. Nam omnes gentes venient & adorabunt coram te, nam judicia tua patefacta ſunt.* Quod ad amuſſim noſtræ ſuppoſitioni reſpondet. Primò, nempe, particularem aliquam duntaxat fore victoriam, Regnúmq; Chriſti ad aliquot Nationes Regnáve reſtrictum iri; quod cùm futurorum ſucceſſuum ſit pignus, in cœlo fit illa Acclamatio, *Regna hujus mundi regna facta ſunt Domini noſtri ac Chriſti ejus.* Cujus quidem ſententiæ hoc *Citharîſtarum* canticum commodiſſima videtur Interpretatio, *Omnes gentes venient & adorabunt coram te, nam judicia tua patefacta ſunt.* Non quòd jam veniſſent, ſed quòd cer-
* Verſ. 5. tum ſit eas aliquando illius poteſtati ſubjectum iri. Hic primus aſpectus eſt * Templi Tabernaculi in cœlo, quò Teſtes etiam aſcenderunt.

10. Poſthæc verò *ſeptem Phialarum* effuſio eſt, ut planè ex rerum ordine in Textu conſtat, ſive illa *Medialia ſynchrona* notaveris, quæ ſuæ durationis tempore illu-
* Apoc. 13. 5. ſtrantur (ut illud * *Beſtiæ inſtauratæ*, cui mox additur * *Cœtus virgineus* tanquam Pa-
* Apoc. 14. rallelâ oppoſitione cum ipſa decurrens) poſt quæ hoc *Moſis* Canticum ſequitur, in gratiarum actionem pro primis illis victoriis contra Beſtiam, ſive Templum conſideraveris apertum in cœlo, quod hoc Canticum *Moſis* ordine ſequitur, & ex quo Angeli qui ſeptem habent phialas, prodeunt. Nam ab utriſq; innuitur, quòd *Phialæ* omnes in *ſeptimam Tubam* procurrunt. Quod porrò confirmari poteſt ex cap. 11. ubi etiam Dei Templum aperitur in cœlo, Arcáq; fœderis utì hîc memoratur, brevíſq; iræ futuræ ſignificatio, adeò ut valdè rationi conſonum ſit exiſtimare eandem rem utrobiq; intelligi. Aſpectus verò Templi (cap. 11.) Arcæq; eſt poſt initium clangoris Tubæ ſeptimæ. Ergo ſeptem Phialæ intra clangorem Tubæ ſeptimæ ſunt.

11. Breviter, (& ſic tamen ut ad imum uſq; præſentis controverſiæ pertingamus) ſummi quidem momenti eſt obſervare, quòd ſeptem *ſynchrona Medialia* Prophetiæ *libri aperti*, impletionem ſuam habent vel quoad *Speciem* vel quoad *Gradus* in eadem ſpecie, cùm vel unus gradus ſufficiat ad vaticinium implendum quoad *ſpeciem*: quódq; unum horum *ſynchronorum* impleri non poteſt quoad *ſpeciem* vel quoad *gradus*, quin eo ipſo omnia impleantur, quippe quæ tam arctè intiméq; inter ſe cohærent. Ut exempli causâ, ſi ſupponamus vel in una Republica Regnóve Chriſtiani orbis Eccleſiam rurſus factam purè Apoſtolicam in doctrina pariter & diſciplina, in vita atq; moribus, hinc ſtatim ſequitur *Regnum Beſtiæ* quoad *ſpeciem* hîc expirâſſe, hoc eſt, unum hoc eſſe ſpecimen Inſtantiámve hujus *ſpecifici* eventûs, nempe iſtiuſmodi expirationis *regni Beſtiæ* quæ *Reſurrectionem Teſtium* ſecum adducat, regníq; Chriſti ſucceſſionem in eo loco. Quod quidem ſi contingat ſub exitum 42 menſium à legitima Epocha deductorum, Prophetia verè impletur in omnibus circumſtantiis quoad *ſpeciem*, in hoc primo exemplo; ſed longiùs longiúſq; poſtea procedere poteſt, quantùm ad *gradus* & *latitudinem*.

Cæterùm

Cæterùm quod ſpeciatim hîc contendo hoc eſt, quòd primus hic impletionis modus ſolummodò intenditur in *Medialibus* his *Synchronis* Prophetiæ *Libri aperti*, gradúſq; *Phialis* reſervantur in *Tuba ultima.*

12. Quódq; id quod dixi de *Regno Beſtiæ*, neceſſariò verum eſt de reliquis; Impletionem ſcilicet eorum contemporantem cum ſex primis Tubis primóq; Tubæ ſeptimæ flatui conterminam, impletionem eſſe tantùm quoad *ſpeciem*, vel quoad *eſſe*, non quoad *gradus*, qui *Tubæ ſeptimæ* reſervantur. Ratio autem eſt, quia univerſa hæc ſeptem Synchrona tam arctè uniuntur, adeóve unam eandémq; rem ſignificant, ut neceſſe ſit ut promoveantur & retardantur ſimul. Verbi gratiâ; *Meretricem Babylonicam* concipere non poſſumus in uno aliquo Regno igne exuſtam, hoc eſt, *Clerum* ceſſare *Idololatricum* eſſe & *Antichriſtianum*, puréq; Apoſtolicum evadere quantùm ad doctrinam & diſciplinam, quin ſimul certi ſimus Civilem etiam Magiſtratum *Antichriſtianum* eſſe ceſsâſſe, *Beſtiámq; decacornem* hoc in loco ſuos quadraginta duos menſes tranſegiſſe, *Beſtiam* etiam *bicornem* evanuiſſe, ut quæ eadem eſt quæ *Meretrix*, *Teſtéſq;* lugubrem ſuam Prophetiam abrupiſſe, utpote qui hîc non habent de quo conquerantur, *Atrium exterius* hac in parte purgatum eſſe à pollutione Gentium quæ illud conculcaverant, *Mulierem* hîc diutiùs non latere inter ferinos *Idololatras*, ſed, ut glorioſa Civitas, in monte apparere, quò Gentium oculos ad ſe attrahat. Et poſtremò *ſignatas cohortes virgineas* ἀνλισοιχίαν ſuam amittere hoc in loco, & præliantium Militum vice, pacificorum Sacerdotum Collegium evadere albis veſtibus indutorum, eſſéq; ante Thronum Dei eíq; ſervire nocte diéq; in Templo ſuo.

Modo quidem hoc conjuncto *Medialia* hæc *ſynchrona* ſemper implebuntur, ſive latiùs id fiat ſive parciùs, ſive ſimpliciter quoad *ſpeciem* ſive iteratim quoad *gradus*, primâ Impletione cum introitu *Tubæ ſeptimæ* conterminante, reliquis in ea progredientibus uſq; ad effuſionem *Phialæ ultimæ.*

13. Et quod obſervatu dignum eſt, ultima illa *ſynchrona* quæ ſuprà notavimus, nempe *Millenne Chriſti Regnum*, *Turba Palmifera*, *Nova Hieroſolyma*, & *Ligatio Satanæ*, eo modo ac ratione incipiunt quibus hæc *Medialia ſynchrona* deſinunt expiránt ve. Verùm ſpecialis illa & eminentiſſima *Epocha Ligationis Satanæ*, ut & *Millennis Imperii*, non init, opinor, ante finitam *Phialam ſeptimam*; ſolutióq; illa Satanæ ad breve tempus, collocanda eſt paulò ante *ſeptimi Tonitrui* vocem, quo univerſa *Terra* concremanda eſt, *Mórſq;* & *Infernus* eis flammis ſimul involvendi. Spacium verò intermedium, *Millennium* eſt eminenter ſic dictum. Cæterùm quæ de his pinguiori modo hîc ſcripſimus, in *Viſionum Apocalypticarum Ratione ſynchroniſtica* magìs limatè accuratéq; tractavimus, quò lectorem remitto. Apoc. 20. 3.

14. Quantùm verò ad ſummam, hanc veriſſimam credo tutiſſimámq; eſſe conceptionem quam habere poſſumus de rerum ſerie in *viſionibus Apocalypticis*. Quam cùm ſatìs pro ſcopo noſtro illuſtraverimus, majori, & mihi ipſi & aliis, utì ſpero, cum voluptate, ad producenda ex volumine hoc Prophetico ea loca perrecturus ſum, quæ varia illa lapſuum Eccleſiæ in *Antichriſtianiſmum* genera prædicunt. Jam enim novimus ubi quærenda ſint, nempe inter utriuſq; Prophetiæ *ſynchrona Medialia*, quæ à temporibus circa Annum à Chriſto nato quadringenteſimum ad hæc ipſa ferè ſecula pertingunt.

CAP. IX.

1. *Tria alia* Synchrona *esse* Medialia *quæ Ecclesiæ lapsum prædicunt in* Idololatriam; *Qualia sunt, visio* exterioris Atrii à Gentibus conculcati; 2. Mulier in Deserto. *Quid per* Desertum *significetur.* 3. *Totius visionis brevis expositio.* 4. Hypallagen *esse in eo quòd dicitur* fugere in Desertum, *sicut in eo ubi* Hades *dicitur in ignem conjici, Regnúmq; apud* Danielem *Sanctis dari.* 5. *Nostram Interpretationem* Mulieris in Deserto, *quanquam differt à* Medana, *minimè tamen ei repugnare.* 6. *Tertium Synchronum,* Cœtus virgineus. *Quid significetur per* cohortes *ipsorum, quidq; per* Canticum novum *quod nemo quisquam præter ipsos discere poterat.* 7. *Quomodo* milites Virginei *lapsum Ecclesiæ in* Idololatriam *innuant.*

1. PRæter notabilia illa ac Principalia vaticinia de Idololatria Ecclesiæ in decimo tertio & decimo septimo capite *Apocalypseos*, plures occurrunt subindicationes ejusdem lapsûs aliis etiam in locis. Equidem non pauciora quàm sex è septem *Synchronis Medialibus* Prophetiarum *Libri aperti*, prædictiones sunt *Idololatricî* statûs Ecclesiæ. Quorum tria jam absolvimus, nempe *Meretricem Babylonicam; Bestiam bicornem*, & *Bestiam septicipitem decacornem.*

Primum eorum quæ supersunt est *Atrium exterius*, sive *Civitas sancta à gentibus conculcata per spacium mensium quadraginta duorum.* Quod *Atrium exterius Civitásve sancta* quòd intelligenda sit de eis qui visibilem Christianitatis professionem faciunt apud mundum, ex *Synchronismorum* evidentia apparet. Siquidem Templi *Atriive interioris* synchronismus ab ipso Ecclesiæ initio ad tempus porrigitur lapsûs illius in talem conditionem quæ Angeli calamo minimè commensurabilis esset, ac proinde facta esset rejectitia. *Sed Atrium quod extra Templum est,* ἔκβαλε ἔξω, *ejice foras*, ità verba significant. *Exterius* autem Atrium pertinet ad *Interius*, cúmq; *Judæi* multò antè rejecti fuissent, manifestum indè est, totum hoc intelligendum esse de *orbe Christiano.* Nec sanè magis mirandum est quòd Templum *Judaicum* illiúsve *Atria* Christianam Ecclesiam per Typum repræsentent, quàm quòd *Tribus* eorum id fecerint cap. 7. Nihil enim est hoc nisi tritus *Israëlismus.*

Quamobrem cùm orbis Christianus harum Actionum sit scena, cúmq; statim addatur de *Atrio exteriori quòd datum sit gentibus* (quemadmodum scriptum est, cap. 17. *Deus enim* dedit *in corda eorum ut faciant quod placitum est ei, & ut consentiant dént q; regnum suum Bestiæ donec compleantur verba Dei*) *quódq; calcaturæ essent sanctam civitatem mensibus quadraginta duobus* (quæ sancta Civitas & Atrium exterius eadem quodammodo res est, quandoquidem ipsa Castra *Israëlis* Atrium exterius erant in Deserto; Atq; hoc *exterius Atrium* Populi *Israëlitici* Receptaculum cultûs anniversarii temporibus postquam Templum extructum erat, quemadmodum observavit *J. Medus*) hinc, inquam, evidens est in fatis, si fas sit ità loqui, futurum fuisse, ut Christianus Orbis *Gentilismo*, hoc est, *Paganismo*, cujus vita animáq; est *Idololatria*, ad tantum temporis obrueretur, siquidem *sancta Civitas Atriúmve exterius* existere hîc supponitur, populus utiq; qui *Christianitatem* profitentur & externis aliquibus modis Deo sunt dedicati, sed *Ethnicâ* quadam interim superstitione & *Idololatriâ* mirandum in modum obsiti.

Apoc. 12. 1. 2. Proximum horum posteriorum synchronorum est, *Mulier in Deserto*, illa scilicet mulier quæ duodecim stellarum coronam in capite gestat, cujus gloria decúsq; est, quòd pura illa sit & *Apostolica* Ecclesia, incontaminata superadditiis superstitionibus & *Idololatriis*, illa mulier quæ dicitur *clamare parturiens & cruciari ut pareret*, póstq; diuturnos cruciatus ac dolores, hoc est, post acerbissimas persecutiones *peperisse filium masculum qui gentes esset recturus*; Hæc mulier cùm ipsa locum non mutaret, dicitur tamen nihilominùs *aquilæ alas habere sibi datas*, quibus in *Desertum* volaret, ut ibi tuta esse posset à persecutione *antiqui Draconis rufi*, qui sanguinolentæ sunt Imperii *Romani* Potestates Paganicæ ad Christianitatem nondum conversæ. Atq; equidem per hujusmodi fugam, quanquam in Desertum solummodò, contra eas satis munita est. Quòd verò in *Deserto* esse dicitur, subindicatio est eam abscondi misceríq; inter eos qui sub externa Christianitatis professione propter superstitiosos suos ac *Idololatricos* cultus Pagani rursus videbantur evasisse; quemadmodum intelligere est ex interpretatione symboli *Desertum* in

v. 2.

v. 5.

v. 14.

Alphabeto

Alphabeto Prophetico. Homines enim non *meram Arborum Bestiarúmq; solitudinem* per *Desertum* intelligendos esse manifestum est ex illo apud Evangelistam, *Vox clamantis in Deserto, parate viam Domini, complanate semitas ejus.* Quod *Bestiis arboribúsq;* ille non dixit, sed *Hominibus*, quos hæ referunt quando functionibus & oblectamentis Naturæ merè vegetabilis ac animalis toti occupantur, cujus pars una est *Superstitio* & *Idololatria*, quemadmodum suprà monuimus. Matth. 3. 3. Vid. lib. 1. cap. 12. v. 3 sect. 1.

3. Sensus igitur hujus vaticinii hic est; Quòd pura & *Apostolica* Ecclesia quanquam eo ipso, ad tempus, à *rufo Dracone* defenderetur, serpsit tamen interea & longè latéq; se in ea diffudit Christiano-Paganismus quidam ab una parte ad alteram *Orientali* ad *Occidentalem* Aquilæ sive Imperii *Romani* alam. Quod propter *Orientales* suos ac *Occidentales Cæsares* cum duabus alis figuratur, ídq; faciliori concinnitate quàm *Pardus* apud *Danielem* cum quatuor, quæ *Græci* Imperii in quatuor partes divisionem significant. Hoc igitur subindicat *Græcam* Ecclesiam perinde ac *Latinam* in re cultûs Idololatrici fuisse culpabilem, juxta id quod de *duobus cornibus Bestiæ* notavi, ea significare scilicet *duos Patriarchatus* Imperiales, unum *Romæ*, alterum *Constantinopoli*, duas principales Cleri *Idololatrici* summitates. Nullus quidem dubito quin hæc significatio sit *Mulieris in Deserto.* Quamvìs id durius dictum videatur, quòd *volet* in Desertum, cùm *Desertum* hoc illam potiùs invadat atq; occupet quàm illa Desertum in re significata. Cap. 7. 6.

4. Sed *Hypallage* est, cujus hoc exemplum non est solitarium, sed illi consimile ubi *Hades* dicitur in *stagnum ignis ardens sulphure conjici*, cùm tamen Ignis in *Hadem* potiùs conjiciatur, in *Mundi conflagratione*, fulmine ac fulgure accensus. Figura sanè etiam sine necessitate & propter elegantiam à Poëtis affectata & usurpata.

Brutium Ponto feriente Corum.

Hujusmodi etiam *Hypallagen* suspicor esse apud *Danielem* cap. 7. ubi ait, *Universa sub cœlo regna datum iri populo Sanctorum Altissimi.* Cujus rei sensus nihil aliud quidem esse potest, quàm quòd ii qui hæc regna jam possident, Sancti fieri possunt, hoc est, Professores & Fautores Religionis puræ ac *Apostolicæ*, & *Idololatricis* Inventis Decretísq; Antichristi incoinquinatæ. Sed utcunque, hoc sanè optabile est, ut ii qui nimis propensi sunt ad imaginandum se Sanctos esse si hæc *Hypallage* non placeat, saltem modestiam Locutionis in Textu imitentur, nolíntq; Regna capere antequam ipsis data sint.

5. *J. Medus* visionem interpretatur *Mulieris in Deserto* in sensu paululùm à nobis diverso, comparando *Israëlitarum* fugam à *Pharaone* in Eremum, fugæ Mulieris à *Dracone rufo*, ipsorúmq; libertatem serviendi *Jehovæ* secundùm ritus à *Mose* institutos, Christianorum libertati ad suam Religionem exercendam; lapsus etiam in *Idololatriam*, *Apostasiæ Idololatricæ* Ecclesiæ Christi in hoc statu; Itinerationes deniq; eorum quadraginta duas in eremo, Num. 33. memoratas, quadraginta duobus mensibus quibus Mulier dicitur manere in Deserto. Qui si expressim eisdem terminis descripti fuissent, nec solùm æquivalenter in 1260 diebus, sive Tempore, Temporibus & dimidio Temporis, magìs apta fuisset magísq; aperta Ratio. At enimverò, utcunque, interpretatio admodum elegans est atq; plausibilis, unúsq; esse potest Typi sensus quanquam non solus. Est enim horum Typorum Propheticorum proprium ut abundent Allusionibus. Cùm verò status Ecclesiæ in *Deserto* idem sit atq; Captivitatis illius ac servitutis in *Ægypto*, quemadmodum apparet ex Apoc. 11. hâc ratione Interpretationem quam ego dedi probabiliorem censeo, vel potiùs magis Authenticam. Cæterùm non video quî necesse sit ut una alteram excludat, cùm Regnum *Draconis*, verè *Pharaonis* regnum sit in novos hos *Israëlitas*, (nisi quòd hoc Draconis regnum magìs sanguinolentum erat) statúsq; rursus *Deserti* in quo Mulier occultatur non solùm *servitutis Ægyptiacæ* renovatio, sed & instauratio *Draconis* quatenus *Idololatrici*, in fabricando tam vivam ejus Imaginem in novo hoc *Pagano-christianismo*, quem visiones *Apocalypticæ* tam copiosè prædicunt. v. 8.

6. Posteriorum horum synchronorum *Prophetiæ libri aperti* tertium atq; ultimum est *cœtus virgineus*, *signati milites Agni* super montem *Sion*, quorum descriptio mirandum in se continet mysterium. Nam quòd dicuntur 144 *Chiliades* sive cohortes esse, non quidem *numeri* ipsorum definitio est, sed *naturæ* ac *qualitatis* secundùm consuetudinem antiquæ *Cabbalæ*, quæ proprietates rerum per numeros describit. *Radix* igitur Numeri 144. quæ *duodenarius* est, planè ostendit eos veros esse discipulos ac successores illius Ecclesiæ quam Christus in *duodecim Apostolis* Apoc. 14 1.

fundaverat, Religionémq; Chriſtianam non adulterâſſe cultu ullo Idololatrico illicitíſve hominum Inſtitutis, ſed ſ lem ipſi ſervâſſe, cujus nomen frontibus inſcriptum gerebant, tanquam *ſignati Dei Chriſtiq; ſervi, redemptóſq;* inæſtimabilis ſanguinis illius pretio noluiſſe *hominum ſervos* ulla in re fieri ad dedecus & incommodum illius qui eos redemerat.

Novum etiam illud *Canticum* quod Citharistæ Citharis canunt ante Thronum, *quod nemo poteſt diſcere niſi illa centum quadraginta quatuor millia*, quid aliud eſt quàm puræ Conſcientiæ gaudium & immaculatæ coram Deo & omnibus Sanctis ejus, & ineffabilis voluptas Divini Spiritûs in nobis habitantis, cujus nulli participes eſſe poſſunt præterquam *novæ Nativitatis* filii à *terra redempti*, & liberati animo & affectu ab omnibus illaqueamentis hujus præſentis ſeculi, qui ſimplex cor habent ac ſincerum, & in *quorum ore non eſt inventus dolus*, ſed recti & inculpati ſunt ante Thronum Dei? Quæ conditio eſt adeò ecſtatica & inenarrabilis, nempe *rectitudo hæc* ſive *Juſtitia ac Pax*, *Gaudiúmq; in Spiritu ſancto*, ut minimè mirandum ſit quòd nulli dicantur, præter illa centum quadraginta quatuor millia, cog-
Pro 14.10. noſcere quid pertineat ad hanc melodiam. *Cor novit amaritudinem animæ ſuæ, nec in gaudio ejus miſcebitur extraneus.* Verùm hæc excurſio eſt cum præſenti noſtro ſcopo non tam arctè cohærens.

7. Id quod nobis hic præcipuè eſt obſervandum hoc eſt, *Cœtum hunc virgineum* ſynchronon eſſe, quod perpetuo Paralleliſmo eis opponitur qui *Characterem Beſtiæ* receperint profeſſíq; ſint *Idololatræ*, quemadmodum *virginitatis* ſignificatio, juxta ſenſum *Stili Phophetici*, planè indicat. Ad quam rationem, [*Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt inquinati*] rectè aptéq; poteſt intelligi. Nec ipſi ſolummodò ab
Apoc. 14.4. Idololatria ſe abſtinent, ſed & alios hortantur ut debitum adorationis ſuæ objectum eligant, ut eum *ſcilicet adorent qui fecit cœlum & terram & mare & fontes*
v. 7, 8, 9. *aquarum.* Dei etiam judicia adversùs *Babylonem* denunciant, dicentes, *Cecidit, cecidit Babylon urbs illa magna, quia vinum iræ ſcortationis ſuæ potandum præbuit omnibus gentibus.* Et poſtremò, tertius Angelus ex eodem cœtu horrendos & nunquam finiendos cruciatus denunciat eis qui adoraverint *Beſtiam* & imaginem ejus, hoc eſt, qui ſe ſubmiſerint redivivæ illi Idololatriæ quam injunctura ſit, quámq; ego jam tam plenè deſcripſi. Quam Comminationem velim eos ſeriò apud ſe perpendere quàm gravis ſit, qui rem adeò indifferentem eſſe autumant utrùm è *Proteſtantium* numero quiſpiam ſit an *Pontificiorum*, ac ſi minæ hæ pluſquam Tragicæ mera Terriculamenta eſſent vanáq; Mormolycæa.

CAP. X.

1. *Tria alia Vaticinia quæ Eccleſiæ lapſum prædicunt in Idololatriam, utì viſio* Tubæ ſextæ, *quæ Imperium* Romanum *multò pòſt ſpectare probatur quàm factum ſit Chriſtianum.* 2. *In hac viſione* Græcam *pariter ac* Latinam *Eccleſiam* Idololatriæ *ream peragi, & cum Aggravationibus, Paganis cum ipſis communibus.* 3. *Conſtare etiam ex illa viſione quanti Orbis Chriſtiani intereſſet ſi à craſſo illo peccato ſe repurgarent, eósq; optimos eorum eſſe amicos, qui liberè apertéq; ob hoc aliáq; crimina in ea viſione ſubindicata, reprehendunt.* 4. *Prophetia* Pauli *ad* Timotheum *propoſita, ejúſq; pars prima ex* Epiphanio *expoſita de Inſtigatoribus ad prædictum hunc errorem*; 5. *Ut & pars illa quæ errorem ipſum continet, cultum ſcilicet* Dæmonum: *Unde manifeſtum ſit, Prophetiam ad notorium hunc Eccleſiæ lapſum in* Idololatriam *ſpectare*; 6. *Sicut etiam ab inſtrumentis diſſeminationis hujus erroris*; 7. *Et à mentione* Myſterii Pietatis *antè proximè facta, cui hoc* Iniquitatis myſterium *opponitur*; 8. *Et poſtremò, à temporibus lapsûs, quæ vocantur* ὕστεροι καιροί. 9. *Qui Terminus eſſe probatur* ſtylo Prophetico *proprius*, Tempus & tempora & dimidium temporis *denotans, quod poſterius eſt durationis quartæ Monarchiæ ſegmentum.* 10. *Horum* ὑστέρων καιρῶν *regniq;* Antichriſti *periodum per Numeros Dierum in ultimo* Danielis *indigitari.*

1. MEdialibus hiſce ſynchronis *Libri Prophetiarum aperti*, addemus tantùm viſionem *Tubæ ſextæ*, Prædictionem S. *Pauli* de *Apoſtaſia poſteriorum temporum*, illámq; Prophetiam apud *Danielem* unde hanc videtur Prædictionem hauſiſſe, & tunc finem hoc genus Vaticiniis imponemus. Et

Et sanè *sextæ Tubæ* visio admodum illustris est ac notabilis. Quòd de *Turcis* autem intelligitur Christianum Orbem invadentibus, secundùm Interpretationem Cl. *Medi*, abundè contra *Grotium* in Mysterio Pietatis demonstravimus. Quibus breviter addimus, Irruptionem Equitum *Euphrateorum* longè pòst fuisse quàm Imperium factum sit Christianum, immò verò quàm Pagano-Christianum, quandoquidem *Tuba sexta* est ultima earum quæ ordinatim sumptæ cum Regno *Pagano-Christianæ* Potestatis (*Bestiæ quæ erat & non est & tamen est*) *contemporant.* Et quantùm ad locum perinde ac tempus; *Imperium* fuisse ad quod hæc visio spectabat, ex sæpe repetito illo Charactere quo denotari solet, *Tertiæ* scilicet *partis* ratione, clarè constat. *Nam tertia pars hominum hîc dicitur occisa.* Romanum verò Imperium à S. *Johanne* ad Trientem sive partem tertiam orbis, suo seculo cogniti, æstimatum fuisse manifestum est ex Descriptione *Draconis rufi septicipitis & decacornis*, ex eo quòd dicitur caudâ suâ tertiam partem stellarum cœli traxisse & abjecisse in terram, Apoc. 12. 4.

Lib. 5. cap 16. sect. 5.

Apoc. 9. 15.

Præterea, Positura horum Equitum talis erat, quemadmodum *J. Medus* etiam notavit, ut ratione aspectûs S. *Johannis* in *Patmo* qui ad eos tanquam ab *Euphrate* venientes prospexit, necesse sit ut in Romani Imperii Territoria graderentur. Cujus etiam rei, *tertiæ nostræ Regulæ* interpretandi prophetias consideratio pleniorem nobis fidem facit. Quid enim ad S. *Johannem* attinebat, alias commemorare visiones quàm quæ ad Ecclesiam Christi spectarent? Quamobrem nullus omninò restat scrupulus, quin *Medana* hæc *Tubæ sextæ* Interpretatio admodum vera sit.

2. Unde evidenter apparebit, prævisionem fuisse crassæ illius *Idololatriæ*, quæ tum in *Græca* tum in *Latina* Ecclesia mox erat futura. Etenim post descriptionem numerosi illius exercitûs *Turcarum* sub Typo Equitum *Euphrateorum*, magnæq; quam intulissent cladis, (utpote quorum operâ tertia pars hominum occisa est, per ignem, fumum ac sulphur quæ ex ore equorum prodibant adversùs hostes suos Leonum more rugientium. Quibus addere potes præcedentem *Saracenorum* plagam, Locustarum istarum excruciantium) statim subjicitur; *Porrò reliqui homines qui occisi non sunt his plagis, non resipuerunt ab operibus manuum suarum, ut nè adorarent dæmonia & simulachra aurea, & argentea & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neq; videre possunt neq; audire neq; ambulare. Neq; resipuerunt ab homicidiis suis, neq; à veneficiis suis, neq; à scortatione sua, neq; à furtis suis.* Potéstne ulla esse expressior planiórve de Christiani Imperii Idololatriis Prophetia quàm hæc est? Nam sensus planè hic est; Quòd tametsi *Saraceni Turcæq;* Ecclesias *Orientales* inundâssent, omniáq; vastâssent igni atq; gladio, *Occidentalis* tamen Imperii pars minimè id curaret, (ut nec *Græca* Ecclesia quantùm oportebat) sed *Ecclesia Romana* nihilominùs in cultu suo *Idololatrico* persisteret, in adoratione *Dæmoniorum* sive *Dæmonum*, Animarum scilicet Hominum defunctorum (*Anglicana* nostra Translatio legit **Devils** hoc est, *Dæmonum malignorum*, & nulli certè (cùm Deus ipse non sint) Divinos honores post obitum suum acceptarent, nisi maligni essent spiritus. * Tanta quidem contumelia est honor hic quem *Pontificii* Sanctis assignare prætendunt) & in cultu simulachrorum aureorum, argenteorum & æreorum, &c. *quæ neq; audire possunt nec videre nec ambulare.* Hoc additur tanquam exaggeratio magísq; palpabilis detectio vesaniæ ac stupiditatis hujus peccati.

** Vide lib 1. cap 12. ver. 3. sect. 4.*

Etenim an non eadem est ratio in *Sanctorum* Imaginibus atq; in Imaginibus *Deorum Ethnicorum? Sanctorum Imagines*, an clariùs vident, acutiùs audiunt, agiliúsve ambulant quàm *Idola* Paganorum? Quamobrem talem videmus reprehensionis rationem, hujus peccati *Idololatriæ*, quæ illi Paganorum communis sit cum eorum qui se Christianos appellitant. Ità ut nulla reliqua sit rimula per quam possint elabi.

Cæterùm alia quoq; crimina sunt à quibus *Romana Ecclesia*, severo Dei judicio adversùs Ecclesiam *Græcam* nihil apud ipsos valente, nondum resipuit. Ut abs *Homicidiis*, in sanguinem insontem effundendo, crudelitérq; homines ac infensè persequendo, sub *Hæreseos* prætextu; à *Veneficiis*, in tali utiq; sensu quem exposui in Idea *Antichristianismi*; à *Fornicatione*, propter præternaturalem impuri sui Cleri constitutionem commissâ; & à *Furtis* denique, *fraudes* intelligo & *impostoras*, quibus credulum populum nummis suis emungunt. Verùm ista ad præsentem scopum non pertinent.

Lib. 1. cap. 18.

3. Intereà loci observatu dignum est, quàm immensi momenti foret ad incolumitatem ac prosperitatem Orbis Christiani si repurgare se vellent à crasso hoc *Idololatriæ* peccato, à cultu *Dæmonum*, *Imaginúmq;* aurearum, argentearum, ex aliisq; materiis conflatarum. Quis enim novit, vel potiùs quis non novit quin Deus, qui immanem

immanem hanc *Turcarum* plagam propter craſſas ſuas *Idololatrias* Chriſtiano orbi induxit, facere poſſit, ut in proprium alveum rurſus refluat, ſimul atq; nos rediverimus ad illam antiquam puram ac Apoſtolicam Chriſtianitatem? Causâ enim hujus magni mali remotâ malum ipſum indè remotum iri veriſimillimum eſt.

Unde manifeſtum eſt, eos fideliſſimos Chriſtiani orbis ipſiúſq; adeò *Romæ* amicos eſſe, qui ipſis non aſſentantur & in vitiis ſuis demulcent, ſuffulciúntque, mitigando & occultando fœda ipſorum facinora, ſed apertè bonáq; fide cum eis agunt, ad propriam ipſorum incolumitatem ac ſalutem; qui neq; admittunt neq; excogitant ſubterfugia ad commendandas palliandáſve ſuperſtitioſas ipſorum ac *Idololatricas* conſuetudines, ſed palàm ipſis enunciant quantum à vero cultu Dei Chriſtíq; ad *Paganiſmum* & *Idololatriam* defecerint. Meliores ſunt Reprehenſiones fidelis amici, quàm conductitiæ adulationes blandi mercenarii.

4. Quamobrem in eadem loquendi libertate perſiſtens non dubitabo affirmare Prædictionem illam S. *Pauli* 1 Tim. 4. ad Apoſtaſiam Imperii in cultus Idololatricos, ſeducentis ſeductíq; Cleri operâ introductam ſpectare, qui cultum religioſum hominibus mortuis tribuendum docuerunt, itáq; *Sanctos Dei defunctos*, quantum in ipſis erant, in *Dæmonas Paganicos* commutârunt. Verba Prædictionis hæc ſunt: *Spiritus autem manifeſtè dicit quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in Hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, abſtinere à cibis*, &c. *Græcum* exemplar habet ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, &c. quod *Latinè* reddi debet, *per Hypocriſin loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam*, &c. ut quivis qui Syntaxin intelligit, non poteſt non agnoſcere. Nam τινὲς & ψευδολόγων non poſſunt convenire Grammaticè, nec *Dæmonia* & *Conſcientiæ cauteriatæ* juxta uſitatum loquendi modum ſenſúmque, ſi totum Textum rectè perpendas.

Prioris partis hujus Prædictionis expoſitio melior eſſe non poteſt quàm *Epiphanius* per occaſionem ſcripſit in acerrima ſua reprehenſione *Collyridianorum*, qui Divinum cultum *Mariæ* Virgini exhibebant, offerendo ipſi *Collyridam*. Eis in more erat εἰς ὄνομα τῆς ἀειπαρθένου κολλυρίδα τινὰ ἐπιφέρειν, quemadmodum Pater ille loquitur. Unde dicti ſunt *Collyridiani*, cujus Idololatriæ fœminas quaſdam in *Arabia* primas ait fuiſſe Inventrices, quæ ex *Thracia* illuc venerant, nefariámq; hanc ἱερουργίαν illîc exercebant, quod ille βλάσφημον πρᾶγμα appellat (quod eò libentiùs noto, quoniam *Idololatria* toties in *Apocalypſi* eo nomine inſignitur) tandémq; ſuper tota materia plenè rotundéq; ſic concludit: Ὅπερ τὸ πᾶν ἐστιν ἀσεβὲς καὶ ἀθέμιτον, ἠλλοιωμένον ὑπὸ τοῦ πνεύματος τοῦ ἀγίου πνεύματος, ὥστε εἶναι τὸ πᾶν διαβολικὸν ἐνέργημα καὶ πνεύματος ἀκαθάρτου διδασκαλίαν. Πληρῶται γὰρ δὴ τότε τὸ, Ἀποστήσονταί τινες τῆς ὑγιοῦς διδασκαλίας, προσέχοντες μύθοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων. Ἔσονται γὰρ, φησὶ, νεκροῖς λατρεύοντες, ὡς καὶ ἐν τῷ Ἰσραὴλ ἐστράφησαν. Quæ poſtrema verba planè innuunt hanc Apoſtaſiam hîc intelligi de religioſo cultu Dæmonibus exhibito, & Animabus hominum defunctorum. Et obſervatu dignum eſt *Chryſoſtomum* & *Theophylactum* δαιμόνων legere non δαιμονίων, quemadmodum *Eraſmus* in locum ipſum notavit; ſi cui fortè illud vocabulum magìs arridet quàm alterum; *Epiphanius* verò eandem rem per utraq; intelligere videtur, Animas nempe hominum defunctorum, religiosè cultorum, quos cum *Baalim* confert quos *Iſraëlitæ* coluerunt, utì *Pſalmiſta* conqueritur, *& initiati ſunt* Beelphegor, *& comederunt ſacrificia mortuorum.* Quamobrem breviter ſecundùm ſententiam *Epiphanii* πνεύματα πλάνης, quod *Latina* verſio reddit, *ſpiritus erroris*, erroneæ ſunt fallacéſq; doctrinæ ſive prophetiæ (quemadmodum etiam *Grotius* utplurimum πνεῦμα interpretatur) humanis mentibus à Diabolo inſpiratæ. Sic enim appellat διαβολικὸν ἐνέργημα καὶ πνεύματος ἀκαθάρτου διδασκαλίαν, *Inſpirationem Diabolicam doctrinámq; ab impuro ſpiritu traditam*, ad contaminandum Dei cultum. Hoc ad ea verba Textûs refertur, [*Attendentes ſpiritibus erroris*] quibus fontem & originem impiarum harum doctrinarum notari vult;

Pſalm. 106. 28.

5. *Materiam* verò *objectúmve* earum illâ magìs definitivâ locutione includi, καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων, hoc eſt, non quidem *doctrinis Dæmoniorum* quatenus ab eis traditis ſuggeſtíſve, ſed doctrinis *de Dæmonibus*, hoc eſt, circa *Dæmonas* circáve cultum *mortuorum*, ſicut *Iſraëlitæ Baalim* coluerunt, quas *Pſalmiſta* animas fuiſſe innuit hominum defunctorum. Πληρῶται γὰρ δὴ τότε, inquit *Epiphanius*, τὸ, Ἀποστήσονταί τινες τῆς ὑγιοῦς διδασκαλίας, προσέχοντες μύθοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων. Impletur enim hæc Prophetia in *Collyridianis*, viz. *Diſcedent quidam à ſana fide, attendentes fabulis, doctriniſq; de dæmonibus.* Nam quòd *Genitivus* hîc, *Genitivus* eſſe poteſt *Objecti* æquè ac *Agentis*, nemo non agnoſcet. Ab *Epiphanio* verò priori ſenſu hîc intelligi manifeſtum

manifeſtum eſt, tum ex eo quòd μύθοις ante διδασκαλίαις præfixit (quæ fabuloſæ narratiunculæ non concipiuntur à Dæmonibus ſed *de* ipſis narrari) tum etiàm quòd immediatè ſequitur, Ἔσονται γὰρ, φησὶ, νεκροῖς λατρεύοντες, &c. *Erunt enim, inquit, qui cultum religioſum mortuis præbebunt*, &c. Quod tamen Apoſtolus non dicit, niſi διδασκαλίαις δαιμονίων ſignificet *doctrinas de dæmonibus*, qui Animæ ſunt hominum defunctorum, quemadmodum abundè alibi demonſtravi. Quamobrem manifeſtum eſt ex hac *Epiphanii* expoſitione, hanc Prædictionem S. *Pauli* perquam facilè applicari poſſe ad Eccleſiæ *Romanæ* Apoſtaſiam, quòd Divinum honorem *Sanctis* præbeant, quod eſt manifeſtò νεκροῖς λατρεύειν, *cultu religioſo mortuos colere.*

6. Quæ quidem prædictio etiam adhuc magis exquiſitè reperietur *Pontificiis* convenire, ſi conſideremus quibus externis rationibus hic *Dæmonum* cultus promotus ſit. Hi enim qui dicuntur à fide diſcedere, hoc eſt, à ſana illius doctrina, quemadmodum *Epiphanius* interpretatur, & in *Idolatricum Dæmonum* cultum apoſtatare, dicuntur hoc facere ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, *per Hypocriſin loquentium mendacium*, (Apocalypſis eos vocat τὰς συνείδησιν ἰδίαν, *mendacium facientes*) hoc eſt, fingentium edentiúmq; *Legenda* de miraculis *Sanctorum* ſuorum ſive *Dæmonum Animarúmve ſeparatarum*. Quod profectò ità impudenter faciunt, ut ſi ipſis per conſcientiam liceret quaſlibet pias fraudes fabuláſq; conſuere; unde dicuntur *cauteriatam* habere *conſcientiam ſuam*. Quid magis ad vivum *Græcos Romanóſq; Legendarios* exprimere poteſt quàm hoc? Et tamen character adhuc magis particulariter additur [*prohibentium nubere, abſtinere à cibis*] Quibus tam bellè quadrare poteſt hic character quàm Monachorum Ordinibus in quorum ſodalitates nemo admitti poterat niſi ſub ſtricta harum legum obſervatione? Prohibebant unumquemq; qui è ſua Fraternitate eſſe voluit, uxorem ducere, & mandabant ſimul à certis quibuſdam cibis abſtinere. Hæc ſanè tam ſolidè & copiosè in *Apoſtaſia poſteriorum Temporum* à Cl. *Medo* ſcripta, demonſtrantur, ut nihil præterea ſuperaddere opus ſit niſi illius *Diſſertationis* commendationem. Vix ulla extat Prophetia quæ tam plenè aptéq; ullum attingit eventum, quàm hæc Eccleſiam, eis temporibus quibus lapſa erat in hunc *Dæmonum* cultum per ſeductionem ſuperſtitioſi fraudulentiq; Cleri.

7. Tertiò, Cùm ſummaria totius Myſterii Pietatis deſcriptio in ipſo ultimo verſu capitis antecedentis tam immediatè præcedat, mihi profectò valdè videtur conſentaneum ut immediata hæc Digreſſio in mentionem lapſûs à puritate hujus myſterii, res puſilli momenti non ſit, qualis eſſet paucorum *Pythagoriſſantium* Chriſtianorum perſtrictio, taliúmve qui à Chriſtianitate defecerint ut ſequerentur *Apollonium*, (qua de re in nullas memini me incidiſſe particulares Hiſtorias) ſed magis celebris ac notoria Eccleſiæ Chriſti Apoſtaſia magníq; Pietatis myſterii proximè antè memorati in *Iniquitatis myſterium* commutatio, quemadmodum alibi appellatur. Iſta enim locutio [*Diſcedent quidam à fide*] nihil omninò obſtat huic Interpretationi, quemadmodum *J. Medus* multis exemplis eíſq; ſatìs aptis abundè demonſtravit, ubi [quidam] nunc de majori parte, nunc de toto ferè populo dicitur; ſicut videre eſt in ſuprà dicta *Diſſertatione*.

8. Quartò & ultimò, Præfatio hujus Prædictionis [Τὸ δὲ πνεῦμα ῥητῶς λέγει, ὅτι ἐν ὑστέροις καιροῖς, &c.] videtur non ſolùm auguſtior, ſed ad alium ſcopum determinatior quàm ut cum illo conveniat cum quo nos *Grotius* dimittere vult, cum ſtrictura ſcilicet in *Apollonium* ejúſq; ſectatores. Eſt enim nimis dilutum frigidúmq; gloſſema nihil ampliùs per [ὕστεροι καιροὶ] intelligere quàm per Adverbium *poſthac*, ac ſi voces [ὕστεροι καιροὶ] in Terminum Artis jam non tranſiiſſent, nec longè antè ab Angelo apud *Danielem* definitæ fuiſſent, aut ſaltem neceſſarium fuiſſent Conſectarium illius definitionis qui rogatus, *Uſq; quò finis horum mirabilium? Elevavit dextram & ſiniſtram ſuam in cœlum & juravit per viventem in æternum fore in tempus & tempora & dimidium temporis.* Iterúmq; rogatus à *Daniele* ut apertiùs declaret, quando harum rerum finis ſit futurus, hoc dat reſponſum, *Verba clauſa eſſe & obſignata uſq; ad tempus finis.* (Quod ſic appellatur, ut quod notabile illud ſegmentum eſt temporis quod quartæ ultimæve Monarchiæ proximè finem jacet.) Sed ſtatim pòſt, hanc addit ſubindicatiunculam quâ hoc *tempus finis* indigitet, *A tempore cùm ablatum fuerit juge-ſacrificium & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducentos nonaginta fore. Beatum verò eum futurum eſſe qui uſq; ad dies mille trecentos triginta quinq; pervenerit.* Cap. 12.

Jam verò finis earum rerum quas *Daniel* inquiſivit, ſicut ex ipſo Textu generaliq; Interpretum conſenſu apparet, ad diem uſq; Judicii, quomodocunq; ea locutio intelligenda ſit, ſe extendit. Unde conſentaneum eſt concludere, *Danielis* vaticinia

per

per quatuor illa celeberrima Regna Monarchiáſve *Babylonicam*, *Perſicam*, *Græcam*, ac *Romanam* percurrere, Regnúmq; *Romanum* contemporare cum plenitudine temporis Finéve temporum ac ſeculorum; cúmq; pars quarta ultimáq; ſit diviſionis hujus ſacri Kalendarii Prophetici, quemadmodum appellat Cl. *Medus*, rectè nuncupari *Tempora noviſſima* vel *Dies noviſſimos* in quibus *Meſſias* expectabatur venturus. Poſt Chriſti verò adventum cùm futurum eſſet admodum mirabile ac notorium *Antichriſti* regnum durante quartâ hâc Monarchiâ ſive Tempore noviſſimo, qui per *Beſtiam bicornem* ac *Meretricem Babylonicam* præfiguratur, quæ è *ſynchronis Medialibus* ſunt *libri Prophetiarum aperti*, quáſq; jam demonſtravi incipere annis circiter quadringentis poſt Chriſtum natum, earúmq; durationem eandem eſſe quæ *Temporis*, *Temporum & dimidii Temporis*, háncque, aliquo ſenſu, 1260 eſſe annorum, manifeſtum eſt hanc temporis portionem eſſe ὑςέρων καιρῶν, *Noviſſimorum horum temporum poſteriora*, *tempúſve Finis* propriè ſic dictum, ut quod illi proximè adjacet vel conterminat, eáq; ipſa tempora de quibus in hoc capite loquitur Angelus, ubi jurejurando aſſerit, mirabilia iſta, hoc eſt, *portentoſum Antichriſti regnum* duraturum eſſe in *tempus & tempora & dimidium temporis*; *poſtquam verò completa fuerit diſperſio manûs populi ſancti*, *univerſa hæc de quibus dictum eſt*, *completa fore*. Quod idem eſt atq; illud in *Apocalypſi*, ubi Angelus jurat per viventem in ſecula ſeculorum, *Tempus non fore amplius*, *niſi in diebus vocis ſeptimi Angeli*, *cùm clanxerit*, *conſummatúmq; erit myſterium Dei ſicut evangelizavit per ſervos ſuos Prophetas*, ubi alludit particulariter ad hunc locum *Danielis*. Hæc eſt vera interpretatio hujus loci *Apocalypſeos* ſecundùm communem ſenſum, conſtructionémq; Grammaticam. Quod planè oſtendit, *Tempus*, *Tempora & dimidium Temporis* cum *Tuba ſexta* finire.

Ex quibus rationibus planè conſtare poteſt cuivis qui nullo laborat præjudicio, quòd ὕςερος καιρὸς *terminus Phraſiſve* ſit *ſtylo prophetico* propria, idémq; ſignificent quod *tempus Finis*, cum alluſione ad *ſacrum* hoc *Kalendarium Danielis* ex quatuor *Monarchiis* conſiſtens, utpote qui poſterius ſegmentum ſunt ultimæ, pari paſſu cum *Antichriſti regno* decurrens, eíq; planè contemporans. Sic enim communiter *Eccleſia*, *Tempus*, *tempora & dimidium temporis* interpretatur apud *Danielem*.

10. Quòd verò ad *Regnum Antichriſti* pertinent, etiam in ſenſu Proteſtantium, *Joſ. Medus*, meo quidem judicio, manifeſtiſſimè evicit, ab iſtis Numeris 1290 dierum, & 1335 dierum in exiguo ſuo Tractatu de his Numeris, quem *Revelationem Antichriſti* appellat. Qui proculdubio dati ſunt pro clave ad aperiendam veritatem vaticiniorum *Danielis* de *Regno* hujus *hominis peccati*, & de *tempore Revelationis* illius, *Clauſa & obſignata ſunt verba uſq; ad tempus Finis*, hoc eſt, uſq; ad *hæc tempora poſteriora*, ὑςέρων καιρῶν, nec tamen tunc ea *intellecturi ſunt impii*, *ſapientes verò intelligent*, certíq; de ipſis eſſe poſſunt per clavem hanc Numerorum Annorum ab *Epocha Prophanationis Templi* per *Antiochum*, cum Eventu comparatorum; cum duabus primis utiq; notabilibus Inſtantiis *Revelationis hujus Hominis Peccati*.

Primus illorum Numerorum ab illa *Epocha*, finitur Anno Domini 1120, alter Anno 1165. (Tam irrefragabili enim evidentiâ jam demonſtravi, Dies *ſtylo prophetico* ſignificare Annos & in hoc Tractatu & in * *Myſterio Pietatis*, ut neminem credam ea de re dubitaturum; hîc verò *Dies* ſignificare non poſſe Cl. *Medus* non minori quidem evidentiâ evicit.) Jam verò *Eventus prædictioni* ad admirationem uſq; quadrat. Anno enim 1120, vera ac perfecta detectio ſive deſcriptio *Antichriſti* in lucem prodiit, nec ante id tempus, ut videre licet ex ratione illa compendiaria quam *J. Medus* ſuper hac re dedit.

* *Lib.* 5. *cap.* 15. *ſect.* 2.

Alterius etiam Periodi exitus notabilis eſt propter *Waldenſes* & *Albigenſes*, quorum temporibus *Iniquitatis Myſterium* pleniùs revelatum eſt, contráq; illud à numeroſioribus hominum cœtibus Teſtimonium perhibitum. Unde *beati illi dicuntur qui ad hæc uſq; tempora perveniunt*, propter exuberantem claritatem lucis Evangelii quæ tunc emicuit. Nec minùs beati illi qui propter Teſtimonium veritatis morte tunc temporis mulctati ſunt, ſed multò profectò beatiores, quippe quorum præmium majus futurum erat magíſq; ſingulare atq; eximium. Prophetia enim declarat quemadmodum verè ſe res habet, non autem quomodo judiciis falſis perfidíſq; ſenſibus carnalis Animi appareat. Vide pereruditum Authorem *J. Medum*. Neq; enim hiſce rebus poſſum immorari.

Addo tantummodò, ad majorem fidem faciendam expoſitioni Cl. *Medi*, nullam aliam locum hîc habere poſſe. Neq; enim veriſimile eſt hos *Numeros Dierum*, ullam

lam esse Interpretationem Periodi suprà memoratæ *Temporis, Temporum & dimidii Temporis,* cùm utriq; à justa hujus periodi mensura varient, cùmq; sensus ænigmaticæ illius Locutionis non tam obscurus sit, quin omnes eum attingant in eóq; consentiant. Quibus addas *Epocham* ab *Antiocho* cum instituto non convenire, (& difficile sanè est efficere ut illa * *Epocha* ullam aliam verisimilem significationem ei scopo congenerem habeat quàm *Literalem*) uti etiam præcipuæ difficultati de qua *Daniel* solicitus erat, hoc modo non satisfieri, quæ est, quando hoc *tempus Finis* futurum esset, non *quantùm* vel *quamdiu* futurum. Ad cujus curriculum τέλους putà καιρῶν, sive *temporis Finis* (quod est illud *Tempus, Tempora & dimidium Temporis*) Numeri hi 1290 & 1335 speciali modo nos dirigunt à suprà dicta Epocha deducti, ut fusiùs videre licet si præstantem illum Interpretem adeas, ad quem paulò antè te remisi. Angelus *Danieli* narrat verba obsignata fore usq; ad *tempus* Finis, *Medúsq;* clarè demonstrat rem revelatam fuisse in *hoc tempore Finis*, etiam in eis ipsis temporis articulis ad quos hi Numeri nos dirigunt. Quod profectò nostrâ dignum est tum consideratione, tum admiratione.

* Dan. 8. v. 14, 26.

CAP. XI.

1. *Expositio Prophetiæ* Pauli *ad* Timotheum Epiphaniana *ex relatione quam ad illam* Danielis *habet, confirmata.* 2. Parachronismus *à* Grotio *in hac* Danielis *Prophetia commissus, ejúsq; ad* Antiochum *Applicatio quàm temeraria omniq; ratione destituta.* 3. *Confutatio Applicationis.* 4. *Recta temporis hujus Prophetiæ assignatio per* Calvinum Medúmque, *qui ambo de* Imperio Romano *interpretantur.* 5. *Magis particularis enodatio duorum priorum versuum hujus Prophetiæ juxta mentem Cl.* Medi; 6. *Ut & tertii;* 7. *Atq; quarti.* 8. *Sensum hujus Prophetiæ tam apertè convenire cum illa S.* Pauli, *ut manifestum sit eum huc spectâsse in eis verbis,* τὸ γὰρ πνεῦμα ῥητῶς λέγει. 9. *Quamvis hæc* Medi *Interpretatio omninò inculpabilis sit, duos tamen priores prophetiæ versus aliter exponi posse, magisq; congruenter S.* Pauli Prophetiæ *in Epistola ad* Thessalonicenses.

1. VIdemus igitur quàm parùm rationis habeat *Grotius* cur hos ὑστέρους καιρὸς adeò perfunctoriè interpretetur per frigidam illam ac indeterminatam vocúlam [*posthac*], cùm in hoc saltem loco tam præcisam habeant ac determinatam significationem. Quod adhuc clariùs evincitur ex eo quòd Apostolus affirmat spiritum dicere ῥητῶς, quod planè innuit aliquod extare scriptum antiquum in quo Prophetia hæc totidem ferè verbis scripta occurrat. Si qua enim vis sit argumentationis à vocibus formísq; loquendi, necesse est ut ῥητῶς tale quid significet, non *simplicem Inspirationem*, sed *verbalem* illius *descriptionem* quod est inspiratum. Quod Privilegium nec *Grotius*, nec alius quisquam pro sua Interpretatione afferre potest, si cum hac non consentiat in quam tam feliciter *Epiphanius* incidit, quámq; *J. Medus* tam mirificè expolivit, & quæ deniq; tam accuratè cum illa *Danielis* Prophetia convenire deprehenditur. Quæ ultima erit lapsûs Ecclesiæ in *Idololatriam* Prædictio, quam producere decrevimus. Verba hæc sunt.

Tunc faciet juxta voluntatem suam Rex, & extollet se atq; magnificabit se super omnem Deum, & contra Deum deorum loquetur miranda, & prosperè evenient ei omnia donec finita fuerit ira. Nam quod determinatum est, fiet. I. Dan. 11. v. 36, 37, 38, 39.

Tunc ad Deum patrum suorum non adjiciet animum, nec ad concupiscentiam mulierum, nec ad ullum Deum adjiciet animum; Nam super omnia magnificabit se. II.

Unà enim cum Deo in sede sua venerabitur Mahuzzim, *etiam cum Deo quem non noverunt majores ejus, venerabitur auro & argento & lapide pretioso rebúsq; pretiosis.* III.

Et munimenta Mahuzzim *Deo simul peregrino faciet, quem agnoscens honore cumulabit, istósq; faciet dominari in multis, terrámq; in præmium dividet.* IV.

2. Hæc est *Medana* Textûs Translatio; quæ admodum facilis est ac naturalis quantùm ad Regulas *Grammaticas* & *Criticismum*, sicut mox notabimus. Interea loci non possùm non observare quàm omni fundamento ac ratione careat Interpretatio *Grotiana*, qui omnia hæc de *Antiocho* intelligit, & contra *Antiquitatis* consensum, (quæ semper *Antichristum* hìc præfigurari suspicata est) & contra *rerum Probabilitatem.*

Nam ut directionem præteream illorum Numerorum ſuprà memoratorum qui in illud *Tempus, Tempora & dimidium Temporis cadunt*, quæ mirandorum durationem in quæ *Daniel* inquirit, comprehendunt, (quæ *miranda* præſenti hâc *Prophetia* æquè ac illâ de *cornu parvulo* ſignificantur) ut & neceſſariam determinationem hujus *temporis, temporum & dimidii temporis* per *Medialia ſynchrona* Apocalypſeos; quis imaginari poteſt ſeriem viſionum *Danielis* cap. 11. & 12. quæ ad *Diem Judicii* pertingunt, quod proculdubiò faciunt, tam vaſtum admittere chaſma ſeu hiatum quàm qui inter res geſtas *Antiochi* & finem mundi intercedit, negligendo longum illud temporis ſpacium ubi res *Eccleſiæ* agitur, illiúſq; fatum ac conditio erant deſcribenda?

Quamobrem *Calvinus*, ídq; cum judicio, interpretatus eſt hos verſus de *Imperio Romano*, quod *Græco* immediatè ſucceſſit (cujus in poſtremis temporibus *Antiochus* regnare dicitur ſecundùm Prophetiam *Danielis*) quanquam nimis temerè ſanè viciſſim opinionem Antiquorum rejecit, qui *Antichriſti* deſcriptionem hiſce verſibus latere ſuſpicati ſunt. Cl. *Medus* igitur utrumq; feliciſſimè conjunxit, quemadmodum mox videbimus.

3. Jam verò ut *Grotius* Parachroniſmum commiſit in hac Prophetia, ità Applicationes ejus perinde frigidæ ſunt & incongruæ. Nunquam enim probare poteſt *Antiochum* ad Deos patrum ſuorum animum non adjeciſſe, aut ad concupiſcentiam mulierum; Contra quod commentum *Grotii*, ipſi ſcriptores *Pontificii* expreſsè teſtiſicantur. Nam *Cornelius à lapide* in ipſum locum, affirmat eum & Deos patrum coluiſſe, & *Judæos* pariter ad eos colendos coëgiſſe. Et tum ipſe, tum *Gaſpar Sanctius Antiochum* culpant ob mulieroſitatem ſuam enormémq; luxuriam. Et quantùm ad *Mahuzzim*, præterquam quòd מעוזים plurali numero unius alicujus Dei nomen proprium eſſe haud ità veriſimile ſit, nullam quidem affert Hiſtoriam quâ probet *Antiochum* tam fervidum fuiſſe hujus Dei *Modin* (quemadmodum hîc eum appellari vult) cultorem, Templúmve illi extructum fuiſſe in *Modin*, quæ *Judææ* Civitas eſt in rupe exciſa, quam & munimentum aliquod fuiſſe veriſimile eſt, ac proinde appellatum eſſe *Modin*, abſq; omni autem relatione ad hunc Imaginarium *Modinum Grotii*, Deum peregrinum, cujus *Antiochum* tam fervidum cultorem fuiſſe fingit. Pro qua opinione nullum quidem affert argumentum præterquam quod occurrit 1 *Mac.* 2. 15. ubi miniſtri *Antiochi* dicuntur *Judæos* cogere thura accendere & immolare in *Modin*, non autem Deo *Modin*. Unde nullam vim huic argumento ineſſe liquet, totámq; *Grotii* Interpretationem puram putam eſſe Imaginationem merúmve Figmentum. Conjiciamus nunc oculos in expoſitionem *Medanam*.

4. *Medus* igitur, quemadmodum & *Calvinus* ante eum, vaticinium de *Antiocho*, in fine verſûs triceſimi quinti cap. 11. abrumpi ſupponit, réſq; *Regni Romani* prædicendas iniri. Quæ quidem minimè dubia aut conjecturalis ſententia eſt, ſed ob rationes ſuprà memoratas firma ac neceſſaria. Unde manifeſtum eſt יעשה כרצנו המלך rectè ſic reddi, *Tunc faciet juxta voluntatem ſuam Rex.* Particula enim ך tam laxæ ſignificationis eſt ut nulla facta ſit injuria tam determinatum ei imponendo ſenſum; Quemadmodum & Paræus reddit ϗ κλαύσονται, *tum flebunt*, Apoc. 18. 9. Et per *Regem* hîc intelligitur ſicut alibi apud *Danielem*, *Reſpublica* ſive *Regnum. Romanum* autem hîc ſignificari, ſucceſſionis ordo indicat, ut quod *Græco* ſuccedit juxta omnes Chronologias, & certè ſecundùm Hiſtoricorum ſententiam *Græco* ſucceſſiſſe ſtatuitur, ſtatim atq; *Romani Macedonas* deviçerant, quod factum eſt poſterioribus temporibus *Antiochi*. Tam aptè coincidunt res amicéq; conſpirant quantùm ad rationem Temporis in hac noſtra Hypotheſi; quod ſenſum venâ facili perpetuò fluentem promittit. Cujuſmodi hic eſt:

I. 5. In primo horum verſuum, Statum utiq; *Regnúmve Romanum* ſub exitum regni *Antiochi* proſperrimo ſucceſſu omnia geſturum eſſe, & pro libitu dominaturum; exaltaturum ſe eſſe populum eum, majorémq; ſe omni Regno effecturum. Gentem enim debellare, gentis illius eſt debellare Deos. Quos *Romani* è Civitatibus quas capiebant, vocali carmine, cujus ſuprà mentionem feci, ſoliti ſunt evocare, atq; ſic *Gentium Deos* quodammodo captivos abducere, perinde ac populos ipſos. Immò miniſtri hujus Reipublicæ mirabilia locuti ſunt ac blaſphema adversùs Deum Deorum, hoc eſt, adversùs ipſum *Jeſum Chriſtum*, quem tam indignis dicteriis & contumeliis exceperunt, flagellârunt & cruciſixerunt, & tamen proſperè res ſucceſſit in Imperio quamvìs nefaria hæc facinora adversùs Chriſtum perpetrâſſent, crudelitérq; perſequerentur membra ejus, novas hoc pacto in eum contumelias cumulantes & blaſphemias, uſq; dum *tempus determinatum hujus furoris* exiiſſet, Imperiúmq; factum eſſet Chriſtianum.

Nam

Nam ut in proximo verſu ſequitur, ſucceſſurum proximè erat illud tempus in quo futurum eſſet ut Imperium *Romanum* contemneret, negligeret abjicerétq; Deos majorum ſuorum, hoc eſt, Deos Paganicos, & converterentur ad Chriſtianitatem, ſed ut matrimonium ſimul (quod tanto antè in pretio erat apud *Romanos*, quemadmodum ex Legibus *Julia* & *Papia* appellatis apparet, quas *Conſtantinus* abrogavit) magno primùm haberetur deſpicatui, ſed procedente tempore Sacerdotibus pariter & Monachis ſuperſtitiosè interdiceretur, illo *Homine peccati* Imperii habenas manibus ſibi arripiente, qui nullam ullius Dei rationem habiturus eſt, ſed propter legum Chriſti antiquationem & conculcationem cervicum Principum, meritò dicitur ſe magnificare ſuper omnia, ſicut de eo ſcriptum eſt in Epiſtola ad *Theſſalonicenſes*. II.

6. Et congruenter ſanè huic ἀνομίᾳ, huic licentiæ illicitæ Deíq; contemptui, ſequitur in verſu tertio, ולאלה מעזים על כנו יכבד, hoc eſt, *Nam unà* cum, *vel* præter (etenim אל & ל ità ſignificant) *Deum*, *venerabitur* Mahuzzim, על כנו *in ſua ditione*, *Grotius* reddit, referendo ad *Antiochum*, *Latina* Tranſlatio legit, *in ſuo loco*, referendo ad *Idolum*, *Medus* verò *in ſede ſua*, referendo ad Chriſtum Deum verum. Poteſt etiam & alius eſſe ſenſus על כנו ס, viz. *ſuper baſin ejus*, tanquam ſi honor *Mahuzzim* præſtitus fundaretur ſuper honorem, in eo ipſo cultu, Chriſto deſtinatum, quæ planè defenſio eſt *Pontificiorum*. Senſus igitur breviter hic eſt; manifeſtum eſſe quòd Poteſtas *Romana*, ſicut præcedenti commate dictum eſt, verum Dei timorem à ſe abjecturi ſint, ſeipſos exaltaturi ſupra omne quod dicitur Deus, etiam ſupra Chriſtum ipſum, propterea quòd contra expreſſam Dei legem Divinum honorem præſtituri ſint *Mahuzzim* (quanquam ſub prætextu verum, eo pacto, colendi Deum) aureis & argenteis ligneíſq; ſtatuis, & omni genere rerum ſumptuoſarum & pretioſarum, quemadmodum immediatè ſequitur, ולאלה אשר לא ידעוהו אבותיו יכבד בזהב, hoc eſt, *etiam cum Deo quem non noverunt majores ejus*, id eſt, cum *Chriſto*, (qui verè erat θεὸς ἀγνωστος, inter *Romana* Numina omninò peregrinus, taliſq; cui veteres Romani nunquam ſacrificâſſent) *venerabitur eos*, viz. *Mahuzzim*, *auro*, *argento*, &c. III.

Unde manifeſtum eſt *Dæmonas* de quibus S. *Paulus* loquitur, hîc apud *Danielem* indigitari. Nam hi *Mauzzim* ipſi ſunt, nempe *Sancti* ab hoc Idololatrico Imperio in *Dæmonas* converſi, qui *Deaſtri* ſic ſiunt *falsive Dii*, hoc eſt, falſa religioſi cultûs objecta, ut omnes ſanè ſunt niſi is qui fecit cœlum & terram, *Jerem.* 10. *Dii qui non fecerunt cœlum ac terram peribunt de ſub cœlis*, &c. Et rurſus in Pſalmis, πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια, ὁ δὲ κύριος τοὺς οὐρανοὺς ἐποίησεν. Quæ loca innuunt nullum verum eſſe objectum Divini cultûs præter Deum eum qui cœlum fecit atq; terram; reliqua omnia hujus cultûs objecta, eo ipſo fieri *Dæmonas* ſive *Dæmonia*, *Deunculos*, *Deóſve falſos*, quamvìs injuriâ colentium. Quòd autem hîc *Mauzzim* vocantur, quos *Paulus Dæmonia* appellat, mirandâ profectò fit Dei providentiâ, cùm vox hæc *Hebraica*, quantùm ad ſenſum, ipſa loquela ſit eorum qui præ nimis ſuperſtitioſo zelo ac affectu erga *ſanctos* hunc introduxerunt *Dæmonum* cultum, magìs ſenſibilem reponentes fiduciam in eorum Reliquiis ac Protectione quàm in ipſo omnipræſenti Deo. Hos igitur vocabant πύργους, περιβόλους, τεῖχη, ὀχυρώματα, δορυφόρους, ὑπερασπιστὰς, *Turres*, *Valla*, *Muros*, *Propugnacula*, *Speculatores*, *Protectores*. Quæ omnia *Mauzzim* naturaliter propriéq; ſignificant, utì copioſiùs videre eſt apud *Joſ. Medum*. Tam facili ductu fluit ſenſus, de hoc abuſu cultûs *ſanctorum*, quos, tametſi Chriſtus in omni illo honore divino ipſis præſtito prætenditur, manifeſtum eſt in Templorum dedicationibus aliíſq; cultibus religioſis illius cum ipſo conſortes fieri.

7. Ad quod ultimus etiam verſiculus collineare videtur, iſtis verbis tanto cum artificio obvolutum, מבצרי מעזים עם־אלוה נכר, *Munimenta* Mauzzim *cum Deo peregrino*, (tanquam ſi *Simul-tenentes* eſſent, ut loquuntur Juridici.) Quæ munimenta Ædificia ſacra ſunt, *Templa*, *Sacella*, *Monaſteria* honori *Chriſti* & *ſanctorum* dedicata. Loca enim hæc ſacra מבצרים appellantur cùm alluſione ad *Mauzzim*, quæ vox bellicoſum ſenſum præ ſe fert, & *Militares* ſignificat Protectores & *Hyperaſpiſtas*, quorum ædes proinde meritò appellantur *Munimenta*. Versûs integri ſenſus hic eſt; Et poteſtas hæc *Romana* Templa eriget & Ædificia alia religioſa *Chriſto* & *Sanctis*. Ubi Chriſtus indigitatur per אלוה נכר *Deum peregrinum*, quippe qui ſecundùm humanitatem ſuam ſtirpe oriundus eſt ab omnibus Nationibus Paganicis aliena, ità ut hac ratione alienior ſit quàm quiſquam alius eſſe poſſit, tum etiam Deus perfectus perfectúſq; homo, quod ejuſmodi Numen eſt quod in eorum mentem nunquam antea veniſſet. Tam eximiè ac ſingulariter quidem præfiguratur in hoc vaticinio Chriſtus ſub nomine *Dei peregrini*. Poſtquam verò ipſis innotuerit, con- IV.

dignum illi honorem præstabunt, nisi quòd partem illius cum *Mauzzim* sint communicaturi, eósq; etiam Principes constituturi super Imperium, mundum inter ipsos distribuentes tanquam debitum (quemadmodum prætenditur) perpessionum suarum præmium, dum unus *Sanctus* hujus Civitatis Regionísve Patronus sive Protector constituitur, aliíq; aliarum, quemadmodum suprà susè enarravimus.

Lib. 1. c. 17. sect. 4.

8. Hic profectò tam perspicuus facilísq; sensus est, ut minimè mirandum sit quòd S. *Paulus* ait, *Spiritum dixisse ἐντῶς expressim, in posterioribus temporibus fore*, hoc est, in *Danielis tempore, temporibus & dimidio temporis*, quæ pars posterior est durationis *Romani Imperii, ut homines à fide discederent, doctrinámq; Dæmonolatriæ* cultúsve *Mauzzim* amplecterentur. Cui quidem Prædictioni eventus adeò ad amussim respondet, ut mirum in modum præjudicio eum occæcari oporteat qui hoc nequit discernere; ut & enormem esse concinnitatis & proportionis contemptorem, si ipsi oblectamento non sit observare quàm commodè aptéq; ingens illud ac deforme chasma inter Prædictiones in capite undecimo *Danielis* eásq; in duodecimo rebus summi quidem momenti expleatur, seriésq; temporum ad diem usq; judicii filo continuo deducatur.

9. Tam omni ex parte in se irreprehensibilis est horum quatuor commatum apud *Danielem Medana* Interpretatio. Et certè quantum ego intelligo, unus potest esse continuus sensus qui reverà per totum Textum intenditur. Attamen diffiteri non possum, dum verba illa Apostoli respicio 2 *Thess.* 2. *Qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur*, quæ aperta videtur allusio ad hæc verba *Danielis*, *Extollet se atq; magnificabit se super omnem Deum*, quin suspicio mihi in animum irrepat, per *Deuteropleroſin*, Pontificiam etiam Potestatem, quæ, postquam Papa eam supra Imperatores caput extulerat, rediviva quædam Imperialis Potestatis *Romanæ* Paganicæ imago erat, hîc porrò perstringi, ac proinde duo priora commata ex his quatuor de *Papa* etiam exponi posse, déq; *Luciferiana* illius superbia, quemadmodum suo loco magìs distinctè sum declaraturus.

Cap. 18. sect. 11.

CAP. XII.

1. *Cur tam prolixus hactenus fuerit in Idololatriæ Ecclesiæ prædictionibus enarrandis, quódq; in reliquis* Antichristianismi *partibus brevior sit futurus.* 2. *Secundum* Antichristianismi *membrum per* occisos Testes *in Plateis magnæ Urbis* Ægypti *appellatæ jacentes præfiguratum.* 3. *Brevis expositio illius versûs* Apocalypseos. 4. *Quòd eadem res præfigurari videtur per* Meretricem Babylonicam Bestiæ insidentem. 5. *Prædictiones oppugnationis* Sacerdotalis *officii Christi.* 6. Bestiam Bicornem *ac* Pseudoprophetam *eundem esse*, Antichristianámq; Prophetici *officii ejus* oppugnationem *utrisq; præfigurari.* 7. *Afflictionem verorum Prophetarum Christi per visionem* duorum Testium *significari, ut &* Antichristianam *oppugnationem* Regalis *officii ejus.*

Apoc. 11. 8.

1. INtereà loci satis copiosè, utì spero, Divinam Providentiam vel à minima suspicione vindicavimus tam insignis neglectûs defectúsve, ut non prædixerit perinde ac præviderit generalem hunc Ecclesiæ lapsum in primam hanc principémq; *Antichristianismi* partem, *Dæmonum cultum* sive *Idololatriam.* Qua in re eò copiosiùs egi, cùm præcipuus sit *Apostatantis* Ecclesiæ character, & reverà radix plerarumq; reliquarum Enormitatum *Antichristianarum* quæ in Christianum orbem irrepserunt, illius saltem, sat scio, quæ nefariâ immanitate proximè ab ea abest, si non æquat vel exuperat, cruentæ scilicet Persecutionis charissimorum filiorum Dei, fideliúmq; membrorum Jesu Christi, qui hujusmodi *Idololatricis* consuetudinibus se submittere nequeunt.

Cæterùm ad primam methodum redibo, Prædictionésq; uniuscujusq; partis *Antichristianismi* exquiram eo ordine quo eos jam tractavi. Quod multò breviùs nunc effecturus sum, cùm principalem scopum jam attigerim, nec ferè quicquam reliquum sit, quàm ut Lectorem remittam ad multas earum Prophetiarum quas jam explicavi. Ut taceam, plurimas harum partium *Antichristianismi* quæ supersunt, non omninò æquè plenè frequentérve prædictas esse atq; hanc *Idololatriæ.*

2. Quemadmodum observare licet vel in hoc proximo membro quod nobis se offert, *spiritualis* scilicet *Captivitas servitúsve* cui homines subjiciuntur propter superstitiosarum opinionum, fastidiosarúmq; ac inutilium observantiarum onus, falsámq; persuasionem pœnarum subeundarum, non quidem *vitæ emendandæ* causâ,

causâ, ſed *ſatisfactionis*, perinde ac ſi ſanguis filii Dei nullius eſſet pretii aut valoris; cùm tamen iſtiuſmodi figmenta in nullum alium finem excuſa ſint, quàm ad Poteſtatem Tyrannicam injuſtúmq; Sacerdotis quæſtum augendum ſuffulciendúmque.

Ad quam Eccleſiæ conditionem non dubito quin Spiritus Dei digitum intendat, Apoc. 11. ubi cadavera *duorum Teſtium* dicuntur in *plateis magnæ Urbis jacere, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus*, ubi *& Dominus noſter crucifixus eſt.* ἥτις καλεῖται πνευματικῶς, hoc eſt, καλὰ τὸ μυςήριον, *ſecundùm myſterium*, vel *Typicè*, quemadmodum & ipſe *Grotius* agnoſcit. Dico igitur magnam hanc Civitatem, quæ *myſtica* hæc *Ægyptus* eſt, illa Servitutis domus antiquæ Dei Eccleſiæ adhuc in Typo, & modernæ in Antitypo, eſſe Eccleſiam ſimulatitiam Catholicam *Romanam*, & Spiritualem hanc ſervitutem ſub ſuperſtitioſis Inſtitutis *Papæ*, & cujuſcunq; ejuſdem farinæ Cleri in hoc loco viſionis perſtringi.

Etenim cùm *Duo Teſtes*, *Beſtiæ inſtauratæ* ſynchroni ſint, fruſtrà ſomniatur rem ullam *Hieroſolymæ* geſtam hujus Prophetiæ impletionem eſſe. Eſt igitur, inquam, *Romana* Eccleſia quæ hæc *myſtica Ægyptus* ſit, *Papáq*; *Pharaoh* ille *Ægyptius* cum duris ſuis *Ergodioctis*, qui faciunt ut deluſus populus ſub ſuperſtitionum ſuarum oneribus laborent ſudéntq;. Spiritualis autem hujus *Pharaonis*, exercitûſq; ſui Eccleſiaſtici ſubverſio manifeſtò figuratur per illam *Ægyptiorum* in Mari rubro, quod Chriſti ſanguini reſpondet, qui murus eſt à dextra & ſiniſtra ſinceris hiſce *Iſraëlitis* in fuga ſua ab his Tyrannis *Ægyptiis*, ſed Pharaonem ejúſq; exercitum inundat obruítque; oribúſq; eorum, qui per ſeriam meditationem ſuper virtutem ſcopúmq; proprium cruentæ paſſionis Chriſti ex hac ſervitute Ægyptiaca effugerunt, hoc gratiarum Actionis canticum indit, *Cantabo* Jehovæ *quia gloriosè magnificatus eſt; equum & ſeſſorem ejus projecit in mare*; vel quod idem eſt, Canticum *Moſis* & Agni, Apoc. 15. *Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens, juſtæ ac veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſanctorum, &c.* Sed de his jam locuti ſumus, ac proinde brevis hæc indicatiuncula ſufficiet. *Lib. 1. cap. 4. ſect. 5.*

Tantùm ad corroborationem hujus Typicæ ſignificationis *Ægypti* omitttere non poſſum, quomodo Canticum hoc *Moſis* atq; *Agni* dicatur cantari ἐπὶ τὴν θάλασσαν τὴν ὑαλίνην μεμιγμένην πυρί. Quod notabile indicium eſt ad fugam *Iſraëlitarum* à *Pharaone* per *Mare rubrum* in hoc cantico alludi, tum ex eo quòd mare cujus ſuper ripam dicitur cantari, *Mare vitreum* vocatur, quod duram maris conſiſtentiam quam tunc habere videbatur, repræſentat, quippe quòd erat ut Murus vitreus craſſus ex hac atq; illa parte *Iſraëlitarum* (immò verò expreſsè dicitur in Cantico *Moſis* (Exod. 15. 8.) *ſteterunt ſicuti acervus fluenta, conglaciatæ ſunt voragines in corde maris*) tum ex eo quòd *igni mixtum* dicitur, quod nobis ſubindicat, quomodo duo hi ſolidi muri glaciei à lumine ſplendoréve Angeli qui noctu *Iſraëlitas* per mare rubrum euntes comitatus eſt, penetrarentur. Ad nomen etiam colorémve Maris, non eſt adeò veridiſſimile (cùm Rubrum, haud ità improprium ſit *Ignis* Epithetum) in hac Deſcriptione alludi.

Poteſt etiam adhuc magìs myſtica ſubeſſe ſignificatio mixtionis hujus maris cum igni (*ſanguinem* intelligo Chriſti cum *Spiritu* mixtum) ſed brevitatis causâ hoc in præſens miſſùm faciam, brevémq; tantummodò Paraphraſin inſtituam in verſum quem citavi.

3. *In plateis urbis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter* Sodoma, *&* Ægyptus, ὅπου καὶ ὁ κύριος ἡμῶν ἐσταυρώθη, quod vulgò redditur, *ubi & Dominus noſter crucifixus eſt*, qui valdè commodus facilíſq; eſt ſenſus, ſi ὅπου referamus ad magnam urbem, & [*quæ ſpiritualiter vocatur* Sodoma *&* Ægyptus] Parentheticè legamus. Quòd ſi illud referamus vel potiùs conjungamus cum *Sodoma* & *Ægypto*, ſenſus quidem durior videtur, niſi *Ellipſin* ſubintelligamus, cujus ſupplementum tunc foret, καὶ ἡ πόλις ὅπου ὁ κύριος ἡμῶν ἐσταυρώθη. *In plateis magnæ Civitatis, quæ ſpiritualiter vocatur* Sodoma *&* Ægyptus, & *Civitas* ubi Dominus noſter crucifixus eſt, hoc eſt, *Prophetacida Hieroſolyma*, ad quam proculdubiò fit Alluſio, quicquid ſit de hac *Ellipſi*; ſenſúmq; Textûs hunc eſſe autumo:

Magnum utiq; illud corpus Politicum quod prætendit ſe Eccleſiam eſſe Catholicam, quanquam tam craſsè à doctrina Apoſtolica praxíq; apoſtatantem, κατὰ τὸ μυςήριον, ut loquitur *Grotius*, *Spiritualiter* ſive *Myſticè Sodomam* vocari ac *Ægyptum*, Civitatémq; ubi Chriſtus eſt crucifixus, cum juſto ſanè opprobrio adversùs contrarios ſuos prætextus, falſáſq; ſpecies ac ſimulatas. Tanquam ſi Divinus Spiritus ſic loqueretur: Cùm degener illa Eccleſia *Romana* gloriando de votivi Cœlibatûs profeſſione perpetuæq; Virginitatis, præſe ferre velit, ac ſi ea eſſet verus ille *Cœtus Virgineus* ſanctáq; ac *caſta ſponſa* Chriſti atq; Agni, clarè enuncio, eam nidum

dum eſſe immundarum volucrum, impuram ut *Sodomam* & pollutam ſicut *Gomorram*. Cúmq; prætendat ſe eam unicam eſſe *Chriſti filii mei* Eccleſiam, qui declaravit, *Si filius vos in libertatem vindicârit, verè liberi eritis*, eámq; eſſe *Hieroſolymam* quæ *libera* eſt matérq; eſt omnium verè credentium, apud totum mundum profiteor eos *Spiritualiter* ac *Myſticè* eam ipſam terram *Ægypti* eſſe *Domúmq; ſervitutis*, in qua populus meus faſtidioſis & ſuperſtitioſis onerosíſq; Inſtitutis (quæ nulli rei præterquam pompæ atq; faſtui ſpiritualis hujus *Pharaonis* durorúmq; ejus *Ergodioctarum* ſuffulciendo inſerviunt) opprimitur miſeréq; obteritur. Et poſtremò, cùm hominibus perſuaſum velint ſe *Sanctam* illam eſſe *Civitatem*, quæ perfugium ſit ac receptaculum Sanctorum Dei, tutum contra Perſecutionem præſidium ac munimentum, ubi Deus abſterſurus ſit omnem lacrymam ab oculis eorum, *Novam* illam *Hieroſolymam* quæ de cœlo deſcenderit (quæ profectò eſſent ſi id eſſent quod ſe eſſe gloriantur, Eccleſiam nempe Chriſti verè Apoſtolicam) equidem reverà ſucceſſio ſunt veteris illius *Hieroſolymæ*, ſuperſtitioſorum utiq; acerborúmq; *Scribarum* ac *Phariſæorùm* qui filium meum *Jeſum* crucifixerunt, quemadmodum & hi ad hunc uſq; diem vera illius membra crucifigunt, qui tamen ipſe, quemadmodum eis nunciavit, perſecutionem patitur, quoties illa patiuntur perſecutionem.

Ac proinde, ὅτι ὁ κύριος ἡμῶν ἐσταυρώθη, Chriſti membra perinde reſpicere poteſt atq; Chriſtum ipſum, quanquam ſit Aoriſtum prius. Commoda enim eſt illa Notatio *Grotii* atq; vera, *Aoriſti, ſine deſignatione temporis, deſignant quod fieri ſolet.* Atq; ea propter per [ἐσταυρώθη] hîc ſignificatur repetita Chriſti perſecutio in veris ſuis membris ſub poteſtate hac *Antichriſtiana*. Crucifixio enim per *Dioriſmum* quodlibet perſecutionis genus ſignificare poteſt.

Hieroſolyma igitur hîc *literaliter* non intelligitur ſub hoc involucro *Sodomæ* & *Ægypti*; (Qui certè adeò *myſticus* & *ſpiritualis* ſenſus non foret, ſed mera *Synecdoche*, qualem puer quilibet Grammaticus facilè intellexerit) ſed Magna illa Civitas, Politia eſt ex hominibus conſtituta, qui prætendunt ſe unicam illam eſſe veram Eccleſiam Catholicam, quanquam tam miſerè à Fide apoſtatantes. Hæc Civitas tali ſenſu *myſtico* quem propoſui, vocatur *Sodoma*, *Ægyptus*, & *Hieroſolyma* iſta quæ occidit Prophetas, Dominúmq; crucifigit perſequendo ſua membra. Id verò quod nunc ſpeciatim notamus, hoc eſt, quòd appelletur *Ægyptus* ex eo quòd Populum Dei in hujuſmodi ſpirituali Captivitate ac ſervitute detineat.

4. Quam ſervitutem captivitatémq; animadvertere poſſumus etiam in figura *Meretricis Babylonicæ* quæ *Beſtiæ* inſidet, ſubindicari. Quòd enim imperioſus hic Clerus *Romanus* ſic appellatur, non ob id ſolum factum eſt quòd *Babylon* in colendo *Belo* primum ferè videatur *Idololatriæ* exemplum, ſed ob Tyrannicam ſuam ſuperbiam populíq; in violenta Captivitate detentionem, ex qua nemo ſe ſubducere potuit pedémq; Hieroſolymam versùs, verúmq; Dei Templum referre, quin Crudelitati truculentæ hujus *Meretricis* caput exponeret, quæ in corde ſuo dicit, *Sedeo Regina & luctum non videbo.*

Beſtia etiam cùm dicatur à *Meretrice* inequitari, Beſtiales quidem innuit labores & delaſſationes Chriſtiani Imperii quibus opprimebatur, ſub eíſq; per multa ſecula ingemiſcebat. Quod quò magìs Beſtiam referret, *Equum* putà *Mulúmve, quibus non eſt intellectus*, ipſum ſtuduerunt in quanta maxima poterant retinere ignorantia, ut populus eo pacto patientiùs Sacerdotii calcaria pati poſſet, ſeſſorémq; quietiùs tutiúſq; bajulare.

5. Hæ ſunt præcipuæ ſtricturæ quæ occurrunt in viſionibus Propheticis, quæ ad ſecundum hoc *Antichriſtianiſmi* membrum applicari poſſunt, ídq; ſolummodò ratione hac generaliori. Illud S. *Pauli* magìs particulare eſt; *Vetantium matrimonia contrahere, abſtinere à cibis*; ſed intellectu tam facile, ut ſat ſit nominâſſe. Ac proinde ad proximos *Antichriſtianiſmi* ramulos pergam, ad illas ſcilicet oppugnationes quibus ſacra Chriſti officia, quatenus *Rex* eſt, *Propheta*, ac *Sacerdos*, impetuntur ac ſubruuntur. Contra quorum ultimum ſumma injuria hæc eſt, Quòd alios præter Chriſtum *Mediatores* conſtituant, cultúmq; religioſum illis præſtent (quod prædictum eſt à S. *Paulo* & *Daniele* eis in locis quos produximus & explicavimus, de *Dæmonibus* & *Mauzzim*) quódve ſupprimant vilíve pendant præcipuum *mortis* Chriſti *uſum*, quod ſolabile Conſcientiæ levamen eſt ab omni ſuſpicione Divinæ iræ, metúve ſupplicii in altero mundo, ex eo quòd pro peccatis non ſatisfecerimus in hoc, modò ſincerè nos eorum pœnituerit moréſq; emendaverimus ſecundùm Chriſti præcepta. Qui quidem abuſus unum eſt ex præcipuis generibus ſervitutis ac Captivitatis quibus Dei populus ſubjugatur in hac *Ægypto* Spirituali; ac proinde generaliori modo præfiguratur in illo Typo quem jam explicavimus,

utì

utì etiam in *Meretrice Babylonica* juxta ea quæ ſuprà innuimus. Ità ut hoc Chriſti officium miſſum facere libeat, & ad officium *Regale* ac *Propheticum* pergere.

6. Quorum poſterioris oppugnatio planè prædicitur in mentione *Pſeudo-prophetæ* in *Apocalypſi* commemorati, qui idem eſt qui *Beſtia Bicornis*, quæ *Beſtiæ lethaliter vulneratæ* (hoc eſt, Imperii *Paganici* Chriſtiani facti) in novum quoddam genus *Paganiſmi* eſt Inſtauratrix, dicitúrq; *magna ſigna edere in conſpectu Beſtiæ, quibus ſeducebat incolas terræ, faciebátq; ut adorarent Imaginem Beſtiæ ejúſq; acciperent characterem*, &c. cap. 13. Quæ res tam apertè dicuntur de *Pſeudo-propheta*, cap. 19. 20. ut nihil ſubeſſe poſſit dubii, quin *Beſtia Bicornis* & *Pſeudo-propheta* idem ſint. *Et comprehenſa eſt Beſtia & cum ea* Pſeudo-propheta *ille qui ediderit ſigna coram ea, quibus ſeduxit eos qui acceperunt characterem Beſtiæ & qui adoraverunt imaginem ejus.*

Quamobrem manifeſtum eſt *Pſeudo-prophetam Beſtiámq; bicornem*, ac *Meretricem* ex conſequenti *Babylonicam*, unum idémq; prorſus eſſe, quemadmodum ſuprà notavi, ac proinde *Clerum Romanum Idololatricum*, (qui ſe *Eccleſiam* adeò *infallibilem* eſſe gloriatur, ac ſi Deus eos in quibuſcunq; rebus, quæ à Papa ſuo aut ſaltem ab eo, cum generali, quod ipſi æſtimaverint, Concilio determinatæ ſint, certò inſpiraret) in opprobrium jactatæ hujus *infallibilis Inſpirationis*, ſub nomine titulóve *Prophetæ* hîc præfigurari ; Ex eo verò quòd Mundum doctrinis falſis & aut Diabolicis miraculis, aut technis impoſturíſq; miraculoſa effecta imitantibus ſeducant, eadem hominum Societas ignominioſè magìs ac apertè, ob hanc impietatem, condigno illo *Falſi* Epitheto [ὁ ψευδοπροφήτης *falſus ille Phopheta*] ſibi in contumeliam præfixo, infamatur. Quid iſtôc poteſt eſſe manifeſtius ? Quæve magìs impia *Prophetici* officii Chriſti oppugnatio quàm ut quis tantum ſibi aſſumeret ut *infallibilis* ſit *Chriſti Vicarius generalis* per orbem, & ut mundum tamen impleret *Idololatriis* ac *Mendaciis* ? Quod fecit profectò plus minúſve hæc *Pſeudo-prophetarum* Societas ad mille ducentos circiter annos, quemadmodum patet ex ultimo *Co-expoſitionis* noſtræ Conſectario.

7. Unde certi eſſe poſſumus veros Prophetas qui ſecundùm doctrinæ Apoſtolicæ rationem loquerentur, calamitoſa habituros fuiſſe tempora, futurúmq; fuiſſe ut *officium* Chriſti *Propheticum* quatenus hos verbo Spiritúq; ſuo illuminet, impugnaretur, omnibúſq; modis impeteretur, atq; hæc illius Inſtrumenta reprimerentur afficerentúrq; omnimodâ injuriâ ac violentiâ, prout hoc *Iniquitatis myſterium* incrementum caperet in Eccleſia, quod incepiſſe videtur annis poſt natum Chriſtum circiter quadringentis.

Quæ Eccleſiæ conditio mihi videtur in viſione *duorum Teſtium* eſſe præfigurata. Quorum Prophetandi functio ſaccis amictorum, Regno *Pſeudo-prophetæ*, quemadmodum ſuprà demonſtratum eſt, contemporat. Iſtiuſmodi verò eſt rerum deſcriptio ut oppugnationem *Regalis officii* Chriſti perinde ac *Prophetici* comprehendat, utì ex Viſionis explicatione conſtabit. Nam quiſquis ſibi tantum aſſumit, ut legum Regis, infallibilis ſit Interpres, idem reverà pro Rege leges condit ſancítque, eúmq; Throno ac ſceptro exuit ; vel quâcunq; aliâ ratione leges illius ſupprimi poſſint abſcondíq; à populo aliæq; in illarum locum ſubſtitui, *Regale* hoc *officium* planè hoc pacto irritum redditur. Cum Verbo autem Dei quod *Novo Veteriq;* Teſtamento continetur, apud hunc *Pſeudo-prophetam* ſic agi, in *Idea Antichriſtianiſmi* abundè declaravimus.

CAP.

CAP. X.

1. *Visionis* Testium *Explicatio. Ver. III. Ratio cur duo sint. Ver. IV, V. Cur* duæ Olivæ & Candelabra, *quidq; significet* hominum occisio per ignem ex ore ipsorum prodeuntem. *V, VI. Potestatem* claudendi cœlos nè pluat, *ipsis tribui posse per* Metalepsin; 2. *Vel potiùs per secundi generis* Zoopœiam. 3. *Secundùm quam Figuram dicuntur* terram percutere omni plagâ Ægyptiacâ. *Et quisnam harum plagarum sit sensus. Ver. VII.* ὅταν τελέσωσιν, ἀναβαίνον, Prælium & Mors Testium, *quid significent. Ver. VIII.* Ægyptus & *suprà dictæ* Plagæ *quàm opportunè simul commemorentur. Ver. IX.* Tres dies & dimidium *quid denotent,* Cadaveráq; Testium insepulta. *Ver. X. Quid* Terræ incolæ. *XI. Quid* Spiritus Dei in Testes ingrediens. *Ver. XII. Veros Testes cœlum non invadere, sed illuc ascendere accersitos. Ver. XIII.* Terræ-motus, Civitas, casúsq; Civitatis, Nominúmq; hominum 7000 cædes, *quid significent.* 2. *Antichristianam* Regalis *ac* Prophetici officii *Christi oppugnationem in hac visione* duorum Testium *clarè præfigurari.*

1. INquiramus jam quid de his injuriis renunciatum sit in hac visione *duorum Testium* lugentium. Neq; enim de nihilo est quòd conquerantur ac lugeant, cùm *Regale* perinde ac *Propheticum* Christi officium tam manifestò oppugnetur ab *hoc Homine peccati.* Brevem visionis explicationem dabimus à versu ad versum ordinatim procedentes, à tertio incipientes, pergentésq; usq; ad decimum quartum, ubi *Testium* Historia exit.

Ver. III. *Et dabo duobus testibus meis & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.*

Dies hos totidem esse annos ex ultimo *Co-expositionis* nostræ *Consectario* satìs apparet. Quòd verò *Testes* hi *duo* sint, partim fit propter Typos ad quos in Veteri Testamento alludunt, partim ob naturam rerum quas denotant. Typi ad quos alludunt, sunt *Moses* & *Aaron*, *Elias* & *Elisha*, *Zerobabel* & *Jeshua*, tria distincta sanctorum hominum paria qui ob populi regimen celebres erant in istiusmodi temporibus quæ hisce *duorum Testium* temporibus etiam sint analoga, utpote qui dum *exterius Templi Atrium* à *Gentibus* conculcatur, dicuntur prophetare, hoc est, dum polluitur *Idololatriâ.* Quemadmodum *Moses* & *Aaron Israëlitis* in Eremo præfecti erant, ubi sæpe labebantur in *Idololatriam* (quò per *Mulierem in Deserto* fortean alludi potest) & *Elias* ac *Elisha* in Apostasia eorum *Baalitica*, & *Zerobabel* ac *Jeshua* quando abducti erant in Captivitatem *Babylonicam.*

Sunt etiam tria rerum paria quæ per *duos* hos *Testes* aptè possunt significari. Aut suppressi utiq; *Magistratus* & *Ministerium* (istiusmodi intelligo qui *Bestiæ decacorni* & *Pseudo-prophetæ* ex oppositò respondeant, & *Mosis* ac *Aaronis*, *Zerobabelis* & *Jeshuæ* speciem gerant) aut *Populus Judaicus* (eos ex ipsis intelligo qui ità sinceri sunt, ut nisi *Antichristianismi* in mundum Imperium obstaret, ad Christum converterentur) unà cum *cœtu Christianorum virgineo*; aut deniq; (quæ duobus hisce postremis Testibus respondent) *Vetus Testamentum* ac *Novum*, quæ reliquis per *Henopœiam* addi possunt.

Ver. IV. *Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.*

Manifestus est *Israëlismus* ad illud apud *Zachariam* alludens, cap. 4. 11. *Quid sunt duæ olivæ istæ ad dextram candelabri & ad sinistram ejus?*

Et tum postea, vers. 14. *Isti sunt duo filii olei qui assistunt Dominatori universæ terræ.* Quod omnes Interpretes de *Zerobabele* intelligunt atq; *Jeshua.*

Ver. V. *Et siquis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum & devorabit inimicos eorum; & siquis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi.*

Allusio est ad Historiam *Mosis* & *Eliæ* qui ignem cœlitùs deduxerunt in Adversarios. Hîc verò magìs *mysticè* intelligendum est de *igni Spiritûs*, sive de *Lege Divina* ex ore eorum prodeunte, quâ mundum convincant, Jer. 23. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?* Ad instar hominis illius è mari, 4 Esdræ cap. 13. *Et quòcunq; ferretur ex ore ejus vox, ardebant quicunq; ejus audirent sonitus, quemadmodum pervastatur incendio grassante terra.* Ac rursus eodem capite, *Et ecce, ut vidit venientis impetum multitudi-*

Ver. 29. Ver. 4. Ver. 9.

nis

nis, non extulit manum suam nec ense usus est, aut ullo belli telo, sed, ut vidi, misit duntaxat ex ore suo quendam quasi flatum ignis, ex labiis suis flammantem spiritum, & ex lingua scintillas ac procellas ejaculans, quæ omnia commixta simul, scilicet flatus ignis, flammans spiritus, & procellarum vis, irruerunt cum impetu in multitudinem quæ erat parata pugnare, & omnes ità cremati sunt, ut subitò ex innumerabili multitudine nihil extaret præter pulverem tantùm nidoréque; fumi. Quod postea exponitur, ver. 38. *de vi legis ignea, Et perdet eos sine labore per legem igni consimilem.*

Hinc intelligere licet quid significetur per [*si quis eos voluerit lædere, sic eum oportet occidi*] Hicq; erat sermo Domini ad *Zerobabelem*, ad quem alluditur in his *Testibus, Non in exercitu nec in robore, sed in spiritu meo dicit Dominus exercituum.* Zechar. 4. 6. Tam manifestum est *duorum Testium* arma, suæ lugubris vaticinationis tempore, esse tantùm *Spiritualia.* Quæ res digna est quæ notetur consideretúrq; serió.

Ver. VI. *Hi habent potestatem claudendi cœlum nè pluat diebus prophetiæ ipsorum, & potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plagâ quotiescunq; voluerint.*

Diebus Prophetiæ ipsorum, hoc est, *Lugubris ipsorum vaticinationis* vel in diebus quibus prophetent *saccis amicti.* Quemadmodum clarè intelligere licet ex versu tertio. Manifesta est allusio ad *Eliam* qui pluere inhibuit temporibus *Achabi* per tres annos & sex menses. Quod præcisè tempus est *Prophetiæ* horum Testium, nempe mille ducenti sexaginta Dies. Sensus vero necesse est ut sit magìs mysticus, siquidem hi dies annos significant. Quamobrem per *pluviam* intelligitur puræ ac revivificantis doctrinæ Evangelicæ falsis hominum glossematis nondum adulteratæ distillatio. Quæ cœlestes guttæ Lugubri durante *Testium* prophetiâ, non descendunt. Hæc verò Cœli clausura ipsis ad hunc modum ascribitur, non quòd cœlestis hujus roris descensum ipsi *positivè* impediunt, sed per *Metalepsin*, qualem jam observavi in *sessore equi rufi, cui potestas data* esse dicitur *ut sumeret pacem de terra, & ut invicem se interficiant, cuiq; datus est gladius magnus*, cùm tamen nihil ampliùs per hoc intelligatur, quàm quòd suo tempore multa crebráq; futura sit ἀλληλοφαγία. Ità ut *effectum* assignetur *signo* utì res talis eventura sit, ut in versu illo vulgari. Apoc. 6. 4.

Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.

2. Hæc una est legitimè interpretandi ratio; verùm supereſt & altera melior: Nempe si hæc cœli clausura hisce duobus lugentibus testibus atribuatur, non quidem per nudam solummodò *Metalepsin*, sed per secundi generis *Zoopœiam*, qualem suprà descripsi. In qua quantumvis is cui effecta attribuuntur, nullam adhibuerit ad ea producenda *actionem* vel *activitatem*; aliquo tamen sensu *causalem* in ea habeat influentiam. Quemadmodum *Solis absentia* causa dici potest *Noctis*, omniúmq; facinorum sub illius umbraculo commissorum. Ità suppressio horum testium locóve ejectio, causa est clausuræ cœli, verbíq; puri apud populum inopiæ. Ipsis verò Testibus attribui non potest nisi per *Metalepsin* vel potiùs *Zoopœiam.*

3. Ad quam rationem *conversio aquarum in sanguinem, terræq; percussio omni plagâ quoties voluerint*, ipsis attribuitur, nempe per *Zoopœiam*, tametsi nullam *positivam* actionem illîc exerant; non certè magìs quàm sol in omnibus illis Homicidiis & Adulteriis quæ propter illius absentiam in latibulo vel sub velamento committuntur umbrosæ Noctis. Ac proinde cùm porrò addatur ὁσάκις ἂν θελήσωσιν, *quoties voluerint* (ut omittam vocem ἐθέλειν & θέλειν rebus etiam inanimatis apud bonos Autores tribui) non est nisi altitudo sive sublimitas hujusce schematis, nec quicquam ampliùs significat, quàm quoties opportunitates se dederint ad hujusmodi effecta, in quæ lugubris horum *Testium* conditio *consequentialem*, si ità fas sit loqui, influentiam habeat quamvìs minimè *activam. Voluntásq;* ipsis tribuitur pari profectò ratione & elegantiâ atq; ipsa *Activitas*, & juxta necessariam certè Analogiam, siquidem *occasionales* illæ *Consequentiæ occasionalibus actuum voluntatis* in eo qui propriè agere dicitur nec per *Zoopœiam, exertionibus* ex amussim respondent. Si cui verò minùs placet accuratior hæc & articulatior Analogiæ explicatio, equidem statuat per me licet, παραφυαδίαν esse, copiámq; ac crebritatem harum plagarum *Ægyptiacarum* in genere tantùm significari. Allusio est ad *Mosem* qui Terram *Ægypti* decem plagis percussit. Quarum inflictio per mysterium hisce duobus Testibus in humili hoc abjectóq; statu existentibus ascribitur.

Sensus igitur breviter hic est: Quòd Imperium *Romanum*, in quo spiritualis hæc *Ægyptus* Dei populum in servitute detinet, sive *Aquas* suas habeat per bella intestina

ac tumultus in *Sanguinem conversas*, sive noxiis abundet *Ranis*, hoc est, hominibus lutulentis, salacibus ac Veneri deditis, sive otiosis ac *pediculosis* mendicis scateat, sordidâ squalidáq; paupertate, propter oppressionem malámve rerum administrationem per eos qui sunt in Imperio, plerosq; omnes inundante, sive homines importunis *culicum muscarúmq;* agminum incursionibus infestentur inquietentúrque, hoc est, numerosis superstitionum scrupulositatibus, anxiisq; Theologiæ Polemicæ controversiis, quæ pungunt mordéntque, & mentes ac conscientias hominum, in nullum alium finem nisi solicitudinis & inquietudinis ergô, divexant atq; turbant, *Bestiæve* quas corpora nostra esse volunt *Platonici*, *malâ lue* tabescant, hoc est, impuritate & putredine onustæ sint noxióq; peccatorum mortalium veneno, seu multitudo inquieta sit ac si *inflammatis ulceribus* efferaretur, gentésve barbaræ ab Aquilone ad instar *violentæ grandinis procellæ* Imperium invadant, *Turcæve* ac *Saraceni* ab Austro ad modum numerosi exercitûs *Locustarum*, palpabilísve *caligo* ac *cæcitas* in rebus divinis mentes hominum occupet, & *Primogenitus* deniq; in unaquaq; Familia inveniatur *mortuus*, hoc est (inquit *Alcazar*) Anima cujusq; æternæ morti obnoxia, (ac si animam esse nollet σώμαlϴ ὑστερογενῆ sed Primogenitam esse in homine, aut saltem quòd *jus* habeat *Primogenituræ*, id est, jus Imperii exercendi in corpus) Sensus, inquam est, quòd omnes hæ mysticæ *Ægypti* plagæ qualescunq; sint, (& certè faustæ significationis esse non possunt) duobus his luctuosis *Testibus* per *Zoopœiam* attribuantur, utpote quæ sunt *contumeliæ* Testium, *Afflictionis*, locóq; ac dignitate dimotionis *consequentiæ necessariæ*, ut Furta, Homicidia & Adulteria absentiæ Solis.

Ver. VII. *Et cùm finierint Testimonium suum, Bestia quæ ascendit de Abysso faciet adversùm eos bellum, & vincet eos & occidet eos.*

Textus *Græcus* habet ὅταν τελέσωσιν. Quod nihil ampliùs significat quàm, *quando peragent testimonium suum.* Et ex abysso, ἐκ τῆς ἀβύσσου significat, vel *ex profundo puteo in terra*, vel, *ex Mari*, atq; sic vel *Bicornem Bestiam* vel *Decacornem* denotare potest. Belligeratio cum ipsis significat, per *Diorismum*, qualemcunq; ipsorum oppugnationem studiúmq; subdomandi ipsos vel supprimendi, bello cædéq; non exclusis, quemadmodum propiùs à fine Prophetiæ ipsorum contigit, apud *Waldenses* utiq; & *Albigenses* aliósque. Et sicut Bellum quamlibet oppugnationem significat, ità *Mors* & *Cædes* quamlibet ipsorum conditionis mutationem in pejus, ità ut cessent esse id quod fuerant antea. Quódq; hæc *Politica mors* sit Imperióve expoliatio ex eo manifestum est, quòd *Resurrectio* ipsorum talis sit. Vide *Mors* & *Resurrectio* in *Alphabeto Prophetico.* Adeò ut sensus hic sit; Quòd Testes hi statim atq; officium suum testificandi veritatem peragere incipiunt, impetentur ab inimicis, supprimentur & *Politicè* occidentur, hoc est, omni excludentur dignitate & Imperio.

Ver. VIII. *Et cadavera eorum jacebunt in Plateis urbis magnæ quæ vocatur spiritualiter* Sodoma *&* Ægyptus, *ubi & Dominus noster crucifixus est.*

Hunc versum jam exposui capite proximè præcedenti. Hîc tantùm notari potest quàm bellè hæc *Ægypti* appellatio cum plagarum *Ægyptiacarum* mentione ad quas modò alluśum est, conveniat, quæ terræ incubuerunt quòd Dei populum in servitute non desisterent detinere, nec permitterent ipsis Deum colere secundùm ejus voluntatem ac præcepta.

Ver. IX. *Et videbunt ex tribubus & populis & linguis & gentibus cadavera eorum per tres dies & dimidium, & cadavera eorum non sinent poni in monumentis.*

Carere sepulturâ, duplicem habet sensum, quemadmodum videre est in *Alphabeto Prophetico.* Ego verò faustiorem veriorem hîc esse existimo, quódq; careant sepulturâ pignus esse eos tandem resurrecturos, nempe post *tres dies & dimidium*, Quod in *Mysterio Pietatis* ostendi idem esse quod *Tempus, Tempora & dimidium Temporis* sive Anni mille ducenti sexaginta, quibus & *Testes saccis amicti* dicuntur prophetare. Etenim cùm tantùm *Politicè* mortui sint, nihil repugnat omninò in veritate rei quæ significatur, ut modo luctuoso vaticinentur, immò verò necesse est ut sic fiat. Cúmq; decrevisset Divinus Spiritus hasce duas partes conditionis ipsorum, nempe *Propheticas* ipsorum *Testificationes*, omnísq; *Politicæ Potestatis expoliationem* nobis ante oculos proponere (quam *Potestatis privationem* Scriptura *mortem* populi appellat, ejusdémq; recuperationem, *Resurrectionem* ipsius ad vitam) factum est sanè (partim ob id quòd valdè incongruum esset ut vaticinentur dum sunt mortui, partim quòd tam longum tempus, quàm ipsorum vaticinandi functio durare dicitur, dies nempe mille ducenti sexaginta, haud ità conveniebant cadaveri insepulto jacenti in plateis, & post id tempus mox reviviscenti) ut cortex hujus visionis sic contexatur, tam mirabili utiq; Artificio ut hæ Dissonantiæ per *Homonymiam* istam *Trium dierum & Dimidii* evitentur, omnésq; Figurationum Propheticarum partes, perinde ac in-

Lib. 5. cap. 15. sect. 4.

ternus

ternus rerum significatarum sensus debitam proportionem ac symmetriam observent, ita absq; omni impedimento, cuivis homini sagaci, in vera investiganda Interpretatione visionis, quippe cui *Tres dies & dimidium* facilè mentem in *Tempus, tempora & dimidium temporis* (quod idem prorsus est quod dies 1260) statim sint directuri. Utrùm verò secundariâ aliquâ significatione hi *tres dies ac dimidium* talem sensum habere possint, qualem *Jos. Medus* proposuit, optimè definiturus est Eventus. Quantùm ad me, parùm vel potiùs nihil in Textu causæ video cur quis indè ejusmodi sensum eruat. Vide *Mysterium Pietatis* eáq; quæ suprà scripsimus in hoc ipso *Tractatu.*

Ver. X. *Et Incolæ Terræ gaudebunt super illis & lætabuntur & munera mittent invicem, quoniam hi duo Prophetæ cruciarent terræ incolas.*

Terræ incolas, Ribera alio in loco ex *Andrea* interpretatur, *Habentes in terra perpetuam cordis habitationem*, quorum mentes rebus *mundanis* nimiùm multùm immorentur. Hi certè necesse est ut lætentur cùm *duo Testes* occisi sint, siquidem liberæ eorum reprehensiones ex Divinis oraculis valdè inquietant cruciátitq; eos qui mundum adeò carnémq; sapiunt. Vide* *mysterium Pietatis.* *Lib. 5. c. 17. sect. 8.

Ver. XI. *Et post dies tres & dimidium Spiritus vitæ à Deo intravit in eos, & steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos.*

Quòd *Spiritus vitæ à Deo* intraverit in ipsos optimè respondet eis quæ jam ex *Zacharia* citavimus, *Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo dicit Dominus exercituum. Resurrectionem* hanc significationem habere *Politicam* pleniùs intelligere potes, si *Alphabetum Propheticum* adeas, ex eis quæ nos illîc super hoc Termino tradidimus.

Ver. XII. *Et audierunt vocem magnam dicentem eis, Ascendite huc; & ascenderunt in cœlum in nube, & viderunt eos inimici eorum.*

Mallem reddere, καὶ ἤκουσαν, *Nam audierunt*, &c. cùm hæc vox de *Cœlo* ipsos à mortuis excitâsset, ut Christi vox olim *Lazarum* excitavit. Per quod cœlum hîc intelliguntur celsiora in *Mundo Politico* loca, quò *Testes occisi* accersuntur per vocem illinc emissam dicentem, *Ascendite huc.* Ubi haud intempestivum est notare, veros Testes antequam sint accersiti, nunquam venire velle, nec ad morem antiquorum *Gigantum* cœlum invadere contra eorum voluntatem qui illîc resident, sed manere usq; dum ex legitimæ vocatione ad Officia Politica Dignitatésq; accedere queant. Illud enim non de *cœlo Politico* sed de *Spirituali* verum est, *Regnum cœlorum vim pati & violentos rapere illud.* *Matth.* 11. 12.

Quòd verò hi *Testes* dicantur in cœlum ascendisse in nube, videtur Allusio esse ad *Ascensionem Christi* post ejus *Crucifixionem*, ad quam hîc etiam allusum est versu octavo. Quóq; adhuc perfectior Allusio esse possit, Luctuosæ *Christi* Prophetiæ ante *Resurrectionem* tempus, tres circiter annos & dimidium æquabat, siqua *Chronologis* fides.

Ver. XIII. *Factúsq; est in illa hora terræ-motus magnus, & decima pars Civitatis cecidit, & occisa sunt in terræ-motu nomina hominum septies mille, & reliqui territi sunt & dederunt gloriam Deo cœli.*

Quòd Terræ-motus motus significet *Politicos* rerúmq; mutationes, obvium cuiq; est notare. Quòd verò Civitas hîc memorata non intelligenda sit de *Civitate ex lateribus* lapidibúsve extructa sed de *Politia*, haud ità in proclivi fuit cuivis assequi. Mihi autem satìs constare videtur quòd hæc Civitas ipsissima illa Civitas sit cujus mentio fit versu octavo, quæ appellatur *Civitas magna*, éstq; hæc magna Civitas *Meretrix Babylonica, Meretrixq; Babylonica* nihil aliud nisi *Cleri Idololatrici* in Imperio corpus seu communitas, quæ ad *Septimum* sive ultimum caput *Bestiæ* pertinet, quod perinde ac sex prima, caput est *Blasphemiæ*, hoc est, caput *Idololatricum.* Unde intelligere licet quid significetur per hæc *septies mille nomina hominum.* Neq; enim hîc septies nec mille *numerum* ullum *determinatum* significant (quamvìs per elegantem *Diorismum* id facere videantur) sed *naturam* duntaxat ac *conditionem* eorum nominum *hominum* qui dicuntur occidi; Quòd *Tituli* sint, *Dignitates, Offica, Ordinésve* hominum ad Christiani orbis statum pertinentium quatenus sub capite septimo, quod factum est *Idololatricum* & *Antichristianum.* Quòd verò Numerus hic *Septenarius* ductus sit in *Millenarium*, integram solidámq; fortè significat omnium hujusmodi Officiorum Ordinúmq; hominum abolitionem, saltem externi Corticis Prophetiæ ornatui inservit. Quod quidem si Cl. *Medus* notavisset, compendium ipsi feciisset operæ circa eruendum sensum τῶν ὀνόματα ἀνθρώπων, ademisséq; ei solicitudinem de proportionalitate Numeri occisorum. Etenim nulli omninò homines necessariò hîc supponuntur occidi, sed *Officia omnia Antichristiana* ac *Fra-*

ternitates tantùm dissolvi & abrogari, réſq; ad puritatem primorum quadringenorum Annorum reduci. Nam occidere, per *Diorismum* nihil ampliùs significat quàm efficere ut res cesset esse. Quin hic verus sit hujusce loci sensus, nullus equidem dubito. Cui & τὸ δίκαιον τῆς πόλεως significatione valdè consentaneum est arctissiméq; conjunctum.

Quòd verò ullum sit in lapides lateréſque, in muros ædificiáq; *Romæ*, aut in hac præsenti visione, ullâve alia in *Apocalypsi*, consilium aut molitio, equidem fateor me adeò obtusâ oculorum acie in præsens, ut illud non videam, cùm *Politiâ Papalis* per *Hylasmum* non *Materialis Urbs*, quantùm ego possum perspicere, in omnibus illis contra ipsam denunciationibus intelligatur. Adeò ut si futurum sit ut incendatur aut devastetur, aut teræ-motibus absorbeatur, fieri potest ut is casus sit obiter contingens, non speciatim præstitutus nec datâ operâ præfiguratus in visionibus *Apocalypticis*. Quòd si tale quid eventurum sit in istiusmodi circumstantiis quæ speciali quodam ac peculiari modo ad aliquod horum vaticiniorum adaptetur, per secundi generis *Henopœiam* erit inibi comprehensum, quemadmodum in schematibus *Propheticis* monui.

Hac verò de re quicquid statutum fuerit, nullus interim dubito, quin decimus tertius hic versus capitis quod præ manibus est, præcipuè si non unicè ad *Clerum Idololatricum* spectat. De reliquis verò dicitur, *quòd territi sunt & dederunt gloriam Deo*, ut qui justus erat in judiciis suis, juxta illud Hymnodiæ *Mosis* atq; *Agni*, *Quis non timebit te, Domine, & glorificabit nomen tuum? Nam solus sanctus es*, &c. Immò verò nè eventus minùs amplus videatur quàm reverà fuit, fuerunt etiam ex ipso *Clero*, *Papis* ipsis non exceptis, ut in *Adriano* patet & *Clemente*, præter *Laicos*, qui in communione *Pontificia* adhuc manebant, qui non solùm *territi sunt*, sed & *gloriam dederunt Deo*, hoc est, confessi sunt ob enormia delicta ac peccata Cleri miram hanc rerum mutationem contigisse, ut videre est in *Historia Concilii Tridentini*.

Apoc. 15. 4.

Lib 5. cap. 17. sect. 8.

2. Ex eis quæ *hîc* scripsimus & in *Mysterio Pietatis*, satìs constare existimo, *Antichristianam* illam oppugnationem, quæ contra *Propheticum Regaléq;* Christi officium sit, in hac visione *duorum Testium*, qui occisi *in plateis magnæ urbis jacere* dicuntur, durante *exterioris Atrii Templi per Gentes conculcatione*, clarè præfigurari.

Et certè quanquam quidam sibi tantoperè placent in imaginando visionem hanc adeò inextricabilem Griphum vel Ænigma, non possum quin profitear illius sensum mihi quidem videri *meridiano sole* clariorem. Et quantùm ad specialem illum nodum scrupulúmve quem versui octavo inesse arbitrantur, qui fieri possit ut hi Testes de ullis Christiani orbis Incolis intelligantur, cùm Cadavera ipsorum jacere dicantur in plateis *Urbis magnæ ubi Dominus est crucifixus*, quam igitur oportet esse *Hierosolymam*; ad hoc jam respondi innuendo Civitatem hanc *Spiritualiter* ac *Mysticè*, *veterem* appellari *Hierosolymam*, æquè ac *Sodomam* & *Ægyptum*. Et siquis *cor* habeat ad audiendum (neq; enim ullum adeò magnum *Cerebri* laborem requirit ut intelligatur) brevis perspicuúsq; hujusce versûs sensus hic est: Quòd hi *duo Testes* spoliati jacebunt omni honore ac potestâte in districtibus Jurisdictionis illius Ecclesiæ quæ semper hactenus maxima fuit (ut *magnæ Civitati* aptè sic respondeat) & nunc sanè admodum ampla est, ex merè formalibus, carnalibus, & hypocriticis veri Dei Cultûs Professoribus consistens, in qua Ecclesia Dominus etiam noster crucifixus est. Quid istôc facilius intellectu esse potest, magisve perspicuum? Hoc enim solummodò supponit *Carnalem* hanc, *Hypocriticam*, *Testicidámq;* *Christianorum* Ecclesiam, unam eandémq; Civitatis, Synagogæ, falsæve Ecclesiæ successionem esse cum *Formali*, *Hypocritica* ac *Propheticida* Ecclesia *Judæorum*. Quæ manifesta veritas est, sive hæc Prophetia eandem supponat sive secùs; sed pergimus.

CAP.

CAP. XIV.

1. Cornu parvulum *apud* Danielem *Typum esse illius Potestatis quæ oppugnatura sit* Regale *officium Christi.* 2. Quartum Regnum *apud* Danielem *non esse* Lagidarum & Seleucidarum *sed* Romanum, *ex communi Scriptorum Ecclesiasticorum consensu probatum*; 3. *Et ex eminentia ac magnitudine Regni quarti*; 4. *Ex temporis distantia inter* Lagidarum & Seleucidarum *Regnum, & Regnum* Lapidis abscissi sine manibus, *vel* Regnum filii hominis, *quod est* Regnum *etiam* Cœlorum *sive* Regnum Dei. 5. Grotiana *Interpretatio* Filii hominis *profana & inepta, ac si per eum intelligeretur* populus Romanus. 6. *Pur dementia in interpretando* Lapidem sine manibus abscissum *de eodem populo.* 7. *Insoliditas illius opinionis adhuc clariùs distinctiúsq; detecta.* 8. *Regnum* Lagidarum & Seleucidarum *quartum Regnum non esse, ex* decem Regum *secundùm Typum* Co-existentia *porrò confirmatum*; 9. *Ab immensè differentibus Periodis, cùm unum secundùm* Danielem *statim post* Antiochum *finiatur, alterum non ante* Diem Judicii; 10. *Et ex eo quòd* Daniel *magnum Cornu, primum Regem faciat in tertio hoc Regno, quatuórq; minora post ipsum ex ejusdem* Hirci *capite enasci*; 11. *Et ex quatuor capitibus* Pardi *quæ quatuor Successores sunt* Alexandri, *in hac tertia Bestia sive Regno, ex eóq; quòd* Daniel Antiochum *prope finem illius successionis collocat.* 12. *Quòd* Cornu parvulum *necessariò ad Regnum* Romanum *pertinet & Decacorne & Pagano-Christianum factum simul.* 13. *Quòd æqualis durationis sit cum* Meretrice & Bestia bicorni, *saltémq; cum illis &* Bestia instaurata *tempore coincidit.* 14. *Per quam* Æqualitatem & Co-incidentiam *ipsa* Meretrix Bestiáve bicornis *esse demonstratur.* 15. *Quòd Patriarcham* Romanum *magis speciatim hic Typus attingit.* 16. *Accurata Applicabilitas characterum hujus* Cornu *ad dictum Patriarcham.* 17. *Applicatio eorum characterum qui magis particulatim ad ejus oppugnationem* Regalis officii *Christi pertinent.*

1. ILla etiam apud *Danielem* Prophetia de *Cornu parvulo*, quod mutaturum dicitur tempora & leges, *Antichristianæ* oppugnationis adversùs *Regale* Christi *officium* luculenta est Prædictio. Nam quòd hoc *Cornu parvulum* idem sit quod *Bestia bicornis* sive *Meretrix Apocalyptica*, neminem credo dubitaturum, qui consideraverit *Cornu* hoc Romani partem esse Imperii quod figuratur per *Decem cornua*, & ad ea ipsa tempora pertinere quibus Imperium reverà factum sit *Decacorne*, idq; non quidem *successione* sed *simul*: ut *decem digiti pedum* Statuæ, qui *decem cornibus* respondent, *decem* Regum *successiones* non significant sed decem Reges in eodem tempore constitutos; sicut digiti pedum Imaginis, nullam propriè in situ *præcedentiam* habent sed potiùs *Co-ordinationem.*

2. Jam verò quòd Regnum quartum quod præfiguratum est per *Tibias ferreas*, per *Pedes decémq; digitos Imaginis*, & per *Bestiam dentes ferreos habentem decémq; cornua, Lagidarum* non sit & *Seleucidarum*, quemadmodum vult *Grotius*, sed Regnum Romanorum, multæ sunt eæq; magni ponderis rationes, quibus convincamur. Dan. 2.

Primò, Bestiam quartam *Romanum* esse Imperium communis omnium Scriptorum Ecclesiasticorum est sententia, quemadmodum & *Cornelius à Lapide*, & *Gaspar Sanctius*, utriq; *Jesuitæ*, confidentissimè tamen affirmant; verba posterioris hæc sunt, *Est ergo, omnium sententiâ, innominata hæc atq; horribilis Bellua* Romanum *Imperium, neq; necesse est quenquam nominare, cùm nemo non dicat.*

3. Secundò, *Lagidarum* & *Seleucidarum* Regnum esse non posse, contrà ac pertendit *Grotius* (in qua devia quidem opinione universæ Ecclesiæ Christi sententiam relinquit ut *Porphyrium* sequatur juratum *Christianæ* Religionis hostem) manifestum est ex eo quod occurrit Dan. 7. 23. *Bestia quarta Regnum quartum erit* in terra, די תשנא מן־כל־מלכותא, *Quod majus erit omnibus regnis.* Ità vulgaris Translatio & *Vatablus.* Septuaginta etiam Interpretes reddunt ὅτι τετάρτη ἔσται τῆς βασιλείας, optiméq; convenit cum verbis sequentibus, *& devorabit universam terram* (quod intelligi oportet eodem sensu quo antea Terra intellecta est) *& conculcabit & comminuet eam.* Quod sanè efficere dici non posset, nisi tam magnum esset quàm hic indicatur. Jam verò manifestum est quòd Regnum *Seleucidarum* & *Lagidarum* nec majus erat nec excellentius, nec magis victoriosum Regnum quàm ullum è tribus præce-

præcedentibus, quàm *Babylonicum* ſcilicet, *Perſicum*, illúdve *Alexandri Magni* à cujus Regno hoc *Lagidarum* & *Seleucidarum* diſtinctum eſſe volunt. Quamobrem eorum Regnum quartum hoc eſſe non poteſt.

Hæc concluſio *Gaſpari Sanctio* tam perſpicua videtur ut admodum ſeveriter quidem, quantumvìs juſtè, *Porphyrium* caſtiget propter hunc errorem quem *Grotius* tam inauſpicatò amplexus eſt. In hæc enim verba ſuper hoc Textu adversùs *Porphyrium* erumpit: *Vide Porphyrii ſtuporem & oſcitantiam, in cujus mentem venire potuit ut exiſtimaret regnum eorum qui* Alexandro *ſucceſsêre, omnium eſſe maximum, quódq; omnem terram ſibi ſubjecerit conculcaveritque, cùm reliquis Regnis longè fuerit infirmius & ab omnibus conciſum, & malè vexatum.* Immò verò ipſum Vaticinium Regnum ſucceſſorum *Alexandri*, ſuo, magnitudine & poteſtate, facit inferius, *Dan.* 8. 22. ubi dicitur fore ut quatuor Regna conſurgerent, ſed non juxta fortitudinem poteſtatémve *Alexandri*, hoc eſt, quòd inferiora futura ſint illius Regno. Quod proculdubio intelligendum eſt de eis ſimul ſumptis, cùm ſupervacanea foret de ſingulis monitio, ac ſi Spiritus Divinus partem toto minorem futuram prædixiſſet; ut præteream unum eundémq; Hircum eſſe qui nunc unum Cornu permagnum, mox quatuor illi ſuccedentia habere dicitur.

4. Tertiò, *Tibiarum ferrearum digitorúmque pedum Regnum*, & Regnum *Beſtiæ decem cornua & dentes ferreos habentis*, unum idémq; Regnum eſt, etiam juxta ſententiam *Grotii*, quod is *Lagidarum* & *Seleucidarum* Regnum *facit*. Jam verò ſcriptum eſt Dan. 2. Quòd *lapis de monte ſine manibus abſciſſus percuſſurus ſit comminuturúſq; has tibias pedúmq; digitos*, immò totam Imaginem è ferro, ære, argento auróq; conflatam, itáq; huic Regno *Seleucidarum* ſucceſſurus, nempe ſecundùm *Grotianam* hujuſce viſionis Interpretationem. Et cap. 7. *Venit quis tanquam filius hominis cum nubibus cœli ut recipiat regnum*, nempe extincto *Antiocho Epiphane* parvulo illo *Cornu* inter decem in quarto hoc Regno quod *Grotius* ſibi finxit. De quo *cornu* dicitur ver. 21. *Aſpiciebam & ecce illud Cornu faciebat bellum adversùs ſanctos, & prævalebat eis donec venit Antiquus dierum & judicium dedit ſanctis Excelſi.* Quod idem eſt quod *Adventus Filii hominis cum nubibus*, ut *Regnum* ab Antiquo dierum recipiat, verſ. 13. Ambóq; cum *Lapide ſine manibus abſciſſo* conſentiunt, ſignificando utiq; opus *humanum* non eſſe ſed *Antiqui dierum*, nempe *Dei ipſius*, ipſúmq; reverà eſſe *Chriſti Regnum*, quemadmodum Interpretes ſemper adhuc expoſuerunt. Quod *Grotii* Inſomnio apertiſſimè repugnat, ut *quarta Beſtia cum dentibus ferreis, ferreæq; Tibiæ* Imaginis, Regnum *Lagidarum* & *Seleucidarum* denotent, *Antiochúſq;* ſit *Cornu parvulum.*

Antiochus enim *Epiphanes* ducentis ferè annis antè extinctus eſt quàm vel doctrinam Regni Chriſtus prædicavit ullóſve habuit diſcipulos qui illum ſectarentur. Et tamen ſcriptum eſt Dan. 2. 44. *In Diebus autem Regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum quod in æternum non diſſipabitur* (ex quo loco nullus dubito quin illæ phraſes [*Regnum Dei*] quemadmodum & ex illo ſuperiori [*Regnum cœlorum*] quæ toties in Evangelio occurrunt, ortæ ſint, ut & ille Titulus *Filii hominis* quem Chriſtus tam frequenter ſibi attribuit, ipſéq; *Grotius* in *Matthæi* cap. 8. v. 20. agnoſcit בר אנש *filium hominis* Dan. 7. v. 13. memoratum, intelligendum eſſe de *Meſſia*) Quamobrem impoſſibile eſt ut Regnum *Lagidarum* & *Seleucidarum* quartum Regnum ſit.

5. Verùm hìc *Grotius* contra ſententiam quâ erat quando ſcripſit in *Matthæum*, commentum adinvenit quod vix licet enunciare ſine horrore ſummáq; animi conſternatione; Adeò ut ſupra modum obſtupeſcam, quòd Homo aliàs doctus & laudabilis, (quemadmodum ille de *Porphyrio* loquitur) in tam ſcævum ſeductus ſit errorem. *Filius hominis veniens cum nubibus cœli*, ſicut ille nunc vult, eſt *Populus Romanus nullum intra ſe habens Regem.* Cùm Servator Chriſtus ſummo Sacerdoti ſubinſinuâſſet ſe *Filium hominis* eſſe *venientem cum nubibus cœli*, tanta ipſi viſa eſt arrogantia ut veſtimenta ſcinderet, dicerétq; eum blaſphemâſſe. Atq; equidem credo nec *Judæum* nec *Chriſtianum* rectè ab hoc crimine abſolvere poſſe *Grotium* qui peculiarem *Meſſiæ* characterem prophano Paganicóq; populo attribuit, atq; id quidem propterea quòd Regem non haberent, quaſi eam ob rem ullatenus eſſent præſtantiores. At enimverò Reges illi habuerunt in principio, atq; tum in Infantia Imperii ſui, tum poſtea, ſupremam habuerunt Poteſtatem, tam amplam ſanè ac magnificam ut facilè ipſos vel à minima contemptûs ſpecie poſſit eximere. Summa aliqua ſemper ipſis præfuit Poteſtas, ità ut ob nullam adeò privatam conditionem *Filius hominis* poſſent appellari. Poteſtas enim *ſumma*, ſumma eſt Poteſtas ſub quocunq; demum nomine formáve, ejuſdémq; ferè majeſtatis. Præterea populus erant admodum celebris

celebris ac victoriosus ante *Antiochi* tempora. Adeò ut admodum dilutum insipidúmq; sit commentum *Grotii* quo phrasin *Filii hominis* ipsis vult applicari ob ullam eorum vilitatem vel obscuritatem. Tales enim non erant temporibus *Antiochi.*

6. Rursus, Regnum *filii hominis*, & *Lapis sine manibus abscissus*, & reverà & secundùm ipsius *Grotii* sententiam idem sunt; verùm hic Lapis *Christus* est *ejúsq; Regnum*, utpote quod cœleste est, ἀχειροποίητον, res quidem quæ non humanis viribus effecta sit & consummata, sed *Divino spiritu* ac *virtute.* Quòd hic sensus sit istorum verborum [*sine manibus*] communi Interpretum, ut S. *Hieronymi*, *Irenæi*, *Justini*, *Epiphanii*, S. *Augustini*, *Theodoreti*, aliorúmq; multorum suffragio confirmatur.

Ad quæ latibula putatis se jam recipere *Grotium?* Ad hoc utique, Hanc *Figuram*, quæ adeò appropriata est Christo, totiésque de eo in *Novo Testamento* memorata, *Lapidem* hunc abjiciendum esse tanquam si nec *pretiosus* esset nec *Angularis* lapis, populóq; Paganico rursus, *Romanis* scilicet, tribuendum. Sic enim *Grotius* minimè dubitat enunciare, Idem *Lapis* & *Filius hominis.* Filium verò hominis Populum *Romanum* paulò antè statuit. Potéstne verò quisquam credere originem successúmve illius Populi, ἀχειροποίητόν τι fuisse, rem speciali virtute *spiritúq; Dei* effectam, & non more *humano*, juxta ordinarium Mundi cursum seu rationem, eámq; sanè haud optimam, cùm prima hujus Populi initia facta sint per turbam Raptorum ac Prædonum?

7. Atenim illud *Grotii* glossema esse non potest, inquietis. Audiamus igitur quodnam sit. *Lapis abscissus de monte sine manibus*, secundùm eum, *exercitus est populi qui suæ esset spontis nulliq; Regi pareret, cujus populi origo à monte, nempe Palatino.* In quibus verbis nihil profectò sani est aut solidi. Erátne enim quicquam Exercitus hic populúsve *Romanus* magìs suæ spontis quòd nullum Regale Regimen Potestásve *Romæ* tunc esset? Summa illa *Consulum* & *Senatorum* potestas parem dirigendi coërcendíq; vim habuit ac si fuisset *Regia.* Adeò ut motus Exercitûs nihilo indè magìs factus sit *spontaneus*, nec ipsius quidem Populi. Præterea, *Lapis de monte sine manibus abscissus* supponit à monte tunc sponte divisum fuisse quando illinc dicitur abscissus. Cùm autem *Romani* primùm à monte *Palatino* orti sunt, vel quum primùm populus facti sunt *Romanus*, Potestas Regia apud ipsos obtinebat, quippe quæ prima Regiminis forma hujus populi erat, ac proinde Populus suæ spontis tunc non erant, etiam secundùm hoc *Grotii* Commentum; adeò ut efficere ut omnia hîc inter se consentiant, ipsi sit impossibile. Et postremò, Quòd montem hìc sensu literali interpretaretur admodum inscitè factum est, & contra styli *Prophetici* analogiam, ipsámq; præsentis Textûs indicationem, qui dicit *lapidem hunc parvum qui statuam percusserat, montem magnum factum esse, & universam implevisse terram.* Quamobrem cùm *hic mons* non *literaliter* sed *Politicè* significet, minimè dubium est quin & *alter* sic significet, lapísq; aliquo sensu, huic saxoso monti sit congener.

Unde Interpretatio manifestò sic instituì debet: Quòd scilicet ex magno illo monte, hoc est, *Romano* Imperio, Populus suscitandus esset, non equidem per *Potentiam* Politiámve *humanam*, sed per *Spiritum Dei* Evangeliiq; prædicationem, per Christum & Apostolos, qui peculiaris ipsi populus futurus esset subditíq; fierent illius Regni, hoc est, Quòd *Ecclesia Christi* abscindenda esset ex Imperio *Romano* absq; *humano* auxilio. Hic facillimus sensus est miniméq; distortus, & contra quem nè minima proferri potest objectio.

8. Quartò, quod jam suprà innui, *Decem cornua* quartæ Bestiæ *dentes ferreos habentis*, *decémq; digiti tibiarum* statuæ, idem significant. Quamobrem manifestum est, cùm *Decem Digiti* propter situs eorum *co-ordinationem*, decem etiam Cornuum *Co-existentiam* arguant, decem Reges *simul* esse oportere in Regno quarto. Verùm in *Lagidarum* ac *Seleucidarum* Regno decem Reges nunquam fuerunt eodem tempore simul; Ac proinde Regnum illud non potest esse Regnum quartum.

9. Quintò, *Antiochus Epiphanes*, hujus regni *Lagidarum* & *Seleucidarum* pars, surgere dicitur in novissimo Regni successorum *Alexandri*, Dan. 8. 23. Quamobrem hoc Regnum *Lagidarum* & *Seleucidarum* antè bis mille ferè annos exiit; Regnum verò *Bestiæ quartæ* ad Diem usq; Judicii pertingit, Dan. cap. 7. v. 9, 10. *Aspiciebam donec Throni positi sunt & Antiquus dierum sedit---Thronus ejus flammæ ignis, rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus rapidus à facie ejus egrediebatur, millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei, judicium sedit & libri aperti sunt*, &c. Hanc descriptionem esse diei Judicii, communis est tum *Christianorum* tum *Judæorum* opinio. Et accuratè sanè respondet *stagno ignis*

nis libriſq; apertis, Apoc. 20. quæ & ipſe *Grotius* de die noviſſimo interpretatur. Unde ſecurè concludere poſſumus Regnum *Lagidarum* & *Seleucidarum* non eſſe *Regnum quartum*, quippe quod longè ante hoc tempus eſſe deſiit, quantumvis intelligeremus *Diem judicii* eodem ſenſu quo *Rabbini* ſuum יומא רבא דינא, juxta quem ſenſum [*Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt libriq; aperti*] ſic intelligendum eſt, *Danielem* Prophetam proſpectum habúiſſe uſq; ad *ultimum* magni illius Diei *terminum*. Verùm magìs particulatim ab initio illius Diei incipit verſu undecimo. Hoc verò obiter tantùm notavi.

10. Sexto & ultimò, Regnum *Alexandri* illúdq; ſucceſſorum ſuorum unum idémq; Regnum eſt. *Alexandri* verò Regnum tertium eſt, juxta ipſius *Grotii* conceſſa. Jam verò quòd illud ſucceſſorum ejus (cujus lineæ ſunt *Lagidæ* & *Seleucidæ*) unum idémq; Regnum eſt cum regno *Alexandri*, manifeſtum eſt ex *Danielis* capite 8. v. 21. *Porrò Hircus Caprarum Rex Græcorum eſt, & Cornu grande quod erat inter oculos ejus, ipſe eſt Rex primus. Quòd autem fracto illo ſurrexerunt quatuor pro eo, quatuor Reges de gente ejus conſurgent, ſed non in fortitudine ejus.* Hoc argumentum perſpicuum eſt, quòd Regnum *Alexandri* ejúſq; ſucceſſorum unum idémq; eſt Regnum. *Alexandrum* enim vocat *Regem primum*, quod neceſſariò arguit illius ſucceſſores eſſe ſecundos, ac proinde ad unum idémq; regnum omnes pertinere. Immò planè ait, Quòd hæc quatuor cornua ſurrexerunt pro uno illo grandi cornu, hoc eſt, *illius loco*. Quid hoc aliud eſt, quàm in illius locum ſuccedere, tanquam capita unius ejuſdémq; Imperii? Nulla enim *nova Beſtia* huic *Beſtiæ* dicitur ſuccedere, ſed *Cornua Cornu*. Et deniq; quòd quatuor cornua cum primo comparet, dicátque, *ſed non in fortitudine ejus*, porrò innuit cognationem & ſucceſſionem ejuſdem lineæ, eúmq; non loqui de Capitibus duorum diverſorum Regnorum.

Quod clariùs adhuc conſtabit ex verſ. 8. *Hircus autem caprarum magnus factus eſt nimis; cúmq; creviſſet, fractum eſt cornu magnum, & orta ſunt quatuor cornua pro eo ad quatuor ventos cœli.* Sed ubi oportet hæc cornua oriri vel creſcere, niſi in illo capite quod cornu magnum perdiderat, quod compenſatur quatuor minoribus ſed in ſuo genere inſignibus? Valdè enim incongruum eſt & ab omni ratione alienum ſupponere ea ex ullo alio capite ſurgere. Ità ut *Latina verſio* & *Septuaginta* Interpretes תחתיה reddant, una *ſubter illud*, alteri ὑποκάτω αὐτῆς, locum capitis paulò inferiorem innuentes quàm quo *magnum cornu* ſteterat, ſed idem planè caput eandémq; Beſtiam ſupponentes. Et certè ſi ad ullam aliam Beſtiam pertinuiſſent, fieri non potuit quin illa Beſtia nominata eſſet. Quamobrem neceſſe eſt ut aut ex hujus Hirci capite creſcant, aut nullibi niſi ex humo, quod ridiculum eſſet. Ac proinde manifeſtum eſt Regnum *Alexandri* & *ſucceſſorum* ejus unum idémq; eſſe Regnum. Nam Hircus ille unus idémq; Hircus eſt ſub hac diverſorum Cornuum ſucceſſione.

11. Et major tamen adhuc hujus veritatis evidentia elucet ex capite 7. v. 6. *Poſt hæc aſpiciebam, & ecce alia quaſi Pardus, & alas habebat quaſi avis quatuor ſuper ſe, & quatuor capita erant in Beſtia, & poteſtas data eſt ei.* Quatuor capita hujus Beſtiæ quatuor ſucceſſores eſſe *Alexandri*, nempe *Perdiccam*, *Seleucum*, *Ptolemæum*, *Meleagrum*, ipſe *Grotius* liberè fatetur. Alæ igitur quatuor, regna denotant in quæ *Alexandri Imperium* poſt illius obitum diviſum eſt, quod nihilominus tanquam una Beſtia conſideratur, utì & *Romanum* Imperium in decem regna diviſum, quæ per decem Cornua notantur, vel in partes *Orientalem* & *Occidentalem* diſtributum, per duas alas *Aquilæ* ſic figuratum.

Heic quidem *Grotius*, ſi clarè eloqui velit, *Alexandrum* Beſtiam facturus eſſet, quemadmodum *Domitianum* fecit alióſq; in *Apocalypſi*, contra omnes leges Interpretationis Propheticæ, immò verò contra quicquid rationi conſonum eſt & concinnum. Ejus gloſſema ſic eſt: *Pardus varium Animal, ſic* Alexander *moribus variis*. Quàm ſupra modum hoc abſurdum ſit, quilibet apud ſe penſitet. Nam ſic *Alexander* inferior erit quatuor ſuis præcipuis Miniſtris, illíq; ipſius erunt caput. Quæ *Politica* eſt Abſurditas, immò caput illius poſtquam obiiſſet, quæ eſt Abſurditas *Metaphyſica*. Quamobrem *Alexander* primum *caput*, grandéve *Cornu* hujus Beſtiæ eſt non ipſius *corpus*, ut ſuperior eſſe poſſit ſuis quatuor principalibus Miniſtris, nec eſſe Beſtia, quæ quatuor hæc cornua capitáve geſtet etiam poſtquam ex hac rerum ſcena exiiſſet. Hæc enim nec *Capita* nec *cornua* erant antequam ille eſſet mortuus. *Alexander* igitur primus eſt in ſucceſſione horum *capitum cornúmve* Beſtiæ, non autem *Beſtia ipſa*.

Sed ut propiùs ad rem ipſam accedamus; Dico valdè manifeſtum eſſe ex *quatuor* his

his *capitibus aliſq;* *quatuor* quas hic *Pardus* habere dicitur, quòd *Regnum tertium quatuor primos Alexandri ſucceſſores* in ſe comprehendit. Nihil hôc evidentius eſſe poteſt vel ex ipſo textu. *Pardus* enim deſcribitur in tertio loco, & immediatè pòſt cum *quarta Beſtia* memoratur & appellatur pariter *quarta*, v. 7. Quamobrem *quadriceps* hic *Pardus* manifeſtò *tertia* Beſtia eſt. Jam verò quòd ſucceſſio horum quatuor capitum uſq; ad *Antiochum Epiphanem* unius ejuſdémq; Regni eſt ſucceſſio, ex cap. 8. 22. planè patet. *Quòd autem fracto illo* (nempe *cornu illo magno*) *ſurrexerunt quatuor pro eo, quatuor Reges de gente ejus ſtabunt, ſed non juxta fortitudinem ejus. In noviſſimo verò regni eorum* (Textus *Hebraicus* habet ובאחרית מלכותם quod Septuaginta reddunt ἐπ' ἐσχάτων τῆς βασιλείας αὐτῶν) *ſtabit Rex fortis facie & intelligens ænigmata.* Quem *Grotius* cæteríq; omnes agnoſcunt eſſe *Antiochum Epiphanem.*

Unde liquidò conſtat, totam ſucceſſionem Præfectorum *Alexandri* à primis illis quatuor incluſivè ad tempora uſq; *Antiochi* unam ſucceſſionem unúmq; regnum eſſe. Nam *Antiochi* tempora, noviſſima regni eorum tempora appellat.

Quapropter manifeſtum eſt, cùm *Regnum Alexandri* unum idémq; regnum ſit cum *Regno quatuor Præfectorum* (illud enim regnum tertium eſt) Regnúmq; quatuor Præfectorum unum idémq; cum eorum ſucceſſione ad *Antiochi* uſq; tempora, quòd tota ſucceſſio ab *Alexandro* ad *Antiochum* una ſucceſſio ſit Regnúmq; unum. Equidem hoc ſi non ſit demonſtrativè verum, nulla omninò eſt apud ipſos *Mathematicos* demonſtratio. Veruntamen hoc ſi verum ſit, *Regnum Lagidarum* & *Seleucidarum* non poteſt eſſe *Regnum quartum*, ſed Regnum Imperiúmve *Romanum*, quemadmodum omnes cordati homines atq; ſobrii hactenus tenuerunt.

12. Qua de re cùm tam firmiter perſuaſi ſimus, facilè jam dignoſcemus ubi hoc *cornu parvulum*, quod *tempora & leges mutare* dicitur, ſit quærendum. Ubi enim ipſum inveſtigare poſſumus niſi inter numeroſa illa cornua in Regno Imperióve *Romano?* non autem in *Græco*, ad quod refertur *Antiochus Epiphanes.* Et certè jam clarè demonſtravimus, *Beſtiam* Apocalypticam *ſepticipitem* ac *decacornem*, Regnum hoc eſſe *Romanum*, hánc q; Beſtiam ſemel ſanatam talíq; conditione conſtitutam, ut rectè dici poſſit, quòd ſit *Beſtia quæ erat & non eſt & tamen eſt*, (quod tum ſit cùm facta ſit *Pagano-Chriſtiana*) Imperium hoc eſſe in decem Regna diviſum, ſimúlq; cum hac Diviſione Imperium gradatim in Idololatriam relapſum fuiſſe per pravam Actuoſitatem, Regiménq; *Beſtiæ bicornis* ſive *Meretricis*, quam etiam oſtendi *ſanatæ Beſtiæ* contemporare, ſive *Beſtiæ quæ erat, non eſt & tamen eſt.*

13. Verùm *Beſtiæ inſtauratæ* ſive *ſanatæ* duratio eſt per 42 *menſes*, qui ſunt dies 1260, ſeu *tempus, tempora & dimidium temporis.* Mora enim *Mulieris* in deſerto utrolibet horum poſteriorum numerorum indifferenter exprimitur, primúſq; ac ſecundus ſimul adhibentur in viſione *Atrii exterioris* & *Duorum Teſtium.* Quamobrem cùm 42 *menſes*, & *tempus & tempora & dimidium temporis* idem ſunt quod 1260 *dies*, idem ſunt inter ſe. Cæterùm cornu hoc parvulum apud *Danielem* de quo loquimur, ſuum etiam habet regnum definitum per *tempus, tempora & dimidium temporis.* Ergo ejuſdem durationis eſt cum duratione *Meretricis Beſtiæve bicornis*, quæ Beſtiæ inſtauratæ cujus duratio eſt per menſes 42, contemporat.

Quamobrem, Quòd *coincidentia* eſt ſaltem temporis, ſi non rerum, *complicationiſve naturarum* (quinimò *Identitatis* quarundam) inter hoc *cornu parvulum* apud *Danielem*, illáq; tria *ſynchrona*, *Beſtiam inſtauratam*, *Meretricem*, & *Beſtiam bicornem*, vehemens quidem ſubeſt ſuſpicio. Illa enim locutio Dan. 7. 24. *Et alius conſurget poſt eos*, nulli omninò eſt obſtaculo, quandoquidem אחריהן à Septuaginta redditur ὀπίσω αὐτῶν *ponè ipſos*, quippe quòd ſitûs ordinem perinde ac temporis ſignificat. Quódq; ponè collocetur, ea poſitura eſt convenientiſſima ad iſtiuſmodi factum moliendum quale hoc cornu machinari dicitur, nempe ad ſubvertendum humiliandúmve *tres Reges.* Quod *technis* potiùs ac conſiliis ipſi faciendum eſt quàm *aperto Marte.*

14. Jam verò ab hac temporis *Æqualitate* ſequetur porrò, quòd duratio hujus *cornu* parvuli ſit 1260 annorum, per ultimum *Co-expoſitionis* noſtræ *Conſectarium.* Quod rurſus arguit quàm impoſſibile ſit ut hoc cornu ſit *Antiochus Epiphanes.* Quibus accedit quòd dicatur *differre* à reliquis *cornibus* in ipſorum explicatione. * *Porrò cornua decem ipſius regni* (hoc eſt Regni *Romani*, quemadmodum ſuprà demonſtratum eſt) *decem Reges erunt, & alius ſurget* ὀπίσω αὐτῶν *ponè eos*, והוא ישנא מן־קדמיא, *& ipſe diverſus erit à prioribus, & tres Reges humiliabit.* Jam rogo, quiſnam è Regibus decem, Regniſve, adeò diverſum eſt à reliquis, niſi regnum ſit *Eccleſiaſticum?*

* Dan. 7. 24.

Quamobrem *Co-incidentia temporis* cum Imperio *Pagano-Christiano* longáq; *Duratio*, ut & *Diversitas* hujus Regni à decem reliquis, plusquam suspicio vehemens est, partem successionis esse *Regni* alicujus *Ecclesiastici* quod pari passu decurrere oportebat cum Imperio ad Christianitatem conversо. Quòd si oriatur Quæstio utrùm *Regni* hujus *Ecclesiastici* pars hæc incorruptum *Christi Regnum* sit an *Regnum Antichristi*; solutio quidem minimè est difficilis. Quòd enim Christi regnum non sit, manifestum est ex eo, quòd *Antiquus dierum* venturus dicitur ut ipsum igni comburat & consumat. Unde planè liquet, Ecclesiam conjecturâ non errâsse, quòd *Cornu* hoc *parvulum Antichristum* esse censuerint, & ex consequenti, quemadmodum ego sentio, idem quod *Bestia bicornis* & *Meretrix*, quæ planè *Isochrona* est, nullúsq; dubito quin sit *Synchrona* huic *cornu parvulo*. Adjudicatur verò combustioni in *Apocalypsi* ut *cornu* hoc *parvulum* hîc apud *Danielem*.

15. Ut verbo igitur expediam; Hoc *cornu parvulum*, *Idololatricus* Imperii *Clerus* est, sed magìs præcipuè speciatímq; magna illa pars & notoria sub Episcopo *Romano*, Qui singularem præ cæteris operam navavit, ad obtinendum degener hoc *Ecclesiasticum* in *Romano* Imperio Imperium, & ad Imperium præcipitandum in lapsum superstitionis & *Idololatriæ* ad idémq; in eisdem detinendum. Ac proinde rectè dicitur *Cornu* ex hac Bestiâ ortum, cùm ipsum Symbolum [*Bestia*] quemadmodum & ipse *Grotius* fatetur, innuat *Idololatriam*.

16. Et si accurata Applicationis aptitudo nos certos facere potest de recto Vaticinii sensu, hîc certè falli non possumus, singulos examinando hujus *Cornu parvuli* characteres. Nam quemadmodum illud parvum est, ità origo *Paparum humilis* & obscura, eorúmq; *Principatus* secularis *exiguus* quidem ad eos Principes comparabus quibuscum conflictârunt. Rursus, ut *Cornu* hoc *oculos hominis* habebat, ità notissimum est quantùm ad ἐξυσοφρίαν *Politicam* visûsve acumen in rebus administrandis,

(*Tu regere Imperio populos* Romane *memento*)

nullam hominum extitisse Societatem, quæ cum *Hierarchia Romana* sit conferenda. Adeò ut in proverbium ferè abierit, Religionem *Pontificiam* nihil aliud esse quàm meram *Technam Politicam* ad augendum conservandúmq; Honorem, Potentiam Opulentiámq; *Papæ* suíq; *Cleri*. Vide *Europæ Speculum* ab incomparabili Viro *Edwino Sandys* Equite aurato scriptum; deprehendes sanè hanc vaticinii partem mirandum in modum impletam, nec de nihilo esse quòd hoc *Cornu parvulum hominis oculos* in se habere dicitur, quod de nullo alio cornu præter hoc per universa vaticinia narratur. Tertiò, Sicut hoc cornu dicitur *os* habere *loquens ingentia*, sive intellexeris de *venditatione suæ Potestatis* sive de *Blasphemia*, satìs notum est ab hoc cornu talia verba enunciari, quæ *Papam omnibus Principibus* ac Imperatoribus innuunt majorem. Immò non solùm *Infallibilis* dicitur, sed *Deus* appellatur, dignúsq; declaratur Divino honore. Quartò, quantùm ad *Humiliationem* subjugationémq; *trium Regum* quod *Cornu* hoc effecturum prædicitur, an non olim hoc præstitum est à Papa *Romano* in suis tractationibus *Leonis Isauri*; in subvertendo *Lombardorum* Regno ut sibi *Ravennæ* Exarchatum acquireret; & in excruciando inquietandóq; *Henricum quartum*, ejúsq; Successores Ecclesiasticis Fulminationibus, Technísq; Politicis ac malignis machinationibus, donec omne jus ac Jurisdictionem in *Italia* ipsis extorsisset?

17. Quintò, ut propiùs ad id quod præ manibus est accedamus ubi dicitur, Quòd *sermones contra Excelsum loquetur*, & *sanctos Altissimi conteret*, *& putabit quod possit mutare tempora & leges*, *& tradentur in manu ejus usq; ad tempus & tempora & dimidium temporis*, Idololatricus, inquam, hic Clerus non multùm jam abest ab implendo *hanc Temporum Periodum*, cùm degeneratio Ecclesiæ ante annos quadringentos ferè post Christum natum inceperit, & (quod notatu dignius est) cùm ipsi tam notabilem cladem acceperint in decursu hujus *semi-temporis* quod alibi *semidies* dicitur, in quo enormis eorum dominatus probè comminutus est & castigatus. Sextò, Et quantùm ad prædictionem de *conterendo & consumendo Sanctos Altissimi*, hoc certè fecit modo truculentiori & crudeliori quàm ipsi *Pagani* in Christianos primitivæ Ecclesiæ, Quæ maximè furiosa *Regalitatis* Christi oppugnatio est quæ concipi potest: Veros utiq; illius subditos tam diris cædibus trucidare, & occidere. Septimò, Et quòd dicitur *sermones contra Excelsum loqui*, hoc est, contra *Divinam Majestatem*, an non hoc planè impletur in *Papæ* prætextibus, quòd potestatem habeat dispensationes concedendi circa *Leges* Injunctionésq; *Christi*, eásve prorsus seponendi? Cujus rei multa exempla in *Idea Antichristianismi* protulimus,

mus, eáq; istiusmodi, quæ probè notum sit ad illam Ecclesiam pertinere. Ad hæc reus est *Læsæ Majestatis Divinæ*, quòd cultum religiosum suis *Sanctis canonizatis* instituit, qui Honor est nulli debitus præterquam soli Deo. Postremò, Quòd etiam dicitur *mutare Tempora & leges*; Quàm innumera Instituta procudit *Papa* de quibus verè usurpari potest illud quod Servator olim dixit *Scribis* & *Pharisæis*, Ἀπ' ἀρχῆς οὐ γέγονεν οὕτω; *Ab initio non fuit sic?* Quid hoc igitur aliud est quàm *mutare Tempora & Leges?* Et sæpenumerò cum perfecta oppugnatione Legum Dei Christiq; quemadmodum suo loco notavimus. *Matth.* 19. 8.

Unde clarè perspicimus *Antichristianam* hanc oppugnationem *Regalis* officii *Christi* admodum expressè prædictam esse in hac visione *cornu parvuli*, quod surrexit inter *decem cornua* in Imperio *Romano*, & Imperium in Imperio, ut quidam loqui amant, fabricavit, factáq; est *Bestia bicornis* in *Bestia decacorni*, *Ecclesiasticum* extruens Imperium *Antichristianum* intra *Civile*, in oppugnationem *veri Imperii* Regnive *Christi*, & in frustrationem Potestatis illius atq; Legum in Ecclesia, immò in oppugnationem *immutabilium* illorum Decretorum quæ *Æternus Logos* edidit, qui omnem hominem venientem in mundum illuminat.

CAP. XV.

1. *Visio* Sessoris albi Equi (*Apoc.* 19.) *proposita.* 2. *Generalior hujus* Visionis *Explicatio.* 3. *Quid significetur per* Equum album, *quid per* Sessoris oculos flammeos. 4. *Quid per* Nomen sibi soli cognitum. 5. *Quid per* vestem tinctam sanguine. *Quódq; hic pariter atq; præcedentes Characteres applicari possunt Christi corpori, Ecclesiæ.* 6. Gladii ex *ejus* ore prodeuntis *significatio*; 7. Calcationisq; lacûs vini iræ Dei. 8. Inscriptionis *in hjus* femore *significatio quantùm ad seipsum*; 9. *Quantúmq; ad illius Ecclesiam, cui potest applicari*; *quemadmodum* & Lacûs vini Calcatio, Gladiúsq; *ex illius* ore prodiens.

1. QUarum Oppugnationum posterior, illam intelligo adversùs *æternum Logon*, admodum graphicè præfigurari mihi videtur Apoc. 19. incipiendo à versu undecimo; ubi videre licet, quid depressum sit ac proculcatum in regno *Meretricis Babylonicæ* (quam idem esse quod *Cornu parvulum* apud *Danielem* jam innui) ex descriptione *Hujus* victoriæ in *illius* occasu & ruina, *Meretricis* scilicet, quæ eadem est quæ *Bestia bicornis* sive *Pseudo-propheta*, qui capitur & simul cum Bestia decacorni in stagnum ignis ardens sulphure conjicitur, vers. 20. Pompa verò splendidáq; ad hoc bellum victoriámq; incessio sic describitur.

11. *Et vidi cœlum apertum & ecce Equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur Fidelis & Verax, & cum justitia judicat & pugnat.*

12. *Oculi autem ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus Diademata multa, habétq; nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse.*

13. *Et vestitus erat veste aspersâ sanguine, & vocatur nomen ejus VERBUM DEI.*

14. *Et Exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo.*

15. *Et de ore ejus procedit gladius ex utraq; parte acutus, & in ipso percutiet gentes; & ipse reget eas in ferrea virga, & ipse calcat torcular vini furoris iræ Omnipotentis.*

16. *Et habet in vestimento & in femore ejus scriptum* REX REGUM & DOMINUS DOMINANTIUM.

2. Videtis in hac Visione *æternum Dei verbum*, cujus *Sacra Biblia* sunt aliquo sensu aliquáq; ex parte *Transcriptum*, ad victoriosum prælium splendidè incedere, multis diadematis coronatum, tanquam jam possidens justum illum Titulum, totius mundi oculis visibiliter expositum, per Inscriptionem super femur illustris hujus Herois, REX REGUM & DOMINUS DOMINANTIUM. Quam Potestatem *Babylonis* Domina hactenus usurpaverat, & sub *Infallibilitatis* prætextu non solùm manifestæ *Legi verbi Dei scriptæ* silentium indixerat, sed fœdè admodùm barbaréq; innata illa *Moralitatis* ac *Rationis* Principia proculcaverat, quæ *Æternus Logos* sive *Verbum æternum* humanis Animis insevit, & per terrorem ac vim truculentam opere

quanto maximo poterat ea suffocare extingueréq; contenderat. Jam verò mirum in modum mutari incipit rerum scena, *puro Dei verbo* tam apertâ Pompâ ad prælium proficiscente, ad certúmq; pergente contra corruptas, superstitiosas, Idololatricas sibíq; repugnantes opiniones, ineptáq; Institituta Antichristianæ illius hominum Societatis, quibus Papa specialiter præest, Triumphum ac victoriam.

3 Nulla ferè difficultas erit in intelligendo hoc Vaticinio si ad *Alphabetum Propheticum* recurramus, ubi notavi quid *Equus* quídq; *color albus* significent. Quòd hujus *Herois* oculi dicantur tanquam *Flamma ignis*, egregium visûs acumen denotat, quemadmodum scriptum est in Epistola ad Hebræos, *Quòd vivus sit Dei sermo & efficax, discernátq; cogitationes & conceptiones cordis, nec ulla sit res creata quæ*
Hebr. 4. 12. *non manifesta sit in conspectu ipsius; quòd verò omnia nuda sint & patentia oculis ejus quîcum nobis est negotium.* Ubi verbum scriptum, & *Æternum* verbum simul describuntur, quemadmodum & hîc describi videntur in hac Visione per *Henopœiam.*

Rursus quòd oculi ejus dicantur tanquam *Flamma ignis*, notare porrò possumus, Ignem esse Symbolum *Intellectualitatis*, præsertim Ignem flammeum, qui lucem implicat, sicut facilè intelligitur ex *Cabbala* Philosophica Creationis primi Diei.

Igneus est ollis vigor & cœlestis origo
Seminibus.——

Occurrítq; in *oraculis Magicis* πυρινὸς νοῦς & πῦρ φαεινὸν Animæ tribuitur tanquam θεία τινὶ οὐσία καὶ τροφῇ, ut loquitur *Plethon.* Quamobrem *Logos* rectè hîc dicitur oculos habere tanquam *flammam ignis*, quippe qui non solùm *Intellectualis* est sed magnus ille ac *Æternus Intellectus*, unde omnes Substantiæ Intellectuales ortæ sunt, ut & Operationes earum peraguntur ope magìs purorum, æthereorum igneorúmq; spirituum.

4. Quòd nomen etiam habeat inscriptum quod nemo noverit præter seipsum, Doctrinæ *Cabbalisticæ* videtur consentaneum, quæ *Aaronem* Symbolum facit *Æterni Verbi* quod implet Universum; ut & *Christi*, qui hoc Verbum est *incarnatum.* Allusio igitur est ad *Tetragrammaton Aaronis* Mitræ inscriptum, ad Nomen illud quod ἄῤῥητον καὶ ἀνεκφώνητον esse dicitur, nec ab ullo alio legi posse præterquam à summo Sacerdote qui aureæ laminæ ipsum super Mitram inscriptum habuit, quemadmodum *Alcazar* notavit. Verùm in summa, *Incomprehensibilitatem* significat & *Imperscrutabilitatem Divinitatis Servatoris*, cùm is solus qui sit eam comprehendere possit.

5. Quódq; vestimentum ejus sanguine aspersum dicitur, Symbolum est illius *Passionis*, ut cognoscamus *Messiam* esse qui hîc indigitatur. De quo S. *Johannes* in Evangelio scripsit, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, *Verbum facta caro est.* Atq; hîc appellatur ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, *Verbum Dei*, & tamen cum *veste sanguine aspersâ*, quod *Humanitatem* ejus indicat sive *Corpus terrestre*, (Nam hoc corpus non est nisi vestimentum Animæ, nulla pars hominis permanens juxta *Platonicos*) quod eum capacem reddidit oppetendi mortem.

Hæc omnia de *Capite* nostro *Principéve* dicta sunt, nec tamen absq; omni relatione ad *Corpus suum*, Ecclesiam. Ad quos etiam pertinet ut sint *alborum Equorum sessores*, quemadmodum apparet ex versu decimo quarto. Illi etiam oculos habent igneos atq; flammeos, propter *Intellectualia* sua Charismata, dicitúrq; *homo Spiritualis omnia dijudicare*, 1 Cor. 2. Habent etiam Nomen quod nemo noverit præter seipsos, quæ est *nova* eorum *Nativitas*, *Divinæve Naturæ* participatio; vestimenta porrò eorum sanguine aspersa sunt, quòd tam multi ex ipsis trucidati sunt ob testimonium Evangelii adversùs *Idololatriam* Tyrannidémq; *Antichristi*; omnésq; *Martyrium* passi, hoc est, occisi & mortificati quantùm ad vitam peccati, Agníq; *sanguine aspersi* in remissionem delictorum quorumcunq; præteritorum. Et postremò futurum est ut coronentur & regnent tanquam Reges super Terram, propterea quòd *Regnum & potestas & magnitudo regni quæ est subter omne cœlum, detur tandem populo sanctorum Altissimi*, Dan. 7. 27.

6. Verum ut redeamus ad descriptionem cœlestis hujus *Herois*; *Acutus gladius dicitur ex ore illius prodire.* Cui respondet quod occurrit in Epistola ad Hebræos, *Vivus est enim sermo Dei & efficax, & penetrantior quovis gladio ancipiti.* Quódq; dicitur *Gentes in virga ferrea regere*, allusio est ad Psalmum secundum, quod vati-
Psalm. 2. 9. cinium est de *Messia*, *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Quod Symbolum propheticum est mirandæ illius *Contritionis* cordis, quam *Verbum*

Dei

Dei efficax producit quando tempestivè sinceréq; evibratur adversùs Regni sui Inimicos; quemadmodum dicitur in Epistola ad *Hebræos*, *pertingere usq; ad divisionem animæ ac spiritùs, compagúmq; & medullarum.* Talis quidem militia est hujus Cœlestis Exercitûs. *Percutiet terram virgâ oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium*, Esai. 11. 4.

7. Quódq; dicitur *calcare torcular vini furoris iræ Omnipotentis*, verisimile est referri debere ad illud Esaiæ, cap. 63. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor Justitiam & propugnator sum ad salvandum.* Quæ istis respondent in hac præsenti visione occurrentibus, *Qui vocabatur Fidelis & Verax, & cum Justitia judicat & pugnat.* Verùm sequitur apud *Esaiam*, *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus & de gentibus non est vir mecum, calcavi eos in furore meo & conculcavi eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit.* Hoc respondet illi quod scriptum est de *Sessore albi Equi* in hac Visione, quòd *vestitus esset veste aspersâ sanguine.* Quæ in utroq; horum vaticiniorum referuntur tum ad *Passionem Christi*, tum ad *victorias spirituales* adversùs Inimicos suos. *Torcularia* etiam invicem respondent in utraq; visione.

Cúmq; *messis*, sicuti ait Servator, consummatio sit seculi, *vindemiam* quæ aliquantò serior est, seriorem oportet partem esse alicujus seculi cujus *messis* sit consummatio. Adeò ut visio hæc de *Edom* & *Bosra* huic *Apocalypticæ* eâ etiam ratione optimè consentiat. Estq; porrò haud indignum notatu, quòd *Bosra vindemiam* significet, *Edómq;* Ecclesiam *carnalem* persecutionibus sævam, valdéq; veræ *Hierosolymæ* infestam, ut *Edomitæ* olim erant *Israëli.* Nec opus est addere quòd *Edom* & *Ismael* unius ejusdémq; rei Typi sint. Unde prælium hoc planè spirituale videtur; quemadmodum fortassis occasionem capiam pleniùs evincendi alio in loco.

8. Postremò, Quòd scriptum sit in *femore* ejus, REX REGUM & DOMINUS DOMINANTIUM, *Regalem* Christi *stirpem* ostendit etiam secundùm carnem, ac si hunc Principatum sibi vendicaret quòd à *Davide* Rege sit oriundus: Juxta id quod scriptum est cap. 22. 16. *Ego sum Radix & progenies illa Davidis, stella illa splendida & matutina. Radix Davidis* quantùm ad *Divinitatem* (πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι) *progenies* verò *Davidis* quantùm ad *Humanitatem.* Sensus verò hujus partis visionis hic est; nempe, quòd *Verbum Dei*, hoc est, *Lex Christi interna* & *externa* proximè jam abest à consummatissima victoria & triumpho, quamvìs jam diu suppressa esset & in cœnum planè proculcata in Regno *Bestiæ bicornis* sive *Meretricis.*

9. Quòd verò Ecclesia Christi, quæ illius corpus est, portionem etiam habet in hac parte visionis, facilè deprehenditur. Nam quòd Titulus hic, REX REGUM & DOMINUS DOMINANTIUM, *femori* illius inscriptus sit, significat Dominium etiam *Posteritatis* suæ, nempe *Ecclesiæ*, quemadmodum *Ribera* & *Alcazar* rectè notârunt; juxta quod alibi scriptum est in *Apocalypsi*, *Et fecit nos Reges & Sacerdotes Deo.* Et quantùm ad *calcationem Torcularis iræ Divinæ*, sive subjugationem *Edom*, annon Christus illud præstat per potentem & convincentem Zelum *Sanctorum* suorum fideliúmq; Ministrorum verbi sui, qui seriò ac vehementer Legem, gravémq; Dei iram adversùs peccatores, in corda & conscientias horum carnaliter affectorum *Edomitarum* prementes, elidunt quasi, si fas sit ità loqui, hac pressurâ, putridum sanguinem & corruptum, illud impiæ in ipsis vitæ principium ac fomitem, (nam vita Animalis in sanguine) atq; sic mortificantes eos, quantùm ad peccatum, reviviscere mox faciunt ad justitiam & salutem æternam? Gen. 9. 4.

Atq; sic, acutum gladium quod attinet, qui hîc dicitur ex ore Christi prodire, idem sanè reverà est atq; is qui ex Sanctorum suorum ore prodit, qui Mundum regunt convincendo homines de impietate sua eósq; convertendo ad Deum. Acris hæc acutáve ac penetrans Increpatio ex ore populi Dei adversùs Bestiam & Pseudoprophetam, *Gladius* hîc esse dicitur *ex ore Christi prodiens*, quoniam eorum ora ipsius os est usu legitimo & possessione, ipséq; spiritu suo inspirat, isti autem solummodò sunt illius ὑποφῆται, qui igneam hanc legem transmittunt, *Flatum* hunc *igneum* ac flammantem spiritum, quemadmodum appellatur apud *Esdram*, quo impii consumantur; Isti, inquam, sunt tantummodò ut porta occupata viáve, per quam vel in qua hic acutus gladius quo Gentes percutiantur, tam potenter per victorioſum nostrum Servatorem vibratur. Hæc enim *Flamma Gladiúsq;* hic, meo quidem judicio, nihil aliud est, quàm clara veritas solidáq; ac penetrans Ratio ab

æterno

æterno Verbo inſpirata, quæ dum ſancto, ſincero miniméq; affectato Zelo Enthuſiaſtico acuitur, irreprehenſibiliq; vitâ & converſatione munitur, erit equidem acuto gladio haud abſimilis cum Argento vivo in longam cavitatem ipſi indito, qui tanto cum pondere caſurus ſit, ut hoſtem uno ictu ſit diſſecturus, diviſurúſq; animam & ſpiritum, & in compages medulláſq; penetraturus, ſicuti loquitur Apoſtolus.

Hæc verò excurſio præter præſentem ſcopum facta eſt, qui hîc tantùm erat, ut oſtenderem ſcilicet *Antichriſtianam* hanc oppugnationem contra *Regale Propheticúmq;* Chriſti officium factam apud Prophetas eſſe præfiguratam. Quod ſpero me abundè præſtitiſſe in explicatione viſionum *duorum Teſtium, Cornúq; parvuli* oculos habentis, & in hujus præſentis viſionis *Seſſoris albi Equi.*

CAP. XVI.

1. *Reliquos ſacros* Titulos Chriſti *referri poſſe ad prophetias de quibus jam egimus*; 2. *Quemadmodum & omnes oppugnationes* Divinæ vitæ *in genere, præter mutationem Eccleſiæ in* Civitatem mercaturæ, *quæ prædici videtur in Lamentatione ſuper ruinâm* Babylonis, *Apoc.* 18. *Ver. IX. Verſuum noni & decimi explicatio. Ver. XI. Senſus verſuum undecimi, duodecimi & decimi tertii. Ver. XIV. Senſus decimi quarti, decimi quinti & decimi ſexti*; *Ver. XVII. Et decimi ſeptimi, decimi octavi, undeviceſimi & viceſimi. Ver. XXI. Expoſitionis continuatio à verſu viceſimo primo ad finem uſq; capitis.*

1. QUantùm ad illa alia perſonæ Chriſti *Attributa*, veluti, ubi appellatur *Æternus pater*, ubi *Deus* nuncupatur, *Lux*, *Veritas*, *Princépſq; pacis*, horum oppugnationes ad eas prophetias referri poſſunt de quibus jam egimus. Primum ad eas quæ ad prima Antichriſtianiſmi membra ſpectant. Neq; enim quicquam magìs inimicum eſt *novæ Nativitati* ſanctæve *Regenerationi* quàm colluvies illa Idololatricarum ac ſuperſtitioſarum conſuetudinum duobus primis Antichriſtianiſmi membris comprehenſarum. Iſta verò vaticinia de *Manzzim* ſivé *Dæmonum cultu* prophetiæ ſunt de oppugnatione *Divinitatis* Chriſti; Et caligo *Ægyptiaca*, oppugnationis *Lucis* Evangelicæ præfiguratio; *Pſeudo-propheta* & *Mendaciorum* concinnatores, oppugnationis *Veritatis*; *Bellúmq;* adversùs *Sanctos*, *Rebellionis* contra *Principem Pacis*. Brevia hæc Intimamina reliquis his perſonæ Chriſti Attributis ſufficere poſſunt. Pergemus jam ad prædictiones oppugnationum *Divinæ vitæ.*

2. Taléſq; primæ erant quæ Divinam vitam in genere oppugnabant, Cujuſmodi quidem & omnes iſtæ oppugnationes ſunt hactenus commemoratæ, *Craſſa Idololatria, oneroſa Superſtitio, Oppugnationéſq;* contra Chriſtum ut *Regem, Sacerdotem* & *Prophetam.* Ad quas iſtæ *particulares* oppugnationes *Divinæ vitæ in genere*, quas notavi, referri poſſunt, nec ulteriori indigent tractatione.

Ideæ Anti-chriſt. lib. 2. c. 7. ſect. 3. &c.

Unicum jam ſupereſt, quæ mutatio eſt Eccleſiæ Dei in Emporium Urbémve mercatoriam, per religioſas iſtas Nundinationes collationéſq; Eccleſiaſticarum Dignitatum, ob rationes ſolummodò *Mundanas* ac ſeculares, Converſio functionis ſacrorum officiorum in meram mercaturam, lucríq; capturam cujuſcunq; gradûs Sacerdotibus. Craſſa hæc rerum perſonarúmq; *Venalitas* in *Romana* Eccleſia graphicè admodum præfiguratur, viviſque, quod aiunt, coloribus depingitur in iſta *Lamentatione* ſuper ruinam *Babylonis*, Apoc. 18. incipiendo à verſu nono. Cui breviter illuſtrandæ inter recenſendum Vaticinium operam navabo.

Ver. IX. *Tum flebunt eam & plangent ſuper ea reges terræ qui cum illa ſcortati & luxuriati ſunt, quum viderint fumum incendii ejus*;

10. *Procul ſtantes propter metum cruciatûs ejus*, & dicentes, *Heu, heu, magna illa Civitas* Babylon, *Civitas illa fortis, quoniam unâ horâ venit judicium tuum.*

Civitatem hanc *Babylonem*, Civitatem non eſſe ex lateribus lapidibúſq; extructam ſed *Politiam*, ſpeciatímq; *Hierarchiam Romanam*, in *Co-expoſitione* noſtra manifeſtò demonſtravi. Nec videtur ſanè mihi probabile, ut Spiritus *Divinus* Apoſtolum ad tam prolixam copioſámq; componendam *Threnodiam* ſuper iſtius ruina & vaſtatione inſtigaret, ſi nihil aliud ſignificaretur quàm Civitatis *Romanæ* in *literali* ſenſu incendium, ídq; tam leve quàm quod à *Totila* factum ſit, & cum tam nullo

ferè

ferè Inſtituto vel effectu. Quamobrem in illo ſenſu quem jam declaravimus, & de quo minimè dubitamus quin verus ſit, pergamus breviter Textum illuſtrare.

In his duobus primis verſiculis introducitur *Lamentatio* Regum terræ, talium qui cum ipſâ fornicati ſint, hoc eſt, talium qui ejuſdem cum ipſa profeſſionis *Idololatricæ* fuerint. Aliquando, nempe, fore innuitur, ut in eas anguſtias conjecta ſit, ut Reges terræ quos vino fornicationis ſuæ inebriaverit, ipſi præ metu non auderent opem ferre, ſed ſinerent eam cremari porrò uſque ad finem. Quod rurſus arguit caſum *Babylonis* non futurum eſſe ſemel ſed gradatim, quemadmodum jam notavi. Quanquam enim judicium ejus venit unâ horâ, nihil tamen impedit quò minùs illius executio intelligatur in tempus longiuſculum produci.

Ver. XI. *Et Mercatores terræ flebunt & lugebunt ſuper illam, quoniam merces eorum nemo emit ampliùs.*

12. *Merces auri & argenti & lapidis pretioſi, margaritarum, byſſi, purpuræ, ſerici & cocci, & omne lignum thyinum & vas eburneum, & omne vas ex ligno pretioſiſſimo, ex ære & ferro, & marmore;*

13. *Et cinnamomum, & ſuffitus, & unguentum, & thus, & vinum, & oleum, & triticum, & jumenta, & oves, & equos, & rhedas, & mancipia, & animas hominum.*

Primum genus Lugentium lamentantiúmve ſuper *Babylonem* ii videntur eſſe qui ſunt ex ordine ſeculari. Verùm enimvero per hos ἐμπόρους τῆς γῆς intelligi debent *Perſonæ Eccleſiaſticæ* quæ mercaturam faciunt in Eccleſia, ubi omnia ſupponuntur tranſigi adminiſtraríve propter pecuniam, commodúmve aliquod *mundanum:* ac proinde in contumeliam appellantur *Mercatores terræ*, quanquam aliàs Tituli eorum profeſſionéſq; ad nihil aliud præterquam ad Deum, ad Chriſtum Cœlúmq; digitum intendunt, quippe quorum, *Divinus*, *Sanctus*, *Sacer*, vel *Religioſus*, externus univerſorum eſt Character ſive Titulus.

Varietates mercium quas tractant adeò numeroſæ ſunt, ut myſterium in omnibus inveſtigare (cùm fortean nihil aliud ſit quàm *Hylaſmus*, ſive luxuriantior in objectis *materialibus* immoratio in externi corticis Vaticinii uberiorem ornatum, quæ & pro Λεμμαλοκοσμησίᾳ proinde agnoſci poteſt) nimis magna eſſet ἀσυμφορία. Cæterùm occaſio in genere *Lamentationis* horum mercatorum eſt ὅτι ἡ γόμος αὐτῶν ὑδεὶς ἀγοράζει ἔτι. Quòd Nundinæ aut violenter abruptæ ſint, aut prorſus infrequentatæ, quòd nulla emptio venditióq; talium Mercium in *Babylone* ſit qualium ſolet eſſe, cùm & ipſa *Babylon*, utpote quæ ardens flammánſq; jacet in ira Dei, facta ſit inacceſſibilis; Nulla venundatio *Auri*, *Argenti*, *Lapidum pretioſorum*, *Margaritarum*, *Byſſi*, *Purpuræ* aut *Cocci*, ſumptuoſorum ornamentorum ſuperiorum illarum partium *Meretricis* (ut videre licet in * præcedente capite) *Papis*, *Cardinalibus*, aliiſq; magnis perſonis è corpore *Babylonico*, illorúmq; miniſtris convenientium; Nullum lignum *Thyinum* ad Templorum Teſtitudines ornandas, ſculpendáve *Idola*, quibus ſua fiant ſacrificia vel oblationes, (nam illùc alludi ſuſpicor in πᾶν ξύλον θυϊνὸν) Nullum *Thus Suffitúſve* pro Imaginibus colendis; Nullæ Imagines *ex ligno*, *ære*, *ferro*, vel *marmore*, ulláve alia ſacra *Utenſilia*. Nam tam latæ ſignificationis eſt σκεῦος, prout uſus vocabuli occurrit in Hiſtoria *Byzantina*, ubi Imagines argenteæ & aureæ appellantur τὰ ἅγια σκεύη. Et *Achmetes*, cap. 12. Ἐὰν ᾖ τὸ ἄδωλον χαλκοῦν ἢ σιδηροῦν ἢ μολιβδοῦν ᾖ, ὁ τοῦτο ἰδὼν ψευδόπλινθος ἔσται, ταῦτα γὰρ πάντα σκεύη τῷ κόσμῳ. v. 12. * Apoc. cap 17. ver. 4.

Sed ut pergamus; Nulla Nundinatio ampliùs in *Odoribus aromaticis*, *Oleis*, vel *Unguentis* ad ſacras Unctiones; Nemo ampliùs participabit de *Pane* illius *benedicto*, nec *Idololatricam* ejus *Hoſtiam* deguſtabit vel ex puriſſimo Tritico confectam, nec pitiſſabit de *Vino Calicis* ejus, non ſanè quantumvis jus fieret bibendi Laïco; *Vitulus* etiam *Agnúſq;* decumani ſacráq; Vellera deficient; Nec fiet ampliùs per *Miſſas* conductitias Redemptio *Animarum* ex *Purgatorio*; Equorum etiam, Curruum & Mancipiorum mercatura omninò ceſſabit in die illo. v. 13.

Græcum exemplar habet ἵππων καὶ ῥεδῶν καὶ σωμάτων, quæ tria vocabula cùm in Genitivo caſu ſint ſola reliquorum, nec tamen in *Regimine*, quemadmodum videre eſt ſi partes verſûs utrinq; proximas cum eis legas, καὶ σιμιδαλεως, καὶ σίτου, καὶ κλίνης, καὶ πρόβατα, καὶ ἵππων, καὶ ῥεδῶν, καὶ σωμάτων, καὶ ψυχὰς ἀνθρώπων, planè innuit ea ſimul ſumi debere unámq; aliquam rem conficere. Quam igitur Pompam eſſe ſuſpicor Paratúmve ordinarium majorum aliquarum Dignitatum in hac *Babylone* myſtica, clavémq; eſſe Interpretationi reliquarum harum mercium, quòd ſic utique exponi debeant; ad eam ſcilicet ferè rationem juxta quam ego eas expoſui, háſq; exponi volo, non quidem *Equos*, *currus* & *mancipia*, ſed tanquam ſi ſcriptum eſſet, καὶ γόμον τινὰ ἐκ ῥεδῶν καὶ ἵππων καὶ σωμάτων σωτεσηκότα, Rhedas bijugas, quadrijugas vel ſejugas, id eſt, equos binos, quaternos,

ternos, ſenóſve habentes, & pediſſequos utrinq; ad latera Rhedæ currentes, qui σώμαλα hîc dicuntur, non ſolùm quòd ea vox *Servos* ſignificet, ſed magis ſpeciatim fortaſſe quòd hi ſervuli *nudi*, id eſt, ſine *pallio penuláve*, quod *Hiſpani in querpo* dicunt, currere ſoleant. Hujuſmodi autem Rhedas quadrijugas ſejugáſve ſimul cum pediſſequis tanquam unam mercem venum ire, res proculdubio inſolita eſt, quod *literalis* tamen Interpretatio requirit. Verus igitur ſenſus eſt, idémq; *Myſticus*; Quòd Nundinatio talium Dignitatum in ipſorum Eccleſia, quas Rhedarum quadrijugarum ſejugarúmve cum pediſſequis ad Rhedæ latera currentibus pompa paratúſve ordinarius condeceat, defutura ſit inter reliquas in ruina hac & deſolatione *Babylonis*.

Ver. XIV. *Et fructus deſiderii animæ tuæ abierunt à te, & omnia pinguia & præclara abierunt à te, nec ea invenies ampliús.*

Hoc eſt, *Magnæ* illæ ac *opimæ* Promotiones ac Dignitates quas ambitioſa tua mundóq; dedita anima tam vehementer concupiſcit. Hæ enim ſunt ὀπῶρες τῆς ἐπιθυμίας, *Poma deſiderii*, quemadmodum habet vulgaris *Tranſlatio*. Hæc ſunt illa λαμπρὰ καὶ λιπαρὰ *pinguia* illa *pulchráq;* objecta quæ ſalivam hominum oribus movent in pleno hoc *Babylonico* Emporio, ubi omnia pecuniâ obtineri poſſunt, verùm abſq; ea ferè nihil.

15. *Horum mercatores ab ea locupletati, procul præ metu cruciatûs ejus aſtabunt, plorantes & lugentes,*

16. *Et ità dicentes, Heu, Heu, Civitas illa magna induta byſſino & purpurâ & coccino & auro deaurata gemmiſq; & margaritis, unâ horâ depopulatæ ſunt tantæ opes.*

Senſus eſt, Quòd Emptores perinde ac venditores *Spiritualium Promotionum*, qui ex ea mercatura locupletati ſint, triſtes admodum erunt dum ruinam vident illius *Politiæ* quæ ipſos ſuſtentaverat, nec tamen ei poſſunt opem ferre, ſed magnificabunt tantummodò ingentem Pompam ſplendorémq; *Meretricis* inter Lamenta ſuper illius clades. Obſervandum enim eſt quòd verſus hic decimus ſextus idem ferè eſt qui quartus Capitis præcedentis, ubi veſtitus *Meretricis* deſcribitur. Quod intelligitur de *Papa* & *Cardinalibus* aliiſq; *Magnatibus Idololatricæ* illius Eccleſiæ.

Ver. XVII. *Item omnes Navicularii omniſq; copia navalis & nautæ & quicunque in mari negotiantur, procul aſtiterunt.*

18. *Et ejus incendii fumum ſpectantes ità vociferari inſtiterunt, Ecquæ par fuit Civitati illi magnæ?*

19. *Tum ſparſo ſuper capita ſua pulvere, flentes ac lugentes ità queritari, Heu, heu, Civitas magna in qua omnes habentes in mari Navigia ditati ſunt ejus pretiis, ea unâ horâ depopulata eſt.*

Si conſideremus quid *Mare* ſignificet ſtylo Prophetico, multitudines nempe hominum in terra, Analogia facilè nos ducet in intelligentiam quid per *Navigia* innuatur; Ædes utique conſecratæ à reliquis disjunctæ, ut Navigia utplurimum ſeparatim exiſtunt in mari. Videtur igitur alludere ad Eccleſias Templáve *Babylonica* ob ipſorum abuſum ad lucroſas Idololatrias ac Superſtitiones, ubi uſum, aſpectum, poſſeſſionémve multarum rerum conſecratarum venundant, Animas ex Purgatorio redimunt pecuniâ, nec inſcitè dici poſſunt καπηλεύειν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ipſum Dei verbum in corruptum aliquod & adulteratum mercimonium commutare.

Nimiùm fortaſſis phantaſiæ indulgere videbimur ſi imaginaremur hæc πλοῖα ἐμπορευτικὰ, *Naves* haſce *mercatorias* cum ulla alluſione memorari ad notum illud artis vocabulum in *Architectura* Eccleſiaſtica, *Navem* ſcilicet *Eccleſiæ*, quemadmodum & *Anglicè* appellamus, quanquam Cl. *Medus* in viſione *Hirci* caprarum qui *Græci* imperii Symbolum erat, Alluſionem eſſe putabat ad αἴξ, Unde *Ægeadæ*, qui ſunt *Macedones*, ſint nominati. Nec omninò improbabile eſt (ut objectiones eorum anticipemus, qui magnam meritò erga locos Divino cultui conſecratos gerunt reverentiam) ut Chriſtus, qui olim conqueſtus eſt *Judæos* Templum *Hieroſolymitanum* in *ſpeluncam Latronum* convertiſſe, in hac *Viſione*, cùm tam vehementer provocatus ſit, perinde ſeveriter non abſimiles peccatores increparet, dicendo hos homines *Babylonicos* Eccleſias ſuas, quas in meliores uſus extructas oportebat, in totidem *Navigia falſorum aſtutorúmq;* *Mercatorum* commutâſſe. Vide *Alphabetum Propheticum*.

Tum ſparſo ſuper capita ſua pulvere, &c. Hi tres verſus planè alludunt, & *Exſcriptum* quomadmodo ſunt è Viſione vaſtationis *Tyri* apud *Ezekielem*. *Et deſcendent de ſuis navibus cuncti remigatores navitæ, cuncti marini Gubernatores in terra ſtabunt & de te ſublatâ voce triſtem edent clamorem, ac impoſito capitibus ſuis pulvere, in cinere volutati, & propter te attonſi amictiq; centonibus cum triſti mæ-*

Cap. 27. 29.

rentis

rentis animi luctu deplorabunt, & aſſument ſuper te carmen lugubre, te ità lamentantes, Fuit incomparabilis Tyrus *quæ nunc in mari deleta jacet.* Quod conſimile eſt huic de *Babylone, Heu, heu, magna illa civitas*, &c. *Ecquæ par erat Civitati illi magnæ?* Atq; adeò conſimiles ſtricturæ occurrunt, tum in hac viſione *Ezekielis*, tum in illa *Eſaiæ*, cap. 23. ut ingenuè fatear me ſuſpicari has etiam eſſe eadem de re prophetias, præſertim dum conſidero ſcortationes *Tyri* tantoperè ipſi exprobrari in iſtis prophetiis, quemadmodum hîc fit *Babyloni.*

Ea unâ horâ depopulata eſt, hoc eſt, derepentè & præter expectatum deſolatio ipſi ingruit incumbitque, poteſt enim diu ardere nec incendi in omnibus locis ſimul, ſicut ſuprà notavi. Quòd verò Navitæ hi tam lamentabilem ululatum tollerent, cauſa eſt manifeſta; Actum enim eſt de quæſtu eorum ac Mercatura, *Qui modò divites facti erant de ejus pretiis.* Sic habet & Tranſlatio vulgaris, & ſatìs accommodatè ad ſenſum *literalem*; ſed ἐκ τιμιότητος æquè commodè ſignificare poteſt *ex theſauro Honorum, Dignitatum, Promotionum, officiorúmq; Eccleſiaſticorum* quibus hos mercatores ditare valebat.

20. *Lætare ſuper ea cœlum, ſanctiq; Apoſtoli atq; Prophetæ, quoniam Deus veſtras injurias in eam ultus eſt.*

Hoc eſt, Exultate vos *Cœleſtes animi*, ſuper hos *terræ mercatores*, vóſq; qui puram ac Apoſtolicam doctrinam docetis, nudámq; rerum veritatem mundo ante oculos exponitis, Lætamini, quòd Deus Anteceſſorum veſtrorum ſanguinem in eam ultus ſit, ſanguinem *Waldenſium* & *Albigenſium* eorúmq; qui *Mariæ* Reginæ temporibus ob veritatem Evangelicam combuſti ſunt, reliquorúmq; Sanctorum Martyrum Jeſu.

Ver. XXI. *Deinde ſuſtulit robuſtus quidam Angelus ſaxum ingens, ut molam, & in mare dejecit dicens, Tali impetu jacietur* Babylon *Civitas illa magna, nec ampliùs extabit.*

Senſus eſt, Quòd funditùs tandem ſubvertetur & diſſipabitur *Idololatrica* hæc *Civitas* ſive *Politia*, nempe in effuſione *Phialæ ſeptimæ.* Intereà verò loci omittere non poſſum quin notem, quàm omninò veri diſſimile ſit ut ingens hic Triumphus & exultatio, támq; perfecta & *conſummata devaſtatio*, per projectum à robuſto Angelo lapidem magnum quaſi molarem in fundum maris *prefigurata*, nihil aliud ſignificet quàm *Romam* captam per *Totilam*, (quæ tamen ſtatim vires ſuas recuperabat) *Spiritúſq;* Apoſtolorum ac Prophetarum per cœlorum feneſtras deorſum ſpectantes mirificéq; gaudentes ſpectaculo quod non potuit non videri funeſtum atq; Tragicum quamplurimis quidem bonis Chriſtianis.

22. *Et vox citharœdorum & muſicorum & tibiâ ac tubâ canentium non audietur in te ampliùs, nec ullus artifex cujuſcunq; artis audietur in te ampliùs, nec ſonus molæ in te audietur ampliùs.*

23. *Et lux lucernæ non lucebit in te ampliùs, nec ampliùs in te ſponſi ſponſæve vox audietur. Quia mercatores tui erant principes terræ, tuiſq; veneficiis erraverunt omnes gentes.*

24. *Et in ea ſanguis Prophetarum & Sanctorum inventus eſt & omnium in terris occiſorum.*

Verſus viceſimus ſecundus párſq; viceſimi tertii triſte ſilentium ac deſolationem hujus Civitatis complectuntur, reliqui cauſam illius deſtructionis.

Et vox Citharœdorum & muſicorum, &c. Tota hæc pars prior aut Propheticus *Hylaſmus* eſſe poteſt & nihil ampliùs, (niſi quòd haud facilè ſeparari poteſt à λεμμαλοκοσμησία) unicam utiq; rem illuſtrans, deſtructionem ſcilicet, ſilentium, vaſtámq; ſolitudinem *Hierarchiæ* hujus *Idololatricæ*, per privationem abſentiámve iſtiuſmodi craſſorum ſenſibiliúmq; Objectorum quæ in Civitate habitata occurrere ſoleant, ut Muſicorum voces, malleorum ſtrepitus, pulſúſq; Artificum, Molarum triturationes, Lucernarum lumina noctu, cantúſq; ac choreæ in Nuptiis & ſimilia. Aut magìs diſtincta eſſe poteſt ac articulata Allegoria cum relatione ad res particulares hujus *Myſticæ Civitatis* adumbrandas concinnata, ut ſi per *melodiam* hîc memoratam intelligeremus potiùs Muſicam Idololatricis ſuis ſacris adhibitam, qui *Dioriſmus* eſſet, & per hos τεχνίτας, tales qui technas *Sophiſticas* & *Politicas* in Theologia, Eccleſiáq; adminiſtranda in rem ſuæ Hierarchiæ conſuant, iſtos *Artifices* Imperii in Imperio, eóſq; inſuper qui *Scholaſticas* ſubtilitates perquam affabrè contexunt; per *ſonum molæ*, fraudulentum ſuum lucrum; nam ὁ μύλος εἰς ζωὴν καὶ πλοῦτον κρίνεται quemadmodum videre eſt apud *Achmetem*, & *Molitores*, vel ex proverbio, malè audiunt ob *fraudes* atq; furta; per *Lucernæ lumen*, Honorem ac proſperitatem, utì cognoſcere licet ex eodem Autore. Et poſtremò per ſponſum ſponſámq; non *Spiri-*

tuale quidem *connubium Christum* inter & *Monialem*, *Mariámve virginem* & *Monachum* in Monasteriis, sed *Pseudo-catholicæ* hujus Religionis propagationem, eam scilicet haud propagatum iri ampliús. Etenim Connubii finis est propagatio.

Quia mercatores tui erant Principes terræ, &c. Nunc sequitur causa magnæ hujus desolationis, quæ triplex est. Prima, *luxuria & magnificentia* horum mysticorum Mercatorum. Erant μεγισᾶνες τῆς γῆς, i. e. *Magnates mundi, magnoperéq; mundani*, ambitiosi, avari carníq; dediti, quæ est ipsa mentis sapientiæve terrenæ essentia. Quæ quantum apud *Pontifices*, *Cardinales*, *Abbates*, aliósq; μεγισᾶνας Primates, Maximatésve si velis, *Romanæ* Ecclesiæ viguerit, Historia omniúmq; ferè hominum ora plenè ebuccinant.

Secunda est, *corruptio Mundi per Idololatriam* comitatam suffultámq; prætextu opteſtatis planè *Magicæ* mutandi elementa tali modo, quo universi *Pharaonis* Magi nunquam valuerint, nec quicquam simile ausi sint tentare, adeò omnem excedit fidem; Ut facta Magica inferioris generis præteream, Necromanticásq; Historiolas de apparitionibus *Sanctorum* defunctorum. Unde *Idololatriam* per φαρμακείαν hîc indigitari liquet, quemadmodum & *Poculum* in manu *Meretricis* tanquam *Philtrum* quoddam consideratur. Quòd, inquam, *decipi* homines dicantur in utrisq; locis, per hæc *Veneficia*, *seductionem* planè innuit ad *Idololatriam*, ad quam ista tendunt; prout manifestò apparet ex eo quod scriptum est de miraculis *Bestiæ bicornis* Cap. 13.

Causa tertia & ultima est, *truculenta Crudelitas* hujus Hierarchiæ Romanæ. *In ea inventus est sanguis Prophetarum & Sanctorum*, &c. Talium scilicet qui, per conscientiam erga legem Dei Christique, *Idololatricæ* ipsorum professioni ac praxi se submittere non potuerint, sed fidum adversus ipsos perhibuerint testimonium. Nec illorum solummodò sanguinis effusio huic imputatur, sed *omnium occisorum in terris*; communes cædes Christiani orbis per publicos tumultus atq; bella, quibus illi, quò faciliùs suam potentiam in Regionibus Regnísq; stabiliant, mundum illaqueant, aut alunt saltem atq; promovent, à secularibus fortè poteſtatibus inchoata; cùm è contra si veri essent Apostolorum successores, prout se venditant, id summoperè agerent ut Christiani mutuum non effunderent sanguinem, & pii integráq; conscientiâ homines, propter fidelem puræ Apostolicæq; doctrinæ professionem libertatem vitámve non perderent, nec minùs soliciti essent nè *Turca* orbem Christianum invadat debellétque, quàm nè ipsi *Idola Dæmonúmq*; cultum derelin-
Apoc.9.20,21. quant, & à Propheticidiis suis, Fornicationibus, Veneficiis Impostorísq; furtuosis agant pœnitentiam.

CAP. XVII.

1. *Mysticus hic sensus de Incendio* Babylonis *ex* Co-expositione *sua* Alcazarísq; *interpretatione confirmatus, quódq; idem præfiguratum sit per destructionem* Tyri. 2. *Quàm vivus Patriarchæ* Romani *apud* Ezekielem *Typus sit Rex* Tyri. 3. *Visio altera eòdem spectans apud Prophetam eundem.* 4. *Tertia visio apud* Esaiam *de*
Esai. c. 23. Tyro Romam Paganicam, Christianam *& tum postea* Pagano-Christianam *præsignificante. Ver. XVIII.* Tyrum *aliquando, hoc est*, Romam *à suo* Pagano-Christianismo *reformatum iri, puréq;* Christianam *rursus &* Apostolicam *futuram, secundùm hanc Visionem.* 6. *Necesse esse ut hæ Visiones* Tyri *ulteriorem habeant sensum quàm qui in* Litera *ad eam spectet Civitatem.* 7. *Ultimæ visionis versûs decimi octavi Expositio, qui Prædictionem de Romæ Pagano-Christianæ Reformatione complectitur.* 8. *Quid significetur per* מכסה עתיק, *cum generali Notatione Aptitudinis horum quatuor postremorum Vaticiniorum ad significandas Ecclesiæ* Romanæ *Nundinationes in sua Administratione rerum Ecclesiasticarum.*

1. QUòd hujusmodi sensum aliquem Mysticum in genere huic *Babylonis* incendio, prolixæq; super eam Lamentationi subesse oporteat, *Co-expositio* nostra planè confirmat. Siquidem ibi manifestum est quòd *Meretrix Babylonica Bicornísq; Bestia* eadem res sit, quódq; ex consequenti non *Civitas* sed *Politia* per eam sit intelligenda. Ipséq; *Alcazar* hanc desolationem interpretatur sensu non quidem

dem *Literali* sed *Mystico*, quippe qui per eam *Romæ Paganicæ* ad *Christianitatem Conversionem* intelligit, quemadmodum ego Romæ Pagano-*Christianæ* ad puram rursus & Apostolicam Christianitatem. Quod significari quidem videtur in visione *Tyri*, quæ *mysticè* idem est quod *Incendium Babylonis*. Deiq; Spiritus videtur datâ operâ digitum huc intendere, cùm phrasis adeò ex integro è visionibus *Tyri* apud *Ezekielem* & *Esaiam* in Visionem hanc *Babylonis Apocalypticam* transferat, tanquam si ipsi in animo esset nos monere de quarta *Mysticæ* hujus *Civitatis* appellatione, eam utique *Tyrum* nominandam esse perinde ac *Sodomam*, *Ægyptum*, & *Babylonem*. Cùm verò *Alcazar Romam Paganicam* per *Tyrum* vult intelligi, ego certè existimo *Romam Pagano-Christianam* apud *Ezekielem*, apud *Esaiam*, *Romam Paganicam*, *Christianam*, & *Pagano-Christianam* simul significari, prout breviter videbimus; nec omninò erit extra Propositum, cùm *Mysticæ* hæ Nundinationes in eis omnibus attingantur.

2. Ecce igitur quàm ad vivum summus ille Sacerdos *Romanus* describatur apud *Ezekielem* sub Typo *Regis Tyri*, cap. 18.

Ver. 2. *Fili hominis dic principi* Tyri, *hæc dicit Dominus, Eò quòd elevatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi & in medio Marium, quum tu homo sis & non Deus, & posuisti cor tuum tanquam cor Dei.*

An non hic planè is est qui in *Cathedra infallibili* sedet in *medio Marium*, hoc est, inter mare *Tyrrhenum* & *Adriaticum* in *Italia*, seq; ipsum exaltat supra omne quod dicitur Deus? Hoc verò magis propriè spectat ad eam *Antichristianismi* partem quæ Divinæ Gratiæ *Humilitatis* opponitur.

3. *Ecce sapientior es Daniele, nihil est absconditum quod sit absconditum tibi.*

Hoc tantùm *Diorismus* est; sed venditatam *Infallibilitatem* ac nunquam errantem Inspirationem grandis illius *Pseudo-prophetæ Romani* satis illustrat; paritérq; perstringere potest exquisitam illorum calliditatem sagacitatémq; & universalem undiq; intelligentiam sive notitiam ad res suas administrandas; Quidámq; Textum interpretantur de *Sapientia Politica* ob quam *Daniel* etiam insignis erat. Et ipse profectò prætextus *Infallibilitatis* in rebus Divinis, in falso hoc Propheta *Techna* est *Politica*; Totiúsq; ipsorum Politiæ scopus in solidum est *Potentiæ* Opúmq; acquisitio. In quibus prosequendis nihil dubitant Leges, Instituta ac Decreta ipsius Dei mutare vel abrogare. Ad quod quidam hîc alludi imaginentur in nomine *Danielis*, quod Dei judicium significat, ac si ipsi *Leges Decretáq;* majori cum judicio condere possent quàm *Ille*. Cùm tamen nihil aliud sint quàm Inventa Politica ad opes cumulandas, quemadmodum dixi, apertéq; indicatur in sequentibus versibus.

4. *Sapientiâ tuâ & intelligentiâ tuâ congregâsti tibi opes, & acquisisti aurum & argentum in thesauris tuis.*

5. *Multitudine sapientiæ tuæ in negotiatione tua multiplicâsti opes tuas, exaltatúmq; est cor tuum propter opes tuas.*

Hæc est mystica illa Mercatura quam suprà notavimus in præcedenti Visione de Ruina *Babylonis*. Sequentes versus usq; ad versum decimum exitii illius est comminatio, in cujus fine cùm additum sit, *Morte incircumcisorum morieris*, &c. Regem *Tyri* innuit stylo Prophetico esse *Judæum*, quod in visionibus *Apocalypticis* idem sonat atq; *Christianum*, sive professione sive reipsa. Quod ulteriori argumento est quòd huic vaticinio competat sensus etiam Mysticus.

3. Hæc verò majorem adhuc lucem mutuabuntur è sequenti Visione eodem in capite.

Ver. 12. *Fili hominis leva planctum super Regem* Tyri, *& dic ei, Sic dixit Dominus Jehovah, Tu sigillas summam, plenus sapientiâ & perfectus decore.*

Hoc est, Non est *Politia splendóre Imperii*, qui comparari possint cum *Episcopatu Romano*.

13. *In* Eden *horto Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum, Sardius, Topasius, & Jaspis*, &c.

Ornatur sicut *Meretrix Babylonica* propter lapides pretiosos gemmásque, utì par est, quandoquidem *Meretrix ipsáq;* una eadémq; res est significatu. Quòd autem dicitur in Horto *Eden* versari, quid dici potest convenientiùs amœnitati ac deliciis *Italiæ*, quam Hortum *Edénve Europæ* vulgò existimant?

14. *Tu Cherub unctus tegens, & sic posui te, in monte sancto Dei fuisti, in medio lapidum ignitorum ambulâsti.*

Sensus est, Tu æstimaris ut infallibile orbis Christiani Oraculum (nam è *Cherubinis* Deus loquebatur) túq; idem ille summus Sacerdos, Pontifexve maximus es vestimentis Sacerdotalibus incedens, super quæ erant rutilantes illi Lapides qui splen-

debant sicut Ignis, Solísq; erant Symbolum secundùm antiquam *Cabbalam*. Quod dignitatis fastigium, ad quod ascendisti, quanquam proclivis esse potes ad tibi ipsi ascribendum, tuæq; vigilantiæ ac calliditati, oportet tamen te scire, quòd omnis Potestas à me sit, meúmq; sit robur quo steteris.

Vid. Append. ad Defens. Cabbalæ meæ Philosophicæ, cap. 5. sect. 3.

15. *Perfectus fuisti in viis tuis à die quâ creatus es, donec inventa est iniquitas in te.*

Hoc est, Nullum erat vitium defectúsve in te quòd creatus esses Episcopus *Romanus* (Episcopatus enim ex meo est Instituto) donec degenerâsti in *Superstitionem* & *Idololatriam*, primásq; reliquisti Creationis tuæ leges Apostolicas, funestámq; superinduxisti in Orbem Christianum Apostasiam.

16. *Multitudine negotiationis tuæ repleverunt medium tui iniquitatibus, & peccâsti, & ut prophanum te ejiciam de monte Dei, & perdam te, ô* Cherub tegens, *de medio lapidum ignitorum.*

Per multiplicatas tuas *Negotiationes* ac *Mercaturas* (quales scilicet in antecedenti visione *Babylonis* descripsi) injustitiam facis (hæc sunt tua * κλήμακα) ac vim & manus attulisti eis qui adversùs impias has *Nundinationes* loquuntur, & occidisti *Testes veritatis*. Quamobrem non sedebis ampliùs super *Romam septicollem*, quæ ob professionem Christi filii mei *sancta* est, sed humiliabo te, qui *Oraculum universale* te venditas, *summúmq;* Orbis Christiani *Sacerdotem*, & spoliabo te vestimentis Sacerdotalibus quæ pretiosis lapidibus Ignis instar lucent, atq; hoc quidem modo perdam te.

* *Apoc. 9. 21.*

17. *Elevatum est cor tuum propter decorem tuum, perdidisti sapientiam tuam propter splendorem tuum, in terram projiciam te, ante Reges ponam te ut videant te.*

18. *Præ multitudine iniquitatum tuarum & ob iniquitatem negotiationis tuæ, polluisti Sanctuaria tua,* (*Septuaginta* habent ἐβεβήλωσας τὰ ἱερά σου) *& producam ignem de medio tui qui consumet te, & redigam te in cinerem super terram in oculis omnium aspicientium te.*

Summa hæc est, Magnitudo splendórq; Episcopi *Romani*, prosecutio nempe & affectatio harum rerum in ipso, & pro ratione Ordinum in reliquis *Cleri Magnatibus*, effecit ut *Politiam* suam impiis corrumperent Principiis, adeò ut polluerent profanaréntve *Sanctuaria* sua, hoc est, *Ecclesias Christianas* istiusmodi *Idololatrico* ac *Superstitioso* cultu, qui maximè conduceret ad suum lucrum, tali *Nundinationum* iniquitate qualem in visione *Babylonis* innui; Pecuniæ putà *Missariæ*, Oblationum *Sanctis*, eorúmq; *Imaginibus* factarum, & similium. Quamobrem Rex hic *Tyri* (ut Meretrix *Babylonica*, quæ ejusdem rei est Typus) ad idem damnatur supplicium, ut concremetur scilicet & redigatur in cineres, per ignem qui erupturus sit è medio ipsius, quemadmodum dicitur de *Meretrice*, quòd *decem Cornua*, qui principatus sunt intra suam Jurisdictionem, *osuri sint meretricem, comesturi ejus carnem, & igne ipsam exusturi.* Visio adeò naturaliter applicatur ad idem quod *Meretrix Babylonica*, & tam difficulter in quibusdam locis ad *Regem Tyri*, ut non mediocris profectò indè certitudo sit scopum præcipuum Vaticinii *Pontificem Romanum* potiùs spectare quàm *Tyri Principem.*

4. Qua de re adhuc magìs certi esse possumus ex altero illo *Vaticinio* ad eundem ferè sensum apud *Esaiam*, cap. 23. Ubi *Forerius* non quidem *Romam Paganicam* notari existimat, sicut *Alcazar*, sed expresè dicit videri *Johannem* (Apoc. 18.) Civitatem *Antichristianorum* per hanc Civitatem *Tyri* intelligere, quanquam Civitatem ibi non nominat. Ver. 19. *Heu, heu, Civitas magna in qua omnes habentes in mari navigia ditati sunt ejus pretiis.* Ego verò cum *Forerio* & *Alcazare* simul junctis, existimo per *Tyrum* hìc intelligi *Romam Antichristianam* factam, *Antichristiana* illius *Hierarchia* cùm hìc indigitetur sicut in *Babylone*. Etenim S. *Johannes*, quemadmodum suprà monui, apertè nobis illum sensum visionis indicavit, easdem omninò phrases transponendo in visionem *Babylonis*; quemadmodum liquet præter illa quæ jam notavimus etiam ex octavo versu hujusce Capitis, *Quis consuluit hoc super Tyrum, Civitatem coronantem, cujus mercatores Principes erant, cujus negotiatores Inclyti terræ?* Mitto hìc, quàm aptè *Civitas coronans* ad eam *Politiam* quadret quæ in *ordine* ad *spiritualia*, jus sibi sumit auferendi imponendíq; Regum coronas & Imperatorum, fecítq; sanè cum Insultatione quæ fingi potest maximâ. Id tantùm innuo reliqua, istis Apoc. 18. 23. examussim respondere, *Quia Mercatores tui erant Principes terræ*, quemadmodum hìc *Principes* & *Inclyti terræ*. Quàm aptè hæc Amplitudini Dignitatíq; *Papæ* & *Cardinalium* reliquísq; illius Ecclesiæ *Magnatibus* conveniant, cuiq; obvium est animadvertere. Cæterùm supereſt quippiam in parte posteriori Capitis, quod lætum magìs est & jucundum auditu, & boni profectò ominis, versu

15. *Et*

15. *Et erit in die illa, in oblivione eris, ô Tyre, ſeptuaginta annis, ſicut dies Regis unius, poſt ſeptuaginta autem annos erit quaſi* Tyro *canticum meretricis*, i. e. canet ut meretrix. Sic *Forerius*, ut & Tranſlatio *Anglicana*.

Bonus hic pariter malúſq; ex hoc verſu affertur nuntius. Nam per *Tyrum* hîc intelligitur, prout ſuprà monui, *Roma Idololatrica*, quæ oblivioni tradenda eſt ſeptuaginta annis, pro ratione dierum *unius Regis*, quem ego dico unum ex *octo Regibus* eſſe in *Apocalypſi* cap. 17. Et per ſenſum *Cabbaliſticum* Numeri 70, facilè dignoſcitur quis ſit, *Rex* utiq; *ſeptimus*, quæ *Chriſtianorum Cæſarum* eſt ſucceſſio. Spacium quorum regni, ſive quamdiu regnaverint, hîc non indicatur, ſed natura eorum ac character, multiplicando 10 in 7. Cujus ſenſus *Cabbaliſticus* eſt, quòd per totum horum *Chriſtianorum Cæſarum* regnum (*Denarius* enim *Totalitatis* eſt ſymbolum) *Tyrus* oblivioni tradenda ſit, hoc eſt, Politia *Romana* Religionem non profeſſura ſit *Idololatricam*; poſt hoc verò temporis ſpacium, tunc *Tyrus* rurſus cantatura ſit ut *meretrix*; verſu

16. *Sume citharam, circui Civitatem, ô meretrix oblivioni tradita, bene cane, multiplica canticum ut ſis in memoriam.*

Hoc eſt, Tandem fore, poſtquam tempus abrogatæ *Idololatriæ* exierit, ut *Hierarchia Romana* pulchris prætextibus blandíſq; loquelæ incantamentis, ſermones ſuos & hortationes, corruptis populi inclinationibus miro concentu & congruentiâ adaptans, dulciſonáſq; ſubinde & Idololatricas componens ad beatam *Virginem* aliósq; *Sanctos* cantilenas, his aliíſq; id genus artibus illecebríſq; meretriciis brutos ſenſus ferientibus & illaqueantibus, Cultum *Idololatricum* in Imperium *Romanum* rurſus ſit introductura, voluntate Dei, quantum ego video, ſic quodammodò ſtatuente aut permittente, quemadmodum ſequitur verſu

17. *Et erit poſt ſeptuaginta annos, viſitabit Dominus* Tyrum *& reducet eam ad merces ſuas, & rurſum fornicabitur cum univerſis regnis terræ ſuper faciem terræ.*

Et erit, determinatior ſenſus eſt. *Nam erit*, alioqui nimis propè accedit ad *Tautologiam*. Apoſtaſia illius in *Idololatriam* hîc deſcribitur, modo haud abſimili atq; *Meretricis Babylonicæ quîcum Reges terræ dicuntur fornicari*. Cúmq; dicatur, *viſitabit Dominus Tyrum*, id reſpondet illi quod occurrit Apoc. 17. 17. *Deus enim dedit in corda eorum ut faciant quod placitum eſt illi.* Quæ *Apoſtaſia* etiam incipit, ut *hîc* poſt *annos ſeptuaginta*, ità *illîc* in Apocalypſi poſt *Regem ſeptimum*. Quod verò ſequitur omnium eſt gratiſſimum.

Verſ. XVIII. *Et erunt negotiatio ejus & merces ejus ſanctificatæ Domino, & non condentur neq; reponentur, quia his qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in ſaturitatem & in operimentum vetus. Anglicana* Tranſlatio habet *durabile*.

Hîc rurſus mutatur rerum ſcena, & equidem in melius. Interpretes enim hîc univerſim conſentiunt, *Converſionem* hîc eſſe ad *Chriſtum*. Sanctus verò *Hieronymus* quidámq; ex Scriptoribus *Hebræis* intelligunt de Converſione ipſius Civitatis *Tyri*. *Alcazar* de *Roma Paganica*. Ego verò exiſtimo intelligendum eſſe de Converſione *Romæ Pagano-Chriſtianæ* ad antiquam puram & Apoſtolicam *Chriſtianitatem*. Quod *rerum Congruentia* tum in hac Viſione apud *Eſaiam*, tum in illa apud *Ezekielem*, abundè videtur confirmare.

Neq; enim fieri poteſt quin expectandum ſit, cùm adeò ſit evidens, populum *Judaicum* unum magnum Sacramentum Typúmve fuiſſe Eccleſiæ Chriſti futuræ, quemadmodum iterum iterúmq; inculcatur in *Apocalypſi*, quæ utiq; illo Schemate, quem *Iſraëliſmum* appellamus, tantoperè abundat; fieri, inquam, non poteſt quin expectandum ſit, ut illæ Gentes quæ *Judæorum* hoſtes erant, *Typum* etiam gererent talium qui inimici futuri ſint veræ *Eccleſiæ Chriſti*, útq; Prophetæ dum res prædicebant quæ ad eos pertinerent in prima Completione, quæ eſt *literalis*, in exaltatione ſui ſpiritûs in iſtiuſmodi locutiones eveherentur, quæ ad eos magìs quadrarent quorum *Typi* eſſent, quàm ad ipſos. Ad quem modum multa de Chriſto vaticinia conformata ſunt, perindéq; notata ab Interpretibus. Quæ vel purè *Allegorica* ſunt vel *Mixta*, de quibus ſcripſimus in *Myſterio Pietatis*. *Lib. 7. Cap 7. ſect. 2, 3, 4.*

6. Atq; equidem duas has de *Tyro* Viſiones adeò perfectas de *Antichriſto* illiúſq; caſu Prædictiones eſſe exiſtimo, ut mereantur ſecundo Viſionum generi accenſeri, quandoquidem ea in ipſis reperiuntur quæ *primæ* ipſorum *Impletioni* non competant. Inter quæ illud eſt, quòd *Tyrus* Meretrix appelletur, dicatúrq; fornicari *cum univerſis regibus terræ*. Qui ſenſus certè non eſt tolerabilis ſi *literaliter* intelligatur de *Tyro*, facilè verò & naturaliter intelligitur de *Roma Antichriſtiana*. Id quod *Cornelius à lapide* affert de זונה quòd *cauponam* perinde ac *Meretricem* ſignificet, miſellum

miſellum eſt ſubterfugium, ac ſi Propheta verbalis joci gratiâ, tam inſignem Civitati ob utiles ſuas Negotiationes & mercaturas impingeret contumeliam. Præterea quanquam זונה *cauponam* ſignificat perinde ac *Meretricem*, זנה tamen ſolummodò ſignificat ſcortari. Ac proinde וזנתה את־כל־ממלכות הארץ ſenſum debet determinare alterius.

Item *ſeptuaginta annorum ſilentium & oblivio* ad *Tyrum* applicari adeò non poteſt *literaliter*, ut *Grotius* (quanquam illius minimè probo audaciam) non dubitet mutare Annos ſeptuaginta in ſeptem, tanquam ſi Textus corruptus eſſet. Quæ ſcæva profectò eſt infauſtáq; Scripturas interpretandi ratio, nec multùm abludens ab illa *Cephalalgiæ* curatione, quæ fit per *decollationem*. Et ſanè poſtquam hos annos reduxit ad *ſeptem*, nec *vita* nec *regnum Salmanaſſaris* ſeptem erat annorum, nec is demum *Civitatis Rex*. Quod tamen juxta communem ſenſum neceſſariò videtur intelligendum.

Porrò, cùm *Incircumciſorum* mors Principi *Tyri* intentetur, eum planè arguit ex profeſſione membrum eſſe *Eccleſiæ Dei*, ſed præcipuè cùm *Cherub unctus* appelletur, adornetúrq; veſtimentis *ſummi Sacerdotis*, contráq; ipſum vibretur Comminatio, quaſi ejiciendus eſſet è *Monte Dei* tanquam *profanus*, & reprehenſus deniq; ſit ob *polluta Sanctuaria*; Cuncta hæc pluſquam ſubindicamenta ſunt, quòd *Rex Tyri* Typus ſit magnæ alicujus Perſonæ qui Sacerdos ſit in *Eccleſia Dei*, ad quem *Viſio* hæc præcipuè pertineret, quæ nec intelligi poteſt ullâ cum ſenſûs congruentiâ in aliquibus rebus, niſi ad eam referantur.

7. Cæterùm huic materiæ non ampliùs immorabor; ultimi hujus verſûs brevem tantùm Explicationem inſtituam. *Et erunt negotiatio ejus*, &c. hoc eſt, *Tum*, vel *poſtea Negotiatio* (tam laxæ enim ſignificationis eſt ו, quemadmodum notavimus in Dan. 11. 36.) *& merces ejus ſanctificatæ erunt Domino*. Senſus eſt, Reditus illos ac Promotiones quas *Simonia* aliæq; perverſæ ac injuſtæ rerum adminiſtrationes in Eccleſia in *Nundinationes* & *Mercaturas* mutaverant, ut & ea quæ mercedes meretricis fuerant, hoc eſt, ea quæ *Eccleſia Romana* per Artes ſuas Idololatricas ac meretricias acquiſiverat, cuncta hæc tandem ablatum iri, & in uſus bonos collatum, in verum ſcilicet eſſentialémq; Dei cultum, illíq; iri dedicatum, hoc eſt, appropriatum reali hujus ſervitio. *Non condentur nec reponentur*, hoc eſt, non corradentur in paucorum aliquorum manus ad rem ſibi ſuíſve Familiis conflandam amplificandámve, non occupabunt poſſidebúntq; ut ſuum, (ità enim vox יחסן ſubindicare videtur) ad ſatisfaciendum ſuæ propriæ luxuriæ aut avaritiæ. *Quia his qui habitaverint coram Domino*
Epheſ. 2.19. *erit negotiatio ejus*, hoc eſt, Erit *Domeſticis Fidei* (Gal. 6. 10.) qui alibi *Dei domeſtici appellantur*, talibus ſcilicet qui tanquam in conſpectu Dei ambulent, ſenſúmq; habeant ac reverentiam illius præſentiæ in omni ſua converſatione; talibus qui *Fidei Chriſtianæ* ſint non *Factionis Antichriſtianæ*, ſive *Laici* fuerint ſive *Clerici*. *Ut manducent in ſaturitatem*, ut victus hominibus ſufficiens ſuppetat, belléq; caleat Hoſpitalitas, & ſaturentur pauperes ac famelici.

8. *Et in operimentum vetus*, למכסה עתיק ſignificare poteſt vel *veſtimentum durabile*, vel *veſtimentum modeſtum* ac *venuſtum* quale *ſenem* deceat. Nam מכסה עתיק verbatim reddi poteſt, *operimentum ſenis*; *Ut veſtiantur veſte honeſtâ & decorâ, qualis decet Senes & Presbyteros*, *Gloſſema* eſt ipſius *Cornelii à lapide*, in Interpretationem *Vatabli*, *ad operimentum ſenum*. Ex quo equidem ſuſpicor quòd Prophetia hæc Luciferianam ſuperbiam, Pompámq; ſplendidam *Papæ*, *Cardinalium*, aliorúmq; Eccleſiæ illius *Magnatum* perſtringat, prædicens tempus fore, ubi illi Reditus qui in *Antichriſtianam* hanc vanitatem perperàm prodiguntur, meliùs expendentur in Chriſtianam *Hoſpitalitatem*, communémq; proſpectionem univerſi corporis Chriſti, ut nemini *debitus victus* defiat, *honeſtúſq; veſtitus*, neq; *Clerico* neq; *Laico*. Verùm hæ *Excurſiones* ſunt ultrà quàm inſtitui.

Intereà loci puto me valdè manifeſtum feciſſe, tum ex *Apocalypſi*, tum ex his Viſionibus *Ezekielis* & *Eſaiæ*, Nundinationes improbas ac mercaturas in Eccleſia *Romana*, tanquam ſi Mercatorum Civitas omninò eſſet, clarè admodum graphicéq; in *Tyro* ac *Babylone* præfigurari.

CAP.

CAP. XVIII.

1. *Falsa ipsorum* Legenda *perstringi in S.* Pauli *prophetia de* Temporibus posterioribus. 2. *Plenior Præfiguratio* Antichristianæ *illius oppugnationis* Fidei *in parte Prophetiæ ejus de* Homine peccati. 3. *Illius partis prophetiæ luculenta expositio.* 4. *Strictura in visionibus* Apocalypticis *eódem spectantes.* 5. Romani *Episcopi superbia in* Rege Tyri *præfigurata, ut & casus illius, & quo modo.* 6. *Splendor illius magnificus in* Rege Tyri & Meretrice Babylonica *repræsentatus.* 7. *Superbia casúsq; hujus Patriarchæ in* Rege Babylonis *præfiguratus. Sensus versuum duodecimi & decimi tertii. Vers. XIV. Sensus vaticinii à versu decimo quarto ad decimum nonum. Ver. XX. Explicatio versûs vicesimi.* 10. *Plures Præfigurationes* Superbiæ Papalis *in* Meretrice cornúq; parvulo. 11. *Genuina facilisq; Expositio sive Paraphrasis tricesimi sexti & tricesimi septimi versuum undecimi Capitis* Danielis, *ubi Impia sui-ipsius elatio in* Pontifice Romano *clarè prædicitur.* 12. *Sensum duorum sequentium versuum hujus Prædictionis eundem esse posse quem Cl.* Medus *reddidit.*

1. VEnimus jam ad partes *Divinæ vitæ*, *Radicem* & *Ramulos*, in quorum priori diu non insistemus, quippe cujus prædictiones nec tam amplæ sunt nec tam frequentes. Veruntamen *Prophetia* de istiusmodi rebus quæ modis tam crassis Christianæ Religionis Fidem oppugnent subruántve, omni quidem ex parte non silet. Veluti, verbi gratiâ, de historiis *Legendariis*, quarum mentionem fecimus; An non illæ apertè prædicuntur in prophetia de *Apostasia posteriorum Temporum?* Quòd doctrinæ *Dæmonum* introducendæ essent ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων per *Hypocrisin eorum qui narrant mendacia*, qui per Hypocriticum obtentum *Abstinentiæ à Cibis atque Nuptiis*, (tanquam si ipsi istiusmodi *Sanctuli* essent viríq; planè *Angelici,*) sic quidem larvati lucrantur sibi apud populum opinionem *Sanctitatis*, eóq; faciliùs *Sanctorum* cultum eis commendant, propter *Legenda* quæ illi finxerint mendacibus Sanctorum miraculis referta, ad quæ credenda populus admodum proclivis fit ob Reverentiam quam erga has Sanctitatis Larvas gerit. Quid hôc esse potest apertius?

2. Rursus, 2 *Thess.* 2. plenior illic est conditionis lapsæ Ecclesiæ hac in re præfiguratio, versu

8. *Et tunc retegetur impius ille quem Dominus conficiet spiritu oris sui, & illustri adventu suo abolebit.*

9. *Illum, inquam, cujus adventus est ex efficacia Satanæ cum omni potentia & signis ac prodigiis mendacibus.*

10. *Et cum omni fraude injustitiæ, in iis qui pereunt, pro eo quòd amorem veritatis non receperunt ut salvi fierent.*

11. *Propterea igitur mittet illis Deus efficaciam deceptionis ut credant mendacio.*

12. *Ut damnentur omnes qui non crediderunt veritati, sed in Injustitiâ placidè acquieverunt.*

3. Descriptio consistere videtur ex duabus illis partibus quæ in *Apocalypsi* breviter indicantur, nempe ὁ ποιῶν & ὁ φιλῶν ψεῦδος, is *qui facit* & is *qui amat mendacium. Impius hic*, hoc est, *Papa* cum suo *Clero* est ὁ ποιῶν ψεῦδος is *qui mendacium facit*, cujus adventus est ex efficacia *Satanæ* patris Mendaciorum ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους. Ubi ψεύδους ad cuncta præcedentia refertur ἀπὸ κοινοῦ, ac si diceret, in omni falsa & fictitia specie *Potentiæ*, (curandi putà ægrotos, liberandi animas è Purgatorio, &c.) *Signorum* & *Miraculorum.* Videtur enim in ulteriorem explanationem superaddere, ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας, *in omni injusta iniquáve deceptione vel impostura.* Eadem sanè Accusatio quæ videtur adversùs ipsos intendi in *Apocalypsi*, ὅτι ὃ μέλετόσαν ἐκ τῆς πλεμμάτων αὐτῆς. *Cap. 9. 21.*

Nunc verò ὁ φιλῶν ψεῦδος sequitur, Descriptio scilicet eorum qui amant mendacium. Atque hi illi quidem sunt, qui pereunt ob defectum *sinceri* amoris veritatis quâ salvi fierent. *Hypocrisis* enim utplurimum in fundo est ipsis qui hisce *Impostoris* decipi possunt. Quippe qui dum Regnum Dei ejúsq; justitiam sincerè non quærunt, præda fiunt his deceptoribus. Quemadmodum pleniùs innuitur v. 12. (ubi dicuntur εὐδοκῆσαι ἐν τῇ ἀδικίᾳ, *Placidè acquiescere in injustitia, eóq; statu contenti esse*) *quódq; ob hanc causam mittit eis Deus efficaciam deceptionis* (validámve delusionem ut habet Tralatio *Anglicana*) *ut credant mendacio.* Nec uni sanè sed multis;

tis; omnibus fabulosis impossibilitatibus *Transubstantiationis*, *Miraculorum Legendariorum*, terrificarúmq; *Narratiuncularum Purgatorii*. Atque sic una pars ipsorum Ecclesiæ *stolidi* fiunt & *Bigoti*, ut dicuntur, altera verò qui hanc rerum scenam contemplantur, quanquam ex ipsorum Ecclesia se esse profitentur, cœtus fiunt profanorum *Atheorum* clandestinorúmq; omnis quidem *Religionis Derisorum*. Tam miserum in modum labefactatur *Christiana Fides* per hujusmodi *Impostoras*. Immò verò magna quæstio est, an illi ipsi qui superstitiosiùs eis adhærent, id non faciant ex confusione potiùs animi & obstupefactione, ex formidine ac suspicione, quàm ex ulla determinata certitudine firmáve persuasione earum rerum quas publicè profitentur.

Nec pugnat quicquam hæc nostra Interpretatio cum illorum suppositione qui agnoscunt res aliquando extraordinarias in illa Ecclesia contingere. Nam & illæ, siquando fiunt, Mendaciis splendidis suffulciendis inserviunt. Atque satis profectò est, quòd adeò abundent miraculis de illísq; glorientur, quódq; adeò admodum paucæ ex universis istorum narratiunculis omninò veræ sint, nec istorum ulla *vera miracula*, sed præstigiosa ludibria Diaboli, egregii illius ψηφοπαίκτου, quemadmodum *Theodoretus* eum appellat.

4. Hisce addere potes Apoc. 13. v. 13. ubi *Bestia bicornis* (quæ idem est qui *Pseudo-propheta* & hic *Homo peccati*) dicitur magna edere signa ἐνώπιον τῆς ἀνθρώπων & ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, in conspectu Hominum & in conspectu Bestiæ, hoc est, inquit *Aretas*, κλέπτων τὰς ὀφθαλμὰς τῶν ὁρώντων, *oculos aspectantium perstringens*. Et ad eum sensum *Bellarminus* verba ea etiam interpretatur. Quod præstigium nihilominus ad oculos animi perinde spectat atq; corporis. Nam *Transubstantiatio* non quidem efficit ut Panis aspectum externis oculis alium exhibeat atq; assolet, sed oculis *Fidei* & *Rationis*, quibus, cùm efficere possunt ut fragmen Panis consecrati ipsum corpus personáq; Christi esse appareat, istiusmodi præstigium est ut nusquam illi par sit reperiendum.

Accuratissimæ *Politiæ humanæ* (ut mollissimè dicam) in Religione sua fabricanda, manifesta affectatio, in Visione *Cornu parvuli habentis oculos*, perstringitur. *Atheismus* autem & *Infidelitas* in genere in istis locis Apocalypseos, cap. 22. 8. *Timidis autem & incredulis*, &c. & cap. 22. 15. *Foris autem erunt Canes*. Quæ loca quo sensu ad præsens argumentum pertineant, in *Idea Antichristianismi* jam explicavi, ac proinde hîc rursus repetere supervacaneum esse sentio. *Lib. 2. cap. 17.*

5. Venimus jam ad oppugnationes Ramulorum *Divinæ vitæ*, *Humilitatis*, *Puritatis*, *Charitatis*: Illáq; adversùs primum eorum omninò est incomparabilis illa Elatio atque Fastus quem in suprà dicta *Idea* descripsimus, quémq; Historia ubiq; conqueritur in *Pontifice Romano* adeò insigniter eminere. Quæ res ad vivum prorsus mihi repræsentari videtur in visione *Ezekielis* de *Rege Tyri*; *Tyrum* enim Typum esse *Romæ Antichristianæ* credo me suprà rationibus satis manifestis evicisse. Verba quorum recitandi mihi antè data est occasio hæc sunt; *Fili hominis dic Principi* Tyri, *Hæc dicit Dominus*, *Eò quòd elevatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum & in cathedra Dei sedeo in medio marium.* Annon hæc est ipsa appellatio quam *Papa* acceptat, *Dominus Deus noster Papa?* Quódq; sedes & Tribunal Papæ sit ipsa sedes & Tribunal Dei? Rursus ver. 6. *Propterea hæc dicit Dominus Deus, Eò quòd elevatum est cor tuum quasi cor Dei*, idcirco *ecce, ego adducam super te alienos robustissimos gentium*, &c. *Cor habere elevatum quasi cor Dei*, est suam voluntatem prosequi in rebus omnibus in eáq; dominari, *Voluntati enim ejus quis resistit?* Rom. 9. Illi autem an non *Papæ* voluntatem legem faciunt? *Supremum Numen in terris*, ad cujus nutum & autoritatem omnia agenda sunt sive justa sive injusta? immò verò injusta esse non possunt quando is ea vult? Quod certè agnoscere est in eo *cor quasi Dei*, sensu perquam eximio, non solùm *irresistibile* sed & *infallibile*. Ad hoc quidem fastigium ascendit in fiducia Politicæ suæ subtilitatis & astutiæ. *Ezek. cap. 28. 2.*

Robustissimi verò gentium nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ suæ, pollúntq; ejus decorem, inquit Propheta. Quod quomodo sonet in sensu *Literali* facilè intelligi potest, perindéq; ad Regem *Tyri* applicari, & ex accidenti ad ruinam *Romæ*. Cæterùm sensum etiam habere potest magis *Mysticum*; Atque tunc עריצי גוים quod reddunt *robustos gentium*, poterit nihil aliud significare quàm *fervidos obfirmatósq;* Assertores suffultorésq; veritatis, quâ nihil quidem *robustius* est & *fortius*, (*veritas magna est & fortior præ omnibus*, 3 *Esdræ*, cap. 4.) Hi strenui igitur Athletæ gladios suos nudabunt adversùs pulchritudinem sapientiæ ejus, hoc est, *gladium* vibrabunt *Spiritûs* (qui est *Verbum Dei*, etiam gladius iste qui ex ore *sessoris albi Equi* procedit (quæ *Ratio* est minimè sophistica, & *Scriptura*)

ptura) contra aſſabrè concinnatas ſubtilitates ſive *Scholaſticas* ſive *Politicas*, omnéſq; plauſibiles pulchróſq; Sapientiæ *Pontificiæ* prætextus, Gloriáq; Evangelii tenebroſam reddet *ſedem Beſtiæ*, ut lux Solis, Ignis artificialis cujuſq; lumen obſcurat extinguítve. Ad hunc modum è medio gentium eſt Poteſtas *Pontificia* peritura.

6. Jam verò quantùm ad eam pluſquam Imperialem majeſtatem ſplendorémq; in *Papalibus* veſtimentis, dicitur de *Rege Tyri*; *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum, Sardius, Topazius* & *Jaſpis*, quemadmodum dicitur de *Meretrice Babylonica*, quòd amicta erat *auro, lapidibus pretioſis & margaritis*

Quæ poteſtas *Pontificia* quanquam per Imaginem Mulieris præfigurata ſit in *Apocalypſi*, quò meliùs illuſtrentur *meretricia* illius Eccleſiæ *Myſteria*, faſtus tamen illius, *Papæ* verò præter cæteros, per *Regem Babylonis* videtur tanquam in Typo exhiberi. Nunquid enim poſſibile eſt ut quiſquam dubitet, cùm *Babylon* adeò notus ſit *Eccleſiæ Antichriſtianæ* Typus, quin caput hujus Eccleſiæ *Antichriſtianæ* per *Regem Babylonis* tanquam in Typo pariter repræſentetur?

7. Audiamus igitur quid *Eſaias* de exaltato hoc *Dynaſta* enunciaverit Capite decimo quarto, verſu

12. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer fili Auroræ? Et ſucciſus es ad terram qui debilitabas gentes?*

13. *Tu autem dixiſti in corde tuo, Cœlum aſcendam, ſuper ſtellas Dei exaltabo ſolium meum, & ſedebo in monte Congregationis in lateribus Aquilonis.*

Quomodo unaquæq; Natio per poteſtatem debilitetur *Pontificiam*, in *Idea Antichriſtianiſmi* ſatìs demonſtravimus. Aſcenſio ejus in cœlum *ſtylo prophetico*, ſuíque ipſius exaltatio ſuper *ſtellas Dei*, quæ ſtellæ ſunt primæ magnitudinis in hoc cœlo, idem eſt atq; ſcanſio ejus in *Poteſtatem Imperialem* ſuíq; elatio ſupra omnes *Romani Imperii Reges* atq; *Principes*. *Seſſio* ejus in *Monte congregationis*, in *Templo Dei* illius eſt ſeſſio. Adeò ut videatur duplex eſſe Alluſio, tum ad *Montem* Templi Dei *Hieroſolymis*, tum ad *Montoſam* Pontificis *Sedem Romæ*, quæ præcipua Civitas eſt Eccleſiæ Chriſti. Seſſio hæc in *Monte congregationis*, ſive *Dei Eccleſia*, mirificè coincidit cum vaticinio de ſeſſione ejus, nempe *Hominis Peccati*, in *Templo Dei*, 2 Theſ. 2. Neq; ſanè [*in lateribus Aquilonis*] fruſtrà ſuperadditur, quanquam exigui profectò momenti in *litera*. Videtur enim prædicere Dominium *Papæ* magìs *Aquilonem* versùs extenſum iri; Satíſq; notum eſt eum apud Eccleſias *Auſtrales* res ſuas nihil prorſus promovere potuiſſe, quippe cui *Africana* ſemper ſtrenuè reſiſtebat; ut alias rationes taceam, quas brevitatis causâ prætermitto.

Ver. XIV. *Aſcendam ſuper Altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.*

Hoc eſt, Aſcendam ſupra omne Imperium ac Dominium omni lege ſolutus, ἀνυπεύθυνος, infallibilis ut Deus.

15. *Veruntamen ad Infernum detraheris, ad latera ſepulchri.*

16. *Videntes te, te proſpicient, te contemplabuntur, dicentes, Num hic eſt vir ille, qui conturbabat terram, qui concutiebat regna?*

Senſus eſt, Num hic eſt Vir ille qui Mundum terrefecit, tremendis ſuis Excommunicationis *fulminibus*? quíq; magnâ quâ valuit apud Imperii Principes gratiâ, Cleríq; ſui poteſtate luxare potuit, cardinibúſve dimovere Principatus atq; Regna, propter cæcitatem Populi, bardámq; eorum ſuperſtitionem?

17. *Qui poſuit orbem terrarum ſicut Deſertum, & urbes ejus deſtruxit, & vinctis ſuis non aperuit carcerem.*

Hoc eſt, Qui per impios ſuos Incendiarios Imperium *Romanum* bellis inteſtinis implevit magnáſq; maluit ſuperinducere depopulationes ac vaſtationes Civitatibus, quàm illos dimittere quos Babylonicâ hâc Ægyptiâve ſervitute tenebat. Quorum permulti modis admodum barbaris tractati ſunt in arctioribus *Inquiſitionis* carceribus, tantâq; mactati crudelitate ut omnes Tragicas Hiſtorias ſanguinolentorum ſævorúmq; Infidelium excedat.

18. *Omnes Reges Gentium ipſi univerſi dormierunt cum gloria quiſq; in Sepulchro ſuo.*

Hoc eſt, Omnes *Dynaſtiæ Politiæve* Nationum, Regna Poteſtatéſq; *Seculares*, & expiraverunt & expiraturæ ſunt, ſi ad te quidem comparentur, cum gloria, & honorificam obtinebunt ſepulturam ac memoriam.

19. *Tu autem projectus es de ſepulchro tuo tanquam ſtirps abominabilis ----ac veluti cadaver conculcatum.*

Senſus eſt, *Pontificiam Poteſtatem* non expiraturam eſſe cum illo omninò honore, memoriam verò illius abominabilem fore & execrabilem. Non obtinebit Regalem illam ſepulturam, quorum corpora Aromaticâ odoriferâve condiebantur pollinctura,

cturâ, ſepulchráq; ornabantur pulchro artificio & ſplendido, ſed erit ad inſtar putridi cadaveris in viam publicam ejecti, quod omnium oculos naréſq; offendit illàc tranſeuntium. Tam ingratus exhalabitur fætor è monumentis ac Hiſtoriis *Antichriſtianæ* hujus *Politiæ*, adeò *ſanguinolentæ* & *Idololatricæ*, quemadmodum innuitur verſu hoc ultimo.

Vide Homil. contra Rebel. part. 5 & 6.

Ver. XX. *Non habebis conſortium cum eis in ſepultura, quia terram tuam diſperdidiſti, populum tuum occidiſti.*

Hoc eſt, Quemadmodum Poteſtas tua à *ſecularibus* Poteſtatibus ac *Dynaſtiis* Terræ diſtincta eſt ac diverſa, ità Fatum tuum, erit diſtinctum planè ac ſingulare. Nam infelix erit Memoria tua Noménq; tuum in ſibilum omni poſteritati. Et cauſa etiam ſingularis eſt, *Quia terram tuam diſperdidiſti, populum tuum occidiſti*, hoc eſt, Quia cùm præ te feras ac ſi *Chriſti Vicarius* eſſes, *Eccleſiæ Sponſus, Orbis Chriſtiani Pater, Gregíſq; Paſtor univerſalis*, Furem profectò egiſti & Prædonem populando quaſi, militari modo, in Imperio, edendo & impingueſcendo, prout ſcriptum eſt Johan. 10. *Fur non venit niſi ut furetur & mactet & perdat oves.* Quod tu quidem immaniter feciſti, poſt tuum in Domum Dei uſurpatum Imperium; Orbem Chriſtianum implens Bellis inteſtinis ac vaſtationibus, internecionibus, ſævíſq; martyriis per Vivi-comburia, per Equuleos ac Fidiculas, omnéq; genus torturis, ídq; in tuam propriam Terram populúmque, hoc eſt, in Chriſtianos, quorum caput te eſſe venditas, immò ſpiritualem eorum Patrem, vigilantémq; Protectorem. Quamobrem ut Atrocitates tuæ ſingulares fuerunt, ſic erit tua pariter Perditio, exitúſq; tuus infauſtus, fætórq; memoriæ tuæ in nares exhalabit perpetuis hominum Poſteritatibus, in ſecula ſeculorum.

Cauſâ horrendi hujus exitûs *Regis Babylonis* eadem eſt quæ exuſtionis *Reginæ Babylonis* ſive *Meretricis*, (nam unius ejuſdémq; rei ſunt Typi) *Et in ea ſanguis Prophetarum & Sanctorum inventus eſt, omniúmq; qui occiſi ſunt in terra.* Et certè ultima illa clauſula in Vaticinio de *Rege Babylonis*, Poteſtati *Papali* ità eſt propria, ut ad illam tantùm, non autem ad *Babylonis Regem* pertineat. Quod quidem certitudinis hujus ſublimioris ulterioríſq; ſenſûs hujus Prophetiæ, pignus eſt eximium: Tardíq; ingenii eum eſſe oportet, & à Religione nimis quàm alieni, qui dum tam miram rerum aptitudinem & congruentiam in vaticiniis de *Rege* & *Civitate Tyri*, déq; *Babylonis Rege* ad hunc modum explicatis conſiderat, *Divinæ Providentiæ* de rebus Eccleſiæ in tam longinqua tempora ſolicitæ, piâ admiratione non abripiatur. Sed pergo.

Apoc. 18. 24.

10. Poteſtatis *Pontificiæ* celſitudo & ſublimitas ſupra *Imperatoriam*, præfiguratur etiam per *Meretricem Beſtiæ inſidentem.* Nam proculdubio Seſſor ſuperior eſt *Beſtiâ* cui inſidet. Expreſsímq; dicitur de *Beſtia bicorni*, quæ eadem eſt quæ *Meretrix*, Quòd *poteſtatem prioris Beſtiæ omnem exercet in conſpectu ejus.*

Hiſce addere potes prædictionem illam apud *Danielem*, cap. 7. 24. *Et alius conſurget poſt eos vel ponè eos Rex*, (quem *Papam* eſſe ſuprà demonſtravi) *ipſéq; diverſus erit à prioribus, & tres Reges humiliabit & ſermones contra Excelſum loquetur, Sanctóſq; conteret Altiſſimi, putabitq; ſe poſſe mutare tempora & leges.* Quæ verba enormem illam Poteſtatem, quam *Papa* ſibi aſſumpturus erat, planè indicant. Quemadmodum facilè intelligitur ex eis quæ ſuprà ſcripſimus in hunc textum.

11. Poſtremò, videtur etiam mihi valdè manifeſtum, Quòd immanis hæc *Papæ ſuperbia* præfiguretur rurſus apud *Danielem*, cap. 11. ver. 36, 37. Quorum duorum verſuum brevem hanc Paraphraſin inſtituam.

36. *Poſt regnum* Antiochi Epiphanis, *qui Typus* Antichriſti *erat inſigniſq; populi Dei hoſtis in* Græco *Imperio, conſurget* Rex Sacrorum, *vel* Regalis, *ſi malles*, Pontifex, *qui cum formato ſuo corpore Politico, Poteſtatéve Eccleſiaſtica, ſe verum illum* Antichriſtum *oſtendet, reſpondens in* Romano *Imperio, quantùm ad perſecutiones Populi Dei, impio illi* Antiocho *in* Græco, *qui proximè ipſum præceſſit. Qui* Princeps Eccleſiaſticus *ſive* Pontifex *Fortunæ rerúmq; curſum inveniens ad voluntatem ſuam fluentem*, tandem ſeipſum exaltabit ſupra omne quod dicitur Deus, hoc eſt, *ſupra ſupremum quemq; Magiſtratum, Imperatore ipſo non excepto. Immò* ſtupenda loquetur *contra ipſam* Divinam majeſtatem, *contra Deum deorum, ac ſi poteſtatem haberet abrogandi vel relaxandi leges Dei Chriſtiq; ipſéq; adeò eſſet* ſupremum Numen in Terris. *Quæ quidem impia conſilia proſperè ipſi ſuccedent, quamdiu Divinæ Providentiæ viſum fuerit populum ſuum illius iræ exercendum permittere. Tempus enim* plenæ *illius dominationis deciſum eſt, à Deóq; præſtitutum, ultra* tempus & tempora & dimidium temporis non duraturæ.

37. *Et tamen nihilominus purè Paganus non erit, nec* Patrum *ſive* Anteceſſorum

ſuorum

ſuorum (hoc eſt, ſummorum Magiſtratuum Romanorum *qui illîc multis ſeculis ante eum regnârunt)* curabit Deos, *cujuſmodi fuerunt* Mars, Neptunus, Jupiter, Venus, *& id genus reliqui. Hoc verò habebit ſingulare ac notabile, quòd externâ ſpecie rigidus vitæ cœlibis ipſe futurus ſit profeſſor, nec cum Dignitate ſua* Pontificali *conſiſtet matrimonium; eiſdémq; ejus* Clerus *ſubjicietur legibus, quò faciliùs ferocientis ſuæ & inſatiabilis* Ambitionis *conſilia felicem obtineant exitum. Qui ſuperbiæ ſpiritus ſapientiæq;* mundanæ *ità tandem in eo luxuriabitur, ut omnem realem ſincerúmq; Religionis ſenſum exuturus ſit, nullúmq; omninò Deum vel hili curaturus, ſed ſeipſum magnificaturus ſuper omnia.*

12. In duobus ſequentibus verſibus nihil opus eſt ut quicquam in Interpretatione *Medana* varietur. Senſus enim eorum quatenus hos præcedentes verſus reſpiciunt, hic tantùm eſt, Quòd propter magnam hanc illius impietatem ac irreligionem aut ſaltem Animi elationem præſumptionémq; adversùs notas Dei leges, erecturus ſit, proprii lucri causâ, *Dæmonum cultum, religioſum* (vel potiùs irreligioſum ac impium) prout ſuprà Textum expoſuimus ex doctiſſimo *Medo.*

CAP. XIX.

1. *Veritas antecedentis* Paraphraſeos *ex prophetia S.* Pauli *de* Homine peccati *confirmata. Tres primi verſus expoſiti. Ver. IV. Quibus in rebus* Homo hic peccati ſe extollat ſupra omne quod dicitur Deus, *quidq; ſit,* oſtendere ſe tanquam ſit Deus. *Ver. V. Interpretatio iſtorum verborum* [ut reveletur in ſuo tempore] *quidq;* id ſit quod detineat. *Ver. VII.* [Nam myſterium jam operatur Iniquitatis] *quomodo intelligendum ſit, quiſq;* ὁ κατέχων. *Ver. VIII. Quid ſignificetur per* ὁ ἄνομος, *quiſq; ſenſus modúſq;* perditionis illius, *cum indicatione exquiſitæ Applicabilitatis hujus vaticinii ad* Pontificiam *Poteſtatem ac Impoſturam. 6. Paralleliſmus brevis* Cornu parvulum *inter apud* Danielem, & hunc filium Perditionis.

1. QUòd unus hic certus ſenſus ſit horum duorum verſuum apud *Danielem*, Prophetia illa in ſecunda Epiſtola ad *Theſſalonicenſes*, pleniùs evincet, quæ tantam ſanè cum hac cognationem habet ut nullus dubitem quin in eandem enormem Poteſtatem hujus *Patriarchæ Romani* ſuíq; *Cleri* digitum intendat, quodammodóq; indè ſit *Exſcriptum.*

1. *Rogamus autem vos fratres per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti & noſtræ congregationis in ipſum,* cujus mentionem feci in * priori mea Epiſtola. 2 *Theſſ.* 2. * 1 *Theſſ.* 4. 17.

2. *Ut non citò dimoveamini à veſtra mente, neq; terreamini neq; per ſpiritum neq; per ſermonem, neq; per Epiſtolam* ὡς δι' ἡμῶν, *tanquam à nobis,* ac ſi nos vaticinati fuerimus, dixerimus, ſcripſerimúſve quicquam per literas, nè per priores quidem illas ad vos miſſas, quod rectè in eum ſenſum exponi poſſit, *quaſi Dies Domini inſtaret.*

3. *Nè quis vos ſeducat ullo modo,* neq; per Inſpirationis prætextum, neq; per ſcripturam, neq; per ullas à me literas, perperam interpretatas. *Dies enim ille non adveniet quin venerit defectio priùs,* (ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον, antequam *inſignis illa* venerit *Apoſtaſia* (ſic enim *Alcazar* interpretatur articulum ἡ hoc in loco) lapſus ille in cultus *Idololatricos*, quæ Rebellio eſt adversùs Deum Chriſtúmque,) *& retectus fuerit Homo ille peccati, Filius ille perditionis.*

Quòd hoc intelligendum ſit de inſigni illo *Antichriſto*, Antiquorum communis eſt opinio; immò *Alcazaris, Riberæ*, & ipſius *Bellarmini.* Nos verò dicimus *Antichriſtum* hunc *Papam* repertum iri cum ſuo Clero. Ridicula enim defenſio eſt ut quis argumentum diluat, dicendo, quòd *Homo peccati* unam ſupponit perſonam ſingularem. Cùm tamen *Homo* perinde atq; *Fœmina* ſtylo prophetico non ſolùm Succeſſionem hominum ſingularium, ſed & corporis Politici per *Henopœiam* facilè ſignificet, perindéq; hìc ſucceſſionem ſignificet *Paparum* lapſorum cum ſuo Clero, qui appellantur *Filius perditionis* quoniam delendi ſunt illuſtri adventu Chriſti potentíq; luce Evangelii. Non quidem *mundanâ* potentiâ aut robore, ſed *ſpiritu meo, inquit Dominus exercituum.*

Ver. IV. *Qui adverſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ità ut quaſi Deus in Templo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus.*

Quòd *Episcopus Romanus* omnem apicem hujus prædictionis implet, quivis deprehendere potest qui oculos conjecerit in ea quæ scripsimus in *Idea Antichristianismi*, cáq; quæ communiter nota sunt omnibus qui rerum orbis Christiani Historiam vel primoribus labiis degustaverint. Manifestum enim indè est eum *adversari, & supra omne quod dicitur Deus* insigni aliquâ ratione *extolli.* Adversatur & extollitur supra *Christum* qui verus Deus est quantùm ad omnia illius officia, *Regale, Sacerdotale* & *Propheticum*, quemadmodum abundè probavi, atq; ideo ex consequenti supra omnes *Sanctos.* Immò nominatim extollitur supra *Sanctos* atq; *Angelos*, quemadmodum *Dounhamus* Episcopus fusè probat in *Tractatu de Antichristo* lib. 4. cap. 4. Et quantùm ad *Imperatores*, ipsas cervices eorum conculcat, & tanquam mancipia sibi subjicit, Coronas eorum, suis pedibus, capitibus excutit, eisdémq; pedibus eas capitibus rursus imponit. Tam clarè patet quòd Princeps hic *Civitatis coronantis* exaltet seipsum ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα, hoc est, supra quascunq; Potestates sive *Cœlestes* sive *Terrestres*, quarum inter posteriores recensentur Σεβασοὶ, *Augusti* sive *Imperatores Romani.*

Idea Antichrist. lib. 2. cap. 11.

Hæc subindicatiuncula sufficit; Plenior enormis illius superbiæ amplificatio in suprà dicta *Idea Antichristianismi* describitur, quæ tamen major non est quàm quæ obvia est & notoria per vulgarem *famam* perinde ac *Historiam.* Locus hic hujus versûs adeò ad amussim respondet illi apud *Danielem* cap. 11. 36. *Elevabitur & magnificabitur adversùs omnem Deum*, ut minimè dubitem quin Apostolus ad *Regem superbiæ* illîc descriptum respexerit, eandémq; hoc in loco rem indigitet per *Hominem peccati.*

Ità ut quasi Deus in Templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Ἀποδεικνύλα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ θεὸς, hoc est, Facientem acceptantémq; istiusmodi res, quæ si ritu ad eum pertinerent, demonstrarent eum Deum esse. Hæc verò agendo admittendóve, *ostentat se esse Deum.* Templum Dei hîc est intelligendum aut *Materialiter*, atq; tunc manifestum est quàm bellè conveniat cum illo honore quem *Papa* recipit super Altare sedens in Ecclesia S. *Petri*, *Romæ*, post Electionem, cúmq; adoratione ibi ipsi præstita; vel si *Figuratè* intelligatur pro populo qui Christi Nomen gerunt, ipsíq; sunt dedicati, hîc etiam *sedet* regnátq; *ut Deus*, infallibiliter ἀνυπευθύνως, *omni lege solutus*, immò ipsius Dei Leges aut abrogans aut Dispensationibus solvens relaxánsque.

Ver. V. *Non retinetis, quòd, cùm adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis?*

6. *Et Nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore*; Hoc est, quid obstet quò minus revelet se ostendátq; se *in Rerum Natura existere.* Omnia enim in confusa *Universi Potentialitate*, si fas sit ità loqui, existunt, sed modo *occulto* ac *latenti*, tanquam in *semine*, ut Rosa Hyeme, veruntamen ἐν τῷ ἀυτῶν καιρῷ apparent. Quod verò obstabat quò minùs *Antichristus* tunc appareret, secundùm communem Antiquorum opinionem erat *Romani* Imperii *Integritas*, dicam, an *Integralitas.* Ante fractionem *Imperii* in *decem Regna* non adventurus erat *Antichristus*, nec nisi postea quidem, alio in sensu, fortean appariturus. Quod τὸ κατέχον hoc, *Romanum* sit Imperium, abundè Testium adducit *Alcazar* ex *Malvenda*, *Tertullianum*, *Chrysostomum*, *Ambrosium*, *Hieronymum*, *Augustinum*, *Theophylactum*, *Oecumenium.* Quibus superaddit *Anselmum*, *Haymonem*, *Strabum*, *Thomam*, *Lyranum*, *Cajetanum*, *Bellarminum*, *Suarezium*, & *Pamelium.*

Ver. VII. *Nam Mysterium jam operatur Iniquitatis, tantùm qui nunc detinet, detinebit usq; dum è medio sublatus fuerit.*

Tertullianus & *Chrysostomus* & Expositores pleriq; omnes (ut *Alcazar* affirmat) operationem hanc Iniquitatis in temporibus Apostolorum tanquam Typum tantummodò & figuram intelligunt illius quæ futura sit sub *Antichristo*; Fuisse nempe tunc aliquid aut reverà existens aut saltem sub incude, quæ *prævia* esset *Repræsentatio* statûs Ecclesiæ sub *Antichristo.* *Alcazar* vult *Paganismum* esse *Romanum*, sive cultum Idolorum. Illud verò *Iniquitatis Mysterium* non erat; cæterùm forsan dixerit, Typum esse posse illius quod, postquam venerit, *Mysterium* foret, ídq; sanè mirandum, viva nempe *Paganismi Imago* in Christianitate renovata, ac propterea *futurum Mysterium* in Typo suo *operatum esse*, æquè ac in suo Typo *extitisse.* Imperium enim in *Idololatriam* reviviscens, appellatur, *Bestia quæ erat & non est & tamen est.* Commentum sanè est haud usq; adeò alienum.

Ego verò in eam pronior sum sententiam, quòd Apostolus loquatur de re aliqua in Christianitate jam *existente* (nempe in Professoribus illius) quæ non multùm abluderet ab imagine magni illius *Antichristi* qui suo tempore erat appariturus; quòd significare utiq; possit per præsentem hanc *Iniquitatis* operationem, errorem labémve aliquam

aliquam in quibuſdam Chriſtianis aliquáſve illorſum propenſiones, ut qui non mediocrem *Antichriſtiani ſpiritûs* ſaporem contraxiſſent, & nominatim ſpiritûs contentionis de *Superioritate* ac *Dominio*. Cæterùm annon *Simon Magus* hîc perſtringi poſſit, ſuo loco conſiderabimus.

Antichriſtianum autem hunc *Ambitionis æſtum* in rebus minoribus ſe exercere oportet uſquedum ὁ κατέχων, uſquedum *Romanus Imperator* propriè ſic dictus, nempe qui ſedem Imperialem habeat *Romæ*, è medio ſublatus fuerit; ἕως ἐκ μέσου γένηται, uſquedum illinc aut amotus ſit aut deletus. Horum autem *Romanorum Cæſarum* ſeries exiit in *Auguſtulo*. A quo ſtatim tempore *Papa* partes ſuas egit in his *Occidentalibus* Imperii Regionibus, magnáſq; opes ac potentiam ex illius ruinis ſibi conquiſivit, tandémq; viſibiliter accrevit ad plenam menſuram ſtaturámve illius *Hominis peccati* ſive *Antichriſti*. Tunc ſatìs magnus factus eſt ut conſpiceretur ab omnibus qui cæci non eſſent, prout ſequitur in verſu proximo.

Ver. VIII. *Et tunc revelabitur ille Iniquus quem Dominus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione ſui adventûs.*

Iniquus ille, ὁ ἄνομος, *exlex ille*, qui extollit ſe *ſupra leges Dei* Chriſtíque, & diſpenſationes contra ipſas dare poteſt prout lubet. Cujus perditio erit per Evangelii prædicationem, & per victorioſam veritatis *evidentiam*, *clarámq;* ac irrefragabilem Rationem, mundo per *eos* divulgatam qui ex *Spiritu Dei* loquuntur & ex *vivo* veróq; Principio *in cordibus* eorum *ebulliente*. Horum enim *os*, *Dei os eſt*, ipſorúmq; *halitus* tanquam *torrens igneus* ad conſumendum impium Deceptorem.

Partem hujus Prophetiæ reliquam ſuprà expoſuimus, ac propterea ſupervacaneum eſt Expoſitionem hoc loco repetere. Nulla profectò Prophetia magis expreſſim ad ullum eventum applicari poteſt quàm hæc ad Papatûs *poteſtatem* ac *præſtigias*. Cùm effectus igitur jam exiſtat, quis dubitare poteſt quin hæc ſit illius prædictio, præſertim cùm commune *Antiquitatis* ſuffragium habeamus quòd de quopiam intelligenda ſit, qui poſtquam Imperium *Romanum* in partes diffractum ſit, eſſet appariturus? Ante mille autem ampliùs annos jam facta eſt illa diffractio. Si quis *Tertullianum* roget quiſnam ſit ὁ κατέχων hic, qui *Antichriſti* Revelationem impediret, rotundum hoc illicò accipiet reſponſum; *Quis niſi Romanus Status? cujus in decem Reges abſceſſio diſperſa, Antichriſtum ſuperinducet, & tunc revelabitur Iniquus.* Quemadmodum fideles Chriſti ſervi experti ſunt cum magno ſuo malo ac dolore infando.

6. *Homo* hic igitur *peccati* eſt *Cornu* illud *parvulum Hominis oculos in ſe habens* (quibus utriſq; forſan locutionibus Humana *Papatûs* Politia innuitur) Rex ille diverſus à decem, ut qui Princeps *Eccleſiaſticus* eſt, ſurgítq; ponè eos ut clanculùm ſupra eos accreſcat, techníſq; ſuis Politicis omnes tandem ſuperemineat: Quem S. *Paulus* τὸν ἄνομον *Hominem exlegem* appellat, ut & *Daniel* eum facit *Temporum & legum mutatorem*, ut qui coërceri non vult aut limitari eis quæ jam ſint conſtitutæ, etiamſi Dei ejúſq; Chriſti ſanctiones fuerint. In illo *Cornu* eſt etiam *os loquens ingentia*, ídq; contra *Altiſſimum*, hoc eſt, Dei Chriſtíq; majeſtatem lædentia, quemadmodum *Homo hic peccati* etiam ſe gerit, *corpus* hoc *Papale*, qui *Papam* caput ſuum, ſupra omne *exaltant quod Deus dicitur aut colitur*. Et poſtremò, ſicut *Cornu parvulum* apud *Danielem* exurendum eſt *fluvio igneo* & *rapido* à facie tremendi Judicis profluente; ità *Homo hic peccati* conſumendus eſt *ſpiritu oris Domini ignitóq; ſplendore adventûs ejus*. Quæ quidem conſiderationes nos perſuadere poſſunt unicam eandémq; Perſonam perſtringi & in *Cornu parvulo Daniel.* 7. & in dominabundo illo *Rege* cap. 11. *qui elevatur & magnificatur ſupra omnem Deum*, cùm utriq; conveniant in præſenti hac prophetia de *Homine peccati filióve Perditionis*.

Tam manifeſtum eſt hanc Prophetiam non intelligendam eſſe de *Caio* aut de *Simone Mago*, utì *Grotius* abſurdè opinatur; cujus opinionem jam examinabo, quippe quòd Nomen iſtius Autoris tantum apud quoſdam valeat, alioquì vix operæ pretium eſſet in eam inquirere.

CAP.

CAP. XX.

1. *Summæ Expoſitionis* Grotii *in antecedentem Prophetiam Propoſitio.* 2. Adventum Chriſti *in hac Prophetia de* Hieroſolymæ excidio *intelligi non poſſe.* 3. *Nec* Apoſtaſiam Caio *attribui, cúmve dici in* Dei Templo ſedere, *nec τὸ καθίζον* Vitellio *adeò convenire.* 4. *Propoſitum* Caii *de collocanda Statua ſua in Templo, nullum* Myſterium *fuiſſe* Iniquitatis *ſed apertam Impietatem.* 5. *Ridicula ſenſûs Prophetiæ luxatio per* Grotium, *dum* Caium hominem peccati *facit* filiúmq; Perditionis *celatum per interjectam* Vitellii *præſentiam, cùm tamen remoto* Vitellio *non* Caium *quidem ſed* Simonem Magum *faciat* Hominem revelatum *& deperditum.* 6. *Veriſimillimum eſſe quòd* Simonis Magi *Hiſtoriola Figmentum ſit, & ex qua demum occaſione ſit natum.* 7. *Quòd ſi vera ſit haud ità tamen quadrare, cùm impius hic* Simon *ſpiritu oris Chriſti* ipſe *conſumptus non ſit, ſed illius currus tantùm atq; equi.* 8. Grotium, Paulum *introducere prophetantem de rebus præteritis, quippe cujus Epiſtola ſcripta eſt decem annis poſt obitum* Caii, *cum pleno Reſponſo ad primum* Grotii *argumentum pro ſententia contraria. Reſponſum ad ſecundum argumentum.* 10. *Demonſtratio ex Scriptura ipſiúſq;* Grotii *conceſſis, quòd ſecunda hæc Epiſtola ſcripta ſit decem Annis poſt mortem* Caii, *quódq; caſus etiam* Simonis Magi *è curru igneo octo annis contigerit ante hanc Prophetiam.*

1. SUmma Expoſitionis *Grotii* in Caput hoc ſecundum ſecundæ Epiſtolæ ad *Theſſalonicenſes*, hæc eſt:

Primò, Interpretatur Adventum Chriſti de excidio *Hieroſolymæ.*

Secundò, *Apoſtaſiam* ſive *Defectionem*, & *Revelationem Hominis peccati* intelligit de *Caio Caligula*, qui profectò admodum impius erat Imperator, ſuámq; Statuam collocari voluit in Templo *Hieroſolymitano.*

Tertiò, *τὸ καθίζον* vel *τὸν καθίζοντα Lucium* vult eſſe *Vitellium Syriæ* Præſidem, & conſequenter *Judææ*, qui rebus *Judæorum* favebat, ac proinde illius tempore non opportunum fuiſſe *Caio*, ut propoſitum collocandi Statuam ſuam in ſancto Templo aperiret.

Quartò, Per *operationem myſterii Iniquitatis*, *conſilia* intelligit *Heliconis* aliorúmq; *Ægyptiorum* Impoſtorum, qui in magna gratia erant cum *Caio*, quíq; viam ſternebant ad grande hoc Impietatis Specimen.

Quintò, Verùm, poſtquam *is qui detinet è medio ſublatus ſit*, hoc eſt, *Lucius Vitellius* (qui obſtaculo adhuc fuerat *Caio*, quò minùs impium propoſitum collocandi Statuam ſuam in Templo *Hieroſolymis* exequeretur) *tunc revelabitur Iniquus ille* (qui clanculùm adhuc egit cum ſociis ſuis Conſpiratoribus *Helicone* reliquíſq;) *Caius* proculdubio, inquies, minimè vero *Simon Magus*, inquit *Grotius.* Fuítne uſquam gentium tam ridiculum Ἀπροσδόκητον in ulla ſeria Authorum Interpretatione admiſſum, nedum in ſacris exponendis Scripturis?

Sextò, & ultimò, Hoc verò fit, propterea quòd Prophetiæ pars reliqua loqui videatur de *Mago* vel Præſtigiatore, cujuſmodi *Simon Magus* eſſe ferebatur, quem per aërem *Romæ* igneis quadrigis vectum *Petrus* precibus ſuis ad Chriſtum humi præcipitavit. Atq; ad hunc modum conſumptus eſt *Simon*, *ſpiritu oris Domini*, *& illuſtri illius adventu*, quemadmodum vult *Grotius.*

2. Hæc ſumma eſt illius expoſitionis; Cui nè unus quidem ineſt ſolidus articulus. Quantùm enim ad *primum*, qui Chriſti adventum intelligit de excidio *Hieroſolymæ*, quiſquis conſideraverit Epiſtolam hanc *ſecundam* eſſe Epiſtolam ad *Theſſalonicenſes* (quemadmodum mox probaturus ſum) quódq; in priori Epiſtola de *Finali* ſcribat *adventu* Chriſti, qui cum *Reſurrectione mortuorum* conjungitur, noſtríq; *congregatione* atq; *obviatione Domino in aëre*, non poteſt ſanè ſine magna vi rebus illata, quin hunc Chriſti adventum *noſtríq;* ad *eum congregationem* in hac ſecunda Epiſtola, de eodem tempore déq; eadem re intelligat, de qua Adventus Chriſti in prima intelligitur. Atq; id eò magis, quòd tam *ſeriò* eos obteſtetur Apoſtolus per *adventum Domini*, *noſtríq;* ad eam *congregationem*, addátq; porrò *μήτε σαλευθῆναι ἀπὸ τοῦ νοὸς, μήτε θροεῖσθαι*, *ut mente non dimoveantur, agitentur, nec quaſſentur, nec perturbentur vel tremeſiant.* Verba quæ tam grande ſonant, quàm ſi vix mentis compotes eſſent præ metu inſtantis hujus casûs, cùm excidium *Hieroſolymitanum* eos tantoperè afficere attingeréve non poſſet, ut qui *Theſſalonicæ* habitabant. Et poſtremò [neq; per ſermonem neq; per Epiſtolam quæ per nos ſcripta ſit] *priorem* planè videtur

Cap. 4. v. 15, 16, 17

Epiſtolam

Epiſtolam reſpicere, ubi Apoſtolus per uſitatam ἀναλόγωσιν loquens ac ſi is cum reliquis tunc viventibus obviàm ituri eſſent Domino in Aëre, occaſionem dedit *Theſſalonicenſibus* exiſtimandi quòd Dies Judicii brevì eſſet futurus. Quem igitur errorem corrigit in præſenti hac Epiſtola. Unde manifeſtum eſt Adventum Chriſti hîc non intelligendum eſſe de *excidio Hieroſolymæ*, ſed de *Die noviſſimo*.

3. Et quantùm ad *ſecundum*, ille etiam valdè infirmus eſt, quandoquidem *Caius* Apoſtata à Deo *Iſrael* dici propriè non poterat, quippe qui cum eo nunquam fœdere ſit junctus. Neq; ſtatuam ſuam in Templo collocavit *Hieroſolymis*, quæ tamen præcipua res eſt ad quam *Grotius* collineat, multóq; minùs *ipſe illîc ſedebat*, quod tamen verba planè innuunt. Nec ὥστε αὐτὸν εἰς ναὸν θεοῦ καθίσαι, ſignificat *collocare ſeipſum* in Templo Dei, ſed *illîc ſedere*, ex conſenſu omnium Interpretum, alioqui ἑαυτὸν ſcriptum fuiſſet non αὐτόν. Tam coactum ac diſtortum eſt unumquodq; in hoc *Expoſitionis* Articulo.

Tertius ſenſum haberet ſatìs commodum, ſi ad res ipſas quadraret; & tamen tunc etiam aliquid ſubeſſe vitii videtur, ſi ipſa verba ſpectemus. Nam ſi *Vitellius* intelligeretur nec ampliùs quicquam, in utroq; loco ſcriptum fuiſſet, ὁ κατέχων, ut quod aptiſſimum fuiſſet genus ad perſonam denotandam.

4. Et quantùm ad *quartum*, valdè equidem alienum eſt, *privatum* illud *celatúmq; Caii* propoſitum de Statua ſua in Templo Dei *Hieroſolymis* collocanda, *Myſterium Iniquitatis* appellare. Simplex enim *clandeſtinitas celatióve* non ſtatim rem quampiam conſtituit *Myſterium*, alioqui clancularia quæq; Furti, Homicidii vel Adulterii molitio *myſterium* eſſet *Iniquitatis*. Illud verò demum *myſterium* eſt quod quantumlibèt verbis prolatum, ſuâ naturâ adhuc manet *myſterioſum*, ac profunditatis aliquid in ſe habens, ſive *bonum* Myſterium ſit ſive *malum*. Hoc verò *Caii* Propoſitum de Statua ſua in Templo *Hieroſolymitano* collocanda, alia prorſus res eſt, nihílq; niſi manifeſta quædam ac conſpicua ſpecies Impietatis, qualem quiſq; primo aſpectu ſit intellecturus. Ac proinde loca illa quæ à *Grotio* afferuntur, viz. Rom. 11. 25. 1 Cor. 15. 51. nihil faciunt ad hanc rem. Illa enim ardua ac profunda *Myſteria* ſunt quæ illîc memorantur, etiam poſtquam fuerint divulgata.

5. In *quinto* Articulo, jam notavi, quàm enormis ſit *luxatio*, eámq; credo profectò poſſe latere neminem. Quis enim non expectaturus eſſet juxta communem ſermonis tenorem, poſtquam Apoſtolus prophetiam orſus ſit cum mentione *Hominis peccati*, quem & *filium perditionis* appellat, addens porrò fore ut reveletur, & clandeſtinas jam eſſe ad eam rem molitiones, ſolúmq; *Lucium Vitellium* impedire quò minùs retegatur ſuo tempore, ſublatum verò iri illud impedimentum ſimulatq; *Vitellius* è medio ſublatus ſit, quis, inquam, non expectaturus eſſet ut verſus octavus, *Et tunc revelabitur ille* Iniquus *quem Dominus interficiet ſpiritu oris ſui, &* deſtruet *illuſtratione ſui Adventûs* (prout antea Filius *perditionis* perinde atq; Homo *peccati* eſt dictus) intelligatur de eadem perſona, cum qua Apoſtolus inceperat? Et tamen *Homo peccati* & *Filius perditionis Caius* eſt, *Iniquus* vero *ille* quem Dominus *deſtruet* (ac proinde *filius* eſt *perditionis* ſenſu eminentiſſimo) eſt *Simon Magus*. Tam violentis ſanè *Grotius* Textum diſtendit fidiculis ut falſa Reſponſa extorqueat, quibus *Caius* accuſetur & *Simon Magus*, *Papa* verò ſuſpicionem effugiat, quòd ſit ille *Antichriſtus*. Qua in re aut Judicium aut Conſcientia *Grotii* valdè profectò periclitatur.

6. Et loco quidem ultimo; Cùm ad *Simonem* pervenerit, quanquam fateor Hiſtoriam de igneis ejus quadrigis non eſſe impoſſibilem, multóq; minùs de lapſu per *Petri* preces in terram, longè tamen antè quàm mihi notus eſſet hujus fabulæ uſus, narratio mihi ſemper viſa eſt incredibilis, quanquam nemo quiſquam eſt, opinor, qui *Spirituum exiſtentiam* & *Apparitiones* magìs firmiter credat quàm ego. Videbatur enim mihi adeò Ludicrum *Petauriſticum* referre, ut non poſſem non collocare inter *Figmenta* magìs præcocia primáq; pia *Legenda* Eccleſiæ ab otioſis Monachis ad oblectandos credulos & ſuperſtitioſos inventa. Tam notorium Accidens cùm in Civitate *Romæ* contigiſſet, non potuit ſanè in vitis *Cæſarum* non memorari, & nominatim *Neronis*; In cujus vita *Suetonius* inter ſpectacula Theatrica brevem hanc tantummodo ſubindicatiunculam habet, cap. 12. *Icarus primo ſtatim conatu juxta cubiculum* Neronis *decidit, ipſúmq; cruore reſperſit.* Ex qua inauſpicata Poëticæ Fictionis Repræſentatione *Legendum* hoc *Monaſticum* videtur efformatum. In quo Narratores addunt alterántq; prout ipſis viſum fuerit. Quod quidem multum de Hiſtoriæ derogat fide.

7. Narrationem maximè accuratam & plauſibilem Doctiſſimus *Hammondus* elegit occurrentem apud *Arnobium*: *Viderant currum* Simonis Magi *& quadrigas igneas* Petri

Petri *ore difflatas, & nominato* Chriſto *evanuiſſe; viderant pondere præcipitatum ſuo, cruribus jacuiſſe præfractis: pòſt deinde perlatum* Brundam, *cruciatibus & pudore defeſſum, ex altiſſimi culminis ſe rurſum præcipitâſſe faſtigio.* Hæc quidem verba [*Quadrigas igneas* Petri *ore difflatas evanuiſſe*] optimè conveniunt cum [*quem Dominus interficiet ſpiritu oris ſui*] (Nam ut *Grotius* præclarè quidem atq; verè, *Apoſtoli ſunt os Chriſti*, juxta quam rationem Viſionem *ſeſſoris Equi albi* ipſe expoſuit:) quando autem currum video quadrigáſq; diſſipatas & conſumptas, *Simonem* verò *Magum* ad terram delabi integrum, niſi quòd tibiæ ipſi præfractæ ſint, quæ, ut videtur, *Brundæ* poſtea ità ſanatæ ſunt, ut pedibus inſiſtere poſſet quò præcipitaret ſeipſum de loco aliquo edito, immò verò ad altiora Ædis Tabulata aſcendere, (quis enim eum illuc perlaturus eſſet, cùm inferius aliquod conclave homini claudo magìs conveniret?) equidem non intelligo quomodo hæc Prophetia in *ipſum Hominem peccati*, aut *Iniquum illum* impleta ſit, quod proprium ſubjectum eſt Prædictionis, ſed in *currum* ſolummodò & *quadrigas.* Si ad hoc Accidens prophetia reſpexiſſet, ipſe *Simon* proculdubio *ſideratus* fuiſſet aut *conſumptus*, non *currus* tantùm cum quadrigis.

8. Quamobrem, admiſsâ *Grotii* Chronologiâ, qui, in rem ſuam, ſecundam hanc Epiſtolam ante primam ſcriptam prætendit, & in regno *Caii*, vides tamen quàm diſtorta, quàm coacta quámq; nullatenus cum Textu conſentiens ſit illius expoſitio, cùm idem hîc ei eveniat, quod in aliis ſuis circa Prophetias *Parachroniſmis.* Sed ut omnem omninò nugandi anſam ipſi eripiam, dico utraſq; has Epiſtolas anno nono decimóve regni *Claudii* ſcriptas fuiſſe, tot utiq; annis poſt mortem *Caii*, ac proinde *Grotium Paulum* introduxiſſe de rebus præteritis prophetantem. Hanc conſtantem Eccleſiæ Traditionem eſſe nemo poteſt inficiari. Primum verò hoc tempus non eſt, quo *Grotius* omnes modeſtiæ limites tranſiliit, ut manus ad ea porrigeret quæ defluunt ac vaneſcunt in ipſa prenſitatione. Scio pauculos habere prætextus quibus ſecundam Epiſtolam ſcriptam ante primam probaret, ut eo pacto imaginari poſſet ſcriptam quàm maturè ipſe velit. Argumentis verò, quæ ad hanc ſuam opinionem defendendam evaginat, proprios ipſe ſibi ſcindit digitos.

Primum eſt, à Concluſione Epiſtolæ ſecundæ, *Salutatio meâ manu* Pauli, *quod eſt ſignum in omni Epiſtola; ità ſcribo*, viz. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis, Amen.* Hoc ſcriptum *Pauli* manu propriâ, ſignum eſt in unaquaq; Epiſtola. Et tamen *Grotius* hinc inferre vult, hanc Epiſtolam priùs ſcriptam fuiſſe, quia nullum hujuſmodi ſignum reperitur in antecedente Epiſtola, quippe quòd tunc in vivis erant apud *Theſſalonicenſes*, qui jam manum *Pauli* cognoverint. Sed reſpondeo,

Primò, Epiſtolam ſcilicet antecedentem hoc ipſum ſignum habere. Annon enim concluditur cum [*Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis, Amen?*] Atq; hoc, ſuprà ait, ſcriptum eſt, *manu propriâ, in omni Epiſtola* [*meâ manu* Pauli] Signum igitur perinde valet in utraq; Epiſtola.

Secundò, Niſi miſiſſet ad eos priorem aliquam Epiſtolam cum hoc ſigno, colligere indè non potuerint hanc eſſe ſuam.

Tertiò, Miſit eis Epiſtolam hâc priorem, ſicut apparet ex cap. 2. v. 15. *Itaq; fratres ſtate & tenete traditiones quas didiciſtis ſive per ſermonem ſive per Epiſtoiam noſtram.* Quamobrem *ſignum hoc* nulla poteſt eſſe prioritatis demonſtratio, ità enim futura fuiſſet illâ alterâ, quæ præceſſerat, prior. Quæ aperta eſt repugnantia. Nec ipſe *Grotius* it inficias quin Epiſtola hîc memorata hâc prior fuerit, ſed eam perditam ſtatuere mavult, quàm primam eam eſſe Epiſtolam, ſecundùm Canonem.

Quartò, Hæc ipſa juxta Eccleſiæ Canonem prima, ea planè Epiſtola eſt quæ cap. 2. v. 15. memoratur, quemadmodum ex argumento hujus ſecundi Capitis liquet, quod omninò nihil aliud eſt quàm ſenſûs ſui de Adventu Chriſti de quo ſcripſerat priori Epiſtolâ, cap. 4. v. 13. uſq; ad finem capitis, & cap. 5. v. 1, 2, 3. luculentior explicatio. Quibus quidem in locis iſtiuſmodi locutiones ſunt ac ſi Reſurrectio Diéſq; noviſſimus inſtarent capitibúſq; ipſorum imminerent.

Ac proinde, Quintò & ultimò, illinc planè eſt, quòd *Paulus* eos tam ſolicitè moneat, quòd ſecunda hæc Epiſtola ſua ſit, quódq; ex *ſigno ſuo*, ut *in omni Epiſtola, manu propriâ ſcripto*, ea de re certi eſſe poſſint, ut per illius utiq; autoritatem in animum quietum ac ſedatum reſtitui poſſent, per quam ex ſenſu illius Epiſtolæ perperam intellecto, animo facti fuerant tam attonito ac perturbato. Tam apertè contra ipſum militat prima hæc *Hugonis Grotii* Argumentatio.

9. Secundum argumentum pro prioritate ſecundæ hujus Epiſtolæ hoc eſt, Chriſtianos

anos ſcilicet *Theſſalonicæ* tam paucos tunc fuiſſe quando *Paulus* eam ſcripſit, ut Eccleſiam ſive Presbyterium conſtituere non poſſent, quò res Eccleſiæ autoritativè adminiſtrarent. Ratio autem hæc eſt, *Quòd homines non ex regula viventes Apoſtolus hîc non excommunicari præcepit, quod juſti cœtûs fuerit, ſed vitari, quod jus ſingulorum eſt.* Ad quod quò magìs commodè reſpondeam, ipſa verba Apoſtoli hîc apponam, cap. 3. v. 14, 15. *Quòd ſi quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & nè commiſceamini cum illo, ut confundatur, & nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem.* Verba in *Græco* exemplari ſunt μὴ συναναμίγνυσθε αὐτῷ, & ενθελῆτε ὡς ἀδελφόν. Prius occurrit 1 Cor. 5. 11. *Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri, ſi is qui frater nominatur, eſt fornicator, &c. cum ejuſmodi nec cibum ſumere.* Quæ explicatio eſt τῶ μὴ συναναμίγνυσθ. Ubi ipſius *Grotii* Adnotatio eſt, *Hebræis mos erat cibum communem non ſumere cum eo qui erat in* נדוי *qui excommunicatus erat.* Adeò ut μὴ συναναμίγνυσθε αὐτῷ *excommunicationem* innuat, & ſupponat proinde Chriſtianos in *Theſſolonica* Eccleſiam fuiſſe (quemadmodum etiam & *Paulus* eos ſalutat) etiam tum cùm ſecundam hanc Epiſtolam ipſis ſcripſit.

Et quantùm ad ενθελῆτε ὡς ἀδελφὸν, annon in prima ad *Theſſalonicenſes* occurrit, cap. 5. v. 14. ενθελῆτε τὸς ἀτάκτους; Et tamen *Grotius* agnoſcit *Eccleſiam* tunc in *Theſſalonica* fuiſſe propriè ſic dictam. Unde manifeſtum eſt nullam ei omninò fuiſſe cauſam ut harum Epiſtolarum ordinem inverteret, & *Autoritatem* propterea *Eccleſiæ* conſtantémq; Traditionem obtinere debere, ſecundámq; hanc Epiſtolam etiam in ſenſu Eccleſiæ ſecundam haberi oportere, hoc eſt, poſt primam ſcriptam. Quemadmodum etiam ex innatis Epiſtolæ argumentis apparet, quæ contra priorem *Grotii* Argumentationem produximus.

10. Jam verò primam Epiſtolam ipſe *Grotius* in Præfatione ad Annotationes in primam hanc Epiſtolam agnoſcit ſcriptam poſtquam *Paulus* fuiſſet *Theſſalonicæ*. Paulus autem *Theſſalonicæ* non fuit ante Concilium *Hieroſolymis* ab Apoſtolis habitum, quemadmodum apparet ex Act. cap. 15, & 16. totáq; ſerie Hiſtoriæ Apoſtolorum. Nec Concilium ab Apoſtolis habitum eſt *Hieroſolymis* ante annum decimum quartum Converſionis *Pauli*, quemadmodum liquet ex Epiſtola ad *Galatas*, c. 2. v. 2. ubi ipſe *Grotius* fatetur *Paulum* tunc aſcendiſſe ad illud Concilium. *Nihil credibilius reperio quàm notari hîc illud ipſum* Pauli *iter cujus mentio* Act. 15. 2. Veruntamen poſt hoc iter ad *Hieroſolymam Paulus Silam* elegit (hoc eſt *Sylvanum*) & *Timotheum* (quemadmodum apparet ex Act. 15. v. 40. & 16. 1.) in itineris comites, quorum & nomina præfixa ſunt *ſecundæ* ad *Theſſalonicenſes Epiſtolæ* perinde atq; *primæ*; ut præteream in ſecunda mentionem fieri præſentiæ *Pauli* apud *Theſſalonicenſes*, cap. 2. v. 5.

Quamobrem & ſecunda & prima ſcriptæ ſunt quatuordecim annis poſt Converſionem *Pauli*, & conſequenter circa Annum decimum regni *Claudii*, hoc eſt, annis circiter decem poſt mortem *Caii*, & octo circiter annis poſtquam *Petrus Simoni Mago* ex curru igneo *Romæ* præcipitato tibias præfregiſſet. *Grotius* enim ex *Hieronymi* ſententia & aliorum, geſtum hoc miraculoſum in anno *Claudii* ſecundo collocat. Adeò ut *Paulum* faciat per Applicationem Hiſtoriæ *Simonis Magi* perinde atq; *Caii* ad Prædictionem de *Homine peccati* & *Filio perditionis*, de rebus præteritis vaticinari.

CAP. XXI.

1. *Præcellentia hujus recentioris* Interpretationis *præ illa* Grotii. 2. *Summa dictæ* Expoſitionis *propoſita.* 3. *Prima pars hujus* Expoſitionis *eadem quæ* Grotii, *ac proinde jam confutata*; *ſecunda porrò confutata ex* Chronologia; *ex ulteriori detectione* incredibilitatis Hiſtoriæ *de* Simone Mago; *ex* ſufficientia *prioris Revelationis*; *& ex eo deniq; quòd* nuſquam in ullo Templo ſederit *ubi Divinos reciperet honores.* 4. *Tertia enervata, ex* Chronologia Antiquorum, *ex ipſiſq; adeò* Scripturæ *locis, quæ Apoſtolos innuunt maturè* Judæis *valedixiſſe.* 5. *ὁ κατέχων haud ſatis* Grammaticè *rei indicatæ convenire, cùm & perſonam indicet. Nec Apoſtaſiam cum* Chronologia, *nec* Gnoſticorum *Impietatem* Myſterium *eſſe, ſed apertam Hoſtilitatem adversùs Eccleſiam.* 6. *Ratio dura ac abſona interpretandi* Quem, *in* [Quem Dominus interficiet, *&c.*] *de* duobus diverſis ſubjectis, *uno abolendo* ſpiritu oris Chriſti, *altero per* illuſtrem illius adventum, *idq;* diverſis locis *ac* temporibus. 7. *Si Hiſtoria* Simonis Magi *vera fuiſſet & ad Prophetiam applicatio congrua, fieri non potuiſſe quin Antiqui Patres in eam incidiſſent, atq; ſic quidem præludium quoddam Typicum eſſe potuiſſe ad magnum illum* Antichriſtum *venturum.* 8. *Breves ſtrictura Propheticæ de* Impuritate Antichriſtiana. 9. *Antichriſtiana* Crudelitas *in viſione Regis* Babylonici Cornúq; parvuli *prædicta.* 10. *Item in viſione* Teſtium trucidatorum, *& in* Beſtia bicorni, *quæ facit ut quicunq; nolint adorare Imaginem Beſtiæ, eos* Beſtia decacornis occidat. 11. *Porrò in* Viſione Angeli cum Phiala tertia, *& in declaratione* cauſæ *ruinæ* Meretricis. 12. *Et poſtremò, in deſcriptione* Meretricis *tanquam* ebriæ ſanguine Sanctorum. 13. *Omnia membra* Antichriſtianiſmi *in* Idea *memorata tam expreſſim in ſacræ Scripturæ vaticiniis præſigurari ac prædici, ut impoſſibile ſit tam luculentam* Evidentiam *æternùm eluſum iri.* 14. *Amplum illud* Apocalypſeos *teſtimonium, per novellam iſtam τῆς, ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει, Expoſitionem, irritum fieri non poſſe.*

1. QUamobrem recens quidam idémq; doctus ſanè Interpres longè emunctiori cum judicio, modò *Chronologia* annueret, regnum *Neronis* præclaro huic *Simonis* geſto elegit, Vectionem illius intelligo per aërem quadrigis igneis, ut ſic ſaltem *Hiſtoria* commodè applicari poſſit ad *Prophetiam.* Qua in re cùm *Simonem* ſolam partem faciat cujus res agitur, multò profectò meliori conditione eſt quàm *Grotius*, quippe qui, hoc pacto, violentam illam Textûs in verſu octavo luxationem, quam in *Grotiana* Interpretatione notavimus, evitet. Verùm alternatio hæc Hiſtoriæ *Simonis* quantùm ad Tempus, ulteriorem facto addit Incredibilitatem. Et tametſi Applicatio ingenioſa ſit, tam magnis tamen laborat difficultatibus, ut non poſſit quin omnem apud cautos perdat fidem. Cæterùm cuicuimodi ſit, primùm eam breviter deſcribam, & examinabo poſtea, ut planiùs conſtet nullam eſſe Interpretationem, quæ conferri debeat cum illa quam communis *Proteſtantium* conſenſus confirmavit, qui maxima ex parte ad eum ſenſum Prophetiam interpretati ſunt quem ego declaravi.

2. Primò, igitur, ille, ut *Grotius*, *Adventum Chriſti* interpretatur de excidio *Hieroſolymitano.*

Secundò, *Revelatio Hominis peccati* eſt *Simonis*, *Romæ*, ſpectaculum quadrigis igneis per aërem vecti, unà cum *Gnoſticorum* Perſecutione in Chriſtianos.

Tertiò, *Apoſtaſiam* ſive *Defectionem* intelligit de Defectione à Fide ad Hæreſin *Gnoſticorum*, vel de derelictione *Judæorum* per Apoſtolos, ſolitæq; circa Ritus *Moſaicos* conniventiæ abruptione.

Quartò, *ὁ κατέχων* vel *τὸ κατέχον* eſt Apoſtolorum ad *Judæos* Evangelii *Prædicatio* nondum deſita, eorúmq; tanquam hominum contumacium ac deſperatorum, necdum facta derelictio.

Quintò, *Myſterium Iniquitatis quod jam operatur*, eſt occulta Chriſti & Chriſtianorum oppugnatio, expreſſáq; Chriſtianitatis per ſectam *Gnoſticorum* ſub *Simone* ac *Carpocrate* Renunciatio, ſtatim atq; Apoſtoli popularibus ſuis *Judæis* valedixerint, palàm eruptura.

Sextò & ultimò, *Spiritus Oris Domini* eſt Oratio Petri quâ *Simon Magus* humi præcipitatus eſt, & *illuſtris illius adventus Hieroſolymorum* Devaſtatio, quâ *Judæi Gnoſtici*q; perſecutores deleti ſunt.

3. Hæc

3. Hæc eſt ſumma *Interpretationis* illius quam breviter jam ſed diligenter expendemus. Contra cujus *primam* partem idem dicendum eſt quod contra primam partem Expoſitionis *Grotii*, cap. 20. ſect. 2. nec opus eſt hîc repetere. Illud ſolum ſufficit, ſi æquus adſit Lector, nullóq; laborans præjudicio, ad utrorumq; Interpretationes penitùs ſubvertendas.

Secunda, Præcipua Baſis eſt totius Expoſitionis. Verùm hîc primò repugnat *Chronologia Facti, Petri* pariter ac *Simonis Magi*. Anno enim *Claudii* ſecundo *Petrum* iviſſe *Romam* ad occupandum *Simonem Magum* nos docet *Hieronymus*, inquit *Grotius*, Regnóq; *Claudii* non *Neronis* hæc contigiſſe teſtes addit vetuſtiſſimos *Juſtinum, Irenæum, Euſebium, Cyrillum*, & *Theodoretum. Quòd autem* Philaſtrius, inquit ille, *& Poſteriores quidam ad* Neronis *Tempora hæc referunt, errorem eſſe puto ortum ex ambiguo Nominis. Nam &* Claudius *ex* Neronum *erat Gente, patriq; ejus nomen* Nero *fuerat, &c.* Per hanc Authenticam igitur *Chronologiam* nova hæc Expoſitio radicitùs evellitur, quippe quæ huic innititur Fundamento ; Quòd expugnatio *Simonis Magi* per *Petrum* facta ſit temporibus *Neronis*. Sed ut mittam *Chronologiam*, magnam ipſius Hiſtoriæ Incredibilitatem eſſe abundè ſuprà inſinuavi. Quæ adhuc ſuſpectior videbitur cuivis qui non ſit nimiùm credulus ſi conſideraverit, quid ei apud *Baronium* ſit ſuperadditum, nempe quòd *Petrus*, extraordinario hoc miraculo quod edidit, præcipitando per preces ſuas *Simonem Magum* ex Aëre, tantùm abfuit ab acquirendo honorem ullum apud *Neronem* ſpectatorem hujus conflictûs, ut incarceraretur ob hoc tam ſplendidum facinus. Certè ſi Populus ob *Magicam* illam virtutem qua de *Simon* adeò gloriabatur, eum tanquam Deum honorabant, multò majorem honorem ei exhibituri fuiſſent quem ipſo *Simone* potentiorem experti eſſent, qui tamen ſe *magnam Dei potentiam* venditabat.

Præterea, *Simon Magus*, Homo peccati *revelandus* propriè dici non poterat, tunc cùm ſcripta eſt hæc Epiſtola ; cùm juxta nuperi etiam hujus Interpretis conceſſa ſub initium Regni *Claudii* hominem impium ac blaſphemum ſe oſtendiſſet, præ ſe ferendo tanquam ſi Deus eſſet, *Romæq;* Divinos acceptando honores, nec quicquam contrà apparet, quin perinde impius eſſet ab eo uſq; tempore ad vitæ ſuæ finem.

Et poſtremò, quantùm ad ſeſſionem in *Templo Dei* ; Quam obſecro is Sedem illîc habuit? Quódve Templum ei uſquam extructum eſt? Statua quidem illi erecta fuiſſe dicitur. Hoc verò factum eſt ſub initium Regni *Claudii*, ac proinde multò antè quàm hæc Prophetia ſcripta ſit, quemadmodum patet cap. 20. ſect. 10. Cæterùm nec hæc Statua *Templum* eſt, nec in ea potuit ſedere *Simon*, fieriq; poteſt ut fictitia Statua fuerit, ſi vera ſit *Petri Ciaconii* conjectura, Hiſtoriam ſcilicet originem traxiſſe ex antiqua inſcriptione Paganica ſuper marmor Anno 1574. effoſſum eo ipſo in loco ubi hæc Statua *Simonis* fuiſſe dicebatur, Quæ Inſcriptio erat, *Semoni Sango Deo Fidio Sacrum*, quemadmodum videre eſt apud *Baronium.*

4. Quantùm ad *tertiam*, cùm tam clarè conſtet ex antiquiſſimorum Teſtimoniis inauſpicatam hanc *Simonis Magi* Pompam aëream *Petriq;* cum illo Pugnam ſub initium Regni *Claudii* contigiſſe, quam, cùm *Simon* ſit *Iniquus ille, Homóve Peccati*, neceſſe eſt ut hæc *Apoſtaſia*, qualiſcunq; ſit, antecedat ; manifeſtum eſt nec *Defectionem* à Fide ad *Gnoſticorum Hæreſin*, nec *derelictionem Judæorum per Apoſtolos*, nec aliud quicquam quod *Simonis* ſpectaculum præcedit propter Epiſtolam ſeriùs ſcriptam, hîc intelligi poſſe. Quantùm verò ad *Judæorum* derelictionem per Apoſtolos, miſſo *Simone*, palàm tamen eſt eam hîc non poſſe intelligi, quippe quæ multis antè annis incepta eſt, quàm hæc Prophetia ſit ſcripta ; Quemadmodum apparet ex Act. 13. v. 46. *Vobis neceſſe fuit*, inquit *Paulus* & *Barnabas, primùm exponi ſermonem Dei : poſtquam autem repellitis illum, & indignos vos ipſos diſcernitis æternâ vitâ, ecce convertimur ad Gentes.* Hoc autem factum eſt anno Chriſti 41. in ipſo initio Regni *Claudii.* Incepta autem hæc *Judæorum* derelictio rurſus repetitur Act. 18. v. 6. *Judæis autem ſeſe opponentibus & blaſphemantibus, excuſſis veſtibus dixit eis* Paulus, *Sanguis veſter ſuper caput veſtrum, purus ego ab hoc tempore ad Gentes proficiſcar.* Hoc autem contigit anno Chriſti 51. proximo nempe quàm *Paulus* ſcripſit ad *Theſſalonicenſes.* Quod malè profectò convenit cum iſtis v. 1, 2, 3. *Nè terreamini quaſi inſtet dies Domini, quoniam niſi venerit diſceſſio primùm*, &c. Quæ tamen decem antè annis incepta erat rurſúſq; repetita intra annum circiter, quàm hæc Epiſtola ſcripta ſit. Quæ igitur cùm adeò è proximo ipſis imminneret, vel potiùs jam occupâſſet, Dies Domini non poterat non inſtare, contrà ac vult Apoſtolus. Quibus poſtremò addas, ἀπόστασιν quidem ſimplicem *deceſſum* perinde ac *defectionem* ſignificare, ἀποστασίαν verò *defectionem* tantúm.

5. Et quod *quartam* ſpectat ; Ponere hîc ὀκλίχον, cùm non *perſona* quidem, ſed

res intelligatur, non eſt adeò legitima *Syntaxis*. Præterea, τὸν καλύχοντα vel τὸ καλύχον hoc, ablatum priùs fuiſſe oportet quàm *Simon Magus* ſe in ſcenam proferret, quippe quòd *Iniquus ille* hoc remoto obſtaculo ſtatim dicitur appariturus. Cùm autem ipſius *Simonis* Revelatio decem ferè annis antè facta ſit quàm hæc Epiſtola ſcripta, quomodo Apoſtolus dicere poteſt, *Nunc verò quid obſtet nôſtis?* Immò verò cùm tunc ablatum eſſet illud Obſtaculum, derelictionis nempe *Judæorum* per Apoſtolos procraſtinatio, quemadmodum liquet ex Act. 13. v. 46. Nè, poſtremò, addam incredibile videri hanc eſſe Obſtaculum quò minùs *Myſterium Iniquitatis* propalàm fiat (hoc eſt, nè aperta Chriſti & Chriſtianorum oppugnatio ac Perſecutio expreſſáq; Chriſtianitatis per Sectam Gnoſticorum ſub *Simone* ac *Carpocrate* Renunciatio exeat in effectum) quippe quòd & *Paulus* & *Theſſalonicenſes*, ut patet v. 6. Obſtaculum probè noverint; hanc autem ſi noviſſent *Apoſtoli* eſſe Obſtaculum, *procraſtinationem* ſcilicet *deceſſionis* à *Judæis*, tantas ſanè calamitates Eccleſiæ ſuperinducere noluiſſent tam ſubitâ ipſorum derelictione, cùm hujus rei procraſtinatio tam validus obex eſſet firmúſq; agger contra *Gnoſticiſmi* inundationem & Perſecutionem Eccleſiæ.

Et quod *quintam* attinet, Eadem ferè hîc Objectio fieri poteſt quæ facta eſt contra expoſitionem *Grotii*, qui videtur *rem* quamlibet *celatam*, *Myſterium* ſtatim facere, quæ falſa quidem vocabuli eſt ſignificatio. *Aperta* enim ac manifeſta *Oppugnatio Renunciatióve Chriſtianitatis deſtinata*, ſed interim clam alios habita (qui præſentis cauſæ ſtatus eſt) *Myſterium* certè non magìs eſt quàm *celatum Homicidium* & *Adulterium*, quemadmodum ſuprà monui. Ut præteream *Carpocratem* cum ſuis violentè admodum & quaſi obtorto collo huc arripi, tum propter temporis diſtantiam, tum etiam propterea quòd nec de ipſo *Carpocrate* nec de *Gnoſticis* aliis præter unum *Simonem* conſtat, quamvìs *Magiam* colerent & *Idola*, aut habitos eſſe aut venditâſſe ſe Deos, aut Statuas ſibi erectas habuiſſe, multóq; minùs in Templo ullo dici ſediſſe tanquam Deos. Ad ſolum igitur *Simonem* reſtringi debet Prophetia, quod tamen ſi fiat, prædictio erit poſt eventum.

6. Deniq; quantùm ad *ſextam* & *ultimam*, durum profectò videtur atq; abſonum ut intelligamus pœnam per *ſpiritum Oris Domini* inflictam pertinere ad *Simonem Magum Romæ*; & cladem tamen per *illuſtrem illius adventum* illatam, *Gnoſticos* ſpectare excidio *Hieroſolymitano* involutos: præſertim ſi conſideremus nullam fuiſſe *Simonis Magi* cum *Gnoſticis* in unum corpus Politicum coalitionem, ſed videri potiùs *Gnoſticos* à *Nicolaitis* deſcendiſſe, quemadmodum *Baronius* innuit, ac proinde nullam ad ſe invicem habuiſſe relationem. Ut taceam, ipſum Textum ſenſu tenoréq; continuo miniméq; interciſo dicere, *Quem Dominus interficiet ſpiritu oris ſui, ac deſtruet illuſtratione ſui adventûs.* Quod nihil aliud eſt quàm *ſplendens flamma igneúſq; ſpiritus* ex illius *ore procedens* (juxta illas Deſcriptiones apud *Eſdram* & *Danielem*) in *unum* idémq; *Objectum*, in *hominem* utiq; *Peccati* (qui idem eſt quod *Cornu parvulum* apud *Danielem* qui ad hunc modum eſt delendus, nempe per *adventum Chriſti illuſtrem*) quem priori Epiſtolâ *Paulus* commemorat, quemadmodum clarè demonſtravimus. *Simonem* autem *Magum ſpiritu oris ſui*, *adventu* verò *ſuo illuſtri* alterum aliquem *hominem peccati* deleri, ridiculum eſt.

7. Quibus omnibus addere potes, ſi Hiſtoria *Simonis* vera ſit, *Adventúſq; Domini* de excidio *Hieroſolymitano*, non de *Judicio ultimo* intelligendus, rem miram eſſe quòd antiquiſſimi Patres, qui propinquiorem habuerunt proſpectum earum rerum quæ eis temporibus tranſactæ ſunt, completionem Prophetiæ in *Simone Mago* & *Gnoſticis*, *Carpocratianiſq;* cernere non poſſent; nos verò qui maximè diſſiti ſumus ab eventis adeò *Lyncei* eſſemus in deprehendendo ipſorum ad prophetiam applicabilitatem. Cæterùm abundè jam ſatis argumentorum attuli ad demonſtrandum Prædictionis S. *Pauli* ſenſum genuinum hunc eſſe non poſſe. Quòd ſi adduci poſſim ut credam conditionem *Simonis* ac *Gnoſticorum* in hac Prophetia uſpiam perſtringi, agnoſcerem ſanè eatenus Typicum quoddam eſſe poſſe præludium ad magnum illum *Antichriſtum* tunc futurum, illúmq; præcipuè locum [*nam Myſterium jam operatur Iniquitatis*] de eis intelligendum putarem: Quod poteſt ſanè fieri, quamvìs reliquum Prophetiæ multis in locis *Simoni Gnoſticiſq;* minimè congruat, ſed illi magno ſoli *Antichriſto*, cujus *Magus* hic poteſt eſſe Typus tantùm ac Figura, & certè non abſona prorſus atq; ſurda, ſi cum characteribus magni illius *Antichriſti* in Prophetiis paſſim occurrentibus conferatur. Ut in viſione *Cornu parvuli*, in viſione *Meretricis Babylonicæ*, *Regis Tyri*, *Regiſq; Babylonis*, *Beſtiæ bicornis* ſive *Pſeudo-prophetæ*, *Regis Superbiæ*, in alluſionibus ad *Sodomam* & *Ægyptum* & ad *Hieroſolymam carnalem* & *propheticidam*, in Prophetia de *Civitate Tyri*,

Tyri, & in mentione *excluſorum è Civitate ſancta*, & ſimilibus, ubi characteres aut Capitis aut corporis *Antichriſti* aut utriuſq; deniq; inveniuntur, taléſq; qui à *Simone Gnoſticiſq;* minimè abludant.

Quemadmodum enim *Simon* iſte, *Magus* erat ſive *Veneficus* & *præſtigiator*, ità *Beſtia bicornis* ſigna dicitur edere, *Meretrixq;* *poculum* φαρμακείας in manu tenere, *excluſiq;* è *Civitate* ſancta inter alia φαρμακοῖς, i. e. *Magi* ſive *Venefici* appellantur.

Rurſus, ut *Simon* nomen primúmq; Exemplum impio illi peccato *Simoniæ* dedit, ità magnus ille *Antichriſtus* corpúſq; illius, in viſione *Regis Tyri*, & *Civitatis Tyri*, & in *Threnodia Babylonis*, tanquam egregii rerum Sacrarum ac ſpiritualium Mercatores ac Nundinatores deſcribuntur.

Tertiò, *Simonis* & *Gnoſticorum* Apoſtaſiæ pars *Judaiſmus* erat dum præ ſe ferebant ſe eſſe *Chriſtianos*. In alluſionibus autem ad *Hieroſolymam* illam *carnalem* & *Ægyptum*, hanc notam *Antichriſto* ejúſq; corpori inuri manifeſtum eſt, quaſi populus eſſent onuſti Ceremoniis, *Judæorum* inſtar, & ſervitute operum nemini niſi *Pharaoni* ſuo ejúſq; Miniſtris utilium laſſati & protriti.

Quartò, *Simon* & *Gnoſtici* infames erant ob *impuritatem* ſuam ac *ſpurcitiem*. Corpúſq; hujus magni *Antichriſti* Civitati *Sodomæ* planè aſſimilatur in viſione *duorum Teſtium*, & inter *excluſos è ſancta Civitate* recenſentur *canes* & *ſcortatores* & *impudici*.

Quintò, Quanquam *Simon* & *Gnoſtici* tam ſcelerati erant támq; fœdis moribus ac impuris, erant tamen γνωσικοὶ, haud vulgares profeſſores ac gloriatores de *certitudine ſuæ ſcientiæ* etiam in *rebus* maximè *Divinis*. Annon verò hic præcipuus character eſt *Antichriſti* in viſione *Regis Tyri*, *Ecce ſapientior es Daniele*, *nihil eſt abſconditum quod ſit abſconditum tibi*, & mox eodem capite, *Tu ſigillas ſummam*, *plenus ſapientiâ & perfectus decore*. Et in viſione Regis *Babylonici*, de *Pulchritudine ſapientiæ illius* fit mentio, & *Jezebel prophetiſſam* ſe dicit Apoc. 3. *Beſtiáq; bicornis* idem eſt qui *Pſeudo-propheta*; quibus innuitur caput corpúſve hujus magni *Antichriſti Infallibilitatem* quandam ſcientiæ ſibi attribuere in rebus maximè Divinis, quanquam interim vitâ moribúſq; vileſcant atq; planè ſordeant.

Sextò, *Simon* & *Gnoſtici* oppugnatores erant & Perſecutores veræ Eccleſiæ, quod ubiq; notorium eſt de magno illo *Antichriſto*, ut in viſione *Cornu parvuli* bellum gerentis cum *Sanctis*, & in aliis locis quamplurimis, quæ nihil neceſſe ſit notare cùm adeò ſint obvia.

Septimò, *Simonis* ſectatores polluerunt ſe *Idolis*. Et quid obſecro eſt *Meretrix Babylonica* quàm corpus Antichriſtianum *Idololatricum*? *Bicorniſq;* *beſtia* antiquæ quaſi *Idololatriæ Paganicæ* eſt *inſtauratrix*, &c. nemóq; dubitat quin inſignis ille *Antichriſtus* ſit *Idololatra*.

Octavò & ultimò, *Simon* grandia ac mirabilia de ſe prædicabat exaltabátq; ſe ſuper omne quod dicitur Deus, Divinóſq; honores acceptabat in terris. Ità *Cornu parvulum* grandia & mirabilia dicitur de ſe prædicare apud *Danielem*, & *Rex ſuperbiæ* extollere ſe ſuper omnem Deum, & magnificare ſeipſum, tum apud *Danielem*, tum in Epiſtola ad *Theſſalonicenſes*.

Adeò ut cùm iſtiuſmodi eis temporibus agerentur, & per eos quidem qui aliquam Chriſtianitatis ſpeciem præ ſe ferebant, S. *Paulus* rectè potuit etiam de *magno* illo *Iniquitatis Myſterio* pronunciare, quòd & tunc aliquo ſenſu exiſteret, & operaretur; in *Simone* ſcilicet ejúſq; ſectatoribus, qui tanquam Typus fuerunt & præludium ad miranda facinora magni illius *Antichriſti* venturi, quódq; nihil deeſſet præter amotionem validi illius obſtaculi *Romæ*, *Occidentalis* ſcilicet *Cæſareatûs*, quo facto, ὁ ἄνομος, *inſignis* ille *Antichriſtus*, ſeipſum oſtenſurus eſſet, cujus *Simon* non erat niſi *Figura*. Vide cap. 19. ver. 7. Hæc ſanè Expoſitio aliquantò plauſibilior eſt illâ *Alcazaris* (qui *Myſterium Iniquitatis jam operans* de puro *Paganiſmo* intelligit;) utrùm verò omnium optima ſit, penès pios doctóſq; viros ſit judicium.

Intereà loci ſpero me veritatem ſufficienter elucidâſſe præcipuarum Prophetiarum in ſcriptura, quæ ad enormem ſpectant *elationem* ac ſuperbiam *Antichriſti*, quæ tam manifeſtò primum *Divinæ vitæ* ramulum, *Humilitatem* Animíq; demiſſionem, oppugnat.

8. Proximè ſuccedit *Puritas*, cui planè opponitur *Impuritas* ac *Impudicitia*. Prædictiones cauſarum quæ ad hoc vitium ducunt, jam attigimus. Quantùm verò ad vitium ipſum, cùm adeò individuus comes ſit *Idololatriæ* quæ *ſpiritualis* quædam *Fornicatio* eſt ſeu *Adulterium*, ob id ipſum credo Spiritum Prophetiæ particulariorum illius Præfigurationum ſive Prædictionum magis parcum fuiſſe. Verùm nihil dubito

dubito quin huc ſpectet illa *Magnæ Civitatis* Deſcriptio Apoc. 11. *Et cadavera eorum jacebunt in plateis urbis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter* Sodoma, &c. Quàm impura verò ac obſcœna Civitas *Sodoma* fuerit, nemo poteſt ignorare.

Rurſus illi qui excluduntur è *ſancta Civitate* quæ adeò ex Diametro *huic urbi, Sodomæ* nominatæ, opponitur, *Canes* appellantur, & ἐβδελυγμένοι, *Abominabiles*, per quos, quemadmodum ex *Grotio* notavi, intelliguntur ἀρσενοκοῖται καὶ μαλακοὶ, id eſt, *Dranci* & *Pathici*, utriq; *Cinædi*, hoc eſt, obſcœnitate *caninâ* præditi. *Scortatores* etiam in eodem Catalogo recenſentur; ſed de iſtis locis abundè jam diximus in *Idea Antichriſtianiſmi.* Poſtremò, quòd Eccleſia dicitur *Deſertum* ſive *Eremus*, id etiam ſubindicatio eſſe poteſt exuberantiæ iſtarum operationum *Animalis vitæ*, quæ *Crudelitatem* ſapiunt ac *Libidinem.* Atq; hæc intimamina de ſecunda Oppugnatione *Divinæ vitæ* in ſuis ramulis ſufficiant.

9. Tertia & ultima illa eſt, quæ tam conſpicuè ultimæ optimæq; trium Chriſtianarum gratiarum opponitur, *Amori* utiq; *Divino* ſeu *Charitati*, eáq; eſt ſanguinolenta illa *Crudelitas Antichriſtiana* adversùs ſinceros ſervos Chriſti. Quæ notatur in multis earum Viſionum quas jam explicavimus, ac proinde nihil ampliùs opus eſt quàm ut in medium producamus. Primóq; eam de *Rege Babylonis* qui Papæ Typus eſt; Cauſa illius Ruinæ, in iſtac Viſione, eſſe declaratur barbara ejus ac *Antichriſtiana* Crudelitas, Eſai. 14. *Quia terram tuam diſperdidiſti, populum tuum occidiſti*, hoc eſt, Orbis Chriſtiani populum, Terram ſuper quam Eccleſiaſticum quendam Principatum tibi vendicas, tanquam Chriſti Vicarius; & tamen interim veriſſimos fideliſſimóſq; illius ſervos modis truculentiſſimis occidiſti atq; mactâſti.

Rurſus Daniel. cap. 7. *Cornu* illîc *parvulum*, quæ Figura ejuſdem *Pontificiæ* poteſtatis eſt, *bellum gerere* dicitur & *conterere Sanctos Altiſſimi*, hoc eſt, perpetuis perſecutionibus eos interimere & conſumere.

10. Tertia præfiguratio eſt, Apoc. 11. de *duobus Teſtibus, Beſtia illa aſcendens ex Abyſſo geret adverſus eos bellum, & vincet eos & occidet eos, & cadavera eorum jacebunt in plateis urbis magnæ quæ vocatur ſpiritualiter* Sodoma & Ægyptus, *ubi & Dominus noſter crucifixus eſt.* Quæ deſcriptio eſt perpetuæ Oppugnationis & Perſecutionis, expoliationiſq; verorum ſervorum Dei, aut honoribus ſuis aut officiis, aut bonis aut vitis denique. Adeò ut *realis* ſinceráq; *Chriſti Eccleſia*, quæ illius *corpus* eſt, dum *exterius Atrium* conculcatur, ad inſtar *Cadaveris* jaceat ſine omni Politica vita ac Poteſtate; & horrendum in modum *vulnerata*, totáq; *cruore oblita* per truculenta Homicidia, Martyria, ac Interneciones fidelium ſuorum Membrorum.

Quartò, Apoc. 13. *Beſtia Bicornis* inſtigare dicitur *Decacornem* (poſtquam in antiquam *Paganiſmi* formam *Idololatricam* revixerit) ad occidendos omnes qui mandatis ſuis *Idololatricis* nolint obtemperare; *Datúmq; eſt ei ut animaret Imaginem Beſtiæ, ut etiam loquatur Imago Beſtiæ, & faciat ut quicunq; non adorârint Imaginem beſtiæ occidantur: Et nè quis poſſit emere aut vendere niſi qui habeat characterem aut nomen Beſtiæ, aut numerum nominis ejus*; hoc eſt, Quicunq; noluerint ſe *Romano-Catholicos* profiteri eóq; pacto *Paganiſſare* in Chriſtianitate, fame & inediâ enecandi eſſent, nec ipſis permittendum communi luce frui. Tanta nempe eſt *charitas* hujus Tyrannicæ & *Antichriſtianæ* Poteſtatis erga vera Chriſti membra. Verùm, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, quemadmodum dicitur in ſequenti Capite de Martyriis eorum qui ab hac poteſtate Pontificia mactantur.

11. Quintò, Illud etiam monimentum eſt crudelitatis *Romanæ Antichriſtianæ* (nam Phialæ effunduntur in *Beſtiam*, Plagæ *Ægyptiacæ* in *Ægyptum Antichriſtianam*) Apoc. 16. Ubi Angelus *tertiæ Phialæ*, qui fluvios vertit in ſanguinem, ſic loquitur: *Juſtus es Domine, qui es, & qui eras, & qui eris, quòd hæc judicâris. Quoniam ſanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti ad bibendum, digni enim ſunt.*

Sextò, Ut ruina *Regis Babylonis* apud *Eſaiam*, ità ruina *Meretricis Babylonicæ* apud S. *Johannem*, huic ſævæ ac barbaræ *crudelitati Antichriſtianæ* imputatur, *trucidationi* ſcilicet *Sanctorum Dei. Vox Citharœdorum & Muſicorum non auditur in ea ampliùs, nec ullus Artifex cujuſcunq; Artis auditur in ea ampliùs, & Lux Lucernæ non lucet in ea ampliùs*, ſed extremis relinquitur tenebris ac ſolitudini, *quia in ea ſanguis Prophetarum & Sanctorum inventus eſt & omnium in terris occiſorum. Homicidæ* etiam nominatim recenſentur in utroq; Catalogo *Excluſorum* è *ſancta Civitate.*

12. Septimò & ultimò, In deſcriptione *Meretricis Babylonicæ*, quam ſuprà clarè demonſtravi *Eccleſiam* ſignificare, *Romanam* præſertim, in *Idololatriam* apoſtatantem, mentio fit execrabilis hujus ramuli *Antichriſtianiſmi*, hujus truculentæ Perſecutionis

ſecutionis verorum membrorum Chriſti, *expreſſa* admodum & *emphatica*. *Erat autem mulier amicta purpurâ & cocco, & inaurata auro, lapidibus pretioſis & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominationibus & immunditiâ ſcortationis ſuæ. Et in fronte ſua nomen ſcriptum, Myſterium* Babylon *magna, mater illa meretricum & abominationum terræ. Et vidi mulierem illam* ebriam *ſanguine Sanctorum & ſanguine Martyrum Jeſu; & miratus ſum, quum viderem illam, admiratione magnâ.* Qui ſplendidam *Papæ* pompam ſuorúmq; Principum Eccleſiaſticorum *Cardinalium* aliorúmq; *Magnatum* contemplatur, ut & ſumptuoſa & præfulgida Ornamenta coruſcantium Altarium & Templorum; ut decoraverit ſe hæc Meretrix omnimodo ornatu, ut intexuerit funibus lectulum, ut ſtraverit tapetibus pictis ex *Ægypto*, ut ſuffierit cubile ſuum myrrhâ, aloë & cinnamomo, Incenſo & odoribus aromaticis: ſi quam omninò habet *ſtyli Prophetici* peritiam, non poteſt quin profiteatur hanc admodum vividam graphicámq; præfigurationem eſſe ſtatûs Eccleſiæ *Romanæ*, quantùm ad ſplendorem ejus ac ſumptuoſitatem. Nam ſic mundo propinatur *Idololatria*, aureo hoc poculo, externáq; hâc rerum pretioſarum ſpecie.

Verùm hoc non unicum eſt hujus *Eccleſiæ* erratum. *Ebria eſt etiam ſanguine Sanctorum & ſanguine Martyrum Jeſu. Grotii* gloſſema in hanc partem Textûs rem admodum ad vivum depingit: *vidit eam ore rabido deſpumante & evomente ſanguinem, ut ebrii ſolent.* Quod neceſſariò omnes illius ſpectatores admiratione percuſſurum erat; ut fœmina tam ſumptuosè ſplendidéq; veſtita, tam ferino eſſet sævóq; ingenio. Quam admirationem multùm profectò in eis augeri oportet dum conſiderant quomodo illuſtris hæc Regina *Catholicam Chriſti Eccleſiam* ſeipſam profiteatur, *Orbiſq; Chriſtiani Matrem*, cùm tamen adeò deſpumet ore, imò impotenti exoneratione ſtomachi, ſanguine proprtiorum liberorum onuſti, veſtimenta conſpurcet. Cæterùm dum vitæ ſuorum Infantum tam prodiga eſt, demonſtrat ſe *Matrem* quidem *Catholicam* non eſſe, ſed ſanguinolentam perfidámq; *Meretricem*, quemadmodum Spiritus ſanctus fronti illius inſcripſit, *Mater Meretricum* & *Abominationum Terræ.*

13. Atq; ſic vidimus ſingula *Antichriſtianiſmi* membra *Ideâ noſtrâ* comprehenſa, ut *facilè* in *Romana Eccleſia* inveniuntur, ità admodum *graphicè* expreſſéque, tanquam ad eam pertinentia, in ſcriptis ſanctorum Prophetarum præfigurari, nullámq; eſſe eluſionem exinanitionémve tam clarorum perſpicuorúmq; *Teſtimoniorum* per ulla humani ingenii cujuſmodicunq; Inventa atq; Technas, cùm abominandæ illius enormitates, tribus illis præcipuis Capitibus, *Impoſturæ*, *Idololatriæ* & *Homicidii* comprehenſæ, æquè determinatè ac conſpicuè in his Prophetiis deſcriptæ ſint atq; res jam tranſactæ deſcribuntur in ulla Hiſtoria. Ac proinde veritas neminem latere poteſt, niſi talem qui otium ſuum intelligendo *ſtylo Prophetico* nondum impenderit, aut qui præjudicio aliquo, commodíve alicujus mundani ſenſu occæcetur. Quem apud quoſdam tantum profectò valere exiſtimo, ut eos effecturus ſit etiam in demonſtratione *Mathematica* hæſitare *Sceptícóſq;* agere. Cæterùm tam manifeſtam evictionem, in hac adeò immenſi momenti veritate, quàm hîc dilucidavimus, confidenter auſim affirmare non eluſum iri fruſtráve fore in perpetuum.

14. Hoc pro certo ſcio, præcipuum illud effugium quo ſe adeò munire aſſolent, eos eſſe fruſtraturum, illa nempe verba in ipſo initio *Apocalypſeos*, ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει. Unde concludere volunt, nulla eventa præterquam ea quæ poſt communicatas has Prophetias brevì erant futura, ad ipſas debere applicari. Huic verò ſcrupulo credo me abundè ſatisfeciſſe in *Myſterio Pietatis*, monendo concluſionem hanc perinde abſonam eſſe ac ſi quis audito *Comœdiam* aliquam aut *Tragœdiam* agendam eſſe intra ſemi-quadrantem Horæ, ſtatim concluderet univerſos illius Actus Scenáſq; ultra illud Tempus ſe non extenſuras; cùm ſenſus tantùm ſit, fore quidem ut intra illud tempus *Comœdia* vel *Tragœdia* agi incipiat. Ac proinde *Cornelius à lapide*, in ea verba [*Quæ oportet fieri citò*] apertè & cum judicio ſic ſcribit, *Hoc eſt, quæ citò incipient fieri, licèt non citò finiantur.* Et *Alcazar* in eadem verba, *Quaſi diceret, In hac Revelatione continentur quædam quæ citò oportet fieri, & alia quæ non adeò citò implebuntur.* Eſtq; ipſius *Grotii* in ea Annotatio, *Alia citiùs, alia ſeriùs.* Verùm propterea quòd *quædam* harum ſerierum viſionum, quæ ad finem uſq; rerum ultimum pertingunt, citò implendæ erant, dicitur idcirco in genere de earum ſubjectis, ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει. Quemadmodum opinor quis dicturus eſſet de Exercitu qui per milliarii quadrantem in longum extenderetur, quòd Exercitus hic ad ipſas portas Civitatis attingeret, cùm tamen illi ſoli qui in primo ordine ſiti ſint tam propè appuliſſent.

Rurſus, niſi ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει ſignificet, *quæ citò incipient fieri*, non autem *finita*

finita erunt, aperta Repugnantia eſt cum natura quarundam rerum prædictarum; ut cum *regno Sanctorum* & *Ligatione Satanæ*. Duratio enim horum eventuum per *mille annos* fore prædicitur. Quamobrem niſi mille anni *breve* Temporis ſpacium ſit, Eventa prædicta ipſi Titulo voluminis Prophetici contradicunt, ſi nempe is ſenſus ſit τῦ ἃ δεῖ γενέσθ ἐν τάχ, pro quo contenditur. Unde manifeſtum eſt, ἃ δεῖ γενέσθ ἐν τάχ, in eventis ſingulis, non quidem ſignificare *quæ finita erunt*, ſed quæ *fieri incipient*, ἐν τάχ, nempe quatenus tota rerum ſeries tunc incipit.

Tertiò, Quod ad ſignificationem attinet hujus locutionis, ἐν τάχ, quàm ſubitum quámve breve tempus per eam oportet denotari? Quiſve illud definiturus eſt? Propheta enim *Haggæus* ubi dicit, *Adhuc unum modicum eſt & ego commovebo cœlum & terram*, &c. illius prædictio in Tempus cadit, quingentis annis à tempore Prophetiæ diſſitum. Unde *Sigillorum* & *Tubarum* impletionem in Excidio *Hieroſolymitano* quærendi nulla eſt neceſſitas. Intelligendum eſt igitur comparativè, quemadmodum *Grotius* modicum illud Tempus apud *Aggæum* interpretatur. Quo quidem in ſenſu ego ſimiliter intelligi volo illa verba toties in *Apocalypſi* repetita, Ἰδὺ ἔρχομαι ταχύ *Ecce venio citó*. Quæ ſpeciali modo *ſigillum ſextum* reſpicere credo; quod deſcribitur tanquam ſi *Dies noviſſimus* eſſet, ſive *Dies Judicii* propriè ſic dicti, ſed reverà ruina eſt *Draconis* per *Chriſtum* Imperiiq; *Romani* in proprias manus (ſtatim à converſione *Conſtantini* ad Religionem Chriſtianam) aſſumptio. Quod factum eſt bene multò minori ſpacio quàm annorum quingentorum, & tempore ſanè admodum brevi, ſi cum magnitudine Incepti, quod in eo peractum eſt, conferatur.

Quartò, *Sex prima Sigilla*, *Prælium Michaëlis* cum *Dracone*, & *Templi Atrium Interius*; omnes hæ *Viſiones*, earum eventa intelligo, minori temporis ſpacio, quàm quod *Aggæus* modicum appellat, finiuntur.

Quinto, *Templi Atrii Exterioris*, *Meretricis Babylonicæ*, *Beſtiæ bicornis*, *Beſtiæ decacornis*, *Duorum Teſtium*, *Cœtûs virginei*, *Mulieris in eremo*; *omnium* harum etiam *Viſionum* eventa incipiunt fieri intra minus Temporis ſpacium quàm quod *modicum* vocatur ab *Aggæo*. Tubæ etiam intra hoc Tempus clangere inceperant. Res verò ſeptem Eccleſiarum multò maturiùs finiri poterant, Impletionéſq; ſemel atq; iterum repeti, quatenus volitantes vagæve ſunt Prophetiæ, nec ulli Tempori locóve affixæ, (quemadmodum fit in reliquis Viſionibus) prout etiam notavit *Grotius*. Atq; hoc ſpero ſatis fore ad confirmandum verum ſenſum generalis Argumenti ſive Objecti harum Prophetiarum, nempe ἃ δεῖ γενέσθ ἐν τάχ. Neq; quicquam ampliùs quàm hoc ſupponitur in *Methodo* quam Cl. *Medus* adhibet in interpretanda *Apocalypſi*.

Sextò, Ipſi Adverſarii coguntur quaſdam Prophetias interpretari de rebus quæ evenerunt aut eventuræ ſunt bis quingentis ampliùs annis poſt prædictionem. Ut *ſolutio Satanæ*, *exercitus Gogi & Magogi*, *dilectæ Civitatis obſidium*, *Ignis delapſus de cœlo in obſeſſores*, *Dies Judicii univerſalis*, & ſimilia. Quæ ipſorum Hypotheſi eò magis repugnant, quia ejuſmodi *ordinem* ſive *concatenationem* viſionum non faciunt, cujuſmodi *Medus* facit; eóq; proinde difficilius erat efficere ut tam commodè conveniant cum τῇ, ἃ δεῖ γενέσθ ἐν τάχ. Quantùm verò ad eam viam cui ego faveo, ubi una res tam aptè ac neceſſariò alteram ſibi inuncat, Primum Tonitruum ſeptem Phialas, Tuba ultima ſeptem Tonitrua, Sigillum ultimum ſeptem Tubas, & primæ Sex harum Tubarum ſua Synchrona, ut Sex prima Sigillorum ſua, totum quodammodo *Viſionum volumen* unius adeò compagis eſt, unáq; res alteram tam continuatim ſequitur, ut ſtatim atq; primus eventus apparuerit, tota ſeries rectè dici poſſit incipere, &, ſi citò, citó. Tam parum Repugnantiæ habet *Medana* Methodus cum τῇ, ἃ δεῖ γενέσθ ἐν τάχ.

Et poſtremò, Cùm tam clarè demonſtraverim *Apocalypſin* ante *Domitiani* Tempora S. *Johanni* non fuiſſe communicatam, ac proinde Applicationem hanc *Sigillorum* ac *Tubarum* ad excidium *Hieroſolymitanum*, non ſolùm duram eſſe (prout quivis videre poteſt modò examinaverit) ſed etiam impoſſibilem, viſionibus ſic poſt eventum contingentibus; iſtáſq; res propterea ex eorum numero eſſe non poſſe ἃ δεῖ γενέσθ ἐν τάχ, quippe quæ jam præterierant, non autem erant futura; cúmq; coactus hic locutionis uſus hujus ſolius expoſitionis causâ ſit, cui ſi ſeriò adhæreretur, efficeret ut *Apocalypſis* prorſus eſſet inexplicabilis, & ex conſequenti Eccleſiæ inutilis, immò ineffabile damnum ipſi inferret, eam ſpoliando illuſtri illo *Divinæ Providentiæ* pignore: Hæc ſanè omnia ſimul ſumpta, momenti credo infinito majoris eſſe ad perſuadendum nobis vulgari illi ac antiquæ τῇ, ἃ δεῖ γενέσθ ἐν τάχ, quam in principio nominavi, interpretationi adhærere, quàm novellæ huic quæ non niſi recèns admodum inventa eſt ad ſuffulciendas iſtiuſmodi *Apocalypſeos* expoſi-

tiones

tiones quæ non ſolùm admodum duræ ſunt ac coactæ, ſed prorſus impoſſibiles.

Atq; hoc vel plus ſatìs credo fore ad amolienda omnia veritati præjudicia, quæ cujuſquam animum occupare poſſint ex his verbis perperàm intellectis, & ad efficiendum ut ſine omni hæſitantia atq; mora irrefragabilem perſpicuitatem agniturus ſit earum Expoſitionum *Apocalypſeos*, quas ego ipſi ante oculos propoſui.

CAP. XXII.

1. *Mirabilis Perfectio* Reformationis *Eccleſiæ* Anglicanæ *in Doctrinis ſuis ac Inſtitutis.* 2. *Quòd* Invocationem Sanctorum *planè condemnat tanquam* Idololatricam; 3. *Ut &* Adorationem Sacramenti *ſive* Hoſtiæ, *ubi mos noſter in genua aſtandi inter communicandum vindicatur.* 4. Cultus Imaginum *per eam Condemnatio.* 5. *Rationem colendi* Sanctos *&* Imagines *eandem eſſe concludit apud* Pontificios *quæ olim erat apud* Paganos. 6. *Libera ejus juſtáq; cenſura de* Ornatu Imaginum, *prætextúq; quòd* Libri *ſint* Laicorum. 7. *Quàm perfectè nos liberaverit à jugo illo* Ægyptiaco *quod nobis* Papiſmi *temporibus incubuit.* 8. Dierum Feſtorum Celebratio, obſervatio Quadrageſimæ, uſus Superpellicii, *ſenſu Eccleſiæ* Anglicanæ, *ab omni Superſtitionis aut* Antichriſtianiſmi *Imputatione vindicantur.* 9. *Quòd Superpellicii uſus ob nullas rationes* Politicas *in Eccleſia noſtra retinetur, ſed ex mera charitate, cum vindicatione uſûs* ſigni Crucis *in* Baptiſmo.

1. POſtquam veram Naturam *Ideámve Antichriſtianiſmi* tam clarè demonſtravimus, apertéq; probavimus iſtiuſmodi *Antichriſtianiſmum Antichriſtúmve* qui delineatus ſit in iſta *Idea*, eum ipſum *Antichriſtum* eſſe quem *Prophetiæ* in ſacris Scripturis præfigurant, vel prædicunt, progrediendum nobis jam eſſet ad magìs articulatam Applicationem dictæ *Ideæ* ac *Prophetiarum* ad ſtatum Eccleſiæ, ab eis temporibus quibus in hunc *Antichriſtianiſmum* lapſa ſit, ad hunc uſq; diem. Cæterùm cùm hoc inſtitutum nimis prolixum ſit ac moliminoſum, minúſq; meo ingenio gratum qui longè majorem voluptatem capio in vindicando malè tractato amico, quàm ungues ingerendo haud bene olentibus ulceribus aut *Peregrini* aut *Inimici profeſſi*; Hâc ſaltem vice, eâ ſolâ parte *Applicationis* contentus ero quæ Eccleſiam *Anglicanam* Reformatam attingit. Quâ nullus dubito quin eam liberaturus ſim ab omni Imputatione ſuſpicionéve quaſi rea eſſet, ulla in re, *veri* ac *realis Antichriſtianiſmi*, in *Doctrinis* ſuis aut Inſtitutis. Unde manifeſtò apparebit quàm parùm ad illam ſpectet libera hæc ac fidelis *Antichriſtianiſmi* delineatio, niſi quòd hinc occaſionem capere debeat gratias agendi Deo humillimas ac ferventiſſimas, qui inclytos illos *Heroas* tam obſirmatâ animi fortitudine ac judicio munire dignatus eſt ad tam felicem mirabilémq; perficiendam *Reformationem*, in qua nihil jam reliquum eſt, nullum membrum, minimúſve Articulus inviſæ illius ac deteſtandæ Imaginis *Ideæve Antichriſti* quam deſcripſimus, nullæ *fraudes* aut *adulterationes* Evangelii Chriſti in rem *Mundanæ Eccleſiæ*, & ad Sacerdotium alendum ex *mendaciorum mercatura* & impoſturarum. Quod effecturum fuiſſet ut quemvis ingenuum hominem puderet illius *Ordinis* ſeu *Profeſſionis* inveniri: Cùm jam è contrà niſi aliqua in animo latitet Prophanitas, meritò hoc genus vitæ exiſtimare poſſit Perſonæ ſuæ honori fore ac ornamento. Quòd autem hæc *jactantia* non ſit ſed *pura puta veritas*, percurrendo ſingula membra *Antichriſtianiſmi* (ſive *Privativos* ſive *Poſitivos* Evangelii *fines* oppugnantia, quæ in *Idea* propoſui) breviter evincam.

2. Quorum è primo genere primum eſt *Idololatria*, *In Invocatione Sanctorum* & *Angelorum*, in *Adoratione Sacramenti* ſive *Hoſtiæ*, & in *cultu Imaginum.* Qua in re tametſi univerſalis Eccleſiæ *Anglicanæ* uſus praxíſq; abundè eam liberet à craſſis hujuſmodi criminationibus, non abs re fore tamen cenſeo, in majorem illius honorem, ratam & declaratam ejus de hujuſmodi rebus ſententiam in lucem proferre, ut toti mundo innoteſcere poſſit, quàm ſanum ſincerúmq; cor habeat in hiſce ſummi momenti Religionis Articulis.

De Invocatione igitur *Sanctorum* (cum imaginum cultu) quòd apertè eam con-

damnet, ſatis conſtat ex *Libro Articulorum.* Ubi *rem* * *futilem doctrinam iſtam appellat, inaniter confictam, & nullis Scripturarum Teſtimoniis innixam*, immò verò *Dei verbo repugnantem potiùs ac contradicentem.* Tantum abeſt ut ſuper illud ſit fundata. Et ſecunda pars *Homiliæ* de *Oratione*, huic rei probandæ tota inſumitur, nempe, *quòd ad nullum preces noſtras dirigere debemus præterquam ad ipſum Deum.* Ubi præclara profectò afferuntur argumenta eò ſpectantia, ubíq; planè declarat *Chriſtum ſolum noſtrum Mediatorem eſſe & Advocatum*, quemadmodum facit etiam in *Liturgia*, ad præcidendum omnem prætextum orationes fundendi ad *Sanctos*; punctímq; tandem ac compendiosè concludit, *Invocationem rem eſſe Deo propriam, quam ſi Sanctis tribuamus, malè ſonat & in ipſorum* contumeliam, *quam à nobis illatam æquo animo ferre non poſſunt.* Quod perinde eſt ac ſi judicaret, *Idololatriam.* Quid enim aliud eſt *Idolatria* quàm illius cultus præſtatio *Creaturæ* qui *ſoli* convenit *Deo?* Ac proinde cum Sacrificio *Paulo* per Paganos *Lyſtræ* oblato comparat. Quódq; receptio Divini Honoris in contumeliam redundet cujuſcunq; Creaturæ quæ eam receperit, abundè aliàs notavimus.

*Artic. 22. *Hic verò mitior Eccleſia ſententia eſt, quod de Purgatorio, de Reliquiis, & de Indulgentiis aquè ac de Sanctorum Invocatione & Imaginibus, ſimul pronunciat.*

Lib. 1. cap. 12. v. 3. ſect. 4.

Non niſi unum jam ampliùs urgebimus locum, eúmq; explicitum admodum & magni momenti. Argumentum ſic eſt: *Invocatio ſive Oratio fieri non debet ſine Fide in eum quem invocamus, ſed debemus priùs in eum credere quàm preces noſtras ad eum fundamus; unde conficitur unum ſolúmq; Deum nos orare debere. Nam ſi quis diceret quòd in Angelum Sanctúmve credere debeamus, ullámve aliam cuicunimodi Creaturam, horrenda omninò eſſet adversùs Deum Blaſphemia.* Hic locus notatu eſt digniſſimus, claráq; Demonſtratio quòd *Invocatio Sanctorum* aperta *Idololatria* ſit, itáq; ab Eccleſia Anglicana habita, utpote quæ planè agnitionem ejuſmodi Excellentiæ ſupponit quæ nuſquam reperiatur niſi in ſolo Deo. Nec putari poteſt Sancta noſtra Mater Eccleſia eam *Idololatriam* minùs exiſtimare, ex eo quòd appellet *Blaſphemiam*, quandoquidem omnis *Idololatria* talis eſt, & ſæpenumero ſic appellatur in Scriptura, quemadmodum ſuo loco notavimus.

Lib. 1. cap. 5. ſect. 13.

3. Jam verò quantùm ad ſecundam *Idololatriæ* ſpeciem, *Adorationem Hoſtiæ*, quæ panem *Tranſubſtantiatum* ſupponit, ſuam *apertè* ſententiam declarat adversùs tum *opinionem* tum *praxin.* Ut in libro Articulorum; *Panis & vini Tranſubſtantiatio in Euchariſtia ex ſacris literis probari non poteſt; ſed apertis Scripturæ verbis adverſatur, Sacramenti naturam evertit, & multarum Superſtitionum dedit occaſionem.* Unde rectè & demonſtrativè concludit, *Sacramentum Euchariſtiæ non ſervandum eſſe, circumferendum, elevandum, nec adorandum.* Nemo enim eſt qui *Hoſtiam* adorare poteſt ex præſumptione quòd *Chriſtus ſit*, cui *Divinus* debetur Honor, quin ipſo facto ſit *Idololatra*, quemadmodum alibi fuſiùs demonſtravi. Et rurſus in eodem libro expreſsè declarat, *Miſſarum ſacrificia quibus vulgò dicebatur Sacerdotem offerre Chriſtum in Remiſſionem pœnæ aut culpæ pro vivis & defunctis, blaſphema Figmenta eſſe & pernicioſas Impoſturas.* Cujus veritas facilè intelligi poteſt ex eis quæ ſcripſimus in *Idea Antichriſtianiſmi* de *Idololatria* abuſúq; Perſonæ ac officii Chriſti in hoc enormi errore.

Artic. 28.

Artic. 31.

Et in *Homilia* de *Sacramento*, Miſſas Pontificias expreſſim *Idololatriæ* accuſat, eámq; imputat ignorantiæ naturæ Cœnæ Dominicæ. *Quæ cauſa extitit craſſæ hujus Idololatriæ, niſi ignorantia illius?* (nempe Cœnæ Dominicæ.) *Quæ cauſa extitit harum Hiſtrionicarum Miſſarum, niſi illius ignorantia?* Et paulo pòſt, *Demus igitur operam Cœnæ Dominicæ ità intelligendæ ut in cauſa non ſimus, quòd cultus Dei minuatur aut exoleſcat, nec occaſio ſit ullius* Idololatriæ, *nec ullarum mutarum Miſſatiuncularum, ulliúſve odii aut malitiæ*, &c. Quibus omnibus addere potes id quod in *Liturgia* noſtra ad calcem *Communionis* annectitur, viz. *Quòd Sacramentalis Panis atq; Vinum manent adhuc in ipſis naturalibus ſuis ſubſtantiis, ac proindę adorari non debent (illa enim Idololatria foret ab omnibus fidelibus Chriſtianis deteſtanda): Et naturale Corpus Sanguiſq; Chriſti Servatoris noſtri, in cœlo ſunt, non autem hîc; quippe quòd contra veritatem eſſet naturalis corporis Chriſti, ut in locis uno pluribus ſit uno eodémq; tempore.* Quæ quidem *Rubrica* ſummo cum judicio & fidelitate in *Liturgiam* noſtram interſeritur, ſuæq; interſertionis finem mihi plenè aſſequi videtur. Nemo enim, opinor, tam *craſſæ ignorantiæ*, aut tam *apertæ malitiæ* eſſe poteſt, ut prætendat poſt tam *manifeſtam* Eccleſiæ noſtræ *declarationem*, quòd ipſe aut alius quiſquam *Idololatriæ* reus eſſe poſſit ob humilem illam *Poſituram aſtandi in Genua* dum recipit Sacramentum.

4. Et poſtremò, quantùm ad *Imaginum cultum*, à nulla Eccleſia contra rem ullam magis ſeria fieri poteſt Proteſtatio, quàm contra enormem hanc Impietatem à noſtra eſt facta. Ut omittam quàm bene eas perſtringat in *libro Articulorum*; in Liturgia quidem

quidem earum cultoribus *maledictionem* apertè *denunciat*, *Maledictus homo qui facit ſculptile & conflatile ad colendum illud.* Et in *Homilia adversùs periculum Idololatriæ*, cum fervido quidem ſed irreprehenſibili prudentíq; zelo copiosè invehitur contra ipſam *præſentiam Imaginum* in Eccleſiis, tales intelligo quæ cultûs quoquo modo capaces videantur, immò contra *ipſam* fabricationem *Imaginis Dei, ulliúſve Perſonæ* è ſacroſancta *Trinitate*, immò *ipſius Chriſti*, ut qui *verè Deus* eſt, contendens *nullam fieri poſſe Imaginem Chriſti, quæ non ſit Imago mendax, cùm Chriſtus Deus perinde ſit atq; Homo. Quamobrem quantùm ad Divinitatem, quæ pars longè eſt præſtantiſſima, cùm nulla ejus Imago fieri poſſit, falsò appellatur Imago Chriſti. Ac proinde Imagines Chriſti non ſunt tantùm defectus, ſed & mendacia.*

Neq; hîc ſanè ſubſiſtit, ſed argumentum urget, ídq; profectò non ſine judicio, contra *Imagines Sanctorum*; *quorum Animæ, pars ipſorum excellentiſſima, per nullas*, inquit illa, *Imagines repræſentari poſſent aut exprimi.*

Cæterùm de collocatione *Imaginum* in Templis, cum ſancta quadam zelotypia affirmatiſſimè contendit, peccatum eſſe contra ſecundum Præceptum, hanc addens rationem, *Quòd ſic ſemel collocatæ ſtatim colebantur, & etiamnum coluntur, ſempérq; colentur, quódq; eo ipſo abominanda evadent Idola, ab iſtis Paganorum nihil differentia, quippe quæ ex materia fiunt eadem cum ipſis, eaſdémq; Homines opiniones habent de Sanctis quibus eriguntur, quas Pagani de ſuis Numinibus habebant, eiſdémq; eos colunt ritibus ac ceremoniis.* Et ut oſtendat eandem habere Opinionem de *Sanctis* quam *Pagani* de variis ſuis *Numinibus*; iſtiuſmodi *Sanctos* qui Regnorum Cuſtodes ſiant, *Diis* Paganorum *Tutelaribus* comparat; Cujuſmodi erat *Belus Babyloniis, Oſiris & Iſis Ægyptiis, Vulcanus Lemniis: Sanctos Civitatum* Cuſtodes *Diis* eorum *Præſidibus*; Cujuſmodi erat *Apollo Delphis, Minerva Athenis, Juno Carthagini* & *Quirinus Romæ:* Et poſtremò *Sanctos* in *Templis* locatos, *Jovi* in *Capitolio*, & *Dianæ* in celeberrimo illo *Templo Epheſi.*

Et quantùm ad *Sanctos* qui in *diverſis locis Imagines* habebant, cum *Domina Walſingamienſi, Domina Ipſuicenſi, Domina Wildonienſi, Venerem Cypriam, Venerem Paphiam*, & *Venerem Gnidiam* confert; cum Numinibus marinis *Neptuno, Tritone, Nereo* & *Venere*, S. *Chriſtophorum*, S. *Clementem*, & Beatam *Virginem*; cum *Vulcano* & *Veſta* Numinibus Ignis, S. *Agatham.* Et poſtea innuens quemadmodum in antiquo Paganiſmo, Amorum negotia, Bellorum, Morborúmq; in Hominibus ac Brutis, variis aſſignarentur *Numinibus*, ità & in Religione *Pontificia Sanctis* variis aſſignari; in hanc tandem vehementiſſimam pariter ac Religioſiſſimam Exclamationem prorumpit, *Ubi interim Divina Providentia debitúſq; Deo honor? qui dicit, Cœli mei ſunt, & terra eſt mea, totus mundus & quæ in eo exiſtunt universa. Ego do victoriam, ego in fugam verto. Niſi ego Civitatem cuſtodiam, fruſtrà vigilat cuſtos. Tu Domine & Homines conſervabis & Beſtias. Nos verò nec Cœlum, nec Terram, nec Aquam, nec Regionem, nec Civitatem, nec Pacem Bellúmve ipſi reliquimus quæ regat & moderetur, nec Homines, nec Beſtias, nec Morbos quos curet. Ità ut vir pius præ ferventi indignatione meritò exclamare poſſit, O cœlum! O terram & maria! In quam veſaniam, impietatémq; homines inciderunt! Heu, quantam Creaturæ Creatori ſuo ac Conditori impingunt contumeliam!* nempe ſupponendo quaſi, Deum aut non poſſe res humanas adjuvare, aut eis adjuvandis non vacare, & religioſam reponendo *fiduciam* in eis *Sanctis*, quos invocant, quæ tamen ad neminem pertinere poteſt præterquam ſolum Deum.

5. Et quantùm ad *rationem colendi has Imagines Sanctóſque, Quî fit*, inquit illa, *ut more Idololatrarum Gentilium, Incenſum adoleant, aurúmq; offerant Imaginibus, grallas, catenas, & naviculas, crura, brachia, virósq; integros, & mulieres ex cera confictas ante Imagines ſuſpendant, ac ſi per iſtas, Sanctóſve, utì illi aiunt, à Claudicate, Ægrotatione, Captivitate, Naufragióve liberati eſſent! An non hoc eſt colere Imagines, tam ſeveriter in Dei verbo interdictum?* Et paulò pòſt pleniùs & vehementiùs; *Quamobrem cùm videamus viros fœminásq; peregrinationes catervatim facere ad Imagines, eiſq; in genua procidere, manúſq; ante eas attollere, Lucernas accendere, Incenſum adolere coram eis, aurum argentúmq; eis offerre, naviculas, grallas, catenas, viros, fœminásq; cereas coram ipſis ſuſpendere, Sanitatem Incolumitatémq; quæ Dei dona ſunt, iſtis, Sanctiſve, quod illi malunt, quos repræſentant, attribuentes; qu's, inquam, dubitare poteſt, quin hi noſtri Imaginum cultores ac Patroni, dum in omnibus Opinionibus Idololatricis & externis ritibus ac Ceremoniis cum Idololatris Paganicis conveniunt, conveniant etiam in committendo maximè abominandam, quæ fieri poteſt, Idololatriam?*

Equidem quod ad me attinet, ingenuè fateor me ea de re non omninò dubitare, ac proinde ab hiſce locis aliiſq; ejuſdem naturæ multis in excellentiſſima hac Eccleſiæ noſtræ *Homilia* paſſim occurrentibus, *de Idololatria* & *Imaginibus*, haud ità arduum penſum eſſe exiſtimo probare talem ſtatum Eccleſiæ qualis hîc deſcribitur, eſſe *ipſam Imaginem Beſtiæ* in Apocalypſi prædictam, quemadmodum quivis ex antecedenti noſtro *Tractatu* facilè poteſt deprehendere.

Cæterùm non detrectabo operam tranſcribendi unum alterúmq; inſuper locum; ut iſtum nimirum, de præclaro illo facinore pii Regis *Hezekiæ* in confringendo *Serpente æneo* (poſt abuſum illius ad *Idololatriam*) quamvis ex ſpeciali Dei mandato erectus fuiſſet, adeóq; myſtica eſſet ipſius Servatoris Figura. *Quomodo*, inquit illa, *cenſetis pium illum Principem ſi nunc in vivis eſſet, noſtra hæc Idola tractaturum, quæ contra* expreſſum Dei mandatum eriguntur, nec ullius rei figuræ ſunt niſi ſtultitiæ, ſtultorúmq; ſpectacula quæ fixis oculis tantóq; affectu aſpectent, quouſq; haud magis ſenſati evadant quàm ipſa Ligna ſtipitéſve quos intuentur, atq; ſic in hoc obtutu ad inſtar obſtupefactarum alaudarum prolabantur, cúmq; ipſi vivi ſint, inanimes tamen truncos lapidéſve venerentur, aut Aurum Argentúmve; itáq; coram Deo vivo abominabiles evadant & execrabiles Idololatræ?*

* *Apertè hic declarat Eccleſia ſententiam ſuam, quam modeſtiùs inſinuat Artic. 22. Ipſáq; ſcriptura Idola nunc* τὰ μάταια *nunc* βδελύγματα *appellat.*

6. Et rurſus; *Jam verò quantùm ad immodicas Imaginum Idolorúmq; decorationes pigmentis & deaurationibus, quantúmq; ad ſumptuoſarum veſtium ornatus, margaritarum lapidúmq; pretioſorum; ad quid, obſecro, tendit iſtud niſi ad majorem incitationem illectationémq; ad Fornicationem ſpiritualem, quòd Meretrices ſpirituales tam ſumptuosè laſcivéq; ornentur? Quod Eccleſia Idololatrica ſatìs profectò intelligit. Quippe quæ, cùm non ſolùm reverà Meretrix ſit (quemadmodum Scriptura eam appellat) ſed fœda, lutulenta ac rugoſa Meretrix (ut quæ jam grandæva eſt) ſuúmq; naturæ veræq; pulchritudinis defectum perſentiſcat, magnámq; quam ex ſe faceret nauſeam & faſtidium, talium idcirco Meretricum more ceruſsâ faciem oblinit, decorátq; ſeipſam auro, margaritis, gemmis & omni genere ornamentorum pretioſorum, ut externâ horum pulchritudine & ſplendore fulgidâ ineptam ſtolidorum ſuorum Amaſiorum imaginationem oblectet, eóq; pacto eos alliciat ad ſpiritualem fornicationem cum ipſa committendam.* Ubi manifeſtiſſimum eſt, quòd Eccleſia *Anglicana* (ídq; profectò cum veritate & judicio) innuit Eccleſiam *Romanam Apoſtaticam* per Typum *Meretricis Babylonicæ* præfigurari, quemadmodum ſuprà in præſenti hoc Tractatu demonſtravimus. Huícq; cenſuræ conſequens eſt & conſentaneum quod in ſequenti Pagina occurrit, *Proculdubio Propheta* Daniel *capite undecimo, hujuſmodi ſumptuoſas Imaginum decorationes Auro, Argento & pretioſis Lapidibus, Regni Antichriſti notam eſſe declarat.* Ubi nemo prorſus dubitare poteſt quin alludatur ad illa verba Prophetæ, ואלה מעזים, *Nam ad Deum*, vel *unà cum Deo*, Mauzzimos *in ſede ejus honorabit; cum Deo ſcilicet quem non agnoverunt majores ejus, auro eos colet & argento & lapide pretioſo, rebúſq; pretioſis.* Quod apprimè convenit illi hujus Prophetiæ ſenſui quem nos ſuprà tradidimus.

Verſ. 38.

Cap. 11 *ſect.* 6, 7.

Et quantùm ad vulgarem illum Prætextum pro *Imaginibus*, Quòd *libri* ſint *Laicorum*, ſeveriter quidem reprehendit tam ineptam & ſophiſticam Defenſionem: *Verùm, apagite*, inquit illa, *pudendos illos colores ac palliationes Idololatriæ, de libris ſcripturíſq; Imaginum ac Picturarum ad docendos Idiotas, immò verò ad faciendos Chriſtianos, Idiotas, meróſq; Fatuos, inſulſáſq; Pecudes. Soléntne homines, obſecro, cùm eoſdem libros domi habeant, peregrinationes ſuſcipere, ad* Romam *ac* Compoſtellam, *ad* Hieroſolymam, *conſimiles libros quærendi causâ quibus doceantur? Num lucernas accendunt ſub meridie libris ſuis? Num Incenſum adolent Aurúmve ac Argentum, aliáq; dona ipſis offerunt?* Et paulò pòſt; *Quamobrem appellent, quodcunq; ipſi volunt, evidentiſſimum eſt ex Factis eorum quòd libros ſcripturáſve alias non faciant, quàm quæ maximè fœdam horribilémq; doceant Idololatriam, quemadmodum illi qui iſtiuſmodi libris utuntur, quotidianâ ſuâ praxi comprobant. Proh libros & ſcripturas! in quas Magiſter Diabolicus, immò ipſe Satanas nefarias lectiones impiæ Idololatriæ meticuloſis ſuis diſcipulis* (οἱ δοῦλοι appellantur in *Apocalypſi*) *& ſcholaribus inſcripſit, ut eas inſpicerent, legerent, diſcerent ad immenſum Dei dedecus & horrendam ſuiipſorum damnationem!*

Et poſtremò, Orationis vela complicatura tandem ſic concludit: *Vera Religio Deóq; grata non conſiſtit in fabricandis, erigendis, pingendis, deaurandis, veſtiendis mutis emortuiſq; Imaginibus (quæ nihil aliud ſunt quàm majuſculæ quædam Pupæ ac Icunculæ quibuſcum grandævi Fatui per delirium impiámq; Idololatriam ludant ac nugentur) nec in oſculandis ipſis, capitéve coram ipſis aperiendo, aut procidendo in genua, Incenſum adolendo, accendendo Lucernas, ſuſpendendo Crura, Brachia, integráq; corpora*

corpora Cerea coram ipſis, aut orando petendóq; ab ipſis aut à Sanctis, talia quæ penès Deum ſolum ſit dare. Verùm omnia illa vana ſunt & abominabilia, maximéq; execrabilia in conſpectu Dei. Quippe quum omnes hujuſmodi non ſolùm pecuniam operámq; inaniter impendunt, ſed labore ſumptúq; Dei iram extremámq; indignationem ſibi lucrantur, æternámq; damnationem Corporis pariter atq; Animæ. Et paulò pòſt ; *Quamobrem horrenda Dei ira terribiliſſimúmq; nobis imminens periculum evitari non poteſt ſine deſtructione plenáq; abolitione Imaginum & Idolorum ex Eccleſia Templóq; Dei. Quod ut perficiatur, Deus in mentem indat omnibus Chriſtianis Principibus, Amen.*

Tam liberè, fervidè peritéq; Eccleſia *Anglicana Romanam* Religionem craſſæ *Idololatriæ*, in omnibus illis partibus quas in *Idea* recenſui, condemnat. Neq; reliquit profectò inſtituítve ullam Conſuetudinem aut Ceremoniam quæ ullam gerat ſimilitudinem ullámve habeat cum tam nefario crimine cognationem. Adeò uſquequaq; ſanè inculpabilis eſt quantùm ad primam hanc partem *Antichriſtianiſmi*, quæ eſt Eccleſiæ Chriſti per Paganicam quandam *Idololatriam* Pollutio.

7. Jam verò ad ſecundam *Antichriſtianiſmi* partem quod attinet, ſecundo Evangelii ſcopo privativo oppoſitam, qui eſt *Judaicorum Inſtitutorum & Ceremoniarum fugi amotio*, in quorum loco *Antichriſtus* ingentem cumulum ac colluviem ſuperſtitioſarum Opinionum, Rituum & Ordinationum (quæ onus reperiuntur non ſolùm Lege *Moſaicâ*, ſed & ipsâ Tyrannide *Ægyptiacâ* intolerabilius) introduxit ; quæro, An non Eccleſia *Anglicana* Decreto *Regiæ Majeſtatis* hujus Nationis nos à tam miſera ſervitute liberavit? Cujus nunc torquetur patientia & excruciatur attendendo ad ſpectacula muta, Miſſáſque, quemadmodum rectè in *Libro Homiliarum* vocantur, *Perſonatitias* vel *Larvaticas*, ubi propter ignorantiam linguæ nè hilum quidem *vitæ* & *devotionis* Auditori adminiſtratur? Cujus jam artus defatigantur longis ſuſceptis Peregrinationibus ſuperſtitioſis, quò domo exulans & chariſſimâ uxore & liberis, inanimem aliquam Statuam Imaginémve, *Romæ*, *Compoſtellæ*, aut *Hieroſolymæ* ſalutet? Cujus jam Anima Corpúſve læditur ſtolidis ac temerariis *Cœlibatûs*, aut *Sacerdotalis* aut *Monaſtici*, votis? Cujúſve Uxor aut Filia per Hypocriticos ejuſdem profeſſores violatur? Cujus nunc pectus extorſione *Confeſſionis Auricularis* in ludum & oblectamentum profani aut Hypocritici Sacerdotis, & clandeſtinam pœnitentis injuriam effringitur & expilatur? Cujus mens jam aut ſtupefit aut diſtrahitur per nimis ſecuram fidem & inevitabilem diffidentiam animíq; inquietudinem circa *incredibiles* immò *impoſſibiles Opiniones?* Ecqua modeſta Matrona jam conſternatur ex Melancholica iſta Imaginatione, quòd *gravida* ſit *puero* ac *Diabolo* ſimul, quódq; fœdus ille ſpiritus (cujus proprius locus Infernum eſt) quoties gravida ſit, in illius ventre ſtabuletur? Ecquis ad eam mentis inopiam nunc adigitur ut in *Monachi Cucullum* irrepat quò abſcondat ſe defendátq; ab irati Dei præſentia? *Cauddmve* Aſini oſculetur, quò in gratiam redeat cum ſuo Triumphanti ſeſſore? *Nam in aliquibus locis* (ait ea *Homilia*) *cauda Aſini cui Dominus Jeſus Chriſtus inſedit, inter alias reliquias offertur ad oſculandum:* Ad quod in juſtam hanc fervidámq; Exclamationem erumpit ; *O impios, effrontes, & duriſſimi Oris homines, qui has res adinvenerint! O ſtupidos, ſtolidos & meticuloſos Homunciones, Brutóſq; magis quàm ipſe Aſinus cujus caudam oſculabantur, qui fidem iſtiuſmodi rebus adhibuerint!* Ubi non poſſum quin iterum notem, quàm rectè hæ *Idololatriæ* & *Superſtitiones* in *puſillanimitatem* quandam ac *meticuloſitatem* reſolvantur, quámq; congruenter deſcriptioni eorum qui in *Apocalypſi* excluduntur à *ſancta Civitate*, quorum primus character eſt δειλοὶ, *Timidi*, (non quidem ob timorem illum qui ignavorum animos occupat in Bello, ſed ob terriculamenta illa quibus homines in Religione dementantur) idémq; ſonat atq; δειλιδαίμονες, *Homines* nempe quorum *animi debilitantur timidiq; redduntur vi ſuperſtitionis.*

Sed ut pergamus, vel potiùs abrumpamus ſermonem ; Nam & faſtidioſum eſſet & ſupervacaneum ſi omnes illas partes hîc repeterem quibus in Deſcriptione hujus membri *Antichriſtianiſmi* immoratus ſum. Quum olim factum ſit ut abjectiſſimo inceſſu ad Cruces *exorcizatas* proreperent, ut *Rationis lumen aquâ luſtrali* incantatíſq; oleis *extinctum* haberent & ſuffocatum, *Oculos obſcuratos* præſtrictóſve pompâ *Hiſtrionicâ* Indumentíſq; larvaticis Sacerdotum, Fidémq; abuſam ut vim aliquam mirificam ipſis ſubeſſe crederent propter eorum incantationes & conſecrationes, ut & multis aliis rebus exorcizatis ; cùm intempeſtivâ *extremæ Unctionis* adminiſtratione vexarentur, *ſordidóq;* tenerarum *narium auriúmq; Infantis* illitu in *Baptiſmo* ; cùm miſeris exercerentur luctis corpus læſum inter & illaqueatam Conſcientiam, *de abſtinentia à cibis*, & numeroſitate & ſuperſtitione obſervationum Dierum

rum Sanctis conſecratorum; cùm expoliarentur hominum animæ fructu *Paſſionis Chriſti* maximè conſolatorio, dum eis perſuadere volunt *illius ſatisfactionem* non ad *Pœnam* ſed ad *Reatum* tantùm tollendum pertingere; & poſtremò cùm homines vix mentis compotes eſſent præ metu horrendi illius Figmenti, *Infernalis* cujuſdam *Purgatorii*, corporáq; ferè excoriarentur barbaris Paganicíſq; *Flagellationibus Proceſſionariis*: de his omnibus quæro, aliíſq; quibuſcunq; quæ *Antichriſtiani*, aut *impoſiti Oneris* aut *Impoſturæ* ſpeciem præ ſe gerant (ad ſecundum hoc membrum *Antichriſtianiſmi* pertinentibus,) an non Cura & Fidelitas, an non Judicium incorruptum ac indelibata Probitas Pietáſq; Sereniſſimorum Reverendiſſimorúmq; noſtrorum *Reformatorum*, tanquam lutum ſtercúſq; Superſtitionis ejecerit penitus univerſa?

8. Verùm objicies, *Sanctorum Feſta* adhuc celebramus; obſervamus adhuc *Quadrageſimam*, *Superpellicia* adhuc in uſu ſunt, *Signúmq; Crucis* in *Baptiſmo*. Cæterùm ad hæc facilè brevitérq; reſpondeo. Levis enim & trivialis eſt Accuſatio, & quæ nè ad minimam quidem *Antichriſtianiſmi* labeculam aſſurgit.

Quantùm enim ad *Sanctorum Feſta* in Eccleſia noſtra, nec multa ſunt, quò eorum Obſervatio oneroſa evadat, nec *Idololatricè ſuperſtitioſéve* obſervantur, cùm nullus cultus Religioſus eis exhiberi ſoleat, nullum Templum Altaréq; eis dedicari, nec preces ad eos fundi, ſed honorifica tantùm virtutum eorum mentio fieri, in noſtram Imitationem. Qua in re Eccleſia noſtra admodum explicitè agit, ſuámq; Autoritatem Autoritati adjungit S. *Auguſtini*, declarando, *Nec Templa nec Eccleſias extrui aut fabricari debere Martyribus Sanctiſve, ſed Deo ſoli, nec ullos Sacerdotes conſtitui Martyribus Sanctiſve, ſed Deo ſoli*: ut videre licet in ſecunda parte *Homiliæ* adversùs *Periculum Idololatriæ*. Atq; is qui legerit præcepta quæ tradidit de obſervatione horum Feſtorum in *Conſtitutionibus* ſive *Canonibus Eccleſiaſticis*, ſuam tantùm Impietatem proditurus eſt ſi adeò Religioſo Inſtituto contradicat. Illius enim Injunctio eſt, *ut Diem Dominicum cæteróſq; Dies Feſtivos juxta Regulam Divinæ voluntatis & Eccleſiæ Anglicanæ Inſtituta celebremus, in audiendo nempe Dei verbo, tam lecto quàm prædicato, in privatis publicíſq; precibus faciendis, in peccatis Deo conſitendis & eiſdem emendandis, in charitate cum proximis (ſicubi læſa fuerit) reconcilianda, in ſacra communione corporis & ſanguinis Dominici frequentanda, in pauperibus juvandis & ægrotis viſitandis, piam omnem & ſobriam Converſationem interim adhibentes.*

Can. 13.

Et nunc quidem quantùm ad *Quadrageſimam*; Quòd Eccleſia noſtra nullius conſcientiæ laqueum injiciat de diſcrimine ciborum, manifeſtum eſt ex eo quod occurrit apud eminentiſſimum illum Præſulem, *Jewellum*, Epiſcopum *Salisburienſem* in defenſione ſuæ Apologiæ (Libro per autoritatem publicam unicuiq; Eccleſiæ imperato) ubi dictum illud præſtantiſſimum memorat *Tertulliani*; *Deus ventre non colitur, nec cibis, quos Dominus dicit perire, & in ſeceſſu, naturali lege, purgari. Nam qui per eſcas Dominum colit, propè eſt ut Dominum habeat ventrem ſuum.* Is cujus Religio adeò carnalis eſt, parùm diſtat ab eis qui ventrem faciunt Deum. Et in eadem Pagina de ſuo philoſophans apertè dicit; *Piſcium carniúmve diſcrimen nihil moramur, ſed mentis onus, & Conſcientiæ laqueum.* Ipſáq; Eccleſia in *Homilia de jejuniis* declarat, Nullam omninò eſſe ſanctitatem in cibis, rémq; eſſe in ſe indifferentem ſive eſu piſcium *Quadrageſimam* obſervemus, ſive omnimodâ cibi abſtinentiâ uſq; ad noctem, ubi cibum quemlibet promiſcuè liceat comedere. Obſervationémq; *Quadrageſimæ* per abſtinentiam à carne fundamentum habere merè Politicum, & conſtitutum eſſe per Magiſtratum ad Incrementum Opſoniorum, Boum, Oviúmque, in majorem copiam meliorémq; Pauperibus Proviſionem, ad Claſſes etiam commodiùs inſtruendas, Oppidáq; Maritima ditanda Piſcationibus, quò populoſiora fiant meliúſq; parata ad repellendum Hoſtem, ſi qua fortè fiat Invaſio. Quæ admodum honeſta profectò ſolidáq; ratio eſt, cur à carne abſtineamus in Jejuniis *Quadrageſimalibus*, piſcibúſq; veſcamur, & ab omni Papiſmo & Superſtitione remotiſſima.

Part. 2. *Cap.* 14. *Divis.* 1.

Tertio, Quantùm ad *Hiſtrionica* ac *Pompatica* Sacerdotum *Veſtimenta*, nemo ea poteſt aut magis ſeriò condemnare, aut magis ſalsè lepidéq; deridere quàm noſtra fecit Eccleſia in illa nunquam ſatis laudata *Homilia* contra *Periculum Idololatriæ*. Ubi poſtquam notaverat quòd *Lactantius* Ethnicorum Idola *Pupis minuſculis*, quibuſcum puellulæ ludere aſſolent, comparet, quódq; dicta Idola, nihil ſint aliud quàm *Pupæ* quædam *majuſculæ*, quibuſcum grandævi Fatui ludant; *Eccleſiæ noſtræ*, inquit illa, *Pupis ejuſmodi majuſculis plenæ ſunt mirum in modum decoratis & ornatis. Serta ac Coronæ capitibus ipſorum impoſitæ ſunt, Margaritæ pretioſæ circa colla ſuſpenſæ, digiti annulis rutilant quibus lapides pretioſi ac ſplendidi ſunt inſerti,*

ſerti, inanimáq; corpora & rigida veſtimentis auro rigidis veſtiuntur. Credas ſanè Sanctorum *Imagines Principes aliquos eſſe è Terra uſq;* Perſiæ *hùc appulſos, ſuperbo ſuo ornatu inſignes;* Sanctarum *verò Idola delicatulas quaſdam & elegantulas Meretriculas Amaſios ſuos ad laſciviam proritantes. Quibus rebus* Sancti *Dei non quidem honorantur ſed turpiſſimè dehoneſtantur, eorúmq; Pietas, Sobrietas, Caſtitas, Mundanarúmq; opum & vanitatum Contemptus deturpatur; & in dubium vocatur per monſtroſas haſce decorationes à pia ſobriáq; ipſorum vita immane quantum differentes.* Et tunc demum adjicitur quod ad ipſum ſpectat Sacerdotem; *Et ut totum ſcenæ ſpectaculum omnibus numeris expleatur, non ſufficit Idola ſic decorare ſed tandem intrant ipſi Sacerdotes Auro Gemmiſq; ſimiliter adornati, (ut idonei utiq; ſint horum Dominorum Dominarúmq; famuli & congruentes iſtiuſmodi Deorum ac Dearum cultores) tardóq; ac ſolenni inceſſu coram aureis hiſce Pupis prodeunt, humiq; procidunt in Genna ante honorabilia hæc Idola; móxq; ſurgentes Odores & Incenſum ipſis offerunt, nimirum ut populo Duplicis, hoc pacto, Idololatriæ exemplum edant, dum non nudum Idolum, ſed etiam Aurum réſq; alias pretioſas, quibus ornatum eſt, tam ſubmiſsè adorant.* Quid expreſſius contra hujuſmodi Ornamenta Hiſtrionica dici poteſt?

Verùm reſpondebis, Quid hoc interim ad *ſuperpellicium?* Equidem res eſt tantilli momenti ut è memoria ferè eſſet elapſa. Quid, obſecro, *Antichriſtianiſmi* illîc potes diſpicere, modò ſatìs candidum ſit atq; mundum? Annon ipſa Agni Sponſa in *Apocalypſi* cooperiri dicitur byſſino ſplendenti & candido? Putáſne verò ſtylum Propheticum *Chriſti* Sponſam tali Habitu, quæ nota ſit *Antichriſti*, adornaturum? Quamobrem manifeſtum eſt nec *Superſtitionem* ſimpliciter eſſe nec *Antichriſtianiſmum*, album candidúmve geſtare veſtimentum, quamvìs nullum ſit veſtimentum quin ſuperſtitiosè uſurpari poſſit, paríq; ſuperſtitione rejici. *Conſecrare, exorcizare* ſive *incantare* veſtimenta, quæ Sacerdotes geſtent, quemadmodum fit in Eccleſia *Apoſtatica*, palpabile quoddam eſſet genus *Superſtitionis*, ullámve in eis ſanctitatem agnoſcere: Hæc verò res eſt contrà quàm Eccleſia noſtra apertè proteſtatur, utpote quæ in ſuis *Conſtitutionibus Eccleſiaſticis* de Veſtitu præſcripto planè declarat, *ſe id non agere in formis veſtitûs præſcriptis ut ullam veſtibus ipſis ſanctimoniam aut præcipuam dignitatem tribuanus, ſed ut gravitas, decorum atq; ordo per omnia conſerventur.* Can. 74

9. Et certè imaginari hoc genus Ornamenti in Clero noſtro *Anglicano*, faſtui ipſorum gratificando inſervire, acceptioréſve ſe reddere ſtudere apud populum ob externam hanc habitûs ſpeciem, quò illis magìs requiſitis eſſentialibúſq; Animi Ornamentis tutiùs careant, admodum imbecille quidem eſt & citra omnem rationem ſuſpicio. Quomodo enim cenſeri poſſunt ſibi tantoperè placere in tali veſtimento, aut acceptiores ſperare ſe fore apud Populum ob iſtiuſmodi Ornamentum quod illi adeò conſpurcatum coinquinatúmq; autument ex uſu, per tot ſecula, iſtius *Mulieris Apoſtaſiarum?* Quamobrem inſpice, quàm penitiſſimè voles, nunquam ſanè diſpicies vitia illa *Antichriſtiana Superbiæ* aut *Hypocriſios* in ulla vel arctiſſima plica nivei hujus veſtimenti latitantia. Quod niſi adeò candeſceret ut oculos tuos perſtringat eorúmq; obtundat aciem, *Antichriſtianiſmi* loco, duas ſelectiſſimas Chriſtianarum Gratiarum illius uſu involutas detegere poſſis, *Charitatem* intelligo & *Humilitatem.*

Nam proculdubio *Heroici* noſtri *Reformatores* non quidem, ut in more eſt apud quoſdam, ex malevolentia quadam ac protervitate res adminiſtrabant, vel affectui proprio indulgebant ſuíve animi impetuoſitati, ſed cùm pars eſſent *caſtæ Sponſæ Chriſti*, *Eccleſiæ verè Apoſtolicæ* noſtri omnium *Matris*, agebant ut *Mater* cum eis omnibus qui ſe *Eccleſiæ Chriſti* quoquo modo *Filios* profiterentur, ac proinde nolebant eos dividi ultrà quàm neceſſe eſſet. Unde factum eſt ut Eccleſia noſtra ex ſpiritu *Charitatis* teneræq; Indulgentiæ in rebus aliquibus in ſe indifferentibus eò ſe demiſerit ut levem aliquam ſimilitudinem ac convenientiam cum lapſa illa *Romæ* Domina ferre non recuſaret, ut hoc pacto deceptos illius Amaſios ad purum Dei cultum revocaret. Quæ morigeratio illius, prudénſq; ac humilis ad aliorum captus ſui attemperatio, pulchrum ſanè per aliquot annorum ſpacium ſortita eſt effectum, *Catholicique*, ut amant appellari, in publicæ *Liturgiæ* Celebratione ſe nobis adjungebant, uſq; dum imperioſa illa *ſeptem montibus inſidens Mulier* (quæ ex omni occaſione prodit ſe non *Matrem* quidem eſſe, ſed *Meretricem* illam quæ nihil penſi habet quin Infans vivus dividatur) *Romano-Catholicos Anglicanos* ab æqua hac & Chriſtiana *Communione* violenter avulſiſſet. Et tamen nihilominus necdum ceſſat Eccleſia noſtra benignâ hâc ac Chriſtianâ Civilitate ſuavíq; Morigeratione erga

ipſos

ipſos uti, quò eos alliciat ad talem cultum qui ex omni parte æquè decorus ſit atq; iſte *Pontificiorum*, & ſimul abſq; omni noxa aut *Superſtitionis* aut *Idololatriæ*.

Quæ quidem moderatio, dum mecum reputo, quamdiu adhibita fuerit, nec vel minimum apud hujus Nationis *Catholicos* obtinuerit effectum, equidem non poſſum quin eum aut ingenii tardiuſculi aut injuſti cenſeam, qui tertiam virtutem Chriſtianam in matre noſtra, Eccleſia *Anglicana*, prioribus ſuperadditam non ſtatim ſit agniturus: Inexpugnabilem intelligo ac invincibilem *Patientiam*, cùm per totum hoc
Rom. 10. 21. Tempus nec querelam illam Prophetæ aſſumpſerit, *Toto die expandi manus meas ad populum contumacem & contradicentem*, firmúmve illud Apoſtolorum Propoſitum,
Act. 13. 46. Judæorum contumaciâ defatigatorum, *Quoniam indignos vos ipſos judicatis æternâ vitâ, ecce convertimur ad Gentes.*

Poſtremò, Quantùm ad *Crucis ſignum* in *Baptiſmo*, eadem ferè ratio eſt quæ de hoc ultimo, niſi quòd illius uſus maturiùs obtinuerit in Eccleſia, unde propter Antiquitatem factum eſt venerabilius; & ob eam ipſam cauſam retinetur, utì etiam propter ipſius Ceremoniæ ſignificantiam, verùm abſq; omni detrectatione ipſi Sacramento, quippe quod ſine eo perfectum completúmq; agnoſcitur. Addam etiam illud Tempeſtivum eſſe nunc ut maximè, cùm *Paſſio Servatoris* adeò vili-fiat támq; fœdè proculcetur à novo hominum genere qui in cordibus ſuis *paganiſſant* quanquam linguam tingunt externis phraſibus ac locutionibus *Chriſtianorum*. Cæterùm nihil opus eſt ut nimis ſoliciti ſimus hac in re, cùm tam ampliter ſatisfactum ſit ſcru-
Canon. 30. puloſis in libro *Eccleſiaſticarum Conſtitutionum*. Ac proinde pergemus nunc ad eas *Antichriſtianiſmi* partes quæ *poſitivos* Evangelii *fines* oppugnant.

CAP. XXIII.

1. *Quàm ex Diametro oppoſita ſit Eccleſia noſtra illi* Antichriſtianiſmi *parti quæ* Regale *ac* Propheticum *Chriſti Officium ſubverteret*; 2. *Ut & illi quæ* Sacerdotale *officium impetit.* 3. *Eam nihil tenere adversùs cæteros illos Chriſti Titulos ſacros*, Veritatem, Vitam, Lucem, *&c.* 4. *Demonſtrativa vindicatio* Epiſcopatûs *ab imputatione* Antichriſtianiſmi, *ex ipſa* Apocalypſi *petita.* 5. *Quantùm ad ſtabilimentum Coronæ Eccleſiæq;* Anglicanæ *iſte liber faciat ſi rectè intelligatur.* 6. *Nullam poteſtatem* Papalem *aut* Presbyterianam *de jure ſupra Regem eſſe nè in cauſis quidem Eccleſiaſticis.* 7. *Eccleſiæ* Anglicanæ *ſententia ſuper hac re.* 8. *Peculiaris gloria Eccleſiæ noſtræ quòd adeò in ſolidum immunis ſit omnium Fraudum & Impoſturarum.* 9. *Illius à Superbia* immunitas; 10. *Ab Antichriſtiana* Impuritate; 11. *Et à* Crudelitate. 12. *Reformatio illius eminens Impletio ſpecieminalis* Reſurrectioni Teſtium. 13. *Hujus* Vindicationis *utilitas ad* Papiſmum *ſupprimendum atq;* Schiſma.

1. QUæro igitur de tribus illis notiſſimis Chriſti officiis *Regali*, *Sacerdotali* & *Prophetico*, an non Eccleſia noſtra admodum fidelis eſt hac in re ac ſincera? nec ullorum iſtiuſmodi *oppugnationum* clandeſtinarúmve contra ipſa *machinationum* aſtricta, quas in *Idea Antichriſtianiſmi* recenſuerim? Num Eccleſia noſtra prætendit ſe *infallibilem* eſſe, aliarúmve jactitatæ *Infallibilitati* ullo modo connivet conſen-
Artic. 21. títque? Immò verò, an non apertè declaravit, *Generalia Concilia quia ex Hominibus conſtant, qui non omnes Spiritu & Verbo Dei reguntur, & errare poſſe & interdum errâſſe etiam in his quæ ad Deum pertinent*; *ideóq; quæ ab illis conſtituuntur, ut ad ſalutem neceſſaria, neq; robur habere neq; autoritatem, niſi oſtendi poſſint è*
Artic. 20. *ſacris literis eſſe deſumpta?* Et in antecedenti Articulo affirmat, *Non licere Eccleſiæ quicquam inſtituere quod Verbo Dei ſcripto adverſetur, nec unum Scripturæ locum ſic exponere ut alteri contradicat.* Et poſtremò concludit, *Quòd licet Eccleſia ſit Divinorum librorum Teſtis & conſervatrix, attamen ut adversùs eos nihil decernere, ità præter illos nihil credendum de neceſſitate ſalutis debet obtrudere.* Ad quem ſenſum
Artic. 6. etiam loquitur in alio Articulo de Divinarum ſcripturarum ſufficientia; *Scriptura ſacra*, inquit illa, *continet omnia quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ità ut quicquid in ea non legitur neq; indè probari poteſt, non ſit à quoquam exigendum, ut tanquam Articulus Fidei credatur aut ad ſalutis neceſſitatem requiri putetur.*

Aliáq; rurſus eódem ſpectantia profert in excellentiſſima illa *Exhortatione ad ſtudium*

dium legendi intelligendiq; ſacram Scripturam. Ubi quàm contentiſſimè ſingulos invitat ad diligentem illius perlectionem, declarans, *In ſacris Scripturis plenè contineri quid debeamus agere, quid evitare & quid amplecti, & quid tandem à Deo expectare :* Optimámq; rationem eas intelligendi indicat, in Paragrapho digno quidem qui literis ſcribatur aureis, prope finem primæ partis illius *Homiliæ. Et in legendo Dei verbo,* inquit illa, *is non maximè proficit, qui libri folia promptiſſimè vertere nôrit, memoritérve teneat, ſed is cui illud maximè converſum ſit in ſuccum atq; ſanguinem,* hoc eſt, *qui ſancto Spiritu maximè ſit inſpiratus, maximè in corde vitáq; mutatus in eam rem quam legit, qui minùs minúſq; indies ſuperbus ſit, minùs iracundus, minùs avarus minúſq; mundanarum vanarúmq; voluptatum cupidus, qui quotidie (veterem vitioſæ vitæ relinquens conſuetudinem) majores ac majores in virtute faciat profectus.*

Et in *ſecunda parte* dictæ *Homiliæ* filios ſuos præmunit animátq; contra impedimenta illa & obſtacula quæ falſa illa ac perfida Eccleſia ipſis in viam injecerit, de inſuperabili Scripturæ difficultate & obſcuritate, exhortans eos ut Dei opem implorent in legendis ſacris literis, ſtrenuè ipſis confirmans, modò ſeduli ſint ac ſerii, ſi qua in re hæſitent, Deum ipſis aut virum aliquem pium ac prudentem miſſurum eſſe, (quemadmodum *Philippum* miſit Eunucho Prophetas legenti) qui eos doceat, aut ipſum cœlitùs eorum mentibus lumen eſſe immiſſurum, eáq; edocturum quæ eis neceſſaria ſint, quorúmq; ſint ignari: addens porrò ex S. *Chryſoſtomo, Quòd humana mundanáq; ſapientia vel ſcientia ad intelligendam Scripturam non ſit adeò neceſſaria, ſed Revelatio Spiritûs ſancti qui verum ejus ſenſum eis inſpiret, qui cum humilitate & diligentia eum inveſtigaverint.*

Et poſtremò concludit, *Nullos eſſe Lectioni Divini verbi Inimicos, niſi tales qui aut ità ignari ſint, ut neſciant quàm ſalubris res ſit, aut tam ægroti ut medicinam averſentur maximè refocillatoriam quâ poſſint ſanari, aut deniq; tam impii, ut id aprimè cupiant ut populus adhuc maneat in cæcitate & ignorantia Dei.* Quàm ex Diametro oppoſitus ſit hic noſtræ Eccleſiæ *Genius Antichriſtiano* illi *ſpiritui,* quem ex *Oppugnationibus* ſuis clandeſtiníſq; *molitionibus* adversùs *Regale* ac *Propheticum* Chriſti Officium deſcripſi, cuivis internoſcere obvium eſt cui libeat comparare.

2. Et quantùm ad officium *Sacerdotale,* quod injuriâ contumeliáq; afficitur, multiplicando *Mediatores,* prætendendo *oblationem ipſius corporis Chriſti* in *Miſſa,* derogando virtuti illius *Sacrificii* quod ipſe fecit pro peccatis Mundi, quaſi non ad *Pœnam* ſed ad *Reatum* tantùm ſe extenderet, ſingulíſq; per impoſitas mulctas pœnáſq; pro ſeipſis ſatisfaciendum eſſet, aut in hac vita aut in Purgatorio: Quod ad primum attinet, illud jam probavimus noſtræ Eccleſiæ Doctrinæ prorſus adverſari. Illéq; unicus Articulus, cujus partem contra *Tranſubſtantiationem* jam citavimus, abundè nobis confirmabit ejus rejectionem duorum poſteriorum. *Oblatio Chriſti ſemel facta,* inquit illa, *perfecta eſt Redemptio, propitiatio & ſatisfactio pro omnibus peccatis totius mundi, tam Originalibus quam Actualibus. Neq; præter illam unicam eſt ulla alia pro peccatis Expiatio.* Et tum ſequitur, *Unde Miſſarum ſacrificia, quibus vulgò dicebatur, Sacerdotem offerre Chriſtum in remiſſionem pœnæ aut culpæ pro vivis & defunctis, blaſphema Figmenta ſunt & pernicioſæ Impoſturæ.* Vide etiam Articulum de *Hominis Juſtificatione,* & *Homiliam* de *Salute* & *bonis Operibus.* Verùm hæc adeò nota eſt Eccleſiæ noſtræ Doctrina, ut ſupervacaneum ſit ulteriorem operam inſumere ad probandum eam ab illa aſſeri ac defendi.

Artic. 31.

Artic. 11.

3. Quantùm ad oppugnationes aliorum *Titulorum Chriſti* in ſexto capite ſecundi libri *Ideæ Antichriſtianiſmi* memoratorum, manifeſtum eſt eas ad Eccleſiam noſtram nihil attinere. Neq; enim nos in *Mendaciis, Legendariis falſiſq; Miraculis* mercaturam facimus, contra ſacrum Titulum *veritatis,* nec operam damus *detinendo Populo in Scripturarum ignorantia,* & in tenebras claudendo, contra ſacrum Titulum *Lucis,* neq; contra ſacrum *vitæ* Titulum peccamus, conſtituendo Religionem noſtram ex *mutis ſpectaculis* ſurdorúmq; Rituum ac Ceremoniarum acervis, nec *Divinitati Chriſti* derogamus, Religioſum *cultum exhibendo Sanctis* atq; Angelis, nec *Paternitatem* illius offendimus fingendo *filios illius* cœtum eſſe *ſtipitum* atq; *lapidum,* auferendo ipſis *judicium diſcretionis,* cogendóq; eos *credere* ut *Eccleſia credit,* ſeu rectum ſeu ſecùs, ſive cum Scriptura ſive contrà; tantúmq; abeſt, ut *vita* ullius *filii Dei* per nos periclitetur ob ullam captioſam impiámq; ſanctionem, ut nihil profiteamur ad ſalutem neceſſarium præterquam quod conſpicuum ſit ex Scriptura, quemadmodum apparet ex eis quæ jam ex Eccleſiæ *Articulis* ſunt allata; Quod quidem ſolum eam vindicaturum eſt ab imputatione ſequentium partium *Antichriſtianiſmi* contra *Pacem* Regni Chriſti. Et quantùm ad *Abſolutionem Principum à Juramentis,*

quæ unquam Eccleſia præterquam *Romana* tam blaſphemam ſibi aſſumpſit poteſtatem?

4. Proxima Antichriſtiana Oppugnatio & quæ occurrit Capite proximo, eſt contra *Divinam vitam* in Genere. Cujuſmodi eſt *Idololatria*, *omnéq;* Genus *Superſtitionis*, *muta Spectacula*, *Linguæ ignotæ uſus in ſacris*, *inanium pœnarum in realis Pœnitentiæ locum*, *vitæq; emendationis ſubſtitutio*; contra quæ omnia Eccleſia noſtra tam apertè proteſtatur in *Articulis* ſuis & paſſim in *Homiliis* ac tam aſſeveratè, ut citandi ipſe mihi non faceſſam negotium. Quidam fortaſſis minùs bene animati proclives eſſe poſſunt ad imaginandum Officium *Epiſcopale* Reditúſq; majorem habere cognationem cum iſta *Hypotheſi* ſub finem Capitis, quàm quivis homo moderatus unquam ſit judicaturus. Oportet enim admodum ignarum eſſe ſtatûs Orbis Chriſtiani qui non planè videat in illa Hypotheſi Hierarchiam *Papalem* omninò adumbrari. Quod rurſus ſit pleniùs magíſq; particulatim, in Capitibus nono & decimo. Etenim quantùm ad me, quamvìs ſingulorum Epiſcopatuum hujus Nationis valores ſatìs accuratè non calleam, dum amplitudinem tamen Diœceſium, grandéq; pondus tum *curæ* tum *ſumptûs* in Functione hac condignè adminiſtranda, ipſe mecum reputo, equidem credere non poſſum, quin officii Onus Redituum valori ubiq; ſit præponderaturum. Et in Evangelio legimus, *Dignus enim eſt Operarius mercede ſuâ.* Et quod ipſum Officium Dignitatémve ſpectat, mihi nunquam perſuaderi poteſt quòd ille Ordo Eccleſiæ qui *Symmetris* illius temporibus conſtitutus erat obtinuítque, vel ullâ Rationis ſpecie aut Conſcientiæ *Antichriſtianus* queat cenſeri. Eccleſiam verò *Symmetram* fuiſſe quadringentis circiter annis poſt Chriſtum natum, Conſectarium eſt è *Co-expoſitione* noſtra planè demonſtrabile. Eáq; *Co-expoſitio* tam certa atq; evidens, ut nullius Scripturæ Interpretatio certior eſſe poſſit aut evidentior.

Luc. 10. 7.

5. Unde non poſſum quin demirer, quòd ullus genuinus Eccleſiæ *Anglicanæ* filius, adeò caveret ab *Apocalypſi*, tantoperéq; ſibi ab ipſa metueret ut eam tangere non auſit ſine *manicis Hybernicis* ab ipſo *Grotio* conſutis, nè mordeat; hoc eſt, niſi explicetur vel potiùs implicita magìs fiat & involuta, per inſcitas abſurdáſq; *Grotii* Interpretationes. Neq; enim uſquam extat Liber qui magìs facit ad ſtabilimentum *Coronæ Eccleſiæq;* *Anglicanæ* quàm ſacer hic liber *Apocalypſeos*, ſi rectè ſolidéq; intelligatur; id quod prudens ille ſagáxq; Princeps *Jacobus* beatæ Memoriæ Rex, maturè deprehenderat, eâq; perinde uſus eſt adversùs uſurpationes Eccleſiæ *Romanæ*. Et certè nihil ego in *Apocalypſi* invenio, quamvìs ſtylus *Myſticus* videatur & *Ænigmaticus*, quod rationi non ſit admodum conſentaneum, eámq; conſidero tanquam *fideliſſimum* maximéq; *Philoſophicum* Scriptum quod ab ulla manu unquam ſit exaratum. Cujus quidem rei delibationem quandam habemus in Catalogo iſto qui malos eorum characteres complectitur qui è ſancta Civitate excluduntur; Ubi *Zelus immanis* & *ſanguinolentus*, ut & *vanæ* ac *ſuperſtitioſæ Impoſturæ* tam apertè perſtringuntur, prior in φονεῖς, *Homicidæ*, poſteriores in φαρμακοὶ, & πᾶς ὁ ποιῶν καὶ φιλῶν ψεῦδος, *Magi*, *Exorciſtæ*, ſive *Incantatores*, & *mendaces Legendiſtæ*, & in δειλοὶ, *Timidi* & *meticuloſi Animi*, qui ex Superſtitione proclives ſunt ad ſe deluſionibus & mendaciis tam impudentum Deceptorum ſubmittendos. Hos *fidelis Animarum noſtrarum Redemptor* qui bonâ fide cum humano Genere agit, ut deluſas eorum mentes à Tyrannide & onere *Superſtitionis* liberet, nigro notat carbone *Infamiæ* & *Damnationis*. Tam conſtans amicus eſt Dominus *Jeſus*, Humanitatis, Æquitatis, Veritatis ac Rationis.

6. Sed enimvero ut iſta Viſionum *Apocalypticarum* loca (quæ ſanè non pauca ſunt) omittamus, quæ hanc ipſam rem innuunt, equidem ratio æquitáſq; omnium maxima eſt ut unuſquiſque Princeps Chriſtianus proximè ſub *Chriſto* ſupremum Caput ſit ſuper omnem eam Eccleſiæ *illius* partem cujus Rex ſit ſive Princeps, ſuper *Clerum* perinde atq; *Laicos*, in cauſis *Eccleſiaſticis* pariter atq; *Civilibus*, útq; nulla *Papalis* aut *Presbyteriana* Poteſtas ſupra eum ſit, prout *Anglicanus* noſter Epiſcopatus juſtiſſimè & ex profeſſo ei ſe ſubmittit. Cur enim ulli *Clerici* à Principe expectarent qui æquè pretioſam fidem cum ipſis receperit, ut poteſtate minuatur ex quo factus ſit Chriſtianus? Quod perinde injuſtum eſt, atq; eſſet ridiculum imaginari procerum quemq; hominem tantum de naturali ſua ſtatura perdere debere, quouſq; humilior breviórve fiat Sacerdote qui eum baptizaverit. Chriſtianitas enim Naturam Poteſtatémve non tollit, ſed ritè ordinat rectéq; eis utitur.

Putáſne fieri potuiſſe ut Imperatorum Paganicorum quiſquam ad fidem Chriſtianam converſus eſſet ſi Epiſcopus *Romanus* Imperii Principatum ſibi vendicâſſet quatenus factum ſit Eccleſia Chriſti? An non potiùs ſuſpicaturi fuiſſent prædicationem *Regni cœlorum* Sacerdotum technam fuiſſe quâ ſe *Terræ Dominos* conſtituerent? Immò enimvero

enimvero *Princeps* ſemel factus *Chriſtianus*, hoc eſt, unus ex eorum numero qui fidem Apoſtolicam verbo Divino perſpicuíſq; illis communitérq; confeſſis Religionis noſtræ partibus comprehenſam credunt & profitentur, Perſona eſt tam ſacra ut nihil ſupra illius Principatum ſcandere poſſit in ſuis propriis Dominiis. Nam *unctio Spiritûs* quâ credimus ad ſalutem, infinitò ſanctior eſt quàm ullum *Oleum* externum *Sacerdotale* cujuſmodicunque. Cur igitur *fons* tam *ſacer caput* eſſe non poteſt, *vitæq;* ac *motûs origo*, in rebus Eccleſiæ adminiſtrandis? utérve major eſt, Chriſtus ut *Sacerdos* an ut *Sanctorum Rex?* Quive ſuperioritatem in *Judæorum* Politia obtinebant, *Pontifices* an *Reges Iſraëlis?* An non verò Politia illa Typus erat ſeu figura Eccleſiæ Chriſti?

Lex Chriſti *manifeſta*, prorſus *immutabilis* eſt, & ſic certè eſſe debet. Nemo in terris circa vel unum illius apicem poteſt diſpenſare. Quantùm verò ad Interpretationum Opinionum, Rituúmq; ac Ceremoniarum Cultûs Divini Autorizationem, aut hæc in Chriſtiani *Principis* poteſtate eſt non autem in *Sacerdotis*, aut Regnum ſuum tutáq; illius Adminiſtratio non eſt in illius poteſtate. Hæc enim omnia juxta æternam Naturæ Rationíſq; Legem in illius manu eſſe debent qui ſupremus ſit Gubernator, alitérq; eſſe illius *Suprematui* planè repugnat. Nam qui habenas *Animarum* hominum tenet, *integras* regit *perſonas*. Et validiſſimæ habenæ ſunt illæ *Religionis*. Ac proinde ſiqua poteſtas à *Regia* diſtincta res Religionis adminiſtrandi jus, ultrà quàm cum Regis conſenſu ac approbatione, ſibi vendicaverit, iſta Poteſtas reverà *Rex* eſt, ipſéq; *Rex* poteſtas precaria, quæ huc illuc diffletur, effletúrq; tandem è Throno falſo halitu horum hominum Principatum Eccleſiæ ſibi vendicantium, quoties & quàm violenter ipſis placuerit.

Quamobrem, quemadmodum *manifeſta confeſſáq;* Chriſti *Lex immutabilis* eſt, ità quod *dubium* eſt meréve *Rituale*, ſuam *Interpretationem* habere debet, *Mutationem* aut *Continuationem* ad judicium delectúmq; cujuſq; Chriſtiani *Principis*, qui juſtè ac neceſſariò poteſtatem habet hujuſmodi res accommodandi ad Pacem, Tranquillitatem ac Proſperitatem Regni ſui. Nec habent ſanè Poteſtates Eccleſiaſticæ ullum jus affigendi Religioni Chriſtianæ rem ullam modo immutabili & eſſentiali, quæ non expreſsè declaratéq; in illa comprehenſa ſit ſecundùm Divinam Scripturarum Autoritatem. Summa enim illi Religioni injuria eſt quam *æternam* eſſe oportet ac *univerſalem*, ut vinciatur & aſtringatur aut Ritibus aut Opinionibus quæ *Temporariæ* tantùm ſunt aut *Topicæ*; aut ut errores & hallucinationes cæcæ *Antiquitatis*, tanquam Lex *Medorum* & *Perſarum* fiat magìs ſeriæ ac oculatæ *Poſteritati*; aut quæ ex *tranſitoria* aliqua *occaſione emerſerint*, ut omnes Importunitates ac Neceſſitates poſterarum rerum Eccleſiæ, ullarúmve illius partium, non valeant *deſcenſum* ipſi denuò imperare in *Abyſſum*, hoc eſt, ea abolere, quò Evangelium liberiùs currat & glorificetur.

7. Ac proinde apertiſſimè & cum judicio Eccleſia noſtra in *Homilia* de Jejuniis declarat, *Eccleſiam Dei nec debere nec poſſe obligari ulli Ordinationi nunc factæ aut in poſterum faciendæ comminiſcendæve per Autoritatem humanam, quin jure poſſit ob cauſas juſtas alterare, mutare, vel mitigare Eccleſiaſtica illa Decreta, ſeu Ordinationes, immò in totum ab eis recedere, eáſq; violare, quando tendunt aut ad Superſtitionem aut ad Impietatem, quando populum à Deo retrahunt potiùs quàm ullam in eis pariunt ædificationem.* Et in libro *Articulorum* rurſus planè aſſerit, *Traditiones atq; Ceremonias non omninò neceſſarium eſt eſſe ubiq; eaſdem aut prorſus conſimiles. Nam & variæ ſemper fuerunt & mutari poſſunt pro Regionum, Temporum, & morum diverſitate, modò nihil contra Dei verbum inſtituatur.* Et poſtremò ad calcem illius *Articuli*; *Quælibet Eccleſia particularis ſive Nationalis autoritatem habet inſtituendi, mutandi, aut abrogandi Ceremonias aut Ritus Eccleſiaſticos humanâ autoritate inſtitutos, modò omnia fiant ad ædificationem.* Quæ res tam diſpenſabilis & mutabilis naturæ ſi ordinari poſſint per poteſtatem à ſuprema cujuſlibet nationis Chriſtianæ poteſtate diſtinctam & independentem, immane dictu eſt quàm effrænes commotiones & confuſiones pariturum eſſet in Republica Chriſtiana, dum Aſinus ſtimulatur calcaribúſq; ſuffoditur ut per eam viam pergat, ubi Angelum Domini videt cum ſtricto gladio ad eum repellendum! *Artic.* 34.

Quamobrem tutiſſimum pariter eſt atq; juſtiſſimum, ut in omnibus rebus Chriſtianæ Religioni *prætereſſentialibus*, Magiſtratus ſupremus in ſingulis Nationibus Chriſtianis, approbandi ac rejiciendi jus habeat, nulliſq; Ritus aut Opiniones in Decreta abeant niſi per illius Autoritatem, ut penès Sacerdotes non ſit (quemadmodum eos adeò fideles Principi eſſe decet, ut ſi penès ipſos eſſet, nollent) docere decerneréve quicquam contra rem illius cujus ſubditi ſint, contráve incolumitatem,

pacem ac proſperitatem totius Reipublicæ, cujus ipſi pars tantùm ſint, ac proinde nullam poteſtatem habere debeant faciendi quicquam independenter à Principe, qui totius Patriæ communis Pater eſt, cujúſq; commodum, publicum commodum eſt communéq; omnium emolumentum. Quem igitur omninò oportet *caput* eſſe *Eccleſiæ* ſuper omnes cauſas & perſonas tam *Eccleſiaſticas* quàm *Civiles*, (quemadmodum Eccleſia noſtra manifeſtò agnoſcit) ut vitalis Influentia ex æquo ab eo fluat in univerſa membra ſuorum Dominiorum.

Hæc verò ſpeculatio eſt quæ tempeſtiviùs differri potuerit uſq; dum ad *Antichriſtianam* Oppugnationem veniſſemus primi ramuli *Divinæ vitæ*, qui eſt *Humilitas*, cui enormis Faſtus ac ſuperbia ſuprematûs *Papalis* tam manifeſta cum contumelia ac injuria adverſatur. Quòd nè minima verò *Antichriſtianiſmi* macula in ipſo Epiſcopatu ſit, abundè jam demonſtravimus.

8. Nunc verò quantùm ad illas Oppugnationes quæ *Fidem* impetunt *Divinæ vitæ* radicem, harum omnium Eccleſia noſtra adeò immunis eſt, (quemadmodum cuilibet conſtare poteſt cui libuerit eas recenſere) ut ſatis ſit hoc tantùm ſubindicâſſe. Supereſt ſolummodò ut opportunam hanc occaſionem non omittam triumphandi illius gratiâ; quòd adeò in integrum repurgata ſit à notoria iſta, licèt ſubtili ac verſuta, ſpecie *Antichriſtianiſmi*, illam *ſui-quærentem* intelligo *calliditatem* in iſtis doctrinis & conſuetudinibus, quæ tam *multæ* in Eccleſia *Romana* ſunt & tam *lucroſæ*, & tamen noſtra cœlitùs gubernata Reformatio ab eis omnibus nos penitus emundavit ac repurgavit. Cujus quidem rei conſideratio neceſſariò efficere debet ut Mater noſtra Eccleſia *Anglicana* pulchra admodum & amabilis videatur cuiq; ingenuo ac gnaro formarum ſpectatori, qui non poteſt quin gratias agat Deo ob debitum illud Judicium ac Fidelitatem quam Sereniſſimis Reverendiſſimiſq; noſtris Reformatoribus indiderit. Nec poteſt non magnæ eſſe animi ſatisfactioni probo cuiq; Sacerdoti ſeu Miniſtro Eccleſiæ, quòd nec *ſeipſum*, more Sacerdotii *Romani*, nec populum alat mendaciis, nec vel unam Panis buccellam ori indat per fraudes & impoſturas à *Laicis* ſuffuratam; quódq; quemadmodum operatur *in Evangelio*, ità *ex Evangelio* vivat, non autem ex *Figmentis* & ſcitè concinnatis *Fabulis*.

9. Ad oppugnationes etiam Divinæ Gratiæ *Humilitatis* quod attinet, quæ in capitibus nono, decimo, & undecimo recenſentur, quòd earum itidem Eccleſia noſtra immunis ſit, manifeſtius eſt cuivis qui conſideraverit quàm ut mihi opus ſit particulatim demonſtrandi operam ſuſcipere. Non ſolùm declaratur contra *Papæ Suprematum*, ſed & juratur, prout juſtum admodum eſt atq; æquum. Et tametſi peculiares quidam ſint *Clericorum* Habitus, tamen, quemadmodum ſuprà notavi, Eccleſia noſtra nullam eis rebus ineſſe ſanctimoniam, ſed ad decorem tantùm, ordinúmq; diſtinctionem adhiberi ex profeſſo declarat. Diſcrimen autem *Laicos* inter atq; *Clericos*, æquè antiquum eſt atq; ipſa Chriſtianitas, & non partem ſolùm ſed & integras eas Eccleſiæ ætates percurrit quas nos *Symmetras* ſolemus appellare. Adeò manifeſtum eſt nihil reliquum eſſe in Eccleſiæ noſtræ Anglicanæ conſtitutione quod ex ſua natura cœleſtem illam ac Chriſtianam virtutem *Humilitatis* Antichriſtianiter oppugnet. Quòd ſi Perſonas curioſiùs inſpectemus, quis obſtare poteſt quin Homo *Laicus* perinde ſuperbus ſit atq; *Clericus*, & *Presbyter* æquè ac *Epiſcopus*? Ità ut univerſos hoc pacto *Antichriſtianos* fieri neceſſe eſſet.

10. Et certè porrò evidens eſt nullas earum Oppugnationum cœleſtis Gratiæ *Puritatis*, quæ in duodecimo capite notantur, in Eccleſia noſtra reperiri. Nec id ſolum, verùm etiam credo nos poſſe (modò id fiat cum humillima gratiarum actione Omnipotenti Deo, quòd Heroicos noſtros *Reformatores* tam exquiſitâ Prudentiâ ac Judicio inſpiraverit) de eximia commodiſſimáq; rerum conſtitutione in Academiis noſtris, ſine vanitate gloriari. Ubi nulli *Cœlibatûs Voto* obſtringuntur, nec cellis includuntur ſolitariis, ut, ſi res tulerit, exotico aliquo habitu perſonati, cum verticibus raſis & circumciſis, vultúq; livido & obſtupefacto (tanquam aves quædam peregrinæ) oſtendantur, verùm ſub liberioribus magíſq; maſculis Legibus degunt magíſq; ingenuis Exercitiis occupantur, ſine *flagello* aut *Hypocriſi* ſuperſtitionis, eáq; eis ſtudia commendantur, quibus tempus inſumant, quæ animas verâ cognitione ac virtute exornent. Ubi etiam honeſtus frugalíſq; victus eis proviſus eſt quibus lubet corpora perinde atq; Animas in *Academiæ* pulvere ſepelire. Ad quod ſi natura aut vis aliqua Divinior eos idoneos fecerit, ſic eis agere licet cum honore, & ſi Cœlibatûs fortè tæduerit vitæve adeò privatæ, Univerſitatem relinquere poſſunt quandocunq; placuerit, ſine vel minimo dedecore aut ignominia. Quæ libertas ingenua & Chriſtiana, meo quidem judicio, multò præferenda eſt ſuperſtitioſæ ſervituti ac Hypocriſi Monaſteriorum *Pontificiorum*, ubi homines caveâ quaſi includuntur incarce-

ncarcerantúrve, tanquam tot Captivi Regis *Babylonis* tótve Myſtici *Pharaonis* Mancipia ad texendas neſcio quas Telas imaginarias *Operum ſupererogationis*, quibus locupletetur Eccleſiæ meritorum Theſaurarium; quæq; præſenti argento divendantur ad augendos reditus quibus ſuſtentetur Pompa hujus magnifici Regis *Ægypti*.

11. Poſtremò, quod ad iſtas maximè Antichriſtianas oppugnationes ſpectet, præſtantiſſimæ illius Gratiæ *Charitatis*, tantum abeſt ut *Anglicana* noſtra Eccleſia eam impugnet, ut egregium ſanè illius virtutis ſit exemplum, quippe quæ Doctrinas praxéſq; peſſimæ iſtius Eccleſiæ ultrà quàm neceſſe ſit, nuſquam condemnat, adverſámq; partem ad communionem ſuam optimis quibuſq; accommodationibus, ſuíq; ipſius ad ipſorum ingenia attemperationibus in publica *Liturgia*, ut quoquo modo aliquos ex ipſis veritati poſſit lucrifacere, invitat. Cùm è contrà *imperioſa* illa *Mulier* in *ſeptem montibus* ut *Regina ſedens*, expectat ut quiſq; eam versùs ſe inflectat, cùm ea interim ad nullam æquam conditionem ſe acclinatura ſit aut deſcenſura, ſed ut *Marpeſia rupes* rigida perſiſtat in propria ſua voluntate, mundanóq; commodo proſequendo, quantumlibetcunq; æternis *Dei* legibus rectæq; *Rationis* adverſentur.

Deinde quantùm ad truculentum illud ac ferinum Decretum de occidendis *Hæreticis*, eis nempe qui quicquam tenent contra dogmata illius Eccleſiæ, quanquam ea ipſa Dogmata expreſſæ Scripturæ planè repugnant; Quàm contraria *Antichriſtiano* huic ac *Diabolico* ſpiritui eſt Anglicanæ noſtræ Eccleſiæ Doctrina, quæ quemadmodum ſuprà notavi, declarat, *Nullam Eccleſiam Autoritatem habere decernendi quicquam quod ſacræ Scripturæ adverſetur, aut exigendi à quoquam ut credatur tanquam Articulus ad ſalutem neceſſarius*, ut videre licet in libro Articulorum. Artic. 20.

Nec ullam juſtam poſſunt pro deteſtanda hac crudelitate ex legibus Capitalibus hujus Regni adversùs Sacerdotes Pontificios ac Jeſuitas *Apologiam* contexere. Quàm immane enim hîc diſcrimen eſt quum hi ut perduelles adversùs legitimum ſuum Principem capite plectuntur, illi verò (quos *Hæreticos* vocant) quia nolunt perduelles eſſe adversùs Deum Dominúmq; *Jeſum Chriſtum?* nam quilibet *Idololatra* talis eſt, nec poteſt quiſquam ſe *Romanæ* Eccleſiæ ſubmittere, quin eo ipſo neceſſe ſit ut ſe ſubmittat *Idololatriæ*.

12. Equidem dum conſidero quàm probus fidelíſq; ſpiritus in libro *Homiliarum* aliiſq; ſcriptis Eccleſiæ noſtræ paſſim ſpiret, quámq; exquiſitè perfectéque, per prudentem rerum adminiſtrationem & ſanum ſolidúmq; judicium inclytorum noſtrorum *Reformatorum*, ab omni illa Impoſtura ac Impietate liberati ſimus quæ propriè dici poteſt *Antichriſtiana*, quomodóq; hujuſmodi homines, qui mente integrâ erant ac ſincerâ, ſaníq; in Fide judicii, per ſupremam Poteſtatem ad imperium evecti eſſent tum in *Eccleſia* tum in *Republica*, non poſſum profectò me abſtinere quin declarem me non omninò dubitare quin *Anglicanæ Eccleſiæ Reformatio*, in eam conditionem quam breviter repræſentavi, una eminens eſſet *ſpeciminalis Impletio vaticinii de Reſurrectione duorum Teſtium*, déq; voce illa de cœlo (hoc eſt, à ſuprema Poteſtate) dicente eis, *Aſcendite huc*. Nam ſinguli Prophetiæ apices exactè ad eventum poſſunt applicari, prout quivis deprehendere poteſt, cui libeat facere periculum. Ut præteream, tam illuſtrem Providentiam quàm eſt *Proteſtantium Reformatio*, nuſquam per ullam viſionem *Apocalypticam* prædictam eſſe, ſi non per viſionem hanc. Nullæ enim ex *Phialis* intra *Tubam ſextam* ſunt, ſicut *Teſtium Viſio* eſt, ſed intra ſeptimam univerſæ, quemadmodum ſuprà ſatis manifeſtò probavimus. Nec illæ ſanè *primam Reformationem* ſatis exprimunt in præcipius ſuis Circumſtantiis, nec ulla alia viſio præterquam hæc de *Reſurrectione Teſtium*.

Nec quicquam ſanè ſcio quod effecturum ſit ut quiſquam ſuper hac re hæſitet, niſi fortè ſit quòd *Teſtes* dicantur *poſt* tres Dies & dimidium reſurgere, hoc eſt, *poſt* tria tempora & dimidium, cùm *Reformatio* contigerit *intra* hæc Tempora, nempe *intra poſtremum ſemi-tempus*. Cæterùm nulla Obſervatio magis trita eſſe poteſt quàm hæc; Deſignationem ſcilicet Temporis in multas partes diviſi, niſi ſubindicatio aliqua ad alterutrum ſenſum *determinet*, ſignificare poſſe ſpacium Temporis aut *plenè jam finiti*, aut *finientis ſolummodo* in parte ſua ultima. Ut ſiquis dicat, *Poſt triduum mortis reſurrexit Chriſtus*, nemo poteſt illud intelligere de Chriſto mortuo per *integrum* Triduum, vel tres dies *integros*. Atq; pari modo, *Aliquot poſt menſes*, æquè commodè exponi poteſt *intra* aliquot menſes pòſt, atq; *poſt* aliquot menſes *in plenum* finitos. Et *Septuaginta* Interpretes expreſsè reddunt illud in *Geneſi*, במשלש חדשים μετὰ τρίμηνον, cùm genuinus ſenſus ſit *intra* tres menſes, vel tribus *ferè* menſibus pòſt, ut *Caſtellio* vertit, vel *cùm* tertius menſis *ageretur*, ut habet expoſitio marginalis apud *Vatablum*. Unde manifeſtum eſt quòd μετὰ non neceſſariò ibi innuit Tempus plenè elapſum, ſed ultimam illius partem tunc elabi. Atq; ſic Cap. 38. 24.

oportet

oportet eſſe in hoc *Vaticinio*, cùm *Reformatio* contigerit in *ſemi-tempore* ſive *ſemidie* ultimo. Adeò de facili amovetur hic ſcrupulus. Ac proinde applicatio ità ad amuſſim eventui congruit, ut nullus dubitem quin hæc viſio illius prædictio fuerit. Quod igitur debet Reformationem noſtram eò magìs ſacram reddere, eámq; hominibus Reverentiam incutere, ut nec violenter apertéq; illam adoriri auſint, nec occultiùs obliquiúſve corrumpere clàm ingerendo merces mucidas & ejectitias, quas pii noſtri prudentéſq; *Reformatores* reprobârunt jam olim longéq; ablegârunt.

13. Cæterùm hæc *Mantiſſa* injecta eſt ſuprà quàm ex pacto debebatur. Penſum antè abſolveram, quod utiq; erat ut probarem (& clarè id, ni fallor, & luculentè feci) Quòd divinitùs inſpirata Prudentia ac Judicium Sereniſſimorum, Reverendiſſimorum maximéq; Heroicorum *Reformatorum* Eccleſiæ noſtræ *Anglicanæ*, eam ab omni *Doctrina* profeſſáq; Praxi, quæ rectè propriéq; *Antichriſtiana* cenſeri poſſit, penitùs repurgaverit emundaveritque, quódq; nihil teneat nec injungat quicquam, quod verè *Catholicæ* & *Apoſtolicæ* Fidei adverſatur. Quæ juſta ac tempeſtiva illius vindicatio cum libera noſtra fideliq; veræ Naturæ ac *Ideæ Antichriſtianiſmi* deſcriptione, talis ſcilicet qualem ſacræ Scripturæ Vaticiniis prædictam demonſtravimus, ſimul conſiderata, non poteſt, utì ſpero, quin præclaro in æternum ei futurum ſit Remedio, tutóq; Alexipharmaco contra duos iſtos inviſos funeſtóſq; morbos Eccleſiæ, *Papiſmum* & *Schiſma*. Quem felicem laborum noſtrorum fructum pro infinita ſua miſericordia nobis largiatur Deus propter ſola merita Domini *Jeſu*. Amen.

FINIS.

EXPOSITIO

EXPOSITIO
PROPHETICA
SEPTEM EPISTOLARUM
AD
SEPTEM ECCLESIAS
ASIATICAS

Missarum, ab Eo

QUI EST & QUI ERAT & QUI VENTURUS EST.

Per *Henricum Morum* Cantabrigiensem.

Cantic. cap. 2. v. 4.

Quæ est ista quæ emergit ut Aurora, Lunâ pulchrior, splendentior Sole, & terribilis ut Exercitus cum vexillis?

Ezechiel. cap. 43. v. 10.

Tu, fili hominis, ostende Domui Israel domum istam, & erubescant propter Iniquitates suas, & metiantur exemplar.

LONDINI,

Typis *J. Macock*, Impensis *Johan. Martyn* sub Signo Campanæ, & *Gualteri Kettilby* sub Signo Capitis Episcopi in Divi *Pauli* Cœmeterio.

MDC LXXIV.

EXPOSITIO PROPHETICA
SEPTEM EPISTOLARUM
AD
SEPTEM ECCLESIAS
ASIATICAS
MISSARUM.

CAP. I.

Ad Myſticam *ſive* Propheticam *ſeptem Epiſtolarum ad* ſeptem *Eccleſias* Aſiaticas *miſſarum Interpretationem* Præparatio.

1. PONemus primùm, Quemadmodum duo illa ſubſequentia Vaticinia, *ſeptem* ſcilicet *Sigillorum*, *Libriq; aperti*, à principio Eccleſiæ uſq; ad ejus finem pertingunt: ità hoc *ſeptem Eccleſiarum* ab initio Eccleſiæ ad mundi uſq; finem pariter pertingere. Quod quidem conſentaneum videtur tum ex Natura ipſius Viſionis, tum ex ſubſequentibus Exemplis Vaticiniorum *ſeptem Sigillorum Libriq; aperti.*

Ponemus deinde, Quemadmodum manifeſtum eſt, *quatuor* è ſeptem Eccleſiis Nomina ſtatum aliquem conditionémve in qua ſint conſtitutæ, *Smyrna* ſcilicet, *Pergamus*, *Philadelphia* & *Laodicea*, diſtinctè ſignificare: ità oppidò quàm credibile eſſe *trium reliquarum* nomina ad aliquod quo illorum Natura ac Conditio illuſtretur itidem alludere, nempe *Epheſi*, *Thyatiræ* atq; *Sardis*; ſicut expreſſiùs in hujus noſtræ Expoſitionis progreſſu notabimus.

Denique, Quod æquè commodè, ſi non commodiùs, primo loco notari poterat; Senſus hic ſeptem Eccleſiarum *Myſticus*, quem nunc reddituri ſumus, cum ſenſu earundem *Literali* non omninò digladiatur, neq; ullam utilem earum Applicabilitatem ad opportunas laudes vel vituperationes quarumlibet Eccleſiarum particularium, in quovis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculo, quæ ob res conſimiles aut obnoxiæ ſint aut commendabiles, excludit. Verùm diſtincta Dei Providentia fidelíſq; ejus rebus Eccleſiæ ſuæ invigilatio *Myſticâ* hâc interpretandi ratione meliùs quàm aut *Literali* aut *Morali* illuſtrari poteſt atq; explicari.

2. Dividemus igitur totam Eccleſiæ Chriſti durationem (præſertim quatenus intra *Romani* Imperii limites ſita eſt, quod & alia *Apocalypſeos* Vaticinia præcipuè videntur reſpicere) in *ſeptem Intervalla*, primúmq; ſupponemus Intervallum finiri ubi ſecundum inceperit, nempe in anno decimo *Neronis*, Annóve Chriſti ſexageſimo tertio.

3. Quæ igitur Eccleſiæ *Epheſinæ* periodus cùm tam maturè exiverit, etiam triginta antè annos ferè, quàm *Johannes* ſcriberet Apocalypſin, egregiè profectò convenit cum loco illo cap. 1. v. 18, 19. ubi poſtquam Chriſtus ſe *primum* & *ultimum* declaraverit (quemadmodum & antea eodem Capite vocatur *qui eſt & qui fuit & qui venturus eſt*) Mortíſq; ſuæ ac Reſurrectionis mentionem fecerit, quódq; victurus ſit ad finem uſq; mundi ad res Eccleſiæ ſuæ adminiſtrandas; ſtatim ſubdit, *Scribe igitur quæ vidiſti, & quæ ſunt, & quæ ſunt poſthac futura,* (quod is expreſsè atq; immediatè *myſterium* appellat, *ſeptem Stellarum ſeptemq; aureorum Candelabrorum* ver. 20. quæ res eſt notatu digniſſima) hoc eſt, Scribe quæ *jam vidiſti*, vitæ tuæ præteritæ temporibus, nempe Eccleſiæ *Epheſinæ* ſtatum; Et *quæ ſunt*, ſtatum utiq; Eccleſiæ *Smyrnæum* in quo & ipſe conſtitutus es, illiúſq; deginſtas *amaritudinem* in hoc tuo in *Patmon* Inſulam exilio; (Decem enim perſecutiones jam tunc inceperant, ſecundáq; *Johannem* opprimebat) Et quæ ſunt *poſthac futura*, nempe ad mundi uſq; finem, in Reſiduo Periodi Eccleſiæ *Smyrnææ* & in Periodis reliquarum è
Apoc 6. 1. ſeptem Eccleſiis ſuccedentium. Atq; proculdubio *albi Equi Seſſoris Viſio* id quod tunc præteritum erat reſpicit, nempe primam Chriſti militiam poſt devictam mortem & glorificati corporis conſcenſionem; qui ſubſidiarias poſtea copias Apoſtolis Diſcipulíſq; ex alto demiſit, adjuvítq; adeò, illuſtréq; illud bellum primis Apoſtolicis temporibus inceptum tam feliciter ac gloriosè adminiſtravit, ut infinita hominum multitudo ſub poteſtatem obedientiámq; Evangelii etiam intra *Epheſinæ* Periodi ſpacium redigerentur.

4. Unde nullus ſcrupulus ſubeſſe poteſt quin *Epheſina* Eccleſia ſtatum Eccleſiæ præteritum repræſentare poſſit, niſi ob id ſolum quòd nimis abſonum videatur, Epiſtolam mittere ad Eccleſiam quæ tunc eſſe deſiviſſet. Hoc verò argumentum nullam vim apud eos habere poteſt qui ſeptem Eccleſias ſeptem ſucceſſivas Eccleſiæ conditiones ad mundi uſq, finem ſignificare autumant. Fac enim exitum Epheſinæ Eccleſiæ ultra *Johannis* tempora, putà ad annum Chriſti ferè centeſimum, ſe extendere, reliquæ tamen Epiſtolæ ſcriptæ erunt ad Eccleſias nondum exiſtentes, quaſdámq; earum ante centenos, immò verò ante millenos aliquot annos non extituras. Quod tamen iſti abſurdum exiſtimare non debent.

5. Breviſſima igitur hujuſce rei ratio hæc eſt; Spiritum Dei in hac ſeptem Eccleſiarum Viſione duo præcipua ſibi ſimul proponere videri. Unum ſummâ quâ poteſt efficaciâ, animare & urgere Eccleſiam *ad bene agendum, ad adhærendum veritati ac ſanctitati* per omnes præſentis vitæ calamitates ac pericula, eóſq; pariter deterrere ab omni genere peccati, cuicuimodi ſit, ac improbitatis, ſive à *Fide Apoſtaſia* ſit, ſive *Idololatria*, ſive *carnalium voluptatum* nimia *indulgentia*, morúmve ac bonæ diſciplinæ qualiſcunq; relaxatio. Cui Inſtituto Epiſtolaris hæc ratio admodum accommodata eſt, ut quæ formam præ ſe fert perſonalis cujuſdam cum hominibus colloquii, eóq; fortiùs animadverſionem eorum excitat, facítq; quodammodo vel invitos ad ea quæ dicuntur attendere. Alterum Inſtitutum, idq; ità comparatum ut priorem commoditatem minimè amittat, Eccleſiam eſt de *Dei Providentia* ejúſq; proſpicientia erudire ac docere, oſtenderéq; quomodo res omnes nudæ apertæq; ante illius conſpectum jaceant, tali ordine ac ſucceſſione, qua definitis temporibus ſint eventura.

In *Literali* ſenſu harum Epiſtolarum ad ſeptem Eccleſias, prius illud Inſtitutum planè intenditur & obtinetur, intelligendo eas ad ſeptem Eccleſias in *Aſia* tunc exiſtentes miſſas; Et magna profectò ex parte in ſenſu *Morali*. Hæ Epiſtolæ, inquam, cùm tam facilè applicari ad quamlibet Eccleſiæ Catholicæ cujuſvis ſeculi partem in eiſdem aut conſimilibus conditionis circumſtantiis cum his Eccleſiis *Aſiaticis* ſitam, Epiſtolaris hæc ratio inſignem habitura eſt efficaciam ac influentiam in eis animandis reprehendendíſve.

6. Cæterùm, hæc magna illa eſt quæ hîc oritur difficultas, Cur Inſtitutum *Propheticum* quod in *Myſtica* Interpretatione nobis ſe prodit, huic Epiſtolari rationi intexi debuerit, præſertim cùm Epiſtola ad Eccleſiam in *Epheſo* ſcripta ſit poſtquam *Epheſina* Periodus exiviſſet. Ad quod reſpondeo, Hoc *Propheticum* utiq; inſtitutum ſenſúmq; hunc *Myſticum* non *Epheſinæ* Eccleſiæ ſed futuris ſeculis eſſe deſtinatum. Eámq; propterea ob id ſolum reliquis accenſeri ut totius ſucceſſionis Eccleſiæ Integralitas per ſingulos ſuos ſtatus diſtinctos à principio ad finem uſq; ultimum indè conſtituatur. Rationem verò hanc Epiſtolarem in *Myſtico* hoc ſenſu etiamnum retineri ob eundem uſum quem in *Literali* habuit ad ſeptem Eccleſias reverà tunc in *Aſia* exiſtentes. Nam ſtatim atq; quælibet harum Epiſtolarum ex hoc *Myſtico* ſenſu intelligitur ad quamlibet ſuccedentem Eccleſiæ partem dirigi, ut nunc exempli cauſâ

(quem-

(quemadmodum mox patebit) Epiſtola ad Eccleſiam *Sardenſem* dirigi intelligitur ad Proteſtantium Eccleſias, ſive ad Orbem Chriſtianum *reformatum*, hæc particularis Eccleſiæ ſucceſſio æquè tangi ac commoveri eâ debet atq; particularis illa *Sardenſis* Eccleſia in *Aſia minori* eâdem olim commovebatur. Atq; hic ſcopus Spiritûs ſancti ſemel intellectus ſimilem uſum habebit in *Philadelphenſi* præſertim Eccleſia, ſed & in Eccleſia *Laodicenſi*.

Quamobrem objectiones admodum tenues forent ac infirmæ, utilitate hujus rationis Epiſtolaris rectè penſitatâ, etiamſi nullus alius harum ſeptem Epiſtolarum ad ſeptem Eccleſias ſenſus eſſet præter *Myſticum*. Quemadmodum enim in integra *Viſione*, cujus initium aliquod præteritum præſénſve reſpicit, tota tamen viſio *Prophetiæ* titulo inſignitur, quanquam illa pars quæ res præteritas reſpicit, non eſt niſi *Hiſtoricæ* repræſentatio: ità in integra hac viſione *Epiſtolari*, quamvis prima etiam pars *Epiſtolaris* ſit, non eſt tamen niſi repræſentatio *Hiſtorica*, tempora exhibens perſonaſq; præteritas, (perinde ac ſi præſentes eſſent eíſq; ſcribi poſſet) ídq; uniformitatis gratiâ in forma *Epiſtolari*, veluti id quod in Hiſtoria *præteritum* eſt, repræſentatur aliquando ſub forma Viſionis *Propheticæ*, quemadmodum ſit in *Seſſore equi albi*, quod primum eſt in viſione ſigillorum, quamvis illius ſit repræſentatio quod partim præteritum partim præſens tunc erat. Quod verò futurum eſt, Objectum proprium eſt omnis Viſionis *Propheticæ*.

Nunc verò præter hæc omnia, cùm, quod ad ſenſum *Literalem* attinet, Eccleſia *Epheſi* tunc eſſet quando illa Epiſtola ad eam ſcripta eſt, cúmq; cuilibet Eccleſiæ, juxta ſenſum *Moralem*, (quâcunq; Orbis Chriſtiani parte & quâcunq; ætate) quæ mores imitetur *Epheſinos*, applicari poſſit, hæc difficultas, meo quidem judicio, planè evanuit in minorem ipſo nihilo nullitatem. Ac proinde minimè morando hanc Objectionem, *Epheſinæ* ſucceſſionis terminum in decimo Regni *Neronis* Annóq; Chriſti ſexageſimo tertio collocare non dubitabimus.

Uſq; ad id temporis repræſentetur Chriſti Eccleſia ſub Titulo *Epheſinæ*. Ab eo tempore uſq; ad trecentos & paulò plures poſt Chriſtum annos, ſub nomine *Smyrnææ*. Indè ad finem circiter perſecutionis *Albigenſium* & *Waldenſium* Eccleſia eſto *Pergami* habitans. Ex illo tempore uſq; dum Nationes integræ à Papa defecerint, *Thyatirenſis* nomen eadem Eccleſia obtineat. Ab eo verò tempore quo *Proteſtantiſmus* Nationum Religio facta ſit, uſq; ad Phialam ultimam, *Sardenſis* Titulum hæc Eccleſia gerat. Deinceps verò ad quartum uſq; * Tonitruum *Philadelphenſis* nomine gaudeat. A quarto deniq; Tonitruo, donec Chriſtus viſibiliter in nubibus cœli ad judicium redierit, appelletur Eccleſia *Laodicenſis*. Hæc ſunt illa ſeptem Intervalla, quæ quàm aptè Titulis horum diſtinctorum Eccleſiæ ſtatuum ſuccedentium rebúſq; quæ de ipſis in hac narrantur Viſione, conveniant, mox conabimur explicare.

* *Vide Dialog. Divin. Dial. 5. ſect. 38.*

CAP. II.

Ex primo Apocalypſeos *Capite, unde ſenſus hic Viſionis ſeptem Eccleſiarum* Propheticus *clariùs confirmetur, ulterior Præparatio.*

1. INtereà verò loci ad majorem Confirmationem ſenſûs hujus *Prophetici* ſive *Myſtici*, plura primùm inſtituemus in primum Caput *Apocalypſeos* Adnotamenta, ubi unicam hanc eámq; ſatìs modeſtam ſupponemus Hypotheſin; Spiritum ſcilicet Dei nihil uſpiam Immethodicè fruſtráve ponere, aut ſaltem nihil *Immethodici* fruſtrá. Quamobrem in ipſum primum Verſiculum, qui totius libri Titulum gerit, *Apoc. 1. 1.* *Revelatio Jeſu Chriſti quam dedit ei Deus ut ſervis ſuis oſtenderet quæ brevi futura ſunt*, h. e. quæ futura ſunt alia brevi, alia tempore procedente, utì omnes conſentiunt Interpretes; non poſſum quin hoc adnotem, Quòd Spiritus utiq; Dei, modò *Titulum*, quod aiunt, reſpicere velit, (quod proculdubio facturus eſt) nullas integras deſcripturus ſit Viſiones, cujuſmodi hæc *ſeptem Eccleſiarum* eſt, quin *ſumma* argumenti futura ſit de rebus venturis, non de ſimpliciter *præſentibus* & minimè abſconditis, ſed ante hominum oculos expoſitis, quemadmodum erat eo tempore harum Eccleſiarum ſtatus quarum hîc facta eſt mentio. Ac proinde majus aliquod per

ipſas ſignificari oportet quàm quod ſenſu *Literali* contineatur; qui non eſt de rebus *futuris*, prout *Titulus* requirit, ſed de *præſentibus* ſolummodo, aut de promiſſionibus quibuſdam & comminationibus, quæ *Propheticæ* prædictionis naturam propriè non conſtituunt, non certè magis quàm Lex *Moſis* Prophetia conſtituitur ob promiſſa ac commmationes annexas.

Verſ. 3. 2. *Beatus qui legit, quiq; Prophetiæ dicta audiunt, tempus enim inſtat.* Hoc iterum planè innuit, librum hunc totum (integras illius intelligo Viſiones) librum eſſe *Vaticiniorum*; qualem, quod paulò antè monui, promiſſa ſolummodo & comminationes eum facere non poſſunt, non magis quàm Leges *Moſaicas* quibus adjunctæ ſunt. Et, tametſi diſtincti *ſeptem Eccleſiarum* ſtatus diſtinctis particularium Eccleſiarum ſubſequentium ſeculorum in orbe Chriſtiano ſtatibus applicari poſſint, id tamen ſenſu hoc *Literali* per modum *Prædictionis* fieri non poteſt, ſed tantùm per modum *Exempli* virtutis atq; vitii, piarúmq; atq; impiarum Actionum quæ repetitis vicibus in omni Hiſtoria occurrunt. Unde hæ Epiſtolæ ad *ſeptem Eccleſias* ſi nihil in ſe contineant ampliùs, *Prophetiæ* exiſtimari non debent, ac proinde heterogeneæ ſunt, & à ſcopo Titulóq; hujus Libri alienæ.

Verſ. 4. 3. Veruntamen cùm *Johannes*, poſtquam tam expreſſim *Prophetiarum librum* appellaverit, ſtatim ſeptem Eccleſias in *Aſia* ad hunc modum ſalutet, *Gratia vobis ac pax ab eo qui eſt & qui erat & qui venturus eſt*, equidem hoc mihi ejuſmodi videtur, quod vi ferè cogere quempiam poſſit ad credendam Viſionem hanc *ſeptem Eccleſiarum*, quam is adeò immediatè aggreditur, *Vaticinium* eſſe, juxta *Titulum* in antecedente verſu proximè memoratum. Ut taceam ipſam deſcriptionem Perſonæ cujus nomine eas ſalutat, *Qui eſt & qui erat & qui venturus eſt*, oppidò quàm naturaliter innuere, ea tractari quæ ab initio Eccleſiæ ad extrema uſq; illius ſecula pertingunt. Quibus rebus ampliùs inſiſtit verſu ſeptimo (poſtquam de Chriſti perſona egerit) *Ecce*

Verſ. 7. *venit cum nubibus*, (hoc ad ultimam *Laodicææ* periodum ſe extendit quando Deus judicaturus eſt populum) *cúmq; cernet omnis oculus & qui eum transfixerunt, déq; eo plangent omnes terrarum Nationes*, (Terra enim tunc conflagratura eſt cum ſuis operibus) *Etiam, Amen.* Hoc certò eventurum eſt circa Tonitruum ſeptimum (in cavo illo ac tenebroſo gurguſtio ubi fletus futurus eſt ac ploratus ſtridórq; dentium) quicquid contrà imaginaturi ſint aut ogganniturí *filii Infidelitatis*. Quamobrem mens ſcopúſq; ſpiritûs *Prophetiæ* videtur hîc longiùs proferri, etiam ad ultima uſq; mundi ſecula.

Verſ. 8. 4. Quemadmodum porrò declarat verſu proximo, *Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis, inquit dominus, qui eſt & qui erat & qui venturus eſt, Omnipotens*; Illa ſcilicet Sapientia ac Poteſtas quæ ab extremo ad extremum potenter pertingit, ordinátq; omnia ſuaviter: Hoc, mihi certè, luculentè ſignificare videtur viſionem *ſeptem Eccleſiarum*, perinde atq; *ſeptem Sigillorum* viſionem, *Libriq; aperti*, à principio Eccleſiæ ad finem uſq; mundi ſe extendere. Quæ conſideratio tam crebrò nobis inculcatur proculdubio, ut id de nihilo eſſe minimè cenſendum ſit, ſed ut index ſit infallibilis, altiorem aliquem *ſeptem Eccleſiis* ſubeſſe ſenſum, quàm primo aſpectu eis ſubeſſe putemus. Summa enim Viſionis, antequam ad particulares Eccleſias deſcendat, ab hoc incipit & cum eodem deſinit, v. 11. & 18. *Ego ſum primus & ultimus, & claves habeo mortis & Inferni.* Quod proculdubio ultimæ ſententiæ executionem reſpicit ſub ſeptimo *Tonitruo*.

Verſ. 10. 5. Cæterùm egregium illud interim notandum eſt quod occurrit verſu decimo, *Factus ſum in ſpiritu Dei dominico, & audivi poſt me magnam quaſi Tubæ vocem.* Introitus hic pompaticus cum clangore Tubæ in hanc *ſeptem Eccleſiarum* viſionem, & glorioſus Aſpectus filii hominis in medio *ſeptem aureorum candelabrorum cum ſeptem ſtellis in dextra ſua* ambulantis, tam propè accedit ad ſplendidum illud viſionis *ſeptem Sigillorum* Præludium, ut nemo ſagacioris ingenii facere poſſit quin utraſq; Viſiones ejuſdem comprehenſionis ac momenti eſſe ſuſpicetur, nec ad tam anguſtos uſus reſtringi ut ad ſeptem Eccleſias *Aſiaticas* ſolummodo pertineant. Nam in ipſo initio utrarumq; *Viſionum* aſpectus Chriſti glorioſus in *medio Eccleſiæ* occurrit, in priori *ſtantis* aut *ambulantis in medio ſeptem aureorum Candelabrorum*; in poſteriori *ſedentis in medio quatuor Animalium* & *viginti quatuor Seniorum.* Atq; ambo hæc Præludia ad futuras Viſiones cum *Tubæ clangore* introducuntur. Quamobrem cùm pompa utrobiq; æqualis ſit, veriſimile omninò eſt, *pondus* utriuſq; viſionis & *comprehenſionem* eſſe æqualem. Neq; ſanè hîc objici poteſt, pompam ante viſionem ſeptem Eccleſiarum pro *Frontiſpicio* toti libro vaticiniorum deſtinatum eſſe, quippe quòd *Frontiſpicium* æquè ſaltem ſplendidum iterum erigitur ante *ſeptem Sigillorum* viſionem. Unde planè conſtat, prius illud ex toto deſtinatum eſſe viſionibus

nibus *ſeptem Eccleſiarum*, ac proinde magnum aliquod ſummíq; momenti *Myſterium* inibi latitans portendi, taléq; quod præſens ſeptem iſtarum particularium Eccleſiarum in *Aſia* ſtatus attingere non potuerit, nedum exhaurire. Sed pergimus.

6. Dicentis, *Ego ſum Alpha & Omega, primus & ultimus. Tu quæ cernis ſcribe in librum & mitte Eccleſiis quæ ſunt in* Aſia. Hîc rurſus immediatè ante Epiſtolarum miſſionem ad ſeptem Eccleſias in *Aſia*, illos ſuos Titulos exponit qui minimè omnium cum exigua iſtarum particularium Eccleſiarum duratione conveniunt. Sancta verò Eccleſia Catholica ab initio ad finem uſq; mundi perdurat. In quam igitur nullus dubito quin ſpiritus Prophetiæ ſuos oculos eo tempore conjecerit, *myſticéq;* per ſeptem Eccleſias in *Aſia* ſanctam Catholicam Eccleſiam in ſeptem ſuccedentia Intervalla diviſam, juxta *Petri Galatini* opinionem, intellexerit. Etenim ſi rationes rectè ſupputare velimus (niſi magnum aliquod ſubſit Myſterium) cur ad *ſeptem* tantùm Eccleſias *Aſiaticas* ſcribendum eſſet, cùm aliæ eſſent, multæ ſanè aliæ aut hîc aut ſaltem in aliis Imperii partibus, quas veriſimile ſit propter ejuſmodi vitia & virtutes rerúmq; durarum perpeſſiones quæ in his notantur, æquè notas fuiſſe.

7. Reſpondebis forſan, *Aſiam minorem* S. *Johannis* fuiſſe ſpecialem quaſi Diœceſin. Verùm qui ſic reſpondent, obliti videntur *Johannem* omninò paſſivè ſe habuiſſe in hiſce *Viſionibus*, nec aliter ſcripſiſſe quàm ut à Spiritu ſancto movebatur, qui perſonarum non eſt acceptor. Ut mittam alias certè fuiſſe in *Aſia* Eccleſias præter has ſeptem. Cur igitur ſeptem omninó? Cúrve hæ præter cæteras? *Septem* verò *univerſalitatem* ſignificare in ſtylo Prophetico tritum eſt atq; obvium. Quapropter *ſeptem* Eccleſiis in *Aſia* idem eſt atq; *univerſis* in *Aſia* Eccleſiis. Veruntamen res mira eſt omnes in *Aſia* minori Eccleſias tam ſtudiosè à Spiritu ſancto ſalutari, reliquáſq; interim per orbem Chriſtianum Eccleſias inſalutatas prorſus præteriri. Tanquam ſi hîc ageretur juxta vulgatum Proverbium, *Oſcula per favorem diſpenſari*; cùm tamen expreſsè dictum ſit in Scripturis Deum non eſſe perſonarum acceptorem, quemadmodum paulò antè monui.

8. Cæterùm urgebis porrò, non eſſe poſſibile ut quicquam amplius hinc efficiamus quàm omnes in *Aſia* Eccleſias hîc intelligi, niſi nomen *Aſia* in Appellativum converteretur. Quæ conſideratio obicem omnibus conatibus poſitura eſt hanc viſionem *Myſticè* interpretandi, adeò ut neceſſariò acquieſcendum ſit in ſenſu *Literali*. Verùm *Hugo Grotius*, qui omnes Eccleſias ex ratione Nominum *Myſticè* etiam interpretatur, nullam tamen alluſivam notavit ſignificationem in voce *Aſia*. Adeò ut ſecundùm eruditi hujus viri ſententiam illius Argumenti ſequela non ſit ità firma.

At verò præter hæc, quanquam verborum luſibus, ſuprà quàm opus ſit, haud oblectari ſoleo, difficile tamen fore non credo, alluſivam in nomine *Aſia* ſignificationem invenire deſtinato ſenſui *Myſtico* ſatìs appoſitam. Etenim אשיה & עשיה (quorum prius *Fundamentum* ſignificat, poſterius *Actionem* vel effectionem) quantùm ad ſonum *Paronomaſticum*, tam propè ad vocem *Aſia* accedunt ut Auris vel maximè *Critica* ac delicata nihil propinquius in hujuſmodi cauſis poſſit requirere. Et quantùm ad ſenſum utriuſque, is ad præſens propoſitum admodum certè accommodatus eſt. Sic enim Inſcriptio hæc, *ſeptem Eccleſiis in* Aſia, aut ſignificabit, *univerſis* Eccleſiis in *Fundamento*, hoc eſt, quæ *Apoſtolicum* in rebus Doctrinæ ac Profeſſionis *Fundamentum* obſervant, aut, *univerſis* Eccleſiis in *Actione*, hoc eſt, Epiſtolas has ad eas ſcriptas eſſe in deſtinatam cenſuram *Actionum* ipſarum. Et expreſſim habetur apud *Dialecticos* de *Topico* Effectuum & *Actionum*; *Hujus loci ſunt Laudes & vituperationes*, in quibus hæ Epiſtolæ omninò verſantur. *Et novi opera tua*, cujuſq; eſt Epiſtolæ exordium. Præterea ad nullos miſſæ ſunt præter eos, qui Chriſtianæ Fidei *Fundamentalia* profitentur, nec quicquam quod eis repugnet intermiſcent; quemadmodum in Interpretatione noſtra appariturum eſt. Nec mirum eſt omninò S. *Johannem* quanquam *Græcè* ſcribit, ad vocabula *Hebraica*, cùm ipſe *Judæus* ſit, aliquando alluſiones facere, neq; id certè caret exemplo. *Siracides* enim planiſſimè eo in loco *Græci* textûs, Σοφία γὰρ κατ' ὄνομα αὐτῆς ἐστιν, ad vocem *Hebraicam* צפה *abſcondere*, ac ſi σοφία idem eſſet quod צופיה, videtur alludere. *Pet. Ram. lib. 1. cap. 9.* *Eccleſ. 6. 22.*

9. Verbales hæ Alluſiones in ſtylo *Prophetico* tam frequentes ſunt ut nihil opus ſit illud porrò monere. Nec eſt, opinor, probabile Spiritum Dei in hoc libro vaticiniorum, ubi omnia tam auguſtum habent ambitum ac Majeſtatem, ſeptem ſolas particulares Eccleſias ex univerſis orbis terrarum Eccleſiis ídq; circumſtantiis tam pompaticis ſalutare voluiſſe; & poſtquam tam magnificè vaticiniorum librum exorſus eſſet eúmq; eo *Titulo* tam *expreſsè* inſignivíſſet, ſtatim poſtea, tanquam oblitus quid eſſet acturus, prolixam introducere viſionem, ſeptem partibus conſiſtentem, in quibus nihil omninò ſit *Propheticum*, ſed Reprehenſiones tantùm ac Laudes, Comminationes

minationes ac Promiſſa paucis particularibus Eccleſiis facta. Hoc ſane ſecundùm ſtabilem ordinem methodúmq; Divinæ ſapientiæ non fieret, præſertim in hoc libro, quo nihil unquam accuratius ſcriptum extitit, nec in poſterum unquam eſt extiturum.

Ver. 16. 10. *Et habebat in dextra ſua ſtellas ſeptem.* Equidem mihi admodum durum videtur, imaginari ſeptem has Stellas ſeptem eſſe tantùm Epiſcopos ſeptem quarumlibet particularium Eccleſiarum in *Aſia*, tanquam ſi reliqui non ſuſtentarentur nec gubernarentur manu Chriſti, eſſéntve ſolummodo ſeptem in manu *dextra*, reliqui verò omnes in *ſiniſtra*. Repræſentationes hujuſmodi tam ſublimes Eccleſiis ſeptem particularibus quibuſcunq; appropriari non poſſunt. *Septem* verò, *univerſas*, quantùm ad coexiſtentiam pariter ac ſucceſſionem ad mundi uſq; finem, ſignificare oportet. Qui ſenſus dignus eſt quidem *Libro* tam *excelſo* quàm eſt hic *Apocalypticus*, mentíq; reliquorum ſeptenariorum qui in libro hoc *Prophetico* occurrunt, conſentaneus; quippe qui *integram* ſignificant ſucceſſionem rerum aliquarum ſeptenarum ad quas repræſentandas introducuntur.

Ver. 20. 11. *Septem Stellæ Angeli ſeptem Eccleſiarum ſunt, & ſeptem Candelabra quæ vidiſti ſeptem ſunt Eccleſiæ.* Quanquam ſecundùm ſenſum *Literalem* ſeptem hæ Eccleſiæ ſeptémq; Angeli ſeptem iſtis particularibus *Aſiæ* Eccleſiis ſuprà memoratis facilè applicantur; facere tamen non poſſum quin ex eo quòd eas hîc ſeptem *Aſiæ* Eccleſias non appellaverit, ſed ſeptem Eccleſias in genere, invitationem eſſe cenſeam ad inveſtigandum ſenſum aliquem ampliorem *Propheticum*, qualem nos quærimus; utì etiam ex eo quòd dicat *Angelos* ſeptem Eccleſiarum in genere nec nominatim Eccleſias recenſeat; ſed præcipuè ex eo quòd loco *Epiſcoporum* aut *Paſtorum Angelos* appellet. Etenim cùm in ſtylo *Prophetico* huic libro proprio, qui omnia Angelorum Miniſteriis aſcribit, tam conſtanter perſeveret, argumento eſt ſeptem Epiſtolas ad Angelos Eccleſiarum ſcriptas *Propheticum* ſuum perinde ſenſum habere atq; *Literalem*, vel potiùs hunc ipſum ſenſum maximè omnium intendi.

12. Omnes hæ Indicationes ex primo hoc capite ad fidem faciendam quòd ſeptem *Aſiæ* Eccleſiarum ſenſus quidem *Propheticus* etiam ſit, apud me, ſimul ſumptæ, eam vim obtinent, ut tametſi ipſe ejuſmodi ſenſum continuum *Myſticum* ſive *Propheticum*, qui perpetuò facilis ac naturalis foret, producere non poſſem, non poſſem tamen quin ſuſpicarer aliquem hujuſmodi ſubeſſe ſenſum, quamvis ſupra vires meas eſſet eundem aſſequi. Quòd ſi Divinâ gratiâ adjutus ejuſmodi ſenſum erui qui & cohærens ſit & apprimè utilis, & ex ſtyli *Prophetici* analogia ſatis affabrè concinnatus, ſpero hanc *Præparationem* fidem Lectori vel invito extorturam. Qualis verò ſit, ipſius oculis ſtatim jam ſubjiciam.

CAP. III.

Interpretatio Epiſtolæ ad Eccleſiam Epheſinam.

1. EX præcedentis Capitis verſu ultimo ſignificatum eſt, omiſſam ſeptem Eccleſiarum Appropriationem, nominatim *Aſiæ*, bellam nobis eſſe invitationem ad ſuſpicandum ampliorem aliquem laxiorémq; ſenſum ſubeſſe huic *ſeptem Eccleſiarum* viſioni. Et certè Relaxatio hæc liberior eſt in *Græco* exemplari quàm in Tralatione *Anglicana*, aliiſq; id genus Tralationibus. Textus enim originalis ſic ſe habet, καὶ αἱ ἑπτὰ λυχνίαι ἃς εἶδες ἑπτὰ ἐκκλησίαι εἰσὶν, *Et ſeptem Candelabra quæ vidiſti ſeptem Eccleſiæ ſunt*, non αἱ ἑπτὰ ἐκκλησίαι, ſeptem *illæ* Eccleſiæ; Quas ſenſu *Literali* cuivis in proclivi eſſet exiſtimare alias non eſſe quàm iſtas in *Aſia minori* ſitas. Hæc verò Eccleſiarum Diviſio in ſeptem ſenſu *myſtico*, diſtributio potiùs eſt ex *adjunctis* quam è *ſubjectis*, dum tota Eccleſia Catholica per integram ſuam ſucceſſionem à principio uſq; ad finem, pro ſeptemplici morum ſuorum ac conditionum inſigniori diverſitate in ſeptem Intervalla diducitur. Sic enim dicimus Eccleſiam *primitivam*, Eccleſiam *apoſtaticam*, Eccleſiam *reformatam*, &c. denotando non quidem locum, ſed tempus earum ac qualitatem; Quas ſtyli Prophetici *Genius*, ſi ipſi ex uſu eſſet eas exprimere, tanquam totidem Eccleſias locis diſtinctis ſitas exhiberet.

2. Verùm præter hæc, porrò notandum eſt, omiſſionem ſeptem has Eccleſias appropriandi *Aſiæ*, Interpretem *Myſticum* à ratione reddenda illius nominis, cùm in Interpre-

Interpretatione ſeptem aureorum Candelabrorum omiſſum ſit, opportunè liberare. Quod obſervatu dignum cenſui ut omnis cavillandi prætextus iis præcidatur quibus *Græci* nominis, ab *Hebraica* Alluſione reddita, ratio minùs fortean ſit ſatisfactura. Quanquam ipſorum cavillationem, eis qui majori pollent judicio, exiſtimatum iri ſpero omni omninò ratione carere.

3. Nec deniq; quòd ad ſeptem *nominatim* Eccleſias in his ad ipſas ſcriptis Epiſtolis ſpiritus Prophetiæ rurſus redeat, determinanda propterea viſio eſt præcisè & adæquatè ad ſeptem iſtas Eccleſias *Aſiaticas*, *Topicè* intellectas; quandoquidem omnium harum Eccleſiarum nomina ſaltem per facilem *Alluſionem*, ſignificationem habent *Appellativam*, qualitatémq; earum ac conditionem Myſticè intellectarum manifeſtò denotant, quemadmodum in progreſſu *Expoſitionis* videbimus.

4. Primùm igitur de Eccleſia *Epheſina* quam Chriſtus ad hunc modum ſalutat: *Epheſinæ Eccleſiæ Angelo ſic ſcribito; Hæc dicit qui ſeptem ſtellas ſuâ dextrâ tenet, qui in medio ſeptem aureorum candelabrorum ambulat.* Per *Angelos*, ſecundùm ſtylum *Apocalypticum*, omnes eos qui ſub eorum Præfectura agunt quovis modo aut negotiantur, repræſentari vel inſinuari, ſuprà jam notavimus. Eſtq; adeò frequens in *Apocalypſi* atq; obvium, ut nemini qui illo in libro verſatus ſit, ullo modo dubium eſſe poſſit. Quamobrem Chriſtus ſcribendo hîc Angelo Eccleſiæ *Epheſinæ*, *myſtico* hoc ſenſu, omnibus Epiſcopis, Paſtoribus & Chriſtianis in primo hoc Apoſtolico Eccleſiæ Intervallo ſcribere intelligitur. Apoc. 2. 1.

Quòd verò particulatim in hac ad hanc Eccleſiam Epiſtola, (ſenſu putà illius *Myſtico*) ipſis ſe commendat ſub charactere illius *qui ſeptem ſtellas dextrâ ſuâ tenet, quiq; in medio ſeptem aureorum candelabrorum ambulat*, ſenſus pompâ hâc Propheticâ denudatus hic eſt; Quòd ego ſcilicet is ſum qui omnes meos Epiſcopos ac Paſtores, omnéſq; qui Regno meo amplificando allaborant, ſuſtento ab hoc tempore in perpetuum. Quemadmodum in primis Eccleſiæ ſuæ fundamentis jaciendis declaravit; *Ite igitur & docete omnes Gentes eóſq; baptizate in nomine Patris, Filii & Spiritûs ſancti, Docentes eos exequi quæcunq; vobis præcepi. Et ecce ego vobis adſuturus ſum perpetuò uſq; ad finem ſeculi.* Is in medio eſt ſuæ Eccleſiæ ubicunq; duo tréſve in ſuo nomine ſint congregati. Is per medium ſucceſſionum ſeptem Intervallorum Eccleſiæ, ſeptem utiq; aureorum candelabrorum, ad finem uſq; mundi perambulat. Hoc autem dicitur ad animos addendos eis qui initia jacturi eſſent ſuæ Eccleſiæ, methodicéq; primo in loco ponitur ut quod generale eſt & per omnia Eccleſiæ Intervalla ad finem ſeculi permeat. Matth. 28. 19, 20.

Quòd verò *Frontiſpicium*, quemadmodum ſuprà appellavi, hujus viſionis *ſeptem Eccleſiarum*, qui glorioſus erat character ſemper beati Servatoris, *membratim* hîc adhibetur ad introitum in *partes* hujus viſionis, ſicuti fit quidem in ſingulis, (quod ulteriori argumento eſt primarium harum Epiſtolarum ſenſum *Propheticum* eſſe, nec tam ad privatas aliquot Eccleſias *Aſiaticas* quàm ad Eccleſiam Catholicam pertinere) non poſſum non notare quàm aptè id *ſigillorum viſioni* reſpondeat; Ubi etiam *Frontiſpicii* partes ad ſigillorum quatuor introductionem adhibentur. Quatuor enim *Animalia* unum poſt aliud (idq; ſignificatione admodum appoſitâ utì & hîc) in aperiendis primis quatuor Sigillis introducuntur hanc vocem edentia, *Veni & vide.* Quamobrem cùm idem ſit in utriſq; viſionibus artificium, haud inarguta ſanè ſubindicatio eſt eas eſſe paris momenti viſiones, hoc eſt, latè admodum & comprehenſivè *Propheticas*; quemadmodum ex primo capite conatus ſum evincere. Apoc. 6.

5. Quàm verò accommodata ſit illa pars characteris beati Servatoris huic Viſionis parti quæ ad *Epheſinam* Eccleſiam ſpectat, jam declaratum eſt. Alluſionis *Paronomaſticæ* aptitudinem in nomine jam conſiderabimus. Stylum enim Propheticum ejuſmodi Alluſiones affectare & *Grotius* & *Medus* omnéſque, quod ſciam, Interpretes conſentiunt. *Grotius* verò particulatim rationem nominum omnium harum Eccleſiarum reddit in Adnotationibus in *Apocalypſin*. Adeò ut nihil ſubeſſe poſſit levitatis aut temeritatis ſi quis hac in re periculum fecerit. In voce *Epheſus* igitur, quantùm ego video, duplex eſſe poteſt Alluſio, & ad ἄφεσις & ad ἴφεσις. Nam quoad ϰ, cùm una ex tribus matribus Lectionis eſſet, quòd & *E* & *A* in ſe continebat, planè innuit, ſonum E & A haud ità multùm inter ſe diſcrepare. Quod autem ſenſum vocis ἄφεσις attinet, mirificè profectò & peculiariter huic Eccleſiæ accommodatus eſt, cùm *primum* ſit è ſeptem Intervallum, & quaſi ἀφετήρια (vóxq; ἄφεσις idem ſignificat) ipſi *carceres* unde incipit omnium *ſeptem Eccleſiarum* ſucceſſionis curriculum, quod & in mundi finem deſinit: Chriſtianorúmq; vocatio à S. *Paulo* curriculo comparatur.

Et nè ullus ſuperſit ſcrupulus de prima hac Alluſione, ex eo quòd *Martinius* expreſsè loquens de his tribus matribus Lectionis ϰ, ϱ, ϰ primam dicit valere A, ſecun-

dam

dam E & I, & tertiam O & U, in scriptis quidem *Hebraicis* non punctatis nihil frequentius est quàm א pro E; ut in אצבע, אשכול, אלהים, & similibus. Et in lingua Græca, α & η, & ε & ι crebrò, pro dialecti diversitate, inter se mutantur, ità ut difficultatis nihil reliquum esse possit super hac re.

Quod vero alterum attinet vocabulum, Ἔφεσις, quod *Grotius* etiam expresè notavit sibíq; elegit, Allusio quidem illa omni omninò labe caret & quantùm ad sonum & quantùm ad significationem. Magnum enim illum ardorem denotat, fervidúmq; desiderium Ecclesiæ in temporibus illis Primitivis & Apostolicis erga res Christi Regníq; illius Amplificationem, eos utiq; sincerè enixéq; sub illius Herois auspiciis *albo Equo insidentis, cum arcu sagittísq; in manu dextra*, collineâsse, & *ad anteriora se intendisse, contendisséq; ad scopum, ad palmam ad quam supernè vocati sunt divinitùs per Christum Jesum*; eos inflammatos fuisse studio proferendorum finium Imperii Christi in hac vita, & obtinendi postea immarcessibilem illam coronam, & comedendi fructus æternæ vitæ in cœlesti Paradiso Dei. Hæc prima illa fuit hujus Ecclesiæ charitas, hæc ipsorum ἔφεσις τῦ τέλους, hoc vehemens sincerúmq; desiderium, unicúsq; scopus omnium Actionum eorum, nempe ut hîc Christo servirent, eóq; postea fruerentur in cœlesti suo Regno. Ac proinde ex fervido hoc erga Christum amore, sensúq; propriæ felicitatis, facilè omnes initio difficultates devorabant.

Ver. 2, 3. 7. Quemadmodum notatur in duobus versibus sequentibus, *Novi opera tua, laborem & patientiam, útq; malos ferre nequeas.* Ii enim qui sincerè fervidéq; boni sunt, fieri non potest quin Antipathian habeant adversùs omne malum, cernántq; eos, qui, ut ut Apostolicè se gesserint, nec tamen intus boni sunt, meros *Hypocritas* esse ac mendaces.

Et eos exploraveris qui se profitentur Apostolos, nec sunt. Fuisse *falsos Apostolos, fallaces operarios qui in Christi Apostolos transformabantur* Apostolorum temporibus (intra quæ hujus Ecclesiæ Periodus constitit) ipse *Paulus* Apostolus commemorat, 2 Cor. 11. 13. Quod igitur valdè consentaneum est primæ hujus Ecclesiæ Intervallo. Quando enim præ se ferat quisquam à Deo se missum Apostolum esse, si non eâ ætate quâ Apostoli reverà ab eo in mundum missi sint?

Et tolerâsti patientiáq; uteris, & propter meum nomen laboras indefessus. Quod hîc occurrit eundem ferè sensum habet atq; verba quæ in antecedenti versu occurrebant. Verùm hæc repetitio non fit frustrá. Hæc enim verba, credo, nempe, καὶ διὰ τὸ ὄνομά μου κεκοπίακας καὶ οὐ κέκμηκας, speciali modo promissum illud versu septimo respiciunt. Qui laborare nolunt non comedent. Is verò qui multùm laborat, nec propter inertem quendam languorem culpabilémve lassitudinem intercessat, is dignus est qui *pane vitæ* vescatur. Præterea verò hic labor ac patientia summis hîc repetitur circumstantiis, quò meliùs quorundam arguatur in hac *Ephesina* Ecclesia, negligentia ac desidia; quemadmodum fit in versu proximo.

Ver. 4. 8. *Sed habeo de te quod expostulem, quòd charitatem tuam pristinam omisisti.* ὅτι τὴν ἀγάπην σου τὴν πρώτην ἀφῆκας. *Grotius* & *Hammondus* exponunt, *Quia de charitate pristina aliquid remisisti*, itáq; agnoscunt ἄφεσιν relaxationem significare & remissionem sensu graduum intentioni contrario. Unde alia esse potest ratio allusionis in voce *Ephesus* ad ἄφεσις, ità ut contradistinguatur ab ἔφεσις · atq; *Ephesina* hæc Ecclesia nomen sic habere possit à charitate prima *intensa* & ab ejusdem *remissione* postmodum facta, per duplicem allusionem. Cæterùm quemadmodum allusio ad ἔφεσις perfectior est quàm ad ἄφεσις, ità proculdubio primum hoc Ecclesiæ intervallum celebratius extitit ob sincerum fervidúmq; Christi amorem quàm ob ejusdem remissionem. Quod nonnihil facit ad corroborandum primi hujus Intervalli terminum.

Quòd charitatem tuam pristinam omisisti, hoc est, Quòd tam fervidus spiritu esse desiisti quàm eras initio. Quæ prima charitas cùm secundùm Præcepti ipsius Christi mensuram esset, talis proculdubio erat quæ effecerit ut Ecclesia *Ephesina* Christum plus Patre, aut Matre, aut Uxore, aut Liberis réve aliâ qualicunq; mundanâ, prout ille postulaverat, amaret. Sub finem verò Intervalli hujus primæ successionis Ecclesiæ Amor hic animúsq; obfirmatus flaccescebat, nimiúmq; multi incipiebant *Gnosticos* agere, quemadmodum appellitant, hac in re, fideíq; abnegationem tempore persecutionis pro re nihili ducere, etiam ii qui profitebantur se ex Ecclesia esse numeróq; habiti sunt Fidelium. Hoc, intra Intervallum *Ephesinæ* Ecclesiæ (nostro etiam sensu) contigisse, multæ reprehensiones & exhortationes in Epistolis Apostolorum planè evincunt. Vide clarissimi *Hammondi* notas in hanc ipsam Ecclesiam, quæ plenè scopum nostrum attingunt. Atq; Epistolæ *Pauli*, primáq; *Petri*, illáq; ad *Hebræos* scriptæ sunt cunctæ intra illud Intervallum quod *Ecclesiæ Ephesinæ* assignavimus, culpæ

culpæ autem antea erant commiſſæ. Ob quas culpas, viſio hæc eos reprehendit ac comminatur, quanquam in commonefactionem ſeculis futuris, quemadmodum videre eſt verſu ſequenti.

9. *Quamobrem memento unde excideris & ad ſanitatem redi, ac priora opera fac-cito.* Jubet eos ad priorem reverti charitatem, quæ fortior ipsâ erat morte. Atq; opportunum erat hoc dare mandatum atq; animationem Eccleſiæ propter ingentes Tentationes eis obventuras in Conditione *Smyrnæa*. Ante decem enim Perſecutiones rariùs fiebant Martyria. *Ver. 5.*

Alioqui adoriar te brevi, tuúmq; Candelabrum ex ſuo loco movebo niſi ad ſanitatem redieris, hoc eſt, per *Hypallagen*, Ego te dimovebo à Candelabro tuo. Quod igitur magis peculiariter dirigi videtur ad *Epiſcopos* & *Paſtores* Eccleſiæ eo in tempore, ac ſi comminatio eſſet, propterea quòd aut ipſi in hunc remiſſum charitatis gradum lapſi eſſent, aut greges ſibi concreditos eò labi permiſiſſent. *Septem enim Candelabra ſeptem Eccleſiæ ſunt*, c. 1. v. 20. *Et ſeptem ſtellæ Angeli ſeptem Eccleſiarum*, hoc eſt, *Epiſcopi* & *Paſtores* Eccleſiæ. Quamobrem hæc adversùs ipſos comminatio ſignificare poteſt, per *Hypallagen*, eorum amotionem ab Eccleſia per vindictam aliquam Divinam, eorum nempe omnium qui remiſſi eſſent ac negligentes. Cæterùm membris quibuſlibet Eccleſiæ *Candelabri ab ipſis remotio* poteſt eſſe Juris communionis Eccleſiaſticæ amiſſio ſive perditio. Ut eripere alicui vel adimere alicui *Civitatem*, pro eo eſt atq; efficere ut Civis eſſe diutiùs deſinat. Qui ſenſus etiam in *Epiſcopos* ac *Paſtores* quadrare poteſt. Poteſt enim Chriſtus eos in foro Divino abſcindere, nè diutiùs membra ſint Eccleſiæ, nec, per conſequentiam, ſalutis participes. Sed cùm figuratæ hæ locutiones duriores aliquibus videri poſſint (quamvìs ſic loqui queant, qui *ænigmaticè* aut *Poëticè* volunt loqui) producendus tandem eſt alius ſenſus qui mihi profectò maximè omnium arridet, & in quo *Victorinus*, *Andreas*, *Lyranus*, & *Alcazar* unanimiter conſentiunt, qui dimotionem Candelabri è ſuo loco, interpretantur de comminata aliqua rerum commotione tempeſtatéve quæ Eccleſiam eſſet oppreſſura. Non quòd innuatur Eccleſiam hanc indè abreptum aut ablatum iri, ſed ut in Tempeſtate aut Terræ-motu, motam fore & agitatam. Hoc illi intelligunt de Eccleſia *Epheſina* in *Aſia*, *Literaliter* intellecta. Quod argumento eſt Interpretationem ipſis viſam fuiſſe facilem ac genuinam. Pariq; facilitate *Myſtico* ſenſui applicari poteſt. Cæterùm ego tempeſtatem paulò latiorem excitari volo ac violentiorem, diram utiq; hîc intelligi Perſecutionem quæ Eccleſiæ obventura erat in ſuo *Smyrnæo* Intervallo. Conſideratur enim perpetuò à principio uſq; ad finem tanquam una eadémq; Eccleſia Apoſtolica, quanquam in diverſa hæc Intervalla diſtincta. Idq; ſummoperè obſervandum eſt, *eſſe quidem in unaquaq; Epiſtola ad particularem quamq; Eccleſiam ſcripta, Prædictionem aliquam ſubſequentis Eccleſiæ intervallo implendam.* Quod hîc ſemel notandum putavi; & particulatim procedendo, propriis ſuis locis porrò notabimus. Senſus igitur hujuſmodi eſſe videtur, Niſi Eccleſia hoc *Epheſino* intervallo in altiorem evigilet gradum zeli, amoris, ſtudiiq; propagandi Regnum Chriſti, Chriſtum animos eorum excitaturum eſſe, eóſq; hujuſmodi fervidis perſecutionibus (ſanguis Martyrum ſemen Eccleſiæ) exercitaturum, quæ efficaciores forent ad conſilia ſua adimplenda. Quod perinde contigit in decem perſecutionibus intra *Smyrnæam* Eccleſiæ Periodum.

10. *Quanquam id habes, quòd* Nicolaitarum *facta odiſti, quæ ego quoq; odi.* Eccleſia hoc tempore tam mollis ac remiſſa evaſerat ut nihil ſupereſſet fervidæ illius induſtriæ quæ in multis olim fuerat, nihil animi obfirmati in rebus omnibus ſuſtinendis Chriſti gratiâ. Nec tamen tam corrupti evaſerant ac belluini ut ſe impuritatibus dederent Nicolaitarum, quas ſubſequentibus ſeculis aliqui ſibi indulgebant per errorem temerariæ cujuſdam actionis *Nicolai* Diaconi qui in his ipſis Apoſtolorum temporibus vixerat, & ab hoc vocitati ſunt impuri hi nebulones *Nicolaitæ*. Admodum pauxillum verò vel nihil potiùs hujus impuritatis ſe prodidit intra hujus *Epheſinæ* Eccleſiæ periodum. Quam tamen Divinus Spiritus prævidebat deteſtabiliter frequentem fore ac notoriam in iſtiuſmodi perditis hominibus, quos tametſi ſeipſos Chriſtianos appellitabant, Eccleſia tamen Apoſtolica pro ſuis noluerit agnoſcere. Hoc conceditur Eccleſiæ *Epheſinæ* in eorum ſolamen ac honorem, quòd *Nicolaitiſmo* ſint immunes; & ut puritati patientiam invincibilem ac fortitudinem ſuperaddere poſſint, porrò ſubditur, *Ver. 6.*

Vincenti dabo veſci arbore vitæ quæ eſt in medio Paradiſi Dei mei. Pro operibus, ac exantlatis laboribus & difficultatibus devoratis, eſitatio & refectio hîc ipſis promittitur; Pro patientia ac tolerantia, Paradiſus voluptatis; pro vita ac ſanguine propter Evangelium profuſis, æternæ vitæ fruitio in regno Chriſti. *Me-* *Ver. 7.*

Luc. 23. 42, 43. *mento mei, domine, cùm veneris in regnum tuum. Amen, dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.*

Cæterùm penè obliti fuimus prioris partis hujus versûs ſeptimi, *Qui aurem habet, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.* Quod cùm univerſis ſeptem Epiſtolis commune ſit *Epiphonema* per omnes à prima ad ultimam repetitum, proculdubio haud exigui momenti eſſe oportet. Ad duo igitur collineatum exiſtimo in affigendo hoc cuiq; Epiſtolæ *Epiphonemate.* Unum, ut ſignificetur nobis, tametſi *Literalis* ſenſus ſit harum Epiſtolarum, unamquamq; tamen earum eſſe inſuper *Parabolam.* Quod repetitâ hâc ſubindicatur loquendi formulâ, quâ Chriſtus dum in vivis erat, utplurimum uſus eſt in fine *Parabolarum, Qui aures ad audiendum habet, audiat.* Ut taceam ipſum ſenſum *Epiphonematis* idem inſinuare, qui hic eſt; Qui intelligentiam habet quâ profunditatem ſenſûs harum Epiſtolarum attingere poſſit, attingat. Neq; enim eſt intra ictum cujuſlibet ingenii, ipſarum inveſtigare ſcopum. Alterum ad quod collineatur, eſt inſinuatio ſenſum quidem ſeptem hiſce *Parabolicis* Epiſtolis *ſummi momenti* atq; utilitatis Eccleſiæ, ſubeſſe. Unde porrò inferri volo, veriſimillimum eſſe eam demum ipſarum Interpretationem quæ maximi omnium momenti ſit, veriſſimam etiam fore. Ac talem equidem, hanc ipſam quam ego molior, apud homines doctos ac prudentes judicatum iri ſpero. Atq; hæc de prima ſucceſſione Eccleſiæ ſub Titulo *Epheſinæ* dicta ſunto.

CAP. IV.

Interpretatio Epiſtolæ ad Eccleſiam in Smyrna.

Apoc. 2. 8. 1. *Item Angelo* Eccleſiæ Smyrnæorum *ſcribito.* Venimus jam ad ſecundam ſucceſſionem ſtatûs Eccleſiæ, cujus Titulus eſt Eccleſia *Smyrnæorum* vel Eccleſia in *Smyrna*; Cujúſq; Intervallum eſt à decimo *Neronis* Annóve Chriſti ſexageſimo tertio, uſq; ad annum Chriſti trecenteſimum viceſimum quartum, ubi *Conſtantinus Magnus*, fervidus Chriſtianitatis profeſſor, ejus pariter ac ſuiipſius potentiſſimos adverſarios bello devicerat. Tunc enim Eccleſia excitata eſt è pulvere (vel potiùs ex cæno ſanguinéq; in quos conculcata erat per decem crudeliſſimas perſecutiones) incepítq; eſſe Eccleſia in πυργάμῳ in *ſublimitate* & *exaltatione*, juxta illius vocabuli ſignificationem. Verùm in hoc Afflictionum ſuarum ac Martyriorum intervallo Eccleſia reverà erat in *Smyrna.*

Σμύρνα enim & μύῤῥα idem ſunt, *Myrrhámq;* ſignificant. Quæ ſive plantam ipſam reſpicias, quæ in locis arenoſis, aridis incultiſq; oritur, ipsáq; aſpera eſt & ſpinoſa, ſpiculatíſq; foliis horrida, ſive ipſum gummi arboris quod mordax eſt & amarulentum guſtui, ipſúmq; nomen indè in lingua *Syriaca* ſortitum eſt מורא quia *amara*, quemadmodum *Martinius* notavit, admodum profectò ſignificans eſt hujus Intervalli Eccleſiæ quod ſuccedit, quo horribiles illæ Paganicæ perſecutiones adversùs Chriſtianos excitatæ comprehenduntur. Ità ut *Smyrna* amaram afflictionem & perſecutionem Eccleſiæ ſignificet, quemadmodum magna illa ſtella *Lampadem* referens nominata *Abſynthium*, funeſtam Occidentalis *Cæſareatûs* calamitatem denotat.

2. Quibus addere potes *Smyrnam*, hoc eſt, *Myrrham* præcipuam pollincturæ partem fuiſſe in condiendis defunctorum corporibus. Quod iterum multa illa funera reſpicit, vel potiùs lanienas & *Martyria* Membrorum Chriſti per ingruentes iſtis temporibus perſecutiones mox eventura. Præterea quatenus *Myrrha* corpus à corruptione conſervat, ſymbolum eſſe poteſt *Memoriarum Martyrum* omni poſteritati conſecrandarum. Ut prætermittam ipſorum Corporum conſervationem, quas *Reliquias* appellitant; quanquam hæc quidem Alluſio nullus prætextus eſſe poteſt abuſuum in his rebus repertorum. Et poſtremò, Alluſio hæc ad *Myrrham*, adhuc magìs emphatica eſt, ex eo quòd corpus Servatoris fidelis illius *teſtis* ſive *Martyris*, quemadmodum ſe appellat, poſt *Martyrium* in cruce peractum, *Myrrhâ* conditum eſſe dicitur, *Johan.* 19. 39.

3. *Hæc dicit Primus & Ultimus, qui fuit mortuus & revixit.* Tituli quibus Chriſtus ſeipſum ornat dum Eccleſiam *Epheſinam* alloquitur, hi ſunt; *Qui ſeptem Stellas ſuâ dextrâ tenet, & qui in medio ſeptem aureorum Candelabrorum ambulat*, nempe per omnes ipſorum ſucceſſiones; juxta promiſſum illud, *Ecce ego vobiſcum ero*

uſq;

uſq; ad finem ſeculi, innuendo iſtis verbis ſui Spiritûs præſentiam, per quem in omnibus difficultatibus Epiſcopos Paſtoréſq; Eccleſiæ ſuæ ſit ſuſtentaturus. Quæ generalis quidem ſignificatio ſatìs attemperata videtur & adaptata conditioni Eccleſiæ *Epheſinæ*, cùm ab ipſis expreſſim nihil ampliùs requirat quàm zelum quendam ac fortitudinem in genere. Jam verò dum *Smyrnæorum* Eccleſiam alloquitur, dúmq; cruenta magìs incipit & terribilis rerum ſcena, eos confirmare velle videtur altioribus, magíſq; ſenſibilibus ac particularibus animationibus in ipſo alloquii ſui introitu; *Hæc dicit Primus & Ultimus*, idem utiq; qui bellum propter hoc Regnum pro quo contendimus, inchoavit, ultimúſq; futurus ſum in acie ad Amicis opitulandum fugandúmq; Inimicos perinde ac fueram primus. Et nolite, quæſo, vereri, pro veritate mortem oppetere; Ipſe enim quanquam crucifixus fui, *ecce* tamen *jam revixi*; Quod ego eâ re vobis narro, ut pignus vobis eſſe poſſit veſtræ itidem felicitatis, ſi & vos vitas veſtras (prout temporum ratio brevì requiret) pro me meóq; Evangelio deponere velitis. Hoc admodum proprium eſt conditioni Eccleſiæ in *Smyrnæo* hoc Intervallo (in quo tam multæ támq; cruentæ perſecutiones erant futuræ) valdéq; appoſitum.

4. *Novi opera tua ac calamitatem ac pauperiem*, hoc eſt, Novi magnam tuam afflictionem ac miſeriam quâ opprimeris, ut quæ univerſis præſentis vitæ ſolatiis deſtitueris, perpetuóq; in mortis verſaris periculo. Quæ quidem Conditio verè admodum *Smyrnæa* eſt, ſecundùm Titulum Eccleſiæ in *Smyrna*. *Ver.* 9.

Cùm tamen dives ſis; Gratiis ſcilicet ſpiritualibus Manſuetudinis, Patientiæ, Chriſtianæq; Conſtantiæ ac Fortitudinis, & ſinceri invictíq; Amoris erga Dominum *Jeſum*, etiam ad ipſam uſq; mortem.

Noviq; eorum blaſphemiam qui Judæos *ſe dicunt nec ſunt, ſed Synagoga Satanæ*, hoc eſt, Contumeliam illam mecum recognoſco quâ iſti homines Chriſtianitatem afficiunt qui exortis propter nomen meum perſecutionibus pro nihilo ducunt fidem abnegare, quanquam interim Chriſtianos ſe appellitent, tanquam ſi Chriſtianus tam vilis eſſe poſſit falſúſq; ac abjectus Hypocrita. Hoc certè eſt blaſphemare eos qui ex meo nomine appellantur. Verus *Chriſtianus*, *Judæus* verus eſt qui corde circumciſus eſt linguáq; proinde non mentietur, Cujúſq; fides in me tam fortis eſt, melioríſq; vitæ ſpes tam firma, ut poſſit, ſi Evangelii mei cauſa id requirat, lubenter vitam hanc amittere, propter amorem mei Regníq; mei amplificationem. *Hi vera* ſunt *membra meæ Eccleſiæ* qui non averſantur pati, alteri verò ſynagoga *Satanæ*, quemadmodum *Petro* dixi, cùm diſſuadere me vellet à ſubeundo mortem Crucis, *Abi ponè me Satana, ſcandalo mihi es, quia ea non ſapis quæ Dei ſunt ſed quæ hominum.* *Matt.* 16. 23. *Judæos* ſignificare *Chriſtianos*, nihil eo, in ſtylo *Apocalyptico*, eſt frequentius. Atq; hæc falſorum Chriſtianorum, per oppoſitionem hiſce *Smyrnæis* Athletis, mentio, eum planè ſenſum inſinuat quem nos dedimus.

5. *Noli metuere quæ paſſurus es*; Nolite imitari ignobilem iſtam ignaviam hujus ſynagogæ *Satanæ*, horum Hypocritarum turpiſſimorúmq; ſimulatorum. Poſt acrem illam Deſertorum Fidei reprehenſionem, rurſus redit ad confirmandam corroborandámq; Eccleſiam *Smyrnæam*, *Ecce conjecturus eſt Diabolus veſtrûm nonnullos in carcerem ut exploremini, feretíſq; decem dierum afflictionem.* Draco ruſus, antiquus ille Serpens in ſuo cum *Michaële* prælio, (Res enim illius viſionis cum hoc *Smyrnæo* Eccleſiæ intervallo coincidunt) Pagani, inquam, à veteri Serpente incitati multos è vobis in cuſtodiam daturi ſunt ut exploretur fides veſtra, Deúſq; fortitudinis veſtræ ac conſtantiæ gloriam reportet. Hoc vobis continget per *Dies decem*, hoc eſt, uſq; ad tempus conſummationis, quo aut victoria & redemptio vobis parta ſit, aut moriamini. *Ver.* 10.

Vel potiùs ſic; *Decem dierum afflictionem feretis*: Decem cruentarum Perſecutionum futuræ ſunt tempeſtates quas vos ſuſtinere oportet; Decem ſcilicet earum Perſecutionum quæ adeò in Hiſtoria Eccleſiaſtica celebrantur, támq; frequenter in omnium ferè ore occurrunt. Quæ quidem conſideratio inter alias haud parùm profectò hanc noſtram *Smyrnææ* Eccleſiæ Expoſitionem confirmat, & per conſequentiam toti ſeptem ſuccedentium Intervallorum Hypotheſi robur adminiſtrat.

6. Nec eorum Objectionem quicquam moror qui plures decem perſecutiones numerant, addendo undecimam ſub *Conſtantio Ariano*, duodecimam ſub *Juliano* Apoſtata, & decimam tertiam ſub *Valente Ariano* Imperatore. *Prophetia* enim cùm *anticipatoria* quaſi *Hiſtoria* ſit, ſat ſanè eſt, ſi loquatur juxta linguam uſitatam *Hiſtoricorum*, quorum Narrationes in his decem adeò celebratis diſtinctéq; cognitis Perſecutionibus recenſendis verſantur. Neq; plures decem ſunt in eo Intervallo quod Eccleſiæ *Smyrnææ* aſſignavimus. Poſt quam indiciis manifeſtis ſe infert ſcena *Per-*

gamena Christianitate de Paganismo veteri devicto ejúsq; persecutionibus, triumphos agente. Et *Julianus* duos annos integros haud regnavit, erántq; ejus utplurimum diversi generis molimina, nec ulla eorum tanti momenti ut hunc computum conturbent. Ut taceam ea accidisse in intervallo diversæ naturæ ac denominationis, nec proinde notatu digna esse, ut quæ si cum contrariis illius Periodi casibus conferantur, nullam habitura sunt rationem.

Equidem fateor *Arrianas* persecutiones satis notabiles esse, sed naturæ longè diversæ sunt ab his decem. Ecclesia ἐν τῷ πέργάμῳ constituta, superba perinde evasit ac exaltata è pulvere, & contentiosa perinde ac superba, juxta illud Sapientis, Prov. 13. 10. *Superbia nihil nisi contentionem dat, apud consultos verò est sapientia.* Christus igitur fidelis erat quantùm ad promissum Ecclesiæ *Smyrnææ* factum, paraverátq; ipsis *coronam vitæ* securitatémq; à Paganicis crudelitatibus & Persecutionibus. Quòd autem Ecclesia postea in *Pergamo* constituta inimicitias inter se exercerent, ipsorum culpæ imputandum est non illius qui expressim ipsos docuerat, *In eo cognoscent omnes vos meos esse discipulos si mutuo vos amore prosequamini.*

Ad decem igitur illas Persecutiones per dies decem hîc alludi nullus dubito. Quanquam nec inficias eo decem illos annos notorios crudelissimæ omnium Persecutionis sub *Diocletiano* speciatim etiam innui posse, æquè ac decem illas persecutiones in genere, per Propheticam *Henopœiam.*

7. *Esto fidelis ad mortem usq; & dabo tibi coronam vitæ*; hoc est, Durate usq; ad consummationem decem persecutionum quibus explorandi estis, & coronam vitæ obtinebitis. Ego coronabo vos *coronâ Imperiali*, quæ *corona vitæ* vobis fiet. Christianitas tandem Religio constituetur Imperii, quod à rufi Draconis persecutione vos in posterum incolumes conservabit. Crudelitati *Romani Paganismi* propter Religionis vestræ professionem non eritis diutiùs obnoxii. Hæc igitur *corona vitæ* vobis erit. Quod quidem consentaneum est dicto illi Apocalyps. 21. 4. *Nec amplius mors erit*, hoc est, non erit Persecutio, hominúmve Religionis ergô mactatio. Quæ eximium in modum hujus *Smyrnææ* Ecclesiæ sub *Paganica* crudelitate erat conditio. Quamobrem postquam libertatem suam acquisivissent, *vitæ corona* ipsis erat per *legem oppositionum.* Hunc genuinum sensum esse apparebit porrò ex eo quod sequitur.

Vers. 11. 8. *Qui aurem habet audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Hoc cùm usitatum sit Parabolarum *Epiphonema*, planè innuit quod hactenus dictum est, vaticinium esse *Parabolicum.* Est autem natura Prophetiæ sive vaticinii ut ejusmodi res prædicat quæ hîc in terris peragendæ sint. Ac proinde ubi promissum non est de rebus Divinis statúve post hanc vitam, *Epiphonema* sequitur; uti valde manifestum est in promisso Ecclesiæ *Thyatirensi* facto quod primum exemplum est *Epiphonematis* loco omnium ultimo positi; quod indicio est totam Epistolam ibi esse Propheticam. V. 26. *Qui vicerit & verba mea custodierit, in gentes ei dabo potestatem*, &c. Quod igitur ad præsentem hujus terræ scenam spectat. Ac proinde promissum hoc de *corona vitæ* ante *Epiphonema*, de præmio in hac vita super hanc terram interpretandum statuo, quemadmodum hunc locum exposui.

Jam verò, quod sequitur hoc Epiphonema, est alterius generis Promissum, viz. *Qui vicerit non lædetur à secunda morte.* Est enim ipsis Confirmatio beatæ Immortalitatis post hanc vitam, videtúrq; porrò respondere illi loco in Apocalypsi, c. 20. v. 6. *Beatus & sanctus qui partem habet in prima Resurrectione, In eos secunda mors non habet potestatem.* Quamobrem tametsi non quidem secundùm severiorem rigidi syllogismi illationem, secundùm tamen scitas illas ac delicatas strictúras Propheticarum subindicationum concluſum volo, Promissum sortis in *Prima Resurrectione* afflictis hisce *Smyrnæis* hîc proponi. Quæ sors propria erat *Martyrum* ac *Confessorum* juxta opinionem Ecclesiæ primitivæ, quemadmodum Clarissimus *Medus* doctè & cum judicio observavit. Quæ quidem opinio hanc Epistolæ ad Ecclesiam *Smyrnæam* scriptæ applicationem huic Intervallo, quod omnium ferè perpessionum primitivorum Martyrum tempora complectitur, mirificè corroborat. Promissum quidem beatæ Immortalitatis satis proprium fuisset & accommodatum huic *Smyrnæo* Ecclesiæ statui, quibus tam frequenter ob professionem Evangelii vita erat perdenda; ut verò ipsis subindicetur se in prima Resurrectione partem habituros, quod proprium est *Martyrum*, sicut ex loco suprà citato apparet, hujus Intervalli tam clarus est character, (in quo nempe Primitivi Martyres ferè omnes mortem passi sunt, in decem utiq; illis Persecutionibus) ut mirum in modum Expositionis præsentis hujus Epistolæ secundùm hanc *Mysticam* Rationem, quam adhibuimus, veritatem confirmet. Atq; hæc de Ecclesia in *Smyrna*, hoc est, in מרא in *Amaritudine* Oppressionis

sionis & Afflictionis, quemadmodum Allusio ad vocem *Syriacam* innuit. Ad Ecclesiam jam pergimus *Pergamenam.*

CAP. V.

Interpretatio Epistolæ ad Ecclesiam in Pergamo.

1. ITem Pergamensis *Ecclesiæ Angelo scribito.* Intervallum hujus Ecclesiæ est ab anno Christi 324. ubi *Constantinus Licinii* copias penitus profligavit, non amplius triginta millibus è millibus centum & triginta elabentibus, itaq; cum suis victoriis Ecclesiam pariter ex diuturnis suis & intolerandis miseriis triumphantem reddidit, in sublime eam evehendo è funestis suis oppressionibus & persecutionibus. Ab hoc anno, inquam, ad annum millesimum ducentesimum quadragesimum secundum, quando *Papæ* Legatus *Amelinus* cum *Trancavello* filio notho *Comitis Beziers* bellum Albigense finivit, Intervallum hoc sit Ecclesiæ in *Pergamo.* *Apoc. c. 2. vers. 12.*

2. De principio hujus Intervalli nullum potest esse dubium; & de illius terminatione, duæ hæ rationes adsunt quibus confirmetur. Prima est, quòd posterior eorum Numerorum in ultimo Capite *Danielis*, viz. Numerus 1335, digitum intendit in principium rerum *Waldensium* & *Albigensium*, qui utriq; una Secta sunt & ab uno Autore, *Waldo Lugdunensi*, viro pio probóque, cujus prædicationes, suæq; & sectatorum suorum afflictiones & persecutiones inciderunt in terminum circitèr illius Numeri, cujus Epocha est Templi prophanatio per *Antiochum Epiphanem.* Tam notabile Providentiæ specimen est Exortus *Waldensium* iis temporibus inter Annum Christi 1160, & millesimum centesimum septuagesimum. Damnati enim erant tanquam Hæretici ab *Alexandro* Papa in Concilio *Lateranensi*, Anno 1162. Unde minimè dubium est quin persecutiones statim sequerentur. Et *Josephus Medus* magno sanè cum judicio posteriorem hunc Numerum apud *Danielem*, in hæc ipsa tempora digitum intendere contendit. Nec sanè illa vox *Danielis*, hujus omninò opinionem enervat, ex eo quòd dicit, *Beatus qui expectabit & pertinget ad dies mille trecentos triginta quinque.* Nam & in *Apocalypsi* etiam dicitur, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, hoc est, qui propter Dominum *Jesum* mortem oppetunt. Et de Ecclesia *Smyrnæa* dicitur, *Novi calamitatem tuam ac pauperiem, cùm tamen dives sis.* Judicium Spiritûs Dei carnalísq; hominis judicium hisce de rebus inter se prorsus adversantur. Quod hic *pauperiem* appellat, *Spiritus* appellat *divitias*; quod hic *miseriam*, Spiritus *Beatitudinem.* Quamobrem res *Waldensium* seu *Albigensium*, notabilis, distinctus conspicuúsq; temporis articulus est etiam secundùm sententiam *Spiritûs* Prophetiæ.

Nunc verò secundo in loco, Intervallum hujus Ecclesiæ *Pergamensis*, non in principium sed in exitum rerum *Waldensium* sive *Albigensium* termino, quippe, cùm iidem ferè sint, eóq; igitur anno cujus feci mentionem, planè concluси, eorum perpessiones hoc pacto unius illius *Martyris Antipæ* perpessionibus accuratiùs respondebunt, qui hîc in *Pergamo* dicitur occidi. Cæterùm harum rerum concinnitatem, postquam nominis Pergami sensum rationémq; aliquantisper excussérimus, rectiùs intelligemus.

3. Per *Pergamum* statum *Exaltationis* sive sublimitatis significari, suprà monui. Sublimia omnia dicta *Asiaticis* πέργαμα notat *Hesychius*, *Suidas* & *Servius*, inquit *Grotius* in Apoc. 1. 11. Unde ille Ecclesiam in *Pergamo* commonefacere nos ait de rebus celsis, Divinis utiq; ac cœlestibus. Verùm hic *Moralis* sensus est non *Propheticus.* Cæterùm cum eo nihilominus agnosco ad *sublimitatis* significationem alludi in genere, hîc verò omnium elegantissimè maximéq; tempestivè ratione ad præcedentem Ecclesiæ in *Smyrna* statum habitâ, qui status erat *Humiliationis amaræq;* afflictionis. Verùm in ipso hujus Intervalli initio, cùm ex hoc humili, funesto ærumnosóq; statu in statum gloriæ, pacis ac prosperitatis emergeret, quid potuit esse significantius quàm Titulo *Ecclesiæ in Pergamo* eam salutare, quemadmodum & hîc salutatur? Quod congratulationis quoddam genus est de recenti emersione è nuperis suis miseriis. Atq; hic ipse sensus ad tempus in hoc intervallo obtinebit, ad dies nempe Apostasiæ suæ. Tunc verò Ecclesia Apostolica, Ecclesia quidem in *Pergamo* etiamnum erit, sed diverso sensu intellecta.

4. Pro styli igitur Prophetici sensûs opulenta varietate, *Pergamus* etiam aliam hîc habet

habet ſignificationem, qualem ſcilicet civitas *Babylon* civitáſq; *Tyrus* quando ponuntur pro civitate *Roma*; Qui nequaquam talis ſenſus eſt ut mœnia lapidéſq; *Romanæ* Civitatis intelligantur, ſed *Romana Eccleſia* ejúſq; poteſtas & Juriſdictio. Et tali omninò ſenſu *Pergamus* hîc pro *Roma* ponitur. Adeò ut hæc Epiſtola ad Eccleſiam Chriſti in *Pergamo* ſcripta, (ad Eccleſiam utiq; verè Catholicam & Apoſtolicam) ad Eccleſiam hanc dirigitur ſub *Romana* Eccleſia vel intra *Romanæ* Eccleſiæ juriſdictionem habitantem, *Romam veterem* præſertim intelligendo; prout viſiones omnes *Apocalypticæ* eam præcipuè perſtringunt. *Romam* verò hoc ſenſu per *Pergamum* perſtringi valdè manifeſtum eſt, Primò, ex facili Alluſione *Pergami* ad *Romam* propter conſimilem vocabulorum ſignificationem. Quemadmodum enim *Pergamus* ſublimitatem ſignificat, ità (ſicut *Martinius* notat) *Roma* ab Hebraica voce רום *Exaltari* originem ducit. Præterea ipſe ſitus Urbis ſublimis eſt ædificiáq; excelſa juxta illud Poëtæ,

Collibus è ſeptem totum circumſpicit Orbem.

Omnium autem celſiſſimus eſt ipſe Epiſcopus *Romanus*, qui *ſe exaltat ſupra omne quod Deus dicitur aut colitur.* Annon hic igitur idoneus eſt *Pergami* Epiſcopus, qui caput ſuum ſupra omnes Reges ac Imperatores Principéſq; terræ ſic effert? Noſtrum verò Intervallum Eccleſiæ *Pergamenſis* ad ſummæ exaltationis ſuæ tempora pertingit, utpote quod & *Gregorii ſeptimi* tempora comprehendit qui primus Imperatorem excommunicavit, poteſtatémq; ipſe ſibi aſſumpſit creandi Imperatores: Et *Alexandri* tertii, qui Imperatoris *Frederici* cervicem pede impoſito turpiter calcavit; Et *Cœleſtini* deniq; tertii, qui *Henricum ſextum* uxorémq; Imperatricem pede ſuo coronavit, & per ludibrium Imperatoris coronam pede capiti excuſſit poſtquam eum coronâſſet. Equidem Papæ *Romani* eis temporibus Epiſcopi erant ſenſu eximio *Pergameni*; nec poſt hoc Intervallum criſtas ſuas tam altè unquam poterant attollere. *Boniſacius* quidem octavus Fulminator erat furioſus ac Thraſonicus, excommunicavítq; *Philippum* Regem *Galliæ*, Pulchrum cognominatum. Verùm hanc ob id facinus mercedem tulit, ut ſtultus ab eo per opprobrium appellatus ſit, itáq; tandem tractatus, ut captus *Anagniæ*, ſtrigoſo jumento contumeliosè impoſitus captivus deferretur *Romam*, ubi per mœrorem ac ſuperbiam anima ipſi ſuffocata eſt, mortémq; ſic obiit ingloriam.

Deinde de hoc *Pergamo* dicitur quòd omnium Civitatum in *Aſia*, Idololatriæ maximè ſit dedita (ità de ea refert *Andreas Cæſarienſis*) Qui Character *Romæ* notorius eſt præ reliquis Civitatibus univerſis. Ac proinde alibi in *Apocalypſi meretrix Babylonica* propter ſpiritualium ſuarum Fornicationum inſatiabilitatem appellatur.

Tertiò, *Pergamenſes* admodum feroces ac diligentes fuerunt Chriſtianorum Apoſtolicorum Accuſatores, ut afficerentur utiq; *Martyrio*, quemadmodum doctiſſimus *Hammondus* ex antiqua Hiſtoria in locum adnotavit. Ob quod etiam *Roma* aliàs taxatur in *Apocalypſi*, quæ ebria dicitur ſanguine Sanctorum & ſanguine Martyrum *Jeſu*.

Quartò, Memoriæ mandatum eſt Præfectum hujus Civitatis *Pergami* perſuadere voluiſſe Chriſtianis ut Fidem Apoſtolicam deſererent, & redirent ad Ethniciſmum, ὅτι τὰ πρεσβύτερα τιμιώτερα ἦν, Quòd *antiquior Religio venerabilior eſſet* magíſq; præferenda. Quemadmodum *Antiquitas* magnus eſt *Papalis* Eccleſiæ prætextus. Præfectus ille de Chriſtianitate dixit quòd non niſi ἐφὲ πολὺ ἀρξαμένην eſſet, non niſi *heſterno quaſi die orta*; nec dubium eſt quin Eccleſia *Romana* ſic pronunciaret de *Waldenſium* Religione & *Albigenſium*. Vide *Hammondum* in locum.

Poſtremò, Ut Martyr *Antipas* ſit qui in *Pergamo* eſſet occiſus, Ecquo certiori magíſve definito indicio Eccleſia *Romana* ſive *Papalis* indigitari poteſt quàm hoc? πᾶς enim *Pater* eſt, & πάππας qui eſt *Papa* non eſt niſi Reduplicatio vocabuli πᾶς, ſicut *Euſtathius* notavit. Et ἀντὶ idem ſonat atq; adversùs ſive contrá. Hoc ſanè ſatis apertum eſt. Expectâſſe verò Ἀντιπάπας pro Ἀντίπας in hac, utì ſupponitur, Prophetia, ſtyli *Apocalyptici* legibus repugnâſſet, qui de debita *celatione* perinde ſolicitus eſt atq; de certitudine *Revelationis*. Adeò ut locus tam perſpicuus modo nimis rudi duróq; ſupra reliquam repexam delicatámq; harum viſionum contexturam extare deprehenſus fuiſſet, nimíſq; maturè ſenſum horum vaticiniorum intelligendi dediſſet occaſionem. Ut præteream *Antipapas* nullius hominis eſſe nomen proprium, ipſámq; *Literalem* Hiſtoriam requirere ut ſit *Antipas*. Quamobrem indicatio, & quoad ſenſum & quoad ſonum in hac voce *Antipas*, æquè exquiſita eſt atque, ſi ſtyli *Apocalyptici* naturam reſpiciamus, eſſe aut potuit aut debuit. Ac proinde quis

tam

tam cæcus eſſe poteſt quin facilè videat quàm aptus ſit Typus hic *Antipas*, eorum quibus in hoc Eccleſiæ Intervallo propter ſuam ſancti illius Patris, Papæ, qui dicitur, oppugnationem mors eſſet oppetenda? Nihil ſanè congruentius magiſve harmonicè ſonat, quicquid contrà, per cavillationem, à quoquam dici poſſit. Summa igitur Interpretationis hujus præſentis Epiſtolæ ad Eccleſiam in *Pergamo*, ad puram Eccleſiam Apoſtolicam intra Juriſdictionem *Romanæ* Eccleſiæ manentem pertinebit, quemadmodum hic ſenſus planè innuit; ad *mulierem* utiq; in *Deſerto*, ſicut Spiritus ſanctus alibi loquitur.

Hæc dicit qui gladium habet ancipitem acutum. Chriſtus ſic deſcribitur in hac Epiſtola ad Eccleſiam in *Pergamo*, quia hic gladius Spiritûs, quod Dei verbum eſt, (per Divinum Spiritum in nobis ſapidè intellectum) præcipua armatura erat quâ Eccleſia in *Pergamo* ſe à *Pergamenis* corruptionibus defendebat, itáq; ſe à falſis gloſſematis impuríſq; traditionibus ſive ſuperſtitioſorum hominum ſive callidorum Impoſtorum, integram & incontaminatam conſervabat. *Verſ.* 13.

5. *Novi tua facta & ubi habites, ubi Satanæ thronus eſt, tenéſq; meum nomen, nec meam fidem negâſti etiam iis temporibus quibus* Antipas *fidus ille teſtis meus apud vos interfectus eſt, ubi Satanas habitat*; hoc eſt, Novi te, quantùm ad ſummam, rectè facere, & in majorem tuam laudem, ubi habites conſidero, etiam illic ubi Primogenitus *Luciferi* thronum ſuum habet, is qui ſe extollit ſupra omne quod Deus dicitur aut colitur, (ſic Chriſtus *Satanam* comparat *Lucifero* ſive Regi *Babylonis* (de quo Propheta ait, *ut cecidiſti Lucifer fili Auroræ!*) Luc. 10. 18. *Vidi Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem*) & tamen nec timor nec ſplendor illius Eccleſiæ efficere potuit ut nomen meum deſereres, & cùm verus Chriſtianus eſſe deberes, ut *Antichriſti* membrum evaderes, itáq; puram fidem Apoſtolicam relinqueres, nè in illis quidem temporibus quibus fidus meus teſtis *Antipas*, hoc eſt, ſimplices illi palámq; profeſſi hoſtes Papæ ejúſq; adulteratæ ac Idololatricæ Religionis, *Waldenſes* ſcilicet & *Albigenſes*, tam crudeliter tractati ſunt ac trucidati. Qui apud vos occiſi ſunt, qui reſtitiſtis quidem & tamen evaſiſtis, quanquam in ipſa ſynagoga *Satanæ*, hoc eſt, in illa Eccleſia quæ omnium meorum verorum membrorum perfidioſa hoſtis eſt & acerba calumniatrix accuſatríxq; ob id ſolum quòd Improbitatis Legibus quas ipſa ſtabiliverit, nolunt aſſentiri, pejórq; profectò hoſtis quàm *Draco* olim erat *Paganicus*, quem igitur mea Eccleſia paucis ſeculis debellavit. Hic, inquam, *Satanas* hoſtis pernicioſior eſt quàm *rufus* ille *Draco* propter calliditatem ſuam ac Hypocriſin, prætextúſq; quòd à me ſit cùm reverà ſit contra me, & propter ſimulatæ meæ Autoritatis abuſum adversùs veræ meæ Eccleſiæ membra. Quamobrem non poſſum quin mecum recognoſcam ubi habites, quomodóq; eâ ratione pejori conditione conſtituta ſis quàm ipſa Eccleſia *Smyrnæa*, cui cum profeſſo tantùm inimico decertandum erat, tibi verò & cum maligno Inimico & cum Amico falſo & Hypocritico. Præclarè igitur abs te factum eſt quòd in tam arduis & difficilibus rerum circumſtantiis tam fortiter perſeveres.

6. Hic ſenſus hujus verſûs eſt in genere. Jam verò particulatim, cur *Waldenſes* & *Albigenſes*, qui hoc Eccleſiæ Intervallo perſecutionibus infeſtati ſunt, *Antipas* debeant appellari, cur *martyr*, cur *fidelis*, & cur *occiſus* potiùs quàm *crematus* vel *combuſtus*, hanc breviter reddemus rationem. Multitudinem autem ſive corpus hominum ſucceſſivum, ſub una ſingulari perſona ſtylo Prophetico repræſentari, tam tritum eſt ut nihil opus ſit notare. *Alcazar*, *Jeſebelem* proximâ Epiſtolâ commemoratam Eccleſiam facit *Judæorum*; *Aretas*, *Nicolaitarum* Sectam; *Hammondus* verò, *Gnoſticorum*. Jam verò ut hæc perſona ſingularis *Antipas* appelletur, nihil profectò eo congruentius eſt doctrinæ *Waldenſium* & *Albigenſium*, qui audacter Papam eſſe *Antichriſtum*, Miſſam *abominationem*, Hoſtiam *Idolum*, & Purgatorium deniq; *fabulam* prædicabant. Et *Waldus* qui præcipuus hujus ſectæ Author erat, ejuſdem erat ſententiæ, negans Papam Caput eſſe Eccleſiæ, ullámve habere autoritatem in Reges Principéſq; terræ, quos à ſolo Deo immediatè dependere contendebat. An non hic eximius erat *Antipas* tam directè impugnans *ſeſéq;* *opponens* ſummæ *Paternitati* ſancti Pontificis *Romani*? *Fideles* autem erant in eo quòd tanti momenti veritates tam apertè mundo declarabant: Et *Martyres*, quia ob hoc ipſum mortem oppetebant; ſiquidem Dei causâ hoc perpeſſi ſunt, & in amplificationem *Regni* Chriſti. Et *occiſi* deniq; dicuntur (putà gladio alióve quovis telo bellico) non *cremati*, quoniam concrematio ſive combuſtio rarior erat hoc Eccleſiæ Intervallo; ſed multa centena eorum millia in acie occiſi ſunt. Magna *Waldenſium* multitudo qui arma ſumpſerant in *Germania*, ad internecionem uſq; cæſi ſunt Anno 1220, (utì *Matthæus Pariſienſis* refert) cùm in loco tam incommodo, nempe mare inter ac paludem,

dem, clauſi eſſent,ut elabi non poſſent. Et *Joſephus Medus* ex *Petri Perionii* libro de bello *Albigenſium*, ferè decies centena eorum millia diverſis temporibus, ídq; in ſola *Gallia*, bello occiſos narrat. Quamobrem *per gladium occiſio* admodum characteriſticè de *fideli Martyre Antipa* in hac Epiſtola memoratur,cùm vivicomburium nondum tam frequens eſſet, nullámq; rationem haberet ad ingentem illam multitudinem in bello occiſorum. Unde hæc notabilis diſtinctio eſt inter præſens hoc Eccleſiæ in *Pergamo* intervallum, illúdq; ſtatûs illius in *Thyatiris*, utì ſuo loco videbimus.

Nec certè hîc ullus ſcrupulus ſubeſſe poteſt, quòd hunc locum de *Martyre Antipa*, *Albigenſibus* & *Waldenſibus*, qui in prælio occiſi ſunt, applicavimus, ac ſi minùs rectè, ob id ipſum, *Martyres* ſint appellandi. Nam qui vitam ſervare poteſt abrenunciando veritatem, & tamen illius causâ eam perdit quantumvis in prælio, *Martyr* rectè judicatur. Atq; ſic omninò ſe res habuit apud hos homines. Inſignitérq; huc facit quod ab eruditiſſimo *Medo* notatum eſt, nempe, cùm *Simon Monfortius* Cruceſignatorum Dux magnâ clade eos ad *Morellum* deviciſſet, Epiſcopúſq; *Toloſanus* ſtragi intercedens, eos qui adhuc reſidui in tentoriis fortè manſerant, miſſo quodam *Religioſo* admoneret,ut tanto quaſi Dei irati & contra eos pronunciantis flagello convicti jam tandem feritate depoſitâ,ad fidem, quam vocant, Catholicam converterentur, eos ſtatim ſe populum Chriſti per *Beſtiam* (Apoc. 13. 7.) victum retorquentes, fatúmq; ſuum agnoſcentes hoc quaſi clypeo Tentationis impetum fruſtratos eſſe, atq; ad unum omnes à recurrentium militum manu interfectos fortiter occubuiſſe. Unde manifeſtum eſt *Martyres* fuiſſe propriè ſic dictos, juxta noſtram *Martyrii* definitionem: Ut erant ſanè multi *Antipæ* in hoc Intervallo qui eo etiam modo Martyrium paſſi ſunt, contra quem nulla moveri poſſit Cavillatio, modo ſcilicet omninò *paſſivo*, nullâ factâ contra vim inferentes *reſiſtentiâ*.

Ver. 14. 7. *Sed habeo contra te pauca, quòd habes iſtîc qui* Balaami *doctrinam teneant qui* Balacum *docuit ſcandalum* Iſraëlitis *afferre quò Idolothytis veſcerentur & ſcortarentur.* Hoc toti eorum cætui dicitur qui propriis judiciis & doctrinam & praxes Eccleſiæ *Romanæ* condemnabant. Hi verò in tria genera partiri poſſunt: In eos qui etiamſi hujus ſententiæ eſſent, communionem tamen cum ipſa nihilominus colebant, prætendebántq; ea in re rectè ſe facere: in eos qui ſeparaverant ſe ab illius communione; & in eos deniq; qui non ſolùm ſe ſeparâſſent, ſed mortem ob id ipſum perpeſſi eſſent. Hi poſtremi *Martyr* erat *Antipas* ſuprà nominatus; primi *Balaamitæ* qui hîc reprehenduntur, qui ingenio erant magìs *Gnoſtico*, nimiúmq; ad carnalem ſapientiam proclives, eò prudentiores reliquis ſe exiſtimantes quòd caput periculis ob opinionem ſuam in rebus Religionis non exponerent. Rectè profectò facitis, *inquit ille*, in profitendo ſententiam veſtram de Papalis Eccleſiæ enormitatibus, & in condemnando eas in internis veſtris cogitationibus ac conſcientiis; Hoc verò malè me habet, quòd permittitis, (aliqui veſtrûm) *Balaami* doctrinam effectum ſortiri, hoc eſt, Quòd communionem colitis cum hac Eccleſia *Romana* in *Idololatrica* ſua Euchariſtia, & comedendo *Deum* illius *Panaceum* ſpiritualem patratis Fornicationem, & Idololatriæ ſcelere voſmet alligatis. (*Idolothytis veſci* unus modus eſt *Idololatriæ*, ſed per *Dioriſmum* Propheticum *Idololatriam* hîc ſignificare poteſt in genere.) Hanc vobis libertatem aliiſve indulgere, ſcandalum profectò eſt afferre *Iſraëlitis*, & occaſionem dare & animationem multis ad adhærendum *Romanæ* Communioni, cùm ab ea ſe ſeparare debeant, ut nullum damnum veræ meæ Eccleſiæ fiat nec Regno meo detrimentum.

Durum hîc fortaſſis tibi videri poſſit, quòd *Idolothytorum* comeſtionem interpreter de communione cum *Romana* Eccleſia in Miſſa ſua *Idololatrica*. Quomodo enim Panis ille conſecratus *Idolo* dici poteſt offerri? Equidem verum eſt, eum cui offerre prætendunt, *Idolum* non eſſe ſed Deum verum: At enim per *Idololatricas* ſuas conſuetudines Divinum illi cultum communicando quod non eſt Deus, veri Dei naturam adeò deprimunt, ut notionem illius veram perdidiſſe videantur, ejúſq; loco *Idolum* colere ex proprio cerebro fictum. Neq; enim verus Deus tam vilis res eſt & abjecta, ut quævis res alia illius cultum participet. Ac proinde ſecundùm ſtyli Prophetici rationem mordacem ac penetrantem, illi qui *Idololatriam* cum Dei veri cultu miſcent, repræſentantur tanquam nullam habentes veram illius notitiam. Et propterea quicquid cultûs religioſi exhibent, cùm veri Dei notitiâ deſtituti ſint, *Idolo* alicui neceſſariò concipiuntur præſtare. Juxta quem ſenſum intelligendum eſt illud *Amoſi*; *Num mihi victimas & oblationes obtuliſtis in ſolitudine annis quadraginta, domus* Iſraëlis? *Immò verò* Molochi *tabernaculum tuliſtis, ſignúmq; veſtrorum ſimulachrorum, ſidus Dei veſtri, quod vobis feceratis.* Ubi verus Deus propter ipſorum

ipsorum *Idololatriam* in colendis aliis Objectis, negat se ullo tempore tunc ab ipsis cultum fuisse, quanquam proculdubio putabant se victimas ac sacrificia illi obtulisse. Hoc sanè expressum est satísq; propositæ difficultati appositum.

Verùm in Expositione hac nostra id solum innuimus, *Diorismum* esse Propheticum sive Synecdochen, quâ *Idololatria* in genere per particularem illam speciem, *Idolothytorum* esum, significatur. Quæ locutio majori hîc cum aptitudine & elegantia usurpatur, quia *Idololatria* in ea Religionis parte committitur quæ in rebus consecratis comedendis celebratur. Et certè si consideremus Cœnam Dominicam Epulum Festúmve esse post Sacrificium, juxta illud S. *Pauli, Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus, itaq; festum agamus*, statim atq; supponimus Sacrificium hoc *Idololatriâ* contaminatum, quæ obsecro magìs naturalis appositáq; illius reprehensio esse potest quàm si Paganorum Festis Epulísve ex *Idolothytis* comparemus? Quamobrem nè minima quidem huic Interpretationi inest inconcinnitas aut inelegantia. 1 Cor. 5. 7.

Quin & ipsorum nominum hoc versu occurrentium rationem breviter attingere haud abs re fore puto, quippe quæ *Pergami* Titulo satìs sunt consentaneæ. Nam ut *Pergamus sublime* significat, ità *Balaamus Dominum populi.* Qui quidem *Balaamus* cùm *Pseudopropheta* sit, Papæq; atq; ejus Cleri Typus, cum *Pergamena* hac Periodo, in qua cervices Imperatorum calcavit, coronásq; pede excussit capitibus, apprimè profectò convenit. Quæ enim hâc potest esse major Dominatio? Et *Balacus*, qui hîc secularis potestas est, sive *exitium*, sive *inanitatem* significet, in horum temporum statum optimè quadrat, ubi potestas *Papalis* omnes ità subjugaverat ut *secularis* Magistratus non esset nisi cruentus illius Edictorum minister, surdæve tantùm Cyphræ vices impleret, *Temporali* Potestate ferè prorsus exinanitâ per lascivientiam *Spiritualis*.

8. *Item habes & tu qui* Nicolaitarum *doctrinam teneant, id quod ego odi.* Id etiam quibusdam vestrûm vitio verteudum est quòd vasa vestra câ honestate ac sanctitate quâ par est non possidetis, quódq; tametsi spirituales *Pergami* fornicationes superbiámq; planè *Luciferianam* discernere potestis, non tam puri tamen ipsi estis castíq; quàm oportet, támq; liberi à carnis cupiditatibus. (Quæ turpitudo hîc per *Nicolaitismum Dioristicè* notatur, ut *Idololatria* antea in genere per esum *Idolothytorum.*) Caro & sanguis nimis quàm proclivis est ad res hujusmodi pro nihilo ducendas, quoniam adeò naturales sunt sensibúsq; congruæ: verùm apertè vobis enuncio, hoc mihi summoperè displicere. *Estote sancti, quemadmodum & ego sanctus sum.* *Vers.* 15.

Corrige te; alioquin aggrediar te brevì, & cum istis oris mei gladio depugnabo. Emendate mores istos nè ad vos veniam in judicio; Fortassis per magìs sedulam *Dominorum Inquisitionis* vigilantiam, (quorum Dominatio præcipuè erat in Intervallo subsequenti) ut & aliarum Curiarum; Quarum ministri præ curiositate præter modum prompti erunt ad subodorandum & retegendum unumquemq; qui Religionem suam dissimulet. Frequénsq; terror Vivicomburii, Lasciviæ ac Libidinis flammas efficaciùs supprimet & extinguet. Et quemadmodum ad vos sic in judicio venturus sum nisi resipueritis, ità certè mecum statui cum Adversariis vestris porrò pugnare, *Pergamenis* utiq; sive *Romanis*, oris mei gladio, usq; dum ingentes à corpore hujus latè extensæ arboris ramos absciderim, integráq; Nationes à communione hujus Ecclesiæ Idololatricæ virtute verbi ac prædicationis Evangelii detruncaverim. Hæc est quorundam Eventuum in subsequenti Intervallo contingentium, secundùm harum Epistolarum [illegible]nium, prædictio. *Vers.* 16.

9. *Vincenti dabo vesci mannâ abscondito.* Promissum hic cùm post Epiphonema sequatur (Qui aurem habet audiat) intelligi debet (juxta Regulam) *Theologicè* sive *Spiritualiter*, non *Physicè* aut *Politicé*. Quamobrem sensus hic est; *Pergameni* quidem isti, quando album illud ac dulce crustulum consecratum oribus communicantium indunt, se *verum Manna* ipsis dare prætendunt, ipsum utiq; corpus meum sanguinémque, qui cruce effusus est, ipsámq; meam carnem quæ illic crucifixa est fractáq; pro ipsis, cùm tamen Eucharistiam suam ità ministrent ut cœnam meam in *Idolothytorum* festum convertant, ejúsq; participes *Idololatriæ* ac Fornicationis spiritualis crimine astringunt, quandoquidem Divinum cultum illi præstant quod non est Deus. Ità ut, quemadmodum in rebus *Balaami Israëlitis*, Idolis immolata comedenda erant in ordine ad *carnalem Fornicationem*; ità qui hanc adulteratam Eucharistiam participant, eo ipso (præsertim ex quo quartum Concilium *Lateranense* celebratum est) necessariò trahuntur in *spiritualem Fornicationem* sive *Idololatriam.* Qui verò fortis est obfirmatéq; ab illicita hac communione abstinet, & per *Vers.* 17.

fidem omnes devincit difficultates, pro externo hoc ac viſibili albo cruſtulo quod amiſerit, dabo illi *Mannâ* abſcondito veſci, vero illo *Mannâ* ſpirituali, Johan. 6. memorato. *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Verba autem quæ ego illîc loquor, *ſpiritus ſunt & vita ſunt.* Quòd ſi in cauſa hac ſuſtinenda illi mori obtigerit, ego *Manna* iterum occultum illi dabo, etiam inviſibilem cibum Angelorum, animáq; ejus tranſibit in ſocietatem beatorum *Geniorum*, Animarúmq; Sanctorum hujus vitæ ærumnis defunctorum.

10. *Eiq; dabo calculum album & in calculo novum nomen quod nullus novit niſi qui accipit*, hoc eſt, Quamvis accuſetur & contumeliosè tractetur pro Hæretico & Schiſmatico in Eccleſia *Pergamena* ubi *Satan* Accuſator habitat, dabo tamen illi calculum album abſolvámq; in judicio, & gaudium pacémq; bonæ Conſcientiæ illi ſtabiliam. Vel ſic, Ego dabo illi calculum album in quo novum nomen ſcriptum eſt, hoc eſt, Vetus homo penitus crucifigetur & novum aſſequetur hominem in ſua puritate, & inæſtimabilem poſſidebit *Divinæ Naturæ* margaritam puram ac permanentem; Cujus præſtantiam nemo novit, niſi qui illius ſit particeps. Regenerationem illi conſummabo aut in hac vita aut ex tranſitu in ſtatum alterum, ſi ſubito contigerit ut abripiatur Martyrio. Atq; hoc quidem abundè compenſabit omnes injurias quas elata *Pergami* Eccleſia illi in vita, bonis, bonóve nomine ſit illatura.

CAP. VI.

Interpretatio Epiſtolæ ad Eccleſiam in Thyatira.

Apoc. 2. 18. 1. ITem Angelo Eccleſiæ in *Thyatira* ſcribito. Vera Chriſti Eccleſia adhuc ſub poteſtate & intra Juriſdictionem *Romanæ* Eccleſiæ eſt; Ac proinde quemadmodum *Roma* indigitata eſt per Civitatem *Babylonis*, *Tyri* & *Pergami*, ità hîc neceſſariò in hoc Intervallo intelligenda eſt per Civitatem *Thyatiræ*, tali putà ſenſu quali per Civitatem *Pergami*. Ad vocem θυγάτηρ (unde & *Strabo* & *Plinius*, aliíq; qui *Critici* ſunt, rationem Nominis *Thyatira* deducunt) hîc alludi proclivis ſum ad credendum propter iſtas Autoritates, Romanæq; Eccleſiæ muliebritatem in hac periodo perſtringi. Mollitiem ejus ac Luxuriam majora ſolito incrementa ſumpſiſſe in hoc Intervallo non eſt dubitandum, ut nec ejus Avaritiam, miráſq; mangonizationes ac ornatus in ſplendore Altarium, Templorum, veſtium Sacerdotalium & ſimilium. Quod tam perpetuum tantóq; gradu priori Intervallo eſſe non potuit. Hîc verò illa continuè ſpectari poteſt tanquam θυγάτηρ ἱταμίας, *Filia delicatula, ſedens ſicut Regina, & luctum non videns*, cùm paulò antè propè abfuerit ut à *Waldenſibus* & *Albigenſibus* debellaretur, coactáq; eſſet in aciem prodire *virilitérq;* pugnare pro ſua Incolumitate. Paulò poſt initium hujus Intervalli *Innocentius quartus* in Concilio *Lugdunenſi* conſtituit, ut Cardinales cum roſeis Galeris Stolíſq; incederent, Equíſq; inequitarent cum Ephippiis Phaleríſque, nobilitati ſui Ordinis lautitiæq; Conditionis congruentibus. *Pauliq; ſecundi* Mitra ſpeciatim notatur propter eximiam Gemmarum pretioſitatem. Nec dubium eſt quin conſimile Eccleſiaſtici ſplendoris ubiq; eſſet Incrementum. Paulò autem ante initium hujus Intervalli *Honorius tertius* ſtatuit ut *Carmelitæ* albis veſtibus incederent, ut morem virgineum magis ad vivum referrent, decrevítq; ut appellarentur *Familia Virginis*. Et *Franciſcani* & *Dominicani* per totum hoc Intervallum notorii ſunt, qui & Virginem *Mariam* pro peculiari ſua Patrona habuerunt. Et ut ſummatim dicam, Eccleſia *Romana* intra hoc Intervallum venæ fœmineæ ità indulgebant, ut generaliter ſub regimine ac providentia *Dominæ*, potiùs quàm *Domini Jeſu Chriſti* ſeipſos profiterentur. *Gregorius nonus* paulò ante præſentis hujus Intervalli principium, ut *Salve Regina*, Hymnus ad *beatam Virginem*, in univerſis Eccleſiis cantaretur, præcepit. *Bonifacius octavus* Anno 1293. orationem, *Ave virgo glorioſa*, compoſuit, & Anno 1470. Pſalterium *Marianum* ejúſq; Roſarium ab * *Alano de Rupe* compoſita ſunt.

* *Vide an Pſalterium Marianum antè non fuerit. Antidot. adverſ. Idol. c. 6. ſect. 8.*

2. Quàm verò fœminina hæc Eccleſia hoc Intervallo eſſet, Obſervationes præſtantiſſimi viri, *Edwini Sandis* Equitis aurati (quanquam poſt illius Intervalli exitum, cùm vel per aſtum eos caſtigatiores in rebus Religionis futuros fuiſſe quivis judicaverit) plenè nos edocebunt. Honor, inquit ille, quem Virgini *Mariæ* exhibent, altero

altero tanto utplurimum major est eo quem ipsi exhibent Servatori. Ubi unus quispiam *Domini* Devotum peculiarémve servum profitetur, integra oppida se Devotos *Dominæ* prolixè gloriantur. Magnificentissima Templa illius utplurimum sunt, & in Templis pulcherrima illius Altaria. Ubi unus quis ante Crucifixum orat, duo orant ante illius Imaginem. Ubi unus Christo Votum facit, decem faciunt illi Vota; & pro uno Miraculo quod refertur tanquam per Crucifixum factum, non pauciora fortean quàm centum per Imagines Virginis facta dicuntur. Diaboli in Exorcismo docentur nomen *Dei* atq; *Trinitatis* sine molestia ferre, ad nomen verò *Dominæ* volutare se, vehementérq; cruciari assimulare. Ubi unus die *Veneris* jejunat propter passionem Domini, multi sanè Matris causâ jejunat die *Saturni*. Et in Rosariis denas profectò *Dominæ* salutationes pro singulis *Orationibus Dominicis* filo adstringunt. * Campanula etiam quæ ad Ortum solis, ad Meridiem, ad solísq; pulsatur Occasum, *Ave-Mariana* campanula appellatur, quâ omnes homines illis statis temporibus ubiq; obstringuntur ad Devotiones suas Virgini *Mariæ* offerendas. Et postremò, Præcipui concionatores è suggestis auditores docent quicquid occurrit in Scriptura de Christo *Dei filio* dictum, idem *Dominæ* etiam applicare, tanquam ejusdem *Dei filiæ*. Annon igitur *Romana* Ecclesia meritò Thyatira nominatur alludendo ad θυάτειρα, quam & *Strabo* & *Plinius* rationem nominis illius Civitatis esse volunt? Quod *Cornelius à lapide* expressim in ipsum locum notavit. *Verùm* Strabo (inquit ille) lib. 13. *Plinius* lib. 5. cap. 9. *& alii passim tradunt eam*, nempe Civitatem *Thyatiram, primitùs nuncupatam à* Seleuco *filio* Nicanoris, θυγάτηρα, *ob lætum nuncium natæ sibi filiæ, unde nomen Thyatiræ.* Thyatira *igitur Græcè significat filiam, quod aptè competit* Jezebeli *illici, quæ hîc arguitur.* Hæc *Cornelius.*

* *Hoc institutum erat Papæ Johannis 22. intra priorem partem Intervalli Thyatiræ. vide Polydor. Virgil. de rerum Invent. lib. 6. cap. 12.*

3. Et certè tametsi post investigationem horum locorum, ex *Strabone Plinióq;* citatorum, quod quæsivi invenire non possem, nullam tamen rationem invenio cur ab hac parte Interpretationis meæ recedam. Primò, quòd quæ *Cornelius* hîc citat, quamvis in his inventa non sunt, in aliis forsan locis horum Autorum inveniri possint. Deinde quòd nihil opus sit hujusmodi Nominis notatione, cùm Allusio *Paronomastica* sufficiat. Et *Thyatira* per se satis propè accedit ad sonum vocis *Thygatira*, quemadmodum universim ab eis concedi oportet qui illius derivationem indè duci contendunt. Nec difficile est id probare ex facili elisione literæ G. ex multis vocabulis. Anglicana satis obvia sunt. E re magis erit exempla *Græca* proferre, ubi ὦα apud Poëtas frequenter ponitur pro γαῖα. Etiam in medio vocabulorum, *Bœotis* pronunciantibus ἰὼ & ἰὼν pro ἰγώ. Et à *Latina* voce magis *Gallica mais* profecta est, & à magister *maister*. Et *Caninius* in genere pronunciat, *Alia sunt innumerabilia quæ deperdunt G.* Quod argumento est eam debilem & evanidam esse consonantem, & quæ facilè degeneret in *y*, ac prout locata sit, facilè posse deperdi. Quod planè evincit sonos θυάτειρα & θυγάτειρα satis propinquos esse quantùm ad *Paronomasticam* allusionem ex cujusvis hominis judicio qui non surdus sit harum rerum æstimator.

Quòd autem θυγάτειρα idem sit quod θυγάτης, præter communem Analogiam formandi nomina Parisyllaba, quæ vocantur, à quinta declinatione, ut à χιλῶν χιλῶνος, χιλώνη, ἡγεμὼν ἡγεμόνος, ἡγεμόνη, exemplum est, huic θυγάτειρα à θυγατῆρος exemplo exquisitè respondens, nempe μήτειρα à μητῆρος· ità ut vocabulum abunde legitimum sit.

Et postremò quamvis concederemus nec apud *Plinium* nec apud *Strabonem* istiusmodi loca, quæ *Cornelius* citavit, extare; apud *Stephanum* tamen *Byzantium* tale quid expressim occurrit in libro suo περὶ πόλεων καὶ δήμων, cujus ipsissima verba ut Lectori pleniùs satisfiat, transcribam. Θυάτειρα πόλις Λυδίας, ἡ πρότερον Πελόπεια καὶ Σεμίραμις, Σελεῦκος δὲ ὁ Νικάτορος Λυσιμάχῳ πολεμῶν, καὶ ἀκούσας ὅτι θυγάτηρ αὐτῷ γέγονε, τὴν πόλιν ἐκάλεσε θυγάτειρα· καὶ ἔδη θηλυχῶς, νῦν δὲ ἀρρένως φασίν· hoc est, Thyatira *Civitas* Lydiæ Pelopea *olim appellata est*, & Semiramis, Seleucus *verò filius* Nicanoris *bellum gerens cum* Lysimacho, *audiensq; sibi natam esse filiam, Civitatem* Thyatira *appellabat, & fœminino genere pronunciari oportet, cùm neutro tamen utplurimum pronuncietur.* Certè cuncta hoc *Paronomasticam* Allusionem ad *Thygatira* quæ filiam significat, abundè spero confirmatura. Atq; hæc obiter de ratione nominis *Thyatiræ.*

4. Unicum hoc superaddam; *Alstedium* nempe hoc Temporis Intervallum quod nos Ecclesiæ in *Thyatira* attribuimus, *regnum Locustarum* appellare; propter varietatem scilicet ordinum Monachorum qui intra hoc tempus exorti sunt. Et certè notatu dignissimum est quod *Polydorus Virgilius* de uno illo circa ea tempora *Franciscanorum* Ordine scribit, qui *beatæ Virginis* servi erant peculiariter devoti; *Totum*, inquit, *terrarum orbem una hæc implevit Familia, ut vulgus jam tum stupefactum, suspicaretur non tam pietatem quàm otium & ignaviam interdum multis cordi esse.*

Quamobrem cùm Eccleſia *Romana* Monachis ac Fraterculis ità ſcateret qui irrevocabili *Cœlibatûs* voto *virilitatem* abjuraverant, vitam otioſam degentes, circumcurſantes, atq; ultrò citróq; garritum euntes, ineptas populo narrantes fabulas, ſicut Anus vetulæ ac Nutrices ſolent Infantibus, cum mentis etiam æquè levibus glabríſq; ac mulierum, capita cucullis obnupta habentes ac veſtes fœminarum inſtar laxas longáſque, tanquam ſi majori ambitione tenerentur ut Pediſſequæ Ancillæve beatæ Virginis habeantur (quam Doctores hujus Eccleſiæ *filiam Dei* appellare amant) quàm ſervi militéſq; *Jeſu Chriſti*; an non valdè conſentaneum erat ut ſpiritus Prophetiæ in juſtam reprehenſionem hujus *muliebritatis* hunc Characterem Eccleſiæ *Romanæ* hoc tempore inureret, appellando eam *Thyatiram*, tanquam ſi *filiæ* potiùs quàm *filii* hominum, generali hac *muliebritate* pluribus in rebus quàm Monaſticis his habitibus quorum mentio facta eſt ſe prodente, evaſiſſent? Præterea hi veſtitu muliebri homines, *Dominicani* præſertim, oppugnationes ſuas adverſùs veram Eccleſiam more oppidò quàm *fœmineo* obibant, non *viriliter* ut antea, aperto campo obviàm ſe hoſti obferentes, ſed *puſillanimiter*, per perfidiam atq; dolos ut ducantur in *Inquiſitionem*, & *crudeliter* tum poſtea & *inſultatoriè*, quemadmodum facilè intelligitur ex lectione Hiſtoriæ, *ſanctæ*, quam appellitant, *Inquiſitionis*. Quamobrem cùm omnia hæc Muliebritatis ſymptomata Eccleſiæ *Romanæ* in hoc Intervallo inſint, rationi equidem conſonum eſt ut ſentiamus, hanc illius corruptionem hîc perſtringi, eam appellando Civitatem *Thyatiræ*, per alluſionem ad *Thygatira*, quod non quidem *filium* ſed *filiam* Adami ſignificat.

5. Cæterùm abſq; *Strabonis* & *Plinii* vel potiùs *Stephani Byzantii* autoritate eſſet, poſſim & alteram alluſionem *Paronomaſticam*, quam huic præferendam ducerem, in medium proferre. Quamobrem ſecundùm ſtyli Prophetici opulentiam, ſtatuerem etiam *Thyatira* ad θύα τείρειν alludere, quod eſt, *contundere obtereréve Aromata*, quo efficitur ut ſuaviores odores emittant: aut ad θυαλήεια ſive θυηλήεια, *Altaria ad adores adolendos*. Quorum utrumlibet ut mihi videtur, minùs coactum eſt quàm aut *Grotii* θύειν ἀτειρία aut *Strabonis* θυγάτειρα. Et quantùm ad ſenſum; *Paronomaſia* Perſecutionum quidem verorum membrorum Chriſti intra hoc Intervallum admodum eſt ſignificans, accuratéq; convenit cum Hiſtoria, in qua occiſorum gladio rarior fit mentio; contrà ac factum eſt in antecedenti Intervallo ubi *Martyr Antipas* occciſus dicitur, (quod mirificè convenit cum ingenti illa *Waldenſium* & *Albigenſium* cæde qui martyrium in campo à copiis Pontificiis paſſi ſunt, quemadmodum vox κτείνειν ſive ἀποκτείνειν propriè *occidere* ſignificat, putà *gladio* alióve quovis telo bellico;

Ἄνδρας μὲν κτείνουσι, πόλιν δὲ τε πῦρ ἀμαθύνει.)

Perſecutiones verò in *Thyatiræ* Intervallo, *Vivicomburia* erant utplurimum, aut Tortura, vitæve per longas & ærumnoſas Incarcerationes conſumptio & labefactio. Id verò quod maximè frequens maximéq; famoſum erat in hac Periodo, hominum vivorum erat cum ignitis faſcibus Concrematio. Hoc Thyatiram tot θυηλείοις implebat. Ubi etiamſi Crudelitas Perſecutorum maximè execrabilis erat, Fides tamen, conſtantia & devota ſinceritas beatorum Proteſtantium Martyrum, cum flammis globíſq; fumi, ſuaviores omni thure ac odoribus ab Altari in cœleſtis Majeſtatis præſentiam aſcendebant, illícq; acceptæ erant illius gratiâ qui ſeipſum pro nobis tradidit oblationem hoſtiámq; Deo in odorem ſuavitatis.

Downham. de Antichriſt. lib. 6. cap. 5.

6. Frequentia horum Holocautomatum his temporibus à *Sandero* Papiſta notata eſt; *Infinitos* Lothardos *& Sacramentarios in tota* Europa *ignibus traditos fuiſſe*. Nihil autem ſignificantius eſſe poteſt mutationis ſcenæ Perſecutionis Eccleſiæ in *Pergamo*, ubi *Antipas* occiſus eſt, in hanc in Thyatira, quâ ad θυηλήεια hæc alluditur, quàm locus ille in Hiſtoria *Albigenſium* lib. 2. cap. 9. qui occaſionem mihi dedit *Pergamenum* Intervallum terminandi in iſtum annum, viz. 1242. *Hîc videtis*, inquit ille, *poſtremum conatum quem* Albigenſes *feciſſe invenimus, ultimámq; Peregrinorum Expeditionem adverſùs ipſos conſcriptorum. Omnis poſtea contra eos Proſecutio per Monachos Inquiſitores facta eſt*, (*Dominicanos* intelligit, de quorum Patre *Dominico*, quando Mater ipſius in utero eum geſtabat, Caneſe gravidam ſomniavit ignem ex gutture evomenti) *Qui Monachi*, inquit ille, *Pyras ſuas nunc accendebant plus quàm unquam factum erat hactenus. Et miſerum hunc ac inermem populum opprimentes, & ſigillatim ad necem extrahentes, effecerunt ut impoſſibile eſſet eos diutiùs ſubſiſtere.* Atq; ſic ærumnoſa hæc Chriſti Eccleſia ex eo ſtatu tranſiit quo *Antipas* gladio occiſus eſt, ad ſtatum *Thyatiræ* ubi *ſancti Martyres Religionis reformatæ* ignitis

tis faſcibus concremabantur. Atq; hæc ſpero ſatìs fore ad nos erudiendos cur Poteſtas ac Juriſdictio *Romanæ* Eccleſiæ *Thyatiræ* titulum hoc Intervallo gerat.

7. *Hæc dicit Dei filius qui oculos habet igneæ flammæ ſimiles, cujúſq; pedes ſimiles ſunt chalcolibano.* Ubi profectò haud alienum fore puto notare obiter quàm opportunus hic Chriſti Titulus ſit & quaſi datâ operâ ſumptus ad exprobrandum *Romanæ* Eccleſiæ præpoſterum ſuum ſtudium, ſuperſtitioſis colendi ritibus planéq; Idololatricis *Mariam* Virginem tanquam *Dei filiam*, eámq; quaſi præferendi ipſi Chriſto vero *Dei filio*, quemadmodum ſuprà notatum eſt. Cæterùm latiori ſenſu, *Filius Dei*, Chriſtus hic eſt aut *Perſonaliter*, aut *Myſticè* pro Eccleſia, ſuo corpore, accipiendus. Si de Chriſto intelligas *perſonaliter*, ignei illius oculi, penetrantem ejus omniáq; diſcernentem proſpicientiam ac Providentiam denotant; portendítq; porrò iram ejus ac vindictam adversùs Perſecutores, Eccleſiam ſuam ignitis faſcibus infeſtantes. Pedes autem chalcolibano ſimiles, obfirmatam innuunt viarum ſuarum conſtantiam ac puritatem. Quòd ſi pedes chalcolibano ſimiles de *corpore Chriſti myſtico* intelligamus, Deſcriptioni ſupplementum oportet ex antecedentis Capitis verſu 15. accerſi, *Pedes chalcolibano ſimiles tanquam in fornace igniti*; quo ſignificatur *Tentatio* verè *ignea* quæ Eccleſiæ ſuæ hoc *Thyatiræ* intervallo, ſenſu vel maximè craſſo obventura ſit, cùm multis ſervorum ſuorum palo alligatis ſtandum ſit cum pedibus in medio flammantis Pyræ à barbaris ſuis Perſecutoribus accenſæ. Filium verò Dei præcedenti Capite deſcriptum, corporis etiam *Myſtici* exhibere imaginem, *vocis* illius deſcriptio planè videtur innuere. Vox, inquam, ejus *multarum aquarum* ſonitui comparata, deſcriptionem hanc, corpus etiam ejus myſticum reſpicere, quæ *multitudo* eſt, ſatìs ſubindicat.

8. *Novi opera tua ac charitatem & fidem.* Vera Eccleſia in *Thyatira* cùm oppreſſa eſſet & afflicta, arctiſſimâ officioſiſſimáq; Amicitiâ ſibi invicem adhærebant, animabántq; ac confirmabant alii alios & ſupportabant quantum poterant, & ad omnem Pietatis exemplaritatem, debitúmq; in Religionis potentia ac virtute profectum, tanquam Candidati illius Liberationis quam per fidem haud ità longè abeſſe perſpexerant, anhelabant. *Verſ.* 19.

Et patientiam atq; opera, & poſtrema plura eſſe prioribus. Hoc eſt, Opera patientiæ tuæ video, in tolerando Incarcerationes, Torturas ipſámq; adeò mortem, & particulatim in tradendo voſmetipſos in Oblationem Incenſi, pyris faſcibúſq; conſumendos ad tantas multitudines in veritatis meæ teſtimonium. Quod cùm prope finem hujus Intervalli contingeret, perquam aptè dicitur, *& poſtrema plura eſſe prioribus.* Hoc certè eis quæ in Hiſtoriæ monumentis reperiuntur, apprimè congruit.

9. *Sed habeo contra te pauca, quòd mulierem* Jezebelem *quæ dicit ſe Prophetiſſam, ſinis*, &c. *Papalem* ſcilicet *Hierarchiam*, quæ prætendit ſe eſſe *infallibilem*, atq; hoc prætextu *Idololatriam* introducit quæ eſt *ſpiritualis Fornicatio*, detinétq; homines in communione *Miſſæ* ſuæ *Idololatricæ*, quam Divinus Spiritus *Idolothytorum* eſui hîc comparat. *Jezebel* igitur *Prophetiſſa Pſeudoprophetæ* reſpondet in *Apocalypſi* poſthac memorato; atq; hæc exprobratio Eccleſiæ in *Thyatira*, quòd *Jezebelem* permittit dolos ſuos ad hunc modum exercere, voci illi Angeli, *Migrate ex ea populus mi, nè ſitis ejus peccatorum participes, néve de plagis ejus accipiatis.* Solicitatio quædam eſt Principum ac populorum Chriſtiani Orbis, talium utiq; qui fraudes cernant & Idololatrias Romanæ Eccleſiæ, ut defectionem ab ea faciant nec illius diutiùs ferant Impoſturas. Tempus enim defectionis nunc appropinquabat, réſq; eò planè matureſcebant, erátq; in eorum poteſtate, quibus præſens rerum conditio diſplicebat, eaſdem emendare; Et propterea dicit, *Quia ſinis mulierem* Jezebelem; Nos enim in culpa non ſumus ſi eas res ſinamus, quas in poteſtate noſtra non eſt corrigere. *Verſ.* 20. *Apoc.* 18. 4.

10. *Jezebel* hæc, admodum profectò ſignificans eſt *Romanæ* Hierarchiæ ſi ad libri Regum Hiſtoriam recurramus; non ob id ſolùm quòd Ceruſsâ fucóve ſe oblineret, (quod notorium eſt in Eccleſia *Romana*, (præſertim hoc Intervallo) taléq; quod Homiliæ Eccleſiæ noſtræ Anglicanæ ſpeciatim notent, comparando omnes opulentos illos ſplendidóſq; ornatus Eccleſiæ *Romanæ*, Ceruſſaturæ rugoſi vultûs Meretricis) ſed ob *Fornicationes* etiam ac *Veneficia*, quemadmodum notatur 4 Reg. 9. 22. *Quæ pax*, inquit, *durantibus adhuc tot matris tuæ* Jezebelis *ſtupris ac veneficiis?* Quod exactè reſpondet deſcriptioni Meretricis *Babylonicæ*, quæ dicitur *mater Fornicationum* & abominationum terræ, ex poculo etiam *Veneficii* in manu porrò deſcripta, quo Reges terræ intoxicat, inebriátq; vino fornicationis ſuæ. Et quemadmodum illa ebria dicitur ſanguine Sanctorum &, ſanguine Martyrum *Jeſu*, ità *Apoc.* 17.

Jezebel

3 *Reg.* 18. 4. *Jezebel* etiam ſatis ſuâ Hiſtoriâ celebratur ob Interfectiones Prophetarum Dei.

11. Fœdáq; illa Flagitia ab *Achabo* perpetrata, qui abominabilem ſe præſtitit in colendis Idolis & in ſervis Dei veri perſequendis, quíq; operandæ iniquitati ſe mancipâſſe dicitur, ea certè omnia aſtutæ ac ſanguinolentæ huic Meretrici ac Veneficæ imputantur, quemadmodum Textus planè declarat: 3 *Reg.* 21. 25. *Nemo autem erat conſimilis Achabo, qui ſeipſum mancipaverat operandæ iniquitati coram Domino, quem* Jezebel *uxor inſtigabat.* Hoc eſt, *Romana* Hierarchia (quemadmodum & viſio *Meretricis Babylonicæ* & *Beſtiæ bicornis* planè ſignificat) Author erat, Excogitatrix & Inſtigatrix ad omnes illas truculentas & Idololatricas actiones quibus Magiſtratus ſecularis ſe contemeravit durante illius potentiâ ac tyrannide in veros ſervos Chriſti. *Beſtiæ* Apoc. 13. *bicornis* exercebat omnem poteſtatem coram *Beſtia decacorni*, vel potiùs poteſtate ſeculari utebatur ad perducenda ad effectum omnia ſua conſilia Diabolica adversùs filios Dei; quemadmodum *Jezebel* literas ſcripſit *Achabi* nomine ipſiúſq; ſigillo eas obſignavit. Eccleſia omnibus impiis Dogmatis ſuæ Religionis, & conſuetudinibus Idololatricis quas ad mundana ſua commoda promovenda excogitaverat, *Imperialis* authoritatis notam imprimendam curavit: atq; tunc ſi quis *Nabothus* paternam ſuam Hæreditatem nollet relinquere, poſſeſſionem ſcilicet ſanctæ juſtæq; ac rationalis Conſcientiæ, nec profiteri quicquam ageréve contra τὰ παλαιὰ σύμβολα, contra infitas veritates ac notiones quas Deus pro infinita ſua miſericordia ac fidelitate omnium mortalium mentibus perſentiendas inſevit, qui nullam innatæ luci violentiam, candelæ illi Domini omnia intima viſcera perſcrutanti, intulerint; is ſanè per truculentos dolos hujus Meretricis *Jezebelis* falsò accuſabatur Blaſphemiæ in *Deum* atq; *Regem*, perinde ac ſi & *Catholicæ fidei* ac *ſeculari Magiſtratui* inimicus eſſet, atq; ſic morti adjudicabatur. Mórſq; ei per improbas hujuſmodi accuſationes hoc Intervallo obvenit, quemadmodum Intervallo præcedenti, in quo *Antipas* occiſus eſt, in acie aperto *Marte* obtigit. Tam appoſita eſt ad illuſtrandum ſtatum hujus Intervalli Eccleſiæ ſub Eccleſiæ *Romanæ* Tyrannide, ad *Jezebelis* Hiſtoriam Alluſio.

12. Nec omninò durum eſt *Vineam* ſenſu *ſpirituali* ità interpretari ut aliquid intra nos ſignificet, ſiquidem *Philo* aliíq; antiqui Interpretes *Paradiſum* hortúmve *Eden* eo ſenſu interpretati ſunt. Atq; alii certè non poſſunt non agnoſcere Legem illam *Moſaicam* Deuter. 22. 9. *Vineam tuam miſcellaneis nè conſerito*, habere etiam ſenſum *Moralem* ſive *Myſticum*, præceptúmq; eſſe ſimplicitatis ſive ſinceritatis cordis. Quamobrem *Nabothi* vinea optimè ſignificare doteſt voluntatem intellectúmq; humanum illis ſolis notionibus rerúmve notitiis conſitum quæ ſunt à Deo, ſive *innatæ* ſint illæ Animi *Ideæ*, ſive quicquid per Spiritum Dei in ſacris inſpiratorum hominum ſcriptis porrò communicetur, aut immediatiùs nobis inſpiretur per habitationem illius Spiritûs in nobis. Omnes hæ plantæ à cœleſti noſtro Patre plantatæ ſunt, nec ullum aliud ſemen conſerendum eſt quod illis ſit contrarium. Atq; hæc ſanè vinea omnium verorum Chriſtianorum Hæreditas eſt in eos ab Apoſtolicis uſq; temporibus ad hunc ipſum diem deſcendens. Imperium verò *Romanum* Doctrinis *Meretricis Beſtiæve bicornis*, aut etiam propriæ Naturæ corruptionibus coinquinatum, eò animum inclinabat ut antiquum hoc jus invaderet, ut *Achabus* olim poſſeſſionem vineæ *Nabothanæ*, ſub prætextu quòd hominibus propriam voluntatem ac intellectum ſupremæ poteſtati tradentibus, *Regiminis* ratio multò eſſet ſecurior. Omnéſq; Apoc. 13. *qui admirati ſunt poſt Beſtiam* in manus ſecularis Poteſtatis vineas ſuas tradebant, nec aliter Religionem profitebantur quàm ſecundùm formam Imperii; atq; ſic vineas ſuas habebant *ſeminibus conſitas diverſis*, immò verò *Apoſtolicæ* Plantationi planè *contrariis*. Mentéſq; eorum *craſſis Mendaciis*, *fœdis* omne genus *Idololatriis*, & *truculentis adversùs veros Dei filios Inimicitiis*, mirum in modum implebantur.

13. Quantùm verò ad vineam *Naboth*, hoc eſt, ad vineas verorum Prophetarum vel Prophetiſſarum, utì vocabulum *Naboth* videtur ſubindicare, illæ non ſunt traditæ, hoc eſt, Illi qui pro forma vel in ſpeciem Chriſtiani non erant, nec parem recèns inventis mendaciis atq; veritati *Apoſtolicæ* fidem adhibebant, ſed fide verâ vivâq; *Jeſum* credebant eſſe Chriſtum, hi vitas ſuas perdere malebant quàm vineas relinquere quæ nobile illud vinum eis ferebant, perpetuum illud Feſtum bonæ Conſcientiæ pacíſq; ac gaudii in Spiritu ſancto. Unde erat quòd Meretrix hæc & Venefica *Jezebel* mortem eorum machinaretur aut perſecutionem & oppreſſionem, quemadmodum & duo Prophetæ dicuntur & *lugere ſacco & occidi*. Apoc. 11. Vinea igitur *Nabothi* ille ſenſus eſt & notitia, conſcientiáq; ac vita Spiritûs in *nova Nativitate*, quâ

quâ homo planè vividéq; Chriſti vias & Antichriſti dijudicans, æquè neceſſariò unum averſatur atq; alteri adhæret.

14. Vera enim firmáq; fides in Chriſtum eſt à nova Nativitate, ſicut & S. *Johannes* teſtatur; *Omnis qui credit Jeſum eſſe Chriſtum, ex Deo natus eſt.* Ac proinde neceſſe eſt ut hic *Spiritus vitæ* antipathian habeat adversùs omne id quod ipſi ſit contrarium. Eſtq; hic ipſe *ſpiritus Prophetiæ* ſenſu nobiliſſimo; ſicut *Johannes* itidem innuit in Epiſtola ſua generali, ubi poſt mentionem multorum Pſeudoprophetarum qui in mundum exierint, ſtatim ſubdit, *In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei; Omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne venientem, ex Deo eſt.* Quod accuratè convenit cum illo in *Apocalypſi*, ubi Angelus dicit *Johanni*, *Ego conſervus tuus ſum & fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu*, hoc eſt, eorum quorum corda firmiter vivacitérq; ſibi teſtantur *Jeſum* eſſe Chriſtum perindéq; profitentur. Quod nulli præſtare poſſunt niſi qui à Deo nati ſunt, ac proinde Spiritum Dei habent. Quod ſubſequentibus verbis planè innuitur, *Nam teſtimonium Jeſu eſt ſpiritus Prophetiæ*, hoc eſt, Quòd quis idoneus ſit ad teſtificandum Jeſum eſſe Chriſtum eo quo dictum eſt modo, à ſpiritu vitáq; Dei eſt in nobis qui omnem ſanctam veritatem inſpirat. Unde Angelus paritatis quoddam genus *Johannem* inter ac ſeipſum arguit, eóſq; adeò omnes qui teſtimonium habent Jeſu juxta eum ſenſum quem declaravimus, atq; ab eis proinde noluit coli. 1 Johan. 5. 1. 1 Johan. 4. 12. Apoc. 19. 10.

15. Cæterùm hæc ferè Digreſſio eſt, niſi quòd illuſtrare poſſit locum illum in *Apocalypſi* ubi duo *Teſtes* duo *Prophetæ* etiam appellantur, (non tam à prædicendo res futuras quàm à teſtificando veritatem ex *ſpiritu vitæ in nova nativitate*, & à tam firmiter tenendo hanc doctrinam ut illius causâ extrema quæque, etiam ipſam mortem, velint pati) & faciliorem conciliare fidem huic *Myſtico* ſenſui vineæ *Nabothanæ*, vineæve Prophetiarum, cùm nullas miraculoſas prædictiones ſupponat ſed ut quis affletur ſano rerum ſenſu ex *ſpiritu vitæ*, præditúſq; ſit confidentiâ *loquendi veritatem prout eſt in Jeſu.* Nihil opus eſt ut quicquam amplius per has res intelligatur. Apoc. 11. v. 3. 10.

16. *Docere, & ſeducere ſervos meos quò fornicentur & veſcantur Idolothytis.* Fœmina hæc *Thyatirenſis* (ſive uxor ſit *Thyatirenſis* Epiſcopi ſive alia aliqua perſona nobilis, *Literæ* enim *Interpretes* hîc diſſentiunt) juxta *Literalem* ſenſum à factis ſuis deſcribitur tanquam rea tantummodo ſimulandi ſe *Prophetiſſam* eſſe, eâq; re ſeducendi ſervos Chriſti ad Fornicandum & ad veſcenda *Idolothyta.* Quæ Gnoſticiſmi, qui vocatur, pars præcipua eſt. Et veritatem quidem ſuppoſitæ hiſtoriæ nos nequaquam hîc negamus; Verùm ſuperaddimus, Admodum profectò improbabile eſſe *ſpiritum Prophetiæ* unam quamvis fœminam tam particulariter in ſcripto tantâ majeſtate fulgido notaturum fuiſſe (quod etiam *Alcazar* valdè ſeriò ac vehementer urget) niſi majus aliquod indè intenderetur. Quamobrem dico *ſpiritum Prophetiæ* ſignificantiæ malefactorum hujus fœminæ *Thyatirenſis* opportunitate fretum, quæ partem enormitatum Eccleſiæ quæ hîc perſtringuntur, illuſtrent, nomen *Jezebelis* hiſce addidiſſe ut Prophetica præfiguratio perfectior eſſet; ſiquidem Eccleſia *Romana* ad vivum adumbratur hac Alluſione ad *Jezebelem* eis additâ quæ de hac *Thyatirenſi* fœmina referuntur, viz. Quòd ſe prætendat *Prophetiſſam* eſſe, ut *Romana* Eccleſia ſe eſſe *infallibilem*, quòd Chriſti ſervos ad *Idololatriam* & *impuras libidines* traxerit, ſicut *Romana* Eccleſia facit aſtringendo homines *Miſſæ* aliiſq; modis Deum colendi *ſuperficiariis*, qui mentem relinquunt rebus ſenſualibus perinde deditam, uſibúſq; præterea *Idololatricis* neceſſariò eas illaqueant. Atq; hæc de Actionibus hujus fœminæ.

17. Jam verò ex eo quòd hoc *Jezebelis* nomen ei inditum ſit, proculdubio Dei Spiritus nos remittit ad illius Hiſtoriam ad perficiendum hunc Paralleliſmum fœminam hanc inter atq; *Romam*, quatenus ſcilicet *trucidatrix* eſt *Prophetarum* ſervorúmq; Dei, & falſarum adversùs eos *Accuſationum concinnatrix*, ac ſi retinendo *Paternam Hæreditatem*, puram nempe Conſcientiam ſecundùm antiquam fidem *Apoſtolicam* innatáſq; notiones veritatis quas Deus mentibus inſevit omnium mortalium, *blaſphematores eſſent Dei atq; Regis*, criminíq; adversùs *civilem* pariter atq; *ſpiritualem* Magiſtratum obnoxii. Et poſtremò (quod ſummoperè notandum eſt) Eccleſia Romana in hoc Intervallo ſucceſſionis Eccleſiæ Chriſti, appellatur *Jezebel*, quoniam nihil obſtantibus fucis ſuis ac ceruſſaturis elegantiáq; ornatuum meretriciâ, per feneſtram brevì ejicienda erat, caróq; à canibus devoranda. Quod juſta Dei indignatio zelúſq; *Jehu* (nobilium utiq; Reformatorum) Divino Spiritu inſtigati ad effectum perduxit in fine hujus Intervalli Eccleſiæ, quemadmodum hoc malum denunciatum etiam eſt in ſequentibus partibus hujus Epiſtolæ.

18. Quod

Gregor. Franc. Lexic. sanct. tit. 107.

18. Quod quidem fatum ipso etiam nomine *Jezebelis* subindicari videtur. Quemadmodum enim satìs severus in Lingua Hebraica Criticus in sua Notatione nominis איכבוד (quod consimilem prorsus compositionem habet huic voci איובל) illud componi posse ait aut ex אי *ubi*, aut אוי *væ*, aut אין *non*, & כבוד *gloria*; ità ego dico vocem איובל componi posse aut ex אי, aut ex אין, & זבל quod *habitaculum* significat, aut ex אוי & זבל quod *Chaldaicè* (quæ linguæ *Hebraicæ* dialectus est) significat *stercus*. Quæ nominis rationes apprimè *Jezebelis* Historiæ conveniunt fatóq; *Romanæ* Ecclesiæ in hujus Intervalli *Thyatirensis* exitu. Nam si derivemus איובל ab אי *ubi*, aut אין *non*, & זבל *habitaculum*, planè respiciet *Jezebelis* deturbationem per fenestram ex habitaculo suo, sed & aptissimè præfigurabit *ejectionem Romanorum* Sacerdotum ac Monachorum sub initium Reformationis, nempe quòd exturbandi essent ex habitaculis suis, edictis Magistratuum.

Quòd si derivemus vocem איובל ab אוי *væ* vel *heu* & זבל *stercus*, & crimen & pœna *Romanæ* Ecclesiæ huic nomini inscripta deprehendentur, cùm sordes & corruptiones ejus, stercori comparentur; pœnáq; subindicetur haud absimilis pœnæ *Jezebelis*, quemadmodum scriptum est, *Et jacebit* Jezebelis *cadaver tanquam stercus sub dio.* Ità ut ipsa nominis notatio denotet quanto cum dedecore & contumeliâ Papalis potestas ac superstitio abolenda esset eis in locis ex quibus erat exterminanda, quòd in ipsum cænum utiq; esset conculcanda. Adeò ut in eum qui *Pergameno* Intervallo בל-עם erat, i. e. Dominus populi, (Papali Hierarchiâ ubiq; dominante) in fine hujus *Thyatirensis* Intervalli hæc insultatoria Lamentatio sumi possit, cum allusione Paronomastica præcedenti Etymologiæ quoad sensum haud multùm absimili, & propinqua satìs sono vocis איובל, nempe אוי-צא-בל, *Heu stercus* sive *cænum Dominatûs Papalis!* Heu quàm conculcatus est in lutum viarum! Quod egregiè præstitum est in Actionibus *Martini Lutheri* adversùs Papam Clerúmq; Romanum. Levitas forsan quibusdam videri potest adeò verborum indulgere lusibus; sed enimvero id leve censeri non debet sed res summi profectò ponderis, quòd universa Nomina propria sive hominum sive urbium in his Propheticis Epistolis scopo illi Prophetico adeò aptè incoactéq; & ad amussim conveniant.

4 *Reg.* 9. 37.

Vers. 21.

19. *Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione sua.* Satìs longum tempus habuit ad recognoscendas crassas suas Apostasias à puritate mei cultûs ex quo *Waldenses* & *Albigenses* testimonium adversùs eam perhibuerant, & tamen manet adhuc obdurata & impœnitens, antiquámq; fornicandi consuetudinem etiamnum retinet.

Vers. 22.

Ego verò eam in lectum, & cum ea adulterantes in magnam calamitatem prosternam, nisi à suis operibus destiterint. Nisi resipuerit, certum est me eam in lectum ægritudinis & languoris, pro illo lecto Adulterii quo terræ Reges acceperit, esse conjecturum. Robur ejus & Gloria multùm diminuentur, Amasiíq; illius calamitatem lugebunt quam ego in ipsam sum inducturus. Erunt enim è Regibus qui osuri sunt Meretricem, nudámq; ac desolatam in dominiis suis reddituri, qui esuri sunt carnem ejus, eámq; igni concrematuri. Quemadmodum ante seculum ferè contigit, integris Nationibus ab ea deficientibus.

Vers. 23.

Ejúsq; filios morte mulctabo, hoc est, Spiritûs gladio eos occidam, itáq; illos ei mortuos reddam suâ conversione ad veritatem, aut, non mysticâ quidem sed naturali morte eos mulctabo, illos utiq; qui adversùs veram meam Ecclesiam malum machinantur, sive integri Exercitus sint, sive seditiosi Emissarii; quemadmodum sæpe factum est post Reformationem.

Ut intelligant omnes Ecclesiæ eum esse me qui renes & corda scrutor, & vos pro suis quemq; operibus remunerabor, hoc est, Per omnia ora celebratissimum erit pérq; totum Christianum Orbem notissimum, quàm justa mea judicia sint, quòd cum *Jezebele* non agam secundùm pulchros suos prætextus Titulósque, quæ *sanctam Ecclesiam* se appellitat, prætendítq; omnes suas crudelitates ac Impostoras næniásq; Idololatricas meæ gloriæ destinatas esse, cùm in degenerem hunc statum, turpis lucri rerúmq; suarum mundanarum augendarum causâ, corruerit. Mei verò oculi qui flammantis ignis instar sunt, & in corda renésq; hominum penetrant, abominabilem ipsorum Hypocrisin clarè vident: pedésq; *Chalcolibano similes*, qui de via puritatis justitiæq; nunquam deflectunt, certò eos assequentur, debitámq; vindictam de eis sument. *Ego unumquemq; pro suis factis remunerabor.*

Vers. 24.

20. *Vobis autem dico reliquis; Thyatirensibus quotquot hanc doctrinam non habent*; vobis Pastoribus veræ meæ Ecclesiæ in *Thyatira*, reliquísq; qui vestræ fidei concrediti sunt, qui doctrinam fidémq; Idololatricam *Thyatirensis*, hoc est, *Romanæ* Ecclesiæ non tenent.

Et

Et qui profunda Satanæ non nôrunt, quemadmodum illi dicunt, hoc eſt, Qui non approbâſtis *profunda Myſteria*, ut illi loquuntur, *rationis imperii*, *Romanæve* Religionis (cujuſmodi ſunt *innocentum hominum in rem ſanctæ Eccleſiæ ſævæ trucidationes*, *Infallibilitas*, *Tranſubſtantiatio* & ſimilia) ego verò qui corda renéſq; perſcrutor, *Satanæ profunda* eſſe apertè declaro, quippe quæ ad nihil aliud tendunt quàm ad ſuperbiam prorſus *Luciferianam*, ad *Perſecutiones* barbaras ac truculenta Homicidia, & ad craſſam deniq; *Impoſturam* & *Idololatriam*.

Non imponam vobis aliud onus, at quod habetis tenete donec veniam. Oſtendi vobis quàm approbatæ ſint mihi viæ veſtræ, verſ. 19. ob id quòd communionem cum hac *Idololatrica Jezebele* non colatis, in eo animo perſiſtite & ad extremum durate; Nullæ perſecutiones vos territent, donec in judicio veniam adversùs hanc *Jezebelem*, quæ idem eſt quod *cornu parvulum* apud *Danielem*, quod ſub exitum temporis, & temporum & dimidii temporis certò ſum judicaturus. *Verſ.* 25.

21. *Qui verò vicerit operáq; mea ad extremum retinuerit, huic ego dabo in gentes poteſtatem.* Illa hominum multitudo illéve populus qui verba mea ad extremum obſervaverit uſq; ad ultimum ſemi-tempus è ſeptem, ipſi poteſtatem habebunt in *Pagano-Chriſtianos*, illi ſubdomabunt eos nec eorum ampliùs dominationem patientur. *Verſ.* 26.

Eóſq; virgâ ferreâ paſcet; hoc eſt, ſufficienti potentiâ ac rigore ad ipſos legibus coercendos, nè ſubjectionis jugum excutiant. *Verſ.* 27.

Tanquam vaſa fictilia confringentur. Lapis pedes Imaginis percutiet atq; conteret. Hoc profectò tandem eventurum eſt.

Ut & ego à patre meo accepi. Ego in vobis & vos in me. Vos in me per virtutem potentiæ ſpiritûs mei ſic regnabitis: Et ego in vobis juxta id quod ſcriptum eſt, Pſalm. 2. *Tibi Gentes in hæreditatem, Orbis fines in poſſeſſionem dabo, quos tu ſceptro regens ferreo tanquam fictile collides.* Hoc verò paulò longinquius eſt.

22. *Eíq; ſtellam dabo matutinam.* Intereà loci & quod proximè ſucceſſurum eſt, Dabo illi *ſtellam matutinam*, hoc eſt, non contemnendum diluculum magni illius Diei illuſtris Regni Chriſti ſuper terram in *ſanctis* per ſuum Spiritum, *Phoſphorum* præfulgidi *Solis-ortûs* beati *Millennii* propriè ſic dicti. Hoc Intervallum idem eſt quod *Phialarum* quas tantus fumus concomitatur. Quemadmodum & promiſſum hîc quod præſtandum eſt proximâ Eccleſiæ ſucceſſione, illícq; continuandum non enunciatur pari vigore atq; alibi, ubi Chriſtus *ſtella ſplendida matutina* appellatur, hîc tantummodo *ſtella matutina* abſq; ornatu illius Epitheti. Regnum igitur Chriſti ſub *primo Tonitruo* appellari poteſt *ſtella matutina*, ſub *ſecundo* verò ac porrò *ſtella ſplendida matutina*. Eſtq; notatu dignum, quòd cùm in altero illo loco dicatur ἀστὴρ ὄρθρινος, in hoc nominetur ἀστὴρ πρωϊνὸς. Quod ſignificationem habere poteſt rei maturiùs obtingentis quàm expectabatur, quod exquiſitè eventui reſpondet, qui ſub priorem partem ultimi *ſemi-temporis* contigit. Sed hæc obiter tantùm dicta ſunto. *Verſ.* 28. *Apoc.* 22. 16.

Qui aurem habet audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis. Nihil novi hîc notandum in hoc *Epiphonemate* niſi quòd poſt integram Epiſtolam collocetur, quod indicio eſt totam Epiſtolam eſſe *Parabolam*, nec de ſola Eccleſia *Thyatirenſi*, ſenſu *literali*, intelligendam eſſe; ſed conditionem rerum alîus alicujus Eccleſiæ, Eccleſiæ verè Catholicæ & Apoſtolicæ, in Intervallo definito, præfigurari hîc propheticè ac deſcribi. Ac promiſſa proinde præſtanda eſſe in hoc Terræ Theatro, quemadmodum & ex ſua natura videntur talia eſſe quæ ſenſum habeant *Politicum*. Quod propterea certos nos ſimul facit talem Interpretationis tenorem ad tres ſequentes Epiſtolas pertinere, quippe quòd *Epiphonema* ſingulas claudit. Et nos ea propter Interpretationis noſtræ rationem perinde inſtituemus. *Verſ.* 29.

CAP. VII.

Interpretatio Epiſtolæ ad Eccleſiam Sardenſem.

1. ITem Angelo *Sardenſis* Eccleſiæ ſcribito. *Sardes* Civitatem *Aſiæ* fuiſſe manifeſtum eſt, cap. 1. & ſub nulla alia ratione conſiderata conditionem quintæ hujus ſucceſſionis ſtatûs Eccleſiæ non omninò illuſtrat. Concedendo autem hîc rurſus *Paronomaſticam* Alluſionem ad *Sardam* lapidem pretioſum quod facit *Grotius*; no- *Apoc.* 3. 1.

tandóve cum *Plinio*, illum lapidem ſic appellatum eſſe ex eo quòd *Sardibus* primùm inventus ſit, admodum profectò ſignificans eſſe poteſt conditionis Orbis Chriſtiani reformati intra hoc Intervallum quod à *Reſurrectione Teſtium* incipit, & in ultimam *Phialam*, partem intelligo, terminatur. Poſt quam incipit Intervallum *Philadelphiæ* ſecundúmq; porrò ac tertium *Tonitruum* occupat. Aliquæ ſpeciales igitur qualitates Eccleſiæ *Sardianæ* hîc intelligendæ ſunt ex lapide *Sarda*, aliæ ad laudem illius, aliæ ad nominis diminutionem. Virtus hujus lapidis eſt quòd circumgeſtatus hominem hilarem reddat & animoſum, & veneficia fuget & incantamenta, venenúmq; ritè adhibitus expellat, quæ quidem *Sardianæ* hujus Eccleſiæ privilegia quædam adumbrant. Cujuſmodi ſunt *læta* illa ac *hilaris ſecuritas* in *Juſtificatione per fidem* in Chriſti ſanguine, quódq; liberati ſint à doctrinarum *Idololatricarum veneno* & *effaſcinatoriis Incantamentis* Poculi Meretricis. Nihil hîc *Jezebelis* in hac Eccleſia, nulláq; esûs *Idolothytorum* mentio, nec in duabus ſubſequentibus Epiſtolis, quæ non contemnenda quidem confirmatio eſt veritatis ſenſûs Myſtici harum ſucceſſionum. Et illæ pariter atq; hæc bene ſe habent ſanæq; ſunt, quantùm ad hos Articulos.

Cæterùm quod lætitiam attinet ſive hilaritatem ſuprà memoratam, illa ſanè non ſola Lapidis *Sardii* virtute ſed & Civitatis *Sardis* nomine planè ſignificatur; *Sardis* enim, quemadmodum in vulgari Dictionario *Latino* videre eſt, idem ſonat atq; *Canticum Lætitiæ*. Quaſi *Sardis* à שר cantare & à דים quod à דום *Arabico* exultare, deducendum eſſet, ut פרדיס *Paradiſus* à פרי & דים, utpote qui *fructus lætitiæ edit*, deducendum videtur. Quas Notationes à viris Linguarum Orientalium peritiſſimis approbatas eſſe ſat ſcio. Nec id præterire hîc potui, cùm nomen *Sardis* juxta hanc Notationem, cum *Citharistarum* cantico Apocalypſ. 16. tam mirificè conveniat. Nam Citharistarum cantilena *Phialarum* effuſionem immediatè antecedit, ac proinde cum *Sardiani* Intervalli initio coincidit. Quæ certè pulcherrima rerum congruitas eſt, ſed quam ulteriùs hîc proſequendi non eſt locus. Atq; hæc ferè ſunt quæ ad laudem *Sardianæ* Eccleſiæ faciunt in Alluſione *Paronomaſtica* notanda.

2. Verùm hic lapis *Sarda*, quæ vocatur etiam *Carnalina* & in lingua *Hebraica* [illegible] ut qui humanam carnem ſanguinémq; adeò ad vivum refert, inſinuare etiam videtur aliquid quod *Sardianæ* Eccleſiæ deroget, tanquam ſi *Caro* eſſent non autem *ſpiritus*, quæ quidem ſpecialis videtur eſſe Eccleſiæ *Philadelphianæ* diſpenſatio. Cúmq; Chriſti victoria in *Edom* fiat emittendo elidendóve corruptum veteris *Adami* ſanguinem, *Odem* hæc ſive *Carnalina* eam è contrà habere virtutem dicitur ut ſanguinem ſiſtat, impediátq; quò minùs exeat; ac proinde admodum ſignificans eſſe videtur earum doctrinarum in *Sardiana* Eccleſia, quæ debitam ac requiſitam veteris hominis mortificationem prohibent, quaſi timerent nè nimis debilitaretur, nimiúmq; illius ſanguinis vitæq; efflueret.

3. Senſus igitur eſt, quòd, tametſi Eccleſia *Sardiana* à fœdis *Idololatriis* craſsíſq; Impoſturis *Papalis* Eccleſiæ liberata ſit, ſtatus tamen illius non eſt, utplurimum, niſi *Cunnulis*. Nondum eſt illa Diſpenſatio *Spiritûs vitæ*, ſed maximi ſtrepitus turbæq; ſunt circa externas *opiniones* ac *ceremonias*. Videntur Chriſtum cognoſcere duntaxat ſecundùm *carnem*, non ſecundùm *virtutem Spiritûs* ejus quo potens eſt omnia ſibi ipſi ſubjugare. Quanquam Chriſtus, poſtquam dixiſſet, *Carnem ſuam verè cibum eſſe, & ſanguinem ſuum verè potum*, apertè ſe explicet, declarando expreſſim, *carnem nihil prodeſſe, verbáq; quæ ipſe locutus eſt, ſpiritum eſſe & vitam eſſe*: Magna tamen pars hujus Eccleſiæ *Sardianæ*, *Lutheranos* intelligo, & propria torquent ingenia moleſtiámq; reliquo Orbi Chriſtiano Reformato creant, defendendo ſcævum illud *Conſubſtantiationis* Paradoxon, nempe ut hoc pacto homines in ſuis Euchariſtiis celebrandis *craſſum* illum *ſanguinem carnémq;* Chriſti quæ in cruce olim crucifixa eſt, edere poſſint atq; bibere. Quid obſecro *Carnalinæ* ſpeciem magìs referre poteſt quàm hoc? Ut præteream nimis multos eſſe qui æquè *craſsè* errant ac *carnaliter*, circa naturam corporis in *reſurrectione* ſuſcitandi, dum ipſum imaginantur æquè terrenè modificatum (quanquam cœleſte ac ſpirituale corpus in Scripturis appellatur) atq; illud corpus quod in ſepulchrum condimus, capáxve eſt amplexuum tori Nuptialis. Aliæq; iſtiuſmodi craſſæ carnaléſq; opiniones ſunt (quas ſciens prudénſq; prætermitto) *Sardianæ* hujus Eccleſiæ mentibus nondum expunctæ.

Johan. c. 6. v. 55.

Johan. c. 6. v. 63.

Cæterùm, nullum magìs nefarium eſt *Carnalitatis* hujus Eccleſiæ indicium, quàm Diſſenſiones atq; Schiſmata ad mutuas uſq; *Perſecutiones*, quámq; bella ejus inteſtina ingenióq; Chriſtiano planè contraria, unâ parte Chriſtiani Orbis reformati adversùs alteram præliante. Hæc profectò rancidè *carnem* ſapiunt, debitæq; *Spiritûs Diſpenſationi* ex Diametro adverſantur. Quæ poſtquam advenerit, Eccleſiam introducet *Philadelphianam*.

Philadelphianam; Eccleſiam ſinceri miniméq; fucati Amoris & Charitatis, in qua juxta Prophetarum prædictiones belli ſtrepitus inter Chriſtianos non audietur ampliús. Effrænis deniq; opes accumulandi libido huc accenſeri poteſt, quæ Eccleſiam facit peſſimo ſenſu, *Sardianam*, quaſi *Cræſi Sardium* Regis opulentiam affectare mallemus quàm Chriſti paupertatem, regnúmve illius, rejectis mundanis cupiditatibus, omni honeſto ſtudio morúmq; probitate promovere. Hæ ſtricturæ ſufficere poſſunt ad oſtendendum cur Spiritus Dei hanc Eccleſiæ ſuæ ſucceſſionem per *Sardianæ* Eccleſiæ Titulum ſignificaverit.

4. *Hæc dicit qui ſeptem Dei ſpiritus habet.* Numerus ſeptenarius *univerſalitatem* aliquando ſignificat; unde *Pythagorei* ὁλομέλειαν appellitant. Senſus igitur eſt, ſe in promptu habere omnes ſpirituales Divináſve gratias quas impertiat ad perficiendum Dei hominem in omni bono ſermone atq; opere.

Et ſeptem ſtellas, hoc eſt, Qui ſeptem ſtellas tenet in dextra ſua. Ità ſe habet in Deſcriptione ante alloquium ad Eccleſiam *Epheſinam*, quod ad majorem animationem hìc repetitur; cùm Chriſtus hoc pacto ſuam potentiam declaret promiſſúmq; adjuvandi *Renovationem* Chriſtiani Orbis per inceptam *Reformationem*, ſicut *Formationem* ejus promoverat in Principio, & extirpationem Paganiſmi in Eccleſiæ primordiis quod Intervallum erat *Epheſinum*.

Novi tua opera qui cùm viventis nomen habeas, mortuus es. Statum tuum apertè video ac conditionem; vitæ quidem ſpeciem præ te fers, quippe multum caloris habes atq; zeli, plurimáq; externo quodam fervore peragis quæ famam tibi conciliare poſſunt, quaſi præter modum religioſa eſſes. Multæq; poſſunt eſſe Diſputationes fervidæ pro hac vel illa ceremonia, pro hac vel illa opinione, & contra eaſdem, multæ eæq; valdè vehementes diſceptationes de Fide & Juſtificatione & ſimilibus. Qui quidem Fervor & Activitas, vitæ ſpeciem in ſe referunt: Verùm pro certo ſcias, niſi *Fidem* illam habeas quæ operatur per *Charitatem*, omnis hic æſtus nihil aliud eſt niſi æris ſonantis ſtrepitus & tinnientis cymbali. Cúmq; ſic viva ſis, meo tamen nihilominus judicio parum diſtas à mortua. Et tametſi ad hunc modum *calentem carnem* & *ſanguinem* imiteris, non es tamen aliud quàm frigens *Sardius* ad meum quidem tactum ſenſúmque. Quemadmodum *illa quæ in deliciis vivit, vivens mortua eſt*, quamvìs ſeipſam tum omnium maximè vivere exiſtimet: ità prorſus ſe res habet in eo qui Chriſtiano Amore & Charitate deſtitutus, ferventi tamen, amarulento, imperitóq; ac præpoſtero zelo animatur. Hæc profectò *Dei* vita non eſt, ſed meræ *Naturæ* ac *Carnalitatis*. 1 Tim. 5.

5. *Præſta te vigilantem, & cætera moritura confirma.* Vide nè *amoris* vitæq; inopia *Fidem* etiam in diſcrimen vocet, morúmq; relaxatio *Atheiſmum* & *Infidelitatem* in univerſa ſuperinducat. Verſ. 2.

Neq; enim inveni opera tua perfecta coram Deo meo. Quæ in ſe vitam habent, pergunt ad perfectionem. Quamobrem ſi antè gradum ſiſtunt nullóſq; faciunt profectus, indicio eſt lethalem aliquam intemperiem ipſi cordi vel radici inhærere, atq; iſtiuſmodi plantam neceſſe eſt marceſcere ac mori. Opera tua nec perfecta ſunt, nec ejuſmodi ſanè doctrinas facilè admittis quæ ad perfectionem efficaciter perducant.

Memento igitur quomodo acceperis & audieris, & ſerva & pœnitentiam age, hoc eſt, Vos qui vera mea Eccleſia *Apoſtolica* eſtis, reminiſcamini quæ à meipſa aut *Apoſtolis* meis acceperitis. Verbo infallibili mordicùs adhærete quod fideliter vos erudiet & ad omnes debitas menſuras Pietatis excitabit; nec ullam fidem adhibete putridis corruptíſq; gloſſematis hominum doloſorum, qui pulvinulos omnium axillis conſuere volunt, opinionéſq; formare ac præcepta quæ carnis cupiditatibus faveant. Nimiùm admirari homines, *Carnalitatis* certè pars eſt; admirari verò ob ipſas *carnales* opiniones præceptáq; vitioſo animo faventia, *Sardianum* eſt ſive *Carnalinum* bis tinctum. Reſipiſcite igitur, nam appropinquat regnum Dei, Iſq; qui *ſeptem ſpiritus Dei* habet præſtò eſt ad opitulandum & ſuccurrendum per Divinas ſuas gratias omnibus eis qui ſincerè operam dant Juſtitiæ. Ità ut culpa in vos ipſos ſit devolvenda. Verſ. 3.

Quòd ſi non vigilaveris adoriar te ut fur, neq; ſcies quâ te adoriar horâ. Si redire nolis ad veram ſobrietatem morúmq; ſinceritatem, ingens aliquod malum ex inopinato tibi inferam. Subitò adversùs te veniam in judicio, cùm minimè ea de re cogitas. Pro infinita ſua miſericordia malum avertat omen Deus, cordáq; noſtra mutet ut mores emendemus, illiúſq; rurſus recipiamur in gratiam.

6. *Sed habes pauca nomina etiam in Sardis quæ ſua veſtimenta non contaminârunt.* Quamvìs *Sardianæ* Eccleſiæ Diſpenſatio tam generaliter *carnalis* ſit, ad ipſum colorem illius lapidis *Carnalinæ*, qui meram Carnem atq; ſanguinem adeò ad vi- Verſ. 4.

vum refert; ſunt tamen pauci aliqui qui veſtimenta ſua hoc colore non inquinârunt, ſed veluti primitiæ ſunt *Diſpenſationis Spiritûs*, quorum homo interior renovatur indies in meam ipſius Imaginem, participéſq; Divinæ Naturæ fiunt, veréq; ſunt filii Lucis.

Et ambulabunt mecum in albis. Hi non ſolùm præclaris meis fruentur oblectabuntúrq; colloquiis, gratiáſq; meas ſpirituales abundè participabunt, ſed optimos rerum ſuarum ſucceſſus habebunt maximéq; proſperos. Albis enim veſtiri ità ſignificat in *Onirocriticis*, quemadmodum videre eſt apud *Achmetem*.

Verſ. 5. *Quia digni ſunt.* Atq; ego unumquemq; ſecundùm opera ſua remuneror.

7. *Qui vicerit, is albis induetur veſtibus.* Qui omnes cupiditates hujus terreni corporis ſuperaverit, illi communicabo *cœleſte* ſive *Divinum*. Hic ſenſus magìs *Theologicus* eſt; *Politicus* verò eſt magìs proprius, *Epiphonemate* integram Epiſtolam concludente. Quamobrem *albis veſtibus veſtiri*, cùm hîc promiſſum ſit ei qui vicerit, ſignificat (ídq; hîc potiùs quàm in antecedenti verſu) ſucceſſum & proſperitatem in rebus externis, atq; immunitatem à dolore & afflictione, quemadmodum *Onirocritica* expreſſim interpretantur. Vide *Achmetem*.

Nec ejus nomen ex libro vitæ delebo. Senſus magìs proprius ac *Politicus* eſt, Quòd poſtquam Eccleſia per victorias ſuas in conditionem *Philadelphianam* emerſerit, nunquam in poſterum ſit mutatura, ſaltem quantùm ad externam formam, ſed ad finem uſq; duratura, quódq; eam Deus manifeſtò agniturus ſit uſq; ad extremum, etiam tum cùm in *Laodicenſem* ſtatum tranſiverit, ſtatúſq; perſecutionis nunquam eam rurſus ſit obruturus. Atq; ſic *Liber vitæ* hîc ſignificare poteſt ut *Corona vitæ* ſuprà in Epiſtola ad Eccleſiam *Smyrnæam*.

Et ejus nomen coram meo Patre corámq; ejus Angelis confitebor, hoc eſt, Agnoſcam naturam illius evaſiſſe quodammodo *Divinam* & *Angelicam*, idoneúmq; proinde eorum fore comitem, in cœleſti meo regno in æternum. Hic *Moralis* ſive *Theologicus* ſenſus eſſe poteſt: *Politicus* verò maximè intenditur, quemadmodum innuitur ex *Epiphonemate* poſtremo loco collocato. Confeſſio igitur nominum horum paucorum in *Sardis*, qui rectè ſe habent itáq; utì oportet, & aliorum quorumcunq; qui ad eorum ſanctitatis menſuram anhelant (qui proinde ſemen ſunt Eccleſiæ *Philadelphianæ*) eorum nominum à Chriſto coram Patre ſanctíſq; Angelis facta Confeſſio, ipſorum commemoratio eſt tanquam populi peculiari modo ſibi proprii, & præter modum chari, ut agnoſcendo eos more tam benevolo tanquam ſibi proprios, favori & protectioni Dei fidelíq; ac vigili miniſterio ſanctorum ejus Angelorum ſpecialiori modo commendentur: Quæ cauſa efficiens erit quòd albis induantur, quódq; nomen eorum non deleatur è libro vitæ; hoc eſt, quòd permanſura ſit externa eorum proſperitas ac ſecuritas ab ærumnis & oppreſſionibus; ut Innocentia hoc pacto & externa felicitas perpetuæ comites ſint in beato *Millennio*, quod idem ferè eſt quod Intervallum hoc Eccleſiæ *Philadelphianum*. Pauca hæc nomina in *Sardis* hanc ſummam tandem ſunt confectura. Salutem enim ex *Sardibus* oriri oportet, non autem ex *Babylone*. Nec mirum omninò eſt Angelorum miniſterium ità occupatum iri circa Eccleſiam quæ tunc adeò Angelica ſit evaſura, quemadmodum pleniùs notatur in *Dialogis Divinis*.

8. Hæc ſunt fortiſſima illa Argumenta quibus Chriſtus utitur ad *Sardianam* Eccleſiam carnalem inſtigandam, ut ſinceriores adhiberet conatus ad adipiſcendam *Spiritûs Diſpenſationem*, & ad maturanda beatiſſimorum illorum temporum initia; Cujus rei auſpicata molitio per illuſtrem illum *Heroem* repræſentatur *albo Equo inſidentem*, cap. 19. ubi eum ſequuntur in albis Equis Exercitus candido mundóq; byſſino induti. Quod ad finem Intervalli hujus Eccleſiæ *Sardianæ* pertinet. Quorum magna pars ante hoc tempus veriſimile eſt fore, ut colorem *carnalinum* in purè album commutâſſent, ad ordinatim incedendum parati cum eo ad bellum illud ſpirituale (ut quidam hîc dicuntur cum eo ambulare *in albis*) ídq; mira cum felicitate ac ſucceſſu, quod & albæ veſtes ſignificant.

Verſ. 6. *Qui aurem habet audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.* Chriſtianus verò Orbis reformatus præ cæteris, cùm eorum res tam manifeſtò hîc agatur. Illi enim, quod initio dixi, ſunt Eccleſia hæc *Sardiana*. Cujus Intervalli principium cùm ſanctitate verâ zelíq; ſinceritate majorem in modum ornatum eſſet, meliori jure *Reſurrectionis Teſtium* Titulum meruit. Et certè hîc quanquam ob ſua delicta multùm reprehendantur, agnoſcuntur tamen una eſſe è ſeptem Eccleſiis in *Aſia*, cap. I. II. hoc eſt, באשיה in *fundamento*. Et vera & Apoſtolica Eccleſia etiamnum ſunt, juréq; optimo teſtimonium perhibent adversùs *Idololatrias* craſſáſq; *Antichriſtianas* conſuetudines Eccleſiæ *Romanæ*; tales intelligo quæ apud ipſos in legem abierint, eóq; ipſo propriè fiant *Antichriſtianæ*.

Hoc

Hoc quidem ſuperaddere haud abs re fore putabam ad inhibendam præpoſteram quorundam proclivitatem propenſóſq; affectus erga Eccleſiam *Romanam*, ob id ſolum quòd omni ex parte Eccleſiarum Reformatarum conditio tam perfecta non ſit quàm poſſit exoptari. Etenim quanquam illarum conditio tam perfecta non ſit quàm oportet, cuivis tamen niſi qui admodum moroſo ſit ingenio aut præjudiciis occæcato, non poteſt quin infinito melior videatur quàm Eccleſiæ *Romanæ*. Atq; hæc de *Sardiana* Eccleſia.

CAP. VIII.

Interpretatio Epiſtolæ ad Eccleſiam Philadelphienſem.

1. ITem Angelo Eccleſiæ *Philadelphienſis* ſcribito. Quid ſibi velit *Philadelphia*, manifeſtum eſt nullóq; modo Ænigmaticum. Ipſa vox *fraternam charitatem* ſignificat; Quæ ritè intellecta, Legis eſt Impletio. Adeò ut per φιλαδελφίαν idem intelligatur atq; per ἀγάπην, *Amor univerſalis* (ſumus enim omnes fratres in *Adamo*;) ſed magis ſpeciatim Amor eorum qui *Fidei domeſtici* ſint, hoc eſt, qui in Chriſtum credant. In Eccleſia *Sardiana* maximus ſtrepitus erat circa *Fidem: Opera verò ejus non ſunt inventa perfecta coram Deo.* Hujus verò Eccleſiæ Inſcriptio *Amor* eſt ſive *Charitas*, quæ Legis, quod antè dixi, eſt Impletio. *Velúmq; ejus ſuper me Amor erat.* Hoc *Philadelphianæ* Eccleſiæ Inſigne eſt. *Quæ eſt iſta quæ emergit ut Aurora, Lunâ pulchrior, ſplendentior Sole, & terribilis ut Exercitus cum vexillis?* Immò verò quænam alia illa eſſe poteſt quàm hæc Eccleſia *Philadelphiana*, ob *Arma* æquè celebris atq; *Amorem?* quemadmodum in ſermonis progreſſu videbimus. Intervallum enim hujus Eccleſiæ in *ultima Phiala* incipit & ad *quartum* pertingit *Tonitruum*. *Apoc.* 3. 7. *Cant.* 2. 4.

Hoc dicit Sanctus. Et eam alloquitur Eccleſiam, quæ hujuſmodi documenta avidè imbibit: *Eſtote* ſancti *quoniam ego* ſanctus *ſum*; &, *Eſtote ergo vos* perfecti, *ſicut pater veſter qui in cœlis* perfectus *eſt.*

Verus. Is qui omnia ſua promiſſa ſplendidáſq; prædictiones de Eccleſia ſua in hoc illius ſtatu qui per Eccleſiam *Philadelphienſem* præfiguratur, impleturus eſt, ad eóſq; ſcribit qui id credunt, firmámq; habent fiduciam in potentia ſpiritúq; Chriſti atq; Dei.

Qui Davidis clavem habet, quo aperiente nullus claudit, claudente nullus aperit. Quod *Eliakim Hezekiæ* erat, qui ex ſtirpe erat *Davidis*, idem Chriſtus eſt Deo Patri, quem S. *Johannes* appellat Amorem, דוד. Ille princeps eſt Regni Dei miniſter, & univerſa, ut lubet, pro autoritate ſibi commiſſa, gerit; Cujus poteſtatis *clavis* ſymbolum eſt, (vide *Grotium* in locum:) nihil eſt tam arduum atq; impervium quin is penetrare poſſit, oſtiúmq; ſucceſſui aperire, illúdq; rurſus adversùs Inimicos ſuos occludere.

2. *Novi tua opera.* Atq; ità ſanè ut ipſa approbem, quippe qui fructus ſunt *Divini Amoris*, quo nihil ego habeo charius aut antiquius. Nihil tu ex zelo agis amarulento partiúmve ſtudio, nihil ex inani oſtentatione ulláve ratione ſeculari, ſed ſimpliciter ex amore mei, meæq; juſtitiæ, & ex amore humani generis, ad cujus & præſentem & futuram Beatitudinem promovendam, omnes ſincerè nervos intendis. *Verſ.* 8.

Ego tibi apertam propoſui portam quam claudere nullus queat. Ecce ego providentiâ meâ eò res perduxi, quódq; exorſus ſum ſpeciali meo auxilio ità adjuvabo, ut omnium hominum ac Diabolorum contrà machinantium ingratiis, opportunitates nactura ſis Regni mei res gloriosè ac proſperè adminiſtrandi. Hoc perficiendum eſt *ultimâ phialâ* in magno illo prælio *Dei omnipotentis*, ubi & *Beſtia* & *Pſeudoprophe-ta* comprehendi dicuntur, & in ſtagnum ignis ardens ſulphure conjici. Vide *Dialogos Divinos.* *Apoc.* 16. 13.

Quoniam exiguas vires habes, & ſervâſti meum verbum, & non negâſti nomen meum. *Grotius* interpretatur, *exiguum Exercitum.* Atq; ſic quidem δύναμις exponi poteſt, ídq; appoſitè præſenti ſcopo, congruentérq; prælio paulò antè nominato. Senſus eſt: Quia pauci eſtis cum reliqua mea Eccleſia regnóve comparati, (nam *Sardiana* etiam Eccleſia illius regnum & Eccleſia eſt, ex qua Eccleſia *Philadelphiana* emergit) ſed præſertim cum Infidelium & Antichriſtianorum cætibus collati, cum

eis utiq; ſub *Dracone* & *Beſtia* & *Pſeudopropheta*, & ſervâſtis tamen verbum meum nec nomen meum abnegâſtis, hoc eſt, illi quod ſanctum verúmq; eſt & in cordibus veſtris adhæſiſtis, idémq; profeſſi eſtis verbis ac operibus ; ideo vobiſcum ero modo tam glorioſo, támq; felices vobis in Regno meo amplificando dabo ſucceſſus. Hujus igitur Eccleſiæ *Philadelphianæ* ſunt Exercitus illi in cœlo viſi Apoc. 19. Chriſtum ſequentes *in equis albis candido mundóq; byſſino induti* (Quod & cauſæ ipſorum juſtitiam innuit & ſucceſsûs certitudinem) Ut & *Boanerges* illi in *ultima phiala* (alteri illi viſioni ſynchrona) qui fulgurant intonántq; ſuper civitatem in tres partes diviſam, quo Civitates Gentium cadunt, *Babylónq;* cum ſuis filiabus penitùs ſubvertitur.

Verſ. 9. *Ecce cogam nonnullos ex ſynagoga Satanæ qui ſe* Judæos *eſſe dicunt nec ſunt, ſed mentiuntur.* *Judæi*, quemadmodum ſuprà notavi, ſecundùm ſtylum *Apocalypticum*, Chriſtiani ſunt. Et *Judæi* qui tales ſe profitentur nec ſunt, ſed mentiuntur, ſunt *Pſeudochriſtiani*, ſeu *Antichriſtianorum* cætus, hîc verò è Satanæ ſynagoga eſſe cenſentur, propter abominanda illorum mendacia & truculenta Homicidia. Nam Dia-
Johan. 8. 44. bolus *Homicida erat ab initio*, & eodem in loco *mendax* etiam à Servatore appellatur. Ut præteream ſuperbiam illius Eccleſiæ *Luciferianam*, Satanæ inſtar, Principis Diabolorum.

Ecce eos adigam ut te ante pedes tuos veneratum veniant ; Etiam eos qui antea Papæ pedes deoſculati eſſent, elati illius Pontificis. Hoc admodum aptè reſpondet loco illi ſuprà memoratæ viſionis, ubi *Beſtia* & *Pſeudopropheta* comprehenduntur
Apoc. 19. 20. & vivi conjiciuntur in ſtagnum ignis: hoc eſt, *Beſtiana* & *Pſeudoprophetica* poteſtas, quà talis, comburitur, deſtruitur & aboletur, poteſtáſq; *Philadelphiana* tunc ſupra omnes caput effert, vel Dominus potiùs ſolus in illo die exaltatur; Nam ad hoc præſertim tempus ſpectat dictum illud, *Non potentiâ neq; viribus, ſed Spiritu meo, inquit Dominus Exercituum.*

Etenim, colluctatio profectò hactenus Eccleſiæ *Sardianæ* adversùs illam Civitatem quæ *Sodoma* appellatur & *Ægyptus*, quamvìs in ſuo genere laudabilis fuerit, fuit tamen nihilominus certamen ferè *Edomi* adversùs *Edomum*, partis aliquantò purioris adversùs partem magìs impuram, quantùm ad *Vitam*, intelligo, & *Pietatem* ; Nec arma militiæ ipſorum tam ſpiritualia fuerunt quàm par erat, nec induti ſunt *byſſino candido mundóque* ; non eò utiq; aſpirârunt ut fierent illa Eccleſia quæ nullâ maculâ aut rugâ aut ullâ tali re prædita ſit: *Sardiana* verò tinctura eos nimiùm quantùm coinquinavit.

Cæterùm, quemadmodum verum eſt ſenſu naturali, *carnem & ſanguinem non poſſe hæreditare regnum Dei* ; ità etiam ſenſu *Politico*, glorioſa illa tempora Regni Dei apparere non poſſe, donec Eccleſia ex *Sardiano Carnalinóve* ſtatu in *Philadelphianum* emerſerit. Contra quam Eccleſiam Chriſtus nullas omninò profert querelas, ſed eam amat approbátq; in ſolidum, ſicut & is viciſſim ab ea animitùs amatur. Et proculdubio illius Eccleſiæ ſtatus adeò amabilis eſt, ut etiam Inimicos ſuos in amorem ſui ſit pellectura, ſuíq; ſpontaneæ quaſi obedientiæ ſubjectura, cùm omnia in ipſa ſint tam irreprehenſibilia. Verùm utplurimum homines improbi adversùs viros bonos qui ſuæ Sectæ non ſint, ſi qua fortè labecula infirmitáſve eos maculaverit, admodum elatè ac ferociter ſe gerunt.

Ac proinde hanc *Philadelphianam* Eccleſiam, ſi ullam, Eccleſiam eſſe oportet quæ *Pontificiorum* corda emolliat, eóſque, quotquot Deo viſum fuerit, ad veritatis agnitionem reducat. Quantùm verò ad *Civitates gentium*, victoriæ illius contra ipſas erunt ferè inenarrabiles. Hi enim ſunt potentes illi *Fulminatores*, per quorum Intonationes & fulgurationes *Gentium Civitates* caſuræ ſunt, quemadmodum ſuprà monui.

Téq; mihi charum eſſe intelligant. Ipſi *Pontificii* deprehendent ex ſtupendo Eccleſiæ *Philadelphianæ* ſucceſſu, quanto honore apud Chriſtum ſit & quàm longè is illius *Integritatem*, *Simplicitatem*, *Charitatem fraternam*, *Humilitatem*, *Manſuetudinem*, *Cultûſq puritatem*, Pontificiorum *fraudibus* & *Impoſturis*, *barbaris* ipſorum *Perſecutionibus* & *crudelitatibus*, *ſuperbiæ Luciferianæ*, & *ſuperſtitioſis* ac *Idololatricis* Ritibus præferat.

Verſ 10. 4. *Quoniam ſervâſti verbum patientiæ meæ*, hoc eſt, Quoniam & animo manſueto es & fidelem te præbuiſti, nec retroceſſiſti tempore afflictionis, ſed tolerâſti omnia propter nomen meum.

Ego quoq; te adversùs tentationis horam conſervabo eventuram toti Orbi, quo tententur incolæ terrarum. Nempe eo tempore quo univerſus Orbis turbis bellíſq; miſcebitur in multiplices anguſtias ac calamitates conjectus. Quod fit ſub *Phiala ultima*, ubi *tres immundi ſpiritus* ad *Reges terræ & totius Orbis exeunt* ad *congregandos*

eos

eos ad prælium magnæ illius Diei Dei omnipotentis, tantúſq; ſit *terræ-motus* ut poſt homines natos tam ingens terræ-motus nullus extiterit. In ſæviſſima hac tempeſtate rerúmq; turbine ego te à periculo conſervabo, incolumíſq; per omnia perambulabis. Minori cum damno effugies quàm ulla hominum Secta propter conſpicuam tuam Innocentiam, ſinceritatem, vitæq; exemplaritatem, Doctrinámq; planè Apoſtolicam & irreprehenſibilem, & propter ſingularem tuum erga me, totúmq; adeò Genus humanum, amorem. Quoniam mitis es, & manſueta & benigna, beneficáq; adversùs omnes; Quoniam unitatis amatrix, nihílq; proprio commodo quærens, nemini infeſta, ſolíſq; vitiis hominum ac miſeriis inimica. Hæc cum ſingulari meo erga te favore in magna illa rerum confuſione ſummáq; fermentatione animorum ac fluctuatione, ſub *Phiala ultimâ*, certò te ſunt protectura. *Ecquis verò eſt qui vos læ-* 1 Pet. 3. 13.
dat ſi bonitatis imitatores ſitis?

5. *Ecce venio citò.* Tu jam in illa temporis periodo verſaris in qua magnum hoc *Verſ.* 11.
judicium venturum eſt ſuper terram, nempe ſub *tonitruo primo*. Vel potiùs, quoniam Eccleſia *Philadelphiana* non ſupponitur diſtinctè extare aut apparere ante *Phialam ultimam*, *ultima Phiala* hæc debet eſſe Periodus. Et tunc adventus hic ratione illius temporis admodum profectò citò fiet.

Tene quod habes, nè quis coronam tibi præripiat. Ex animi mei ſententia tu ſanè Eccleſia es, ô *Philadelphia*, nec ullius culpæ te inſimulo, ſincerè te geris atq; integré. Retine igitur quicquid aſſecuta ſis veritatis atq; integritatis, ut coronâ non priveris quam tibi decrevi. Nam in te implebuntur omnia mea glorioſa Promiſſa de Regno meo in terris.

6. *Qui vicerit, eum ego columnam faciam in templo Dei mei, quæ deinceps indè non exibit.* Ὁ νικῶν, *Is qui vicerit*, hoc eſt, ſtylo *Apocalyptico*, omnes, vel univerſus ille hominum cætus qui vicerint. Quod hîc intelligitur de *Philadelphianis*. Erunt tanquam columna in templo Dei, hoc eſt, Populus ſanctus erunt fixus atq; ſtabilis, vera ſancta Catholica Eccleſia quæ nunquam deficiet, ſed durabit uſq; dum in nubibus venero ad judicium die noviſſimo. Reliquæ omnes formæ ac denominationes deficient, hæc verò *Dominium* obtinebit uſq; ad extremum.

Eiq; Dei mei nomen inſcribam. In hoc perſequitur priorem metaphoram à columna ſumptam; adjectâ alluſione ad Antiquorum στηλογραφίαν. Hi *Philadelphiani* nomen Dei ſibi inſcriptum habebunt, hoc eſt, Converſatio eorum atq; mores tam ſancti erunt & divini, ut æquè manifeſtum futurum ſit omnibus, eos Eccleſiam ſanctam electúmq; Dei populum eſſe ac ſi frontibus ipſorum eſſet inſcriptum: Vel breviùs, idq; ſenſu magis *Politico*, *Nomen Dei mei* alludere poteſt ad *Jehovah Shammah*, innuendo hos *Philadelphianos* eam fore Eccleſiam quæ repræſentatur per Civitatem *Hieroſolymam* ab *Ezekiele* deſcriptam, quæ dicitur *Jehovah Shammah*. Cujus rei ſequentia verba videntur magìs expreſſa ſignificatio.

Et nomen Civitatis Dei, novæ Hieroſolymæ de cœlo à Deo meo deſcendentis. Nomen Civitatis, novæ *Hieroſolymæ*, pariter atq; *Jehovah Shammah* ipſis inſcribetur; Civitatis ubi Deus habitat, regnátq; per Spiritum ſuum. Civitas illa erunt *Hieroſolyma*, ſub *ſecundo tonitruo*, formâ actúq; conſtituta. Nam vocari atq; eſſe *Hebraico* idiomate idem ſonant. Et nomine vocatur *Verbum Dei*, Apoc. 19. 13. idem eſt atque, *Eſt verbum Dei*. Quamobrem *Philadelphia* hæc *ſecundo tonitruo* eadem fit quæ *nova Hieroſolyma*; Titulus verò *Philadelphiæ* maturiùs incipit, & ad *quartum* uſq; *Tonitruum* pertingit.

Hæc *Philadelphianorum* Inſcriptio, quòd nova appellentur *Hieroſolyma*, &c. eiſdem verbis quibus illa poſtea deſcribitur Apoc. 21. nobilis indicatio eſt per Eccleſiam *Philadelphiæ* intelligendam eſſe ſucceſſionem Eccleſiæ quæ ſub *ſecundo tertióq; Tonitruo* futura eſt, ſed quæ primùm emergere debet *Phialâ ultimâ*. Nam eſt illa nova *Hieroſolyma* quæ de cœlo à Deo deſcendit. Quæ cùm manifeſtum hunc habeat ſenſum *Politicum*, admodum duriter profectò accommodaretur Civitati *Philadelphiæ* in *Aſia literaliter* intellectæ, niſi ratione habitâ ad ſuccedens hoc Eccleſiæ Intervallum quo de loquimur. Nec promiſſum ſanè *literali* Eccleſiæ *Philadelphiæ* præſtitum eſt, quæ jam diu periit; Hæc profectò columna non erat tam durabilis ac diuturna. Ac proinde ulterioris alicujus ſenſûs neceſſitas eſt, *Myſtici* putà ſive *Prophetici*.

7. *Et novum meum nomen ei inſcribam.* Expreſsè dicitur Apoc. 19. 16. quòd Chriſtus nomen in veſtimento & femore ſcriptum habet, *Rex Regum & Dominorum Dominus*. Hoc ipſum nomen hîc intelligi vult *Grotius*. Nec contemnendâ ſanè ratione illius ſententia nititur, cùm nomen illud tam particulatim ac pompaticè deſcribatur, tanquam illius nomen ſpeciale. Et tametſi ſemper ad illud jus habuerit,

tamen

tamen cùm hujus juris acquiſita poſſeſſio *nova recénſq;* futura ſit hoc Intervallo *Philadelphiano* poſt prælium *Herois* albo Equo inſidentis, rectè appellatur *nomen novum*, aptiſſiméq; hiſce *Philadelphianis* inſcribitur, ut qui tam ſtrenuè operám navaverint victoriis ſuis adipiſcendis. Hi ſunt illi *Boanerges* (ſuper magnam Civitatem intonantes in tres partes diviſam) ut & Equites illi albis Equis inſidentes, quemadmodum ſuprà ſignificavi. Chriſtus igitur per hos *Rex Regum* & *Dominorum Dominus* evadit, vel potiùs ipſos ſummum is in terris Imperium conſtituit. *Fixus eſt ædis* Jehovæ *mons in culmine montium factúſq; collium editiſſimus, confluéntq; ad eum gentes omnes.* Quemadmodum eventurum eſt ſub *Tonitruo tertio.* Per quod *tertium ſecundúmq; Tonitruum, phialámq; ultimam*, Intervallum ſucceſſionis Eccleſiæ *Philadelphianæ*, quemadmodum ſuprà monui, deducitur.

Qui aurem habet, audiat, &c. Nihil opus eſt ut hîc ſenſûs rerum Politici ſubindicationem urgeamus ex eo quòd *Epiphonema* ultimo loco ſit poſitum, cùm ipſæ locutionum formulæ id poſtularent, quamvìs nullum hujuſmodi haberemus indicem; ſed è contrà potiùs argumentari poſſumus, cùm res ipſæ tam manifeſtum habeant ſenſum *Politicum* non *Moralem* aut *Spiritualem*, quòd noſtram id confirmet Regulam de hujus *Epiphonematis* poſitione. Hoc autem obiter dictum ſit. Ad *Laodicenſem* Eccleſiam jam pergimus.

CAP. IX.

Interpretatio Epiſtolæ ad Eccleſiam Laodicenſem.

Apoc. c. 3. v. 14.

1. ITem *Angelo Eccleſiæ* Laodicenſis *ſcribito.* Intervallum ſucceſſionis Eccleſiæ *Laodicenſis*, quartum, quintum ſextúmq; *Tonitruum* eſt, hoc eſt, à *ſolutione Satanæ* uſq; ad *advcntum Chriſti* ad judicium ſub *Tonitruo* ſexto. Hoc Intervallo *Philadelphiæ* ſcena præterita eſt, ejúſq; locum *Laodicea* occupat. Quæ vera quidem agnoſcitur eſſe Eccleſia, quantùm ad cultum doctrinámque, ſed ut deſidioſa ac Lethargica Eccleſia repræſentatur, in qua prior ille zelus *Philadelphianus* apud pleroſq; extinctus ſit, quamvìs ſit veriſimile hunc ſtatum degenerem paulatim hoc Intervallo ipſis irrepſiſſe.

2. Sic igitur prævìſum eſt ſecundùm Divinæ Providentiæ ſeriem; Poſtquam glorioſus hic Eccleſiæ ſtatus qui ſecundo tertióq; *Tonitruo* ſynchronus eſt (quo durante ſpacio & paulò antè res *Philadelphianæ* ſcenam ornabant) orbem Chriſtianum ab omnibus ſuis ineptis opinionibus ac ſuperſtitionibus, & ab execranda illa conſuetudine perſequendi ſe invicem ritè purgâſſet, veritáſq; Evangelii purâ ſuâ ſimplicitate eluxiſſet, tantâq; evidentiâ adversùs omnes priorum ſeculorum ineptias ac Impoſturas, ut Eccleſia in nullo ferè periculo conſtituta ſit, nè rurſus ab eiſdem ipſi imponeretur, cùm vaticinia penè univerſa ante oculos impleta perſpexiſſet, ità ut nullum dubium ſubeſſe poſſet quin Eccleſia *Philadelphiana* vera eſſet Eccleſia, nec ulla ſupereſſet capacitas rerum innovandarum in fide cultúve; Poſt hæc, inquam, ut ſunt res omnes quodammodo variabiles ac mutabiles ſub ſole, *Philadelphianæ* Eccleſiæ degenerandum tandem erat in ſtatum hunc *Laodicenum.* Illúdq; quod antea regnum *Spiritûs* erat, *vivæq; Juſtitiæ Dei*, mox futura erat Eccleſia *Laodiceæ*; quæ juſtitiam magìs vulgarem externámq; ac Politicam ſive *populi Juſtitiam* ſignificat. Externam Profeſſionem rerúmq; peractionem ad eum planè modum, qui à *Philadelphianis* viâ vivâ adhibitus eſt & cum virtute *Spiritûs*, eandem hæc Eccleſia *Laodicena* continuabit quidem ſed oſcitanter ac remiſsè cum pauxillo zeli ſpiritûſve, & applaudet tamen ſibi nihilominus ob ſcientiæ abundantiam propter vaticinia impleta, atq; ob puritatem externi cultûs quem etiamnum retinet, tanquam ſi præclarè indè ſe haberet, nulliúſq; rei indigeret.

3. Hæc ſummatim hujus Eccleſiæ conditio eſt, quemadmodum ſignificantiſſimè ab ipſo nomine ſubindicatur. Nam Λαοδίκεια idem planè ſonat atq; *Populi Juſtitia.* Populus verò eſt quælibet hominum multitudo in corpus *Politicum* collecta; ſicut manifeſtum eſt ex illa notatione vocis βασιλεὺς ac ſi eſſet à βάσις & λαὸς· & rurſus apud Homerum,

Ὦ λαοὶ ἐπιλήθεσθαι———

Ac

Ac proinde *populus* cùm corpus ſint *Politicum*, certis quibuſdam legibus reguntur ac continentur; quas ſi obſervent, perinde eſt quo animo quáve intentione id faciant, quóve fonte facta proficiſcantur. *Nova Natura*, *Regeneratio* atq; *Spiritus* ab hac via longè diſſita ſunt. Nationalis autem ſive Oecumenica Religio, Doctrina aut Cultus, quatenus ab extrà ſunt, nihil ſunt aliud niſi *Lex Politica*, ejuſmodíq; *Juſtitia* nihil aliud niſi *Juſtitia Laodicena*, quemadmodum abundè jam inculcatum eſt.

Cæterùm præter *hunc ſenſum* nominis *Laodicea*, qui, nullus dubito, quin ſpeciatim intendatur, poteſt quidem ſecundùm multifarias ſtyli *Prophetici* alluſiones, alius ſenſus nobilis porrò indigitari, qui ſit huic Eccleſiæ admodum proprius. Ratio enim Nominis in *Laodicea*, poteſt etiam peti παρὰ τὸ δίκας διαζειν τοῖς λαοῖς, quoniam hujus Eccleſiæ Intervallo Deus venturus eſt ad *judicandum populum* modo quodam maximè illuſtri ac terribili. Ob id utique, quòd hujus Eccleſiæ exitus ultimum judicium propriè dictum introducit, ideo poſtremum hoc Eccleſiæ Intervallum appellatur *Laodicea*, i. e. *Judicatio populi*, omnium gentium terræ, die noviſſimo. Neq; quicquam occurrit frequentius in Scripturis, quàm à notabili aliquo caſu externo qui rem perſonámve ſic nominatam reſpiciat, nominum impoſitio.

4. *Hæc dicit Amen, Teſtis fidus atq; verus.* *Paulus* ſecundâ Epiſtolâ ad *Corinthios* ait, *Omnes Dei promiſſiones in Chriſto ſunt Etiam & Amen*, hoc eſt, tam firmæ ſunt atq; certæ, ut nemo dubitare debeat eas præſtitum iri. Quamobrem hoc Chriſti Attributum tempeſtivè hîc adducitur, utpote quod tum completionem reſpicit promiſſionum jam præſtitarum in perducendo Eccleſiam ſuam ad admirabilem illam ac glorioſam Conditionem in ſucceſſione *Philadelphiana*, tum præſtationem etiam illius ſummi momenti promiſſi ſub finem hujus Epiſtolæ de æterna vita ac beata immortalitate in Chriſti regno cœleſti. De qua hi *Laodiceni* degenerésve *Philadelphiani* (inſtar modernorum *Familiſtarum* qui *Philadelphianam* hanc Diſpenſationem venditant) (nonnulli ſaltem) proclives fortean eſſe poſſunt ad dubitandum.

Cæterùm Chriſtus hîc porrò appellatur *Teſtis fidus atq; verus*, quia tam fideliter teſtificatur veritatem de Conditione *Laodicenorum*, eóſq; tam apertè monet de periculo. Cúmq; narratio tam Paradoxa ipſis apparitura ſit, eò magis neceſſarium eſt ſuam fidelitatem ac veracitatem ipſis inculcare, ut fidem ſic ipſis extorquere poſſit contra falſos ſuos ſenſus ac opiniones de ſemetipſis.

Principium Creaturæ Dei. Sublimiorem hoc ſenſum habet, ſicut illud initio Evangelii S. *Johannis*, Chriſtíq; ſpectat *Divinitatem*, per quem omnia facta ſunt & in quo ſubſiſtunt. Sed enim credo & illud magis ſpeciatim hîc inſinuari, quod expreſſim de eo declaratur (ſecundùm Septuaginta Interpretes) à Propheta *Eſaia*; πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. *Inchoator* authórve *Mundi* ſive ſeculi ſub *Meſſia*. In quo cùm, quod ſuprà monui, omnia tam accuratè perfecerit quantùm ad promiſſa & prædictiones, opportuna hæc videtur repetitio illius quod ſubindicatum eſt in illo Attributo Amen: Perinde ac ſi diceret; Ego inceptor eram hujus mirabilis rerum ſcenæ ab eo tempore quo in terris incarnatus vixi ad hunc uſq; diem, & videtis quàm ſtabili ratione ſecundùm Prædictiones ac Prophetias omnia ſucceſſerint. Quamobrem fidem mihi habete in reliquis (ſive Comminationes ſint ſive Promiſſa) quæ jam vobis ſum narraturus. Hic videtur genuinus ſenſus hujus præloquii ad Epiſtolam.

5. *Novi tua opera, qui neq; frigidus ſis neq; fervidus.* Tuam video tepidam, formalem, remiſſámq; eſſe Diſpenſationem; Externam quidem formam adhuc retines Eccleſiæ *Philadelphianæ* quantùm ad Doctrinam Cultúmque, verùm *ſpiritu illo vitæ in nova Nativitate* deſtitueris, qui proprius character erat defunctæ tuæ ſororis *Philadelphiæ*. *Verſ.* 15.

Utinam aut frigidus eſſes aut fervidus. Quanquam in ſe melius non ſit, tibi tamen melius foret ſi extrinſecùs tam bona non eſſes quàm es, ut citiùs ſic de propria tua inopia convinci poſſis & in ſtatum pœnitentiæ & mortificationis & Regenerationis deniq; intrare, atq; ità mei *ſpiritûs* particeps fieri. Nunc verò calentis Carnis externa tantummodo Imago es ex qua Anima nuper exierit, etiam tum quum ſoror tua *Philadelphia* ex hoc mundo exceſſit. Tu externa quaſi fabrica es illius *Philadelphiæ*, Spiritus autem te reliquit.

6. *Ergo quia tepidus es, neq; frigidus neq; fervidus, evomam te ex ore meo*, hoc eſt, flumine torrentéve verborum adversùs te declarabo quantam nauſeam ac faſtidium mihi crees, quámq; mihi moveas ſtomachum. Quod fit verſu ſequenti, ubi juſta illa adversùs eam effundit opprobria, quòd *ærumnoſa ſit & miſera & pauper & cæca & nuda.* Vel ſenſus forſan hujus Comminationis paulò profundior eſſe poteſt, nec tamen minùs ſolidus, quatenus prædictionem ſcilicet plenæ illius exterminationis innuat; Succeſſionem ſcilicet Eccleſiæ Chriſti in terris in ea eſſe ceſſaturam. *Verſ.* 16.

Etenim cùm Immenſitas *Divinitatis* Chriſti omnia comprehendat, ille nihil evomere poteſt quin ſtatim intelligatur in Regionem Non-entium ejiciendum. Et *Laodicena* quidem Eccleſia ultima Providentiæ ſcena eſt, & Eccleſia hæc & univerſa adeò rerum ſcena in terris, illius causâ, finem brevì eſt habitura. Nam in proximo poſt hoc Intervallum *Laodicenum Tonitruo*, quod omnium ultimum eſt, futura eſt *Conflagratio*. Nec niſi ad breve tempus ſolvendus eſt *Satanas*, adeò ut tempus *Laodicenæ* Eccleſiæ longum eſſe non poſſit. Quamobrem Comminatio, *Evomam te ex ore meo*, plenæ exterminationis Eccleſiæ è rerum natura, quantùm ad ſtatum illius in terris, poteſt eſſe prædictio. Etenim quemadmodum ante Diluvium dicitur Deum pœnituiſſe quòd feciſſet homines in terris animóq; indoluiſſe; ità Chriſtus hîc declarat quantum in ipſo nauſeæ ſtomachíq; cieatur adversùs Eccleſiam ſuam ſub hoc Intervallo Titulóq; *Laodiceæ*, quàm cholera ejus & indignatio exardeſcat contra illius tepiditatem, quódq; proinde eam evomiturus ſit cum flumine igneo, & calidarum flammarum ſulphurearum Diluvio obruturus. Quod eventurum eſt in *Conflagratione*. Statu Eccleſiæ jam in ſenecta naturaliter in deterius prolabente, Chriſtus conſultiſſimum reputabit finem ſcenæ rerum imponere, ſuóſq; ad Regnum ſuum cœleſte transferre.

Ver. 17. 7. *Quoniam te divitem ditatúmq; eſſe dicis, nec ullâ re indigere.* Atq; hæc ſanè una ratio eſt ſocordiæ ac deſidiæ hujus Eccleſiæ *Laodicenæ*, quòd jam omnia quæ optanda ſint ſe poſſidere exiſtimet, ut Pacem rerúmq; affluentiam, poteſtatem ac dominationem, ſecuritatem ab inimicis, & externi cultûs puritatem ſuperſtitione & Idololatriâ liberam, ſcientiæ tum naturalis tum Theologicæ abundantiam, intelligentiam vaticiniorum propter manifeſtam ipſorum Completionem, ſuorúmq; Anteceſſorum Interpretationes ſummâ fide ac judicio elaboratas; Nullam oppreſſionem, nullam Perſecutionem Conſcientiæ causâ, vivente unoquoq; pacificè ſuóq; indulgente animo ſub vitibus ſuis atq; ficubus. Quid igitur vel ad ſummam felicitatem nobis deeſt? Annon etiamnum ſumus vera illa Eccleſia *Philadelphiana* novâq; illa *Hieroſolyma*, quæ de cœlo deſcendit cum omni ſua opulentia ac ſplendore? Ità ſanè quis putaret ſi carnali judicio res æſtimet. Verùm audiamus quid ille *Amen* dicat, *Teſtis verus*, atq; *fidus*.

Neq; ſcis te eſſe ærumnoſum & miſerum & pauperem & cæcum & nudum. Chriſtus Eccleſiæ *Smyrnææ* dicit, *Novi tua opera & calamitatem ac pauperiem, cùm tamen dives ſis.* Primitiva Eccleſia dum *ſpiritus vitæ* in ea ſpirabat, quanquam in media omnium externorum ſolaminum inopia, horrendis etiam perſecutionibus infeſtata, Chriſti tamen judicio dives reputatur: *Laodiceni* verò in maxima rerum externarum affluentia, quoniam *ſpiritu vitæ* deſtituti ſunt, *pauperes* exiſtimantur & *ærumnoſi* ac *nudi*, ac ſi nè unum quidem panniculum haberent quo humeros contegant; immò *cæci* etiam quamvìs ſcientiâ tantoperè abundent, quippe qui Myſteriorum *ſpiritûs vitæ* in *nova Nativitate* Animæq; in internam vivámq; Juſtitiam renovatæ ſcientiâ & experientiâ privati ſunt, & *externo Laodiceno* ſtatui ac conditioni acquieſcunt.

Ver. 18. 8. *Suadeo tibi ut à me aurum igni candens emas quo diteſcas.* Ego tibi author ſim, ut omnes nervos intendas (hoc enim hujus eſt auri pretium quod ſolvi oportet) ad reſtituendum teipſum in ſtatum novæ *Hieroſolymæ* de cœlo deſcendentis; Quæ civitas ex *puro auro* conſtabat, ità ſanè igni purificato ut nitidum eſſet ac pellucidum ut vitrum. Hæc eſt *nova* in te *Creatura*, transformatio naturæ tuæ in *cæleſtis Adami* imaginem. Hæc eſt opulentia reverà durabilis ac ſolida, taliſq; quæ te in ſummos cœlos ſit comitatura, quando terra hæc ejúſq; metalla igni colliqueſiant. Allabora igitur omni opere ad ſolidum hunc Theſaurum acquirendum, qui fatales illas flammas ſuſtinebit nec peribit tecum in *Conflagratione* generali.

Et veſtimenta candida quo induare, nè nuditatis tuæ confuſio appareat. Ingemiſce ſedulò in hoc, ô Spiritu caſſa *Laodicea*, ſuperindui cupiens domicilio tuo ſpirituali quod eſt de cœlo; ut ſic induta nuda non inveniaris. Etenim dum in hoc terreno Tabernaculo es, onus exiſtimare debes, nec oblectamentis hujus vitæ acquieſcere, ex eo quòd omninò pacificè te habeas omniáq; ſuccedant proſperè. Non quòd tibi ſuaſor eſſem corripiendi vitæ ſpacium, ſed ut ſic indutæ veſtimento hoc ſpirituali mortalitas tibi abſorbeatur à vita. Eſtq; *vitæ ſpiritus*, Divinúſq; amor qui unam hanc ſed ſummi momenti rem in te operetur, quâ tu quidem tantoperè indiges, nec tuam tamen perſentiſcis indigentiam.

Et Collyrio illine tuos oculos ut cernas, hoc eſt, Purga teipſum per debitam mortificationis menſuram, purificationiſq; interni hominis ab omni inquinamento carnis atq; ſpiritûs, ut Prudentiam Divino-moralem aſſequi poſſis quæ recto te imbutura

butura ſit judicio in rebus omnibus diſcernendis. Hoc igitur Collyrion eſt, quo te ſuadeo ut oculos tuos illinas, purgatio utiq; tuiipſius ab omnibus *corruptionibus animalibus* ut *internam* perficias *juſtitiam* cum mei timore: *Externa* enim neminem perductura eſt ad cœlum. Unguentum quod ego præſcribo, punget quidem, verùm abſq; illo cæca permanebis, nec viam unquam invenies ad æternam ſalutem.

9. *Ego quos amo, arguo.* Ego apertè, verè ac fideliter tecum ago, nec ex ulla profectò factum eſt malevolentia quòd ſic te arguam: ſed ex amore *benevolentiæ*, quanquam ſanè ex amore *complacentiæ* id fieri non poteſt. Etenim ut nunc te habes, omninò odioſum ſpectaculum es, valdéq; faſtidioſum. Ac proinde ego te ad hunc modum arguo moneóq; ut ſtatus animi tui emendetur.

Et Caſtigo. παιδεύω quæ vox & erudire & verberare ſive verberibus cædere ſignificat. Poſterior verò hîc potior videtur ſignificatio. Quæ quidem Comminatio eſt externæ alicujus calamitatis & afflictionis quam Chriſtus ſuperinducturus ſit in *Laodicenos* niſi de remiſſis ſuis moribus pœnitentiam egerint; & quidem tali ratione cujus ipſi cauſæ eſſe poſſint per ſuam morum relaxationem ac tepiditatem. Nam priori illo zelo ac ſedulitate *Philadelphianâ* jam conſopitâ, quâ Eccleſia in amplificando Dei Regno uſa eſt antea, eorum Inimici facilè præter ſolitum augeri poſſunt, præſertim ſoluto jam *Satanâ* nullúmq; lapidem ad decipiendas Nationes non movente, cui omnibus rationibus reſiſtere deberent, navando ſtrenuè operam converſioni Gentium ad veritatem. Atq; hoc quidem tempus eſſe poteſt, quo Prædictio de *Gogo* & *Magogo* implenda eſt, qui congregari dicuntur ad prælium, caſtráq; Sanctorum circumire, & dilectam Civitatem, quæ in hoc ſtatu *Eccleſia* appellatur *Laodicena*, ſed in illa viſione *Caſtra Sanctorum*, quia non ſolùm multi erunt inter ipſos antiquo *Philadelphiano* ingenio Sancti, ſed etiamnum externâ ſuâ formâ ſanctus erunt populus Civitáſq; ſancta, à Gentilibus non prophanata, hoc eſt nullâ *Ethnicâ* ſuperſtitione, nec *Idololatriâ*, nec *Impoſturâ*, nec *crudelitate* polluta, nec eorum qui ſic ſunt, ſub poteſtatem & dominationem reducta. Quæ tamen aliquando *Sanctæ Civitatis* conditio erat ad *tempus* & *tempora* & *dimidium temporis*, ſive per quadraginta duos menſes, Apoc. 11. 2.

10. Et etiamnum appellatur *dilecta Civitas* ob eandem rationem, non autem nova *Hieroſolyma* de cœlo deſcendens, quoniam *nova* illa ac *cœleſtis Natura* tam generaliter apud ipſos perdita eſſet. Cæterùm *Laodicena* hæc Eccleſia Chriſto *dilecta* adhuc eſt, partim ſuâ, partim ſororis defunctæ gratiâ, amabilis *Philadelphiæ*, (quam illa tantoperè refert in omnibus ſuis externis lineamentis) chariſſimæ illius ſponſæ Chriſti.

Ac proinde *Civitatis dilectæ* Titulus cum præſenti hoc Textûs loco optimè convenit. *Ego quos amo arguo, imò etiam caſtigo.* Etenim hæ rerum anguſtiæ in quas *Laodiceni* conjiciendi ſunt per obſidionem *Gogi* ac *Magogi*, ratio videtur probabiliſſima quâ ex ſua *Tepiditate* ac veternoſa *Formalitate* excitari poſſint. Sed nè res periclitentur in deteriorem indies conditionem ruere, nec infinita fiat viciſſitudinis Scenarum in Theatro hoc terreſtri repetitio, Providentia tali tempore rerum ſeriem abrumpet, ut impia profanáq; mundi turba imperium nunquam rurſus ſit in veram ſuam Eccleſiam adeptura, ſed finem imponet colluctationi per *Diluvium Ignis* de cœlo, quemadmodum in illa viſione ſignificatur. Hæc verò plura ſunt quàm quæ ad præſentem verſiculum pertineant.

Quamobrem vehementior eſto, & age pœnitentiam, hoc eſt, Corrige emortuam illam *Formalitatem* ac *Tepiditatem*, *ſpiritum vitæ* aſſequendo per mortificationem & regenerationem, ut ſic recuperare poſſis antiquum *Philadelphianum* zelum ac amorem. Hæc enim ſola res eſt quâ indiges.

11. *Ecce pro foribus aſto atq; pulſo.* Noli cauſari difficultates. Ego non ſolùm præſtò ſum ad opem tibi ferendam, ſed ſolicito te inſuper; Ego bonas tibi motiones ſuggero, modò tu eas perſequaris eíſq; fideliter utaris. *Verſ.* 20.

Si quis auditâ voce meâ januam aperuerit, hoc eſt, Si quis obediverit dictatis Conſcientiæ, Lucíſq; ac Gratiæ adjumentis uſus fuerit quæ Chriſtus illi ſubinde offerat, nec eum in re qualibet magna parváve offenderit (quod impoſſibile eſt quin fiat ubi deſiderium *ſincerum* eſt, & hoc quidem ſincerum deſiderium *Janua* eſt quæ Chriſtum intromittit, utpote qui per *famem ſitimq; Juſtitiæ veram* ac *realem* in nos tranſit) tunc utiq; ait;

Ingrediar ad eum & cum eo cœnabo & ipſe mecum, hoc eſt, Naturam meam Spiritúmq; cum eo communicabo, illéq; carne meâ veſcetur quæ verè cibus eſt, ſanguinémq; meum bibet qui verè eſt potus: hoc eſt, particeps corporis ſanguiníſq; mei non in ſymbolis ſolummodo (Quæ quòd ſervetis uſq; dum venero, rectè facitis) ſed

Joh. 14. 20. 23. viâ verâ vivâque, quâ illud effectum dabitur; *Ego in Patre meo & vos in me & ego in vobis. Si quis me amat is ſermoni meo parebit, eúmq; meus Pater amabit, & ad eum veniemus & apud eum manebimus.* Quamobrem cùm adeò repletus fueris Deo vitæ, Patréq; Luminum, non potes quin ſpiritu plenus fias omníq; alacritate & promptitudine ad omne opus bonum. Tepiditas tua ac ſocordia ſtatim fugabuntur.

Ver. 21. 12. *Qui vicerit, ei dabo mecum in meo ſedere throno, ut ego quoq; victor conſedi cum meo Patre in ejus throno.* Et ut efficaciùs ex *Tepiditate* hac ac veterno excitari poſſis, me Patréq; meo non ſolùm in hac terreſtri ſcena frueris, ſed ſi ità contendas ut victoriam reportaveris eis rationibus quas tibi narravi, in *cæleſte Regnum* maximè Matth. 29. 29. naturaliter propriéq; ſic dictum te transferam, ubi accumbes bibéſq; de fructu vitis in Regno Patris mei. Quemadmodum ego poſtquam viciſſem, ad cœlum aſcendi in glorioſa illa habitacula ibíq; ad Dei dextram conſedi: Ità qui tentationes & impedimenta, qui voluptates & illecebras hujus mundi inferioris vicerit, equidem faciam ut is mecum conſideat in locis cœleſtibus die noviſſimo. Quæ monitio eò tempeſtivior eſt quantò adventus magnæ illius Diei eſt propinquior. Viſibiliter enim venturus ſum ad judicium proximo poſt *Gogi* & *Magogi* obſidionem *Tonitruo*, ubi humilia veſtra corpora in glorioſi mei corporis ſimilitudinem transfigurabo, ut idonei mihi in cœlis ſocii eſſe poſſitis in æternum. *Ecce Myſterium vobis narro, non omnes dormietis, & tamen omnes immutabimini ut mortalitas abſorbeatur à vita.* Hoc ſanè magnum ac ſtupendum Promiſſum eſt, ſed conſiderare debetis quòd ab eo dictum ſit, qui eſt ille *Amen, verus ille fidúſq; teſtis* & *principium Creaturæ Dei*, ac proinde & vult & poteſt omnia ſua Conſilia ad exitum perducere. Amen.

Ver. 22. 13. *Qui aurem habet, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.* De *Epiphonemate* loco ultimo hîc collocato ut in cunctis his quatuor Epiſtolis poſtremis, hanc forſan proferre quiſpiam poteſt objectionem, hunc ſenſum ſcilicet promiſſi immediatè præcedentis haud ſatis *Politicum* eſſe vel Propheticum, ſed merè *Theologicum* potiùs, cùm Promiſſum in mundo altero ſit præſtandum, ac proinde nec proprium Prophetiæ objectum quæ res terreſtris hujus ſcenæ ſpectat. Atq; hoc propterea profeſſæ noſtræ Regulæ adverſari.

Verùm reſpondeo, Quanquam Promiſſum cœli adipiſcendi poſt mortem hujus corporis, promiſſum ſit merè *Theologicum*, déq; re ſpirituali ac inviſibili nec ſuper faciem hujus terræ ſpectandâ; Promiſſum tamen cœli obtinendi in *Reſurrectione* diéq; Judicii generalis, cùm dies ſit magni illius ac *viſibilis Conventûs* in qua Animæ Sanctorum apparituræ ſunt in corporibus glorificatis, eidem claſſi accenſeri poteſt cum reliquis promiſſis *Epiphonemata* in unaquaq; Epiſtola immediatè præcedentibus, & viſibiliter in hac vita perficiendis. Senſus enim Promiſſi breviter hic eſt; Quòd, quemadmodum Chriſtus poſt perpeſſiones ſuas, poſt mortem ſuam ac paſſionem viſibiliter in cœlum aſcendit (Cœlum enim Thronus Dei dicitur in Scripturis) ſícq; *cœlum* Chriſti *Thronus* factus eſt; ità ii ex *Laodicea* qui ex cupiditatum ſuarum mortificatione ſtatum vitæ in nova Nativitate aſſecuti fuerint, *viſibiliter* in Chriſti *thronum* aſcenſuri ſint, in *cœlum* utique, in *communi conſpectu* eorum qui relicti ſint in terris, & in inferioribus Aëris Regionibus ad æternum ignem damnati, Diabolo præparatum & Angelis ejus.

Hîc eſt ſimplex obviúſq; ſenſus hujus Promiſſi, taliſq; quem *Epiphonematis* ſitus requirat. Nec mediocris meo quidem judicio Confirmatio eſt *veri* ac *literalis* ſenſûs illius Articuli Chriſtianæ Fidei de *viſibili Reſurrectione* & glorificatione corporum noſtrorum, Aſcenſioníſq; in cœleſtes Regiones, adversùs eos qui omnes hujuſmodi veritates difflare volunt ſolvendo eas in *Allegoriam* merè *Moralem*. Adeò undequaq; harum Epiſtolarum Interpretationes & ſibi ipſis & Apoſtolicæ veritati ſunt conſonæ.

CAP.

CAP. X.

Præcipuorum argumentorum veritatis, Myſticæ *hujus ſive* Propheticæ *Expoſitionis ſeptem Epiſtolarum ad ſeptem Eccleſias in* Aſia *(per modum ſolutionis difficultatum circa dictas Epiſtolas earúmq; Circumſtantias, aliàs vix aut nè vix quidem ſolvendarum) Recapitulatio.*

1. QUemadmodum in naturalibus *Hypotheſibus* eæ veriſſimæ habentur quæ *Naturæ Phænomena* omnium naturaliſſimè facilliméq; ſalvent, & præſertim ſi talia quæ aliter ſalvari non poſſint quàm ex propoſita *Hypotheſi:* ità illa Scripturæ interpretatio, juſtam aliquam intelligo illius partem, veriſſima exiſtimari debet, quæ plurimas difficultates diluere poteſt quæ de eadem aut de Contextibus præcedentibus ſubſequentibúſve poſſunt proponi; Et ſi omnes ſolvat, eò eſt certior; & ſi aliter non ſolvendas, adhuc major certitudo eſt irrefragabilis Demonſtrationis. Nunc verò *Myſtica* hæc ſive *Prophetica* harum Epiſtolarum Expoſitio, quàm propè ad hujus rei evidentiam accedat, Lectori (poſtquam ſolutiones perpenderit Quæſtionum, quæ aut ex Epiſtolis ipſis aut ex præcedenti Capite, facilè quidem elici poſſunt at non tam facilè perſolvi, nec omninò plenè ac ſatisfactoriè, ſaltem earum plurimæ, niſi ex Hypotheſi quâ nos uſi ſumus) judicandum relinquam.

2. Ut primo in loco, Si quis quæreret cur ſpiritus Prophetiæ, poſtquam tam expreſsè ſignificâſſet libri hujus *Apocalypſeos* ſcopum eſſe ut *ſervis ſuis res futuras* oſtenderet, planéq; *prophetiarum librum* vocâſſet, ità derepente à deſtinato Tituli ſubjecto deſiliret ut non minùs ſeptem Epiſtolas, quæ nihil ferè Prophetiæ in ſe habent ſed Promiſſa tantummodò & comminationes, ad certas Eccleſias ſcriberet, antequam ullas propriè dictas prophetias tradat, ídq; pari pompâ faciat & æquè auguſto proœmio atq; cùm tam celebrata Vaticinia quàm ſunt *ſeptem Sigillorum libriq; aperti*, aggreditur. Verùm juxta noſtram Hypotheſin, Reſponſum in promptu eſt; nempe, Tametſi ſeptem hæ Epiſtolæ ad ſeptem Eccleſias *Aſiaticas* ſenſum habent *literalem*, *Parabolam* tamen eſſe ſive *Prophetiam* pariſq; momenti, & quoad argumentum & quoad temporis ambitum, (utpote quæ ab initio Eccleſiæ ad mundi fidem uſq; pertingunt) atq; Vaticinia *Sigillorum Libriq; aperti*, eáſq; eo conſilio tanta cum pompa introduci ut ſcopus earum *Propheticus* hoc pacto ſubindicetur.

Secundò, Proclivis quiſpiam eſſe poteſt ad quærendum cur Spiritus *Literas* ad Eccleſias in *Aſia* dictet & non potiùs ad Eccleſias in *Europa*, *Aſia* & *Africa*. Nam Eccleſia proculdubio in omnes illas mundi partes ſeipſam eo tempore diſſeminaverat. Ac ſi ſpiritus veritatis perſonarum eſſet acceptor. Nam hæ *Johannis* quidem Epiſtolæ non ſunt ſed *Spiritûs ſancti*. Noſtrum verò reſponſum in numerato eſt; Quòd propter ſignificantiam vocabuli *Aſia*, ut pares cum ſignificationibus nominum ſeptem Eccleſiarum vices obtineat, ſola *Aſia* ad hanc rem ſelecta eſt. Veruntamen ſecundùm ſenſum Propheticum vera Eccleſia Catholica his literis ſalutatur ſub iſtiuſmodi prævíſis conditionibus in quas variatura eſſet ad finem uſq; mundi. Adeò ut nullum ſit partium ſtudium Perſonarúmve acceptio hac in re.

Tertiò, Siquis ſciſcitetur de ordine ſive præcedentia harum ſeptem Eccleſiarum ad quas ſcriptæ ſunt Epiſtolæ. Quàm perſpicua ac manifeſta ratio ei occurrit, qui Epiſtolas juxta ſenſum ſuum *Propheticum* cum Intervallis Eccleſiæ Catholicæ eodem ordine, quo hæ Eccleſiæ diſpoſitæ ſunt, jacentibus comparaverit? Hæc luculenta quidem ratio eſt dignáq; illo Spiritu qui has Epiſtolas ſcripſit. An verò hoc ordine diſpoſitæ ſint ex eo quòd Tabellarius *Patmo* proficiſcens primùm iter facit ad *Epheſum*, deinde ad *Smyrnam*, & ſic in ordine donec venerit ad *Laodiceam*, an ſanctus Spiritus Propheticus huc reſpexerit in dictando has literas, (quanquam *Alcazar Jeſuita* ſic ſentit) non poſſum quin ſententiam, ídq; non ſine ſubriſu aliquo, ſuſpendam. Verùm de hac ἀταξίᾳ mox magìs particulatim agemus.

3. Quartò, Si quis roget, cur ad ſeptem omninò Eccleſias in *Aſia* Literæ mittantur, non ad plures nec pauciores, (præſertim cùm *Thyatirenſem* nondum tunc fundatam fuiſſe, ſed poſt ſcriptas has Epiſtolas, *Epiphanius* agnoſcat;) Reſponſum, *ſenſu literali*, quod plenè ſatisfacturum ſit, difficile profectò eſt dare. Dicere enim hunc librum *Apocalypſeos* affectare numerum ſeptenarium, &, quia numero ſeptenario in ſequenti parte omninò utitur, quæ prophetica eſt, propterea conformitatis ergô, in ſcribendo ad Eccleſias quanquam *Literaliter* intellectas, eundem etiam numerum adhibere,

adhibere, ratio videtur admodum jejuna, abjecta & nugatoria, Inſtitutúmq; ſancto Spiritu qui hunc librum dictavit, prorſus indignum. Verùm numeri hujus ſeptenarii uſus perpetuus argumento potiùs eſt librum perpetuò vel ubiq; eſſe *Propheticum*, háſq; adeò Epiſtolas Prophetiam eſſe, quemadmodum & eas explicavimus. Quas ſic eſſe ſi agnoveris, Reſponſum planum eſt & obvium. Numerum ſcilicet ſeptenarium hîc adhiberi ut *ſymbolicum*, cùm nota ſit *Univerſalitatis*, unde *Pythagorei*, ſicut ſuprà monuimus, eum appellârunt ὁλομέλειαν.

Quamobrem ad *ſeptem* (nec *plures ſeptem*) Eccleſias hîc literæ ſcribuntur, ut quæ ſeptem univerſæ Eccleſiæ Intervalla ab initio ad finem uſq; repræſentant.

Quintò, Si quæratur cur ad has potiùs ſeptem Eccleſias quàm ad ullas alias, quas veriſimillimum ſit eaſdem habere virtutes & vitia ob quas hæ aut commendantur aut reprehenduntur; hujuſce quidem rei ratio ipſis Nominum Notationibus inſcripta eſt, cùm unumquodq; nomen, conditionem Eccleſiæ Catholicæ in illo ſuccedentium temporum Intervallo quod hæc vel illa Eccleſia ità nominata repræſentat, talíq; ordine quo recenſentur, ſignificet.

Sextò, Si quis rationem petat cur Chriſtus Stellas ſeptem manu dextrâ tenens deſcribatur in Epiſtolis ad Eccleſias *Epheſinam* & *Sardianam*, cur eadem ſit utrobiq; deſcriptio, cúrve talis omninò deſcriptio in utralibet: Secundùm *Literalem* ſenſum difficile ſanè erit ullam peculiarem rationem inveſtigare; ſecundùm ſenſum verò *Propheticum* jam declaratum, ratio ſatis obvia eſt. Septem enim Stellæ univerſos Paſtores ſignificant, ſive præſentes ſive in ſucceſſione. Eſt autem *Epheſus* primordialis ſtatus Eccleſiæ, ac proinde & tempeſtivum eſt & methodicum primum illius Fundatorem, ſuſtentatorem, & continuatorem per hoc Emblema repræſentare: *Ecce ego vobiſcum ſum uſq; ad finem ſeculi.* Quòd autem hoc iterum innuitur in Epiſtola ad Eccleſiam *Sardianam*, evidentem id analogiam habet & congruentiam cum rebus Eccleſiæ illîc repræſentatæ. Eccleſia enim *Sardiana* novum quaſi exordium eſt vel emergentia veræ Eccleſiæ Regníve Chriſti ex poteſtate Regni *Antichriſti*.

4. Septimò, Cur Eccleſia *Epheſina* præ reliquis omnibus Eccleſiis propter falſorum Apoſtolorum explorationem ſit commendanda? Cur non & aliæ Eccleſiæ ab ipſis impeti potuerint eoſdémq; pariter detegere æquè ac Eccleſia *Epheſina*? Cujus Problematis ſolutio facilis eſt in harum Epiſtolarum ſenſu Myſtico, qui Intervallum *Epheſinum* intra Apoſtolorum tempora, reliqua citra collocat.

Octavò, Siquis quærat cur dictum ſit Eccleſiæ *Smyrnæ* potiùs quàm ulli alii Eccleſiæ, *Eſto fidelis ad mortem uſque, & dabo tibi coronam vitæ*; & rurſus, *Qui vicerit non lædetur à ſecunda morte:* In literali ſenſu admodum difficile erit ullam peculiarem rationem invenire cur hoc perinde dici non poſſit Eccleſiæ *Pergamenæ*, ubi homines propter Religionem occidebantur, ut videtur, ex mentione *Martyris Antipæ*. At enim illîc nulla Corona vitæ ſenſu ullo peculiari erat obtinenda. Sed corona vitæ, hoc eſt, Corona imperialis Primitivorum Martyrum perpeſſionibus ſub decem Perſecutionibus data eſt: Ad quos etiam juxta antiquæ Eccleſiæ opinionem, primæ Reſurrectionis promiſſum pertinebat. Quod hîc obliquè indigitatur (ſecundùm modum ſtyli *Apocalyptici*, qui res per Ellipſes aliquando innuit) in iſto Promiſſo, Qui vicerit non lædetur ſecundâ morte; quo ſubindicatur eum primæ Reſurrectionis participem fore.

Apoc. 2. 10, 11.

Apoc. 20. 6.

Nonò, Siquis magìs particulatim objiceret adversùs Eccleſiarum ἀταξίαν, eas nempe nec ſecundùm meritum, nec ſecundùm conditionum ſuarum congruentiam diſponi, multóq; meliùs futurum fuiſſe contenderet, ſi duæ irreprehenſibiles Eccleſiæ unà junctæ fuiſſent, nempe *Smyrna* & *Philadelphia*, contra quas nulla omninò profertur accuſatio; & dein *Epheſus*, *Sardis* & *Laodicea*, contra quas nulla profertur accuſatio de eſu *Idolothytorum*; & poſtremò *Pergamus* & *Thyatira*, contra quas ſolas ea profertur Criminatio: Si quis, inquam, contenderet hanc methodum futuram fuiſſe multò accuratiorem, equidem ſenſu *literali* difficile foret reſponſum formare commodum & ſatisfactorium, præſertim ſi urgeret Deum *Methodi autorem* eſſe perinde ac *Deum ordinis*. Veruntamen ſenſu *Myſtico* ſive *Prophetico* Reſponſum ſuppetit ſatis ſolidum & exquiſitum, idémq; ferè quod datum eſt ad conſimilem difficultatem generaliùs antè propoſitam; Eccleſias has ſcilicet *Aſiæ* eo ordine recenſeri quo Catholicæ Eccleſiæ Intervalla eſſent ſucceſſura, quorum hæ Eccleſiæ *Aſiaticæ* ſymbola tantummodo erant, ſive *Hieroglyphica*. Ac proinde duo illa Intervalla quæ Regnum *Beſtiæ* ac *Pſeudoprophetæ* comprehendunt, Intervalla ſcilicet *Pergamenſis* Eccleſiæ & *Thyatirenſis*, proximè poſt *Epheſum* & *Smyrnam* debere collocari, quoniam paulò poſt exitum illorum duorum Intervallorum *Idololatria* rurſus in Eccleſiam Apoſtatantem intravit. Et tria ſubſequentia Intervalla *Sardis*, *Philadelphiæ* & *Laodiceæ*,

Laodiceæ, Intervalla ſunt veræ Eccleſiæ è dominantis *Idololatriæ* manibus elapſæ, ac proinde in ipſis nulla de *Idolothytorum* eſu, nulla de *Jezebele* fit mentio. Et *Philadelphia* quæ ſanctiſſimum & glorioſiſſimum Eccleſiæ Intervallum eſt quod in terris unquam eſt extiturum, non quidem ſecundùm ſuam dignitatem recenſenda vel collocanda eſt, ſed ſecundùm temporis ſucceſſionem prope finem mundi, quemadmodum hîc diſponitur. Verùm hac de re plus ſatis, quippe quam in genere jam antea attigimus.

5. Decimò, Cur Chriſtus in deſcriptione ſua ante Epiſtolam ad Eccleſiam *Pergamenſem* cum gladio ancipite figuretur, ex * ore putà ejus prodeunte, (ſecundùm *Ellipticum* ſtyli *Apocalyptici* loquendi modum) Quæ ratio *ſenſu literali* hac de re reddi poteſt? Etenim (præſertim ſi hoc ſupplementum addatur) occiſionem *Antipæ* cum gladio reſpicere non poteſt. Quæ res igitur peculiaris in Eccleſia hac *Pergamenſi* occurrit quæ hanc requirat Deſcriptionem? Nihil profectò ſe offert in ſenſu *Literali*; ſenſu verò *Prophetico* Deſcriptio hæc admodum appoſita eſt, cùm *Waldenſes* & *Albigenſes* hoc Intervallo Romanam Eccleſiam adorirentur, aut ſaltem ſeipſos purámq; ſuam fidem hoc telo tam præclarè defenderent, *gladio* nempe *Spiritûs quod eſt verbum Dei*, quanquam ipſorum interim tot millia in Acie gladio occiſi ſunt, quòd eo modo fidem ſuam defenderent. * Apoc. 1. 16. Apoc. 2. 12.

Et loco quidem undecimo, Quantùm ad deſcriptionem Chriſti ante Epiſtolam Eccleſiæ *Thyatirenſis*, *Et pedes ejus Chalcolibano ſimiles (tanquam in fornace igniti)* illud enim ſupplementum ſubintelligendum eſt ex ejus deſcriptione Capite primo, ut antea) Quam, inquam, peculiarem ſignificationem habet hæc deſcriptio, quámve congruentiam cum ulla re in *Thyatirenſi* Eccleſia *literaliter* intellecta? Nullam profectó. Verùm ſenſu *Prophetico* inferiora corporis Chriſti, Eccleſiæ utiq; in terris, membra admodum graphicè depingit, invincibilem ſcilicet ipſorum zelum ac patientiam, Affectúſq; ſinceritatem, talem quidem quæ ignitiſſimas explorationes quibus exerceri poterant, ſuſtinuit, effecítq; ut ad palum ſtarent inter ardentes faſces flammarum globis ſupra caput exundantibus, nec tamen animo concíderent; quemadmodum notatum eſt in illius Epiſtolæ Interpretatione. Hic illius Intervalli Eccleſiæ ſtatus erat. Apoc. 2. 18.

Duodecimò, In libro qui involucris *Ænigmaticis* adeò eſt refertus, & integumentis ſuper integumenta, ubi Eccleſias *aurea Candelabra* appellat, & Epiſcopos ſive Paſtores *Stellas*, & *Angelos*, etiam tunc ubi interpretari minúſq; obſcurus videri velle videtur; ut idem Author tam apertè planéq; mentionem cujuſpiam *nomine* faceret, quod in *Antipa* Martyre facit, niſi majus aliquod ſubeſſet Myſterium, magna profectò eſſet difficultas nec à ſagacioribus & curioſioribus ingeniis unquam devoranda. Equidem fateor me multoties demiratum eſſe quòd *Antipæ* hîc nomine memoretur donec ulteriorem illius rei ſenſum intellexiſſem, qualem ſcilicet in Expoſitione illius Epiſtolæ explicavi.

6. Decimò tertiò, Meritò quis ſciſcitari poteſt, cur majorem Chriſtus diſplicentiam exprimat contra *Laodicenſem* Eccleſiam, quàm contra *Sardenſem*. Quanquam enim prior *tepida* dicitur, altera tamen, cùm majorem vitæ ſpeciem præ ſe ferret, nihilominus declaratur *mortua*. Ut Chriſtus majori irâ exardeſcat adversùs *Tepiditatem* quàm *Hypocriſin*, & longè diriora huic comminetur quàm alteri, *Evomam te ex ore meo* (quod eſt rem penitùs abjicere nunquam reſumendam) non poteſt quin mirum videatur cuivis homini conſiderato. Certè, niſi majus aliquod ſubeſſet, Spiritus Chriſti non tam ſeveriter loqueretur *Metaphoræ* ſolummodo proſequendæ causâ. Verùm ſenſu Prophetico ſolutio facilis eſt, cùm phraſis illa prædictionem innuat exterminationis Eccleſiæ è terris in fine mundi, quemadmodum expoſuimus.

Decimo quartò, Quæri poteſt cur tam affectatè ac repetitim in ſingulis Epiſtolis Phraſis illa adhibeatur, *novi opera tua*, ſine ulla variatione aut omiſſione. Quæ res parvi profectò momenti videtur, in *Literali* ſenſu harum Epiſtolarum: Senſu verò *Prophetico* datâ operâ videtur ſic repeti ut Alluſionem innuat in *Aſia* ad vocem *Hebraicam* עשה (tanquam ſi οἶδά σου τὰ ἔργα, eo conſilio poſitum eſſet, ut Hebraico ידעתי מעשיך reſponderet) ut *Aſia* ſuam etiam ſignificantiam haberet, perinde ac nomina ſeptem Eccleſiarum. Quam cùm illa omnia habeant, non obſcura ſubindicatio eſt hanc repetitionem factam eſſe in talem aliquem finem qualem nos declaravimus: cùm ſenſus *Literalis* nullam hujuſce rei rationem reddere poſſit.

Decimo quintò, Ipſi *Alcazari* hîc aqua multùm hæret, quòd Spiritus Dei videatur particularem aliquam fœminam in Eccleſia *Thyatirenſi* notare, itáq; eam *Jezebelis* nomine appellare, quemadmodum vulgò exiſtimatur. Atq; hæc profectò minora

ſunt

ſunt quàm quæ majeſtatem hujus ſcripti *Apocalyptici* condeceant. Atenim, quodnam huic malo remedium inveniri poteſt ſenſu *Literali*, ſi cum conſtantia ac cohærentia res velimus interpretari? Senſu verò *Prophetico* nulla hujuſmodi incongruitas eſt. Objectum dignum eſt quod in hoc genere Spiritus notet; cùm *Jezebel* hæc, fucata ſit illa fœmina *Romana*, Reges terræ poculo ſpiritualis ſuæ fornicationis inebrians, quemadmodum in ipſum locum oſtendimus.

7. Decimò ſextò, Mirum videtur & à re alienum ut Promiſſum *poteſtatis in Gentes, ſtellámq*; recipiendi *matutinam*, (quæ proculdubio promiſſa *Politica* ſunt) *Thyatirenſi* Eccleſiæ fiat magìs quàm Pergamenſi aut *Epheſinæ*, aliíſve Eccleſiis. Quas victorias quódve Dominium *Thyatirenſis* Eccleſia in Aſia nacta eſt præ cæteris Eccleſiis? Durus eſt hic nodus in ſenſu *Literali*: in *Prophetico* autem primo aſpectu ſolvitur. Exitus enim Intervalli Eccleſiæ Thyatirenſis integras Gentes introducit qui à Papa ejúſq; Eccleſia *Idololatrica* defecerint, profeſsíq; fuerint Religionem Reformatam, adeóq; eis in Regionibus partem Pontificiam ſibi ſubjugaverint.

Decimò ſeptimò, In Epiſtola ad Eccleſiam *Philadelphienſem* mentio fit de magna Tentatione quæ totum orbem oppreſſura ſit terræq; incolas exploratura, de qua ait, *Ecce venio citò*, cur hoc dictum eſt Eccleſiæ *Philadelphienſi* magìs quàm ulli alii Eccleſiæ hìc nominatæ? Nè minima quidem hujuſce rei rationis in ſenſu *Literali* extant veſtigia. Senſu verò *Prophetico* ratio obvia eſt. Siquidem, cùm Intervallum *Philadelphianum* in ultima Phiala incipiat, in qua ingens ille ac terribilis *terræ-motus* eventurus eſt, magna illa Tentatio quæ ſit manifeſtò illinc intelligitur, quomodóq; ratione hujus *Philadelphienſis* Eccleſiæ citò ſit ventura, cùm illa incipiat eâ ipsâ *Phialâ* qua hic caſus futurus eſt.

Decimò octavò, Cur *Philadelphienſi* huic, privatæ Eccleſiæ *Aſiaticæ*, nomen *Civitatis Dei, Novæ Hieroſolymæ* quæ de cœlo à Deo deſcendit (idem planè quod narratur Apoc. 21.) inſcriptum dicitur? Titulus hic major eſt ac turgentior, niſi rei alicujus majoris Typus ſymbolúmve eſſet, quàm ut privatæ alicui Eccleſiæ competat. *Propheticâ* autem interpretatione difficultas hæc penitùs amovetur. *Philadelphianæ* enim Eccleſiæ Intervallum cum temporibus *novæ Hieroſolymæ* coincidit (prope finem *Apocalypſeos* memoratis) millenníſq; Imperii Chriſti in terris.

8. Decimò nonò, Curioſi proclives eſſe poſſunt ad quærendum cur Eccleſia *Laodicenſis* ſeipſam eis temporibus exiſtimaverit tam immensè prætérq; modum, divitem auctámq; bonis, nec ullius rei indigentem. Et ſanè cur hic illius ſtatus ſit potiùs, quàm cujuſvis alîus Eccleſiarum nominatarum, ex *literali* Hypotheſi nullam haurire poſſumus rationem. Admittendo autem ſenſum *Propheticum*, hócq; ultimum eſſe Eccleſiæ Chriſti Intervallum, naturaliter quidem id eventurum eſt. *Laodicea* enim hæc, hæres relinquetur omnium Divitiarum ſororis *Philadelphiæ*, *Pacis* ſcilicet, *Proſperitatis*, *puritatis* in *Cultu*, *abundantiæ Scientiæ naturalis* omnimodæq; in *Vaticiniis* interpretandis *peritiæ*, & ſi qua res alia bona ſit quæ ad Chriſti Eccleſiam pertineat, vitâ ſolâ Spiritúq; excepto, quem *Philadelphia* ſecum in mundum alterum deportaverat. Quàm facilè igitur ac naturaliter vel potiùs neceſſariò hæc *Laodicenſis* Eccleſiæ deſcriptio in Intervallum ultimum incidit?

Et poſtremò, Quæſtio eſt rogatu admodum obvia, cur hæc Phraſis, *Qui aurem habet audiat*, quam Servator toties uſurpare obſervatur in fine *Parabolarum* populo narratarum, adeò repetitim hîc in ſingulis Epiſtolis adhiberetur, ſi Parabolæ non eſſent ſed Epiſtolæ ad ſingulas ſeptem Eccleſiarum in *Aſia* ſitarum ſcriptæ. Et deinde cur hoc *Epiphonema* totam Epiſtolam aliquando clauderet, aliquando non. Cujus Problematis nulla tolerabilis eſt ſolutio ſecundùm ſenſum harum Epiſtolarum *Literalem*. Supponendo autem ſenſum *Myſticum* ſive *Propheticum*, neceſſitas erat affigendi hoc *Epiphonema* ut oſtendatur ulteriorem ſenſum quàm *Literalem* hîc intendi: utì etiam ponendi aliquando *Epiphonema* ultimo omnium loco (ut in quatuor poſtremis Epiſtolis) ut promiſſum victori ſive illi qui vicerit, certiùs intelligi poſſit ſenſum habere propriè *Propheticum* ſive *Politicum*, non merè *Theologicum*, *moralem* ſive *ſpiritualem*; quemadmodum abundè declaratum eſt in *Expoſitione*.

9. Multò plures quæſtiones ſolutionéſq; à conſideratione *Literæ*, hujúſq; *Hypotheſeos* quâ utimur, ad illius ſoliditatem concinnitatémq; oſtendendam producere potuiſſemus, niſi quòd judicaremus ſuperfluum, cùm tam multas jam in medium protulerimus. Quæ ſimul cum perpetua facilitate naturalíq; ductu totius *Expoſitionis* omnium Epiſtolarum conſideratæ, accuratáq; Congruentiâ nominum Eccleſiarum cum Eventis ſuccedentium Intervallorum veræ Eccleſiæ Catholicæ quæ repræſentant, meritò quis judicare poſſit impoſſibile fore quin cuilibet hujus noſtræ *Expoſitionis*, nullo præjudicio laboranti, Lectori, de illius veritate plenè ſint ſatisfacturæ. Atenim

nim abundè per experientiam edoctus ſum, Ut ipſam Inventionem Divinarum Veritatum, ità & earundem pariter receptionem ab aliis inventarum, ſpeciale Dei donum eſſe. Ac proinde illi ſoli deberi omnem gloriam in omnia ſecula. Amen.

EPILOGUS

Expoſitionis *harum ſeptem Epiſtolarum* utilitatem *exponens.*

1. ATq; hæc de *veritate* hujus noſtræ *Expoſitionis*; pauca de illius *utilitate* jam ſubjungemus. Et certè *utilitatem* habet cuivis alii viſionum *Apocalypticarum* Expoſitioni æqualem, eóq; majoris momenti quanto compendioſior ſit earum omnium ſcopi comprehenſio.

Primùm enim Confirmationi fidei noſtræ in particulari Chriſti Providentia vigilantiáq; ſuper Eccleſiam inſervit; cùm adeò manifeſtum ſit ex hac *Expoſitione* quanta cum cura ac conſtantia res hactenus in primis his quinq; Intervallis rexerit & ordinaverit, quódq; haud aliâ conditione conſtitutæ ſint quàm quâ in his Epiſtolis *Propheticis* ipſe prædixit fore.

2. Deinde, ſecundo in loco, Amplum hîc occurrit maturúmq; Teſtimonium pro cauſa *Proteſtantium*, eos omnes intelligo qui contrà declarârunt, renunciârúntq; *Romànæ* Eccleſiæ communionem, à temporibus uſq; *Waldenſium* ad primos *Reformatores* vulgò ſic dictos. Quippe quòd *Waldenſes* hîc agnoſcúntur fideles Chriſti Martyres, illíq; alteri qui intra Intervallum Eccleſiæ in *Thyatira* vixerunt, non minus reportant Encomium, ut qui ſic deſcribuntur in Epiſtola ad illam Eccleſiam, *Novi tua opera & charitatem & fidem & miniſterium & patientiam tuam, & opera tua noviſſima plura prioribus.* Adeò ut majores ac majores profectus fecerint, uſq; dum in Nationales tandem *Reformationes* erupiſſent. An non digni igitur primi noſtri Reformatores habebuntur quibus *Reſurrectionis Teſtium* viſio applicetur, qui tam amplum ab ipſo Chriſto teſtimonium obtinent quem orbis terrarum Judicem Pater conſtituit? An non illi etiam in *cœlum aſcendiſſe* ſenſu Politico rectè dicentur; quibus præſtitum eſt illud promiſſum Eccleſiæ in *Thyatira* factum, *Illi qui vicerit dabo poteſtatem in Gentes*, &c. Hoc igitur de Eccleſia in *Thyatira*, confirmat porrò quod albi de *Reſurrectione Teſtium* tradidimus. Impletionem ſcilicet illius Prophetiæ factam fuiſſe in miranda illa Reformatione, quam Deus præter omnium expectationem per *Lutherum* aliósq; perfecit.

Apoc. 2. 19.

Apoc. 11. 11, 12.

Apoc. 2. 26.

Cui tamen conſequens erit clangorem *ſextæ Tubæ* jam eſſe præteritum, & *quadraginta duos menſes, mille ducentos ſexaginta Dies*, ſive *tempus & tempora ac dimidium temporis*, quantùm ad impletionem Prophetiæ exiiſſe, ac proinde in vanum fore, ut quis eventa futura ex hac ſuppoſitione, quòd horum Exitus adhuc ſit futurus, computet, quíq; ſic faciunt ſe confutatos Eventuum diſparitate deprehenſuros, eóq; pacto interpretandarum Prophetiarum ſtudium deriſioni & contemptui expoſituros, fidémq; hominum infirmaturos etiam de illis Expoſitionibus quæ ſint veræ, réſq; communis Adverſarii inſigniter indè promoturos.

3. Sed enim quemadmodum in ſe veriſſimum eſt, ità in rem Reformatæ Chriſtianitatis maximè facit, ut recognoſcamus *Proteſtantium Reformationem* impletionem eſſe viſionis de *Reſurrectione Teſtium*, corúmq; Aſcenſione in cœlos, ut is honos *Reformationi* qui ei debetur, haberi poſſit, (quippe cujus tam manifeſta confirmatio eſt per Divinum Teſtimonium, ejúſq; rectitudinis & æquitatis adversùs *Romanæ Eccleſiæ Idololatriam* ac *Tyrannidem*) útq; Magiſtratus & populus arctiùs ubiq; ex hac ratione uniantur, omnéſq; Sectæ, quæ *Fundamentum* tenent, majorem ſui invicem exiſtimationem habeant, nec tantoperè, quod ſolent, ſe mutuò contemnant ac averſentur, ſed paratæ ſint ad Chriſtianam unitatem & Amorem. Eſt enim hæc *Spiritùs Diſpenſatio* quæ plagam Antichriſto inflictura ſit omnium quæ futuræ ſint maximam, non autem *gladius flammeus ex ore ſeſſoris Equi albi* literaliter *intellectus*, *largáve ignis flumina quaſi per colliquias cœlitùs in ipſum effuſa*, ullúmve aliud iſtiuſmodi prodigioſum auxilium, quemadmodum quidam in fine mille ducentorum ſexaginta dierum expectant. Quæ abſurda ſuppoſitio ad nihil aliud idonea eſt niſi ad inanes animi æſtus ac præſumptuoſas opiniones, quibus nullum dabitur Reſponſum præter fruſtrationem ac pudorem.

Verùm hæc luculenta veritas ſic ut eſt intellecta, naturaliter tendit ad ingenerandam toti orbi Chriſtiano *Reformato* mutuam ſui ipſorum Exiſtimationem, & ad ſupprimendam inanem illam Præſumptionem in Sectis, quaſi illæ ſolus Populus eſſent ad

quem *Teſtium* viſio pertineret, ac proinde miras ſibi res expectare deberent cum exitio aut ſuppreſſione reliquorum omnium qui ſuæ Sectæ non ſint, conjunctas. Quæ ineptæ vel potiùs ab omni Chriſtianitate abhorrentes opiniones, per veram fidelémq; *Reſurrectionis Teſtium* Interpretationem quam ego publicavi, penitùs expunguntur. Utpote quæ in viam eos reducit honorem debitum ſibi mutuò præſtandi, junctíſq; ſtudiis in ſpiritu ſobrietatis communem *Reformati Orbis Chriſtiani* rem promovendi potiùs quàm ut una aliqua pars tam vanè faſtuoséq; de ſeipſis præ reliquis præſumant, ac ſi aliquando de eis Triumphos ſint celebraturi.

4. Et poſtremò, Expectatione hac abſonâ ullorum hujuſmodi Eventuum miraculoſorum in mille ducentorum ſexaginta dierum exitu, deletâ, (ſiquidem tempus illud quantùm ad *Prophetiarum impletionem* jam præteriit, nec ullum tempus in futurum definitum eſt, ſed rerum ordo tantùm in Phialarum viſione;) id ſolùm reſtat Proteſtantibus ut finalis ruinæ *Antichriſti* beatiq; *Millennii* appropinquationem ſecundùm profectus ſuos in Myſterio *realis Regenerationis* & indiſpenſabilis Chriſtianitatis officiis computent. *Quò ſanctiores, quò innocentiores, quò humiliores, quò vehementiùs ad cæleſtia Bona anhelantes alii alios deprehenderint; Quò prudentiores fuerint, quò fideliores obedientioréſq; publico Magiſtratui; Quò manſuetiores benigniorésq; erga ſe invicem, quóq; majori nixu ad bonum publicum communémq; univerſi generis humani felicitatem promovendam omnes ſuos nervos intenderint,* (quod *Philadelphianum* ſanè Intervallum introducet) *tanto propiùs concludere poterunt ruinam* Antichriſti, *glorioſúmq; Chriſti regnum cum Sanctis in beato* Millennio, *inſtare.* Quæ verò alia præter hæc ſint Indicia in viſionibus Propheticis quibus illorum temporum appropinquationem computare poſſimus, ingenuè fateor me ignorare. Hæc autem excurſio ſubita erat. Redeamus jam in viam.

Apoc. 2. 20. 5. Tertiò, In eo quod dicitur, *Sed habeo contra te pauca quòd mulierem* Jezebelem *quæ ſe Prophetiſſam eſſe dicit, docere ſinis & ſeducere ſervos meos quò fornicentur & veſcantur Idolothytis, &c.* luculenta hîc profectò apparet Proteſtantium Reformatorum ab immani illo Schiſmatis crimine, quod *Romana Eccleſia* ipſis tam magiſterialiter impingit, abſolutio, cùm planè innuat, ſeparationem eorum ab *Eccleſia Romana* non ſolùm non culpam fuiſſe ſed & virtutem, partémq; debitæ mandatis Chriſti obedientiæ inviolabilem, & inobedientiam futuram fuiſſe, ac rebellionem adversùs Chriſtum non ſeparâſſe, ac proinde impoſſibile eſſe ut ullum omninò eſſet ſchiſma. Quæ quidem res digna eſt quam obſervatè notemus ac conſideremus.

Quemadmodum & hoc (contra hominum quorundam, aliàs doctorum, opinionem) Quòd ſeparare ab *Eccleſia Romana* ob ipſius *Idololatriam*, non eſt ſchiſma coram Deo, ſed tantùm in conſpectu hominum, eorúmque, quod licet ſuſpicari, haud puriſſimis mentibus præditorum, ſed talium potiùs qui majori mundani Eccleſiæ commodi, quàm Dei gloriæ ipſiúſve cultûs puritatis ſenſu tangantur. Chriſtus enim, qui Deus eſt in æternum benedictus, reprehendit hîc Eccleſiam in *Thyatira* quòd mulierem *Jezebelem* diutiùs patiatur, nec eam à ſe prorſus rejiciat, (ut Eunuchi eam olim è feneſtra in Typo ejecerunt) ídq; ob hanc ipſam cauſam quòd *Idololatriæ* ſit Inſtitutrix, Autórq; ac Fautrix Fornicationis ſpiritualis; ſicut in Textu manifeſtum eſt. Adeò ut coram Deo, id eſt, in conſpectu Dei, & *Eccleſia Romana Idololatriæ* reatu manifeſtò teneatur, & ipſi etiam *Proteſtantes*, qui *eo nomine* communionem illi renunciârunt, vel à minima labecula aut ſuſpiciuncula *Schiſmatis* apertè abſolvantur. Quòd autem Spiritus Dei de hujus rei veritate ſpiritibus noſtris omninò conteſtetur, niſi liberæ rationis uſum perdideris, Tractatus meus de *Idololatria* abundè tibi demonſtrabit.

6. Quartò, Ex eo quòd orbis Chriſtianus Reformatus (præſertim poſt relaxationem probitatis vitæ atq; morum, ſtreperáſq; circa res nihili rixas & contentiones) ſub Typo Eccleſiæ in *Sardibus*, tanquam in adeò imperfecta conditione, quantumvis è craſſis Papiſmi *Idololatriis* emerſa, (neq; enim ulla hîc ſupereſt aut de Doctrina *Balaami* aut de *Jezebele* querela) repræſentatur, hinc profectò diſcamus oportet humiles eſſe, non feroces nimis ac confidentes in doctrinis noſtris ac opinionibus, ſed cum omni manſuetudine alios alios ferre, paratóſq; eſſe ad inſtructionem recipiendam alios ab aliis ad enucleandam veritatem.

Intereà autem loci, etiam dum res meliori non ſunt conditione, cùm deteriori ſanè non ſint quàm erat prædicta, hinc oportet nos diſcere, noſtri eſſe officii non permittere animos noſtros versùs ollas carnium Ægyptiacas relabi, aut apud nos ſtatuere è re noſtra perinde fore, ſi *Romam* rurſus reverteremur, atq; in meliori conditione non eſſe quàm in præſenti ſimus. Hic enim ſtatus *Sardianus* deerrationi in Deſerto haud abſimilis eſt *Ægyptum* inter *terrámq; promiſſam*, qui ſtatus eſt *Philadelphianus*

delphianus in quem nullus eſt introitus niſi poſt *ſeptem Phialas*, hoc eſt, antequam ultima aut effuſa ſit aut ſaltem effundatur. Quemadmodum ſcriptum eſt decimo quinto *Apocalypſeos*; *Et impletum eſt templum ex gloria Dei ejúſq; potentia, ut nemo poſſet in templum intrare donec conſummarentur ſeptem Plagæ Angelorum.* Ubi; *nemo*, ſecundùm ſtylum *Apocalypticum*, ſignificat, eum hominum cætum ſive multitudinem qui eò intraturi eſſent, eúmq; ſtatum Eccleſiæ conſtituturi qui hîc Naòs nuncupatur: *Vivum* utiq; *illud Dei templum*, non appariturum eſſe eâ conditione eminenti niſi *poſt Phialas*, ultimam ſcilicet aut elabentem aut elapſam. Quod cum loco illo Epiſtolæ ad *Philadelphiam* mirificè conſentit, *Qui vicerit, eum ego columnam faciam in templo Dei mei.* Adeò ut hi *Philadelphiani* poſt fumum *Phialarum* non ſolùm intraturi ſint Templum, ſed nunquam indè rurſus egreſſuri, eo ſenſu quem nos explicavimus. *Apoc.* 3. 12.

Quamobrem cùm in *Eremali* quadam conditione conſtituti ſimus, cum Fide, Manſuetudine ac Patientia expectare debemus donec Deus nos in felicem illam Terram introduxerit, nec murmurare adversùs eum, ejúſq; Providentiam contumeliis afficere, quòd ipſi viſum ſit res tam lento gradu promovere, nec protervè falſóq; pronunciare perinde è re noſtra fore *Romam* reverti, dubiúmq; eſſe plúſne profuerit an obfuerit Orbi Chriſtiano nupera illa *Reformatio.* Hujuſmodi enim cogitationes ſermonéſve, falſæ, abſurdæ ingratæq; contumeliæ ſunt adversùs ſacram Dei Providentiam, cujus vias amarulenta, ſuperficialia profanáq; hæc Ingenia minimè intelligunt, quippe quorum oculos *ſpiritus hujus mundi* prorſus occæcavit.

Cúmq; nulla exiſtat in Epiſtola ad Eccleſiam *Sardianam* de *Idololatria* querela, nec vel minima *ad ſeparationem* animatiuncula, contrà ac antea factum eſt; omnes Orbis Chriſtiani Reformati Eccleſiæ omnéſq; particulares Sectæ membráq; illius, ſolertiſſimè cavere debent ut nè propter Ceremoniarum opinionúmve diſcrepantiam dividantur à ſe invicem communionémq; violent, ſed Fundamentum tenentes univerſi inviolabile, teſtimoniúmq; adversùs craſſas *Idololatrias* immanéſq; enormitates *Romanæ* Eccleſiæ junctim perhibentes, Paci ſtudere mutuæq; Tolerantiæ, ut Reformati Chriſtiani Orbis corpus eò robuſtius fiat magíſq; compactum ad obſiſtendum communi Adverſario.

Præ cæteris verò omnibus huic uni ſummoperè ſtudendum eſt, ut mundemus utiq; nos ipſos ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs, perficientes ſanctificationem in timore Dei, ad averruncandam cladis illius immanitatem quam Chriſtus comminatur *Sardianæ* Eccleſiæ ſubitò & ex inopinato obventuram. Atq; hæ, ſi quid ego judico, non contemnendæ utilitates ſunt quæ in Interpretatione Epiſtolæ ad Eccleſiam *Sardianam* cerni poſſunt. *Apoc.* 3. 3.

7. Quintò, Et quantùm ad Expoſitionem Eccleſiæ *Philadelphianæ*, ſummi profectò ea momenti eſt ad efficiendum ut terrarum Orbis ad bonam frugem redeat. Eſt enim illa vulgaris Excuſatio, quòd impietas improbitáſq; ubiq; gentium ità dominetur; *Homines ſcilicet futuros eſſe homines dum mundus ſit duraturus*, longéq; veriſimilius eſſe quòd res in deterius indies abituræ ſint quàm in melius: Ac proinde pauciſſimi ſunt qui aut ſuos mores emendare ſtudent, aut autores ſunt aliis ut id faciant. Cùm tamen ex Epiſtolæ ad Eccleſiam *Philadelphianam* ſenſu *Prophetico*, manifeſtum ſit fore aliquando tempus ubi juſtitia veráq; ſanctitas glorioſum Imperium obtentura ſit in terris.

Qui verò ab hac perſuaſione abhorrent, abhorrent etiam utplurimum à perſuaſione quòd ulla ſit in Vaticiniis interpretandis certitudo. Illi nolunt nimirum tam præſumptuoſi eſſe ut prætendant ſe ea intelligere poſſe, præſertim ſi iſtiuſmodi ſint quæ abominandam *Romanæ Eccleſiæ* improbitatem caſtigare videantur, aut tempora polliceri præſentibus longè meliora. Quod Hypocriſios quoddam genus eſt ab illo *Achazi* haud multùm abludens, quando Propheta eum juſſit ſignum petere à Domino Deo ſuo; Is verò bonus Hypocrita ac modeſtus negavit ſe ſignum petiturum, aut *Jehovam* tentaturum. Cujus reſponſi ſenſus eſt, Quòd mentem ſuam inquietare noluerit & diſtrahere, magíſq; obnoxium ſeipſum reddere, ſiquo modo conſcius factus eſſet evidentiæ ſupernaturalis contra naturales ſenſus ac perſuaſiones *animi ſui carnalis*; cujus *regimini* totum ſe ſubjicere, obfirmatè apud ſe decreverat, noluítq; idem turbari immiſſione cujuſvis *Divinioris Lucis.* Applicatio admodum facilis eſt atq; obvia. *Eſai.* 7. 12.

8. Et poſtremò, Senſûs *Prophetici* Epiſtolæ ad Eccleſiam *Laodicenſem* admiſſi utilitas magna eſt ad corroborandam fidem circa nobilem illum Articulum; Quòd terreſtris hæc ſcena finem habitura ſit, íniq; extremo rerum termino Chriſtus viſibiliter

venturus in judicio ad remunerandos homines ſecundùm opera ſua ; Quòd judicaturus ſit & vivos & mortuos juxta Orthodoxum ſenſum Doctrinæ Apoſtolicæ.

Quibus omnibus addi poteſt, Quòd, quemadmodum harum ſeptem Epiſtolarum ad ſeptem in *Aſia* Eccleſias, Expoſitiones parem ferè arguendi vim habent atq; quævis aliæ viſiones in univerſa *Apocalypſi*; ità multò faciliores ſunt, præcipuúmq; ſcopum minori verborum ambitu attingunt, nec eam *Synchroniſmorum* operoſitatem quam aliæ, ad ſenûs enodationem, ſibi annexam habent, ſed ſeptem tantùm Intervalla ſunt unum alteri manifeſtò ſuccedentia, quorum limites in quantum res præteritæ ſunt, facilè determinantur. Novimúſq; *Sardianum* Intervallum ibi finiri ubi incipit *Philadelphianum*. *Laodiceam* verò extremum eſſe omnium terminum. Quæ facilitas ac comprehenſibilitas utilitatem harum Expoſitionum haud mediocriter amplificabit.

9. Cæterùm inter omnes illarum Expoſitionum utilitates ſive generales ſive ſpeciales, nulla ità me reficit ac recreat ut ſuaviſſima *Philadelphiani* Intervalli characteris recordatio. *Philadelphia* enim, utì notavimus, fraternam dilectionem ſignificat, ſive dilectionem Proximi. Quis autem Proximus noſter ſit docet Servator in *Parabola* de *Samaritano* : nihílq; magìs tritum eſt, quàm nos omnes in *Adamo* fratres eſſe. *Philadelphia* igitur *amorem Proximi*, id eſt, *univerſi Generis humani amorem innuit.* Qui proinde amor verè eſt Divinus, utpote qui profectus eſt à Deo, juxta illud *Jo-*
1 *Joan.* 4. 7. *hannis*, *Chariſſimi*, *amemus nos inter nos*, *nam amor à Deo eſt* ; *ac quiſquis amat*, *ex Deo natus eſt Deúmq; novit. Qui non amat*, *non novit Deum*, *nam Deus Amor eſt.* Atq; hæc omnia dicta ſunt de *Amore proximi*, quòd is nimirum Imago quædam ſit aut proles *Amoris* illius qui *verè Deus* eſt. Unde fieri non poteſt quin & ipſe verè ſit *Divinus* & *Origine* & *Opere*, cùm & *à Deo* ſit, & *univerſam Creaturam* ut *Deus ipſe* ſinceriſſimo *Amore complectatur*, veriſſimámq; Dei notitiam in ſe contineat; Eam ipſam utiq; Dei notitiam qua de ſimul cum his temporibus *Philadelphianis*
Eſai. 11. 9. tam clarè vaticinatus eſt *Eſaias*, *Nuſquam malè aut nequiter fiet in meo ſacro monte*, *quoniam tantæ erit Jehovæ cognitionis plena terra quantis operitur aquis mare.*

Quæ profectò valdè firma eſt ſolidáq; Concluſio, nihil malè aut nequiter factum iri in Monte ſacro quòd Terra verâ hâc Dei cognitione ac notitiâ, quæ *Amor Divinus* eſt, tam plena ſit futura. Nam hunc Amorem, docente Deo, nos didicimus, aliíſq;
Enchirid. Eth. lib. 3. diſcendum in *Enchiridio noſtro Ethico* tradidimus, primam omnium eſſe moralium virtutum menſuram ultimámve rationem in quam omnis bona actio reſolvi & debet
1 *Cor.* 16. 14. & poteſt, & citra quam nulla poteſt eſſe bona. Unde *omnia facienda eſſe cum charitate* ipſe præcipit Apoſtolus, utpote ſine qua nihil rectè poteſt fieri. Adeò ſanè conſentaneum eſt ut quæ mater primáq; omnium rectè factorum eſt ratio, eadem ſit feliciſſimi perfectiſſimíq; Eccleſiæ ſtatûs nota propria ac appellatio.

Quod certè res magni momenti eſt notâſſe, ut & noſtra & aliena dicta factáque, omniáq; omninò molimina ad hanc normam expendamus, exploremúſq; ſpiritus an à Deo ſint, memores illius Dicti Apoſtolici, *Qui non amat*, *non novit Deum*, *nam Deus eſt amor.* Qui venit ſine hac Teſſera non accipiendus eſt, & nè ſalvere quidem jubendus. Sine hac Teſſera autem venit quiſquis de rebus opinionibúſve non neceſſariis diſſidia fovet & ſchiſmata, quibus à Genio *Philadelphiano* nihil eſſe poteſt alienius. Qui verò ea affert quæ liberrimum humani Generis Amorem ſpirant, quæ ad pacem Chriſtiani Orbis faciunt ac concordiam, quæq; parentum animis ad filios, & filiorum animis ad parentes convertendis inſerviunt, is demum ſpiritus veridicus eſt à Chriſto miſſus, & *Philadelphianorum* ſeculorum quaſi Prodromus ac præ-
Joban. 13. 35. nuncius ab omnibus hominibus audiendus. *In hoc omnes cognoſcent vos meos eſſe diſcipulos*, *ſi mutuo vos amore proſequamini.*

FINIS.

DE VERIS

RATIONIBUS

Sive Fundamentis

CERTITUDINIS

FIDEI

IN

REBUS RELIGIONIS

BREVIS

DISSERTATIO.

Per *Henricum Morum* Cantabrigienſem.

2 Theſſ. cap. 3.

Ἵνα ῥυσθῶμεν ἀπὸ τῶν ἀτόπων καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων· οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις.

LONDINI,

Typis *J. Macock*, Impenſis *Johan. Martyn* ſub Signo Campanæ, & *Gualteri Kettilby* ſub Signo Capitis Epiſcopi in Divi *Pauli* Cœmeterio.

M DC LXXIV.

DE VERIS RATIONIBUS CERTITUDINIS FIDEI.

FIdes tametsi utplurimum rebus Religionis approprietur, vox tamen ipsa ex se nihil aliud significat præterquam *Assensum Persuasionémve de veritate alicujus rei ex aliqua ratione ortam.* Quæ quidem persuasio nobis certa esse potest & indubitata, hoc est, Nos certò & absq; omni fluctuatione de ea persuaderi possumus, quamvis rationes falsæ sint ipsáq; adeò res falsa, qua de tam firmiter persuasi simus. Adeò ut persuaderi firmiter de re aliqua, nullum aliis argumentum sit nec nobis ipsis esse debeat quòd aut Rationes aut ipsa Fides sit vera. οἱ ἰδιογνώμονές εἰσιν ἰσχυρογνώμονες. Atq; hæc ἰδιογνωμοσύνη facilè oriri potest ex ἰδιοσυγκρασία aliqua vel ἰδιοπαθείᾳ. Peculiaritas *temperamenti Educationísve* stupor eò usq; prævalescere possunt, ut Assensui nostro magna sanè cum vi falsitatem obtrudant (tum in rebus Naturalibus tum in Religiosis) aut ex rationibus admodum infirmis falsísque, aut ex omninò nullis præter Corporis temperiem, Educationem, Affectum, privati commodi studium & similia.

Cæterùm *veræ* Rationes *certitudinis Fidei* tales sunt, quæ non solum *certam firmámq;* fidem ingenerent, sed etiam *veram*, ídq; virtute *veritatis suæ* ac soliditatis, utpote quæ hujusmodi sunt quæ veræ solidæq; apparuerint omnibus qui eas absq; præjudicio partiúmq; studio examinaverint, hoc est, eis universis quibus nec corporis temperies, nec educatio, nec affectus, nec privati studium commodi judicium ipsis perverterit, sed κεκλήκειον habuerint purum ac perspicuum, tanquam oculum ad discernendos colores. Unde manifestum est primam maximéq; necessariam præparationem ad investigandas percipiendásq; *veras* rationes *Certitudinis Fidei*, *Moralem* esse *Prudentiam*, tali utiq; sensu quo naturam ipsius descripsimus, in *Enchiridio Ethico*, lib. 2. cap. 2. Hæc sanè antecedere debet judicium sententiámve nostram de qualibet sive *autoritate* sive *ratione*. Verùm ut quis animi *polluti* homo tantum sibi assumeret ut ab institutis sententiisq; Ecclesiæ sub qua natus sit, dissentiret, equidem admodum audax facinus esset ac temerarium. Perinde quasi Deus magìs obligaretur ad opem ferendam uni alicui homini *impio* in investiganda veritate, quàm *multitudini*, posítve quisquam tutiùs aut laudabiliùs *solus* errare quàm cum hominum *cætu* cui *Autoritatis Titulus* impressus sit. Quòd si huic rei incumbas ut *sanctitate* perfungaris cum *Dei timore*, & in omni incedas *humilitate* coram ipso & coram hominibus, poteris profectò *Magistrorum* tuorum *Fidelitatem* ipsorúmq; *doctrinam* circa res *Religionis* ad manifesta hæc rationis Principia expendere.

Primùm igitur, Manifestum est quòd *Certitudo Fidei* præsupponit *Certitudinem* tum *Rationis* tum *Sensûs* debitis circumstantiis positi. Etenim cùm *Fides propriè* sic *dicta* nihil aliud sit præterquam *immobilis Assensus alicui Doctrinæ Infallibilis Testimonii fundamento innixæ & propositæ*, oportet aliquam esse *rationem* quæ nobis persuadeat illud *Testimonium* esse infallibile, hoc est, eos qui testificantur nec obnoxios esse errori in eis rebus quibus testimonium perhibent, nec animum habere I.

habere decipiendi alios quò falſum verum eſſe credant, aut ſaltem nunquam nactos fuiſſe falſificandi opportunitatem in eis Articulis quos fidei noſtræ proponunt. Certitudo *Sensûs* porrò requiritur. Nam ſi Senſus certus non eſt, nullum Teſtimonium infallibile de veritate rei geſtæ eſſe poteſt. Potéſtq; fieri ut *Moſis* cum Deo colloquium in monte merum fuerit Inſomnium. Nec ulli *certi* eſſe poterant oculati teſtes *Reſurrectionis Aſcenſioniſq;* Servatoris, ſi Deus ſenſus noſtros vult deludere. Quapropter ritè circumſtantiati *ſensûs certitudinem* tollere, eſt reverà tollere *certitudinem Fidei* in præcipuis Religionis noſtræ Articulis.

II. Secundò, *Senſus* & *Ratio* rectè circumſtantiantur ſive in debitis circumſtantiis ponuntur; Unus, quando *Organum ſanum eſt, Medium aptè modificatum, objectiq; Intervallum debitè proportionatum*, & ſimilia; Altera, *quando cum Morali conjungitur Prudentia rectè ſic nuncupata*, qualis ſcilicet definitur in ſuprà dicto *Enchiridio*. Nempe ut ratio hæc in animo habitet nullo laboranti præjudicio, aut ſaltem qui nullo laborat præjudicio circa eam ipſam rem quæ proponitur. Sunt enim quædam veritates tam perſpicuæ ut ipſa *Immoralitas* (modò eò uſq; non prorumpat ut hominem ſtupidum prorſus ac dementem reddat) nulli futura ſit impedimento quò minùs ipſis aſſenſum præbeamus, hoc eſt, quò minùs ipſæ apparuerint omninò eſſe veræ, non certè magis quàm illæſo oculo impedimento eſt, quò minùs colores diſcernat, quod improbi perinde atq; probi homines faciunt juxta hanc Hypotheſin. Ac proinde

Lib. 2. cap. 2.

III. Tertium Theorema erit, Quòd ſunt *naturales* quædam veritates ſive *Logicæ*, ſive *Phyſicæ*, ſive *Mathematicæ*, quæ tam manifeſtò veræ ſunt, ut conſtanter ac perpetuò *impiis* perinde ac *piis* ſic appareant, modò mentis compotes ſint nec propriis vim inferant facultatibus.

IV. Quartum, Eas naturales veritates, ſive *communes notiones* ſint, ſeu *concluſiones ſcientificæ*, quæ tam manifeſtò veræ ſunt, ut perpetuò malis juxtà atq; bonis ſic appareant, ſaltem æquè certas eſſe ac indubitatas quàm ſit ulla omninò res cui mens ratióq; humana poteſt aſſentiri; hoc eſt, Eſſe ſaltem æquè firmam certitudinem horum Axiomatum quòd vera ſint, quàm ſit omninò ullorum. Ac propterea cùm agnoſcatur certitudo in aliquibus rebus quas mens ratióq; noſtra amplectuntur, ponamus ſanè pro

V. Quinto Theoremate, Quòd hæ naturales veritates quæ conſtanter tales apparent malis perinde atq; bonis, (modò læſo cerebro non ſint propriiſve facultatibus vim inferant) ſunt quidem in ſeipſis certiſſimè veræ.

VI. Sextum, Quicquid repugnat *certæ veritati* non ſolùm incertum eſſe, ſed potiùs neceſſariò falſum; ſiquidem utræq; partes *Contradictionis* non poſſunt ſimul eſſe veræ.

VII. Septimum, Nullam *Revelationem*, quæ aut *ipſa*, cujúſve ipſum *revelandi Propoſitum*, *Modúſve* deniq; *Revelationis* Divinis Attributis repugnat, poſſe eſſe à Deo.

VIII. Octavum, Nullam Traditionem hujuſmodi *Revelationis* veram eſſe poſſe, quandoquidem ipſa Revelatio eſt impoſſibilis.

IX. Nonum, Quòd nulla Revelatio à Deo eſt quæ repugnat ſenſui ritè circumſtantiato. Hoc manifeſtum eſt ex prima Ratione; Quòd utiq; *Certitudo Fidei* præſupponit *certitudinem ſensûs* rectè circumſtantiati. Nam ſi ſenſus noſtri falli poſſunt etiam tunc quando debitis agunt Circumſtantiis, certi eſſe non poſſumus eos unquam eſſe veraces. Quod neceſſariò certitudinem deſtruit omnis *Revelationis ab extrà*, omníſq; omninò *Traditionis*, ipſámq; adeò ex conſequenti Religionem ſubvertit Chriſtianam. Quapropter Deus non poteſt eſſe Author ullius hujuſmodi Revelationis per Concluſionem ſeptimam. Repugnaret enim illius Sapientiæ ac Bonitati.

X. Decimum, Nullam Revelationem eſſe à Deo quæ manifeſtis contradicit veritatibus naturalibus, quales ſcilicet ſuprà deſcripſimus. Hoc abundè patet è Theorematis 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7. Nam ſi Ratio etiam ubi maximè perſpicua eſt falſa eſſe poteſt, nullam habemus ſecuritatem quòd unquam ſit vera, ac proinde nullam *Fidei certitudinem* quæ Rationem præſupponit, per Theorema primum. Præterea per Theorema ſextum, Id quod certæ veritati contradicit eſt certiſſimè falſum: Divina verò Revelatio vera eſt. Et propterea nulla Revelatio à Deo eſſe poteſt quæ iſtiuſmodi contradictionem ſecum ingerit. Quinimò inſuper addimus, Quòd ſi ulla Divina veritas eſſet quæ apud *ritè circumſtantiatam Rationem* appareret firmæ cuilibet naturali veritati repugnare, Deus iſtiuſmodi veritatem cum hominibus non communicaret per Theorema ſeptimum. Nam Revelatio ejuſmodi veritatis ejus Sapientiæ Attributo repugnaret. Quippe quæ *veram* Religionem æquè obnoxiam redderet ſuſpicioni

ſpicioni & reprehenſioni, atq; *falſam*. Neq; enim major Objectio fieri poteſt contra veritatem cujuſvis Religionis quàm quòd Articulos proponit qui communibus notionibus indubitatæq; ſcientiæ repugnant. Ut præteream, quòd vel unicus obtentus hujuſmodi veræ Revelationis, fallaci Sacerdotio facultatem miniſtraret totum mundum implendi Figmentis ac Mendaciis. Quamobrem Deus nunquam tanti mali Author erit hominibus. Et poſtremò, cùm prima Revelatio per Traditionem ad poſteros ſit derivanda, cúmq; Traditio non ſit niſi Teſtimonium humanum, & infinitò magis lubricum ac fallibile quàm ſunt aut κοιναὶ ἔννοιαι aut *ſcientia naturalis*, quî fieri poteſt ut quiſquam homo niſi ſtipes planè ſit ac Bardus, *humanæ Traditioni* contra *ſolidam ſcientiam communésq; notiones* fidem adhibeat? Adeò ut neceſſariò aut *cæca Superſtitio* aut *Irreligio craſſa* aut *univerſalis Scepticiſmus* hujus rei exitus foret.

Undecimum, Nullam Revelationem, quæ urget, fovet promovétve *Immoralitatem* poſſe eſſe à Deo. Hoc manifeſtum eſt è Theoremate ſeptimo. Repugnat enim Divinis Attributis, ejus Juſtitiæ, Fidelitati, Bonitati, ac Puritati ſive Sanctitati. Dei Imago Juſtitia eſt veráq; Sanctitas. Quocirca nulla Doctrina quæ ad Injuſtitiam tendit, Improbitatem & Impuritatem, Revelatio à Deo eſſe poteſt. XI.

Duodecimum, Nullam cujuſvis Divinæ Revelationis Interpretationem quæ *Senſui Rationive* ritè circumſtantiatæ perſpicuæve ac indubitatæ *Moralitati* repugnat, ſive à privata manu ſive à publica proveniat, Inſpirationem eſſe poſſe à Deo. Neq; ullâ novâ opus eſt confirmatione hujus Theorematis. Quippe quòd ea ipſa argumenta quæ nullam Divinam Revelationem ad hunc modum eſſe poſſe repugnantem probant, probant ſimiliter nullam cujuſvis Revelationis Interpretationem *Senſui* ad hunc modum, *Rationi*, ſolidæve *Moralitati* repugnantem, eſſe poſſe Divinam. XII.

Decimum tertium, Quòd nulla ſacræ Scripturæ Interpretatio quæ Seditionem, Rebellionem vel Tyrannidem juſtificat, Inſpiratio eſſe poteſt à Deo. Hoc facilè evincitur è proximè præcedente Theoremate. *Seditio* enim & *Rebellio* graves ſunt ac enormes *Injuſtitiæ* ſpecies adversùs *Magiſtratum* utì & *Tyrannis* adversùs *populum*; utræq; ſanè modi tam immanes *Immoralitatis* ut nulla Scripturæ Interpretatio quæ has juſtificaverit, *vera* eſſe poſſit, nedum *Divinitùs inſpirata*. XIII.

Decimum quartum, Nulla Eccleſia quæ pro Articulis Fidei iſtiuſmodi res proponit quæ ritè circumſtantiato *Senſui* & *Rationi*, ſolidæve *Moralitati* repugnant, infallibilis jure haberi poteſt. Ratio manifeſta eſt: Etenim planè conſtat ex eis quæ hactenus dicta ſunt, eos reipſa jam eſſe deceptos, aut ſaltem aliis decipiendis operam navâſſe. XIV.

Decimum quintum, Certitudinem Fidei fundari non poſſe in *Infallibilitate* ullius Eccleſiæ, ſive particularis ſeu univerſalis, tanquam infallibiliter inſpiratæ quæ reipſa falli deprehenditur etiam in eis rebus quas pro neceſſariis Fidei Articulis credendas proponit. Hoc adeò per ſe perſpicuum eſt ut ulteriori probatione non indigeat. XV.

Decimum ſextum, Certitudo Fidei *humana* ac *moralis* fundatur in certitudine *univerſalis Traditionis*, *Prophetiæ*, *Hiſtoriæ*, & in natura ipſarum rerum quæ traduntur, *Ratione* ac *Senſu* menti aſſiſtentibus in Diſquiſitionibus ſuis circa has res. Illam Fidei certitudinem *Moralem* voco ac *Humanam* quæ *Carnali* Homini, Hominíve *nondum regenito* competat; quemadmodum dicitur de Diabolis quòd credunt & contremiſcunt. Per *Traditionem univerſalem* intelligo talem Traditionem quæ ab Apoſtolis uſq; extiterit, hoc eſt, quæ poſt Apoſtolatuum ſuorum perfunctionem, *ſemper* perinde ac *ubiq;* extitit in Eccleſia. Etenim cùm futura eſſet tam generalis támq; matura Eccleſiæ degeneratio quàm quæ in ſacris Scripturis prædicitur, Generalitas ſuffragiorum Eccleſiæ non ſemper erat ſufficiens Argumentum ad probandam Traditionis veritatem. Quantùm verò ad eas veritates, quæ conſtanter & immutabiliter ab Apoſtolicis Temporibus ad hunc uſq; diem invaluerunt, equidem indicio eſt eas tam ſacras fuiſſe támq; certas ac indubitatas veritates támq; vulgariter ac univerſaliter cognitas agnitáſque, ut in hominum poteſtate non eſſet eas adulterare. Per *Prophetiam* intelligo prædictiones Divinas, tum eas quæ ſunt de adventu Chriſti, tum eas de Eccleſia poſt illius adventum. Per *Hiſtoriam* verò non ſolùm illam Sacrorum Bibliorum innuo & particulatim *Teſtamenti Novi*, ſed alias etiam Hiſtorias tam Eccleſiaſticas quàm Prophanas. Quid verò intelligam per *ipſam naturam rerum* quæ traduntur, optimè percipi poteſt ex iſtiuſmodi Diſſertationibus quæ de Chriſtianitatis *Rationa-* XVI.

bilitate conſcriptæ ſint; Cujuſmodi libri ſunt D. *Hammondi*, *Baxterique*. Quin & meum etiam poteris conſulere *Pietatis Myſterium*, ubi noſtræ Fidei Chriſtianæ *Rationabilitas* pleniùs repræſentatur, planéq; demonſtratur penès Eccleſiam non fuiſſe etiamſi id voluiſſet maximè, nos circa præcipuos Fidei noſtræ articulos decipere.

Lib. 7. c. 9, 10, 11.

XVII. Decimum ſeptimum, Nulla Traditio magìs univerſalis magíſq; certa eſt quàm Traditio de ratione Authentica ejuſmodi librorum in ſacris Bibliis quos omnes Eccleſiæ unanimiter ſtatuerint eſſe Canonicos. Non poteſt eſſe certior nec univerſalior Traditio quàm hæc, propterea quòd Teſtimonium habet univerſæ Eccleſiæ omniúmq; illius partium unanimi conſenſu, quanquam in aliis rebus tantoperè inter ſe diſcrepant. Quamobrem nulla Traditio autoritatem habere poteſt huic ullo modo æquiparandam. Ac proinde meritò ponere poſſumus pro Theoremate

XVIII. Decimo octavo, Quòd ſacroſancta Biblia Fundamentum ſunt certitudinis Fidei firmiſſimum veriſſimúmq; quod intellectui noſtro offerri poteſt cui acquieſcat. Ratio eſt, quia eſt maximè univerſalis tum tempore tum loco, maximè immaculata, maximéq; univerſaliter, ídq; propter rationes peculiares maximéq; ſolidas, agnita Traditio quæ exiſtit.

XIX. Decimum nonum, Sacroſancta Biblia ſive ſacram Scripturam à Spiritu Dei dictatam, hoc eſt, à viris ſanctis Divinitúſq; inſpiratis ſcriptam, ſufficienter perſpicuam eſſe cuilibet intellectui nullo præjudicio laboranti in rebus omnibus neceſſariis ad ſalutem. Hoc neceſſariò verum eſt per Theorema ſeptimum. Alioqui modus quo utitur Deus in revelando ſuam veritatem in ſacris Scripturis, Divinis Attributis repugnaret; &, quod Blaſphemia eſſet effari, videretur ſanè nimis quàm imperitè ſacros ſuos *Amanuenſes* inſpirâſſe, hoc eſt, tali modo, qui ad Scripturarum finem nullatenus ſit accommodatus, qui Animarum humanarum eſt ſalus; nec proſpexiſſe ſatìs recuperandæ Eccleſiæ ex craſſis iſtis erroribus in quas ille & prævidit & prædixit eam eſſe lapſuram.

XX. Viceſimum, Quòd verus primariúſq; ſenſus ſacræ Scripturæ *Literalis* eſt ſeu *Hiſtoricus*, niſi in iſtiuſmodi partibus locíſve ubi ſubindicatio ſit *Parabolas* eſſe vel *viſiones*, ſtylo Prophetico conſcriptas, vel ubi *Literalis ſenſus* ritè circumſtantiato ſenſui naturalíve ſcientiæ repugnat, &c. Etenim id argumento eſt locum *Figuratè* vel *Parabolicè*, non *Literaliter* eſſe intelligendum. Hujus rei veritas è proximè præcedenti Theoremate apparet. Nam alioqui Scriptura non ſufficienter perſpicua eſſet in rebus omnibus ad ſalutem neceſſariis, immò verò in nullis omninò, ſed omnes Articuli Fidei qui *Hiſtoriam* Chriſti reſpiciunt, oppidò quàm frivolè leviculéq; poſſent in meras Allegoricas Fabulas Poëticáſq; mythologias attenuari. Quòd verò Hiſtoria Chriſti literaliter intelligenda eſt, manifeſtum eſt tum ex ipſo *Textu* tum ex perpetua ac *univerſali Traditione*. Qui ſi verus ſenſus non eſſet, argumento eſſet Scripturam etiam in præcipuis Fidei Articulis admodum obſcurè ſcriptam eſſe. Quod antecedenti Theoremati planè adverſatur. Cæterùm quòd illa loca quæ *ritè circumſtantio ſenſui naturalive ſcientiæ* repugnant, *Figuratè* interpretanda ſunt, manifeſtum eſt è communi omnium hominum conſenſu, ex eo quòd univerſaliter inter ipſos convenit, quando Chriſtus dicit, *Ego ſum janua*, *Ego ſum vera vitis*, &c. quòd hæ res *literaliter* non poſſunt eſſe veræ. Eſtq; par ratio in, *Hoc eſt corpus meum.*

XXI. Viceſimum primum, Nullum Fidei Articulum eſſe cujus Profeſſio facta ſit à temporibus Apoſtolicis ad hunc uſq; Diem, quíq; ab omnibus in Chriſtiano Orbe Eccleſiis ſit agnitus, qui non planè reveletur in ſcriptura. Hoc partim argui poteſt è Theorematis decimo nono & viceſimo, ulteriúſq; probari, comparando hos Fidei Articulos cum ipſis Scripturæ Textibus qui ſuper eiſdem rebus agunt.

XXII. Viceſimum ſecundum, Quòd comprehenſio horum Articulorum Fidei *ſemper* perinde ac *ubiq;* ab omnibus Chriſtianis Eccleſiis ab Apoſtolicis temporibus ad hunc uſq; Diem profeſſorum, itáq; manifeſtorum è Scripturis ſacris, optimo jure *Communis* nuncupatur ſeu *Catholica* ac *Apoſtolica Fides.*

XXIII. Viceſimum tertium, Quòd eſt etiam *Divina* quædam *Fidei Certitudo*, quæ præter rationes quibus *Moralis* ſeu *Humana certitudo* innititur, ſuffulcitur porrò ac corroboratur per *ſpiritum vitæ in nova Nativitate*, pérq; *Rationem illuminatam.* Hoc non arguendum eſt, ſed tacito internóq; ſenſu percipiendum. Intereà loci nihil ampliùs aſſeritur quàm hoc; Quòd hæc utiq; *Certitudo Divina*, altiorem habet gradum Firmitudinis, Perſuaſionis ac Aſſenſûs ſacrarum Scripturarum veritati;

veritati; ut quæ particeps eſt ejuſdem ſpiritûs cum Servatore ejúſq; Apoſtolis, verùm nihil variat in veritatibus quæ in communi Fide traduntur ac tenentur.

Viceſimum quartum, Quamlibetcunq; allatam *Inſpirationem* vel Divinorum Oraculorum *Interpretationem* quæ ſuprà deſcriptæ *Communi* ſeu *Catholicæ & Apoſtolicæ Fidei* repugnat, Impoſturam eſſe ac Falſimonium, ſive à privata manu provenerit ſive à publica. Ratio verò manifeſta eſt ex eo quòd *Articuli communis Fidei* doctrinæ erant hominum reverà Divinitûs inſpiratorum, nec poteſt Dei Spiritus ipſe ſibi contradicere. XXIV.

Viceſimum quintum, Nulla pars ſacræ Scripturæ de ſe eſt inexplanabilis, taliſve quæ prorſus intelligi non poſſit; verùm perinde ut mentes hominum prædiſpoſitæ erunt, tempúſq; erit idoneum, quemadmodum Deus jam largitus eſt, ità ſanè poterit (prout rerum opportunitates flagitaverint) majorem adhuc ac majorem lucem animabus Fidelium impertiri, ad pleniorem generaliorémq; intellectionem obſcuriſſimorum locorum in Divinis Oraculis. Veritas hujus Aſſertionis adeò perſpicua eſt, ut parùm abeſſe à Blaſphemia meritò videatur ipſi contradicere. Etenim aſſerere ſacram Scripturam talem eſſe in ſe ut omninò intelligi non poſſit, perinde eſt atq; pronunciare *nullum ipſi ſubeſſe ſenſum*: Quinimò affirmare hos vel illos libros in ipſa, librorúmve locos nunquam intelligendos eſſe ab hominibus, eſt certè inſinuare quaſi *Divina Sapientia* non ſolùm *oblectaret* ſe cum filiis hominum, ſed & cum ipſis *nugaretur*. Hoc tantummodò ſubterfugium eſt obnoxiæ iſtius fraudúmq; conſciæ Eccleſiæ quæ tantoperè ſibi prætimet à fulgore illius lucis quæ adversùs eam ex ejuſmodi Scripturæ locis quæ à longo tempore obſcura viſa ſint, emicat. XXV.

Viceſimum ſextum, Quòd innumera Scripturæ loca ſunt, tam Præcepta quàm Hiſtorias continentia, quæ æquè perſpicuè intelligi poſſunt ac ipſi communis Fidei Articuli, & quæ proinde admodum utilia eſſe poſſunt ad ea explananda quæ videntur magis obſcura. Hoc nullâ probatione indiget præterquam provocatione ad experientiam & Theorema viceſimum. XXVI.

Viceſimum ſeptimum, Nullum miraculum, quanquam ab hujuſmodi homine patratum qui videri poſſit vitâ irreprehenſibili & non vulgari ſanctitate, poſſe per rationem ratificare ullam Doctrinam Praxínve, quæ ritè *circumſtantiato ſenſui, naturalibus veritatibus*, aut *ſcientiis*, communíve Chriſtianæ Fidei, ullíve perſpicuæ Doctrinæ aut Aſſertioni in Scriptura, repugnat. Cujus rei Veritas hinc manifeſtò pateſcit; Quòd utiq; nemo quiſquam tam certus eſſe poteſt quòd hujuſmodi homo verſutus non ſit callidúſq; Hypocrita, ejúſq; miraculum præſtigium colluſióve Diaboli aut (ſi fortè ipſe rei geſtæ Teſtis oculatus non fuerit) falſa miraculi fama, quàm ſit certus de veritate *ritè circumſtantiati Sensûs, communium Notionum* ac *naturalis ſcientiæ*, *Articulorum Fidei Apoſtolicæ*, aut cujuſlibet *perſpicuæ Aſſertionis in Scriptura*. Ac proinde in hujuſmodi caſu, rationi conſentaneum eſt, ut eo quod maximè certum eſt greſſus noſtros dirigamus. XXVII.

Viceſimum octavum, Non ſolùm jus eſſe ſed & officium privati cujuſq; hominis converſari cum Scripturis, modò præmonitus ſit meminerítq; contra *ritè circumſtantiatum ſenſum, veritatem Naturalem, communem Honeſtatem, Analogiam Fidei Catholicæ*, contráve alia ulla *perſpicua ſacræ Scripturæ Teſtimonia* interpretari quicquam ſibi non licere. Hujus veritas ex proximè præcedenti Theoremate apparet. Cúrnam enim inhibeantur à recurrendo ad tot támq; utiles ac efficaces Informationes à *ſpiritu infallibili*, cùm tam commodè præmuniti ſint contra omnem errorem, & tam ſubdolè impetiti à tot non ſolùm *fallibilibus* ſed & *fraudulentis hominibus*, quò ſeducantur? Et quî fieri poteſt ut non majus ſit periculum nè in errorem ſeducamur ab eis qui non ſolùm fallibiles ſunt ſed etiam fraudulenti & doloſi, quàm ab inſpiratis illis hominibus qui Scripturam conſcripſerunt, qui nec fallibiles erant in eis rebus quas ſcripſerunt, nec animum habuerunt quenquam fallendi? Quapropter, cùm nullum habeamus magis tutum quàm eſt ipſa Scriptura Ducem, quæ ſine affectu, ſine fraude & ſine omni proprii commodi ſtudio de rebus pronunciat, eſt certè non ſolum jus ac privilegium cujuſq; Chriſtiani ſed & officium Scripturas conſulere, ſtatáq; obſervare tempora converſandi cum eis, ſi ulla omninò ipſi ſit æternæ ſuæ ſalutis cura. XXVIII.

Viceſimum nonum, Quòd etiam privatus quiſpiam *ſpiritu vitæ in nova Nativitate* munitus, ritéq; circumſtantiatâ Ratione, & ſufficienter porrò cognitione XXIX.

Linguarum, Hiſtoriæ, Antiquitatis, ſolidæq; Philoſophiæ adjutus, horum poſſit adminiculo, Divinâq; benedictione labores ejus ſecundante, aliqua obſcuriorum locorum Scripturæ illuſtrare ad plenam ſanè certitudinem ac ſatisfactionem & ſibi-ipſi & alteri cuilibet qui interpretationes ejus ſine præjudicio perlegerit. Hujus Aſſertionis veritas probari poteſt ex multiplici Experientia, ſiquidem multi extiterunt qui talia Scripturæ loca dilucidârunt cumulatéq; plana fecerunt, quæ ad tempus viſa ſunt admodum intricata & obſcura. Sed evinci poteſt etiam à priori, è decimo ſeptimo ſcilicet & decimo octavo Theoremate, quæ Scripturam maximè authenticam Traditionem affirmant, ut & à viceſimo quinto, quod eam negat aut in ſe non intelligibilem eſſe aut humano generi ; & ex primo deniq; quod certitudinem Fidei certitudinem Rationis præſupponere aſſerit. Etenim hinc cùm objectum intellectûs noſtri hîc certum ſit nec operam impendamus Figmento vel Deluſioni, Ratióq; noſtra ſit ritè circumſtantiata nec occæcata præjudiciis, aut in aſſenſum ante debitam deliberationem clarámq; rei perceptionem ac comprehenſionem præcipitata ; equidem ſi poſt tam circumſpectam anxiámq; diſquiſitionem ipſi plenè ſatisfactum ſit, etiam certò ipſi factum eſt ſatis, alioqui nulla certitudo eſſet in *Ratione ritè circumſtantiata*, quæ tamen præſupponitur in *Certitudine Fidei* per Theorema primum. Adeò ut ipſa Fidei certitudo ruinas agere videatur ſi nemo privatus certus eſſe poſſit de interpretatione cujuſvis loci Scripturæ qui ſemel obſcurus eſt habitus. Nè addam, omnem Scripturam quæ ſemel obſcura extitit, cujúſq; Interpretatio ab univerſali Eccleſia nondum ſit declarata, & fuiſſe hactenus, & fore porrò per neſcio quot ſecula omninò infructuoſam ac inutilem. Quæ admodum veſana profectò eſt ſuppoſitio, talíſq; quam nulli lubenter admiſerint, niſi illi qui quidvis mallent admittere quàm illud Scripturæ lumen, quod tam apertè detegit quinam ipſi ſint, & quàm indignas adhibeant præſtigias ac impoſturas in tranſactionibus ſuis cum filiis hominum.

XXX. Triceſimum, Quòd nulla Traditio vera eſſe poteſt quæ alicui perſpicuo Scripturæ Textui repugnat. Ratio eſt, quia Scriptura eſt maximè vera maximéq; Authentica Traditio quæ exiſtit, talíſq; in qua Univerſa Eccleſia conſenſerit.

XXXI. Triceſimum primum, Si unus aliquis Articulus in Authoritate Traditionis fundatus, quem nunquam poſt hominum memoriam ab Eccleſia non traditum fuiſſe contenditur, falſus reperiatur, nulla reliqua eſt Certitudo quòd ulla Traditio ſit vera, niſi talis quem nunquam in poteſtate Eccleſiæ eſſet ſupponere, corrumpere vel depravare, aut ſaltem è re ipſorum non foret circa eam ità ſe gerere. Ratio eſt, quia *Certitudo Traditionis*, quatenus *Traditio*, in eo omninò collocatur etiam ab eis ipſis qui tantoperè pro ea contendunt, quòd nihil in Eccleſiam introduci poſſit tanquam Praxis Doctrináve Apoſtolica præterquam quod ab Apoſtolicis uſq; temporibus reverà ſic erat. Quamobrem ſi res aliqua ſemel in Eccleſiam introducatur, credatúrq; ac uſurpetur tanquam Apoſtolica, quæ tamen manifeſtò probari poteſt talis non eſſe, hoc fundamentum *Traditionis*, quatenus *Traditio*, funditùs ſubvertitur, &, ſi conſideramus eam falſimoniam ac impoſturam quæ tamdiu in Orbe Chriſtiano invaluit, pro nullo omninò Certitudinis Fundamento haberi poteſt. Quemadmodum nec *Ratio* quà *Ratio*, nec *Senſus* quà *Senſus*, ſed quatenus ritè circumſtantiati certitudinis ſcientiæ fundamenta eſſe poſſunt: ità nec *Traditio* quà *Traditio* fundamentum eſſe poteſt certitudinis fidei, ſed talis ſolummodò Traditio quam in degeneratæ Eccleſiæ poteſtate non eſſet ſupponere aut adulterare. Atq; hujuſmodi profectò ſola ſunt ſacrorum Bibliorum monumenta.

XXXII. Triceſimum ſecundum, Quòd *Senſus Ratióq;* ritè circumſtantiati *ſacráq; Scriptura* veriſſima ſunt Fundamenta *certitudinis Fidei*. Hæc eſt communis Proteſtantium Doctrina, & magna ſanè ac irrefragabilis veritas, & quæ ad maximam quæ exoptari poteſt certitudinem aſcendet, modò *Spiritus vitæ Deiq;* adſit. Hic enim omnia firmiter arctéq; obſignabit, omnéſq; addubitationes fluctuationéſq; excludet. Intereà loci etiam de Hominibus *merè Moralibus*, ſed talibus tamen qui *Senſu Rationéq; ritè circumſtantiatis* in ſuis de veritate ſacræ Scripturæ ac Religionis dijudicationibus, utantur, manifeſtum eſt eos veriſſimis Fidei Fundamentis inſiſtere, quibus ſe applicare poſſunt & inniti, quandoquidem ſacra Scriptura *veriſſima omnium certiſſimáq;* eſt *Traditio*, nec *Traditio* ulla deprehendi poteſt vera, niſi ex *Certitudine ritè circumſtantiati Sensûs* ac *Rationis*, prout è primo Theoremate apparet.

Hæc

Hæc Monita quanquam aliquantùm ſanè numeroſa, ſatìs brevia tamen ſunt, ſed admodum efficacia, ut ſpero, ſi ſtrictè obſerventur, ad tantâ ſe imbuendum ſapientiâ, ut nec ipſe tibi impoſiturus ſis, nec tibi ab aliis imponi, in rebus Religionis, permiſſurus; tantáq; demum Orthodoxiâ, ut nec *Enthuſiaſtes* nec *Romaniſta*, ſed *verè Catholicus*, *Primitivus Apoſtolicúſq; Chriſtianus* ſis evaſurus.

FINIS.

ANTIDOTUS

ANTIDOTUS

ADVERSUS

IDOLOLATRIAM:

SIVE

Dissertatio brevis multa complectens

THEOREMATA

Ad dignoscendum quid sit haberive debeat

IDOLOLATRIA

Apud Christianos apprimè utilia.

CUM

Applicatione ad Doctrinam Concilii

TRIDENTINI

Ad sistendam, quantum fieri potest, Contagionem Romanam.

Per *Henricum Morum* Cantabrigiensem.

Matth. 4. 10.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.

LONDINI,

Typis *J. Macock*, Impensis *Johan. Martyn* sub Signo Campanæ, & *Gualteri Kettilby* sub Signo Capitis Episcopi in Divi *Pauli* Cœmeterio.

M DC LXXIV.

ANTIDOTUS
ADVERSUS
IDOLOLATRIAM.

CAP. I.

Quid ſit Idololatria *ſecundùm* Declarationem Divinam.

1. DUÆ in Genere viæ ſunt diſcernendi quid ſit haberíve debeat *Idololatria* apud Chriſtianos; una, *Divina Declaratio*, altera perſpicua dilucidáq; *Ratio*; Quæ quidem tametſi una fortean alterâ longiùs haud pertingant, hoc eſt, quicquid per *Divinam Declarationem* Idololatria concludi poſſit, idem per *Rationem* nullo laborantem præjudicio poſſit itidem concludi, & vice versâ; junctorum tamen teſtimoniorum concurſus majorem nobis veritatis certitudinem parit, duóq; funiculi ſimul contorti, fortiores ſunt quàm utervis ſolus. Quam ob cauſam nos utraſq; adhibebimus, & à *Divina Declaratione* capiemus exordium.

2. Primum igitur Theorema hoc erit, Quòd, quemadmodum in Regimine Civili Supremæ poteſtatis jus eſt, *læſæ majeſtatis crimen* quid ſit haberíve debeat, & ut tale puniri, definire & declarare; ità manifeſtiſſimum Dei omnipotentis jus eſt, qui & *infinitè bonus* eſt atq; *ſapiens*, definire & declarare populo ſuo quid ſit haberíve debeat *Idololatria*, quæ quædam adversùs Deum perduellio eſt, criménq; *læſæ Majeſtatis Divinæ*. Quódq; ſic à Deo *Idololatria* declaratur, tale id à nobis haberi debet, quanquam laſcivientis noſtræ Rationis ludicra ac fugitiva verſatilitas multa latibula ſubtiléſq; prætextus adinvenire poſſit quibus hanc rem illámve actionem à tam fœda imputatione excuſet, ejúſq; extenuet aut abſcondat turpitudinem. I.

Cæterùm, ut in rebus civilibus ipſa Declaratio, quòd hoc vel illud *læſæ Majeſtatis* crimen ſit, ſenſu quidem *Politico* efficit ut ipſo facto ſit tale; ità Divina Declaratio, quòd hoc vel illud *Idololatria* ſit, efficit ſanè ut eo ipſo fiat *Idololatria*, quamvìs vulgari captui judicióve, neq; hæc *perduellio*, nec illud *Idololatria* ſine præviis hiſce Declarationibus fortean fuiſſent apparitura. Verùm ubi Legiſlator *infallibilis* eſt, maximè profectò eſt conſentaneum ut nos ſubmittamus non poteſtati ſoli ſed ſapientiſſimo illius judicio in rebus definiendis, ſimúſq; perſuaſiſſimi illud reverà *Idololatriam* eſſe, quod is ſic eſſe declaraverit.

3. Secundum Theorema, Quicquid à Deo *Idololatria* declarata eſt *Judæis*, idem à nobis *Chriſtianis* agnoſci debet *Idololatria*. Hujus Theorematis ratio ipſi Chriſtianæ Religionis naturæ innititur. Etenim cùm *Chriſtianitas* Religio ſit longè ſpiritualior quàm *Judaiſmus* atq; ab omni omninò proinde ſuperſtitione abhorrens, nè *minima* quidem *Superſtitioni* omnium *maximè rancidæ*, ipſi nimirum *Idololatriæ*, fieri poteſt relaxatio. Quamobrem quicquid habitum eſt pro *Idololatria* apud *Judæos*, taléq; per *Divinam* Legem definitum, idem multò potiori jure ſub *Chriſtianitate* tale agnitum oportet, cùm nè minimus quidem prætextus ſit *relaxationi*. II.

Præterea, Nihil ritè habitum eſt apud *Judæos* (nec apud quenquam populum haberi

haberi poteſt) pro *Idololatria*, quin ſatìs accuratè contra id cautum ſit, ſatíſq; ma-
Exod. 31. 18. nifeſtò ſit interdictum in primo ſecundóq; Præcepto *Decalogi*. Totus verò Decalogus *Moralis* eſt, atq; ſic à Deo declaratus, ex eò quòd proprio illius digito in tabulis lapideis ſcriptus dicatur, (qui permanenſis animarum noſtrarum ſubſtantiæ ſunt ſymbola, cui omnia generalia *Moralitatis* præcepta inſculpta ſint, tanquam innata officii noſtri *Noëmata*:) Ac proinde hinc innuitur, Præcepta *Decalogi* juſta eſſe & conſentanea, non νόμῳ ſolùm, ſed & φύσει, non Lege aliquâ ſolâ *externâ*, ſed & inſita eſſe ipſi Naturæ noſtræ ac Rationi, eorúmq; cauſam ac radicem illinc facilè erui poſſe.

Quibus addere potes, Aſſumentum eſſe admodum ἀμέθοδον & heterogeneum, Dei ſapientiâ ſerviq; illius *Moſis* indignum, cùm reliquus Decalogus *Moralis* ſit, imaginari unum & alterum præceptum alius eſſe naturæ. Tam temeraria craſſáq; hæc eſt adversùs *Divinam ſapientiam* contumelia, ut meo certè judicio, omni deſtituatur excuſatione.

Ad hæc verò, *Moralitas Decalogi* agnoſcitur etiam ab Eccleſia, cùm *Liturgiæ* ubiq; pars ſit, & facultatem viréſq; oremus quò *ſecundum præceptum* obſervemus per-
Marc. 10. 18, 19. inde atq; reliqua. Et Chriſtus etiam remittit nos ad Decalogum quò vitam æternam aſſequamur.

Et poſtremò, Videtur ſanè à reliquis Legibus Moſaicis ſeparatus quaſi ac ſelectus tanquam *ſtabilis permanénſq; Lex* Eccleſiæ Dei (unde & ipſis *Catechiſmis* inſeritur) nunquam abolenda, vel potiùs in ſuo vigore ſemper retinenda, *ſecundi* potiſſimùm *præcepti* causâ, ut fortiter contra validas illas Invitationes ad *Idololatriam*, quæ in conſtitutione noſtræ Religionis offerre ſe nobis videantur, reniti poſſit, aut Eccleſiam eò lapſam, ad priſtinum ſtatum revocare; Quemadmodum *Judæis* olim repagulo erat quò minùs Nationibus circumjacentibus ſe adjungerent in cultu ſuo Idololatrico. Quamobrem cùm contra omne genus *Idololatriæ* cautum ſit per Decalogum Moralem *Judæis* datum, nulla ſanè illius genera à *Chriſtianis* ullis recipi debent aut approbari.

III. 4. Theorema tertium, Quicquid *Idololatria* erat in *Paganis*, idem in nobis *Idololatriam* eſſe, quoties eam committimus. Hujus Aſſertionis ratio hæc eſt; Quoniam *Pagani* tam expreſſam à Deo Declarationem contra omne genus *Idololatriæ* non habebant quàm *Chriſtiani* habent ac *Judæi*, ac proinde in qua re cunq; iſti *Idololatriæ* rei ſunt, *Judæus* & *Chriſtianus*, ſi conſimilia faciunt, multò magis ſunt rei.

IV. Theorema quartum, Idololatria *Paganorum* in hoc conſiſtebat, Quòd aut aliquid, ſummum Numen eſſe cenſebant, quod reverà non erat, perindéq; illud tanquam tale colebant, aut ſummum colebant Numen per Imaginem, aut cultum religioſum exhibebant, hoc eſt, Altaria erigebant, Templa & Imagines, Sacrificia offerebant, nuncupabant Vota atq; invocabant tales quos ipſi noverint ſupremum non eſſe *Deum*, ſed aut *Animas defunctorum* aut *Dæmonas*, aut *particulares* deniq; aliquas *Naturæ virtutes* vel *Apparentias*.

V. Quintum, Quòd tum *Divina* Declaratio, tum communis Orbis Chriſtiani Conſenſus nobis aſſeveratiſſimè confirmant omnes prædictos *modos Idololatriæ Paganicos* ab ipſis uſurpatos, fuiſſe in iſtis *Paganis* praxes *Idololatricas*. Ac proinde per Theorema tertium multò magis ſic eſſe neceſſe eſt, ſive in *Judæis* ſive in *Chriſtianis*.

VI. 5. Sextum, Quòd cultûs Religioſi præſtatio, hoc eſt, extructio Templorum, Altarium erectio, Invocatio, Votorum nuncupatio & ſimilia, alicui qui Deus ſummus non ſit, tametſi non *tanquam ipſi* ſed tanquam *inferiori* alicui Poteſtati *auxiliatrici* facta, manifeſta eſt *Idololatria*. Hoc perſpicuum eſt ex præcedenti Theoremate, & confirmari porrò poteſt hac conſideratione; Quòd *Idololatria* admodum rara erat apud Gentes, Romanos præſertim, ſi hic *Idololatriæ* modus reverà non ſit Idololatria; Víxq; quicquam apud ipſos *Idololatria* invenietur, niſi error cenſendi aliquid ſummum eſſe Numen quod reverà non eſt, perindéq; illud colendi tanquam tale. At enimvero ſi ulla omninò res ſummo Numine inferior cultu Religioſo Idololatriæ immuni coli poſſit, res omnes poſſunt, quanquam aliæ aliis magis ridiculè atq; abſurdé. Quamobrem quibuſlibet ſupradictorum modorum cultûs erga illud uti quod ſummo Numine ſit inferius, tametſi non tanquam erga ſummum Numen, neceſſe eſt ut ſit *Idololatria*; alioqui ipſe *Paganiſmus Romanus* admodum rarò, ſi omninò, illius erat reus, quippe qui Notionem habebant *ſummi Numinis* ſatìs accuratam, ſatíſq; diſtinctam ab aliis ſuis *Deitatibus*, adeò ut niſi fortè per Imaginem ipſum colebant, rarò aut nunquam potiùs deprehendendi ſunt *Idololatræ* juxta quorundam opinionem,

opinionem, qui aiunt nullos, qui notitiam habent unius veri Dei, Idololatriæ esse posse capaces.

6. Septimum, Quòd sacrificare, Incensum adolere, aut ullam Genuflexionem facere corporisve incurvationem versùs Imaginem ullo modo, tanquam cultûs illius Objectum, *Idololatria* est per *Divinam* Declarationem. Hoc manifestum est ex secundo primóq; Theoremate, quemadmodum vel primo intuitu constare potest. Nam in secundo Præcepto Decalogi apertè declaratur de Imaginibus, *Non incurvabis te eis, nec eis servies.* Quorum verborum proculdubio sensus est, Non erunt ullo modo Objectum illius cultûs quem religionis ergô præstes, sive Incurvatione versùs eas, sive aliâ quâviscunq; ratione. Secundum enim præceptum proculdubio Declaratio est *Divinæ* voluntatis circa cultum *Religiosum*, cujusmodicunq; fuerint Ceremoniæ. VII.

Octavum, Quòd erigere Templa, Altaria, Imagines, aut Incensum adolere *Sanctis Angelisve*, Invocare ipsos Votáve ipsis nuncupare & similia, manifesta est *Idololatria.* Hæc evidens est ex tertio præcipuè, quarto, quinto, sextóq; Theoremate hujus capitis. Dæmones enim *Paganici*, Christianorum *Sanctis Angelisq;* exquisitè respondent, quantùm ad hoc; nisi quòd *spiritualis* hæc *Fornicatio raptus* sit in nostros *Sanctos Angelósque*, sed *simplex* tantùm *Fornicatio* in *Paganis* cum *impuris suis Dæmonibus.* VIII.

Nonum, Religiosa *Incurvatio* Crucifixum versùs, aut Hostiam, ullámve Imaginem, tanquam ad Objectum & non meram & inobservatam Circumstantiam *accidentalem*, est *Idololatria.* Hoc manifestum est ex Theoremate septimo & octavo. Cultus verò *Latriæ*, ex opinione Transubstantiationis, Hostiæ exhibitus *Idololatria* est per tertium & quartum. IX.

7. Theorema decimum, In cultu nostro Religioso, ullâ figurâ, imaginéve, datâ operâ, uti, quanquam *circumstantialiter* tantùm non autem *Objectivè*, sed ità tamen ut incurvemus nos versùs eam, & in genua procidamus coram ea cum oculis manibúsq; devotè versùs eam sublatis, verùm cum intentione, quod dixi, faciendi eam nullo modo *Objectum* hujus cultûs religiosi, tamen si hoc fieret in Natione ubi homines crebrò & ex professo id faciunt, esset nihilominus, non obstante illâ intentione, crassum specimen *Idololatriæ.* X.

Quòd si universa Natio conspiraret ad hunc magìs plausibilem istis incurvationibus gestibúsq; sensum imponendum, licèt sperare quidem possimus *Idololatriam* non esse, esset tamen proculdubio admodum impia ac scelerata Dei ludificatio, voluntatísq; ejus in secundo præcepto declaratæ frustratio (quod naturaliter innuit prohibitionem omnis omninò cultûs incurvationísve versùs Imaginem per modum Religionis) criménq; æquè scandalosum & *Idololatriæ* contiguum, ac ingestio suiipsius in lectum ad uxorem alterius, cum castis prætextibus, crasso esset adulterio.

Immò verò immensæ quæstionis est, si quis sciens prudénsq; se in hujusmodi gestus ante Imaginem componat, an imago non futura sit *Objectum* horum gestuum & incurvationum vel illius ingratiis; vel potiùs manifestum videtur quòd ità sit futurum. Etenim corporalis actio Honoris ac Reverentiæ significans, *corporaliter* quidem, (quanquam non *mentaliter*) versùs Imaginem dirigitur ab eáq; recipitur, ídq; pro libitu *Religionistæ*, (potest enim se abstinere) quod eum facti reum facit.

Cæterùm non est ut tantoperè de ultimo hoc Theoremate laboremus cùm duo priora Theoremata Ecclesiam *Romanam* multifariarum Idololatriarum satìs abunde convincant, si modò *Divinæ Definitioni* stare volunt & *Declarationi sacræ Scripturæ* super hac re.

CAP. II.

Quid sit Idololatria *juxta Determinationem* liberæ *perspicuæq;* Rationis.

1. EXperiemur jam de *Romanistis*, ex manifestis *Definitionibus* & *Declarationibus* liberæ perspicuæq; *Rationis*, quàm sint huic crimini obnoxii. Qua igitur in methodo ponamus pro

Primo Theoremate, Quòd *Idololatria* Injustitiæ quoddam genus sit adversùs Deum. Quòd hoc verum sit, ex Definitione Religionis apud *Ciceronem*, qui eam I.

definit *Juſtitiam adversùs Deum*, apparere poteſt. Quæ non unius *Ciceronis* ſententia eſt, ſed ipſa *Rationis* ac *Naturæ* vox. Ac proinde cùm *Idololatria* unum genus ſit Irreligionis ſive Impietatis, ut Injuſtitiam quandam adversùs Deum includat neceſſe eſt,

II. 2. Secundum Theorema, Quòd *Idololatria* gravis admodum ac pernicioſus animæ morbus ſit, turpiter eam in ſenſualitatem & *Materialitatem* deprimens ac demergens, longóq; ipſam à vero ſenſu rectáq; Dei notitia diſtinens intervallo, corporeíſq; eam reddens concupiſcentiis magis obnoxiam. Hæc, inquam, naturalis eſt *Idololatriæ* tendentia, tametſi humanæ Animæ in hoc ſtatu lapſo, naturaliter proclives ſint ad tam immanem morbum; quemadmodum & Hiſtoria & quotidiana Experientia abunde teſtificantur. Vide mala *Idololatriæ* effecta in *Myſterio Iniquitatis*, Part. 1. lib. 1. cap. 16.

Nec veritatem hujus Theorematis quicquam enervat, quòd quis veram adhuc Dei notionem retinens juxta Divina illius attributa, poſſit interim, ſecundùm peculiarem aliquem, quem ſibi fingat, ſenſum aut intentionem, incurvare ſe versùs corporeum cultûs Objectum. Nam per vim luctámq; retineat neceſſe eſt, contra iſtiuſmodi praxin quæ eos naturaliter corrumpat ac coinquinet qui ſe ei aſſuefecerint. Ac proterea ſi *Vitam Dei* reverà in ſe haberet perinde atq; illius *Notionem*, iſtiuſmodi profectò actiones cor ſuum ingrato quodam tactu radere perſentiſceret, perciperétq; quomodo invaſuræ eſſent ac tentaturæ depreſſionem extinctionémq; illius verioris purioríſq; ſensûs Dei cultúſq; illius, Animámq; ad externam vanitatem ſeducturæ.

Cæterùm ponamus hominem unum & alterum, à ſubſidendo à recta *Notione Deitatis* mentes ſuas poſſe retinere; *Idololatriæ* tamen nihilominus æquè rei ſunt, ſi Religioſum cultum Objectis corporeis exhibent, atq; is eſt *Adulterii* ac Fornicationis qui eis tamen tam cautè utitur ut nec ſanitatem corpoream minuat nec naturales ingenii dotes indè obtundat. Ac proinde tametſi pauci aliqui hoc genus homines eſſe poſſint, leges tamen adversùs *Fornicationem* & *Adulterium* deberent nihilominus unicuiq; eſſe admodum ſacræ; etiam hiſce ipſis cautioribus eorum Tranſgreſſoribus, ſempérq; ab ipſis obſervari, cùm tantum interſit Reipublicæ ut obſerventur.

Quod autem de *Dei cultu* diximus, Analogicè verum eſt de cultu *Sanctorum*, qui optimè tunc coluntur, cùm virtutes eorum reminiſcimur ac imitamur, non autem cùm longè reductas genuflexiones coram ipſorum Imaginibus formamus, eorúmve ſimulachra arctiùs amplexamur, quæ tamen ipſos *Sanctos* ſanè, *non magis quàm Pomum* (quod dicitur) *oſtream, ſpecie referunt.*

III. 3. Tertium Theorema, Quòd vehementes illæ Declarationes *Divinæ Zelotypiæ*, illiúſq; ſeveræ Indignationis adversùs *Idololatriam*, ipſi naturæ rei paternæq; ſuæ Animarum humanarum curæ, admodum congruunt. Ex præcedentibus Theorematis hoc patet, Quippe quòd tum prærogativarum jurúmq; ipſius *Divinæ Majeſtatis*, tum etiam Perfectionis, Nobilitationis, Salutíſq; adeò humanarum Animarum res hîc agitur. Hoc quidem ratione deprehendimus, Ratióq; noſtra Divino rurſus ſuffragio fortiùs confirmatur.

IV. Quartum, Quòd *Idololatria* quamvìs adeò immane ſit peccatum, tamen, ubi maximè ſerio Animi propoſito committitur, neceſſariò in ſe involvit Ignorantiam vel Errorem; aut in *Actu* ſcilicet *Cultûs* aut in *Objecto*; quandoquidem *Objectum* vel *Deum* eſſe putant cùm non ſit, vel aliquod *Attributum Dei* habere cùm non habeat, vel aliquâ *Divinâ Prærogativâ* frui cùm non fruatur; aut errant in *Actu Actúſve ſpecie*, Divinum *non* reputantes eſſe *cultum* cùm ſit; aut deniq; in *Applicatione cultûs*, arbitrantes ſe Divinum cultum *non applicare* Objecto, quando *reverà applicant.*

V. Quintum, Quòd error circa *Objectum cultûs* vel circa *Speciem cultûs* vel circa illius *Applicationem* rem nullam excuſare poteſt, quò minùs pura puta ſit Idolòlatria, ſiquidem nulli ſeriò *Idololatræ* ſunt ſine aliquibus horum Errorum.

VI. Sextum, Peculiaris honos ſeu cultus Deo tributus, illi tribuitur non quidem tam ut honos illius cultúſve, quàm ut illius debitum atq; jus; adeò ut quiſquis eum Deo non tribuit, illúmve alteri communicat, *Divinæ Majeſtati* faciat injuriam. Hoc manifeſtum eſt, illíq; quod in primo Theoremate occurrit conſentaneum; Quòd *Religio* utiq; *Juſtitia quædam ſit adversùs Deum.* Et certè niſi Divinus Honor Deo tribueretur tanquam *Debitum* illius atq; *Jus*, actus *Honoris* omninò non eſſet ſed potiùs *Benevolentiæ.*

VII. 4. Septimum, Peculiaris illius honoris cultúſve quem Deo præſtamus jus fundatur aut in *Natura incommunicabilium ejus Excellentiarum*, aut in *Excellentiis* ejus *nulli*, quod

quod ſcimus, *Creaturæ communicatis*, aut deniq; in *Divina Declaratione* ſeu Præſcriptione viarum rationúmve eum hoc vel illo modo colendi, quas ipſe aliquando deſcripſerit.

Octavum, Quòd Actiones quælibet, Geſtúſve aut Verba quæ ad ullam Creaturam tanquam ad *Objectum* dirigantur, naturaliter innuentia vel ſignificantia aut *incommunicabiles* aut *incommunicatas* Dei Excellentias, eſt exhibitio illius cultûs Creaturæ quod ſolius Dei jus eſt atq; debitum, eáq; injuria adversùs *Divinam Majeſtatem*, quæ propriè dicitur *Idololatria*. Evidentia hujus Theorematis hinc apparere poteſt, Quòd nullus alius modus ſit applicationis externi Cultûs quàm dirigendo iſtiuſmodi ſignificantes Actiones Geſtúſve aut Verba versùs Ens aliquod tanquam ad Objectum. VIII.

Nonum, Quòd quarumlibet earum Actionum Geſtuúmve uſurpatio, Rituúmve quorumlibet quos verus ſupremúſq; Deus in deſcribendo modo ſui cultûs ſibi elegerit ac vendicaverit, versùs vel cum relatione ad ullam Creaturam tanquam ad *Objectum* peractio, hæc etiam ipſa ſit illa contra Deum injuria quam appellamus *Idololatriam*. IX.

Ratio hæc eſt, Quoniam hujuſmodi cultus peculiare Dei jus manifeſtò apparet, quod nemo in alterum transferre poteſt præter ipſummet Deum. Quamobrem cùm jus hoc nulli alteri per ipſum communicatum ſit, quotieſcunq; hoc genus cultûs adhibetur erga eum, adhiberi debet erga nullum verò alterum.

Nec poteſt quidem ejus derelictio hujuſmodi cultûs, illius poſtea uſurpationem versùs ullam Creaturam licitam efficere, quoniam nulla Creatura Deus vel iſtiuſmodi circumſtantiis eſſe poteſt quibus ipſi viſum eſt talem ſibi cultum inſtituere. Nulla enim Creatura Deus omninò eſſe poteſt, nec proinde ullorum iſtorum modorum *Divini Cultûs* quos Deus aliquando ſibi ipſi inſtituerit, unquam capax. Præterea ſi derelictio hæc ac deſuetudo ullius modi *cultûs Divini* eum reddere poſſit Creaturæ competibilem, tunc certè poſſimus Boves Ovéſq; (ut præteream alios Templi ritus) *Sanctis* ſacrificare atq; *Dæmonibus* citra omnem *Idololatriam*.

5. Decimum, *Omnipercipiens omnipræſentia* quæ audit vidétq; quicquid dictum factúmve ſit in mundo, ſive ſecundùm Integrum conſideretur ſive diſtribuatur in *Terreſtrem*, *Cæleſtem* & *Supercæleſtem*, non tantùm cunctæ hæ *Omnipercipientiæ* ſimul ſumptæ ſed quælibet earum ſigillatim, certa quædam in Deo Excellentia eſt, & quantum nos quidem ſcimus, nulli Creaturæ communicata. X.

Undecimum, Quòd *omnipræſentia* ſeu *omnipercipientia* hæc *Terreſtris* unum è præcipuis Fundamentis ſit Religioſi illius cultûs Deo debiti quem appellamus *Invocationem*. Hoc certè manifeſtum eſt quòd ob hanc ipſam cauſam quòd Deus audit vidétq; (quantumvis ipſe ſit inviſibilis) quicquid dictum factúmve ſit in terris, hunc honorem habet, ut quolibet in loco vel ubiq; invocetur Templáq; ipſi extruantur. Quoniam is qui *Omnipræſens* eſt, à Templo ſuo abeſſe non poteſt; verùm illîc ſemper adeſt ut invocetur. XI.

Duodecimum, Quòd niſi *Omnipræſentia*, vel *Omnipercipientia* ſaltem *Terreſtris* (ſi non *cæleſtis*) Sanctis Angelíſq; à Deo communicata ſit, Invocatio utrorumlibet palpabilis eſt *Idololatria*. Hoc manifeſtum eſt ex Theoremate octavo. Invocatio enim ſupponit *Divinam Excellentiam*, Sanctis atq; Angelis incommunicatam, atq; ſic jus illud illis communicat, quod ad ſolum Deum pertinet. Eáq; proinde injuria eſt adversùs Deum quæ appellatur *Idololatria*. XII.

Adeò ut inane ſit illud effugium quo prætenditur quòd eò magìs Deum honoramus dum tam beneficum eum facimus erga *Sanctos* atq; *Angelos*, ut hanc excellentiam ipſis impertiat, quum tamen haud ità viſum ſit illius ſapientiæ ſic facere. Tantum enim abeſt ut hoc pacto eum honoremus, ut injuriâ eum afficiamus tribuendo jus illius alteri; eúmq; ſanè dehoneſtemus præſumendo quòd ſapientiùs meliúſve facturus fuiſſet, ſi id feciſſet quod tamen non fecit. Quanquam profectò, ſi tam prodigus eſſet in propriis ſuis Excellentiis creaturæ communicandis quàm quidam eum eſſe, ad palliandas ſuas proprias Idololatrias, nobis perſuadere volunt, compendioſiſſima quidem via eſſet ad efficiendum ut obliviſcantur homines Devotionum omnium erga Deum, eúmq; penitus ex memoriis deleant, magíſq; particularibus acquieſcant *Sanctorum Angelorúmq;* Patrociniis.

6. Decimum tertium, Perſuaſio noſtra quòd *Angelus Sanctúſve* audire nos poſſit ubicunq; eum invocaverimus, illius Invocationem nequaquam excuſat, nec immunes nos reddit *Idololatriæ*, ſiquidem omnis *Idololatria* cum ſerio inſtituto commiſſa aliquem ſupponit errorem, prout jam notatum eſt in Theoremate quarto. XIII.

Decimum quartum Theorema, Quòd omnes modi ſeu rationes Communicationis XIV.

hujus

hujus *Omnipercipientiæ* Sanctis Angelísve, aut admodum *incredibiles* sunt, si non *impossibiles*, aut supra modum *ridiculæ*, quantùm ad ullam Excusationem ipsorum *Invocationis*. Quippe quum ûsitata *Sanctorum Angelorúmq;* Residentia, juxta Ecclesiæ *Romanæ* sententiam, in *sede Beatorum* sit, illáq; sedes in cœlo *Empyreo* supra omnes stellas sita, ut *Angeli Sancti*q; propter naturarum suarum exaltationem usq; abinde videant audiántq; quod dictum factúmve sit per totum terrarum orbem in partibus etiam ex Diametro oppositis, supra modum *incredibile* est si non *impossibile*; immò sufficienter *incredibile* vel potiùs *impossibile*, tametsi *citra Lunam* degerent.

Atq; sanè ut res omnes dum peraguntur videant omnésq; preces & supplicationes audiant in *speculo Divinitatis*, pariter *incredibile* est; id quod ipsius *Christi Humanitas* quantumvis cum *Divinitate* unita, sibi non arrogabat. Ut verò Deus aut in hoc speculo, aut alio quovis modo eos certiores faceret quòd hic vel ille homo eos oret ut ipsum orarent pro dictis personis, an non vel primo aspectu supra modum est *ridiculum?*

Et perinde quidem ridiculum est, *Sanctum Angelúmve* orare, tanquam si *præsentes* nostras preces audirent, cùm tamen in confesso sit eos esse *absentes*, & nescire omninò quòd oremus, nisi per *nuncium* aliquem facti certiores. Hujusmodi Devotio actus profectò est monstrosus & incongruus, planéq; indicat id nos facere *Creaturæ* invisibili, quod factum oportet soli invisibili *Deo*, ac proinde *Idololatriam* esse, quippe quòd istiusmodi cultûs jus tribuit aliis, qui illi soli competat.

XV. 7. Decimum quintum, Etiamsi à Deo communicata esset Sanctis Angelísq; *Terrestris* saltem *Omnipercipientia*, tamen si is hujusce rei notitiam (quemadmodum eum non fecisse certissimum est) nobis non communicaverit, ipsorum *Invocatio* nihilominus admodum præsumptuosa esset indubitatorum jurum Dei Invasio, ejúsq; Prærogativarum diminutio, ac proinde quantùm ad Actum *internum* non minus sanè peccatum quàm *Idololatria*.

Rationes hujus Theorematis sunt, Primùm, Quòd Deus, cùm nos celaverit notitiam communicationis hujus Excellentiæ, eò ipsò naturaliter innuat se nolle tamen eos invocatos, sed *honorem nostræ Invocationis Potestatis invisibilis*, sibi ipsi soli reservari.

Deinde, Quòd quicquid ex fide non est, peccatum sit; ac proinde cùm ratio Invocationis *Sanctorum* vel *Angelorum* maximè fundamentalis, saltem dubia sit, ipsorum Invocatio peccatum est; cúmq; sit contra jura Dei ad cultum ejus spectantia admissum, quid rectiùs existimari potest quàm Idololatria?

Tertiò, Principium hoc fingendi temeréve imaginandi sine ulla Revelatione Divina quòd Creaturæ ullæ capaces sint istiusmodi honorum qui indebitata Dei jura sint ac Prærogativæ, *Incus* est & *officina*, *Prætextus* & *pallium* innumeris generibus deformatissimarum varietatum Objectorum Idololatricorum: Ac proinde contra tam præsumptuosum & detestandum Principium quod & *Mater* & *Nutrix* est adeò innumerabilium modorum *Idololatriæ* atq; Injustitiæ adversùs Deum, etiam juxta rationem humanam, apertè sententia ferri debet, tanquam Idololatricum, & ex consequenti omnes praxes consuetudinésve indè pendentes *Idololatria* etiam censeri. Utpote quæ oriuntur ex tali Principio temerè assumpto quod tam fundamentalis pars sit *Idololatriæ* & Injustitiæ contra Deum; quódq; eum exponat omne genus injuriis *Idololatricis*.

Quartò, Audere id agere quod nescimus *Idololatria* sit necne, cùm minimè opus sit, Conscientiâ eò nos non omninò impellente, hoc ipsum est *Idololatriam* committere audere. Audere autem *Idololatriam* committere, adeóq; *Divinam Majestatem* vilipendere ac provocare, quid hoc aliud est quàm *Idololatram* esse? Nam secundùm internum hominem, principalémq; Actionis *Moralitatem* talis est. Quemadmodum is *Moraliter* Homicida est, qui dubius vel haud ità certus quin proprius *amicus* esset, fortuitò, quem intenderat, occiderit *inimicum*. Mens enim sensúsq; hujus actionis est, quòd nihil pensi habiturus sit vel charissimum Amicum trucidare, quò minùs ullam occasionem prætermittat ulciscendi Inimicum.

Et postremò, Hæc *Idololatria* eò magìs conspicua est & criminosa, in invocandis *Sanctis Angelisve*, quòd eorum *Omnipercipientia* adeò supra modum incredibilis sit si non impossibilis aut ridicula, quacunq; ratione defendatur, quemadmodum appareret ex antecedenti Theoremate.

XVI. 8. Decimum sextum, Quòd *Præsentias symbolicas* erigere, sesèq; illorsum incurvare, consecrare Templa & Altaria, Oblationes facere, Incensum adolere, & similia, declarati sunt à Deo summo, Deo *Israëlis*, modi cultûs ipsi debiti, ac proinde sine

ſine illius conceſſione hi modi cultûs nulli alteri ſunt tribuendi, prout apparet ex Theoremate nono.

Decimum ſeptimum, Quòd *Pagani* colendo ſuos *Dæmonas*, quanquam non ut *ſupremum Deum*, per *Præſentias ſymbolicas*, Templa, Altaria, Sacrificia & ſimilia, ipſo facto *Idololatræ* evaſerunt. Hoc manifeſtum eſt ex nono, decimo quinto & præcedente Theoremate. XVII.

Decimum octavum, Quamvìs *Terreſtrem* ſaltem admitteremus *Omnipercipientiam* Sanctis Angelíſq; eſſe communicatam, nóſq; hujus Communicationis habere notitiam, eóq; pacto nos poſſe *civili* modo, quantumvìs nobis inviſibiles alloqui ; tamen in iſtiuſmodi circumſtantiis eos invocare, putà ad Altare vel in Templo quæ ipſis dedicata ſint, vel ad *ſymbolicas* ipſorum *Præſentias*, hoc palpabilis *Idololatria* foret. Veritas rurſus manifeſta eſt ex nono & decimo ſexto Theoremate. XVIII.

9. Decimum nonum, Incurvatio, Religionis ergô, versùs ullam apertam nudámve *Præſentiam ſymbolicam*, cuicuimodi figura ſit ſeu Imago, tanquam ad *Objectum*, manifeſta eſt *Idololatria* : In cultu *Sanctorum*, *Angelorum*, *Dæmonúmque*, duplex *Idololatria*, in cultu Dei veri ſimplex. XIX.

Hujuſce rei Ratio, partim in Theoremata nonum & decimum ſextum, partim in naturam *Applicationis* hujuſmodi cultûs reſolvitur. Nam cultus externus non aliter intelligitur ad *Præſentiam ſymbolicam* applicari, quàm illius directione versùs ipſam, tanquam *Objectum*. Quamobrem ſi Religioſa incurvatio versùs ullam Figuram Imaginémve dirigatur tanquam ad *Objectum*, Figura hæc ſeu Imago, eam cum Deo (ſi illi Imago ſit dedicata) ſimul participat, quæ manifeſta eſt *Idololatria*. *Directio* enim *Intentionis* noſtræ hac in re, non eſt niſi Præſtigium *Jeſuiticum*. Ac proinde ponam pro Theoremate

Viceſimo, Quòd Religioſa Incurvatio ſi versùs *nudam* Præſentiam *ſymbolicam*, ſcienter & cum conſcientia, à quibuſcunq; dirigatur, quantumvìs cum mentali reſervatione, quòd tantùm ut circumſtantiâ cultûs eâ uti inſtituant, realis nihilominus eſt *Idololatria*. XX.

Ratio eſt, quia Actio externa versùs iſtiuſmodi rem, quæ tanquam apta nata conſideratur ad recipiendam talem Actionem (quæq; frequenter receperit) ſi tali modo dirigatur, naturaliter notiones Relationéſve *Actionis* & *Objecti* inter hæc duo conciliabit, ſive nos id intendimus ſive non. Eſtq; profectò perinde ridiculum prætendere motus eorum ſeu actiones versùs circáve talem *Præſentiam ſymbolicam* ad eam non dirigi, circáve eam non verſari, tanquam *Objectum*, atq; eſſet ſi Sagittarius metam contenderet, quam ſagittâ impetit, *ſcopum* non eſſe vel *Objectum* ſed *circumſtantiam* ſuæ ſagittationis ; illéq; qui Amicum amplexatur, Amicum non eſſe *Objectum* ſed *Circumſtantiam* ſuæ Amplexationis. Quæ commenta ſunt longè extra viam Regiam omnis omninò *Rationis*, *Artíſq; Logicæ*. Vide Theorema ultimum capitis antecedentis.

10. Viceſimum primum, Adoratio cujuſvis Objecti quod nos per errorem credamus verum eſſe Deum viſibilem ex Hypoſtatica Unione cum illo factum, manifeſta eſt *Idololatria*. Ratio eſt, quia error non excuſat ab Idololatria, per Theoremata quartum & quintum. Atq; in hac quidem ſuppoſitione, deeſt nobis una pars Objecti, ſoláq; pars quæ ſeparatim ſive ſolitaria Divini Honoris eſt capax. Etenim niſi Deus uniatur cum hoc Objecto adorato, perinde eſt ac ſi planè abſens eſſet. Nam Deus non conſideratur nec intenditur in hoc Actu Adorationis, niſi quatenus cum viſibili hoc Objecto unitus. Quæ unionis Relatio ſi intercidat, illa conſideratio ac intentio pariter intercidit, Cultúſq; cadit in meram creaturam. XXI.

Breviter, Si per errorem, aliquam ad vivum formatam ſtatuam corpúſve aliquod inanime pro tali homine ſaluto, quamvìs homo hic ejúſve anima præſens eſſet atq; ſalutationem hanc videret & audiret, palàm tamen eſt ineptè me feciſſe deridendúmq; me propinâſſe, neminémq; putaturum me eum ſalutâſſe quem volebam : Ità ſi Objectum ullum, *Solem* putà, *Magicámve* aliquam *Statuam* pro vero viſibili Numine adoro, cùm tamen neutri tales ſint ; *Idololatram* ago, & deteſtandum me reddo ob apertam impietatem, debitóq; Adorationis *Objecto* excidi & aberravi.

11. Viceſimum ſecundum, Adoratio *Hoſtiæ* ex præſumptione quòd in vivum Chriſti corpus ſit tranſubſtantiata, craſſa itidem eſt *Idololatria*. Hoc apparet ex antecedenti Theoremate. Quibus addere potes, *Romaniſtas*, dum *Tranſubſtantiationem* hujus Adorationis veram ac *Fundamentalem* rationem faciunt, ipſi equidem ſupponunt quòd, abſq; hac foret, Adoratio *Hoſtiæ* futura eſſet *Idololatria*. Quòd autem *tranſubſtantiata* non ſit, eorúmq; ratio ſit falſa, quivis æquè certus eſſe poteſt, atq; de ulla omninò re, quæ in univerſa rerum natura occurrit, nec minùs XXII.

certus

certus quòd sint *Idololatræ* juxta propriam ipsorum suppositionem & implicationem: Quod *Costerus* sanè admodum Emphaticè expressèq; agnoscit, nempe si errent in doctrina de *Transubstantiatione*, quemadmodum mox videbimus.

XXIII. Theorema vicesimum tertium, Adoratio hostiæ per Protestantes aliósve quoscunq; qui *Transubstantiationem* non tenent, facta, manifesta est *Idololatria*. Ratio petenda est è Theorematis decimo nono & vicesimo. Nam Religiosa veneratio est versùs nudum Divinæ præsentiæ Symbolum corporeum non Deum ipsum qualem * Pontificii autument: & quò Actio majorem in modum aggravetur, versùs Symbolum quod Imaginem sibi habet impressam, eámq; personæ quam colere prætendunt. Si hoc non sit Idololatria, quid obsecro esse potest?

* *Vide Appendicem.*

XXIV. Vicesimum quartum, Invocatio Sanctorum & Angelorum, quanquam his considerationibus comitata, quòd Excellentia, quam in eis supponimus, quæq; eos honoris hujus capaces reddit, & finita censeatur, &, quantacunq; fuerit, tota à Deo derivata; excusari nihilominus non potest à crassa *Idololatria*. Hoc planè liquet ex septimo, octavo, decimo, & sic deinceps usq; ad decimum sextum Theorema. Tametsi enim Excellentia hæc finita supponatur, si tam magna tamen sit, ut nusquam invenienda sit nisi in Deo, illius solius jus est istiusmodi habere honores qui eam supponant. Atq; etiamsi censeatur concipiatúrve à Deo derivata, tamen si ità non sit, incommunicatam Excellentiam Creaturæ tribuimus, Deúmq; spoliamus suo jure ac honore. Et postremò, quamvis hæc Excellentia communicata esset nec tamen communicatio hæc nobis revelata, præsumptio perduellioni finitima foret adversùs *Divinam Majestatem* ità, de propria nostra sententia, istiusmodi res divulgare quæ peculiaria Deitatis jura violatura sint, &, (quod nos quidem scimus) innumeris crassissimæ *Idololatriæ* audacibus exemplis Mundum impletura. Ac proinde omnes praxes nostræ huic Principio innixæ necesse est ut *Idololatricæ* sint, affinésq; perduellionis adversùs *Majestatem Divinam*. Perpende probè Theorema decimum quintum.

XXV. 12. Theorema ultimum, Quòd hæc quæ prætendatur Consideratio, quòd utique, ubi Christus adest *corporaliter*, Divinus cultus suæ *Humanitati* non exhibetur sed *Divinitati*, quódq; proinde, etiamsi Panis non transubstantiaretur, cultus Divinus eidem præstatur Objecto cui prius, nempe *Divinitati*, quæ ubiq; est, & propterea in pane; hæc, inquam, Consideratio Adorationem Hostiæ non excusabit à palpabili *Idololatria*.

Primò enim, Pars illa prætextûs quæ Divinum cultum nullo sensu debitum esse *humanitati* Christi, eíve præstari oportere supponit, falsa est. Neq; enim major præsumptio est affirmare, quòd aliquo sensu *Divinus Cultus Humanitati* Christi communicabilis sit, quàm quòd *Divinitas* ipsi sit communicata. Tali igitur sensu quo *Divinitas Humanitati* communicata est, quæ per unionem *Hypostaticam* unum quid fiunt, *Divinus* etiam *cultus* ipsi communicari potest, nempe tanquam recognitio quòd Divinitùs cum omnibus suis adorandis Attributis *Hypostaticè*, *vitaliter* & transplendenter in hac Christi *Humanitate* residet. Quod genus quoddam *Divini cultûs* est *Humanitatis* Christi, illíq; soli peculiare, eíq; (Humanitati putà illius) debitum, quanquam Deus non sit *essentialiter*, sed *Hypostaticè* tantùm unita cum eo qui est; & verò æquè naturaliter religiosi Divinive cultûs in nostris ad Divinitatem accessibus particeps fit, atq; corpus eminenter probi, sancti sapientísq; hominis magnæ illius Reverentiæ civilísq; Honoris ipsi præstiti ob Excellentias illas quæ magis immediatè atq; intimè illius animæ inhærent.

Qui honos indistinctè transit in totum hominem; Et quemadmodum ipsa præsentia corporea hujus præclaræ Personæ *civilem* honorem recipit, ità ex facili Analogia Christi *Humanitas* recipit *Divinum*, sed utræq; ut objecta partialia illius quod recipiunt & cum significatione statûs totius causæ, nempe quòd uniuntur, alter cum *Divinitate*, alter cum tam *præstanti Anima*; Hinc idonea utriq; Objecta evadunt integri illius cultûs *externi* versùs ipsos præstiti, *Civilis* versùs unam, versùs alteram *Divini*.

Atq; ea propter secundo in loco, manifestum est non unum idémq; Objectum debitum adesse cultûsq; religiosi capax in utralibet suppositione, in ea perinde quæ Panem *transubstantiatum* supponit, atq; in ea quæ eum supponit non *transubstantiatum*. Nam in priori vera viváq; est corporea *Christi* præsentia, cujus integrum Suppositum, quemadmodum declaravimus, *Divini* honoris est capax; in posteriori verò ad summum est *Symbolica* tantùm illius *præsentia*. Cujus Adoratio Idololatria est per decimum nonum, vicesimum & vicesimum primum Theorema.

Et postremò, quod obtentum illum attinet, Quòd tametsi Panis transubstantiatus non

non esset, Divinitas tamen Christi ibi est, quódq; proinde debito cultûs nostri Objecto non excidimus; hæc tam laxa excusatio est, ut *rubri panni* adorationem apud *Lappos*, ipsiúsq; adeò *Diaboli* apud *Americanos* tanquam licitam defenderet, modò prætenderint se Deum in illis colere. Deus enim in illo *rubro panno* est & in ipso Diabolo, eo quidem sensu quo dicitur esse ubique. Quinimo, nè ullum quidem est Objectum de quo Antiqui *Pagani* erraverint, opinando *Divina* Attributa inibi inhærere, sive *Sol* fuerit, *Cælúmve*, seu ulla alia Creatura cujus Adoratio hâc sophisticâ ratione ab Idololatria non possit excusari. Nam *Divina Attributa*, quemadmodum & *Deus* ipse, sunt ubique.

Adorationem nostram versùs supernaturalem & inimitabilem *Divinæ Præsentiæ* Transplendentiam, versúsve Naturam aliquam visibilem corpoream quæ cum Divinitate *Hypostaticè* unita sit, dirigere, non est certè vecors illud atq; plumbeum, non illud stupidum ac delirum peccatum *Idololatriæ*. Quantùm enim ad posterius, cuicunq; rei Divinitas *Hypostaticè* unita sit, vel (ut omnes cavillationes evitemus circa terminos) æquè speciali Mysticóq; modo communicata atq; ipsi Christo; jus *Divini cultûs* proportionaliter illi communicatur, quemadmodum jam insinuavi. Quantùm verò ad prius, Illud per quod *Divina Transplendentia* apparet, Adorationis nostræ non magìs Objectum est quàm est pellucidus Aer, per quem visibilis Christi *Humanitas* apparet quando colitur.

Verùm *Panis Eucharisticus*, cùm neq; *Hypostaticè* unitus sit cum Divinitate, nec sit medium per quod ulla hujusmodi supernaturalis *Præsentiæ Divinæ* Transplendentia nobis apparet, Adoratio, si versùs eam dirigatur, non potest quin palpabilis sit Idololatria. Panis enim Eucharisticus hanc Adorationem recipiet tanquam illius Objectum, per Theorema vicesimum & vicesimum tertium. Cæterùm Adoratio ullúsve Divinus cultus Objecti in quo Divina Attributa *personaliter* non residents, (tali utiq; sensu qualis innuitur per illa verba S. Johannis, *Et verbum caro factum est*) sed tantùm *localiter*, ut ità dicam, hoc necessariò, juxta solidam Rationem, Christianæq; Ecclesiæ sententiam, pura puta erit *Idololatria*.

CAP. III.

Quòd Romanistæ *secundùm Injunctionem Concilii* Tridentini, *summi cultûs genere, ipsâ utiq; Latriâ, Hostiam colunt, quódq; crassissima* Idololatria *sit sic facere.*

1. POstquam verò tam clarè distinctéq; quid sit haberíve debeat *Idololatria* apud Christianos, evicimus ac declaravimus, pleniùs tandem Particularia quædam notemus, in quibus juxta has determinationes Ecclesia *Romana Idololatriæ* manifesta deprehendetur, ídq; secundùm ipsas Definitiones sui Concilii *Tridentini*. Veluti primùm, In *Adoratione hostiæ*, de qua ipsa verba *Concilii* sic habent: *Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in Veneratione esse adhibendum.* Et rursus, *Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum non esse cultu Latriæ etiam externo adorandum & solenniter circumgestandum populóq; proponendum publicè ut adoretur, Anathema sit.* Concil. Trident. Sess. 3. cap. 5. Can. 6.

2. Audax hæc crassæ *Idololatriæ* (qualis proculdubio est) Injunctio, ipsorum de Doctrinæ *Transubstantiationis* veritate Confidentiæ innitur. Caput enim de *Adoratione Hostiæ* capiti de *Transubstantiatione* tanquam naturale vel potiùs necessarium illius Consectarium succedit. *Nullus itaq; dubitandi locus relinquitur*, &c. hoc est, Cùm Doctrina *Transubstantiationis* tam bellè stabilita sit, nullus reliquus est scrupulus de Adoratione Hostiæ, sive de *Divino cultu*, Sacramento (seu *Christo* quemadmodum illîc appellatur) quando circumgestatur, populíq; conspectui publicè in Processionibus exponitur, exhibendo.

Sed enim cùm Doctrina *Transubstantiationis* falsa sit, necessariò sequitur, quòd cultus Divinus Hostiæ præstitus æquè crassum sit *Idololatriæ* genus, atq; ab ullis unquam Ethnicis sit commissum. Hoc enim pacto cultus, quem vocant, *Divinus*, cultúsve *Latriæ*, qui soli vero Deo tantùm debetur, meræ exhibetur *Creaturæ*, eíq; pusillæ admodum & contemptibili. Quod proinde necesse est ut crassa sit *Idololatria*, per Theoremata vicesimum primum & vicesimum secundum Capitis secundi.

3. Jam verò, quòd Doctrina *Transubstantiationis* falsa sit, postquam in ipsis verbis

bis Concilii eam propoſuerimus, irrefragabilibus Demonſtrationibus evincemus.

Concil. Trident. Seſſ. 3. cap. 4. *Per Conſecrationem Panis & Vini, Converſionem fieri totius ſubſtantiæ Panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti, & totius ſubſtantiæ Vini in ſubſtantiam Sanguinis ejus; quæ Converſio convenienter & propriè à ſancta Catholica Eccleſia Tranſubſtantiatio eſt appellata.* Et paulò antè cap. 3. *Siquis negaverit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaq; ſpecie vel ſub ſingulis cujuſq; ſpeciei partibus, ſeparatione factâ, totum Chriſtum contineri, Anathema ſit.* In quibus paragraphis apertè affirmatur, quòd non ſolùm panis in totum Chriſti corpus convertitur vinúmq; in illius ſanguinem, ſed quòd utraq; eorum in totum Chriſti corpus convertuntur, & utrorumq; partes ſingulæ (quoties diviſio ſeparatióve facta ſit) in totum illius corpus commutantur. Quod quidem contradictionibus adeò ſcatens eſt Figmentum, ut nihil prorſus ſit quod humanæ Animæ facultatibus æquè repugnet.

Cap. 3. Can. 3.

4. Hinc enim corpus Chriſti infinitis ferè millenis locis futurum eſt ſimul, infinitíſq; millenis milliaribus à ſe invicem diſtantibus. Cùm tamen *Amphitruo* rectè cum ſervo ſuo *Soſia* expoſtulat, acritérq; increpat tanquam aut mentis minùs compotem aut Impoſtorem, quòd ipſi perſuadere vellet ſe domi eſſe (ut certè tunc erat haud ità procul à domo) cùm tamen ad eam diſtantiam à domo ſecum eſſet: *Quo id (malùm) pacto poteſt fieri nunc utì tu hîc ſis & domi?* Et paulò antè in eodem colloquio cum ſervo ſuo, *Nemo unquam homo vidit,* (ait ille) *nec poteſt fieri, tempore uno homo idem duobus locis ut ſimul ſit.* Qua in re *Amphitruo* omninò loquitur ſecundùm communem ſenſum ſententiámve omnium Mortalium, etiam infimorum *Idiotarum.*

5. Nunc verò rem examinemus ſecundùm Principia *Literatorum,* primáq; omnium Artium ac Scientiarum Rudimenta, *Phyſicæ, Metaphyſicæ, Mathematicæ* atq; *Logicæ.* Principium *Phyſicum* eſt: Internum ſpacium quod corpus uno tempore occupat, corpori illud occupanti æquari. Jam ſupponamus unum idémq; corpus duo iſtiuſmodi loca interna ſpaciáve eodem tempore occupare; Corpus hoc igitur hiſce duobus ſpaciis eſt æquale, ut quod utraq; eodem tempore opplet, quæ tamen alterutrius ſpaciorum ſunt duplum. Quamobrem & corpus, illius corporis duplum eſt in ſpacio alterutro ſiti, ac proinde unum idémq; corpus duplum ſui ipſius. Quæ enormis profectò eſt contradictio.

Rurſus in *Metaphyſicis*; Corpus Chriſti *unum* agnoſcitur, ídq; æquè ac ullum aliud corpus in tota rerum Univerſitate. Jam verò Notio *unius* Metaphyſica eſt, ut ſit *indiviſum à ſe (tum quoad partes tum quoad totum) æquè ac diviſum à quolibet alio.* Corpus autem Chriſti cùm ſit tum in Cœlo, tum etiam, ſine ulla ejuſdem corporis continuatione, ſimul hîc in Terra, totum Corpus dividitur à toto corpore, ac proinde omninò eſt & *unum* & *multa* ſimul. Quæ perfecta rurſus eſt contradictio.

6. Tertiò, in *Mathematicis*; Cùm *Concilium* ſtatuerit in ſeparatione partium Speciei, (illius utiq; quod externam *Vini paniſve* ſimilitudinem præ ſe gerit) quòd ex hac diviſione diſpartitio fiat Integri in tot integra Chriſti corpora diviſi; hinc planè ſequitur, Cùm Chriſti corpus eodem tempore ſemper ſibi ipſi ſit æquale, *partem* diviſionis æquari *Toti*, contra communem illam Notionem apud *Euclidem, Quòd totum majus ſit ſuâ parte.*

Et poſtremò, Axioma *Logicum* eſt, *Partes quidem cum Toto conſentire, diſſentire verò inter ſe.* In ſuprà dicta autem Hoſtiæ ſeu Sacramenti diviſione partes adeò inter ſe conſentiunt, ut una omninò eadémq; res ſint. Cúmq; Diviſio quælibet ſive *Logica* ſive *Phyſica*, diviſio ſit *unius* alicujus in *multa*, hæc omninò diviſio eſt *unius* in *unum*, ídq; ſeipſum; haud abſimiliter illi, qui Textum compendii causâ, in unam partem diviſit.

Quibus omnibus addere potes, Quòd niſi duos *Soſias* duóſq; *Amphitruones* admittere velimus eo ipſo ſenſu quo ludi iſti jocíq; fiunt in illa *Plauti* Comœdia, nec Panis nec Vinum in corpus Chriſti integrum poſſunt tranſubſtantiari. Hoc enim planè implicat eandem rem & eſſe & non eſſe eodem tempore. Res enim individua quævis *permanens nec, poſtquam extiterit, unquam deſitura*, quæ fieri poteſt, futurúmve eſt ut fiat ex re aliqua, illa nondum exiſtit. Individuum verò Chriſti corpus *incorruptibile* fieri poteſt, futurúmve eſt ut fiat ex pane conſecrato, quippe qui in corpus ejus individuum convertitur. Corpus autem ejus individuum & incorruptibile indeſinenter erat ante hanc conſecrationem. Quamobrem & erat & non erat eodem tempore. Quod planè contra fundamentale illud Principium eſt in *Logica* & *Metaphyſica, Utramq; partem Contradictionis non poſſe eſſe veram*, vel, *Idem non poſſe & eſſe & non eſſe ſimul.* Tam plenè integréq; omni Senſui ac Rationi, omnibúſq; indubitatis Artium omnium ac Scientiarum Principiis Figmentum hoc *Tranſubſtantiationis*

tionis contradicit ac repugnat. Unde manifestò constat eam esse falsam. Lege decem prima Theoremata brevis Dissertationis *de veris Rationibus Fidei.*

7. Et certè nullo nè minimo quidem è Scriptura suffulcitur adminiculo. Summa est, Quòd Christus panem manu tenens, *Hoc est corpus meum*, dixerit, partémq; postea * suo ori indiderit (æquè ac suis reliquum distribuerit discipulis:) quod agendo integrum suum corpus, juxta doctrinam hujus Concilii, in guttur deglutivit semel; aut saltem sic facere potuit si voluisset. Atq; sic totum Christi corpus, caro, ossa, os, dentes, capilli, caput, calces, crura, brachia, humeri, venter, per os in stomachum transierunt universa, atq; sic erant universa in stomacho, quamvis totum corpus, stomacho excepto, etiamnum extrà esset. Quod an verisimilius sit quàm ut verba illa Christi, *Hoc est corpus meum*, figuratè intelligenda sint, quivis judicet; quippe quum verbum substantivum satìs frequenter hoc sensu in sacris Scripturis usurpetur, utì in [*ego sum vitis*; *septem vaccæ graciles, sunt septem anni famis*] & similibus: quúmq; magìs speciatim Servator ipse aliàs de carne sua comedenda, déq; bibendo sanguine loquens apertè profiteatur, *Verba quæ locutus sit* ipsis, *spiritum esse & vitam esse*, hoc est, *spiritualem* esse ac ænigmaticam veritatem, nec carnaliter aut *literaliter* intelligendam.

* *Vide* Paul. Fagium *in Deuter.* 8 v 10.

Joh. 15. 5. *Gen.* 41. 27. *Joh.* 6. 63.

Quò verò quis Romanæ Ecclesiæ judicio hìc fidem minùs habeat, quæ seipsam adeò sacrosanctam ac infallibilem venditat; superbia quidem & mundana callidìtas, omnifariáq; imponendi ratio ab Ecclesia ista, toties & tam citra omnem pudorem repetita ac usurpata, facere non potest, quin ipsius Autoritatem ad nihilum redigat in re quæ tantoperè ad *mundanum* suum commodum spectat, præsertim cùm eam oppositam oporteat indubitatis communis Sensûs Rationísq; principiis, Artiúmq; omnium ac Scientiarum quibus Deus humanam mentem illuminaverit. Duodecimum Theorema supradicti Tractatûs perpende, unà cum decem reliquis indè citatis. Quamobrem quivis qui non sit ex merorum quos vocant *Bigottorum* numero, æquè certus esse potest *Transubstantiationem* merum Figmentum esse enormémq; falsitatem, ac de ulla re alia cujusmodicunque.

8. Unde nexu quidem inevitabili consequetur, nec ipsi profectò negare queunt, eos maximè crassos esse ac palpabiles *Idololatras*, & *Homicidas* insuper ex consequenti maximè omnium barbaros, dum insontes Dei servos quòd eisdem se nolint cum ipsis submittere *Idololatriis*, occidunt. *Costerus* Jesuita expresè articulatéq; hac in causa loquitur, (& congruenter, ut opinor, *Concilii* suppositionibus) Si Ecclesia scilicet ipsorum erret in Doctrina Transubstantiationis, eos ipso facto istiusmodi *Idololatriæ* reos esse, cujusmodi per totum terrarum orbem nunquam visa est aut audita. *Tolerabilior est enim error eorum*, inquit ille, *qui pro Deo volunt Statuam auream aut argenteam aut alterius materiæ Imaginem, quomodo Gentiles Deos suos venerabantur*; *vel pannum rubrum in hastam elevatum quod narratur de Lappis*; *vel viva Animalia ut quondam* Ægyptii: *quàm eorum qui frustum panis, quod hactenus per universum orbem tot annis fecêre Christiani, nisi vera sit Doctrina Transubstantiationis.*

Francisc. Coster. Enchirid. Controvers. cap. 12.

Quæ plenior esse potest expressiórve crassæ *Idololatriæ* Ecclesiæ *Romanæ* Agnitio, si erroris nempe immunis non reperiatur Transubstantiatio? Quo tamen nihil in tota rerum natura occurrit quod humanis facultatibus certius sit & exploratius, quemadmodum manifestum est ex eis quæ hìc attulimus. Ac proinde necessariò sequitur *Romanistas* crassos esse Idololatras ex secundo, tertio, quarto, septimo, nonóq; Theoremate Capitis primi, & è quarto, quinto, octavo, nono, vicesimo primo, vicesimo secundo, & vicesimo quinto Capitis secundi. Universa hæc Theoremata, sua contra ipsos, quòd admodum notorii sint *Idololatræ*, conferent Testimonia.

9. Ac proinde cùm hoc tam insigne sit ac palpabile Idololatriæ genus in *Eucharistia* ab ipsis commissum, seu in comestione corporis, ac potatione sanguinis Christi; ubi Christus per Sacerdotem offertur tanquam *Oblatio*, Populúsq; eo vescitur tanquam in *Epulo* post *sacrificium*, quod sine Divina Adoratione Hostiæ præstita, ex præcepto hujus Ecclesiæ non peragitur: hoc profectò interpretationem nostram de esu *Idolothytorum* in Epistolis ad Ecclesias in *Pergamo* & *Thyatiris* mirificè confirmat, cùm hæc Hostiæ Adoratio tam apertè à Papa ejúsq; Clero rationem agnoscatur habere cultûs Latriæ, quæ soli debetur Deo. Ac proinde mirabili cum delectu ac judicio à spiritu Prophetiæ præ omni alio Idololatriæ modo perstringitur, ut quæ tam crassum est confessúmq; illius specimen, taléq; cui nulla parata sit excusatio aut evasio.

Hoc teneas vultus mutantem Protea *nodo.*

CAP. IV.

Craſſa Romaniſtarum *Idololatria in Sanctorum Invocatione, etiam ſecundùm approbationem Concilii* Tridentini *facta, ratámq; conſuetudinem Eccleſiæ.*

1. CÆterùm aggrediemur etiam eos Idololatriæ modos in quibus Eccleſia *Romana* videri poteſt minùs audax: quanquam profectò, una hæc, quæ ità craſſa eſt, tam crebrò, támq; univerſim in *Romana* Eccleſia repetitur, ut per hanc ſolam, tametſi reliquas omnes miſſas faceremus, Idololatria eam videri poſſet totam ut fœdiſſima lepra cooperuiſſe. Veruntamen utcunq; pergemus, primúmq; ad *Invocationem Sanctorum.* De qua Concilium *Tridentinum* hanc Doctrinam expreſſim declarat: *Sanctos utiq; unà cum Chriſto regnantes, Orationes ſuas pro hominibus offerre, bonúmq; atq; utile eſſe ſuppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda à Deo per filium ejus Jeſum Chriſtum, ad eorum Orationes, opem, auxiliúmq; confugere.* Ubi Sanctorum Invocatio manifeſtò approbatur & commendatur. Et præterquam quòd orent pro nobis noſtráſq; Orationes Deo offerant, apertè præterea innuitur alia eſſe auxilia ſuppetiáſque, quas ſi ſupplicentur, hoc eſt, humillimâ proſtratiſſimáq; devotione invocentur, afferre poſſint. Prætextus verò quòd totum hoc nihil aliud ſit niſi bonorum illorum, quibus indigeamus, à Deo per filium Chriſtum impetrandorum ratio, hoc ſanè facit ut *Sancti* ad Paganicorum *Deorum Medioxumorum* ſimilitudinem propiùs accedant, *Dæmonúmq;* qui hominum negotia cum ſummo Numine tranſigebant.

Concil. Trident. Seſſ. 9.

2. Dico igitur, Etiamſi ulteriùs non proceſſiſſent, etiam hoc, quod Concilium *Tridentinum* tam apertè profitetur (& conſequenter univerſa Romana Eccleſia) pura puta eſt *Idololatria*; quemadmodum ex tertio, quarto, quinto, ſexto & octavo Theoremate primi capitis, & ex quinto, ſeptimo, octavo, decimo, undecimo, duodecimo, decimo tertio, decimo quarto, decimo quinto, & viceſimo quarto ſecundi apparet. Sed enim ſi orationes illas examinemus quæ Sanctis offeruntur, ipſorum Invocatio adhuc magis inexcuſabilis deprehendetur.

3. Quamobrem, ſi publicam Eccleſiæ *Romanæ* conſuetudinem conſideremus ab ipſis Pontificibus autorizatam, Invocatio certè *Sanctorum* non in nudo [ora pro nobis] conſiſtit, contrà ac quem populus proclivis eſt ad imaginandum ſtatum eſſe Quæſtionis (quanquam & mera ipſorum Invocatio ut pro nobis orent, futura eſſet Idololatria, quemadmodum jam demonſtratum eſt;) ſed, quod & ipſum Concilium inſinuat, ſunt etiam aliæ particulares ſuppetiæ atq; auxilia quæ ab ipſis petantur, quædámq; ex eis, ſi Invocationum formulas ſpectemus, ejuſmodi, quæ nulli niſi Deo Chriſtóq; proprium ſit petentibus dare. Cujuſmodi ſunt Protectio à Diabolicis Incurſionibus, Divinæ Gratiæ, gaudiáq; Paradiſi. Verùm ut res quas à Sanctis petunt, grandiores ſunt quàm ut illi ipſarum ſint Largitores, ità *compellationes*, Virginis præſertim Mariæ, ſupra naturam conditionémve ſunt ullius creaturæ; unde neceſſe eſt ut hæc Sanctorum Invocatio craſſiſſimus maximéq; palpabilis *Idololatriæ* modus in hac Eccleſia appareat; Quemadmodum ex ſubſequentibus exemplis manifeſtum dabo. Quæ iſtiuſmodi quidem Devotionis ſpecimina ſunt quæ in Conclavium Angulis muſſitari non ſoleant, ſed in ipſis Eccleſiis, ídq; vocibus *Stentoreis*, legi vel cantari. Hoc autem genus Idololatriæ exempla prælibare tantùm viſum eſt, non autem eis immorari. Immenſum enim eſſet omnia quæ poſſemus in medium proferre.

4. Primúmque, ut à *Sanctis* minoribus incipiamus, (quales certè omnes cenſendi ſunt, ſi cum beata Virgine conferantur, cui proinde cultum tribuunt quem *Hyperduliam* appellitant, ut *Duliam* reliquis Sanctis, & *Latriam* Deo ſoli Chriſtóq; tanquam Deo) Oratio illa ad S. *Coſmam* & S. *Damianum* planè Petitio eſt, ut nos à morbis omnibus tam animæ quàm corporis conſervent, ut vitam ſpiritûs aſſequamur, & in gratia hîc vivamus, cœlíq; poſthac conſortes ſimus.

O medici piiſſimi
Qui meritis clariſſimi
In cœlis refulgetis,
A peſte, clade corporum
Præſervetis & operum,
Moribus nè langueamus: Nec

Nec moriamur ſpiritu,
Sed animæ ab obitu
Velociter ſurgamus;
Et vivamus in Gratia,
Sacra cœli Palatia
Donec regrediamur.

5. Huic conſimile eſt illud ad *Franciſcum* Devotionis ſpecimen: S. *Franciſce, proſperè veni; Pater accelera ad populum, qui premitur & teritur ſub onere, palea, luto, latere, & ſepultos Ægyptio ſub ſabulo nos libera, carnis extincto vitio.* Quæ ad hunc *Sanctum* planè Petitio eſt, ut nos liberet à Captivitate & ſervitute peccati, quod penès magnum illum noſtrum Servatorem Redemptorémq; Jeſum Chriſtum ſolum eſt efficere.

Illa etiam S. *Andrææ* Invocatio fit ad impetrandum ſpiritualem illam gratiam ritè tolerandi Crucem hîc, ut cœlo poſthac fruamur.

Jam nos foveto languidos
Curámq; noſtri ſuſcipe,
Quò per crucis victoriam
Cœli petamus Gratiam.

Illa verò ad S. *Nicolam* fit contra aggreſſuras & incurſationes Diaboli.

Ergo piè nos exaudi
Aſſiſtentes tuæ laudi,
Nè ſubdamur Hoſtis fraudi
Nobis fer auxilia.
Nos ab omni malo ducas,
Vitâ rectâ nos conducas,
Poſt hanc vitam nos inducas
Ad æterna gaudia.

Et conſimilis quidem Devotio S. *Martino*, S. *Andrææ*, S. *Jacobo*, S. *Bartholomæo* aliiſque, quamvis non eiſdem verbis, præſtatur.

6. Poſtquam exemplum unum & alterum Orationum ad *Sanctas Divaſve* factarum dedero, paulo uberiùs eis inſiſtam quæ beatæ Virgini offeruntur. A S. *Agnete* gratiam petunt maximam quam ipſe Deus humanis Animabus poteſt impertire, hoc eſt, *Deo ſervire in perfecta Charitate.* Hoc tamen tam ingens donum una hæc miſella Diva precibus ſolicitatur ut in homines univerſos conferat.

Ave, Agnes *glorioſa,*
Me in fide ſerves recta,
Dulcis virgo & dilecta
Te exoro precibus:
Charitate da perfectâ
Deum, per quem es electa,
Colere piè omnibus.

Devotio illa ad S. *Bregittam* effuſa, fit, ut dignaretur peritum agere Nauclerum, nóſq; tam tutò per omnes Tempeſtates caſúſq; hujus mundi ducere, ut tandem pulchro ſuo gubernatu vitam aſſequamur æternam. Rythmus ſic habet.

O Bregitta, *mater bona,*
Dulcis ductrix & matrona,
Nobis fer ſuffragia;
Naufragantes in hoc mari
Tuo ductu ſalutari
Duc ad vitæ bravia.

7. Illud verò ad S. *Catharinam* Devotionis ſpecimen eſt, venæ paulò altioris, vel copioſioris potiùs magiſq; expreſſæ. Tantum autem ab ea Bonum petitur, quantum penès nullum eſt præter Deum ſolum, dare.

Ave,

Ave, virgo Dei digna
Chriſto, prece, me conſigna,
Audi preces, præſta votum;
Cor in bono fac immotum.
Confer mihi cor contritum;
Rege Viſum & Auditum;
Rege Guſtum & Olfactum,
Virgo ſancta rege Tactum;
Ut in cunctis te regente
Vivam Deo purâ mente.
Chriſtum pro me interpella,
Salva mortis de procella.
Superare fac me mundum
Nè demergar in profundum.
Nè me ſinas naufragari
Per peccata in hoc mari.
Viſita tu me infirmum,
Et in bonis fac me firmum.
Agoniſta Dei fortis
Præſtò ſis in hora mortis.
Decumbentem fove lævâ,
Et de morte ſolve ſæva,
Ut reſurgam novus homo
Civis in cœleſti domo.

8. Jam verò in Rythmo hoc Devotionali ad S. *Catharinam* obſervatu dignum eſt, quòd cùm Concilium Tridentinum homines ad Sanctorum orationes, opem auxiliúmq; confugere doceat, ex his tam multis versibus, non niſi duo tréſve ſint, quibus *Sancta* oratur ut pro nobis intercedat, ſed ut auxilium nobis ferat ſuccurrátq; tali ratione, quam Hiſtoria *Sanctæ* ad ejúſq; nomen Alluſio imaginationem Devoti induxerit ad credendum maximè naturaliter ipſi convenire. Ac ſi Largitrix eſſet Fortitudinis ac Patientiæ, & Puritatis Animi, ejúſq; eſſet officium in ipſa mortis Agonia nos per præſentiam ſuam confirmare ac ſuffulcire. Quæ petitio ad alios etiam Sanctos frequens eſt. Tam manifeſtum eſt invocationem *Sanctorum*, non ſimplicem eſſe petitionem ut orent pro nobis.

Heîc verò Devotus totum Animæ juxtà atq; corporis Regimen, huic *Sanctæ* committit, ut illa omnes ejus facultates ſenſúſq; regat, tantáſq; ac tam ſublimes virtutes gratiáſq; ab ipſa petit, quantas nullus præter Deum nobis poteſt impertiri, quemadmodum ſuprà monui. Unde invocatio ob eam ipſam etiam rationem non poteſt quin appareat vel craſſiſſimo modo Idololatrica, quemadmodum & *Grotius*, qui tamen haud ità infenſo animo eſt erga Errores *Pontificios*, expreſſim agnoſcit declarátque.

CAP. V.

Invocationum formulæ ad Beatam Virginem à Romana *Eccleſia uſurpatæ, inſigniter* Idololatricæ.

1. ET certè ſi rectiùs ſibi temperare nequeunt in Devotionibus versùs *Sanctos* minores quibus *Scholaſtici* eum duntaxat cultum aſſignant quem *Duliam* vocant, quàm effrænes enorméſq; ſe præbituri ſunt in ſupplicibus ſuis acceſſibus ad *Mariam* Virginem Dei matrem, cui cultum aſſignant quem *Hyperduliam* appellitant? Atq; hoc id ipſum eſt quod jam notaturi ſumus, quamvìs neutiquam pro Argumenti copia; utpote quod volumen integrum impleturum eſſet. Aliquot tamen Exempla in medium proferam, eáq; publica ſatìs & authentica, quemadmodum initio monui. In *Roſario*, Beata Virgo ſalutatur ad hunc modum.

Reparatrix

Reparatrix & ſalvatrix deſperantis Animæ,
Irroratrix & Largitrix ſpiritualis Gratiæ,
Quod requiro, quod ſuſpiro, mea ſana vulnera,
Et da menti te poſcenti Gratiarum munera;
Ut ſim caſtus, & modeſtus, dulcis, fortis, ſobrius,
Pius, rectus, circumſpectus, ſimultatis neſcius,
Eruditus & munitus Divinis Eloquiis,
Conſtans, gravis, & ſuavis, benignus, amabilis,
Corde prudens, ore ſtudens veritatem dicere,
Malum nolens, Deum volens pio ſemper opere.

Præclara profectò Precatio ſi ad debitum facta fuiſſet Objectum. Talia verò hîc petuntur quæ penès nullum ſit, præter ipſum *Jeſum Chriſtum* qui Deus eſt, petentibus largiri.

2. Neq; enim quicquam minus heîc *Maria* Virgo ſupponitur, quàm Servator, Gratiarúmq; ſpiritualium Largitor: Ut & æternæ vitæ donator, in his quæ ſequuntur in Oratione Proſaica: *Peccatorum conſolatrix, infirmorum curatrix, errantium revocatrix, juſtorum confirmatrix, deſolatorum ſpes & auxiliatrix, atq; mea promptiſſima adjutrix, tibi, Domina glorioſa, commendo hodie & quotidie Animam meam, ut me in cuſtodiam tuam commendatum ab omnibus malis, & fraudibus Diaboli cuſtodias, atq; in hora mortis conſtanter mihi aſſiſtas, & animam ad æterna gaudia perducas.* Commendatur heîc Anima Devoti in tutelam Virginis, ut ab omni malo, doliſq; ac technis omnibus Diaboli cuſtodiatur, rogatúrq; Virgo ut præſtò ſit in hora mortis illiúſq; ope Anima Devoti æternis cœli Gaudiis perfruatur.

3. Cui haud abſimile eſt quod ad calcem *Roſarii* occurrit; *Cor meum illumina, fulgens ſtella maris, Et ab Hoſtis machina ſemper tuearis. O glorioſa Virgo* Maria, *mater Regis æterni, Libera nos ab omni malo, & à Pœnis Inferni.* Quæ petitio eſt pro illuminatione Cordis, & pro ſecuritate à Diabolo æternáq; morte: Quæ ſanè ſolius filii Dei privilegium eſt, æternæ Patris ſapientiæ, dare, qui etiam dicitur habere *claves Inferorum & Mortis.* *Apoc. 1. 18.*

4. Id verò quod obſervatu valdè dignum eſt, & ad quod potiſſimùm collineo, hoc eſt, *Romanam* ſcilicet Eccleſiam poſterioribus temporibus, antequam Reformatio eluxiſſet, Virginis Patrocinium ſtudio adeò inſano affectâſſe, ut filii Dei ferè obliti eſſent, in eámq; omnes Devotiones inſumpſiſſent, quam Chriſto ſaltem æquant, atq; ſic eam reverà, prout quidam illam amant appellare, *Dei filiam* faciunt, ſenſu æquè pleno ac ſublimi, atq; Chriſtus illius dicitur *filius*, quemadmodum mox plenius ex eis quæ afferentur, eſt appariturum. Ut ex illa Oratione ad Beatam Virginem quæ ſequitur apud *Chemnitium*; *Te, mater illuminationis cordis mei, te, nutrix ſalutis meæ mentis, te obſecrant quantum poſſunt cuncta præcordia mea. Exaudi Domina, adeſto Propitia, adjuva Potentiſſima, ut mundentur ſordes mentis meæ, ut illuminentur tenebræ meæ. O glorioſa Domina, Porta vitæ, Janua ſalutis, Via Reconciliationis, Aditus Recuperationis, obſecro te per ſalvatricem tuam fœcunditatem fac ut peccatorum meorum venia & vivendi gratia concedatur, & uſq; in finem hic ſervus tuus ſub tua Protectione cuſtodiatur.* Quæ petitio & compellationes, exceptis quæ ad ſexum pertineant, maximè propriè & naturaliter erga Chriſtum uſurpentur. Virgo verò heîc Salvatrix noſtra ac Mediatrix fit ſine ullo, niſi Sexûs, diſcrimine.

5. Quemadmodum rurſus expreſsè fit in illa Oratione ad ipſam in Feſto Viſitationis.

Veni præcelſa Domina Maria; *tu nos viſita: Ægras mentes illumina per ſacræ vitæ munera.*

Veni Salvatrix ſeculi; ſordes aufer piaculi: In viſitando populum pœnæ tollas periculum.

Veni Regina Gentium; Dele flammas reatuum; Dele quodcunq; devium; Da vitam innocentium.

In qua Invocatione Virgo *Maria* Servator mundi apertè appellatur, oratúrq; ut ſpiritualem illuminationem Animæ infundere dignetur, eámq; à ſordibus tam Peccati quàm Reatûs purgare. Per quod manifeſtò *Dei filio* æquatur alteráq; quaſi *Chriſta* conſtituitur, *Deive filia.*

Ad eundem etiam ſenſum ſunt Orationes illæ ad eam factæ, in Feſtis *Conceptionis* & *Annunciationis*; ſed infinitum eſſet omnia in medium proferre. Lege Orationem illam apud *Chemnitium*, ipſi à Concilio *Conſtantienſi* cantatum: Quæ antiquæ Orationis Eccleſiæ ad *Spiritum ſanctum* perfecta eſt Imitatio.

CAP.

CAP. VI.

Plures formulæ Invocationum Beatæ Virginis ex Pſalterio, *quod dicitur*, Mariæ, *admodum* Idololatricæ *ac* Blaſphemæ.

1. IOca nunc tantùm paucula notabimus in *Pſalterio* Virginis Mariæ, ex quibus, quantum eis temporibus Eccleſia Romana ſe in tutelam ac Patrocinium Virginis intruſiſſet eámq; feciſſet *Dei filiam*, cùm circa jura & prærogativas *Filii*, ejúſq; cultum potiùs ſe fidelem præbere debuiſſet, oppidò quàm evidens erit ac manifeſtum. Exordium capiam à Pſalmo triceſimo: *In te, Domina, ſperavi, non confundar in æternum. In gratiam tuam ſuſcipe me; inclina ad me aurem tuam. Tu es fortitudo mea & refugium meum, Conſolatio mea & Protectio mea: ad te clamavi cùm tribularetur cor meum, & exaudiſti de vertice collium æternorum. In manus tuas, Domina, commendo ſpiritum meum, meam totam vitam, diem ultimum.* Hic eſt ille integer Pſalmus ad virginem: tali prorſus formâ, taliq; animi recumbentiâ, quali *David* Deum ipſum precatus eſt.

2. Cæterùm partibus tantùm quibuſdam ſelectioribus tranſcribendis contenti erimus. Ut ex Pſalm. 71. *Reſperge, Domina, cor meum dulcedine tuâ: Fac me obliviſci miſerias hujus vitæ: Concupiſcentias æternas excita in Anima mea, & de gaudio Paradiſi inebria mentem meam.* Et rurſus Pſalm. 104. *Salus ſempiterna in manu tua eſt, Domina; qui te dignè honoraverint, ſuſcipient illam. Clementia tua non deficiet à ſeculis æternis, & miſericordia tua à generatione in generationem.* Et Pſalm. 117. *Diſpoſitione tuâ mundus perſeverat, quem tu, Domina, cum Deo fundâſti ab initio. Tuus totus ego ſum, Domina, ſalvum me fac, quoniam deſiderabiles ſunt laudes tuæ in tempore peregrinationis meæ.* Nemo Deo ipſi æterno majora attribuere, majoráve ab ipſo expectare poteſt.

Unde æternam Deitatem æquè Hypoſtaticè cum Virgine unitam faciunt atq; cum ipſo Chriſto, ſéq; erga eam gerunt tanquam ſi illa æquè propriè *Dei filia* eſſet, ac is *Dei filius*. Alioqui quomodo dici poſſit æternam ſalutem in ſua Poteſtate habere, Mundíq; fundamenta ab initio unà cum æterna Deitate jeciſſe?

3. Sunt & alia præterea loca in hoc Pſalterio quibus Virginem *Mariam Chriſtam* alteram Deíve *Filiam* faciunt eo ſenſu quo Chriſtus eſt *Filius*; applicando ſcilicet Virgini ipſas Phraſes locutionéſve quæ in Scriptura de Chriſto adhibentur. Ut Pſalm. 2. *Venite ad eam omnes qui laboratis & tribulati eſtis, & refrigerium & ſolatium dabit animabus veſtris.* Et Pſalm. 81. *Terge Fœditatem meam, Domina, quæ ſemper rutilas puritate. Fons vitæ, influe in os meum, ex quo viventes aquæ profluunt, & emanant. Omnes ſitientes venite ad eam, & de fonte ſuo gratanter vos potabit.* Hoc donum eſt Spiritûs quod penès Chriſtum ſolum eſt in eum credentibus dare. Atq; is eſt qui levamen & requies eſt omnium qui onerati ſint & fatigati.

Joh. 3. 37, 38. *Matth.* 11. 28.

Et rurſus Pſalm. 46. *Omnes gentes, plaudite manibus, pſallite in jubilo Virginì glorioſæ. Quoniam ipſa eſt porta vitæ, janua ſalutis, & via noſtræ reconciliationis, ſpes pœnitentium, ſolamen lugentium, pax beata cordium atq; ſalus.* Hoc Virgini attribuitur, cùm tamen ſolus Chriſtus ſit, quæ via ſit Salutis ac Reconciliationis noſtræ cum Deo.

4. Fæculentum ſanè ac faſtidioſum argumentum eſt in quo verſamur, ac proinde ut finiamus tandem, illam conſideremus Blaſphemiam quæ occurrit Pſalm. 41. *Quemadmodum deſiderat Cervus ad fontes aquarum, ità ad amorem tuum anhelat anima mea, Virgo ſancta. Quia tu es genitrix vitæ meæ, & altrix reparationis carnis meæ: quia tu lactatrix ſalvationis animæ meæ, Initium & Finis totius ſalutis meæ.* Hîc illud Virgini attribuitur, quod de Chriſto dicitur, nempe quòd ſit fidei ſalutíſq; noſtræ *Author & Conſummator*. Immò Creatio Generatióve Vitæ Carníſq; perinde ac Salutis noſtræ, Virgini heîc aſcribitur. Quæ quidem nullum ſenſum nec veritatem habere poſſunt niſi illa θεότοκος ſit eâdem planè ratione ac Chriſtus θεάνθρωπος, vel θεάνθρωπος, & quod dixi, æquè propriè Dei *Filia* ſit atq; ille *Filius*.

5. Quemadmodum expreſsè *Filia Dei* in ſua *Litania* appellatur. Quæ certè ſi conſideremus quàm alti Tituli tum in hac *Litania* tum aliàs ipſi tribuantur, ut *Illuminatrix cordium, Fons miſericordiæ, Flumen ſapientiæ, Mater Dei, Regina cœli, Domina mundi, Domina cœli & terræ*, admodum tenuis & obſcura Appellatio eſſet (quippe

(quippe quæ ad omnes fœminas ſpectat in Chriſtum credentes) niſi iſtiuſmodi aliquis ſenſus elatus ac ſublimis ſubeſſet, cujuſmodi ſubeſſe inſinuavi.

Atq; ea propter, quum acceſſus ad ipſam ſupplices ejuſmodi ſint, ac ſi, quod dixi, *Chriſta* eſſet altera, *Deiq; filia* ſenſu æquè ſaltem ſublimi ac Chriſtus Dei filius eſt, cúmq; *Filia Dei* in Litania *Mariæ*, publicáq; ad eam factâ ſupplicatione vocitetur, manifeſtum eſt illo Eccleſiæ Intervallo, in quo maximè conſpicuè notoriéq; hoc contigerit, quòd Eccleſia *Romana* (quemadmodum & propter immenſam Devotionum versùs Virginem copiam) rectè dici poſſit *Filiæ* Dei potiùs quàm *Filii* cultrix. Quódq; proinde, cùm *ſpiritus Prophetiæ* hæc tempora prævidiſſet, ſicut per tale ſpacium *Romam Pergamum* appellavit, ità Intervallo proximo quando hæc rerum ſcena ſucceſſura erat, titulum *Pergami* meritò in *Thyatiræ* mutaret, non ſine deriſoria Alluſione ad occaſionem nominis illius Civitatis, nuncium ſcilicet *Nicanori* allatum de *filia* ſibi recèns genita: Ac ſi Deus omnipotens, ex eo quòd *Romaniſtæ Mariam* Virginem in Dei *filiam* mutâſſent, conſimilem haberet occaſionem mutandi nomen *Pergami* in *Thyatiram*, quæ *filiam* ſignificat.

6. Cui Inſolentiæ ut obicem poneret Chriſtus, videtur ſanè datâ operâ in Epiſtola ad Eccleſiam *Thyatirenſem Dei filii* Titulum ſibi reſumere, tametſi Filius hominis in præcedente capite appelletur, ex quo tamen perpetuò deſcriptionem ſuiipſius accerſit in cujuſq; ad Eccleſias Epiſtolæ exordio. Id quod, meo quidem judicio, obſervatu digniſſimum eſt; ut & hanc Virginis *Mariæ* in *Filiam Dei* mutationem ſolam, occaſionem ſufficientem eſſe mutandi *Romanæ* Eccleſiæ nomen à *Pergamo* in *Thyatiram*. Quod tamen nihil obſtat quin res aliæ ſatìs appoſitè eâdem voce comprehendi poſſint per Propheticam *Henopœiam*.

Apoc. 2. v. 18. *Apoc. 1. c. 13.*

7. Hoc autem ex abundanti adjectum eſt præſenti noſtro Inſtituto additamentum; Detectioni ſcilicet craſſæ Idololatriæ Eccleſiæ *Romanæ* in Invocatione Sanctorum & præſertim *Mariæ* Virginis, quomodóq; Concilii *Tridentini* definitio hac in re Idololatrica ſit, multóq; magìs Eccleſiæ praxis autoritate publicâ comprobata.

8. Etenim hoc ipſum *Mariæ* Pſalterium quod maximè enormes ac Blaſphemas Invocationum Idololatricarum formulas continet, non eſt privatum unius alicujus obſcuri & ſuperſtitioſi Monachi Inventum, ſed Seraphici illius Doctoris S. *Bonaventuræ*, olim *Cardinalis Romani*, titulum præ ſe fert. Quod non tenue profectò eſt illius libri in publicum cohoneſtamentum. Cæterùm ut nihil prorſus deeſſet adeò Devotionalis generis Idololatriæ honori ac profectui, inſtituta eſt peculiaris Societas, *Fraternitas Pſalterii Mariani* appellata, confirmatáq; poſtea à *Sixto quarto*, multis additis Indulgentiis Anno 1470. Innocentiúſq; octavus plenariam Remiſſionem à pœna & culpa ſemel in Vita & ſemel in Articulo mortis omnibus ingredientibus iſtam Fraternitatem hiſce Indulgentiis addidit.

9. Atq; ſic quidem Eccleſiæ Romanæ ſtatus eſt etiam hodiernus, hoc eſt, etiamnum *Thyatira* eſt; ob cultum *Mariæ* Virginis Idololatricum oppidò quàm notoria. Intervallum verò Eccleſiæ veræ in *Thyatira* deſiit poſtquam facta ſit Reformatio, Papæq; jugum excuſſerimus, nec *Jezebelem* diutiùs paſſi ſimus ſervos Dei deludere, modíſq; cultûs Idololatricis corrumpere. Sed hoc obiter dictum eſto.

Abundè interea patet, Invocationem Sanctorum in Eccleſia *Romana* non eſſe petitionem ad eos ſimplicem ut orent pro nobis, ſed & auxiliorum ſuppetiarúmque, idq; utplurimum ejuſmodi, quas in nullius poteſtate ſit præterquam Dei, Chriſtíq; quatenus Deus eſt, dare, quæ proinde eò craſſior eſt Idololatria.

CAP. VII.

Quòd doctrina Concilii Tridentini *de cultu* Imaginum *Idololatrica eſt, Doctrinæq; ratio infirma ac invalida.*

1. ATq; hæc de ipſorum *Idololatria* in *Invocatione Sanctorum*. Videamus jam quis Concilii *Tridentini* ſenſus ſit de *cultu Imaginum*. *Imagines porrò Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in Templis præſertim, habendas & retinendas eſſe, eiſq; debitum honorem & reverentiam impertiendam. Quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illæ repræſentant; ità ut per Imagines quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus,*

Concil. Trid. Seſſ. 9.

adoremus, & Sanctos quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præſertim verò ſecundæ Nicænæ *Synodi, Decretis contra Imaginum oppugnatores eſt ſancitum.*

Quæ ſit *Tridentinorum* Patrum ſententia palàm eſt: Imagines nempe *Chriſti, Beatæ Virginis*, aliorúmq; *Sanctorum* colendas eſſe; Rationéſq; quas afferunt ad ſtabiliendum hoc Dogma duas eſſe: Prima eſt, Quòd honor qui præſtatur *Imaginibus* refertur ad *Prototypa* quæ repræſentant; Altera, Quòd Injunctio hæc omninò eadem ſit, quam Concilium *Nicænum* olim decreverat.

2. Ad quæ reſpondeo; Quòd tantillum hoc quod Concilium *Tridentinum* de Imaginibus declaravit, aperta manifeſtáq; Idololatria eſt, per primi Capitis Theorema ſeptimum, expreſsímq; contra præceptum Dei, qui interdixit nè ullam faceremus Imaginem ad incurvandum nos versùs eam, eámve colendum. Concilium verò *Tridentinum* è contrà, Immò verò, ait, licet vobis Imagines Sanctorum ſculptiles facere, & in Templis erigere, debitúmq; eis præſtare honorem cultúmve, quinimò debetis ſic facere; ipſáſq; formulas innuit incurvandi ſe, & in genua procidendi, procumbendíve ante eas. Hæc Concilii Definitio tam palpabiliter adverſatur Mandato Dei, ut omittere ſanè coacti ſint ſecundum præceptum in Decalogo, nè populus reſciſcat quàm craſsè adversùs Dei mandata peccet in aſſuetis ſuis ritibus & conſuetudinibus Idololatricis quibus obligatur. Vide primum, ſecundum, nonum, decimúmq; Theorema primi Capitis; ut & tertium, quartum, quintum, decimum octavum, decimum nonum & viceſimum ſecundi.

3. Nec poſſunt ſuæ omninò præſtigiæ & tergiverſationes, ſubtiléſq; eluſiones quicquam ipſis hîc prodeſſe. Etenim Decalogus proculdubio ad facilem populi captum ſcriptus eſt, quorum proinde Corda ac Conſcientiæ optimi illius ſint Interpretes; non autem Evaſiones ſtolidæ perverſáve perfidorum Sophiſtarum ſubterfugia, qui quò infirmas Animas Idololatriæ ac Damnationi æternæ prodant, Crumenáſq; interim ipſis diductiùs aperiant, perſuadere eis volunt Imagines in Templis à Concilio *Tridentino* injunctas, ut & honorem cultúmve ipſarum noſtríq; coram ipſis Incurvationem, cum Divina Interdictione (nè ullas faciamus Imagines ſculptiles, néve nos ipſis incurvemus colamúſve) poſſe conſiſtere. Adeò ut, quod dixi, ipſum Concilium apertam Chriſtiano orbi exercendam imperet Idololatriam. Cúmq; tam prodigioſum ac enorme facinus ſit, rationes tandem quibus eò impulſi ſint, conſideremus.

4. Prima eſt, Quia honor *Imagini* præſtitus refertur ad *Prototypum*. Verùm reſpondeo; Hanc relationem fieri aut virtute ſimilitudinis quam illarum perſonarum gerant quas repræſentant, quod verba *Concilii* videntur innuere ſaltem circa Sanctos, [*quorum illæ ſimilitudinem gerunt*;] quemadmodum cùm Picturam hujus vel illius perſonæ laudamus, dicendo eam admodum venuſtam ac elegantem eſſe picturam, Laus hæc naturaliter ad eam perſonam refertur cujus ſit Pictura, virtute ſimilitudinis quæ picturam inter & hominem depictum intercedit.

Aut ſaltem fieri, nullâ quidem ratione habitâ perſonalis ſimilitudinis, ſed per directionem intentionis *Devotioniſtæ*, ſi fas ſit ità loqui, quòd is intendat ad aſpectum, & incurvationem ſui versùs Imaginem Chriſti, beatæ Virginis Sanctíve cujuſvis, occaſionem ſimul ſumere colendi ſic Chriſtum, beatam Virginem Sanctúmve quemlibet, cùm Imago tantùm *Præſentia* ſit ipſorum *ſymbolica* latè ſumpta, nec quicquam penſi habeatur an *Symbolum Imagóve* ullam perſonalem gerat ſimilitudinem illius Perſonæ quam repræſentat.

5. Verùm quantùm ad prius, manifeſtum eſt, oppidò quàm incertum eſſe ullam Chriſti Imaginem, beatæ Virginis, Sanctíve cujuſvis carnali Figuræ harum perſonarum, dum in terris erant, eſſe conſimilem. Quinimò contrarium potiùs certum eſt, cùm nullæ harum ſanctarum Animarum iſtiuſmodi mundanis vanitatibus deditæ eſſent, ut picturas ſuas dum in vivis erant, delineandas curarent. Vide *Myſterium Iniquitatis* Part. 1. lib. 1. cap. 14.

Cùm verò admodum improbabile ſit quin Imago alicui ſaltem homini ſimilis ſit, qui aut nunc vivit, aut aliquando poſt orbem conditum vixit in terris; juxta hanc primam quidem ſuppoſitionem, honor hic cultúſve Religioſus *Chriſto, beatæ Virgini, Sanctóve* cuilibet alii deſtinatus, non ſolùm illos non attinget, ſed aliis aliquibus certò obtinget, qui, tantùm abſit ut ſancti ſint, ut ſint fortean, aut fuerint turpiſſimi profligatiſſimíq; homines qui unquam vixerint in terris.

6. Sed præterea, Nulli, ut Sancti, antè coluntur quàm ſint in cœlis, nec antè quidem propriè *Sancti* ſunt: *Gloriæq;* ſive *ſplendores* circa picturarum Capita planè oſtendunt, omninò intendi ut *Sancti* in præſenti conditione cœleſtis gloriæ repræſententur. Unde manifeſtum eſt Imagines neutiquam ſimiles eſſe eis, quibus fiunt, repræſen-

repræsentandis. Quomodo enim possunt hæ *Imagines* æneæ, lapideæ aut ligneæ, ex ullâve alia materia factæ, Animæ separatæ similitudinem gerere cujusmodi in præsens omnes *Sancti* sunt? Quæve similitudo inter corpus Christi glorioſum, cœleſte ac spirituale, & Imaginem ex materia terrestri qualibetcunq; factam potest intercedere? Non major certè quàm stercoris frustulum fuliginémve inter ipsúmq; solem aut Auroræ splendorem.

Et quod maximè omnium considerandum est, Quæ terrestris Imago eum ullo pacto repræsentare potest qui verè est Θεάνθρωπος, nec Adorationis nostræ Objectum est nisi quatenus *Divinum* hoc *Complexum* sit ex *Divinitate* perinde ac *Humanitate* consistens? Quis autem statuarius Deitatis effigiem exculpere potest? Adeò ut prætextus hic referendi honorem ad *Prototypum*, primo hoc sensu valdè elumbis sit ac frivolus. Nec, tametsi naturalis hæc relatio esset, omninò sequeretur nos hoc modo eos honorare debere, cùm tam apertè interdictus sit, cúmq; alii modi sint longè meliores, commemoratio scilicet virtutum, earundémq; imitatio.

7. Et quantùm ad alterum illum sensum, est certè prioribus illis difficultatibus liberatus & evolutus; sed majores heîc occurrunt. Nam quod Christum Servatorem spectat, cùm Imago illius quæ dicitur, non sit nisi *Præsentia* illius *symbolica*, Divinus cultus versùs ipsam præstitus aperta rursus Idololatria est, quemadmodum apparet ab Exemplo *Israëlitarum* qui Vitulum aureum colebant cum relatione ad *Jehovam*, utì manifestò constat ex Historia. Et quod ad beatam Virginem reliquósq; Sanctos attinet, Incurvationem versùs ipsorum *Præsentias symbolicas* apertam esse *Idololatriam*, manifestum est ex octavo, nono & decimo Theoremate primi, & ex quinto, decimo nono & vicesimo secundi capitis hujus Tractatûs. *Exod.*32.4,5.

Et certè *Sanctorum*, quos vocant, Imagines *Præsentias* ipsorum *symbolicas* ad hunc modum facere, eósq; ante has Imagines venerari ac colere, est *honorem Divinum* ipsis præstare. Hoc enim naturaliter declarat eos *terrestrem* saltem habere *Omnipræsentiam* aut *Omniscientiam*, quam nulla, quod scimus, Potestas invisibilis habet præter Deum. Verùm submissè se incurvare versùs personam infinitis ferè milliarium myriadibus distantem, res est adhuc magìs coacta & ridicula. Ac proinde hujusmodi *Sanctorum* salutatio ad Imagines *Præsentiásve* suas *symbolicas*, dum versari agnoscuntur in sede Beatorum (quod certè fit oportétq; fieri, nisi eos cœlo velimus excluſos) est agnoscere planè unam Animam Cœlum Terrámq; suâ præsentiâ implere, talíve complecti *Omniscientiâ*, *cœlesti* scilicet ac *terrestri* simul. Quorum utrumlibet immensum illud est Dei omnipotentis Privilegium; ac proinde hæc ipsos colendi ratio, crassa est *Idololatria*, ut quæ *naturaliter* in ipsis talem perfectionem supponit, quæ nusquam reperiatur præterquam in Deo.

Præterea, quod & suprà innui, cuicuimodi sit hæc Relatio sive respectus, cùm Incurvatio fiat Prostratióve corporis ante Imagines, sive mera *Symbola* sint sive Repræsentationes accuratæ, necesse est ut sit *Idololatria* ipso facto, per Capitis primi Theorema septimum. Cui consequens est, quòd Sancti hoc Imaginum suarum cultu non honorantur, sed immani afficiuntur contumeliâ, quippe qui eos supponit eâ re gaudere ac oblectari quæ Domino Abominatio est crassáq; expressi illius mandati violatio. Supponit, inquam, eos ambitioſos, inanis gloriæ cupidos, rebellésq; esse adversùs Deum. Ac proinde illi qui hanc rationem colendi eos per Invocationes & Imagines omnium vehementissimè oppugnant, verissimi omnium sunt ac fidelissimi ipsorum cultores, quippe qui tanto cum zelo animíq; ardore feruntur ad vindicandum eos à fœdissimis illis probris ac contumeliis quibus alii eos cumulaverint. Tantum abest ut rei sint hac in re vel minimæ Rusticitatis Incivilitatísve adversùs sanctos Dei.

CAP. VIII.

Doctrinam ſecundi Concilii Nicæni *de cultu Imaginum (ad quod Concilium* Tridentinum *nos remittit) craſsè etiam eſſe Idololatricam.*

1. JAM verò quantùm ad alteram Patrum horum *Tridentinorum* rationem, quâ ſuam hac in re Determinationem volunt ſuffulcire, Autoritatem ſcilicet ſecundi Concilii *Nicæni* Anno circiter 780 habiti, (ut omittam, quòd multò ante hoc tempus Eccleſia facta ſit *Aſymmetra*, quæ tamen magni profectò momenti eſt conſideratio) breve hoc tantùm heîc reſponſum dabo. Deus *Iſraëlis*, Pater Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, expreſſum hoc mandatum *Eccleſiæ* dedit in perpetuum, *Non facies tibi Imaginem quamvis ſculptilem, non incurvabis te ei nec eam coles.* At verò è contrà Concilium *Nicænum* ſecundum ait, Licet tibi profectò incurvare te Imagini Chriſti, Beatæ Virginis & reliquorum Sanctorum. Deo autem nunc potiùs an hominibus obedire oporteat vos ipſi judicate; Poſsímq; porrò addere, Hominibus tam inſcitis in defendenda ſua opinione ac nugacibus, tam falſis ac fabuloſis in allegandis Teſtimoniis, & miraculorum Hiſtoriolis recitandis, quemadmodum *Chemnitius* copioſè probavit in ſuo Examine Concilii *Tridentini.*

Matth. 5. 15. 2. Exemplum proferam unum & alterum. *Nemo accendit Lucernam, & ponit eam ſubter modium.* Ergò Imagines Sanctorum collocandæ ſunt ſuper Altare Cereíq; accendendi coram ipſis in honorem eis debitum. Rurſus, Pſalm. 16. *Sed ſanctis qui ſunt in terra.* At enim, Sancti, inquiunt illi, in cœlis ſunt. Ergò Imagines eorum debent eſſe in terra, &c. Quod ad miracula attinet per Imagines facta, cujuſmodi ſunt earum loquelæ, intérq; ſe colloquia, ægrotorum ſanationes, ultiones injuriarum ſibi factarum, guttarum roris & unguentorum diſtillationes quibus ſanentur vulnerati, ægroti claudíve, arefacto puteo Aquæ reſtitutio, & ſimilia, res nimis quàm faſtidioſa eſſet iſtiuſmodi figmenta recitare.

Illud tamen de Imagine Virginis, quam *Devotus* ſuus, longum iter ſuſcepturus, eíq; valedicturus, rogavit ut Candelam curaret quam ipſi accenderat, uſq; dum redierit, præterire non poſſum. Hiſtoria enim affirmat eandem Candelam arſiſſe per ſex continuos menſes uſq; ad reditum *Devoti.* Exemplum ſanè prodigioſiſſimi *Prolongatoris*, quod quiſquam unquam fando inaudiverit. Hujuſmodi Imago Virginis multum profectò de Candelarum impenſa, modò res licita eſſet ac poſſibilis, ſtudioſis pauperculis demeret.

3. A paucis his ſubindicatiunculis, quali autoritate ſecundum hoc Concilium *Nicænum* haberi debeat, etiamſi nihil apertè contra Dei verbum concluſiſſet, facilè quivis poteſt dijudicare. Cæterùm quoniam illa clauſula in hoc Paragrapho Concilii quem citavi, *Id quod Conciliorum, præſertim verò ſecundæ* Nicænæ *Synodi*, &c. ad determinationem quid hi Patres intelligant per illum *debitum honorem* & reverentiam quam Imaginibus Chriſti Sanctorúmq; deberi declarant, perinde collineare poteſt, atq; ad confirmationem propriæ ſuæ ſententiæ per *Nicæni* Concilii Autoritatem, notabimus etiam qualem Imaginibus honorem aut reverentiam Concilium *Nicænum* aſſignaverit; Eſtq; breviter hujuſmodi:

Quòd nempe colendæ ſunt & adorandæ, & accendendo Cereos honorandæ, ac adolendo Incenſum & ſuffimina. Quod ſatìs rancidè profectò Idololatriam olet, quemadmodum & ipſe *Grotius* in *Decalogum* non poteſt non agnoſcere. Nec tamen hæc totum exhauriunt. Invocatio Sanctorum ipſorúmq; Mediatio, Diviníq; Numinis ob ſuarum Imaginum cultum nobis propitiatio, ut & morborum ſanatio aliáq; auxilia ac ſuppetiæ præter, *Ora pro nobis*, manifeſtò in cultu Imaginum eorum involvuntur ſecundùm *Nicæni* Concilii ſententiam.

4. Et certè legendo collectiones *Photii* apud *Juſtellum*, quilibet proclivis eſſe poſſit ad exiſtimandum, quòd *Latriæ* cultum Imagini Chriſti aſſignaverint, quippe qui voce διαβαίνειν utuntur, ac ſi cultus ille qui Imagini præſtatur ad Chriſtum ipſum tranſiret, qui illi certè non competeret, niſi Divinus cultus eſſet. Et ubi iſtud vocabulum non uſurpatur, ſenſus tamen magnoperè huc tendit. Ut in hoc Paragrapho, de ſecundo Concilio *Nicæno*, apud *Photium*. Τὴν δὲ εἰκόνα χειτῶ ἐπὶ τιμῇ καὶ σεβασμίστητι τῶ εἰκονιζομένω πεοσκυνεῖδαι καὶ τιμᾶδαι ψήφοις ἁπάσαις ἐπεύξωσί τε καὶ ἐπισφεαγίσαλο, τῆς πεοσκυνήσεως, καὶ τιμῆς δηλονότι πεοσαγομένης καθ' ὃν τεῦπον καὶ τοῖς ἄλλοις ἱεροῖς συμβόλοις καὶ τύποις τῆς καθ' ἡμᾶς ἀγιωλάτης λατρείας πεοσεχόμεθα. Οὐ γὰς ἐν ἀύλοῖς ἱςῶμεν καὶ συμπεεικλείομεν τὴν τιμὴν

τιμὴν καὶ προσκύνησιν, οὐδὲ εἰς ἑτερόφυλα καὶ διάφορα τέλη χιζόμεθα· ἀλλὰ διὰ τῆς φαινομένης διαφόρου καὶ μεσιτῆς αὐτῶν θεραπείας καὶ προσκυνήσεως ἱεροπρεπῶς τε καὶ ἀδιαιρέτως εἰς τὴν ἀμέσιτον ἐκείνην ἑνοειδῆ τε καὶ ἑνοποιὸν θειότητα ἀναγόμεθα

Septima hæc Synodus, inquit ille, (hoc eſt, ſecunda *Nicæna*) *Imaginem Chriſti, ad honorem & venerationem illius quem ipſa refert, adorandam atq; colendam ſuffragiis omnibus cenſuit & confirmavit; Cùm Adoratio nimirum atq; honor adhibeatur eodem modo quo in aliis ſacris notis & formis ſanctiſſimæ Latriæ utimur. Neq; enim in illis conſiſtimus, honorémq; ac Adorationem inibi concludimus, nec in diverſos ac diſcrepantes fines diſtrahimur, ſed per cultum ipſarum & adorationem, quæ diſcrepans videri poſſit ac diviſa, nos ſanctè ac indiſtractè in indiviſam illam unámq; ac unificam Deitatem ſurſum ferimur.* Ubi apertiſſimè declaratur, eum ipſum cultum qui ad Deitatem tranſit, præſtari priùs, aut ſimul, Imagini Chriſti, ut qui reverà unus idémq; indiviſus eſt cultus, quemadmodum & hunc cultum eum cultum eſſe qui appellatur *Latria*, ſolíq; Deo altiſſimo competit.

5. Cultum verò *religioſum* Sanctorum omnium Imaginibus tribui, inſinuari videtur in eo quod ſequitur, ubi ait, Quòd ſecunda hæc Synodus *Nicæna* (quam idem *Photius* ἁγίαν καὶ θεόφορον πατήγυειν appellat) ὐ μόνον τὴν εἰκόνα χειτῦ ἀλλὰ καὶ ἀειπαρθένυ Μαείας καὶ πάντων τῶν ἁγίων τὰς ἱερὰς εἰκόνας κατ' ἀναλογίαν τῆς τῶν πρωτοτύπων ὑπεροχῆς καὶ σεβασμιότητι τιμᾶδς καὶ προσκυνεῖδς ἐπισφραγίσά τε καὶ ἐπεκύρωσεν. Καὶ γὰρ καὶ δι' αὐτῶν εἰς ἑνοποιὸν τινα καὶ συναγωγὸν ἀναγόμεθα θεωείαν καὶ πρὸς τὸ ἀπρόσιτον τῶν ὀρεκτῶν, δι' αὐτῆς, ἀξιούμεθα θείας καὶ ὑπερφυῦς συναφείας. Quòd hæc Synodus *non ſolùm Imaginem Chriſti, verùm etiam* Mariæ *ſemper Virginis omniúmq; Sanctorum Imagines ſacras, pro ratione excellentiæ & venerabilitatis Prototyporum colendas & adorandas conſtituit ac decrevit. Utpote per quas in unitivam quandam conjunctivámq; Viſionem attollimur, cujus beneficio, Divino illo ac ſupernaturali congreſſu contactúve fruimur Illius, qui rerum expetendarum ſummus eſt; ipſius utiq; Dei.*

Ecquid eſt quod majorem in modum Animas humanas Myſticâ illâ libidine, rabidóq; Idolorum deſiderio inflammare poteſt quàm hæc Synodi *Nicænæ* doctrina? Nam quantùm ad Imaginem Chriſti, eadem Devotio cultúſq; illi præſtatur, qui ipſi præſtatur Deo. Et quod ad Imagines *Mariæ* Virginis & reliquorum Sanctorum attinet, quanquam cultus qui ipſis aſſignatur, pro ratione Prototyporum videatur circumſcribi, tali tamen modo coluntur ut dum Imaginibus Statuíſve ipſorum adhæremus, idonei indè dicamur evadere ad tactualem fruendam unionem cum ipſo Deo. Quod *Philtrum* efficacius eſt ad excitandam illam *Idolomanian*, veſanum illum rabidúmq; Imaginum Idolorúmve amorem ac deſiderium, quàm hoc? Quídve affectus hominum magìs accendere poteſt erga Idololatriam, quàm imaginari dum Idola colimus inanimíſq; Statuis inhæreſcimus, quòd ille individuus actus (qui proinde non poteſt eſſe nimis intenſus) ipſe eſt, quo aduniamur arctíſq; conſtringamur amplexibus veri æternúmq; viventis Dei?

7. Senſus Synodi eſt, ſecundùm repræſentationem *Photii*, (quem ſi quis actus *Synodi* perlegerit, fideliſſimum ſanè deprehendet Interpretem) Quòd colimus ſcilicet & noſmetipſos cum Deo unimus in Imaginum Virginis aliorúmq; Sanctorum cultu, perinde atq; in cultu Imaginis Chriſti. Adeò ut *Religioſus* cultus ſit omnis & craſſa conſequenter Idololatria, cùm præſtetur Stipitibus Lapidibúſq; reliquíſq; ejuſmodi Objectis inanimatis. Omnis enim Idololatriæ ſuffugium eſt quando in quæſtionem vocatur, & aſtutè callidéq; defenditur, quòd per Dæmonum cultum Imaginúmque, ſupremi Numinis cultus, Devotioníſq; ac affectuum cum illo conjunctio intenditur. Quamobrem cùm Concilium *Tridentinum* ad mentem Concilii *Nicæni* ſententiam ſuam declaraverint, cæcis, quod dicitur, ducentibus cæcos, deciderunt ambo in horrendam Idololatriæ foveam.

CAP.

CAP. IX.

Sensus Doctrinæ Concilii Tridentini *de cultu Imaginum à generali praxi* Romanæ *Ecclesiæ Pontificúmq; suffragiis paulò determinatiùs illustratus, quo deprehenditur adhuc magis crassè Paganicéq; Idololatrica.*

1. CÆterùm quibusdam forsan pleniùs satisfacturum sit, si proprium Ecclesiæ *Romanæ* de honore debito, quem illa Imaginibus Christi Sanctorúmq; præstandum decrevit, sensum resciverint. *Apertionem Capitis, corporisq;* ante eas *prostrationem*, Concilium nihil dubitat speciatim, obiter, nominare. Sed enim, cùm Concilium, hoc, nec *Duliam*, nec *Hyperduliam*, nec *Latriam* appellet, in proclivi fortean erit quibusdam, vim loci eludere, interpretando de *Civili* tantùm Reverentia hisce Imaginibus earúmve Prototypis facta.

Verùm enimvero cùm Concilium *Tridentinum* nihil ampliùs declaraverit, quæ certior esse potest mentis eorum Interpres quàm constans Ecclesiæ consuetudo, sensúsq; ejusmodi Doctorum qui ob eminentiam suam in *Sanctorum* numerum relati sint, ut *Thomas Aquinas* & *Bonaventura*, qui ambo declarârunt Imaginem Christi cultu *Latriæ* colendam esse, eodem quo Christus ipse colitur?

2. Et *Azorius Jesuita* constantem affirmat opinionem esse *Theologorum* (suos proculdubio intelligit) Imaginem eodem honore cultúve honorandam colendámq; esse quo is cujus sit Imago. Quod ab illo in Concilio *Nicæno* non multùm abludit, καὶ' ἀναλογίαν τῆς τῶν πρωτοτύπων ὑπεροχῆς, in suprà memorata citatione. Omnes autem religiosi cultûs capaces esse ipsum Concilium *Tridentinum* (perinde ac *Bellarminus* atq; alii si non omnes illius Ecclesiæ Theologi) palàm agnoscit, ex eo quòd *Invocationem* ipsius assignaverit, quæ nulli *Potestati invisibili* præterquam ipsi *Divino Numini* competit. Unde manifestum est Imagines ipsorum cultu etiam *religioso* coli.

3. Sed & adhuc certiùs super hac re judicium ferre possumus, si Consecrationem harum Imaginum consideremus, quas Concilium *Tridentinum* colendas esse declarat. Consecratio enim ipsarum atq; cultus, eas ut *Deastros Paganicos* planè constituit, quemadmodum *Octavius* apud *Minucium Fœlicem* Ethnicorum *Deos*, hoc est, *Idola* ipsorum falsè irridet: *Ecce funditur, fabricatur, scalpitur; nondum est Deus. Ecce plumbatur, construitur, erigitur; nec adhuc Deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur; tunc postremò Deus est.* Et certè si hac ratione res effici *potest*, *Romanæ* Ecclesiæ Imagines æquè belli *Deastri* reperientur atq; ullæ Ethnicorum.

4. *Chemnitius* Consecrationum aliquot formas recenset. Ego verò illas Imaginum *beatæ Virginis* & S. *Johannis* solas hîc apponam. Illa Virginis sic est: *Sanctifica, Deus, hanc Imaginem Beatæ Virginis, ut tuis fidelibus salutaris auxilii opem ferat, tonitrua aut fulmina, si valuerint, nocentia celeriùs expellantur, pluviarum quoq; inundatio, aut civilium bellorum commotio seu Paganorum devastatio ad præsentiam ejus comprimantur.* Quæ certè via compendiosissima est ad efficiendum, ut omnes homines veniant in istiusmodi periculis, sesèq; sub protectione Imaginis Virginis, tanquam sub alis magni *Jehovæ* abscondant. Oppidò quàm proximè accedit hoc ad similitudinem *Telesmatum* Paganorum.

Audiamus verò & formulam Consecrationis Imaginis S. *Johannis: Præsta, Deus, ut omnes illam cum reverentia intuentes, precésq; coram illa fundentes, pro quacunq; necessitate oraverint, exaudiantur. Sit hæc Imago Dæmonum sancta expulsio, Angelorum advocatio, fidelium protectio, ejúsq; in hoc loco potenter vigeat intercessio.* Quàm potens hoc Incantamentum est ad efficiendum, ut Animæ infirmorum circa has Imagines, tanquam si ipsarum præsentia, ipsa Divina esset Protectio, perquam superstitiosè hæreant?

5. Has formas *Chemnitius* ex *Pontificali*, quod ille perlegerat, recenset. Cæterùm *Rituale Romanum Pauli Quinti* Pontificis jussu editum, & *Urbani Octavi* autoritate recognitum, nostro Instituto abundè sufficerit, cùm utriq; post Concilium *Tridentinum* vixerint, ac proinde per Interpretationem horum Pontificum facilè constiterit quis sit ille honor debitus, cujus mentionem faciunt Patres *Tridentini*, tanquam qui Imaginibus Christi, beatæ Virginis, alîúsve cujusvis Sancti debeat præstari. Consecratio enim Imaginum ipsorum sic se habet: *Præsta, Deus, ut quicunq; coram hac Imagine unigenitum Filium tuum, vel beatissimam Virginem (prout Imago fuerit*

quæ

quæ conſecratur) vel glorioſum Apoſtolum, ſive Martyrem, ſive Confeſſorem aut Virginem, ſuppliciter colere ac honorare ſtuduerit, illius meritis & obtentu à te gratiam in præſenti & æternam gloriam obtineat in futuro.

Adeò ut Virgo Sanctíq; alii, Gratiæ ac Gloriæ ſupplicantibus ante ſuas Imagines, Condiſtributores fiant cum ipſo Chriſto, ídq; ex propriis ſuis meritis, & propter cultum hunc ipſis præſtitum in fundendo preces noſtras ante Statuas ipſorum *Præſentiáſve ſymbolicas*. Quæ major excogitari poteſt Blaſphemia & Idololatria? *Ornatur, conſecratur, oratur, tunc poſtremò fit Deus*, hoc eſt, Oratur ante Dæmonis ſtatuam, ſed ipſe oratur interim Dæmon. Nihil ampliùs fit in ipſo Paganiſmo. Et tamen ex ipſa Pontificis Interpretatione hic eſt ille debitus honor quem Sanctorum Imaginibus tribui oporteat. Poſteriorem partem perpende ultimi Theorematis Capitis primi, Formáſq; Invocationum in quarto & quinto, ut & Theorema decimum octavum Capitis ſecundi.

6. Totum hoc, ex Auctoritate Eccleſiæ ipſorum, perſpicuum eſt & expreſſum. Quódq; præter *Adorationes, Orationéſq;* ante has Imagines, (quibus profectò, ſi Supplicantium, Imaginúmq; *Poſituras* conſideremus, æquè orantur, atq; *Pagani* ſuas oratas agnoverint;) *Cerei* etiam ante eas accenduntur, Oblationéſq; fiunt *Incenſi* & *ſuffiminum*; *Feſta* etiam, *Templa* & *Altaria* eiſdem Sanctis conſecrata, *Imaginúmq;* in *Proceſſionibus circumgeſtationes*, (qui antiqui *Paganiſmi* mos erat) adeò omnibus nota ſunt, ut nihil opus hîc ſit Autores allegare. Quódq; hæc Eccleſiæ *Romanæ* conſuetudo ſit conjunctim cohærentérq; cum harum Imaginum cultu, toti Orbi innoteſcit, quódq; proinde æquè vera *Idololatria* ſit atq; ipſe *Paganiſmus*, & ex conſequenti *realis Idololatria*, per Theorema tertium Capitis primi. Et poſtremò notandum eſt, cùm Concilium *Tridentinum* debitum honorem Imaginum nominet, nec colendi modos qui in uſu apud ipſos erant, excipiat, maximè omnium conſentaneum eſſe, ut intelligantur Patres *Tridentini* has ipſas cultûs Circumſtantias, quantumlibet Paganicæ ſint, ſubindicare.

7. Eóq; magìs, quoniam aliquas, in re Imaginum, pravitates ac abuſus videntur velle corrigere; ut omne illicitum ac inhoneſtum lucrum, omnes laſcivos Imaginum ornatus, omnem ebrietatem & comeſſationes profuſas, & ſimilia. Quibus quidem rebus mihi perinde gnarè prudentérq; cautum videtur contra Idololatriam, ac ſi ad ſupprimendam fornicationem decreviſſent, quòd omnes meretrices *Romæ* ab omni procace venuſtate ſe abſtineant ornatúq; illecebroſo, ut ſummoperè curent, linteamina omnia munda ſint & candida; ut cum fratribus natu minoribus quibus minus rei ſuppetat, de noctis hoſpitio, æquiori pretio tranſigant; ut corpora ſana luéq; immunia conſervent, & ſimilia; quæ certè abolitio non eſſet, ſed ſcortorum ſcortationíſq; in Papatu firmior conſtitutio. Atq; ſic planè ſe habet in his cautionibus circa Imagines; *Exceptio firmat Regulam in non exceptis*. Quamobrem cùm hæ *Idololatriæ* circumſtantiæ à *Tridentinis* Patribus, in exceptionibus ſuis non nominentur, palàm eſt eiſdem ratificari. Quæ tamen antiquam Idololatriam Paganicam adeò ad vivum referunt, ut *Ludovicus Vives* illius Eccleſiæ membrum, abſtinere ſe non potuerit quin profiteretur, *non poſſe aliquid diſcrimen oſtendi, niſi quòd nomina tantùm & titulos mutaverint*; hoc eſt, *Nomina* & *Objecta* ſola antiquæ *Idololatriæ* Paganicæ alterata eſſe, non autem *Modos*.

8. Si Concilium *Tridentinum* reverà bonáq; fide Eccleſiam ſuam in re Imaginum emendare corrigeréve voluiſſent, periti illius celebríſq; Medici *Butleri* exemplum ſequi debuiſſent, ejúſq; de eſu Pyri præſcriptum imitari: nempe, primùm, illud amputare diligenter nos debere, dein curare ut exſcindatur arulla extrahatúrve rutellulo, ut cavamen poſtea impleatur ſale, atq; his demum factis ut confeſtim projiciatur in cloacam. Hæc tutiſſima Methodus eſt eas res tractandi quibus intrinſecum aliquod venenum noxáve inſit. Vide ſaluberrimas illas ſummóq; cum judicio deſcriptas Eccleſiæ *Anglicanæ Homilias* adversùs *periculum Idololatriæ*.

9. Atq; hæc ſufficiant ad demonſtrandam Eccleſiæ *Romanæ* Idololatriam in quantum ab Eccleſia ipſa approbari videatur. Quantùm verò ad craſſas iſtas exorbitantias ad quas tametſi conniverint, neutiquam tamen admitterent tanquam autoritate publicâ comprobatas, nec mihi ipſi nec Lectori negotium faceſſam me iſtiuſmodi rebus immiſcendo. Cujuſmodi ſunt ſudores Imaginum arte repræſentati, oculorum volutationes, artificium efficiendi ut ſubridere videantur pro re nata, frontémve contrahere vultúmq; triſtem induere, immò ponderoſæ ſentiri levéſq; & ſimilia. Quæ neceſſariò tendunt ad illaqueandum populum, quò ſpem ſuam ac fiduciam in ipſis Imaginibus ponant, quemadmodum illæ conſecrationes innuunt quas citavi è *Chemnitio*, quódq; iſte *Rythmus* videtur agnoſcere, quo Chriſti faciem alloquuntur, quam appellunt *Veronicam*. Qui Rythmus ſic ſe habet. *Nos*

Nos perduc ad patriam, felix ô figura,
Ad videndam faciem quæ eſt Chriſti pura.
Nos ab omni macula purga vitiorum,
Et tandem conſortio junge beatorum.

Et cum conſimili cæca Devotione Crucem itidem affantur.

O crux, ſpes unica
Hoc Paſſionis tempore,
Auge piis Juſtitiam,
Reiſq; dona veniam.

Non poteſt ſanè quin hoc immane quid ſonet atq; abſonum auri cuilibet piæ & ſenſatæ. Et tamen Sancti cujuſvis ante Imaginem ſuam ad auxilia ſuppetiáſq; ferendas, (cùm Imago & *nomen* & *repræſentationem* Sancti gerat) cum oculis manibúſq; ad eam ſublatis Invocatio, æquè verum eſt cum inſenſibili ſtipite lapidéve colloquium, atq; hoc, & æquè craſſum genus *Idololatriæ* quantumvis Eccleſiæ *Romanæ* autoritate comprobatum. Sed ſermonem antè abrumpere inſtitueram. Nec tamen poſſum quin hoc unicum ſuperaddam, eò magis inviſa ac propudioſa videri in *Romana* Eccleſia Imagines, ſpectacula, quantò certiùs conſtat eas tot eſſe, inter alia, κλεμμάτων iſtorum, quorum in *Apocalypſi* mentio facta ſit, Harpagonas.

Vide cap. 1. *Theor.* 10.

Cap. 9. *v.* 21.

CAP. X.

Conſectaria aliquot à luculenta hac craſſæ Idololatriæ Eccleſiæ Romanæ detectione deducta, cum ſincera ac vehementi Exhortatione ad omnes homines, qui ſalutem ſuam ſeriò curant, ut ſibi caveant, nè in illius Eccleſiæ communionem trahantur.

1. ATq; ſic abundè quidem Eccleſiam *Romanam* craſſæ Idololatriæ ream eſſe etiam ſecundùm Concilii ſui *Tridentini* conceſſiones & definitiones demonſtravimus; ſic utiq; eam eſſe, etiamſi nihil ampliùs ipſi imputaremus, quàm quod ab ipſo Concilio approbatum ſit in adoranda *Hoſtia*, in *Sanctis invocandis* & in *colendis Imaginibus*. Cæterum minimè interim obliviſcendum eſt crimen adhuc ingraveſcere, fœdioremq; habere aſpectum, ſi particulares Sanctorum invocandorum formulas Imaginúmq; colendarum Circumſtantias ab ipſis etiam Pontificibus ratificatas, totiúſq; ſuæ Eccleſiæ uſu ac conſuetudine minimè prohibitâ corroboratas, conſideremus. Quos proinde omninò conſentaneum eſt eſſe mentis Concilii interpretes. Adeò ut nullus ipſis reliquus ſit evadendi locus, quò minùs rei ſint *Idololatriæ* maximè craſſæ atq; palpabilis quæ unquam commiſſa ſit per filios hominum, non minùs profectò craſſæ quàm ipſe *Romanus* olim fuerit *Paganiſmus*.

2. Unde loco proximo neceſſariò ſequitur, eos maximè nefarios eſſe ac truculentos in ſervos Dei *Parricidas* qui uſquam gentium extiterunt. Etenim ſanè, tametſi veritas à parte ipſorum eò uſq; ſtetiſſet, ut res quæ à Diſſentientibus poſtularent *licitæ* eſſent (quantumvis *non* omninò *neceſſariæ*;) tamen ſi expreſſam Scripturæ vocem conſideremus, quæ non poteſt non eſſe admodum efficax ad Conſcientiæ ſcrupulos movendos, immò verò ad figendum obſirmandúmq; animum in contrariis Opinionibus, ut taceam irrefragabilia *communis Sensûs* ac *Rationis*, Principiorúmq; *Artium* omnium & *Scientiarum*, quæ Religioni in ullis ſuis Diſquiſitionibus Theoreticis utiles videri poſſint, ſuffragia; cùm, inquam, hinc adeò proclive ſit ſi non neceſſarium, ut aliqui homines in contrariam, vi Religionis ac Conſcientiæ, abriperentur perſuaſionem, proculdubio etiam in hoc caſu, tales qui à Doctrina & Praxi ipſorum diſſenſiſſent, occidiſſe, notorium in parte *Pontificia* futurum fuiſſet homicidium.

Nunc verò cùm ipſi Parricidæ in tam palpabili verſentur errore, requirántq; à Diſſentientibus ut *Blaſphemias* profiteantur *craſſáſq;* cum ipſis committant *Idololatrias*, quod eſt apertè *contra Deum* rebellare, ſub prætextu obediendi *Sanctæ* (prout amant appellari) *Eccleſiæ*; cúmq; tot centena hominum millia propter Creatori ſervatam

ſervatam fidem, & indiſpenſabilem erga Dominum *Jeſum* obedientiam, trucidaverint; hoc *dibaphum* profectò *parricidium* eſt, taléq; cum quo cunctæ illæ barbaræ Perſecutiones ſub *Dracone rufo*, ſub *Paganicis* utiq; *Imperatoribus*, non ſint conferendæ.

3. A quibus duabus principalibus Conſiderationibus ſequitur loco tertio, aptâ illâ obviâq; Nominum ſeptem Eccleſiarum Eventuúmq; ſeptem Intervallorum (per ipſa ſignificatorum) congruitate cum *viſionum* Præfigurationibus perſpectâ, nullum dubium eſſe poſſe, quin per *Balaam* in Epiſtola ad Eccleſiam in *Pergamo* memoratum, in qua *Antipas*, hoc eſt, Papæ oppugnatores trucidantur, *Hierarchia Papalis* intelligatur. Quod etiam ſit in *Jezebele* Prophetiſſa, in Epiſtola ad Eccleſiam in *Thyatiris*, quæ interfectrix etiam erat Prophetarum Dei, ambóq; egregii *Idololatriæ* Patroni, quemadmodum ex ipſo textu patet.

Neq; adeò iſtuc mirum eſt, ut *Balaam* & *Jezebel* cùm alter vir ſit, altera verò fœmina, eandem rem ſignificent: Nam *Pſeudopropheta Meretrixq*; *Babylonica* in ſequentibus viſionibus *Apocalypticis* ambo unam eandémq; rem denotant, *Hierarchiam* ſcilicet *Romanam*, *Papam* cum reliquo corpore *Eccleſiaſtico* complectentem.

4. Et verò quod de *viſione ſeptem iſtarum Eccleſiarum* dixi, idem de omnibus illis expoſitionibus decimi tertii, & decimi ſeptimi Capitis *Apocalypſeos*, eáq; de *Cornu parvulo* apud *Danielem* pariter pronuncio; nempe, cùm verba vaticiniorum tam aptè ac naturaliter ad res illius Eccleſiæ applicari poſſint, cúmq; præter *Synchroniſmorum* demonſtrationem, duarum antecedentium Concluſionum ponderis ſit ſuperadditio, nè minimum quidem dubium ſcrupulúmve ſupereſſe poſſe, quin illæ Interpretationes ſint veræ, Eccleſiáq; *Romana* corpus ſit illud *Antichriſti*, *Mater* illa *ſcortationum* & *abominationum Terræ*, hoc eſt, multifariorum modorum craſſæ *Idololatriæ*, *coccináve illa Meretrix ſeptem montibus inſidens quæ & ebria eſt ſanguine Sanctorum & ſanguine Martyrum Jeſu.*

5. Ac proinde, quarto in loco, conſequens eſſe, cùm in Eccleſia *Romana* venenum *Antidoti* virtutem excedat, nullum illîc eſſe poſſe ſalutis ſperandæ fundamentum. Funeſta veritas eſt ac deplorabilis, attamen cùm veritas ſit, eáq; tam immenſi momenti, nullo pacto profectò erat celanda. Quid Deus facturus ſit juxta magis occultas arcanáſq; ſuæ Providentiæ rationes ipſe ſolus novit. Ac proinde confidenter pronunciare non poſſumus unumquemq; Paganum Idololatricum æternùm periturum. Cæterùm niſi loqui velimus ultrà quàm quod nobis permiſſum ſit non autem juxta facilem ac genuinum ſacroſanctæ Scripturæ tenorem, profiteri quidem debemus quanquam non ſine profunda animi mœſtitia, nos nullum habere firmamentum autoritatémve cenſendi declarandíve quenquam è Religione Pontificia, quamdiu ſic duraverit, in ſtatu eſſe ſalutis; præſertim poſt vocem Angeli in Intervallo *Thyatirenſi* prolatam, dicentis, *Exite ex ea, populo mi, nè participes ſitis peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiatis.* Et Apoſtolus in prima Epiſtola ad *Corinthios*; *Nè errate, neq; ſcortatores, neq;* Idololatræ, *neq; Adulteri*, &c. *regni Dei hæreditatem poſſidebunt.* Et certè qui è *Romana* Eccleſia ſunt, obligantur ad perſiſtendum in *Idololatriis* ſuis quamdiu vivant, aut ad renunciandum ſuæ Eccleſiæ, ac proinde ad Damnationem obſtringuntur adhærendo Eccleſiæ *Romanæ* niſi in ea poſſint vivere in æternum. Nam qui in iſtiuſmodi capitali peccato, cujuſmodi eſt Idololatria, ſine pœnitentia, immò verò in cæca obſtinatáq; perſeverantia, moritur, quî fieri poteſt ut æternam evitet Damnationem? *Cap. 6. 9.*

6. Cæterùm, etiamſi intra *Apocalypſin* nos continuiſſemus, ex eo ſolo libro de re liquidò conſtitiſſet, cap. 22. v. 14, 15. ubi omnes Idololatræ expreſſim excluduntur ab arbore vitæ, *Beati qui præſtant ejus mandata* (quorum unum eſt quanquam per Eccleſiam *Romanam* expunctum, *Non adorabis Imaginem ſculptilem*) *ut ſit jus eis in arborem vitæ*, &c. *Foris autem canes, & venefici, & ſcortatores, & homicidæ, & Idololatræ, & omnis qui amat & facit mendacium.* Hi univerſi excluduntur è cœleſti *Hieroſolyma*, & ab eſu Arboris vitæ. De qua tamen qui non comederit, certiſſimè detinetur in æterna morte. Quemadmodum ſcriptum eſt in præcedenti Capite, *Homicidis ſcilicet, & ſcortatoribus, & veneficis, & Idololatris, & omnibus mendacibus portionem eſſe in ſtagno ardente igni & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Quæ ſententia iſtâc poteſt eſſe expreſſior?

7. Sed enim præter hanc Divinam adversùs ipſos ſententiam, ἀυτοκαλάκειλοι etiam

ſunt, à *ſeipſis* utiq; *condemnati* aut ſaltem adversùs ſeipſos ſententiam ferunt, dum tam promptè pronunciant nullos Idololatras ſalvari poſſe, quod frequenter faciunt ut Eccleſiam ſuam iſtoc pacto ab Idololatriæ propudio liberent. Etenim quoniam quidam Proteſtantes pro poſſibilitate ſalutis in *Romana* Eccleſia ſententiam declarant, illi favorem ultrà extendunt ad liberandos ſeipſos à *Reatu*, ex eo quòd alii perbenignè præſagierint, per ſinceram, quantumvis implicitam, de omnibus ſuis peccatis pœnitentiam (etiam de eis quæ propria illius Eccleſiæ ſunt crimina) per miſericordiam Dei in Chriſto liberandi ſint à *Pœna*.

Hoc *charitatis* ſpecimen in quibuſdam è noſtra Religione illi in locum clypei adhibent, quo omnem *Idololatriæ* imputationem à ſe defendant, ſic argumentando: Nulli Idololatræ ſalvari poſſunt: Qui verò è *Romana* ſunt Eccleſia juxta horum Proteſtantium opinionem poſſunt ſalvari: Ergo qui è *Romana* ſunt Eccleſia non ſunt *Idololatræ*.

Verùm enimvero, dum charitate quorundam ad hunc modum abutuntur, apertiſſimè etiam ex ſui Syllogiſmi Propoſitione, ſententiam Condemnationis à reliquis omnibus in propria Capita neceſſariò trahunt, quemadmodum & hîc contra ſeipſos tulerunt, affirmando, omnes Idololatras damnandos eſſe, nullóſve Idololatras ſalvandos. Quippe quòd in præſenti hac Diſſertatione, Luce meridianâ clariùs demonſtratum ſit, Eccleſiam *Romanam* eſſe *Idololatricam*.

8. Et certè in eo, quòd quidam è noſtra Eccleſia eos dicant, per ſinceram fervidámq; Pœnitentiam implicitam de peccatis univerſis (in quibus Idololatrias omniáq; alia peccata includunt quorum ſe, propter cæcam pravámq; educationem, reos eſſe neſciant) ſalvari poſſe, nihil hîc ampliùs conceditur quàm ſic, nempe quòd *improbando* Eccleſiam *Romanam* ſalvandi ſint, & ſeipſos ab ea quantum poſſunt, avellendo, acerbitérq; pœnitendo quòd membra illius Eccleſiæ, quatenus talis, unquam fuerint, talémq; animum gerendo ut ſtatim atq; reſciverint quàm corrupta ſit Eccleſia, ſeparare ſe ab ipſa minimè dubitaverint. Adeò ut reverà ii è *Romana* Eccleſia quos quidam è noſtris ſalvatum iri opinantur, non aliter ſalvandi ſint, ſi omninò, quàm per implicitam renunciationem Communionis cum ipſa, quæ in foro Divino accipienda ſit pro actuali formalíve ſeparatione.

Qua quidem in Poſitione ſi ulla eſſet veritas, ad honeſtiores *Paganos* perinde pertineret; ſed neutros tutari poteſt, niſi in iſtiuſmodi Circumſtantiis, ubi opportunitatem non habuerint ediſcendi veritatem: Quæ ex quo Reformatio enituerit, & præſertim hoc noviſſimo ſeculo, per Divinam Miſericordiam, abundè hominibus eſt revelata. Ità ut omnes, præſertim ii qui in Proteſtantium Regionibus Regníſve degunt, omni deſtituantur excuſatione, ac proinde niſi *Pſeudoprophetiſſam* illam *Jezebelem* relinquant (quemadmodum in Epiſtola appellatur ad Eccleſiam *Thyatirenſem*) quæ corruptis ſuis Doctrinis populum decipit craſſéq; Idololatricis uſibus & conſuetudinibus illaqueat, æternæ Dei Iræ ac Damnationi fiunt obnoxii.

9. Tam pauxillum profectò eſt, quod ab eis è reformatis Eccleſiis, qui molliſſimè benigniſſiméq; de Eccleſiæ *Romanæ* Sectatoribus loquuntur, conceditur. Et tamen pauxillum hoc retractum oportet, niſi probare poſſimus, eſſe ex iſta Eccleſia qui etiam dum ex iſta ſunt, ſinceræ fervidæq; Pœnitentiæ ſint capaces. Pœnitere enim ut fur, qui malè ſibi metuit à patibulo, Pœnitentia non eſt ſalutifera. Pœnitentiam verò ſic agere, ut verum decet Chriſtianum, nemo quidem poteſt niſi Dei Spiritum habeat & in ſtatu ſit Regenerationis.

Vera enim Pœnitentia ex deteſtatione deformitatis ipſius peccati oritur & ex amore pulchritudinis & amabilitatis *Divinæ vitæ* veræq; virtutis, quibus nulli tangi poſſunt niſi qui renati ſint ex Deóve geniti. Nunc verò ſancta illa ac Divina *Novæ Nativitatis* ſenſa, fraudibus & impoſturis, Idololatriis craſſis, ſæviſq; ac truculentis Eccleſiæ *Romanæ* Parricidiis, quæ illa in chariſſimos Chriſti ſervos per multa jam ſecula perpetravit, adeò contraria ſunt, ut impoſſibile ſit cuivis homini qui ſanctum hunc ſenſum aſſecutus ſit, quin continuò ab hac Eccleſia fugiat pari cum horrore & pavore atq; quilibet Ruſticus à malo aliquo ſpectro, aggreſſúve Diaboli.

10. *Quiſquis natus eſt ex Deo non peccat*, inquit S. *Johannes*. Quî igitur illi ſic nati eſſe poſſunt, quorum ipſa Religio perpetuum eſt peccati exercitium, ídq; ſummi generis, quippe qui craſſos identidem *Idololatriæ* actus obeunt? Ut prætermittam hîc ipſorum aſſenſum (dum truculentis illius Eccleſiæ Concluſionibus fidem ſuam dedunt ac ſuffragia) maximè barbaris ac ſanguinolentis Sanctorum Perſecutionibus quæ aut jam evenerint, aut ſuis temporibus evenire poſſint, aut poſtea per iſtam Eccleſiam unquam ſint eventuræ: harum, inquam, omnium rei evadunt adjungendo

gendo ſeipſos *ſanguinariæ* iſti hominum Societati, apud quos trucidatio eorum qui Idololatriam cum ipſis committere nolunt, atq; ſic contra Deum rebellare, in ſanctam *Papalem* Legem abiit ac Decretum.

Ac proinde dico, quî poteſt quiſquam concipere eos homines ex Deo natos eſſe, qui ſanguinariis ac Idololatricis ſordibus & impuritatibus tam fœdè contaminati ſint, & non in *cæcâ* potiùs ac *carnali* conditione conſtitutos, & omnis veræ ac ſinceræ, dum ſic ſunt, Pœnitentiæ incapaces, ac conſequenter pœnitentiæ agendæ de quotidianis ſuis *Idololatriis* quas committunt,& utplurimùm ſanè (nè vacillet ipſorum damnatio) in ipſo Articulo mortis, quò extra omnem ſalutis capacitatem poſiti ſint dum membra manent iſtius Eccleſiæ? Quemadmodum planè apparet tum ex hoc præſenti argumento à natura *Regenerationis* petito, tum etiam ex opinione ipſorum *Pontificiorum* de ſtatu *Idololatrarum* poſt hanc vitam, tum deniq; præcipuè ex expreſſa Divini Spiritûs ſententia in *Scripturis*, quemadmodum ſuprà innui.

11. Ac propterea quintò & ultimò, Valdè quidem manifeſtum eſt quàm ſtupidæ ac negligentes ſuæ ſalutis illæ animæ ſint quæ in *Romanæ* Eccleſiæ communione perſiſtant, quámq; immaniter dementes ac vecordes ſint ii qui cùm nunquam ex iſta Eccleſia eſſent, ſed meliora Principia ediſcendi opportunitatem habuerint, eáq; imbiberint, inducere tamen animum poſſunt ut reconcilientur cum ipſa. Non poteſt ſanè quin hoc indicium ſit ingentis alicujus defectûs aut *Judicii* aut *Sinceritatis*, quòd ad Religionem unquam allici queant quæ tam longè remota ſit à cœlo Deóque.

12. Veruntamen hæc Eccleſia, eſt, fateor, ut fœmina in *libro Proverbiorum*, & ſermone admodum blando & corde callido ac ſubtili, valdéq; gnara adoriendi illaqueandíq; homines imperitos ac ſimplices. Illa bellè callet quomodo carnales eorum ſenſus captivet luxurioſis ſuis illecebris; *Illa ſtragulis ſtravit lectum ſuum, picturatis tectis Ægyptiacis, ſuffivit cubile ſuum myrrhâ, aloë & cinnamomo.* Illa Amaſios ſuos excipit quàm dulciſſimis Muſicæ modulis, ſuaviſſimáſq; cantat & jucundiſſimas cantilenas quibus eos in gremio ſuo conſopiat; Tales utiq; quales ſunt Idololatricæ illæ formulæ quas produxi, Invocationis Virginis *Mariæ* aliorúmq; Sanctorum, quarum illa numeroſam habet copiam. Ad quas credo Prophetam *Eſaiam* alludere eo in loco ubi loquitur de Civitate *Tyri*, myſticè illîc repræſentans *Romanæ* Eccleſiæ relapſum, *Sume citharam, circui Civitatem meretrix oblivioni tradita, bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui ſit.* Vide Synopſin Propheticam lib. 2. cap. 17. ſect. 4.

Prov. 7. 16, 17.

Eſai. 23. 16.

13. Illa ſeipſam inſuper deaurat pulchris ac ſpecioſis Titulis *Unitatis*, *Antiquitatis*, *Univerſalitatis*, facultatis *edendi Miracula*, *Sanctitatis* itidem & *Infallibilitatis*, multúmq; de ſe gloriatur, quòd poteſtatem habeat *Clavium*, tutámq; præſtare poſſit ad cœlos viam *Abſolutione Sacerdotali*, &, ſi fortè opus fuerit, ex *repoſitis Meritis hominum ſanctorum* ſuæ Eccleſiæ, quem *Theſaurum* ipſa cuſtodit ac diſpenſat, oleum lampadibus addere improvidarum Virginum, atq; ità ipſis ſupplere operum Juſtitiæ defectum. Tam blandos ſermones habet, ſubdoláq; verborum artificia ad imponendum imperitis hominum ſimplicium judiciis.

14. Verùm, quantùm ad primum, manifeſtum eſt, illam *Unitatem*, quæ per vim conſiſtit, nullum fructum eſſe *Spiritûs*, ac nullum proinde ſignum veræ Eccleſiæ; nec illam quidem quæ à liberis Agentibus ſit, niſi ſit etiam in bonum finem. *Salomon* enim latronum prædonúmve conſenſum deſcribit, animantium ſe invicem ad prædas & homicidia, & ad tam ſtrictam ſocietatem ineundam ut unum habituri ſint marſupium. Ac proinde ut Societas hominum, ſub *ſpiritualitatis* prætextu, in inveniendis conſentiant defendendíſve iſtiuſmodi Doctrinis aut fictionibus quæ ſcopo ſuo *mundano* maximè inſerviant, & ad faciliùs illudendum dorſíſq; inequitandum credulorum hominum ac carnalium, quò Domini fiant perſonarum ipſorum atq; opum; hæc ſanè nulla *ſancta* eſt *Unitas* ſed horrida & injuſta contra deceptos *Adami* filios Conſpiratio.

Prov. 1. 14.

15. Et quantùm ad *Antiquitatem* & *Univerſalitatem*, utræq; à parte ſunt Proteſtantium, qui nulla fidei fundamenta faciunt niſi talia quæ manifeſtò contineantur in Scriptura quæ multò antiquior eſt multóq; univerſaliorem habet receptionem quàm ullæ earum rerum propter quas à *Romana* Eccleſia diſceſſimus, quæ non ſunt niſi fructus illius * Apoſtaſiæ in quam poſt quadringentos ferè annos Eccleſia lapſura eſſet, ſecundùm Divinam prædictionem. Adeò ut æquè *Antiqui* ac *Univerſales* ſimus atq; ipſa Eccleſia *Apoſtolica*, nec ullius profectò geſtimus Eccleſiæ, quæ Apoſtolica non ſit, membra apparere.

* *Synopſ. Prophet. lib. 2. cap. 6.*

Et quantùm ad *Miraculorum* venditationem, quæ ad ſubdola ſua Figmenta ratificanda producuntur, ipſæ omninò Fictiones ſunt à Sacerdotibus formatæ, aut Diaboli Deluſiones: juxta id quod ſcriptum eſt de Adventu *Antichriſti*, illius
2 Theſſ. 2 9. hominis peccati, (qui Papa cum ſuo Clero proculdubio eſt) nempe, *Quòd adventus ejus ſit ſecundùm operationem Satanæ in omni potentia & ſignis & prodigiis mendacibus.* Adeò ut in proprio dedecore glorientur, & in notiſſimo ſe *Antichriſti* charactere jactitent, ſanctámq; Eccleſiam ſe probare ſatagant, privilegia ſibi vendicando *illius hominis peccati* & provocando ad ſigna palpabilia aſſiſtentiæ Diaboli. Illinc enim ſunt omnia *Miracula* quæ in favorem producuntur iſtiuſmodi opinionum ac conſuetudinum quæ apertè Doctrinis ſacroſanctæ Scripturæ repugnent.

16. Jam verò, quantùm ad eorum *Sanctitatem*, Quàm ſancta Eccleſia ſint, ex lectis *Pontificum* vitis Hiſtoriáq; *Cardinalium*, aliorúmq; Ordinum Eccleſiæ *Romanæ* quivis poteſt judicare. Quàm rancidè omnia Fraudem oleant & Impoſturam, Superbiam & Avaritiam, Oſtentationem & Hypocriſin; quàm monſtroſa *Senſualitatis* Exempla identidem fuerint ipſiſſimæ *Pontificum Sanctitates*, quàm *Fornicationis* & *Adulterii*, Inceſtûs & Sodomiæ; ut *Simoniam* prætermittam, & infernale illud peccatum *Necromantiæ*. Quantùm verò ad *Homicidium* & *Idololatriam*, *horrenda* illa *Crimina*, non ſolùm ipſis familiaria facta ſunt, ſed & *Legis vim* apud ipſos obtinent, & in ipſam eſſentiam Religionis eorum ſunt intexta. Dic igitur, quàm ſancta illa Eccleſia ſit, cujus Religio *Idololatriæ* & *Homicidii* ſit ſanctio. Poſterioris quorum Criminum, *Sancta Inquiſitio* exemplum eſt nuſquam quidem æquiparandum. Et tamen hæc *Homicidarum Spelunca*, cujus officium eſt trucidare homines qui cum Eccleſia *Romana* Idololatriam nolint committere, *Sanctæ* ſibi Titulum uſurpat.

17. Et quantùm ad venditatam *Infallibilitatem*, In *Apocalypſi* S. *Johannis* ea expreſſim prædicta eſt, perinde ac *Miraculorum* oſtentatio. Nam quemadmodum
Apoc. 13. 13. *Beſtia bicornis* dicitur magna ſigna edere, faceréq; ut ignis deſcendat de cœlo,
Apoc. 2. 20. quæ *Bicornis Beſtia Papa* eſt cum ſuo *Clero*; ità *Jezebel* quæ eadem eſt *Hierarchia*, fœmina dicitur quæ ſibi nomen indit *Prophetiſſæ*, cujus proinde Oracula infallibilia eſſe oportet. Neq; enim vult intelligi falſam ſe Prophetiſſam eſſe quanquam reverà talis ſit. Taliſq; *Papa* cum ſuo Clero à Divino Spiritu judicatur, ex eo quòd
Apoc. 16. 13. *Pſeudopropheta* perinde ac *Beſtia Bicornis* dicitur in illis viſionibus S. *Johannis*.

Et dum prætendit ſe *Prophetam*, facilè quidem, etiam citra Divinam Revelationem, *Pſeudoprophetam* eſſe ab illa una notoria *Tranſubſtantiationis* inſtantia manifeſtò poteſt probari. Quæ Doctrina eſt, quæ communi *Senſui* & *Rationi* omnibúſq; *mentis* humanæ *facultatibus* repugnat, apertéq; maximè perſpicuis indubiiſq; Artium ac Scientiarum omnium Principiis contradicit, quemadmodum ſuprà probavi. Adeò ut magìs certi eſſe poſſimus hanc eſſe falſam, quàm quòd propria corpora palpemus, digitóſve numerare poſſimus in manibus pedibúſve. Dic igitur, ſodes, utrùm veriſimilius ſit ut Eccleſia *Romana* infallibilis ſit, an *Tranſubſtantiatio* merum Figmentum, præſertim cùm *mundanis* ſuis commodis tantoperè inſerviat, cúmq; in tam multis deprehendantur fraudibus & Impoſturis. Adeò ut *Infallibilitas* merus fumus ſit inaníſq; Jactitatio.

18. Et nunc quidem ad *Abſolutionem Sacerdotalem* quod attinet, quaſi tam tutò per eam homines ad cœlum tranſmittere poſſint, ab Inferníve faucibus redimere, hæc certè de *Sacerdotum* ſuorum *poteſtate* gloriatio, grandiſonum vaniloquium eſt,
Joban. 3. 3. haud abſimile illius de *Tranſubſtantiatione*. *Amen, Amen, dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei.* Verborúmq; formula cuiquam in lecto jacenti moribundo adhibita, haud majorem vim habet ad regenerandum hominem quam *quinquiverbiale* ipſorum *Carmen* ad tranſubſtantiandum Panem atq; vinum in corpus ſanguinémq; Chriſti. Si *Abſolutionis forma* ſortiatur effectum, in eos fieri oportet, qui jam reverà regeniti ſint, fervidéq; ac ſincerè agant pœnitentiam, quod nemini competere poſſe probavi quamdiu & quouſq; *Romanæ* Eccleſiæ adhæreat. Adeò ut hoc in caſu *Æthiops Æthiopem* lavet. Quod fruſtrà ſuſcepti laboris eſt diſpendium.

Naturæ mutationem oportet eſſe; alioqui nulla Ceremonia verbáve quicquam valent. Nam *Abſolutionis* Formula, *carmen*, quod dixi, non eſt, quo rerum natura mutetur, ſed *Teſſera* duntaxat, quâ liberè liceat per Excubitores Exploratoréſq; tranſire, viáq; tuta præſtetur ad cœleſtes Regiones. Verùm niſi quis per *Regenerationem* debitámq; *Pœnitentiam*, ſocietatem affinitatémq; cum Sanctis Angeliſq; inierit,

ſed

ſed reverà impurâ Infernalíq; naturâ adhuc implicitus ſit & irretitus, *Regni tenebrarum* torvi ſatellites vendicabunt proculdubio quod ſuum eſt, certóq; eam Animam in locum congenerem, ſecum captivam abducent, quantumlibet blandis ſermonibus auſpicatíſq; Ceremoniis adulabundus Sacerdos eam hinc demiſerit. Hæc quidem maximè horrida, maximè periculoſa, maximéq; perfida illius Eccleſiæ *Romanæ* eſt Impoſtura (ad perdendas miſeras creduláſq; Animas, quæ adeò uſq; à vano Sacerdotis halitu ob ſalutis ſuæ ſecuritatem dependent) in quam unquam delabi potuiſſet.

19. Et tamen nec hoc ſolo ad homines ſecurè in improbitate conſopiendos contenti ſunt Artificio, ſed præter profeſſionem *excantandi* Animas ex *Purgatorio* per *Miſſas conductitias*, prætérq; pecuniarias Redemptiones per peccatorum Remiſſiones ac Indulgentias, nugáſq; alias neſcio quas, ad Eccleſiam homines porrò alliciunt hoc quidem nomine, quòd magnam illam copiam habeant ac *Theſaurum* quaſi *Meritorum* Virorum ſanctorum ac Fœminarum; Operum utiq; *Supererogationis*, quæ ſibi tradita prætendunt cuſtodienda & diſpenſanda. Adeò ut miſella quævis Anima quæ ſua omnia decoxerit, nec ullam bonorum Operum ſortem habeat reliquam, abundè hinc, aut prece aut precio, inſtructa eſſe poſſit per hujus *Theſaurarii* mercatores: Quod præterquam quòd Blaſphema ſit meritis Chriſti derogatio, eſt præterea craſſiſſima falſitas quæ uſquam gentium fando ſit audita.

Nam Viri hi *ſancti* quos appellant, Virginéſque, ipſi profectò erant miſerrimi peccatores, & horridiſſimis *Idololatriis* immortui ſunt, ut qui in praxi illius Eccleſiæ ſunt mortui. Et qui illi Eccleſiæ ſe adjungit, ipſe neceſſariò evadit craſſus *Idololatra*; ut præteream eum ſigillum ſuum apponere, reúmq; ſeipſum facere effuſionis omnis illius inſontis ſanguinis, ſanguinis tot centenorum millium Martyrum, ob veritatem *Evangelicam* trucidatorum, quos *ſanguinaria* illa *Fœmina* ſeptem montibus inſidens, cum maximè execrandis circumſtantiis adeò frequenter trucidaverit.

20. Quamobrem quiſquis es, qui ullum ſenſum curámve habeas futuri tui ſtatûs ac ſalutis, noli huic fœminæ ſubtilis labii doloſíq; cordis credere, nec fidem habe ipſius fictionibus & grandiloquiis; ſed quantò magìs ſe magnificaverit, tantò magìs tu eam humiliato, oſtendendo ipſi deformem horridúmq; ſuum vultum in ſacrarum Scripturarum ſpeculo.

Si glorietur ſe ſanctam illam eſſe *Hieroſolymam* Civitatem ſibi ſimul conjunctam & unitam, cùm reliquus Orbis adeò Sectis & Factionibus ſcateat; dic illi, Eam carnalem illam eſſe *Hieroſolymam* in qua Chriſtus in veris ſuis membris tam barbarè divexatus ſit & trucidatus, lapidéſq; ædium ipſius neutiquam vivos eſſe lapides, ſed ferreâ omninò violentiâ conſtrictos, murorúmq; *lithocollam* largâ inſontis ſanguinis effuſione commixtam eſſe & contemperatam; ſiquidem ea bicornis illa Beſtia eſt, quæ *animaret Imaginem Beſtiæ fecerit*q; *ut mandaret ut quicunq; edictis illius* Idololatricis obtemperare noluerint, *occidantur*. Hæc *Unitatis* veſtræ vis eſt, quæ à Dei Spiritu non eſt ſed à ſpiritu Diaboli, qui Homicida erat ab initio. *Proteſtantium* verò *Diviſio*, & ſinceræ noſtræ inveſtigationis veritatis argumentum eſt fortiúſq; contra vos Pontificios Teſtimonium, quandoquidem, cùm adeò inter nos diviſi ſimus, tam unanimem tamen adversùs vos feramus ſententiam, quippe quorum errata atq; crimina adeò impensè craſſa ſunt, ut non poſſit quin libera quævis acies ea facilè cernat.

Pſalm. 122. 3.

Apoc. 13.

21. Si glorietur de *Antiquitate*; Indulge ei illîc largiter, addéq; porrò eam Originem ſuam ducere à magno illo *Dracone*, *Serpente* illo *antiquo* qui vocatur *Diabolus* & *Satanas*, qui *Homicida* erat à Principio. *Vos ex patre Diabolo eſtis*, inquit Servator, *patríſq; veſtri libidinibus libenter obtemperatis*. Concedimus ſanè & ſpeciem Eccleſiæ veſtræ & proſapiam extendi etiam ultra Apoſtolorum tempora, cùm *Beſtia bicornis*, *Paganicæ* Beſtiæ *Imaginem*, magni ſcilicet *Draconis ruſi*, inſtauraverit, introducendo iterum antiquas illas ſanguinolentas *Perſecutiones* & *Idololatrias*. Nobis ſufficit quòd noſtra Eccleſia cum Apoſtolis inceperit.

Apoc. 12. 9.

Johan. 8. 44.

Si *Univerſalitatem* jactitet ampláq; Territoria; dic ei, *Quòd MAGNA ſit illa Urbs, quæ vocatur ſpiritualiter* Sodoma & Ægyptus, *quódq; ſit* Babylon *MAGNA, mater illa Scortationum & abominationum Terræ.*

Apoc. 11.

Si *Clavium* poteſtatem crepet & *Abſolutionem Sacerdotalem*; dic ei, Quòd *is qui ſanctus & verax eſt, qui habet Clavem* Davidis, *qui aperit & nemo claudit, & claudit & nemo aperit*, hoc eſt, Dominus Jeſus Chriſtus, nunquam has Claves commiſſurus ſit inveterato ſuo Inimico, notorio *illi homini peccati* ſive *Antichriſto*.

Apoc 3.

Si bellas ſuas Merces coram te expandet, conductitiarum *Miſſarum*, *Indulgentiarum*, *mutuatitiorum bonorum Operum*, Virorum, quos vocant, ſanctorum Fœminarúmque,

rúmque, *Opésve* ac *externos* Eccleſiæ ſuæ *ſplendores*, varietatéſq; *opimorum emolumentorum* & *Dignitatum*; dic illi, Quòd ſit *Civitas* illa *mercaturæ* de qua ſcriptum
Cap. 18. eſt, Merces ejus nemo emet ampliùs. *Væ, væ, Civitas illa magna, quæ amicta erat byſſo & purpurâ & cocco, & deaurata erat auro & lapide pretioſo & margaritis; quoniam unâ horâ vaſtatæ ſunt tantæ divitiæ. Nam mercatores ejus erant Proceres terræ, ejúſq; veneficiis ſeductæ ſunt omnes gentes. Et in ea ſanguis Prophetarum & ſanguis Sanctorum inventus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra.*

22. Si te attonitum reddere ſtudeat ſtupendorum *Miraculorum* per ipſam patra-
Apoc. 13. 13, torum narrationibus; dic ei, Quòd ſit *Beſtia illa bicornis, quæ magna edit ſigna,*
14. *quæq; ſeducit Incolas terræ propter ſigna quæ datum eſt ei ut faciat in conſpectu Beſtiæ*
Apoc. 19. 20. decacornis; vel *Pſeudopropheta ille edens ſigna, quibus ſeduxit eos qui acceperint characterem Beſtiæ, & qui adoraverint imaginem ejus, qui ſimul cum Beſtia capiendus eſt, amboq; vivi in ſtagnum ignis ardens ſulphure conjiciendi*; vel denique, *homo*
2 Theſſ. 2. 9. *ille peccati filiúſq; perditionis, cujus adventus eſt ex efficacia Satanæ cum omni potentia & ſignis ac prodigiis mendacibus.*

Si illaqueare te tentet per obtentum *Infallibilitatis*; dic ei, Quòd ſit fœmina illa
Apoc. 2. 20. *Jezebel*, quæ ſe *Prophetiſſam* vocat; vel *Propheta Balaam*, qui *Iſraëlitas* illigavit
Apoc. 2. 14. *Idololatriæ*, illéq; ipſe *Pſeudopropheta qui ſimul cum Beſtia vivus conjiciendus ſit in*
Apoc. 19. 20. *ſtagnum ardentis ſulphuris.*

23. Et poſtremò, Si tibi imponere vult per ſpecioſum illum multúmq; affectatum Titulum *Sanctæ Eccleſiæ*; dic ei, Quòd Spiritus veritatis in Divinis Oraculis (ſeipſam extollat quantum volet) talem ipſi characterem nuſquam aſſignat, ſed planè
* Apoc. 2. 13. contrarium, ſedem *Romanam* * Thronum appellans *Satanæ*, Eccleſiámq; eorum [a] illius ſynagogam; Papam cum Clero [b] *Balaam* filium *Bozor* qui mercedem amavit ini-
[a] Apoc. 3. 9.
[b] Apoc. 2. 13.
[c] Apoc. 2. 20. quitatis, quíq; fidelem Chriſti Martyrem occidit *Antipam*; Fœminam [c] *Jezebelem* quæ ſeipſam vocat *Prophetiſſam*, ſed reverà erat venefica, verorúmq; Prophetа-
[d] Apoc. 19. 20. rum Domini interemptrix; [d] *Pſeudo-prophetam* etiam eam innuit qui vivus capiendus eſt & in ſtagnum conjiciendus ignis atq; ſulphuris; *Magnam* porrò illam Civitatem quæ
* Apoc. 11. 8. ſpiritualiter vocatur [e] *Sodoma* & *Ægyptus* ubi Dominus noſter eſt crucifixus; [f] *Beſti-*
[f] Apoc. 13. 11. *am* quæ *duo cornua* habet *ſimilia Agni*, ſed *Draconis* vocem Idololatrias imperantis
[g] Apoc. 17. ſæváſq; perſecutiones adversùs populum Dei; [g] *Babylonem* illam magnam matrem ſcortationum & abominationum Terræ; Mulierem ſeptem montibus inſidentem quæ *ebria eſt ſanguine Sanctorum & ſanguine Martyrum Jeſu*; Et poſtremò, *illum homi-*
2 Theſſ 2. *nem peccati*, illum notorium *Antichriſtum*, qui *adverſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Cujus adventus eſt cum omni fraude injuſtitiæ in eis qui pereunt, pro eo quòd amorem veritatis non receperunt ut ſalvi fierent. Quapropter mittit illis Deus efficaciam Deceptionis, ut credant mendacio, ut damnentur omnes qui non crediderunt veritati ſed conſenſerunt iniquitati*, hoc eſt, πᾶς ὁ φιλῶν perinde ac πᾶς ὁ ποιῶν ψεῦδος. Illi qui *Pontificia* mendacia ac Impoſturas amant, perinde ac ii qui excogitant & comminiſcuntur, manifeſtò hîc declarantur in ſtatu damnationis.

Pro. 5. 3. Hoc faſciculo Rutæ & Abſynthii tanquam Antidoto præmuni te contra Idololatricam Infectionem halitûs mulieris extraneæ, *cujus labia* tamen *favum ſtillant, leniúſq; oleo eſt palatum ejus*. Et pro compertiſſimo habe eam *verè ſanctam Eccleſiam* eſſe non poſſe & in qua ſalus expectanda ſit, quam Dei Spiritus tam fœdis planéq; Stygiis Characteribus notaverit, glorietur de propria ſua *Sanctitate* quantum volet.

24. Et ſi fortè hoc reſponſum tibi dederit, Hoc non eſſe *argumentari* ſed in ſcripturalibus loquendi formulis *convitiari*: Breviter hoc illi regere; Cavendum ſcilicet eſſe nè dum ea te *convitiorum* inſimulat contra obnoxios & peccaminóſos homines, ipſa rea deprehendatur *Blaſphemiæ* contra ſanctum Spiritum Dei. Equidem fateor, ſi loca illa prophetica iſtiuſmodi perſonis applicarentur quibus reverà non competant, enormis omninò eſſet admodúmq; agreſtis convitiandi modus, & ab omni Chriſtianitate communíq; Humanitate longè remotus: Appellare verò *Convitia* quando applicantur ei ipſi hominum cætui de quibus reverà intelliguntur per eum Spiritum qui illa dictavit, ſpeciem quidem præ ſe ferre poteſt alicujus ſenſûs *Civilitatis* erga *homines*, verùm interim pura puta *Blaſphemia* eſt contra *Spiritum Sanctum* qui dictavit hæc Oracula.

Quòd verò perperàm non applicentur, quivis nullo laborans præjudicio & vel vulgari patientiâ ingeniíq; captu, ſummam, quæ exoptanda ſit, certitudinem aſſequi poteſt, ex illa veritatis demonſtratione quæ octo poſtremis capitibus primi libri *Synopſeos Propheticæ*

Propheticæ comprehenditur; ut taceam *Expoſitionem ſeptem Epiſtolarum ad ſeptem Eccleſias in Aſia*, capútq; illius decimum & ultimum.

25. Quamobrem, ô ſeria Anima, quiſquis es, noli præ *Civilitatis* ſtudio veritatem amittere, nec à deſtinata propriæ ſalutis proſecutione, ob inanem ſenſum applauſuum opprobriorúmve hominum, deſiſtere, ob ullámve conſiderationem quid ipſi de te ſenſuri ſint quòd atteſtatus ſis ſteteríſve ejuſmodi veritatibus quæ tam ingratæ ſint multorum auribus, ſed tam immenſi interim momenti ut ab omnibus audiantur. Neq; enim minor res vertitur in delectu Eccleſiæ cui adhærendum ſit, *Romanæ* an *Reformatæ*, quàm cœli hæreditas æternæq; vitæ ac gloriæ.

Quamobrem his armis accinctus ſtrenuè te defende, & quandocunq; blandis verbis impetitus fueris mellitíſq; ſermonibus callidæ illius Mulieris, (quæ ſpeciem quidem præ ſe geret magnæ ſolicitudinis de futura tua felicitate, contentiſſimè te invitans, ut in gremium redeas Sanctæ Eccleſiæ) fac fideliter memineris quàm ſancta ſit illa Eccleſia juxta deſcriptionem Divinam, &, ſi aſſenſus fueris aſtutis ejus perſuaſionibus importuníſq; blandiloquiis, quòd ipſo facto, (da verbo vehementi veniam) Inferni faucibus te committas, conjiciáſq; teipſum in amplexus Diaboli. *Matth.* 23.15.

Deus pro infinita ſua miſericordia nobis omnibus largiatur gratiam, ut quæ dicta ſunt, attentè perpendamus, mortíſq; laqueos ſic æternùm evitemus. Amen.

FINIS.

NUPERI

NUPERI

ANTIDOTI

ADVERSUS

IDOLOLATRIAM

APPENDIX:

IN QUA

Vera & adæquata Notio ſeu Definitio

IDOLOLATRIÆ

Communiter ſic dictæ proponitur,

Exempla plurima iſtiuſmodi Idololatriæ in

ROMANA ECCLESIA

Per propoſitam Definitionem examinantur,

Conſuetudines quædam in

ECCLESIA ANGLICANA

Vindicantur,

Seriæq; aliquot Monitiones de

IDOLOLATRIA SPIRITUALI

demum annectuntur.

Per *Henricum Morum* Cantabrigienſem.

LONDINI,

Typis *J. Macock*, Impenſis *Johan. Martyn* ſub Signo Campanæ, & *Gualteri Kettilby* ſub Signo Capitis Epiſcopi in Divi *Pauli* Cœmeterio.
M DC LXXIV.

NUPERI
ANTIDOTI
ADVERSUS
IDOLOLATRIAM
APPENDIX.

1. QUID ſit, haberíve debeat *Idololatria* apud Chriſtianos, in *Antidoto adversùs Idololatriam*, ſufficienti quidem, quantùm ad uſus religioſos, evidentiâ ac certitudine jam detexi; ſed tali interim ratione, ut varios tantùm caſus Inſtantiáſve Idololatriæ exhibuerim, eáſq; ſic eſſe, aut per *Teſtimonium Divinum*, aut *commune hominum*, Chriſtianorum putà, *ſuffragium* potiùs quàm ex intrinſeca ac generali *Notione Idololatriæ* probaverim, quæ illi Tractatui minimè deſtinabatur inſerenda. Quandoquidem iſta Methodus, quam tunc adhibui, ad eos uſus finéſq; ſuffecit, quos mihi tunc propoſueram, nempe ut homines per argumenta perſpicua atq; obvia convincerem, quæ res profeſſæ ac quotidiano uſu in Eccleſia *Romana* celebratæ, juſtè poſſint Idololatricæ cenſeri. I. *Methodi ſuæ in* Antidoto adversùs Idololatriam, *brevis Explicatio.*

2. Nunc verò, ut *Genio* magis curioſo ac Philoſophico cumulatiùs ſatisfaciamus, minutiùs & ſcrupuloſiùs ſingula ſcrutabimur, & ex variis illis inſtantiis in *ſupradicto Tractatu* allatis unam generalem Notionem Definitionémve Idololatriæ communiter ſic dictæ extrahemus & veram & adæquatam, quæ certa futura ſit menſura quâ expeditè intelligere poſſimus, quid reverà *Idololatria* ſit quid non. Nam manifeſtum eſt, ad quamcunq; rem *Definitio* pertinet, *Definitum* ad eandem pertinere; & ad quamcumq; rem *Definitio* non pertinet, *Definitum* ad eandem non pertinere. Quo innumerarum λογομαχιῶν occaſio præſcindetur, viáq; intercludetur eis, qui in vaga verborum Notionúmq; incertitudine latebras ſibi quærunt & ſuffugia. Adeò immenſi momenti res eſt, veram ac adæquatam hujuſmodi *Idololatriæ* Definitionem proponere, Quam hanc eſſe cenſeo: ***Cultus ritualis ſuperſtitioſus, quo, aut ex vi inſtituti conſuetudiniſque, aut ex naturali rerum verborúmve ſignificatu, Peculiaritates Divinæ violantur.*** Nullum genus actúſve Idololatriæ communiter ſic dictæ ſive Ritualis eſt qui ſub generalem hanc Notionem non cadat, nec genus ullum actúſve cultûs Ritualis qui ſub ipſam cadit, qui non ſit Idololatria, quemadmodum poſt Definitionis explicationem apertiùs apparebit. II. *Definitio Idololatriæ cum indicatione illius utilitatis.*

3. Quantùm ad terminum definitum, *Idololatria*, nemo quiſquam ſanè adeò imperitus eſt, (quanquam ſecundùm Notationem Nominis, cultum *Imaginis* ſeu *Idoli* propriè ſignificat) ut hunc adæquatum Idololatriæ ſenſum concipiat, quandoquidem illi qui *Solem* colunt, pro *Idololatris* habentur, etiamſi eum colant ſine Imagine. Ac proinde exempto illo ſcrupulo, nihil obſtat quò minùs *Idololatriæ* Notio æquè lata ſit atq; propoſita Definitio; Quæ eſt, Cultus Ritualis ſuperſtitioſus, quo, aut ex vi *Inſtituti conſuetudiniſque*, aut ex naturali *rerum verborúmve* ſignificatu, *Peculiaritates* III. *Explicatio Definitionis.*

Divinæ violantur. Quorum ſingulorum Terminorum vim ſenſúmq; breviter indicabimus. 1. Primùm igitur, per cultum non intelligitur nuda aliqua opinio de objecto cultûs. Nuda enim opinio de natura Objecti, Objectum reſpicit ut *ſpeculandum*, non ut *colendum*. *Cultus* verò *Objectum* reſpicit ut tale, ad quod animus honorifico aliquo affectu ſeu devotione aut verâ aut ſaltem ſimulatâ feratur. Unde palàm eſt, *nudam Opinionem* non poſſe eſſe *cultum*, nec proinde *Idololatriam*, quamvìs iſtiuſmodi eſſet opinio quâ Peculiaritates Divinæ violentur. 2. Multóq; minùs *cultum Ritualem*, qui eſt ſignificatio honoris ad Objectum delati, per *ſigna externa* & *ſenſibilia*, per *verba* utiq; *geſtus corporis* aliáſve actiones; Hiſce enim univerſis deſtituitur nuda Opinio. 3. Nec his contentus, addo tertio in loco, *ſuperſtitioſum*, ad *cultum Ritualem*, ut genus magìs immediatum proximúmve eſſe poſſit. Per *ſuperſtitioſum* verò *Pſeudo-religioſum* intelligo, ſi fas ſit ità loqui, hoc eſt, falſum depravatúmq; Cultum Religioſum. 4. *Objectum* verò nullum nomino, quoniam ad nullum unum Objecti genus reſtrictum volo; verùm ſive *Deus* coli prætendatur, ſive *Sanctus* ſeu *Angelus*, *Objectúmve aliud* cujuſmodicunque, quando eâ ratione fit ut Divinæ Peculiaritates violentur, hoc ipſum Idololatria eſt ſecundùm hanc Definitionem. 5. *Cultus* igitur *Ritualis ſuperſtitioſus Genus proximum* eſt Definitionis; Reliquùm eſt *Differentia*, viz. *Quo ex vi Inſtituti conſuetudiniſque, aut ex naturali rerum verborúmve ſignificatu, Divinæ Peculiaritates violentur.* 6. *Quo*] i. e. quo adhibito. *Ex vi Inſtituti Conſuetudiniſq;*] Senſus eſt, Si cultus hic ritualis adhibeatur, non pendere à mente Cultoris tranſiturus ſit ad *Objectum* necne, ſed certò, quantumlibet internum cultûs actum ſuſpenderit, ex *ipſâ vi Inſtituti* conſuetudiniſq; ad aſſuetum tranſibit vulgóq; cognitum cultûs Objectum. Ut ſi quis in Natione ubi in Templis *Solem* colunt incurvando ſe versùs *Orientem*, ipſe etiam in Templo cum ipſis ſe versùs *Orientem* incurvaret; ut *internum* Animi cultum ſuſpenderit, *externâ* tamen illâ incurvatione reverà coleret *Solem*, & manifeſtam committeret Idololatriam. 7. *Aut ex naturali rerum verborúmve ſignificatu.*] Eadem ferè ratio eſt quæ prioris clauſulæ, eadémq; res innuitur. Quòd *veri* ſcilicet *cultûs Ritualis*, quatenus Ritualis, *præſtatio*, ab *intentione* noſtra non pendet, ſed à *naturali rerum verborúmve ſignificatu*, quem intentio noſtra non mutat. *Qualis eſt*, inquit *Salomon*, *qui inſaniam ſimulans jaculatur ignes, ſagittas, necem, talis eſt qui fraudulenter nocet amico ſuo, & deprehenſus, ſe equidem ludere dicit.* Verùm iſtæ Actiones luſum non ſignificabant, ſed malignum nocendi ſtudium. Qui igitur fraudi, injuriæ, & Impoſturæ dant operam, Actionum quidem iſtiuſmodi hominum, non ex *profeſſa* ſimulatáve ipſorum *intentione*, ſed ex *naturali* ipſius rei *ſignificatione* omninò inſtituenda eſt Interpretatio. Quicquid contra genuinam ac domeſticam rei ipſius indicationem fingitur, legitima Interpretatio haberi non debet, ſed abſurda ac diſtorta hominum in malo dolo deprehenſorum tergiverſatio. 8. Quod verò ad *naturalem verborum ſignificatum* attinet, non ſic intelligo ac ſi *nullus figuratus* verborum ſenſus admittendus eſſet ſed *nativus* tantùm, verùm quòd nullus *figuratus* admittendus ſit, qui non ſit itidem *naturalis*, *modóve legitimo figuratus.* Neq; enim verborum ſenſus, quem quis intendat à *nativo* diſcrepans, ſtatim *figuratus* eſt, ſed ſi ad certam *Figuram* referri poſſit, nec contra generalem *Rhetoricæ* ſcopum uſurpari. Neq; enim nos pro libitu *novas* in *Rhetorica Figuras* excudere poſſumus, non certè magìs quàm *novos Modos* in tribus *Figuris Dialecticæ*. Sed omnia menſuranda ſunt fine utriuſq; Artis, *Bene dicendi* in prima, in altera *Bene diſſerendi.* Quicquid conſentaneum non ſit poſteriori, nullum eſſe poteſt præceptum in *Dialectica*; quicquid priori non ſit conſentaneum, nullum præceptum in *Rhetorica.* Et certè ſi prætendatur *uſus* ullius *ratæ Figuræ* in *Rhetorica* qui illi fini non ſit conſentaneus, Figurâ, quâ prætendimus uti, hîc ſanè uti non poſſumus, ſed verba, noſtro loquentium periculo, in proprio ſuo ſenſu remanent. Ut ſi vecors quiſpiam homuncio, admodúmq; abſoni ingenii, ſic orationem ſuam ad Deum ordiretur, *O infinitè impotens, inſipiens & immiſericors Deus!* & prætenderet *Ironiam* eſſe ſenſúmq; ſe contrarium ſic loquendo ſubindicare, númnam hoc eum liberaturum eſſet à maximè horrenda blaſphemia? Minimè gentium. Uſus enim illius *Figuræ*, hoc in loco, generali fini *Rhetoricæ*, quæ eſt Ars *bene dicendi*, non eſt conſentaneus. Cum quo fine nulla deteſtabilis, deformis abſurdáq; loquendi formula poteſt convenire. Quamobrem ſi *ſenſus figuratus* hîc admitti nequit, ubi figura reperitur tam obvia ad quam ſermo poſſit referri, quomodo *Figuræ* prætextus eum ſermonem excuſare poteſt, quem vel Rhetoricæ peritiſſimus difficulter inventurus ſit *Figuram* ad quam referret? Exempli causâ, ſi quis S. *Franciſcum* ſic oraret, *O ſancte Franciſce, da mihi ſpiritum gratiæ in hac vita & æternam gloriam in vita futura*; Ad quod quopiam exclamante,

Explicationis Particula 1.

Partic. 2.

Partic. 3.

Partic. 4.

Partic. 5.

Partic. 6.

Partic. 7.

Prov. 26. 18.

Partic. 8.

craſſiſſimam

craſſiſſimam eſſe *Idololatriam*; ſi is qui abſurdam hanc ac Idololatricam precandi formam adhibuerit, diceret, ſe figuratè intellexiſſe, nec quicquam ampliùs intendiſſe, quàm ſi ſic orâſſet, *O ſancte Franciſce, Deum ora ut largiatur mihi ſpiritum gratiæ*, &c. hic etiam ſermo cùm tantam nauſeam creet & deteſtationem, tantúmq; pariat ſcandali, non poteſt eſſe *ſermo figuratus*, ſed neceſſariò in proprium verborum ſenſum clauditur & quaſi obſeratur; & quemadmodum ille alter horrendam *Blaſphemiam*, ità hic craſſiſſimam *Idololatriam* commiſiſſe meritò eſt exiſtimandus. 9. *Peculiaritates Divinæ*] Hoc magis generali ac abſtracto Termino [*Peculiaritates*] uti hîc coactus ſum, ut complecti poſſit quæcunq; Deo ſint peculiaria, ſive *Attributa* ſint, ſive *Ritus ſelecti*, illiúſq; cultui appropriati, quos illius delectus ſatìs eſt ad peculiares ſibi efficiendos, quanquam penitiùs inſpecti naturalem etiam habere poſſunt ſignificationem earum Excellentiarum quæ Divino Numini ſunt propriæ. Hujuſmodi ſunt *Templum* habere, *ſymbolicámq;* *Præſentiam* ſibi erectam ad *Invocationem* cultúmque, *Orationes ante hanc Præſentiam ſymbolicam effuſæ*, *Incenſiq;* *ſuffimina*, *Lampades* etiam *Lucernæve* accenſæ, &c. Hi, horúmq; ſimiles, modi erant quos elegit Deus ad ſignificandum honorem cultúmq; ſibi debitum, ac proinde ad alium quemlibet colendum eoſdem adhibere *Peculiaritatum* illius eſt violatio. 10. Et quod ad *Attributa internáſve* Dei *Peculiaritates* attinet, non parvi quidem momenti eſt ſenſum definitionis rectè hîc intelligere. *Divina* igitur *Peculiaritas eſt quicquid nuſquam reperitur niſi in ſolo Deo.* Ut ſi v. g. Divina Perfectio includeret in ſe 1000, *Milléq;* omnes complecteretur Numeros ac Perfectiones, nulla verò *creata* Perfectio plus quàm 10 includeret, ſi 15 annumerarentur *creatæ* Perfectioni, manifeſtum eſt quòd id quod *Divinæ* Perfectioni peculiare eſt, attribueretur *creatæ*, ubi deeſt; Nam 15 inveniuntur quidem in 1000, in 10 verò nequaquam. Non ſolùm igitur 1000 Divina perfectio eſt, ſed numeri omnes ſupra 10; hoc eſt, non ſolùm integra, ſi fas ſit ità loqui, Divinitas Deo peculiaris eſt, ſed quicquid ipſi inſit perfectionis quod nuſquam alibi reperitur. Hoc niſi verum ſit, nulla unquam à Paganis in innumeris ſuis Diis Dæmonibúſve colendis commiſſa eſt *Idololatria*, integram enim Divinitatem Divinámve Perfectionem nulli niſi uni ſoli ſummo Deo attribuerunt. Ut verbo igitur abſolvam; *Non ſola integra Divinitas*, *Divinúmve Attributum integrum*, *ſed portio quælibet gradúſve*, *ſtricturáve quævis generica*, *majoráve quæcunq;* quàm quæ *in nulla Creatura inveniantur*, Divinæ peculiaritates *ſunt habendæ.* Ut ſi quis *Omniſcientiam* alicui creaturæ tribueret, ſed aliunde *derivatam*, (cùm Divina ſit à ſe, ut & ſua Eſſentia) cùm tamen *Creata* & *derivata Omniſcientiæ* genere conveniunt, nec ulla omninò Omniſcientia reperiatur niſi in ſolo Deo, etiam *generica* hæc *Omniſcientiæ natura* illi ſoli competit, nec poteſt quin habeatur *Peculiaritas Divina.* Eadémq; ratio eſt de portione gradúve hujuſmodi *Omniſcientiæ*, ſive *Omnipercipientiæ*, de Omnipercipientia putà *cæleſti terreſtrive*, modò major ſit quàm pro creatura, & ſic de reliquis. Atq; ea propter, in exhibendo cultu objecto alicui creato, ſi ex naturali *rerum verborúmve ſignificatu*, quemadmodum partic. 7. & 8. explicavimus, hujuſmodi *Omnipercipientiam* attribuimus, *Divinarum Peculiaritatum* aperta eſt violatio. 11. Nam per *Divinarum Peculiaritatum* violationem, quodlibet genus prophanationis aut vilificationis earundem intelligo, ſive obſcurando minuendóve eas in ipſo Deo, ſive eas aliis communicando. Ut ſi iſtiuſmodi *Præſentia ſymbolica* ad cultum illorſum dirigendum erigeretur, quæ Deum prætendat repræſentare, qui prorſus eſt irrepræſentabilis, ut qui infinitæ Majeſtatis eſt atq; Amplitudinis, hoc certè imminuere eſſet, obſcurare planéq; abolere infinitam illam ac glorioſam Dei Majeſtatem quæ ipſi eſt peculiaris atq; propria, adeóq; *Idolum* eum efficere, quod manifeſta proinde eſſet Idololatria. 12. Erigere verò *Præſentiam ſymbolicam Creaturæ*, hoc ob aliam rationem *Idololatria* eſſet, quippe quod *Omnipræſentiam* vel *Omnipercipientiam* majorem ſanè quàm pro Creatura, ex partic. 7. hujus Explicationis, *Creaturæ* ineſſe implicaret.

Partic. 9. *Partic. 10.* *Partic. 11.* *Partic. 12.*

4. Nam Præſentia ſymbolica nihil aliud eſt, niſi *Figura Imagóve aliqua inſtituta vel erecta ad invocandum ſupplicandúmve, aliáve quavis ratione religiosâ ad illam inviſibilem Poteſtatem ſpiritúmve colendum cui facta ſit aut erecta.* Adeò ut ſummatim loquendo, omnis Idololatria iſtiuſmodi ſit, ut aut *Deum* mutet in *Idolum*, aut *Idolum*, hoc eſt, *Creaturam*, cui religioſum cultum præbemus, aliquâ ratione mutet in *Deum*, illi ſcilicet tribuendo quod peculiare eſt Deo.

IV. *Quid ſit* Præſentia ſymbolica.

5. Ex quo, ut omnem omninò circa terminos litigandi occaſionem præſcindamus, concludendum eſt, Cultum illum *Religioſum* qui perperàm applicatus exhibitúſve ulli Creaturæ *Idololatriam* conſtituit, rectè veréq; appellari etiam poſſe *Divinum.* Taliſq; reverà eſt ſi Actum reddit *Idololatricum*, quippe ſupponit eum Divini

V. *Illum* Religioſum *Dæmonum cultum qui verè Idololatricus erat, verè fuiſſe* Divinum.

Divini Numinis *Peculiaritatem* aliquam violare, illámq; tribuere Creaturæ, atq; eo ſanè reſpectu *Creaturam Deum* facere, immò addere potes etiam *Deum illum ſummum*, quippe quòd eo charactere eam indigitat, qui nuſquam reperitur niſi in *ſummo Deo.* Nam perſona quævis quæ ſexcentos putà habeat characteres proprios ac peculiares nuſquámq; alibi inveniendos, vel uno ex iſtis æquè certò definitur quàm univerſis, & qui perſonam per unum ex illis characteribus deſcribit, *naturali* rei *ſignificatu* eam ipſam perſonam indigitat quæ reliquos habet quingentos nonaginta novem; & ſi alienæ perſonæ ſingularem iſtum characterem applicet, eam ipſam, *naturali* rei *ſignificatu*, illam perſonam facit characterum ſexcentorum, quum nemo ſit qui unum habet quin habeat omnes, nec ulli eorum niſi in unica certa perſona reperiantur juxta Hypotheſin. Atq; hujuſmodi ſanè *cultus Divinus* ille erat quem Ethnici *Dæmonibus* ſuis tribuebant, quanquam illi *Religioſum* tantummodo eum cenſebant, talémq; qui ipſi Deo peculiariter non competeret: Quod ſpeciatim obſervari poteſt in *Platoniſtis*, quos tamen nec S. *Auguſtinus* nec ulli alii ſerii Chriſtiani dubitabunt in ſuo *Dæmonum* cultu, Idololatras fuiſſe. Ac proinde ſi *juſtis* velimus uti *ponderibus* ac *menſuris*, quicunq; *Chriſtiani* conſimiles Ritus obeunt Sanctis Angelíſve, prætendentes interim *Divinum cultum* non eſſe ſed inferiorem quendam cultum *Religioſum*, illi etiam cenſendi ſunt committere *Idololatriam.*

VI. *Pontificios Idololatriæ convincendi methodus in hoc Tractatu.*

6. Atq; hæc quidem una Methodus erat, eáq; ſatìs utilis ac ſolida, coarguendi *Romanam* Eccleſiam de ſuis *Idololatriis.* Veruntamen ſepoſitis in præſens omnibus illis exterioribus magíſq; obviis argumentis, magìs præcisè Philoſophicéq; nunc agemus, argumentantes à ſolo illo maximè intrinſeco eſſentialíq; Topico *Logicæ*, *Romanáſq; Idololatrias* per intimam rei *Notionem Definitionémve* examinabimus, oſtendentes quòd etiam illud quod per *ſolam Divinam Revelationem* Idololatria videri poſſit, ſi altiùs penitiúſq; inſpiciatur ac perpendatur, *Idololatria* etiam ſit ſecundùm propoſitam *Definitionem.*

VII. *Quòd prohibitio cultûs Dei per Imaginem ſit naturalis ſenſus ſecundi Præcepti.*

7. Ut certè cultus Dei per Imaginem planè per Deum ipſum in ſecundo præcepto declaratur *Idololatria: Non facies tibi Imaginem ſculptilem, &c. non incurvabis te ei neq; coles, &c.* Incurvatio Imagini illiúſq; cultus, quanquam ſub prætextu Deum colendi per eam, apertè prohibetur per hoc præceptum. Prohibitio enim cultûs Dei alieni ſufficienter evidens eſt ex primo Præcepto, ut nihil opus ſit quicquam ea de re ſuperaddi. Οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ, *Non habebis Deos alios præter me.* Quid poteſt eſſe expreſſius? Quo clarè pronunciat quòd ipſe ſolus colendus ſit, idémq; ſimul ſic pronunciando *Iſraëlitis* imperat. Cui naturaliter conſequens eſt, Quòd proximum Præceptum ſaltem præcipuè circa puritatem congruitatémq; illius cultûs verſetur, prohibendo nè quis eum per Imaginem colat incurvando ſe versùs eam, eámve colendo quanquam cum Relatione ad ipſum. Hic maximè naturalis, quinimò neceſſarius quidem ſenſus eſt hujus præcepti, ſi extremam conſideremus incredibilitatem aliarum omnium Interpretationum quæ afferuntur aut afferri poſſunt.

VIII. *Quòd alii ſenſus omnes planè impoſſibiles ſunt & incredibiles.*

8. Nam ſupponamus primùm ſenſum eſſe, *Non incurvabis te versùs Imaginem quam tibi feceris & erexeris, nec coles eam*; ipſam Imaginem, inquam, Dei loco vel pro Deo non coles: Eſſet certè rei prohibitio, quæ humanæ Naturæ factu ſit impoſſibilis; ut *Judæus* ſcilicet Imaginem coleret quam ipſe ex ligno lapidéve fecerit, pro illo Deo qui eum è terra *Ægypti* eduxit, & ex domo ſervitutis, quíq; univerſum adeò mundum creavit; tanquam ſi Imaginem ligneam lapideámve hunc Deum putare poſſet, nec eam cum *Relatione duntaxat* ad ipſum colere. Quàm delirum & nugacem hîc fingere volunt *Divinum Legiſlatorem* per iſtiuſmodi prohibitionem quæ ea hominibus interdicat quæ factu ipſis prorſus ſint impoſſibilia? Et nunc alterum quidem hujus præcepti ſenſum eſſe ſupponamus, (neq; enim plura vel meditanti ullius momenti mihi occurrunt) Non facies tibi *Idolum*, hoc eſt, Imaginem *Numinis* cujuſvis *Paganici Deive falſi* cujuſmodicunque. Hunc Principalem ſenſum eſſe non poſſe, manifeſtum eſt; Primùm, à conſpicua ſuperfluitate hujus præcepti, cùm hoc tam ſtrictè apertéq; antè interdictum eſſet, nè haberent Deos Paganicos, ullóſve omninò Deos præter ipſum Jehovam. Quod dum obſervant, impoſſibile eſt ut faciant ſibi Imagines aut Idola eorum Deorum quibus incurvent ſe ac colant. Adeò ut prohibitio ſit quæ planè ſupervacanea foret, ſi ille ſolus eſſet ſenſus hujus præcepti.

Et tum dein ſenſus hic cum verbis ſubſequentibus malè cohæret, *Ego Dominus Deus tuus Deus ſum zelotypus:* Quod ſuſpicionem innuit malè ſervatæ fidei inter membrum quodlibet Sponſæ ſuæ, Eccleſiæ, ac ſeipſum, nè illud alteri communicaverit quod ipſi peculiari modo debetur. Quòd ſi *Judæi* Idolum facerent, hoc eſt, Imaginem Dei alicujus

alicujus Paganici eámq; colerent, res pluſquam in ſuſpicione eſſet, apertéq; & ex profeſſo reperirentur fidem *Jehovæ* fefelliſſe, & adulterium commiſiſſe cum Deo alieno.

9. Quibus addere potes tertiò, Quòd ipſe Deus hoc præceptum ſic interpretatus ſit, ſe nolle utiq; coli per Imaginem quantumvìs erectam cultámq; cum relatione ad ſeipſum. Quemadmodum abundè manifeſtum eſt in vitulo aureo quem *Aaron* fecit, qui non deſtinabatur in Imaginem *Apis* Dei illius *Ægyptiaci* ſed ſymbolica Præſentia erat *Jehovæ*. Equidem S. *Stephanus* ait, Act. 7. 39, 40. *Et averſi ſunt corde ſuo in* Ægyptum (fortean ſenſu etiam craſſiſſimo ſi *Aaronem* ad ſuum propoſitum attrahere potuiſſent) *dicentes* Aaroni, *Fac nobis Deos qui præeant nobis:* ſed veriſimillimum eſt reprehenſionem tantùm eſſe affectationis rituum *Ægyptiacorum* in rebus Religionis, dum viſibile aliquod Objectum Figurámve deſiderabant, quâ fidem ſuſtinerent, & in quam Devotionem ſuam impenderent, ſecundùm modum *Ægyptiorum* qui Divinum cultum Imaginibus præſtabant. Ad hunc modum Religionis, animi ipſorum impensè propendebant, ſicuti & oribus ſalivam movebant ollæ carnium *Ægypti*. Ob quod facinus porrò reprehenduntur Pſalm. 106. 19. *Et fecerunt vitulum in* Horeb *& adoraverunt Imaginem ſculptilem, & mutaverunt gloriam ſuam*, hoc eſt, Deum *Iſraëlis*, Divinámve ejus præſentiam, *in ſimilitudinem Vituli comedentis fœnum.* Tanquam ſi *Jehovah*, Omnipotens, Infinitus, & Æternus ille Deus, qui *ea magnalia fecit in* Ægypto, *mirabilia in terra* Cham, *terribilia in mari rubro*, repræſentari poſſet per ullam talem figuram. Adeò ut hac in re planè obliti eſſent Deum Servatorem, quàm excellens ſit Eſſentia prorſúſq; per ullam Imaginem irrepræſentabilis, & obliti mandatum illius (qui ſpecialis eſt ſummíq; profectò momenti modus eum obliviſcendi) *Non facies tibi Imaginem ſculptilem, non incurvabis te ei nec coles eam.*

IX. *Aureum vitulum Imaginem* Apis *non fuiſſe ſed ſymbolicam Præſentiam* Jehovæ.

10. Cæterùm nulla loca tam idonea ſunt ad convincendum, quòd aureus Vitulus quem *Aaron* fecit factus ſit ac adoratus cum Relatione ad *Jehovam*, quàm quæ in ipſa Hiſtoria occurrunt. Deus populo promiſerat ſe Angelum ſuum miſſurum qui præeat ipſis & cuſtodiat eos in via, Exod. 23. 20. Hoc cùm populus cognoſceret deſperarétq; de *Moſe* unquam rurſus videndo, aut impatiens eſſet illius tam diutinæ moræ in monte (quod S. *Stephanus* interpretatur rejectionem *Moſis* ipſiúſve repulſionem ab eis, Act. 7. 39. de *Moſe* enim dictum eſt non de Deo) accedunt ad *Aaronem* (Exod. 32.) dicúntq; ei, *Surge, fac nobis Deos qui nobis præeant.* Cui poſtulatui ſtatim aſſentitur *Aaron*, & poſtquam ab ipſis inaures aureas recepiſſet, formavit ex eis vitulum conflatilem. Dixerúntq; continuò, *Hi ſunt Dii tui, Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Et ædificavit *Aaron* Altare coram hac Imagine quàm ipſe fecerat, & clamavit voce Præconis dicens, *Cras ſolennitas Domini eſt*, id eſt, *Jehovæ.* Et die craſtino juxta hoc edictum, feſtum celebrârunt, & obtulerunt Holocauſta hoſtiáſq; pacificas huic ipſi Imagini. Nunc dicat quivis, qui nullo laborat præjudicio, cui *ſymbolica* hæc *Præſentia* erigi poſſet præterquam *Jehovæ?* An non *Iſraëlitæ* ab *Aarone* petebant quod Deus promiſerat? Angelum in quo Deus ſuum poſiturus eſſet nomen? Nunquid dubitabat Aaron ipſorum poſtulatui annuere & explere? An non populus de *ſymbolica* hac *Præſentia* clamat, *Hi ſunt Dii tui, ô Iſrael*, vel quod idem eſt, *Hic eſt Deus tuus, ô Iſrael*, (quemadmodum habet *Nehemias* cap. 9. v. 18.) *qui eduxit te de terra Ægypti*, quod planè impoſſibile eſt ut intelligant de Vitulo aureo qui heſterno primùm die factus eſt, ac proinde neceſſariò intelligitur de illo Deo qui ipſos ex *Ægypto* eduxerat, qui *Jehovah* eſt, nullum autem Numen *Ægyptiacum*, ſed is qui omnes illas plagas *Ægypto* ſuperinduxerat, extenſóq; brachio populum ſuum liberaverat. Et poſtremò, Annon Altare extructum coram eadem *ſymbolica Præſentia*, Diéſq; feſtus indictus qui celebretur *Domino?* Quæ magìs perſpicua cohærentia exoptari poteſt ad certitudinem ſenſûs ullius loci Scripturæ confirmandam?

X. *Quod* Hiſtoria *aurei vituli hunc ſenſum planè ſupponit.*

11. Omnia ductu naturali in hac Hypotheſi fluunt: Supponendo autem Vitulum hunc, *ſymbolicam Præſentiam Apis* Dei *Ægyptii*, qui formâ erat bovinâ (Quod aliquibus antiquorum Patrum occaſionem, opinor, dare poterat ſentiendi ſic eſſe, quippe qui non conſiderâſſent *Cherub* etiam ſignificare *Bovem* vel *Vitulum*, unámq; è formis Angelicis in curru Dei & *Bovem* eſſe & *Cherub* appellari, Cherubinóſq; in Arca hujus figuræ fuiſſe, quod ſymbolum eſt Angelorum qui ſunt currus Dei, Pſalm. 68. 17. *Currus Dei non ſemel decem millia, multiplicia millia in quibus eſt Dominus ſicut in* Sinai *in ſanctitate.* In quo ſancto monte currus hic, ſeu quadrigæ (quoniam ex quatuor partibus conſiſtebat) conſpectæ ſunt ab *Aarone*, quemadmodum illæ ab *Ezekiele*, ubi una pars formam Bovis vel Vituli habebat, cunctæq; quatuor

XI. *Craſſa Repugnantiæ quas involvit ſuppoſitio, quòd vitulus ſymbolica præſentia ſit Dei* Apis.

tuor pedes *bovinos*. Tam parùm aliena est forma *Bovis* vel *Vituli* ab usu *Præsentiæ* repræsentandæ Dei *Israëlis*) sed supponendo, inquam, quòd non sit Præsentia symbolica *Jehovæ*, sed juxta Opinionem quorundam (quam ex honore quem Patribus deferunt, amplectuntur) *Apis Ægyptiaci*, quàm durum interim & intolerandum opprobrium in summum Dei Sacerdotem Pontificémve conjiciunt dum affirmant eum tam profanè impiéq; Idolum *Ægyptium* Dei populo colendum erexisse, operámq; eis commodâsse in violando tum primo tum secundo præcepto simul; atq; etiam tunc, cùm populus tantùm flagitabat ut promissum ipsis factum compleretur, nempe ut *visibilis Præsentia* Dei, Angelíve in quo nomen suum posuerit, eis præiret itinerantibus, & tamen *Aaronem* nihilominus in hujus locum *Præsentiam symbolicam* alieni Dei substituisse? Præterea ipse populus de eo sic non sentiebat, quippe qui declarabat *symbolicam* esse *Præsentiam* illius qui eos de terra *Ægypti* eduxerat. Nec possibile fuit ut crederent *Ægyptium Apim* fuisse qui id fecerit, quíq; omnes illas plagas propriæ terræ inflixerit in gratiam populi extranei. Huc accedit, Quòd universa declarantur fuisse per *Mosem*, in Nomine Dei *Israëlis*, facta, cui & *Aaron* Altare coram Vitulo extruxit, Diémq; festum *Jehovæ*, Præconis voce indixit; quòd si per Vitulum hunc intelligeretur *Apis Ægyptius*, par esset repugnantia, ac si quis diceret, *Apim* & *Jehovam* unum idémq; esse Numen.

XII. *Certitudo hinc facta, quòd secundum Præceptum, Cultum Dei per Imaginem prohibeat.*

12. Quamobrem de nulla re magis certi esse possimus quàm quòd aureus hic Vitulus sive *Cherub Jehovæ* erectus sit per *Aaronem* & sic à populo intellectus. Cujus tamen *Cherubi* cultum apud omnes in confesso est fuisse *Idololatriam*. Unde manifestò sequitur, quòd secundum præceptum *cultum Dei per Imaginem* prohibeat, quod erat probandum. Nec certè scio quibus suffugiis adversæ sententiæ homines tam claram evadere possint hujus Argumenti Præceptíq; evidentiam. Cùm Deus tam apertè mentem propriæ suæ legis per severam suam vindictam in cultores vituli aurei quantumvis sibi erecti, sit interpretatus.

XIII. *Duæ evasiones ad evitandum hunc sensum; Prima à Translatione vocis* פסל *apud* Septuaginta, *proposita & refutata.*

13. Optimæ maximéq; pervulgatæ Evasiones hæ duæ sunt. Prima est, quòd *Septuaginta* Interpretes, dum פסל reddunt non γλυπτὸν *sculptile*, sed *Idolum*, satìs clarè insinuent Imaginem ad cultum veri Dei hîc non prohiberi, sed *Idola* tantùm sive Imagines Deorum Paganicorum aut quorumcunq; Deorum falsorum. Qui verò sic argumentantur, oblivisci videntur, quòd *Græca* vox εἴδωλον æquè indifferentis latæq; significationis est atq; *Latina* vox *Imago*. *Plotinus* cùm rogaretur ut sederet ad Picturam ejus delineandam, recusavit, dicens, se nolle eis id negotii facessere ut εἴδωλον εἰδώλε describant, ut *Imaginem Imaginis*, *umbræve umbram* delineant. Adeò ut meliori ratione concipere possimus Septuaginta hoc vocabulum elegisse, tanquam universalem, contra non modò *Statuarum* sed & *Picturarum* cultum, obicem: vel delectum fecisse vocis εἴδωλον potiùs quàm γλυπτὸν *sculptile*, quia determinatiùs significat istiusmodi *sculptilia* quæ Imagines sint Imaginésve sibi insculptas habeant, quòd ipsis utiq; non liceat cuiquam se incurvare, minimè vetando cultûs directionem versùs rem omnem sculptilem etiam eam quæ non omninò prætendit Deum facere *repræsentabilem*, quemadmodum sit in *Imaginibus*. Quamobrem cùm hæ sint tam obviæ Rationes cur Septuaginta פסל *Idolon* potiùs transtulerint quàm γλυπτὸν *sculptile*, manifestum est, *Idolorum Ethnicorum* respectu fecisse, mendosè & insequenter colligi.

Præterea, supponamus פסל *Idolum* significare eo ipso sensu quo volunt Adversarii, quid hinc lucrantur, siquidem Textus tunc sic curret; *Non facies tibi quodvis Idolum Imaginémve Dei ullius Paganici, nec similitudinem rei cujusvis quæ sit in cœlis suprà aut infrà in terra aut in aquis sub terra, non incurvabis te eis nec coles.* Manifestum adhuc est nihilominus omnem omninò Imaginum & Picturarum cultum non solùm Deorum *Paganicorum*, sed cujusmodicunq; prohiberi. Ac proinde coli non possunt nè cum relatione quidem ad ipsum Deum verum. Vel si subsequentia verba, *Nec similitudinem rei cujusvis in cœlo suprà, &c.* de Paganicorum Deorum Imaginibus intellecta velis, (Quod omni prorsus Logicæ repugnat nec à quovis admitti potest qui rationi satìs attenderit, cùm Præcepti Objectum apertè hîc in duas partes sit distributum; primam quidem, Idola Imaginésve Deorum Paganicorum, alteram, quascunq; præterea similitudines Imaginésve;) si verba, inquam, ad eundem sensum cum præcedentibus tracta velis, ut Imagines Deorum Paganicorum aut quorumcunq; Deorum falsorum per ea intelligi possint, atq; tòta sic prohibitio esset de istiusmodi Imaginibus seu Idolis, illud etiam planè digladiaretur cum verbis proximè sequentibus, *Ego enim Deus sum zelotypus*. Nam in hoc casu, quemadmodum suprà notavi, res ultra zelotypiæ ambiguitatem processit, cùm Actus confessus compertúsq; foret spiritualis Adulterii, quæ *Idololatria* est. Inferre verò velle ex

mentione

mentione *zelotypiæ* Divinæ, quòd *alieni* alicujus Dei intelligenda ſit Imago, (quis enim *maritus* zelotypiâ moveretur adversùs uxorem quòd honoret oſculetúrve *propriam illius* picturam?) hoc certè argutum omninò ſophiſma eſt ſuper falſam Hypotheſin extructum; ac ſi *pictura viri* virum æquè facilè fraudare poſſet eo quod illi ab uxore debetur, quàm *Imago* Deum fraudare eo quod debetur ipſi. Nam cùm Imago *viſibilis* ſit, Deus verò *inviſibilis* nec per Imaginem repræſentabilis, manifeſtum periculum eſt nè quis devotionem adjungat, quæ ſola res eſt quam nos Deo pendere poſſumus, ſplendidæ ac ſpecioſæ Imagini magìs quàm Deo ipſi ejúſve veræ Notioni in mentibus noſtris; & nè colendo eum tam vili craſſóq; modo, abducatur tandem ad Deos alios colendos æquè viles & abjectos atq; hunc ipſum, hoc genere cultûs, reddiderit.

14. Altera Evaſio quæ longè maximi eſt momenti, hæc eſt, Quòd prætendunt utiq; Deum ipſum, Legem ſuam in alium ſenſum interpretatum eſſe atq; nos volumus, præcipiendo aureos *Cherubinos* ſuper Propitiatorium ad proprium cultum imponi. Hæc excuſatio admodum frequens eſt apud Pontificios, ſecundúmq; Concilium *Nicænum* eandem adhibet. At enim manifeſtum eſt, à præſenti cauſa admodum eſſe alienum. Scopus enim ſecundi præcepti non eſt operis omnis effigiati in locis Divini cultûs prohibitio, ſed incurvationis versùs Imagines earúmq; adorationis, quò Cherubinorum caſus non pertingit. Populus enim nunquam juſſus eſt incurvare ſe versùs aureos Cherubinos eóſve adorare, nec profitentur *Judæi* ſe ſic feciſſe, ſed incurvâſſe ſe versùs Deum, eúmq; ſolum adorâſſe. Et præterea quòd non deſtinabantur Populo in Objectum Cultûs ſive Adorationis ex eo manifeſtum eſt, quòd ab eorum conſpectu diligenter eſſent abſconditi. Et ſi Imaginatione per velum penetrare poſſent & ſe coràm quaſi ſiſtere *Cherubinis*, poſitura tamen ipſorum planè oſtendit eos nunquam deſtinatos eſſe cultui ſeu Adorationi, cùm facies ipſorum populo non eſſent obverſæ, quò ſalutationes eorum reciperent, ſed versùs ſe invicem. Equidem ſi Objectum eſſent, quod ex præcepto declarationéve Divina, quando videntur, deberet adorari, eadem *religioſa Affectio* concipi poſſit etiam per velum versùs eos dirigi. *Adoratio* verò *formalis* Objecto *viſibili* facta dum abſconditur & fit inviſibile, æquè abſonum, meo quidem judicio, eſt, & contra naturam, atq; Incurvatio ſuiipſius versùs perſonam aliquam ponè murum lateritium, in quo nè minima ſit fiſſura vel tranſenna per quam quis tranſpiciat. Quamobrem cùm nec præceptum ſit *Judæis* ut ſe *Cherubinis* aureis incurvent, eóſq; adorent, nec profeſſa ipſorum praxis, cúmq; Cherubinorum poſitura talis ſit quæ planè inſinuet eos factos non fuiſſe ut ab eis adorentur, ſummóq; ſtudio abſconditi eſſent ab oculis populi nè eos viderent, (quanquam ſymbola erant ſpecialis præſentiæ Divinæ, notæq; ſeu Inſtrumenta ad Adorationem ſuam illorſum dirigendam ubi Deus ſpeciali modo præſens erat) manifeſtum eſt eos populo nullum fuiſſe Adorationis Objectum, populúmq; minimè fuiſſe obſtrictum incurvare ſe ipſis eóſve colere, quanquam ſe versùs eos incurvabant tanquam determinativam Circumſtantiam Adorationis ſuæ Deo factæ. Hoc tam evidens eſt, ut nemo, opinor, qui ſatìs perpenderit illud auſit negare, nempe *Cherubinos* populo non fuiſſe *Objectum Adorationis*, multóq; minùs à Deo ad id deſtinatos.

XIV. *Secunda Evaſio de* Cherubinis *ſuper Propitiatorium, propoſita & refutata.*

15. Magna verò illa Difficultas, ut videtur quibuſdam, eſt, quomodo Pontifex Maximus, quando introibat in Sanctum ſanctorum (quod quotannis ſemel faciebat) & incurvabat ſe, utì illi opinantur, coram his *Cherubinis* nudis & aſpectui ſuo expoſitis, ità ſe adhibere poſſet, ut reatum effugeret incurvandi ſe ſculptilibus Imaginibus eáſq; colendi. Quod ſi fecit, equidem fateor Pontificios non contemnendam indè nactos defenſionem ſuæ Interpretationis ſecundi Præcepti, ac ſi veri Dei cultum per Imaginem non prohiberet. Ad hanc verò Difficultatem duobus modis reſpondeo.

XV. *De Adoratione Pontificis maximi in Sancto ſanctorum, Difficultas propoſita.*

16. Primò, Quòd ſi Pontifex Maximus, quando erat in Sancto ſanctorum, incurvare ſe non potuit ad Deum adorandum iſto geſtu corporis, quin eo ipſo ſe incurvaret Cherubinis Objectivè & non merè Circumſtantialiter, apertè nego eum illîc ſe incurvâſſe. Nec probare unquam poterunt eum ſic feciſſe, cùm nulla illius rei in Scriptura, ubi quomodo ſe gerere oporteat præſcribitur, (Levitic. 16.) facta ſit mentio. Sed enim, cùm manifeſta ſit in ſecundo Præcepto prohibitio, nè quis Imaginibus ſculptilibus ſe incurvet, demonſtrari hinc poteſt Pontificem Maximum hoc in caſu illud facere noluiſſe. Nam ſi melior ſit obedientia quàm victimæ, & auſcultare magìs quàm offerre adipem arietum, 1 Reg. cap. 15. v. 22. certè Pontifex Maximus non potuit non videre quin tam perſpicui ſtrictíq; Præcepti obedientia, *Non incurvabis te ulli Imagini ſculptili nec coles eam, &c.* melior eſſet, quàm tam ſancti

XVI. *Prima Reſponſio, negando factum, ſi fieri non poſſet ſine incurvatione Cherubinis tanquam objecto.*

mandati, ſub prætextu colendi Deum incurvando ſe Cherubinis, violatio. Quamobrem certi eſſe poſſimus eum hoc in caſu ſe versùs illos noluiſſe incurvare. Quòd ſi versùs illos ſe incurvare poſſet ſine hoc periculo, ſublata eſt difficultas verúſq; ſecundi Præcepti ſenſus firmus manet & inviolabilis, Deum nempe ipſum non colendum eſſe per Imaginem, incurvando nos ipſi eámq; colendo.

XVII. *Reſponſio ſecunda, aſſerendo Pontificem iſtiuſmodi circumſtantiis ſe incurvare potuiſſe, quibus Cherubini non fierent cultûs ſui Objectum.*

17. Jam verò præter hæc in ſecundo loco reſpondeo, Si quis adeò probabile putet Pontificem Maximum ſe alicubi, dum in Sancto ſanctorum erat, versùs Propitiatorium incurvâſſe, tempus veriſimillimum eligamus, nempe quando propinquiùs ad illud accedebat ad aſpergendum ſanguine; manifeſtum eſt nullum eſſe colorem cur quis dicat eum hiſce Circumſtantiis ſe *Cherubinis* incurvâſſe eóſve coluiſſe.

1. Quia primùm quod illi agendum incumbebat quando illi intrandum erat intra velum, hoc erat, ut *aſſumeret plenum Thuribulum prunis ignitis & plenas volas ſuas de Incenſo Aromatico comminuto, & inferret intra velum, ponerétq; Incenſum ſuper ignem coram Domino, ut nubes Incenſi operiat Propitiatorium quod eſt ſuper Teſtimonium, nè moriatur*, Levit. 16. v. 12. Quod indicio eſt, nè reſpectare quidem illi permiſſum fuiſſe versùs Propitiatorium, nedum versùs ipſum adorare, priuſquam omnia ſuper Propitiatorium aureíq; adeò Cherubini Incenſi nube eſſent abſconditi, quod illius inſtar eſt occultationis ipſorum à conſpectu populi per *velum*. Aureúmq; proinde eorum ſplendorem nullum fuiſſe Adorationi cultuíve deſtinatum Objectum, quippe fumo ad hunc modum obvelatum, nec videndum ad *quamlibet* diſtantiam.

2. Nunc verò, quando Pontifex Maximus propiùs accedit ad Propitiatorium, quod probabiliſſimum tempus ſupponimus adorandi, videamus quàm poſſibile hìc ſit, ut reus appareat colendi *Cherubinos* etiamſi tunc incurvaret ſe versùs Thronum Dei, magìs quàm in priori circumſtantia. Duo enim *Cherubini* in duobus extremis Propitiatorii collocabantur ídq; cum faciebus ſibi invicem obverſis, non autem cuivis qui versùs Propitiatorium aſcenderet; quæ quidem poſitura minimè idonea erat ad adorationes recipiendas ſi ullis rutilatiunculis in denſa hac fumi nubíſve caligine cerni poſſent. Et certè ſi poſſent, directioni tantùm eſſent Pontifici Maximo quò viſu eos perinde ſupervaderet, ac præteriret inſalutatos, ſequendo illam ſubindicationem quam Deus ei dederat, Exod. 25. *Conveniámq; tecum illuc & loquar tecum* מעל הכפרת *de ſupra Propitiatorium inter duos Cherubinos ſuper arcam Teſtimonii poſitos.* Et in Pſalmis deſcribitur tanquam ſedens inter Cherubinos, Pſalm. 80. 1. & 99. 1. Hoc igitur compertiſſimum eſt, Pontificem Maximum non potuiſſe quin ſpecialem Dei præſentiam intelligeret inter duos Cherubinos ſedentem, ac proinde devotionem ſuam dirigens corporíſq; geſtum juxta illud monitum, ſui incurvationem formare debuit versùs illam inter duos Cherubinos Præſentiam, à Propitiatorio ſurſum, ac ſi Majeſtas inviſibilis illîc collocata eſſet in Throno Cathedráve Regali. Cui facta quidem incurvatio, ad *Cherubinos* ſpectare non poteſt, non certè magìs quàm Incurvatio Principi facta ſuper amplum Thronum Cathedrámve ſedenti, ad opus effigiatum in brachiis Cathedræ ſpectare poteſt, duobus Aquilinis putà Capitibus perquam affabrè ornatis. Ecquis ullam poteſt adorationem concipere duobus illis Aquilinis Capitibus præſtitum, dum ſalutantis adoratio versùs faciem perſonámve Principis ſurſum & inter duo Aquilina Capita dirigitur? quanquam ſanè duo Capita Aquilina commodiori ſitu poſita ſunt ut quis eis ſe incurvet, quàm facies Cherubinorum. Eſt igitur undiquaq; planum ac manifeſtum, nec *populum Judæorum* nec *Pontificem Maximum* incurvâſſe ſe *Cherubinis*, nec eos ullâ ratione coluiſſe incurvando ſe versùs eos, ſed eum ſolum qui ſedebat inter *Cherubinos*, quod erat demonſtrandum. Ac proinde nullam evaſionem eſſe reliquam, quâ eludatur ſecundi Præcepti vis quod tam ſtrictè prohibet veri Dei cultum per quamvis Imaginem ſculptilem. Qui igitur ex ſenſu illius præcepti neceſſariò eſt Idololatria.

XVIII. *Idololatria in ſecundo Præcepto interdicta, ad propoſitam Idololatriæ definitionem reducta.*

18. Reſtat nunc & reducamus hoc genus Idololatriæ, (quemadmodum & in reliquis omnibus ordine fiet) ad generalem noſtram Idololatriæ definitionem, ut ſic eſſe conſtare poſſit etiam ſecundùm conſpicuam naturam notionémve rei, nempe ex eo quòd colendo Deum per Imaginem *Peculiaritates Divini Numinis* violantur. Quod evidens hîc videtur ob duplicem quidem rationem; tum ex eo quòd infinita & *irrepræſentabilis* Majeſtas Divina per Animalem Figuram ſit *repræſentabilis*, quod peculiarem Divini Numinis Excellentiam perquam turpiter deprimit ac vilificat, quippe modis adeò infinitis formam viſibilem quamlibetcunq; excedentis, ac proinde nulla *Animalis Figura* illius Repræſentativum prætendi ullo modo poteſt; tum etiam ex eo quòd Divinus cultus hiſce Figuris Animalibus *Præſentiſve ſymbolicis*, qui ſoli Deo peculiaris eſt, tribuitur.

19. Qui

19. Qui ***Divinus cultus Repræsentativas*** Figuras eas planè arguit, non merè ***Hieroglyphicas***, sive illi qui colunt eas sic appellatas volunt sive secús: Quemadmodum apertè constat ex prima ad *Romanos*, ubi Apostolus de istis Paganorum sapientibus, qui Deum cognoverint & tamen tam stolidè subtiles erant & imaginationi indulgentes, ut eum in ***Imaginibus Hominum, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium colerent***, quas ignorare non poterant, ad summum, ***Hieroglyphica*** illius tantùm esse non ***personalia Repræsentativa*** illius Deitatis, nihilominus quòd has Figuras colerent, manifestò declarat, eos mutâsse ***gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem Imaginis harum corruptibilium*** Animantium. Nam colendo has Imagines cum Relatione ad Deum, aptitudinem eis inesse naturaliter agnoscunt supponúntve ad repræsentandam gloriam Dei, *Divinámve* illius ***Præsentiam***; Quam ineffabilem igitur necesse est vilificationem esse infinitæ illius ac glorioſæ Majestatis. Et quis obsecro prætextus esse potest cur Figura ulla ***Præsentiáve Symbolica*** Divinum cultum sibi præstitum haberet, essétve ullo in sensu Objectum illius, si nullam conciperetur habere aptitudinem ad repræsentandam Divinitatem? Ac proinde ***Psalmista***, juxta hanc naturalem Notionem vel ex naturali rei actionísve significatu, (explic. part. 7.) ex eo quòd ***Israëlitæ*** vitulum aureum adorârint, eos divinam gloriam in eam animantem commutâsse declarat Psalm. 106. 19. ***Et fecerunt vitulum in*** Horeb ***& adoraverunt sculptile, & mutaverunt gloriam suam***, (i. e. Deum suum ut *Vatablus* aliíq; omnes interpretantur) ***in similitudinem vituli comedentis fœnum.*** Quod illi S. ***Pauli*** perquam aptè respondet, ***Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem Imaginis corruptibilis hominis***, Rom. 1. v. 23.

XIX. *Distinctionem inter Imagines Hieroglyphicas & Repræsentativas dum Divinus cultus eis præstatur, nihil valere.*

20. Quòd verò ***Repræsentativarum*** harum ***Imaginum*** cultus cum relatione ad Deum, Divini cultûs etiam ipsis sit præstatio, præter ***Explicationis*** partic. 7. manifestum porrò est ex Scriptura, ut Act. 7. ***Et vitulum fecerunt diebus illis & obtulerunt hostiam simulachro.*** Excipere verò hîc, sacrificium sic factum, ***Relativum*** fuisse seu ***Transitivum***, quòd ad Deum transiret, non autem ***Terminativum*** quod terminaretur in vitulum ipsum, ***Scholasticæ*** Næniæ sunt & Araneæ. Sacrificium cultûs est Deo peculiariter debitus, nec per ullam distinctionem evasionémve potest aliud quicquam eum participare, ità ut ei obferatur, Hoc quidem evidens est in hoc genere Divini cultûs, éstq; par ratio in universis. ***Adorârunt Vitulum in*** Horeb, sed cum relatione ad ***Jehovam***, quemadmodum manifestò apparet ex Historia, ac proinde cum ***Latria Relativa***, sive ***Transitiva***, non ***Terminativa***. Hæccine verò potest distinctio tam subtilis Texturæ probrum suum operire? minimè gentium. Si hæc distinctio valeret, Actúmve ipsorum justum præstare posset, cur aut ***Psalmista*** aut S. ***Stephanus*** eos criminaretur? Manifestum est igitur, ***Divinum cultum*** ità Deo soli debitum esse ut nullo quidem sensu ulli alii rei sit debitus, sed & merè naturalis externúsve Actus illi soli fieri debeat. Atq; ob id ipsum etiam per Imaginem non vult coli, nè Imago ullo in sensu sui cultûs sit particeps, quod tamen fiet in ***naturali Actûs Externitate*** si cultus fiat versùs Imaginem visibilem. Nam quantùm ad speciem externam, non aliter sanè nos adhibemus versùs Imaginem quàm versùs Deum ipsum, nec ullo alio externo Gestu utimur versùs unum quàm versùs alterum. Ut putà si Imago poneretur Dei Patris in Hominis grandævi Figura ac Habitu, vellétq; quispiam Deum adorare versùs hanc Imaginem, talem formando vultum, tam devotum aspectum, tam Religiosam seriámq; spirituum motionem in oculis quæ profundam Reverentiam quam Deo debemus condeceat; hæc certè naturalis, visibilis, externáq; cultûs Actio ad Imaginem planè transit perinde, eóq; modo quo ad Deum ipsum, talísq; est, ut major magísve vivida summæ suæ devotionis significatio à nullo supplicante fieri possit. Cui igitur, obsecro, nisi Deo soli hoc competere potest? Et propterea ut quis hujusmodi Devotionis significationes erga inanimem stipitem lapidémve adhibeat, ***Divinarum Peculiaritatum*** quàm turpissima est violatio, communicando utiq; eas tam indigno subjecto, perinde ac minuendo, obscurando, vel potiùs abolendo infinitam ac glorioſam Divini Numinis Majestatem, dum eam supponit implicátve per Imaginem ex ligno, metallo aut lapide, ***repræsentabilem***, quemadmodum suprà notavi.

XX. *Quòd colendo Repræsentativas has Imagines cum relatione ad Deum Divinus cultus illis tribuitur, ut putà Imagini Dei Patris.*

21. Et nunc quidem quantùm ad statuam Imaginémve Christi, si cultus versùs eam dirigatur cum tam Religioso vultu, támq; devoto oculorum jactu quàm antea, quibus summa significetur quæ debita sit Deo, quæve à nobis ipsis præstari possit, veneratio, manifestum est exteriorem hunc Ritualem cultum huic etiam Imagini fieri, nec magìs certè dubitari potest, quàm si osculatio Imaginis, Ritus esset, osculúmq; Imagini daretur, an Imago Objectum esset istius Osculationis cum universa illa exteriori Devotione inibi adhibita. Ac proinde Imago ad hunc modum adorata, quan-

XXI. *Quòd par Ratio sit de Imagine Christi.*

quam *relativè* duntaxat, *Divinum tamen cultum* participat. Quâ quidem participatione, Divini Numinis Peculiaritates manifestò violantur, perinde ac adolendo Incensum, aliáve quâvis ratione sacrificando Imagini; quemadmodum S. *Stephanus* de *Israëlitis* conqueritur quòd sacrificarent aureo Vitulo, quanquam cum relatione ad *Jehovam*, quod tamen Idololatriam eluere non potest.

XXII. *Relativam Idololatriam puram putam perinde esse Idololatriam, ac relativum Adulterium & Homicidium, purum putum Homicidium & Adulterium.*

22. Nam ex communi sensu pervulgatáq; omnium hominum intelligentia quivis judicet, An Actio perquam impensè incongrua Objectóq; indebito præstita, ob relationem destinatam ad Objectum debitum vel congruum possit excusari. Nihil magìs enormiter incongruum esse potest quàm ut quis *Divinum cultum* qui *Latria* est, stipiti lapidíve sculptili tribuat, qui *Idolum* vulgò appellatur vel *Imago*. Atq; *Latria* hæc huic *Idolo* exhibita id ipsum est quod maximè propriè *Idololatria* vocatur. Sed enimvero, si in exhibenda *Latria* huic *Idolo*, quod objectum est adeò impensè *incongruum*, cum *Relatione* ad objectum *congruum*, rectè agamus factúmq; sit licitum, summa rei huc recidit, Quòd *Relativa* quidem *Idololatria* sit licita, quod sensus æquè inscitus est & absonus, ac si quis diceret *Relativum Homicidium* vel *Relativum Adulterium* licitum esse. Ut si quis innocentem quemlibet in quem inciderit occideret, ut iram suam sic evomat contra nocentem qui meruisset occidi; quasi verò istud Actionem excusare possit, quò minùs existimanda sit apertum Homicidium: vel, si quis cum muliere aliena per benignam suæ absentis recordationem concumberet, crassum non esset Adulterium. Cur igitur hæc *Relativa Idololatria* aperta perinde Idololatria non est ac Relativum Homicidium & Adulterium, apertum Adulterium & Homicidium? Cúrve Homicidium & Adulterium Relativum, apertum adhuc manet Homicidium & Adulterium, nisi quòd destinata illa Relatio specificam Facti turpitudinem non tollat? Quî igitur potest destinata in *Relativa Idololatria* Relatio specificam istius facti Turpitudinem tollere, quò minùs pura puta adhuc maneat Idololatria?

XXIII. *Idololatriam relativam realem propriámq; esse Idololatriam etiam juxta præcisam notionem scholarum.*

23. Quæ tamen sic profectò manet, etiam præciso sensu notionéve *Scholarum*; cùm *Latria*, hoc in casu, reverà non sit *Transitiva* vel *Relativa*, quatenus *Latria*, sed terminata in ipsum Idolum. Nam quatenus *Latria*, ultrà transire verè ac realiter non potest, sed illîc finitur, & in relatione ad Deum Actio definit esse *Latria*, illius utiq; honos cultúsve, speciémq; mutat, & *Actus contumeliæ*, contemptûs, inobedientiæ, turpissimæq; ignominiæ adversùs eum evadit. Nec potest intentio *Religionistæ* specificationem Actûs alterare, quò minùs ignominiæ actus sit adversùs Deum, quamvìs evitari non possit, quin Deus illius Actûs sit *Objectum*, sed Objectum erit Actûs sub hac specificatione ignominiæ. Quemadmodum fit in Medico qui per talem medicinam Ægrotum curare intenderit, sed reverà eum eâdem, tanquam propinato veneno, perimit. Ægrotus nihilominus quicquid intenderit Medicus, nullum est *realis* Curationis Objectum, sed è contrà *Peremptionis* solius. Quamobrem cùm nulla *realis* Latria in hac *Relativa Idololatria* ad Deum transeat sed ignominia tantùm ac contumelia, *Latria* reverà (cuicuimodi fuerit Intentio) in Imaginem Idolúmve terminatur, ac proinde *Idololatria* est in sensu *Scholastico* maximè proprio. Etenim unus idémq; Actus quemadmodum contrarias *specificationes* respectu duorum diversorum Objectorum habere potest, ità & duas diversas *Terminationes* respectu eorundem. Exempli causâ, unus homo Rosis delectatur, alter magnâ adversùs eas laborat antipathiâ, tertius Rosarum calathum in locum introducit; Hic unus Actus & *gratificatio* est & *offensio*, gratificatio quidem illi qui delectatur Rosis, offensio verò isti qui Rosas tantoperè aversatur: Actus *gratificationis* in unum horum Objectorum terminatur, in eum scilicet cui gratæ sunt Rosæ; Actus verò *offensionis* terminatur in alterum. Pari planè ratione, Actus *Latriæ* Diviníve cultûs in Imaginem Idolúmve terminatur, Actus *ignominiæ* & contumeliæ in Deum, qui provocatur, cujúsq; detrectatur autoritas. Quid potest esse manifestius? Quamobrem cùm Divinus cultus in Imaginem Christi terminetur, nec ad eum *verè* ac *realiter* transeat, sed tantùm secundùm ineptam nostram intentionem, palàm est *Divinas peculiaritates* hoc pacto violari propriámq; esse Idololatriam.

XXIV. *An Divinus cultus versùs Imaginem Christi præstitus irrepræsentabilitatem Divini Numinis violet, ut & versùs Imaginem Spiritûs S.*

24. Restat verò magìs curiosa quæstio, utrùm cultus Divinus versùs Christi Imaginem præstitus alteram illam in se etiam involvat *Peculiaritatum* Divini Numinis *violationem*, ex eo quòd *Repræsentabile* hoc pacto fiat per Imaginem? Etenim cùm *Christus* homo perinde sit atq; Deus, statum quæstionis valdè differentem videtur efficere ab eo de Imagine *Dei Patris*. Verùm respondeo, parem utrobiq; esse rationem, cùm Christus æterna, infinita ac glorioſa Majestas Divina sit æquè ac Homo, nec cultûs Divini capax nisi quatenus sit Majestas illa Infinita. Quamobrem qui Imaginem erigit eámq; Christi Imaginem appellat, Divinúmq; cultum versùs eum dirigit,

æternam

æternam ac infinitam Dei Majeſtatem æquè palpabiliter deprehenditur, per lignum lapidémve ſculptilem, facere repræſentabilem, atq; is qui Divinum cultum versùs iſtiuſmodi Imaginem ſculptilem Dei Patris direxerit. Pater enim & Filius æquales ſunt, Filiúſq; proinde *æqualiter irrepræſentabilis*, quantùm quidem ad id quod in ipſo Divini cultûs ſit capax. Quod tamen hæc Imago repræſentare prætendit prætendendo ſe Chriſti eſſe Imaginem, ac proinde illam infinitæ ac glorioſæ Majeſtatis Divinæ peculiaritatem violat, quæ eam irrepræſentabilem facit per ullam Imaginem corpoream. Qui Chriſtum adorat, ipſum Divinum Numen adorat, ac proinde Majeſtatem illius blaſphemare non debet eam repræſentabilem faciendo per ullam corpoream Imaginem. Divinum Numen humanæ Naturæ Chriſti Templo Hypoſtaticè quidem unitum inſidet, verùm æterna ac infinita Divinitas ſola eſt quam illîc adoramus. Tam parum ſupereſt ſcrupuli, qui aut *Judæum* aut *Turcam* impedire poſſit, ex ulla ſuſpicione Idololatriæ, dum Chriſtum ſic colimus, quò minùs fiant Chriſtiani.

Quod verò de Patris ac Filii Imaginibus Statuíſve diximus, idem de Imagine *S. Spiritûs* dicendum eſt. Columba Hieroglyphicum quidem illius eſſe poteſt, ut Deſcriptio illa Antiqui dierum apud *Danielem* Hieroglyphicum Dei Patris; Divinum verò cultum versùs hujuſmodi Columbæ Imaginem dirigere, eadem prorſus Idololatria eſt quæ facta eſt versùs Imagines Dei Patris Chriſtíque.

25. Nulla igitur ſymbolica Præſentia, ſtabilíſve ac viſibilis *Figura Animalis* præter ſanctam Humanitatem Domini Jeſu Chriſti, quæ cum æterna Divinitate Hypoſtaticè unita eſt, cultum Divinum habere poteſt versùs ſe exhibitum, quin ipſo facto ſit Idololatria. Peculiare, inquam, Privilegium eſt Humanitatis Chriſti, ut capax ſit Divini cultûs versùs ſe præſtiti, propter unionem cum Divinitate, quemadmodum corporis privilegium eſt hominis ſapientis & virtute eximiâ prædíti, propter ſapientiam virtutémq; quæ in illius anima reſident, magnam illam habere versùs ſe factam Reverentiam ſolius Animæ gratiâ cum qua Hypoſtaticè eſt unitum. Animâ verò ſemel ſeparatâ per mortem, corpori, ſecundùm communem omnium hominum ſenſum praxímque conſueta illa Reverentia diutiùs non præſtatur, ut quæ ſolius animæ causâ ſemper præſtabatur. Adeò ut medium quoddam honoris genus peculiare, (majus quidem quàm cujus ulla alia creatura capax ſit, minus verò Divino,) Humanitati Chriſti, virtute Hypoſtaticæ illius unionis cum Divinitate, (quod in Imagine Chriſti non fit) naturaliter obtingat. Et propterea, præter craſſam illam Idololatriam in Divino cultu versùs illius Imaginem exhibendo, ſuprà memoratam, eſt etiam illîc hujus ſanctæ Humanitatis Chriſti Privilegii violatio. Versùs quam *vivam* Divinitatis *Præſentiam ſymbolicam* ſolam, Divinum exhibere cultum, quando viſibiliter in terris verſabatur, futurum fuiſſet conſentaneum, nempe poſtquam perſpicua unionis illius cum Divinitate facta eſſet declaratio. Quæ magìs apertè ac tempeſtivè manifeſtata eſt poſtea per S. *Johannem*. Sed enimvero, ſi profundam illam ac ineffabilem B. Servatoris humilitatem conſideremus, qui cùm quidam ei dixiſſet, *Magiſter bone*, ſtatim hominem increpavit, declarans nullum eſſe bonum niſi unum, nempe Deum, Marc. 10. v. 17. valdè profectò videtur veriſimile, ſi quis expreſſum Divinum cultum versùs viſibilem illius Humanitatem exhibere voluiſſet, ut *Lycaonii* qui *Paulo* & *Barnabæ* ſacrificare voluerunt, quòd fuiſſet recuſaturus. Sed hoc tantùm obiter dictum eſto.

XXV. *Nullam ſymbolicam Præſentiam præter ſanctam Humanitatem Chriſti, Divini cultûs capacem eſſe versùs ſe falſi.*

26. Hactenus de Imaginibus quæ referuntur ad Deum. Quibus ex ſententia *Concilii Nicæni* (præſtanti illo doctóq; ac limatiſſimi judicii Patriarchâ *Conſtantinopolitano Photio* interpretante) aſſignata eſt *Latria relativa*, quam & *Azorius* Jeſuita conſtantem agnoſcit *Romanorum* Theologorum fuiſſe opinionem. Et certè ut ſic ſit, magna videtur neceſſitas, quò commodior fiat hoc genus Religionis ſenſus. Nam Incenſum adolent hiſce Imaginibus, quòd ſacrificium quoddam eſt; cúmq; preces effundant coram ipſis oculóſq; & manus versùs ipſas tollunt cum compellationibus Imagini Prototypóq; communibus, hoc etiam Precationis ſacrificium eſt ipſis oblatum æquè ſane directò & expreſſim, ſi non magìs, quàm ſacrificia in altari *coram* Vitulo aureo, *ipſi aureo Vitulo* offerebantur. Quod quidem quoniam factum eſt ſuper Altare coram Imagine, S. *Stephanus* plenus Spiritu ſancto, apertè declarat, eos *ſacrificâſſe Idolo.*

XXVI. *Neceſſitas ut Pontificii Latriam relativam eis Imaginibus præſtitam agnoſcant quæ referuntur ad Deum.*

Quamobrem cùm tam evidens ſit, quòd in hujuſmodi caſibus agnoſcere debeant ſe *Latriam* exhibere Imaginibus, videbatur ſanè ſcitiſſimum tutiſſimúmq; Inventum, declarare in genere, Imagines, quæ referuntur ad Deum, *Latriam* ſibi factam habere debere, non autem *abſolutam* ſed *relativam*, quò, quemadmodum illi putant, inferius quoddam *Latriæ* genus evadat, quandoquidem *Latria* hæc relativa

(propter

(propter relativam ſuam rationem) Deo ſit incompetens. Quàm bellum autem hoc ſit ſubterfugium ſuprà notavimus.

Quòd verò hic ſenſus ſit ipſorum Eccleſiæ, etiam ipſius Concilii *Tridentini*, in confeſſo eſt apud *Azorium* ab eóq; ſpeciatim notatum, & conſentaneum ſanè ſi non neceſſarium ut ab unoquoque, qui hiſce Imaginibus colendis ſeriò dat operam, agnoſcatur. Nam ſi *Latria relativa* non eſſet, ſed talis cultus cujus ipſæ Imagines ſint capaces, cujúſq; Objectum ultimum eſſe poſſint, cultúſq; illîc poſſit terminari, quàm tenue & exiguum, quàm vile ac depreſſum Cultûs genus eſſet illud futurum? Adeò ut reperiretur merus luſus inutilíſq; cum Imaginibus connugatio, cultu Imaginis quantumvis ad Deum relatæ, illius Adorationem nihil omninò promovente animúmve acuente ad Religionem, ſed neceſſariò potiùs nos deprimente (dum cultus reſtringitur ad id cujus Imago ipſa Objectum ſit ultimum) ad maximè evanidum tenuémq; cultûs modum, qui exprimi poteſt, modò ſit, quod profectò fieri oportet, tam parùm digno Objecto commenſuratus. Quamobrem incredibile prorſus eſt ut hic ſenſus ſit colendi Imagines ad Deum relatas, ullíve è Populo, qui eas docentur colere, illas non colant, ſummum illum affectum ac venerationem exerendo, quibus utuntur erga Deum, cùm Imago ad Deum referatur, ipsíq; doceantur etiam ſecundùm ſententiam Concilii *Tridentini*, per Imaginem Chriſti, quam adorant, Chriſtum ipſum adorari. Tam manifeſtum eſt, actum Adorationis ante Imaginem ad Deum relatam, deſtinatam eſſe Adorationem Dei ipſius, ſecundùm Concilium *Tridentinum*.

Vide Antidot. cap. 17. ſect. 1.

Quantùm verò ad ſuffugia privatorum Doctorum illius Eccleſiæ pro re nata adhibita, qui Incurvationis cultum Devotioníſq; ſigna eundem concomitantia in ipſam Imaginem volunt terminari, ut certò ſic viam præcludant omni ſenſui ſignificationíve *Latriæ*, quàm miſerè illis hærebit aqua in ſolvendis difficultatibus de adolendo Incenſo precibúſq; ad Deum effundendis ante has Imagines ad eum relatas? ut taceam ſecundum Præceptum hujuſmodi Tergiverſatoribus planè contravenire, quod univerſim Incurvationem prohibet versùs Imagines ad Deum relatas, quò objectum cultûs fiant quoquam modo, nec ullis ſe Deus eludi patietur evaſionibus. Eſt enim Deus zelotypus, &c.

Nec omninò ſanè indecorum erat (quanquam minùs fortean methodicum,) ſubterfugio adeò diſtorto ac abſurdo viam tam ſtrenuè intercludere, addam etiam *Tridentino* Concilio adeò repugnanti, (qui *Lapis Lydius* eſt eorum Fidei,) ubi hiſce verbis expreſſis declaratur, quòd *per Imaginem Chriſti Chriſtum adoramus*. Ea verò *Adoratio* quæ Chriſto fit, *Divina Adoratio* eſt & conſequenter *Latria*.

XXVII. *Reductio cultûs Angelorum & Sanctorum ad Definitionem propoſitam & nominatim Invocationis votorúmq; eis factorum.*

27. Pergimus jam ad conſiderationem Imaginum *Præſentiarúmve ſymbolicarum Sanctorum* & *Angelorum*, ad omnéſq; modos religioſi ipſorum cultûs: quorum Invocatio maximè principalis eſt, & ſcopus quaſi ac fundamentum omnium reliquorum. Quem quidem ipſorum cultum etiam *Idololatricum* eſſe manifeſtâ ejus reductione ad propoſitam Definitionem *Idololatriæ* planè demonſtrabo. Quod ſumma cum brevitate, cùm nulla omninò hac in re difficultas ſit, effectum dabo. Exordium autem ſumam ab *Invocatione*, quam in *Antidoto* ad nullam *inviſibilem Poteſtatem* Spiritúmve præter ſolum Deum pertinere probavi. Propterea quòd nemo firmam fidem habere poteſt aut certitudinem quòd Invocationes noſtras audire poſſint ullámve habeant Omnipræſentiam vel Omnipercipientiam, nè terreſtrem quidem. Unde manifeſtum eſt in eis invocandis unam è *Divinis Peculiaritatibus* violari vel profanari, ex eo quòd communicetur creaturæ, cùm ſoli Deo jure ſit attribuenda. Siquidem Sancti nullam hujuſmodi *Omnipercipientiam* vel *Omnipræſentiam* in ſe habent, quemadmodum ipſe *Thorndikius* homo aliàs ſuperſtitionibus Pontificiis nimiùm quantùm addictus, non poteſt non fateri.

Invocare verò eos ab eíſq; iſtiuſmodi res petere quas penès Deum ſolum ſit largiri, quod omnes *Papiſtæ* faciunt, quemadmodum idem *Thorndikius* planè aſſerit, nec figurati ſermonis prætextu eludi poteſt, (utì ex Definitionis explicatione patet partic. 8.) hæc duplex Idololatria eſt, ut quæ duas *Divinas Peculiaritates* ſimul violat, tum *Omnipræſentiam* ſive *Omnipercipientiam* Divinam, tum illius *Omnipotentiam*, dum eam potentiam Creaturæ attribuunt, quæ ſoli inſit Deo. *Sancto* verò cuivis *Angelóve* vota facere in iſtiuſmodi periculis, à quibus nos creatura liberare poſſit, idem ferè Idololatriæ genus eſt, quod *ſimplex Invocatio*, nempe ſi utraq; aut *mente* tantùm concepta ſint aut *voce* pariter prolata.

XXVIII. *Idololatria erigendi Templa, Altaria, Imagines eu Præſentias ſymbolicas Sanctis Angeliſve ad propoſitam Definitionem reducta.*

28. Jam verò quod ad Erectionem *Templorum*, *Altarium*, *Imaginum*, ſeu *ſymbolicarum Præſentiarum* Sanctis Angeliſve factarum attinet, quæ omnia manifeſtò cum Relatione ad Invocationem fiunt, indè quidem planè liquet, omnia in finem

Idololatricum

Idololatricum fieri, ac ob eam ipsam rationem atrâ Idololatriæ fuligine maculari. Cæterùm ut distinctiùs porrò agamus, cùm Deus hos cultûs modos sibi ipsi appropriaverit, cúmq; illius judicium quid ipsi, quando ratione magìs externâ ac rituali coli vult, maximè conveniat aptissiméq; congruat, sit infallibile, evidens profectò Præsumptio est ac Profanatio *Peculiaritatum* illius Numinis, eosdem Creaturæ communicare, quemadmodum probavi in *Antidoto*. Et postremò ipsa rei natura Idololatriam demonstrat, cùm sint permanentes significationes naturalium *Peculiaritatum Dei* Creaturæ communicatarum. Templum enim *Præsentiáq; symbolica* congruenter securéq; erigitur Deo, quoniam certi sumus de illius inibi residentia seu Præsentia, quemadmodum & ναὸς inhabitationem Divini Numinis inibi innuit. Sint certè quot voles, *symbolicæ Præsentiæ Templáque*, & ad quantam voles distantiam, Deus certò domi erit in omnibus, quippe qui omnipræsens est. Quod verò ad finitam *invisibilem Potestatem* Spiritúmve attinet, quamvìs unicum tantùm Templum, *Præsentiáve symbolica* ei erigeretur, nulla foret hujus Spiritûs residentiæ inibi certitudo, vel si effectus esset alicujus Spiritûs ibi præsentis, quòd non alius aliquis Spiritus sit quàm is cui Templum vel symbolica Præsentia erat erecta, quòd non sit alius *Sanctus Angelúsve* pro alio, immò quòd *Diabolus* non sit loco *Angeli Sanctive*. Templa verò hæc *Præsentiæq; symbolicæ* cùm in multis locis longè invicem dissitis erigantur, planè supponit ex *naturali* rei *significatu* eos in multis locis distantibus esse simul, quæ solius Divini Numinis *peculiaritas* est. Μόνῳ γὰρ τῷ Θεῷ ἐν δυσὶ τόποις, ἐν αὐτῇ τῇ ῥοπῇ ἐνεῖναι· & rursus, Οὔτε γὰρ ἄγγελος δύναται ἐν διαφόροις τόποις ἐν αὐτῇ τῇ ῥοπῇ ὑπάρχειν, οἱ μὴ μόνος ἀπερίγραπτος Θεός, quemadmodum ex *Athanasio*, & *Anastatio Niceno* alibi notavimus. Quæ incongruitates etiam observandæ sunt in *Altari* erigendo aut singulari aut pluribus in locis longè dissitis, eidem *Sancto Angelóve*. Ut præteream odiosam illam relationem ad *sacrificium*, quódq; supponit Sanctis etiam Angelísq; sacrificari, quod aperta confessáq; est apud omnes *Idololatria*.

29. Neq; ulla hinc afferenda est huic rei excusatio, quòd *Templum* & *Altare* Deo solì *principali sensu* prætendantur erigi & dedicari, *Sancto* verò, *respectu secundario minúsve principali*. Nam præterquam quòd Deus zelotypus est, omnísq; impatiens consortis in honoribus sibi ipsi debitis, (quanquam νόμῳ tantùm non autem φύσει ei deberentur) *naturalis* erigendi *Templa* ac *Altaria* finitæ creaturæ, intentione Agentis mutari neutiquam potest *significatio*. Quod sicuti jam notavi, Omnipræsentiam illius innuit, quæ soli propria est ac peculiaris Deo. Ac proinde communicatio hæc *Peculiaritatis* Divini Numinis, Creaturæ, quicquid nos intenderimus, Idololatria est juxta perspicuam illius Definitionem. XXIX. *Evasioni occurritur.*

30. Quantùm ad superstitiosùm Cultum versùs nudas *Præsentias symbolicas* apertáve Sanctorum aut Angelorum *Imagines* præstitum, supponendo eundem prorsus esse qui ipsi Sancto Angelóve præsenti ac visibili præstaretur, quòd hoc eos repræsentabiles innuat, nulla profectò est Idololatria. Nam quòd *illi* sic fiant per Imaginem repræsentabiles, ad *Divinas* quidem *Peculiaritates* nihil attinet nec easdem violat quoquam modo. In hoc verò versatur *Idololatria*, quòd Actus, eos certò præsentes supponat; (Valdè enim absona res est & incongrua ut quis se personæ absenti incurvet:) Et verò cùm hæ *symbolicæ Præsentiæ* multæ sint, Locísq; longè à se invicem distantibus, *Angelum Sanctúmve* pluribus uno locis esse simul, tantúmq; sortiri *Omnipræsentiæ* quantum nulli competere agnosci potest, præterquam soli Deo; adeò ut illa *Divina Peculiaritas*, quando quis se ad hunc modum *symbolicis Præsentiis Imaginibúsve Sancti* vel *Angeli* incurvat, violetur. XXX. *Idololatria incurvandi se versùs Imagines Sanctorum & Angelorum in quo consistat.*

31. Et certè quamvìs nulla *necessaria* sit inter res connexio, valdè magnum tamen est periculum, in vulgo præsertim, quando se incurvant versùs Imagines *Sancti* vel *Angeli*, eósve ante dictas Imagines invocant, periculum est, inquam, nè in summam procurrant Devotionem & Reverentialem affectum ac Passionem in quam humana Natura excitari potest, vultúve ad Religionem composito motionéve spirituum in oculis profundè devotâ, exprimi. Quæ Passio ejúsq; significatio soli debentur Deo. Estq; *Idololatria* perquam sordida, ut quisquam eam *Sancto Angelóve* applicet, multóq; magìs intolerandum quando Imaginibus eorum adhibetur ligneis aut lapideis, quantâcunq; arte pictæ sint & deauratæ. Manifestum est enim quòd per istiusmodi cultum specialis *Dei peculiaritas* violatur, qui solus hoc genere Devotionis est colendus. Quam tamen observavi à Plebe simplici æquè ad plenum expressam versùs Sancti Imaginem, atq; unquam factum memini ab homine maximè devoto in suis precibus ad Deum. Adeò ut non de nihilo sit quòd hoc à me hîc obiter sit notatum. Et certè si hoc fiat versùs Imaginem Sancti, indubitanter concludere licet, non posse quin fiat versùs eas Imagines quæ ad Deum ipsum referuntur. Cæterùm hoc præter propositum scopum est. XXXI. *Periculum nè vulgus eam* Devotionem *quæ Deo debetur in colendis Sanctorum & Angelorum Imaginibus adhibeat.*

32. Quod

XXXII. *Ritus adolendi Incensum & accendendi Lucernas coram eis, ad Definitionem reductus.*

32. Quod ad Ritum attinet adolendi Incensum & accendendi Lucernas coram *Præsentiis symbolicis* Sanctorum & Angelorum; cùm consuetudinis adolendi Incensum & accendendi Lampadas ante *symbolicam Præsentiam Jehovæ* in Sanctuario tam conspicua sit Imitatio, manifesta profectò violatio est Illius Peculiaritatum proprio suo delectu sic judicatarum. Et quantùm ad *Incensum*, sacrificium esse aliàs innui idq; nobilissimum ac significantissimum. Paríq; profectò jure Sacrificium ex Ovibus Bobúsq; in inferiorem ceremoniam deprimere possunt, atq; hoc Incensi. Nam ex usu consensúq; Nationum ad supremi Numinis cultum alterum altero magìs non restringitur. *Lampadésq;* ac *panes Propositionis* indicare videntur *Jehovam, patrem Luminum, à quo provenit omne perfectum donum, quiq; suâ bonitate pascit universa.* Et Lucernæ ante Imagines *Sanctorum* & *Angelorum*, tanquam si & illi Lucularum quarundam paterculi essent, Lumen ac solatium expectandum esse à supplicantibus qui preces suas versùs has *symbolicas Præsentias* fuderint, saltem subinsinuant; ac si præsentes utiq; illìc essent ad assistendum eis qui ipsos invocaverint opémq; eorum imploraverint. Quod *Omnipræsentiam* quandam sive *Omnipercipientiam* finitis hisce ac creatis spiritibus inesse supponere vel implicare etiam atq; etiam inculcavi, & consequenter *Divinarum Peculiaritatum* esse violationem. Tam facilè varii illi Actus Idololatrici in Ecclesia *Romana* observati in *Sanctis Angelisq;* colendis ad perspicuam Definitionem reduci possunt verámq; Notionem generalem Idololatriæ quam proposuimus. Quantùm verò ad sublimes illas Compellationes, ad B. Virginem præsertim, tales utiq; quæ *peculiares* Divini Numinis *Excellentias* planè denotent, sunt sanè tam apertè *Idololatricæ* ut nullâ indigeant reductione.

XXXIII. *Perplexitates quæ obtenduntur in Mysterio SS. Trinitatis nullâ cum Ratione afferri posse contra perspicuas demonstrationes quòd Doctrina Transubstantiationis sit falsa.*

33. Ut nec *Artolatria* ipsorum apud eos qui libero judicio sint, illúdq; credant quod certissimè verum est, quòd Panis scilicet non sit *Transubstantiatus*, quemadmodum iterum atq; iterum in *Antidoto* adversùs *Idololatriam* irrefragabiliter demonstravi. Quarum demonstrationum perspicuitatem perplexitates quæ obtenduntur in Mysterio SS. *Trinitatis* neutiquam possunt obscurare, cùm & inter ipsa *Objecta* & inter *Facultates* hinc atq; illinc tam immensùm sit discrimen. Etenim in Transubstantiatione *Objectum* materia est seu corpus, substantia finita & quæ à sensibus nostris ac ratione facilè potest comprehendi. In Mysterio Trinitatis *Objectum* est infinita & incomprehensibilis Deitas, substantia incorporea, seu *spiritus* ad quem *sensus nostri* non pertingunt nè in infima quidem illius notione. Triuna verò Deitas etiam *Rationem* nostram transcendit, quamvìs ipsi non repugnet. Nunc verò *Facultates* quæ versantur circa *Transubstantiationem*, sunt quinq; sensus in debitis circumstantiis constituti, *Organo* utiq; *Distantiâ* & *Medio* congruenter dispositis ac proportionatis, unde *Sensus* necessariò capaces evadunt dijudicandi quale sit Objectum, corpus hoc sit an illud, *Humanum* putà *corpus* an *Panis fruſtulum.* Ad hæc, non *exterior* sola *ratio* sed illud etiam quod Græci νοῦν appellant (qui primas & per se evidentes *Notiones communes* complectitur sive *Axiomata*, quæ sine ope syllogismi *Noëmaticè* vera ac manifesta sunt) *Objectum* plenè firmitérq; apprehendit in hac controversia. Quandoquidem *Transubstantiatio* in apertas cum hisce ac manifestas repugnantias facilè resolvitur, quemadmodum abundè in *Antidoto* illiúsq; *Defensione* demonstravi. In Mysterio autem Trinitatis nulla omninò est aut cum *externis Sensibus* aut *communibus Notionibus* repugnantia; *Exterior* tantùm *Ratio* ac *Imaginatio* nebulas aliquas circa eam & obscuritates obducit, quas animi in contemplatione bene exercitati facilè cernunt, simúlq; à venerando hoc Mysterio dispellunt in quantum antiquis Ecclesiæ Catholicæ Symbolis nobis exhibetur. Quamobrem è duabus conclamatis opinionibus illa minùs desperata videtur, quæ tametsi Panis non sit transubstantiatus, modò interim transubstantiatus credatur, præstare vult ità credentes non fore *Idololatras*, quàm quæ Panem transubstantiat ut sic evitetur crimen *Idololatriæ.*

XXXIV. *Quòd credant Panem in Eucharistia non esse, Pontificios neutiquam liberare ab aperta* Artolatria, *quæ est* Idololatria.

34. Atq; equidem fateor meipsum olim in hanc Opinionem proclivem fuisse, hoc in casu eos non fore Idololatras (vide *Ideam Antichristianismi*, lib. 1. cap. 13. sect. 6.) antequam rem pressiùs & anquisitiùs considerâssem. Neq; nunc dierum desunt profectò Ecclesiæ *Romanæ* arguti Patroni qui miro suadendi artificio & eloquentiâ minùs cautos in hanc securitatem trahunt, nempe quòd si Panis *non Transubstantiatus* reperiretur, *Artolatras* tamen eos esse non posse qui credunt *Transubstantiatum.* Nam dum credunt *Transubstantiatum*, credunt etiam illìc non esse, nempe intra *Symbola* seu *species*, indéq; prætendunt evidenter demonstrari posse se eum non posse colere, sed *Christum* duntaxat in cujus substantiam creditur transubstantiatus. Nam quidquid sumitur, inquiunt illi, pro Objecto Cultûs, Intellectum

lectum oportet affirmare, (aut verè aut falsò) illîc esse quò cultus dirigitur; Quod argumentum plausibilem præ se fert acuminis speciem; Verùm respondeo, Ubi quid Objectum cultûs sit per errorem, nihil necesse est ut Intellectus illîc esse affirmet, sed potiùs contrarium. Neq; enim existimat indebitum Objectum illîc esse sed debitum. Qui *Solem* adorabant, illud utiq; quod nos appellamus Solem, quódq; flammeum quoddam esse corpus sensûs & intelligentiæ expers intelligimus, eandémq; sui speciem *Heliolatrarum* oculis exhibebat atq; nostris (quemadmodum species eadem eis apparet qui panem *Transubstantiatum* credunt atq; eis qui idem non credunt) quocunq; demum nomine appelletur, ii sanè non credebant, id quod nos scimus Solem esse, illîc esse, sed intellectuale Numen, qualis Sol non est; & tamen nihilominus agnoscimus omnes eos *Heliolatras* fuisse & consequenter *Idololatras*. Quamobrem modò *justis ponderibus ac mensuris* uti velimus, *Pontificios* etiam concludere debemus *Artolatras* & ex consequenti *Idololatras*, cùm Panis non sit *Transubstantiatus*, siquidem Adoratio eorum in *Panem* tunc, loco Christi, delabitur, ut *Heliolatrarum* in *Solem* loco intellectualis Numinis. Qui amico colaphum impingit in fusco crepusculi, inimicum esse ratus, amicum illîc non esse planè censet, qui tamen nihilominus seipsum ictûs illius Objectum sentit cum magno suo malo, optátq; se illîc non fuisse. *Idololatriam* hanc per errorem committi lubens agnosco, verùm idem fit in omni *Idololatria*, quæ ex serio Animi instituto committitur; adeò ut hoc factum liberare non possit à tam nefarii criminis ignominia. Quòd verò Idololatria sit evidens est, cùm panis frustulo *Divinus* deferatur *honos*, quæ Peculiaritas est Divini Numinis, nulli nisi ipsi tribuenda. Violatio verò cujusvis *Divinæ Peculiaritatis* Idololatria est, per propositam Definitionem.

35. Virtute cujus Definitionis varias *Romanæ* Ecclesiæ *Idololatrias*, in colendis *Imaginibus Christi*, in *colendis invocandisq; Sanctis* atq; *Angelis*, & in *adoranda* deniq; *Eucharistia* planè apertéq; demonstravimus. Ac virtute quidem ejusdem Definitionis *Paganorum Idololatriæ* æquè clarè, in colendo supremo Numine per Imagines, retegi possint, & in Religioso cultu quem *Dæmonibus* suis exhibebant, quémq; hæc Definitio facilè probaret esse *Divinum*. Verùm hoc omninò extra præsentem scopum foret, nec omninò utile, aut argumento quod præ manibus est congruum.

XXXV. *Applicationem Idololatriæ Paganicæ ad hanc Definitionem, extra præsentem esse scopum.*

36. Restat nunc tantùm ut Ceremonias aliquas in nostra Ecclesia usurpatas, applicando eas ad hanc Definitionem, ab imputatione *Idololatriæ* perinde atq; multas *Romanæ* Ecclesiæ Idololatricas evicimus, liberemus. Quæ non minùs utilis erit quàm, fortean, jucunda nostris consideratio, dum observant, quàm frustrà Adversarii manus injecturi sint tenuibus istis funiculis quibus nos rursus retrahendos sperant in *Papismum*. Nam si Definitio *Idololatriæ* illis applicari non potest, manifestum est eas non posse esse Idololatricas. Definitionem verò eis applicari non posse tam facilè ostenditur, ut huic Argumento insistere minimè sit necesse. In genere igitur notandum est quàm ingens discrimen sit inter *Religiosum* cultum propriè sic dictum, qui idem est qui cultus *Divinus*, ac pium vel *Religiosum affectum* & *respectum Præferentiámve* unius rei præ altera, propter relationem quam habet ad Objecta exercitiúmve *Religionis* nostræ *Divinive* cultûs. Est quidem paulò inurbanius proverbium, *Si amas me, ama canem meum*, significationem tamen habere potest à præsenti instituto minimè alienam. Non est enim intelligendum de *Amore Amicitiæ*, sed de istiusmodi *Amore* cujus inferior illa creatura sit capax, quémq; par sit illi impertiri cum relatione ad Dominum suum cui debeatur *Amor Amicitiæ*. Ità illi qui sinceram erga Deum gerunt Divinam Reverentiam, minimè mirum est si animum in se proclivem sentiant ad aliquam habendam Reverentiam respectúmve erga eas res vel personas quæ speciali modo ad eum referuntur: sive *Sacerdos* sit seu *Templum*, ullúmve *sacrum vas*, & id genus alia. Quæ Reverentia toto genere differt ab illo *Divino cultu* seu *Reverentia* quæ ipsi Deo debetur (plus inquam differt quàm Amor Amici ab amore caniculæ illius) ac proinde nulla esse potest *Divini Numinis Peculiaritas* & consequenter nulla *Peculiaritatum* illius violatio, si alteri alicui tribuatur. Quæ vera Notio est Idololatriæ.

XXXVI. *Magnum discrimen inter Religiosum respectum vel præferentiam & Cultum Divinum.*

37. Paucis aliquibus hoc exemplis illustrabimus & sic concludemus. Qui capita aperiunt in Ecclesia, idémq; faciunt etiam tunc cùm Liturgia publica illîc non celebratur, nullo pacto concipiendi sunt Divinam Reverentiam cultúmve Deo peculiariter debitum, Ædificio in quo sint præstare; sed quia locus hic ad usus sacros est separatus & differentis conditionis à locis ordinariis qui talem relationem ad Deum Divinúmq; cultum non habent, ex profundæ Devotionis habitu erga Deum, inferiorem hanc affectionem & reverentiam erga locum illius cultûs etiam exprimunt,

XXXVII. *Aperto capite versari in Ecclesia per hanc Definitionem ab Idololatria liberatum.*

per modum *Diſcriminationis* & *Præferentiæ* illius præ aliis ædificiis communibus, quantâcunq; magnificentiâ ſint extructa. Quod certè non eſt reverentiam exhibere ullo modo æqualem, ejuſdémve generis cum ea quam præſtamus Deo, ſed major tantùm alîúſq; claſſis reverentia eſt quàm ea ſit, quam ulli loco exhibemus qui non refertur ad Deum. In quo quidem nihilo plus Idololatriæ eſt quàm quòd *Moſes* calceos ſibi de pedibus detraxerit quia terra ſacra erat, ob ſpecialem Dei illîc apparentis præſentiam. Ac proinde nequaquam incongruens erat aliquam ipſi loco exhibere reverentiam in iſtis circumſtantiis, nec profanare aut contaminare cænoſis pedibus. Quinimò neceſſarium erat ſi expreſſum Dei ſpectes præceptum. Vel ſi quis ultrò ſic faceret, eo ſenſu reverentiæ quem inſinuavi, quamvìs *ſuperſtitioſum* quidem eſſe poſſet ſub Chriſtianitate, non poſſet tamen eſſe *Idololatricum*, cùm nullæ *Divini Numinis Peculiaritates* indè violentur.

XXXVIII. *Ut & oſculatio Bibliorum in Juramentis accipiendis.*

38. *Deoſculatio* etiam *Bibliorum* in Juramentis accipiendis, quæ in uſu eſt apud nos (quæq; ſecundùm propriam vocis Notationem, appellari poteſt *Adoratio*, cùm ea vox aut admotionem oris rei oſculandæ, aut manûs Adorantis admotionem ſuo ori propriè ſignificet, atq; ſic eam oſculando, quòd amorem noſtrum atq; affectionem præcipuè, ſed honorem ſimul erga perſonam vel rem oſtendimus, quam ad hunc modum ſalutamus) hæc Ceremonia nihil aliud eſt quàm ſignificatio amoris ac exiſtimationis quam habemus etiam de *materiali*, ſi ità loqui fas ſit, *verbo* Dei, cujus lectione tam Divina ſolatia ac voluptates percipimus, quódq; nobis notitiam impertit Divinæ voluntatis & ſalutis illius quæ per Jeſum Chriſtum in hoc libro revelatur. Et ſi quis poſt ſeriam alicujus Capitis lectionem, corde ejus geſtiente præ gaudio ſanctáq, Conſolatione abundante, (ex pio affectu erga ipſum Inſtrumentum tantæ gratiæ ac ſolatii ipſi communicati) oſcularetur demum Biblia dum deponit, quæ major Idololatria in hoc eſſet, quàm ille commiſerit, qui Biblia pectus inter ac brachia tam arctè è ſuggeſto in conſpectu Populi compreſſit ad ſignificandum quàm chara ipſi eſſent eſſéq; debeant univerſis?

XXXIX. *Incurvationem versùs Altare mensámve Dominicam ſub veram notionem Definitionémve Idololatriæ non cadere.*

39. Et quantùm ad *Incurvationem versùs Altare*, qui ſic faciunt, per illam Actionem proculdubio Deo Adorationem intendunt propriè ſummóve ſenſu ſic dictam, ità ut ſpecies ſit *Latriæ*. Quæ quòd versùs locum dirigatur, ex ſe Idololatria eſſe non poteſt, cùm omninò peragi non poſſit, quin versùs aliquem dirigatur locum. Et ſi Eccleſia *Uniformitatis* gratiâ unum locum eligat præ reliquis, modò Adoratio *versùs* eum tantùm ſiat, non poteſt eſſe *Idololatria*. Etenim Deum colere *versùs locum* quàm *in loco* non major eſt Idololatria; Utræq; enim tantùm *Circumſtantiæ* ſunt, non autem Divini cultûs *Objecta*. Jam verò poſtquam par eſſe ſtatuerit ut Adorationem adhibeamus quum primùm in Dei domum introiverimus, ut & *uniformitatis* causâ versùs certum aliquem illius locum partémve, cúmq; totus locus aliquâ ratione ſanctus ſit, & tamen *Præferentia* ſit unius partis præ alia propter devotionem pluſquam ordinariam in celebrandis longè omnium chariſſimis Religionis noſtræ *Myſteriis* illîc adhibitam, *Mortem* intelligo ac *Paſſionem* B. *Servatoris noſtrámq;* cum ipſo *unionem* per participationem illius Carnis atq; Sanguinis, minimè profectò mirum eſt ſi ille locus ubi hujus rei ſymbola exhibentur magnáq; hæc ac pretioſa *Myſteria* celebrantur, *Præferentiam* habeat in Religioſa noſtra affectione ac reſpectu præ reliquis locis in Eccleſia univerſis, ut ſit quaſi *Inſtrumentum directivum* versùs quam partem Eccleſiæ Adorationes facere debeamus; nempe ut *Altare* ſive *Menſa Dominica* hoc *Inſtrumentum* ſit *Directionis*, útq; hic peculiaris illius honos ſit, hoc munere fungi. Quo quidem in ſenſu Incurvationes versùs eam fiunt, ut versùs *Propitiatorium* olim apud *Judæos*, aut nunc versùs *volumen Legis* ſub canopeo in ſynagogis abſq; omni ſpecie aut ſuſpicione *Idololatriæ*.

Divinus enim cultus *illi* neutiquam præſtatur in hiſce circumſtantiis, *versùs quod* dirigitur, ſed *ipſi ſoli Deo*; cùm nulla *Animalis Figura* exponatur quæ hunc cultum recipiat, quemadmodum ſit apud Paganos; cúmq; *Panis Euchariſticus* nullâ ratione *Præſentia ſymbolica* ſit, perinde ac nullam Imaginem ſibi impreſſam habeat, ſed & *Panis* & *Vinum* mera ſigna ſint *corporis* Chriſti *occiſi*, *crucifixi* vel *mactati*, *ſanguiniſq; effuſi* pro nobis. Quæ proinde perſona Chriſti non ſunt, nec *Hypoſtaticè* in hoc ſtatu unita cum illius perſona, & conſequenter nec *Symbola* eorum, ulla eſſe poſſunt *Præſentia ſymbolica*; quemadmodum in *Antidoti Defenſione* notavi. Altare igitur eum honorem obtinet ut *Inſtrumentum directivum* ſit, *quorſum*, ut Ecclèſia honorem, *ubi*, Divina fiat Adoratio. Adoratio verò non magìs ſit *Altari*, ex eo quod *versùs* illud fiat, quam *Eccleſiæ Templóve*, quòd fiat *in* eo. Quandoquidem nulla ſuper illud proſtat *Figura Animalis*, quemadmodum antiqui Pagani ſentiebant Deos ſuos in variis id genus formis apparere, atq; eos propterea ſub eiſdem colebant.

lebant. Hoc enim *Repræsentativum* esset *Personale* Cultúmq; versùs ipsum factum reciperet, juxta manifestum sensum Scripturæ & naturalem Rationis interpretationem. Hîc verò cùm nulla hujusmodi statua aut Imago erecta sit, tota res est in vado.

Quamobrem honos omnis quem Altare recipit in his Adorationibus *versùs* ipsum factis, hic est, ut adhibeatur ut *instrumentum directivum* populo ad ostendendum quò vultus vertere debeant, quando has Adorationes peragunt Deo, quod longè abest à tribuendo ullum cultum Divinum *Mensæ* seu *Altari*, ac proinde longè extra ictum nostræ Definitionis *Idololatriæ*.

XL. *Nec incurvationem ad nomen Jesu.*

40. Et ad eundem modum cùm omnia *Nomina* ac *Attributa* Dei sacra sint, majorémq; erga ea habeamus Reverentiam, quàm erga ulla vocabula nominávе quæ non referuntur ad Deum, (quanquam nullum quidem cultum reverentiámve Divinam eis debemus, quippe quæ Deus non sunt sed verba quæ transeunt ut alii soni solent) cùm omnia, inquam, Dei Nomina sacra sint, tamen quia nomen *Jesu*, Dei manifestationem nobis in maximè obligatoriis circumstantiis exhibet, idcirco, quemadmodum Mysteria super Altare celebrata causa erant prælationis illius præ reliquis Ecclesiæ partibus universis, ut locum designet *versùs* quem adorationem dirigamus, ità hoc nomen *Jesu* præ reliquis omnibus nominibus vocabulísve quæ Deum significant, aut illius Attributa, meritò adhiberi potest ad determinandum *Tempus* & occasionem *quando* in publica Liturgia uberiori modo debeamus Devotionem nostram exerere in colendo Deo Servatore, præsertim cùm Scriptura tale quid nobis subinsinuare videatur. Atq; hic quidem honos est Nomini Jesu datus, ut ad illius nominationem nobis occasionem arripiamus profundam præbendi Reverentiam Divinúmq; cultum æterno nostro Redemptori. Unde manifestum est eum honorem qui *Nomini Jesu* obtingit aut *Altari*, in incurvationibus factis *ad nominationem* unius & *versùs situm* alterius, multùm abesse ab honore Divino, *Divinásq;* propterea *Peculiaritates* indè non *violari*, nec ullam *Idololatriam* committi.

XLI. *Nihil quod vel minimam habeat speciem Idololatriæ in celebranda cœnâ Dominica ab Ecclesia nostrâ requiri.*

41. Et postremò, quantùm ad *Eucharistiam* sacráve *Panis* ac *Vini symbola*, quòd in genua *ipsis* non procidimus, in *Antidoti Defensione* abundè ostendi: verùm in ea invenimur positura, quoniam devotis erga Deum ejaculationibus toti occupamur, cordibus nostris versùs eum anhelantibus inter recipiendum sanctum hoc sacramentum. Atq; hæc sanè summa illius Reverentiæ debitæ est, quam per Rubricam Ecclesiæ nostræ ullámve indè directionem, in celebrandis sacris hisce Mysteriis requiri video. Et si privati aliqui Doctores Ecclesiæ de adorando Sacramento quicquam dicant, cùm talis intelligatur Affectio & Reverentia quæ erga *verbum Dei sacrâve Biblia* exprimatur, hanc nullam *Divinarum Peculiaritatum violationem* esse suprà notavi, ac proinde nullam esse posse *Idololatriam*. Et si loquuntur de *Adoratione propriè* sic *dicta*, equidem per charitatem suspicor, intelligendum esse de Adoratione *versùs* symbola factâ, quemadmodum suprà explicavi factum *versùs* Altare, hoc est, utendo eis tanquam *Instrumentis directivis* versùs quæ adorationem præstamus Christo, nequaquam verò *ipsis* tanquam *Objectis* illius. Quod valdè difficile credo ut quisquam imaginetur fieri, qui sibi ipsi conscius sit, quali motu agatur Anima, quando Actum *realis sinceraq; Adorationis Divinive* cultûs obit, perpendátq; secum, quid sit quoquo sensu illius esse *Objectum*. Syntaxin profectò inventurus esset tam turpiter vitiosam ac distortam, rem quamlibet quoquo sensu *Objectum Adorationis* facere præter Deum, ut tantæ vecordiæ eum prorsus puderet, magísq; absonum deprehenderet & incongruum, magísq; impertinens ac onerosum, quàm si quis solem visibilem adoraturus, candelam junceam oculos inter atq; solem interponeret, & ad eam simul adorandam tanquam *Objectum* cum relatione ad solem se obligaret, dum prætendit ultimatim eodem tempore ipsum solem adorare; manifestum utiq; est, distractioni ac impedimento ipsi fore.

XLII. *Ratio cur quidam homines ad adoranda externa Objecta sint proclives.*

42. Quod certè meritò facit ut suspicemur eos qui ad adorationem faciendam *externis Objectis* adeò proclives sunt, ad corda quidem animósq; cum *æterna* illa ac *invisibili Potestate* conjungendos, (quæ in minima cogitationum distractione optimè sentitur) non satis acri intentione ferri, sed externis hisce rebus lubenter inhærere velle, atq; sic Religionem in Terram demum deprimere solóve æquare, Animásq; hominum permittere in inerti quadam carnalitate stupere planè ac obbrutescere. Quamobrem de quibuscunq; particularibus Ecclesiæ nostræ Doctoribus meliora spero quàm ut in animo habeant Adorationem Divinúmve cultum symbolis Eucharisticis præstitum, rem licitam asserere, quasi Adoratio *Objecto indebito* facta transire sic possit ad *Objectum debitum*, nempe ad Christum; hoc enim suprà probavi manifestum esse Idololatriam.

XLIII. *Mentem Ecclesiæ non interpretandam esse ex temerè dictis privati cujuscunq; Doctoris.*

43. Quòd si quis ex Ecclesia nostra tam inconsideratè loqueretur, quid istud ad ipsam Ecclesiam, quæ se longè infra hos limites continet? Atq; ii quidem qui ex Ecclesia sunt, ad nullorum particularium hominum opiniones tenentur, sed ad generalem professionem praxímq; Ecclesiæ. Quæ ex his instantiis, (quæ tamen maximè omnium scrupulum movent) videre potes quàm immunis sit ab omni labe maculáve Ididolatriæ juxta veram illius Notionem ac Definitionem, quippe quæ nullos Religiosos ritus usurpat quibus *Divini Numinis Peculiaritates* violentur.

XLIV. *Ingens periculum in relinquendo puriorem Ecclesiam pro Ecclesia Ididolatrica.*

44. Ac proinde brevem hanc operam, quam insumpsi in ritibus tum Romanæ Ecclesiæ tum nostræ, per tam perspicuam Regulam, adeò libere & fideliter examinandis, gratam perinde fore confido ac tempestivam omnibus qui salutem suam seriò curant, summoperéq; eos spero sibi, hoc lubrico seculo, cauturos, nè puram relinquant Ecclesiam pro Ecclesia tam multifariis Ididolatriæ maculis contaminata, quinimò & illos qui in ista Ecclesia contaminata sint, meliùs sibi prospecturos ineundo communionem cum illa Ecclesia quæ est magìs pura. Intereà verò loci, zelum hunc nostrum plusquam ordinarium excusatum iri spero in re tam immensi momenti, & in qua vertitur æterna nostra felicitas atq; salus, quippe quum tam expresè declaretur in Scripturis, *Nullum Ididolatram Cœlorum regnum esse hæreditaturum.*

XLV. *Spiritualis Ididolatria. Variæ illius Instantiæ, ut Avaritia, quam Apostolus appellat Ididolatriam.*

25. Quod quidem quemadmodum irrefragabiliter verum est & in confesso apud omnes de hac *externa* ac *Rituali Ididolatria*, ità sanè non minùs verum est de *interna* seu *spirituali*, nisi sincerè studeamus nosmet ab ea liberare. Sunt enim alia *Ididolatriæ* Genera quàm quibus hactenus institimus, taliáq; quæ pari curâ evitari debeant, si propria nostra nobis cordi sit salus. S. *Paulus* unum expressim ex hoc genere memorat & ipso nomine indicat, *Mortificate igitur membra vestra terrestria, scortationem, impuritatem, mollitiem, cupiditatem malam, & avaritiam quæ est Ididolatria*, Colos. 3.5. Vox *Græca* est φιλαργυρία, *Pecuniæ cupiditas*, quam credo Apostolum *Ididolatriam* non reputare propter *Imagines* in nummos usitatè impressas, sed propter fidem ac recumbentiam quam pleriq; habent in incertis divitiis. Eadémq; prorsus ratio est in rebus omnibus *Mundanis* cujusmodicunque, in Potestate, in Amicis, aliísq; id genus reliquis. Qui majorem in his fiduciam ponunt quàm in Deo vivente, spiritualem manifestò committunt Ididolatriam. *Confidite Jehovæ in perpetuum, Nam in Deo Jehova est robur sempiternum*, Isai. 26. 4. *Jehova mea rupes est, arx mea, Deus meus, meum Numen cui confidam*, Psalm. 18. 2. *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo*, inquit *Jobus*, Job. 13. 15. Atq; sic nos oportet facere, cuicunq; permiserit occidere nos, vel ullo modo persequi, quippe certos nihil in pejus obtingere posse eis qui fiduciam ponunt in eo. Quòd si cùm omnia visibilia solatia deficiunt, in Deo invisibili nostra itidem deficit fides, indicio est nos Creaturam feciisse rupem Confidentiæ nostræ, eíq; illud tribuisse quod *peculiare* est Deo, quod manifesta est Ididolatria.

XLVI. *Falsam Ideam de Deo fovere, horridam, ac terrificam, alterum genus esse spiritualis Ididolatriæ.*

46. Quemadmodum etiam esset si falsam Ideam de Deo formaremus, magìs horridam ac terrificam quàm maximè formidabilia *Idola Paganorum*; Huícq; adularemur & nobismetipsis, quasi in speciali apud ipsum essemus gratia, quia talem eum credimus qualem nos falsò confinximus, adamantinæ putà *severitatis*, vel potiùs *crudelitatis* erga partem humani generis longè maximam, ad æterna & ineffabilia tormenta inevitabiliter damnandam, sed adeò inæquali interim erga personas nostras præ reliquis mortalibus universis indulgentiâ ut necessariò ac fataliter salvandi simus, quomodocunq; vitam instituerimus, ex eo solo quòd sic voluerit, atq; hoc ipsissimum Fundamentum foret Fidei nostræ ac recumbentiæ in Deum; Hoc certè etiam *spiritualis* esset *Ididolatria*, & egregia pretiosi illius Divini Attributi, si non ipsius Naturæ Dei violatio, quem S. *Johannes Amorem* esse declarat, *Deus amor est, & qui in amore manet, in Deo manet & Deus in eo*, S. Johan. 4. 16.

XLVII. *Christianos qui ob dissensum per conscientiam in rebus Religionis persequuntur & occidunt alii alios, Deum Christianorum commutare in fœdissimum Idolum Paganicum.*

47. Lege *Mosaicâ* vetitum est nè quis alienum suffimentum ignémve offerat, atq; æquè strictè sanè vetitum est Evangelio Christi. Etenim cùm discipuli ejus ignem de cœlo devocatum voluerint, (quemadmodum ab *Elia* olim factum erat) ob injuriam Domino suo ac Magistro illatam, objurgabat eos dicens, *Nescitis cujus spiritûs vos sitis*, Luc. 9. 54. Acerbus ac truculentus zelus (Apostolus ζῆλον πικρὸν appellat) alienus ille ignis est vel suffimentum Domino minimè offerendum sub Evangelio. Nihil enim magìs alienum esse potest à spiritu Evangelii quàm illud. Johan. 16. 2. *Veniet tempus quum quisquis trucidabit vos, putabit se* λατρείαν προσφέρειν θεῷ, *acceptum quoddam Divini cultûs genus præstare Deo*, ac si oblationem sacrificiúmve ipsi offerret. Atq; hoc equidem est illud *alienum Incensum, Ignis* & *sacrificium* quod omnes *Religionistæ* Deo offerunt (cujuscunq; fuerint Sectæ aut Opinionis, sive *Pontificiæ* sive *Reformatæ*) qui ob dissensum in rebus Religionis persequuntur & trucidant alii alios, ac si hæc genuina arma essent militiæ Christi, qui tamen expressim

preſſim pronunciavit, *In hoc cognoſcent omnes vos meos eſſe diſcipulos, ſi mutuo vos amore proſequamini.* Dum verò perſequuntur, occidunt, & præ barbaro quodam zelo mactant alii alios, putantes ſe hac ratione λαῖρείαν προσφέρειν θεῷ, *acceptum cultum præſtare Deo*, commutant quidem Chriſtianorum Deum vivum in *turpiſſima Idola* Paganorum, quibus ſolenne erat hujuſmodi ſanguinolentis hominum mactationibus ſive ἀνθρωποθυσίαις coli, apertéq; proinde *ſpiritualem Idololatriam* committunt, violando ac deturpando *peculiarem* Dei Chriſtianorum *characterem*, dum ad hunc modum eum prætendunt colere.

48. S. *Paulus* cohortatur *Romanos*, cap. 12. ut *præſtent corpora ſua, hoſtiam viventem, ſanctam, acceptam Deo*, quam & τὴν λογικὴν λαῖρείαν ὑμῶν, *cultum noſtrum rationalem appellat*, illum utiq; Divinum Cultum, qui maximè congruum eſt & rationi conſentaneum ut tribuatur Deo, nempe ut dedicemus devoveamúſq; omnes vires ac facultates *animæ* juxtà atq; *corporis*, (nam ex eo quòd θυσία ζῶσα dicitur, *Anima* manifeſtò implicatur) Deo colendo ac ſerviendo. Hæc eſt illa noſtra rationalis congruénſq; *Latria*, quam Deo debemus; ac proinde, ſi vires omnes animi robúrq; corporis nobis ipſis ſerviendis impendamus noſtriſq; carnalibus ac *Mundanis* cupiditatibus, manifeſtum eſt nos ex nobiſmetipſis *Idolum* efficere, nobíſq; illum cultum tribuere, quod rationi conſentaneum eſt ut ſoli tribuatur Deo.

XLVIII. *Vires omnes corporis atq; Animæ propriæ voluntatis ſatisfactioni impendere, hujus Idololatriæ exemplum alterum.*

49. Cúmq; ſcriptum ſit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, hoc eſt, ſummus vigor ac plenitudo amoris noſtri omninò in eum derivanda ſint, aliáq; amanda illius gratiâ, Deo hoc poſtulante ut *peculiare* ſuum debitum, certè ſi fervorem hunc & integritatem affectuum noſtrorum erga ullam perſonam aut rem, Amicum, Uxorem, Filium, Exiſtimationem, Voluptatem, aliúdve cujuſmodicunque, ferri ſinamus, *hæc Divina Peculiaritas* violatur, éſtq; certiſſimè genus quoddam *ſpiritualis Idololatriæ*. Unde minùs mirandum tam frequenter hominibus Fortunam adverſari in eis rebus vel perſonis quas tam impensè amant quibúſve ſupra modum oblectantur. Ac proinde incolumitas noſtra eſt perinde ac officium, affectus moderatos habere erga res omnes præter ſolum Deum, ubi nullum eſſe poteſt exceſsûs periculum.

XLIX. *Plenitudinis integritatiſq; affectuum noſtrorum in quamlibet creaturam effuſis aliud ejuſdem rei exemplum.*

50. Et poſtremò (in argumentum enim incidimus adeò copioſum, ut neceſſe ſit nobis limites imponere nè nullum videamur invenire poſſe exitum) notiſſimum eſt nec negari poteſt, quin Deus finis ultimus ſit rerum omnium. Sic eſt in ſe, & ſic eſſe à nobis agnoſci debet tum per verba tum per actiones noſtras. Quamobrem ſi actionum noſtrarum finem ultimum noſmetipſos facimus, noſtrámq; propriam felicitatem *quatenus noſtram*, non autem *quatenus juxta voluntatem* ſit *naturámq; Divinam*, callidum quaſi paciſcentes pactum cum omniſcio Deo idémq; non ultrà præſtantes (quod omnium peſſimum eſt) quàm cum præſenti noſtra quiete, ſecuritate & emolumento conſiſtat, præferentes hæc illius voluntati ac præcepto, hæc etiam manifeſta eſt *Idololatria ſpiritualis*, rurſúſq; noſmetipſos Idola facimus, nos faciendo finem ultimum noſtrarum Actionum. Finis enim ultimus non poteſt eſſe niſi unus, quæ voluntas Patris eſt, Lumen notitiæ Dei in facie Jeſu Chriſti in nobis manifeſtati, qui ſplendor illius Gloriæ eſt expreſſáq; forma illius Perſonæ. Qui in carne declaravit *ſe non deſcendiſſe de cœlo ut voluntatem ſuam faceret, ſed voluntatem ejus qui miſit illum.*

L. *Noſmetipſos finem ultimum facere actionum noſtrarum culúſq; adeò Deo præſtiti, Inſtantia egregia hujus ſpiritualis Idololatriæ.*

Hæc igitur *ſuprema* lex eſt Deíq; mandatum *de puritate ſui cultûs* ut nullam habeamus voluntatem finémve Proprium. Nam quemadmodum non niſi unum Deum habere debemus, *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter Deus unus eſt*, Deut. 6. 4. ità habere debemus non niſi unam voluntatem, voluntatem utiq; illius Dei quem colimus. Quam certè non habemus, ſi ullam habemus propriam *ſuive quærentem* voluntatem, finémve, voluntati Dei non ſubordinatum. Cujus *Voluntas* atq; *Lex*, *nihil-ſibi-quærentis Amoris* Lex eſt, qui paratus eſt agere, & in bonum Creationis Dei quidvis, quantumlibet acerbum ac dolorificum, contentus pati. Cujus conſpicuum quidem exemplum erat Beatus Servator. Atq; hoc equidem eſt de quo teſtatur Domini Jeſu Intimus, in calce ſuæ Epiſtolæ, 1 Johan. 5. 20. *Scimus item Dei filium veniſſe, & nos eo ingenio donâſſe, ut verum cognoſcamus Deum, ſumúſq; in vero, in ejus filio Jeſu Chriſto. Is verus eſt Deus æternáq; vita. Filioli, cavete vobis ab Idolis.* Amen.

FINIS.

DIVINORUM HYMNORUM HEPTACHORDON:

SIVE IN

Nativitatem Chriſti,

IN

Ejus *Paſſionem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, miſſionem Spiritûs Sancti,* & in *Mundi Creationem*

EJUSQUE

Redemptionem per Chriſtum Re-introductione *Novæ Creaturæ*

CARMINA SEPTEM,

Anglicè primitùs ſcripta & nunc demum Latinè verſa.

Per *Henricum Morum* Cantabrigienſem.

Pſalm. 96.

Ἄσατε τῷ κυρίῳ ᾆσμα καινὸν, ᾄσατε τῷ κυρίῳ πᾶσα ἡ γῆ.

Ἀναγγέλλετε ἐν τοῖς ἔθνεσι τὴν δόξαν αὐτοῦ, ἐναγγελίζεσθε ἡμέραν ἐξ ἡμέρας τὸ σωτήριον αὐτοῦ.

LONDINI,

Typis *J. Macock*, Impenſis *Johan. Martyn* ſub Signo Campanæ, & *Gualteri Kettilby* ſub Signo Capitis Epiſcopi in Divi *Pauli* Cœmeterio.

M DC LXXIV.

DIVINORUM HYMNORUM HEPTACHORDON.

HYMNUS PRIMUS.

In *NATIVITATEM Christi*

1.

Narratio historica.

Sancta Dei soboles summi de vertice Cœli
Lapsorum *Adamidûm* mœstos miserata dolores
Descendit, linquens ultrò *Cœlestia Tempe*,
Nos ad ea ut reduces traheret felicia Regna.

2.

Deposuit vestes radianti luce coruscas
Personam ornabant quæ Majestate verendam,
Humanas subiitq; vices ac tristia Fata,
Humanâ formâ & mortali sanguine cretus.

3.

Matutina suo sic lapsa est cœlitùs Orbe
Spirantis terræ ut condat se Stella sepulchro.
Æthereum extinguens splendorem protinùs omnem
Udi uteri ingressu castæq; humilísq; Puellæ.

4.

Angelici ergò Chori, decurso tempore, tandem
Cœlesti celebrant *Natalia Mystica* cantu,
Atq; immensa ferunt inopinâ gaudia voce, &
Pastorum vigiles læti modulantur ad aures.

5.

Historia Applicatio ad promovendam vitæ probitatem.

Æterni sic sancta *Dei proles*, *Homo* facta est,
Ut queat esse *Dei proles*, *Humana* Propago,
Divinam possint rursúsq; capessere *formam*
Quâ consanguineo mens Enthea Numine gaudet.

6.

Da Pater & mentes *humiles*, da cordáq; *pura*,
Imple animósq; tuo *cœlesti* prorsus *amore* ;
Sic toto ut totum dum haurimus pectore Christum,
Omnes possimus *Divino semine* nasci.

7.

Dáq; precor, *Pater alme*, sacrâ sic stirpe *renati*
In tam *Divinum sensum* vitæq; vigorem,
Condigno *horrore* ut fugiamus *turpia* cuncta
Quæramúsq; tui vivi solatia verbi.

8.

Utq; hoc *cœlesti* mens enutrita *cibatu*
Ætatem Christi tandem pertingat *adultam*,
Quâ tunc tam stabili gressu prosequamur Honestum,
Omnibus ut constet *quâ* simus *Origine* nati.

9.

Tu *Soboli* concede *tuæ*, ut vis nulla pudicas
Inquinet huic Animas, cogátve ad turpia Facta,
Erigat at celsa in campo quocunq; Trophæa,
Clareat ut latis *Patris* indè Potentia terris.

10.

Da tandem nobis post splendida bella peracta,
Terrenæq; hujus passis incommoda vitæ,
Cum Christo *gnato* tua *nos* quoq; *pignora* posse
Promissa accipere in puro *Patrimonia* Cœlo.

HYMNUS SECUNDUS
In PASSIONEM Christi.

1.

Narratio Historica.

PAstor ab excelso descendit fidus Olympo
Palantes in valle Greges Telluris opacæ
Ut legat, & cæcâ mortis Regione jacentes
Excitet ad læti visenda Palatia Cœli.
Delicias tantas equidem res magna fuisset
Liquisse, atq; bonis ultrò cáruisse supernis ;
Verùm & velle pati vitæ mala summa caducæ,
Immensum hoc sanè est & inenarrabile Factum.

2.

Quem modò fulgentem cœlestis gloria cinxit,
Vitæ hujus jam urgent viléſq; gravéſq; Tenebræ ;
Dúmq; assueta oculos feriunt malefacta tenellos,
Illius heu! misero lacerantur corda dolore.
Innocuos levis irridet contemptio mores.
Quæ verò attonito fecit miracula mundo

Invidia

Invidia hæc carpit, tetro & *Phariſæa* veneno
Tincta, maligno auſu, Rabies ſua ſpicula figit.

3.

Tandem odium tumidâ in tantum ebulliverat undâ
Subjicerent falſos ut Teſtes, morte nefandâ
Quò dominum vitæ poſſent occidere, poſtquam
Candida contortis lacerârant membra flagellis.
Quin præ contemptu & Regalis purpuræ amictu
Induerant corpus, ſpinarum & tempora laureo,
Atq; indulgentes luſum ſibi porrò malignum
Pro ſceptro *Tyriam* dignantur arundine veſtem.

4.

Tunc per ridiculum venerantur poplite flexo
Conſpuitúrq; ſacer petulanti milite vultus.
Arborea tandem fixerunt in Cruce paſſum,
Proh pudor! atq; duos poſuêre utrinq; latrones.
Clavis, heu! miſero fodêre pedéſq; manúſq;
Sanguineis ſubter maduerunt gramina guttis.
Ferrea Nox oculos urget, Mortíſq; dolores
Divini extinguunt florentia lumina vultûs.

5.

Peccati infelix portans ſic pondera noſtri
Innocuus queritur gemibundis vocibus Agnus;
Dúmq; ità nos redimit triſtis de Faucibus Orci
Multa inter, propriam amittit, ſuſpiria, vitam.
Natura, en! reſilit, ſubito perterrita caſu,
Exhorrétq; mali ſpecie ſtupefacta nefandi.
Conſcia Terra tremit, duræ Rupéſq; dehiſcunt,
Attonitúſq; aufert lucem Sol aureus Orbi.

6.

Hiſtoria Applicatio ad promovendam vitæ probitatem.

Et nos tam ſurdo interea ſenſu eſſe queamus
Quàm talem non flere vicem lacrymíſq; madere?
Facta ſit hæc noſtrâ cùm triſtis Agonia culpâ,
Noſtra ut non crucient obnoxia corda timores?
Scilicet huic viſum eſt tam diras pendere pœnas
Iratum ut proprio placaret ſanguine Numen,
Virgarum & ſævos nobis defenderet ictus,
Queis ſolet ira Dei ſceleratam ſcindere gentem.

7.

Nequitiês, O turpe Caput! quâ filius olim eſt
Ipſe Dei tanta & tam dira ſubire coactus!
O Amor immenſam ſuperas qui gurgite Abyſſum,
Támq; aptam profers, ſemper venerande, medelam;
O amor, Angorem vincens ac, viribus, Orcum,
Quî poteris penſari unquam tali niſi amore
Quo vitámq; animámq; atq; omnia membra teramus
Puro ſancta Dei proſequentes Numina cultu?

8.

Quémnam etenim nunc non pudeat conflare querelas
De Cruce quam nobis rata Mortificatio figat,

Dum recolit ſecum miſeros triſtéſq; dolores
Quos noſtris pro Animis Servator pertulit ipſe?
Quíſve poteſt nunc ſævæ indulgere æſtibus iræ
Invidiámve fovere Odiúmve in pectore acerbum,
Attento gratóq; recenſet corde ſtupendum
Immenſúmq; ſui dum Servatoris Amorem?

9.

Da, pater, ergo, tuus propriam cùm Filius olim
Pro nobis *naturalem* deperdere *vitam*
Nequaquam abnuerit, *vitam* ut nos ſacrificemus
Impuram noſtram, mactemus & impia membra:
Ut *nobis ipſis defuncti*, poſtea *Chriſto*
Vivamus ſoli, qui nobis mortis ut atras
Pelleret ærumnas dirum Inferníq; dolorem,
Sponte ſuâ irato facta eſt grata Hoſtia Patri.

10.

Da tanti ut poſſit renovatus ſenſus Amoris
Noſtra illi firmis conſtringere pectora vinclis,
Invictâq; omnes vi cogere mutua amorum
Præſtare officia, atq; animum coaleſcere in unum;
Nullus ut, obtentu, locus Iræ Odióve ſuperſit,
Illati damni, quódve ulla injuria facta eſt.
Quippe Dei proles etiam *tunc hoſtibus ipſi*
Charam non renuit pro *nobis* fundere vitam.

HYMNUS TERTIUS

In RESURRECTIONEM Chriſti.

1.

Narratio Hiſtorica.

QUiſnam hîc quem video lentum deſcendere ab *Edom*
Et *Boſra*, madidas conſperſum ſanguine veſtes?
Ille *eſt* quem Judæ dederat Gens perfida morti,
Quem peſsùm dederant immiſſæ cœlitùs iræ.

2.

Eſai. 63. 3.

Illius, heu! anima innocua eſt vi ſola coacta
Purpuream calcare irati Numinis Orcam.
Hinc eſt quòd niveos ità commaculavit amictus
Sanguineo & tinxit ſua veſtimenta rubore.

3.

Inferno & *Morti* pugnavit fortiter, atro
Claudere, plus triduo, nec eum valuêre ſepulchro.
Libertatem etenim eſt ſubitò ſe vindice nactus
Invictúmq; caput de Manibus extulit imis.

4.

Horribilis confregit ahena Repagula *Mortis*
De *Peccato* egítq; ſuos *Erebóq;* Triumphos,

Quaſſârat

Quaſſârat quum Regna gravi *Infernalia* motu
Implêrátq; omnes diris terroribus *Umbras.*

5.

Ille vel invito mactatum corpus ab *Orco*
Eripuit rurſúſq; tulit ſua ſaucia membra,
Omnia perfundens Terræ loca finitima indè
Suavi expectatæ vitæ immortalis odore.

6.

Æterni O invicta Dei venerandáq; Proles,
Peccatum qui viciſti *Mortémq;* *Erebúmque*,
Præclaros nobis etiam concede Triumphos
Mortifera ex animis cuncta ut *Peccata* fugentur.

Hiſtoria Applicatio ad probitatem vitæ promovendam.

7.

Perge, age, ſubde armis porrò victricibus * *Edom*,
Illius & ſtirpem reſeca radicitùs omnem,
In nobis pulchrámq; tuam bonus erige Formam,
Deformare ſolet miſerè quam perfidus || *Edom.*

* ὁ γήϊνος Ἐδὰμ, Phil. Jud. *Caro & ſanguis* moraliter intellecti.
|| *Vetus Adam*, Rom. 6. 6.

8.

Da *mortis* virtute *tuæ* ut nos *mortificemus*
Affectus pravos, cæcóſq; Cupidinis ignes,
In nos, ut *nobis defunctos* prorſus, abundè
Ætheream infundas *vitaï* ſimplicis *auram.*

9.

Sícq; ad Juſtitiam noſtras expergito mentes,
Vivificáq; tuâ perdulci vitâ & amore,
Ut verbis factíſq; tuas hîc pandere laudes
Poſſimus, puro & mox vitam degere cœlo.

10.

Fac nos æthereâ incedamus gloriâ amicti
Ambroſiámq; gerant fulgentia corpora veſtem,
Cùm, Paſtor venerande, tuos tu comiter Agnos
Cœleſtes ad Agros duces & lucida *Tempe.*

HYMNUS QUARTUS

In ASCENSIONEM Chriſti.

1.

COnſpicuus Cœlum Deus ecce aſcendit in altum
Clangore greſſus alacri comitante Tubarum,
Regalem, ſupra nubes, ſedémq; capeſſens
Extendit totum Victor ſua Sceptra per Orbem.

Narratio Hiſtorica.

2.

Mobilis aut *Tholus* aut fixum & venerabile *Templum*,
Judæis olim *paucis* ſua Numina clauſit:

Sed

Sed noſtram huic poſtquam viſum eſt aſſumere carnem
Protulit extremæ Imperium ad pomœria Terræ.

3.

Quippe quòd in *carne Humana* tot triſtia paſſo
In *totam* effluxit patrata Redemptio *Gentem*.
Humanúmq; ſuâ genus omne ità morte redemptum
Ducet ad æternæ credentes gaudia vitæ.

4.

Eja igitur laudes, claras huic pangite laudes,
Immenſo totum Sceptro qui temperat Orbem;
* *Act.* 1. 9. Cœlum olim aſcendit * vectus qui *nube coruſcâ*
Ter, quater, huic laudes, claras huic pangite laudes.

5.

Hic captivantem duxit captivum; *Erebóq;*
Ecce, Triumphato, & proſtratis viribus *Orci*,
Fulgenti his tumidos perſtrinxit gloriâ ocellos
Aëreis qui dia plagis habitacula ponunt.

6.

Humanâ formâ eſt humanâ & carne profectus,
Quam Crucis ornabant toleratæ vulnera, quæ ille
Cœlituum ante oculos monſtrabat hiantia Patri,
Splendida, ſyderio & rutilantia cuncta fluore.

7.

Hiſtoria Applicatio. O firmum veniæ peccati, dulcéq; pignus!
Atq; ſtatûs nullo claudendi limite vitæ!
Quippe ſuis Humana poteſt natura peremptis
Sordibus æternùm fieri grata Incola cœli.

8.

Pronos ergo animos ſurſum, Pater alme, levato
Ad charam Patriam miſeri quam liquimus olim;
Et ſanctis purga cordis penetralia flammis,
Illâ apti ut ſimus purâ ſic veſcier aurâ.

9.

Fac noſtra in ſuperis ſit converſatio Cœlis
Ad tuam, ubi Chriſtus geſtat Sceptra aurea, dextram.
Mundanúmq; omnem in nobis extinguito amorem,
Arctiùs affectum tecum ut coëamus in unum.

10.

Celſo animo fac ſpernamus Terreſtria cuncta,
Præſentis fusè & ſpargamus munera sêcli,
Ut ſic æternæ lucremur præmia vitæ,
Quæ proprio eſt nobis mercatus ſanguine Chriſtus.

11.

Flammiferis ut cùm vectus redit ille quadrigis
* *Act.* 1. 11. Auratâq; effulget, * ut olim, gloria nube,

Noſtræ

Noſtræ animæ puræ inveniantur & immaculatæ,
Innocuæ & dulci virtutis luce nitentes.

12.

Ut ſic findentes Aquilinis Aëra pennis
Illius Æthereis poſſint ſe adjungere Turmis,
Geniorum & tandem illuſtri comitante catervâ
Luminis Æterni ad lætas deducier Oras.

HYMNUS QUINTUS

In MISSIONEM Spiritûs ſancti.

1.

Narratio Hiſtorica.

COrpoream Chriſtus poſtquam ſubduxerat atq;
Cœlo diſcipulis formam occultaverat alto,
Illi, heu! Orborum ritu, triſtéſq; querelas
Fudêre, aſſiduo & miſeri indulsêre dolori.

2.

Syderei verùm ille petit ſublimia Cœli
Ut majora inibi magè ſacráq; dona capeſſat,
Inq; ſinus horum, quos hac Tellure reliquit,
Sedibus Æthereis felici depluat imbri.

3.

Ergo his ſollicitis mox *mortalis* vice *carnis*
Spiritus offertur, *divináq;* munera *vitæ*.
Æternum Fontem, æternos laticéſq; miniſtrat,
Arentes Animas recreans & languida corda.

4.

Nempe animóq; locóq; omnes concorditer uno
Dum coëunt, ſacro ſeſe abſcondúntq; receſſu,
Ecce, ruit rapidâ de cœlo effuſa procellâ
Gratia linguarum bifido memorabilis igni.

5.

Act. c. 2.

Occupat æternus delectas Spiritus ædes
Viribus & plenis imo à fundamine quaſſat,
At tali interea linguas dote ornat, ut illæ
Attonitas reddant Aures & Pectora *findant*.

6.

Hiſtoria Applicatio.

Spiritus & ſancti *Zeli* & cœleſtis *Amoris*
Adveniat, Domine, & *diſtincti* Spiritus *Æqui*,
Roboris à ſupera deſcendat *Spiritus* Æthra,
Concordiſq; Animi, Pacem impenſéq; colentis.

7.

Spiritus argutæ *perſcindentiſq;* loquelæ,
Cujus vim perſenſura eſt mens conſcia quæque,
Cæcáq; *Act. 2. 37.*

Cæcáq; *pervadet* pravi Penetralia Cordis,
Errorémq; omnem Peccatúmq; indè fugabit.

8.

Purifici nobis veniat citò Spiritus *ignis*
Anfractus Animi ſcrutans & Pectoris ima,
Irarum ut *purget* turpéſq; cupidinis œſtros
Mitia Divinæ accendendo *lumina* vitæ.

9.

Inq; tui hac, *Fidei* huc accedat Spiritus, Hora
Roboris, adverſas poſſit quæ frangere vires
Peccati: Auxilio hoc freti ut ſemper valeamus
Debellare feros armis victricibus hoſtes.

10.

Spiritus internæ infletur, Rex inclyte, *Vitæ*,
Ut noſtro ſic corde tuas conſcribere leges
Poſſis, quò vivo *inſtinctu* ac omni abſq; labore
Natura ex *propria* Juſtum patremus & Æquum.

11.

In cunctas Orbis fundatur Spiritus Oras
Tota ut Juſtitiæ renovetur Imagine Tellus,
Frangantur *Satanæ* ut ſcelerata atq; impia Regna,
Subjecta & Chriſti fiant grato omnia Sceptro.

12.

Torrentis ritu magni, ingentíſve *Procellæ*
Cœlitùs excurrens obſtantes proruat omnes,
Atq; omnem impuram legem ſtolidámq; refigat,
Uni ut ſubdatur *Chriſti* Gens omnis *Amori*.

13.

In cunctis *Pax* læta locis *Æquúmq;* *Bonúmq;*
Creſcant, O fructus, edit quos *Spiritus*, almos!
Creſcat *Amicitia* & *manſuetus* deniq; *mos*, &
Omnia Spiritui quæ ſunt bene conſona Chriſti.

14.

Concede hæc, O ſancte Pater veráxque, futuri
Conſcia qui corda inſpirâſti Vatibus olim,
Confeſtim attonito propera fata aurea mundo,
Servorúmq; audi concordia vota tuorum.

HYMNUS SEXTUS

In CREATIONEM Mundi.

1.

Narratio Hiſtorica.

AUguſti cùm prima Deus Fundamina Mundi
Subſtruxit, tenerum pulchrè formavit & Orbem, Divi-

Divino ſplendore Chaos penetrante profundum,
Illius *Angelicæ* laudes panxêre *Camœnæ.*

2.

Progenies tunc læta Dei, ô quàm dulcè canebant! *Fol. 38. 1.*
Extulit ut primos ejus Lux aurea vultus,
Et croceas Aurora comas, quæ primitùs omnem
Naturam pinxit ſpecie variante Colorum.

3.

Omnia quæ fecit, fecit ſex ille diebus,
Quicquid Terra tenet Cœlúmve aut Cærula Ponti;
Septimam & indè diem proprio dignatus honore
Separat, ut celebrent ſancto hâc ſua Numina cultu.

4.

Nos ergo, cum prole Dei, jam læta canamus
Carmina, *eúmq;* alacri uſq; ad ſydera voce feramus,
Omnia qui ex *Nihilo* in lucem produxit *opaco*
Fulgidáq; extendit lati *verbo* atria Cœli.

5.

O rerum Sator alme, tuis mirandéq; Factis
Omnibus! Heu, ſtupidi quàm percelluntur ocelli
His quæ quotidie occurrunt ſaturaréq; poſſint
Obtuſum ſenſum & longo vileſcere ab uſu!

6.

Quales ſunt grati Reditus *Noctiſq;* *Diêſq;*
Atq; ratæ *Tempeſtates* revolubilis *Anni,*
Agricolæ qui ritè ſolet penſare labores
Farráq; ſufficiens & læti pocula Vini.

7.

Stellarum certâ, Numeros, habiléſq; Figuras,
Ac *Lunæ* pariter curſus, tu lege revincis,
Tu cæcos æſtus furioſáq; *Materiaï*
Divino placidè componis prælia Verbo.

8.

Amplexus, *Terræ* partes, tu cogis in arctos,
Durâ hâc conſensûs vitæ dulcíq; Catenâ:
Tu tenues *pluviæ* guttas mirâ arte rotundas,
Enitet unde *Iris* vario depicta colore.

9.

Nubibus impinguas *oleum ſtillantibus* Agros,
Ac viridi vegetas flores ac gramina Campo.
Tu *ſylvas* florere comis facis, atq; *volucres*
Frondibus argutas denſis criſpare querelas,

10.

Tu *Pecore* exornas vario ridentia prata,
Planitiémq; rigant flexis tua *Flumina* rivis,
Squamigeram liquido tu paſcis in æquore *gentem*,
Permeat & *totum Bonitas* tua ſuſtinet *Orbem*.

11.

Hiſtoriæ Applicatio.

Hæc tu cuncta tuâ fabricâſti, ut cætera, dextrâ,
Æternâq; Homini feciſti ſubdita lege,
Verùm ut rurſus Homo tibi ſit ſubjectus, & ultrò
Obſequium juſtum & juſtos tibi præſtet honores.

12.

Ergo *crea*, Pater alme, in nobis *pectora pura*,
Erectúſq; regat renovatos Spiritus artus,
Nos iterum ut lapſæ reparantes munera vitæ
Cuncta tibi Officia abſolvamus juſtáq; jura.

13.

Utq; ſumus *toti* Sator, ex te, ſancte, *profecti*,
Atq; *animam* pariter nobis *corpúſq;* dediſti,
Corpora ſic *animáſq;* tuo addicamus honori,
Nóſq; tua oblatos *totos* exhauriat Ara.

HYMNUS SEPTIMUS

In REDEMPTIONEM *Mundi per Chriſtum Novæ Creaturæ Re-introductione.*

1.

TEllurem fecit Dominus Cœlúmq; profundum,
Verbum ejus cuncta creavit;
Atq; Creaturæ leges proprias dedit omni,
Quæ etiamnum ſervat eaſdem.
Conſtanti repetens curſus vice, tempora reddit
Rata *Sol* revolubilis Anni;
Certâ & *Luna* ſuas commutans lege Figuras
Nunc *plena* eſt nunc *cava* vultu.

2.

Pæoniam retinent virtutem in montibus *Herbæ*,
Retinent ſpeciem atq; virorem;
Nec mores *Pecora* aut *Volucres* mutare videbis
Aliámve aſſumere formam.
Solus *Homo* eſt auſus Naturæ frangere leges
Prima uſq; ab Origine Mundi,
Angelica & poſtquam ac fulgentia perdidit ora
Speciem geſtare ferinam.

3.

Ille Dei ſacra jura ferox fugit propriæ atris
Animaï percitus œſtris.

Unde

Unde *Hominis vera*, heu! *ſpecies* defecit in ipſo
Citò, *Brutaliſq;* ſecuta eſt.
At tu, ſancte Parens, *verbo* qui cuncta creâſti,
Æterno fœdere ſancis;
In noſtram carnem *Verbo* veniente, ut eodem
Fœcunda Redemptio fiat.

4.

Nobile opus manuum propriâ ſic labe fatiſcens
Renovatâ tu Arte refingis;
Verbo nos *incarnato* retrahíſq; beatæ
Ad priſtina munera vitæ.
Cujus quum *Incepti* luxit magè *gloria*, Chriſtus
Victo dum ſurgit ab *Orco*,
Unius duplex hæc ritè *Creatio Feſti*
Celebratur Luce *Dici*.

5.

Applicatio 2 Cor. 4. 6.

Ille Deus denſis primæ qui Noctis ab umbris
Lucem eradiare jubebat,
Vivificet noſtra atq; illuminet intima Corda
Divini lumine verbi;
Ut poſtquam hæc nova ſit perfecta Creatio nobis
Ad lætum ductáq; finem,
Fulgeat illuſtris Faciei gloria Chriſti
Noſtris in mentibus orti.

6.

Heb. 4. 10.

Ut ſic nos à peccatis vitiíſq; redempti
Noſtris ceſſemus *opellis*,
Ac *Paci æternóq;* Dei feriemur *Amori*
Animis quem *Spiritus* inflet.
Terrenis tandem vacuíq; laboribus alto
Celebremus *Gaudia* Cœlo
(Felices inter Genios) habituráq; nullum
Jubilæa ac *Sabbata* finem.

CARMINA
Quædam in
SCRIPTIS PHILOSOPHICIS
Anglicè occurrentia
Et hîc per Autorem *Latinè* reddita.

In Antidoto adversùs Atheiſmum, lib. 3. cap. 4.

UT ferrugineo laternæ cortice clauſa
Lux, timidos regimus noctis, quâ, tempore greſſus,
Canales ut vitemus pluviáſq; lacunas,
Pauxillos mittit radios de culmine nigro:
Per latus at plures fundit reſerata Feneſtra
Cornea; Verùm ubi jam poſt cæca perîcla viaï
Eſt perducta domum nigricanti exutáq; Thecâ,
Nuda, ô quàm claro *Lampas* tunc lumine fulget,
Æſtivos referens ſplendoribus æmula *Soles!*

Terreſtri ſic mens concluſa in corpore, dum iſtis
Anguſtis claudíſq; aſtringitur Inſtrumentis,
Segniùs heu! proprios profert ac parciùs actus;
Hic parit auditum, viſum parit ille meatus,
Guſtum alii olfactúmque: Exuta at corpore toto
Ut lampas quam nulla tegit nigra ſtannea turris,
Integra ſit ſensûs ac vitæ lucida ſphæra,
Conſpicit atq; ſemel quicquid tenet ejus Horizon,
Aërea eſt jam *tota Auris*, jam *totus Ocellus.*

In Defenſione Moralis Cabbalæ, *Cap.* 3.

Eſt magè difficile effrænes moderarier æſtus
Delicio inſtigante animam, quàm urente *Dolore.*
Tam validè allectat noſtros nam blandula ſenſus
Dulcedo, ut vix aut nè vix illo abſtineat ſe,
Proclivis quod tam miſerè Natura cupiſcit.
Verùm Ira atq; Dolor, manifeſti ſcilicet hoſtes
Humanæ vitæ, haud ægrè ſuperantur ab ipſa.
At *Virtus* victrix per utrumq; ſua explicat arma,
Erigit & *Guyon* illuſtria ubiq; Trophæa.

IN DIVINIS DIALOGIS

Hylobaris Cantilena de *Divina Providentia*, Dialog. 2. ſect. 28.

Ubi nunc objecta tui ſunt
Luctûs Gemitûſq; Metûſque?
Abiêre ut ſomnia vana
E fumis corporis orta.
Piceum ô Formidinis antrum!
Lemurum tenebroſa Caverna!
Animam quæ Noctis amaræ
Tetris perterritat *Umbris.*
Quid Peſtis? Carcer? Amicûm

Jactura,

Jactura, ac Bella Famésque?
Quid Mors quæ cuncta reſorbet?
Nil ſunt niſi *Mormolycæa*
Mentis ratione carentis,
Cæcorum & *Panicus* horror.
Unum te collige in Orbem
Lucis, terrámq; relinque,
Animæ vaga ſenſa coërce
Latum peragrantia mundum;
Sphæram ſic mens tua in unam
Lucentem pacta, Timores
(Ut *Noctis* inania *Spectra*
Surgens *Aurora*) fugabit.
Clarè tunc cernere poſſis
Teneris ut cuncta lacertis
Bonitas complectitur *alma*,
Quódq; hæc non ſunt mala vera,
Mala quæ vulgò eſſe putantur,
Verùm opportuna medela ac
Majorum cura malorum;
Anima ut mortalia cuncta
Sublimi tranſvolet alâ;
Talem repetátq; ſtatum quo
Pedibus Fata omnia calcet.
Vis certò ſecula Mundi
Quædam *Divina* creavit,
Sapientérq; atq; benignè
Etiamnum cuncta gubernat:
Sed noſtra *Inſcitia* caſus
Temerè cauſatur iniquos,
Cùm nemo fingere poſſit
Meliori tramite curſum
Primo quàm qui extitit uſq;
Decurſo Solis ab Orbe.
Summi de vertice Cœli
Qui conſpicit omnia, novit
Meliùs quàm ego quid ſit agendum.
Nec, cùm meus ipſe ego non ſim,
Mea ſi fortè ille repoſcit,
Ægrè id reputo eſſe ferendum.
Cæcis tua pectora curis
Propriâq; cupidine purga,
Mala nulla Deo eſſe profecta
Clarâ tunc luce videbis.
Totum rutilantibus Orbem
Radiis *Bonitatis* hic implet,
Seſéq; per omnia fundit.
Cuncta *hic*, ſeu Lumen & Aura,
Pertranſit *Spiritus*, illis
Vitalis ut Halitus hauſtus,
Sibi queis non turpiter ultrò
Volupe eſt conſciſcere mortem.
Verùm quos occupat hujus
Vivæ Ignorantia *Legis*,
Hos ſemper ſolicitudo
Rerum de caſibus angit,
Miſeris perplexáq; rodunt
Triſtes præcordia Curæ.

Bathynoi *Cantilena*, *Dialog.* 3. *Sect.* 37.

Clarè hujus pangite laudes
Mundum qui condidit altum,
Cœlos ſine fine tetendit,
Vivóſq; hic pinſuit Orbes.
Hic celſi in vertice *Olympi*
Oculo vigili agmina paſcit;
Oculúmq; hunc multiplicavit,
Medio ut quôq; agmine præſit.
Radio ſic ſingula recto
Circumcurrentia tangit.
Agili motu illa rotata
Formant Noctémq; Diémque.
Æſtas, *Autumnus*, *Hyémſq;*
Prono horum inducitur Axe.
Nunquam circa *Ignea Centra*
Ceſſant agitare Choreas.
Dum pulchro hoc ordine pergunt,
Jucundam motibus Echo
Vaſti per inania Cœli
Penetrantem molliter urgent.
Melos! almi quod *Jovis* imum
Læto cor mulcet amore,
Vagulis delinit & aures
In ſphæris velificantûm.
Non ſermo, Lingua nec ulla,
Quò vox non ivit eorum.
Deus eſt Sapiénſq; Bonúſque;
Teſtatur tota creata
Vis, Linguáq; quæq; fatetur.
Unde orta, huc cuncta recurrunt,
Ut grata flumina, Ponto,
Hinc quod ſumpsêre, rependunt.
Totum nunc me, ecce, reſigno,
Tuus omnis ſum, accipe me omnem.
Propriâ Deus eripe *flammâ*,
Vera hæc *Mors*, vera *Gehenna*.
Odium atrox, *Livor* & *Ira*
Gravis & *Vindicta* faceſſat,
Pia nec præcordia tentet
Quævis maleſana *Cupido*.
Liber, tua facta canendo,
Tremulas tunc pectine chordas
Feriam ictu vividiori.
O proles ſancta *Sophiæ*
Vanas qui Relligiones
Ritè excuſſiſtis, adeſte,
Cantúſq; adjungite veſtros.
Vos de procul, ecce, ſaluto
Citharâ mihi dulcè vibriſſans.
Seu vos *Ægyptia* Tellus,
Seu *Græca*, *Aſiatica*, ſive
Juga *Carmeli Libanive*,
Montiſve cacumina *Lunæ*,
(Pinguis nivea ubera *Nili*)
Aliúſve locus teneat, Nos
Omnes ſumus unus & idem,
Quanquam loca diſſita habemus,
Dum omnes communiter unâ
Vitali veſcimur Aurâ.

Unâ vice ſurgite, ſacra
Unà faciamus, odores
Tingant ſuavi Æthera fumo.
O, quàm bene molliter urit
Cœleſtis fulgetra mentem
Myſteria ad ardua anhelam!
Subſtantia tota Animaï
In nubes Thuris odoras
Cœlum ſcandit reſoluta:
Scandat cœlóſq; ità tota,
Noſtri ut pars nulla ſuperſit
Præter vocémve manúmve
(Neq; enim his eſt pluribus uſus)
Operâ quas porrò teramus
Gratæ Citharæve Lyræve.
Clarè hujus pangite laudes
Mundum qui condidit altum.

Sophronis Cantilena à Bathynoo *cantata,*
Dialog. 4. *Sect* 39.

O Deus omnipotens! equidem magna atq; ſtupenda
Tua ſunt opera edita Mundo.
Eſt ratióq; viarum juſta ac vera tuarum,
Sanctorum ô inclyte Princeps!
Quis poterit quin te timeat, Domine, atq; verendum
Submiſsè nomen honoret?
Quippe quòd es ſanctus ſolus, tuáq; omnia Facta
Puro candore renident.
Omnis adoratum veniet Gens quum innotuêre
Tua Judicia æqua per Orbem:
Vota tibi ſanctè facient, & lumine cuncti
Sub Evangelico requieſcent.

Cantilena Philothei,
Dialog. 5. *Sect.* 41.

O tu quem in ſede ſuperna
Reſidentem gloria cingit,
Quo vivimus atq; movemur!
O quàm dulce atq; decorum eſt
Conſenſu Cordis & Oris,
Hilari corde oréq; grato
Nomen celebrare tuum, cùm
Roſea Aurora Æthera pingit!
Cùm fulgida Sydera ſurgunt,
Memorare fidem atq; favores
Ingentes, carmine læto!
Citharam cape Barbitulúmque,
Quin incipiat Lyra dulcis,
Inſtrumenta & decachorda,
Cúmq; his argentea jungant
Tinnitus Cymbala acutos.
Animum ut recreant tua Facta!
Quantos ago ego indè Triumphos!
Tua quis miracula narret!
Tua Conſilia alta ut Abyſſus,
Cæcis abſcondita homullis,
Stultis abſcondita, quorum
Vitium corda obtenebravit.

Humanæ dicite Genti
Regnum occepiſſe *Jehovam*,
Arctis Populúmq; catenis
Ad juſtum aſtringere & æquum.
Ridentes plaudite Cœli!
Vocem effer lætáq; Tellus!
Fluctus ſaltate Marini
Atq; auguſtum edite murmur,
Littúſq; reverberet Echo.
Tunicas vibrate virentes
Ornati floribus Agri;
Lætentur cunctáque, Veri
Æterno dulcè reflectunt
Avium dum cantica Sylvæ.
Reboënt ſacro atria plauſu,
Venit, en! venit ille ſuperbum
Juſtè qui temperet Orbem,
Populo qui jura det æqua,
Myſteria veráq; pandat.

FINIS.

RERUM

RERUM ac VERBORUM LOCORUMQUE S. Scripturæ in hoc Volumine Theologico explicatorum *INDEX* locupletiſſimus.

A

AAronis *cauſa in conflando aureo Vitulo aperitur* p. 458. l. 15

Abaddon & Apollyon. Vide Apollyon & Abaddon.

Abel *myſticè quid ſignificet* p. 93. l. 1

Aborach, *Beſtia cui inequitet* Mahometes p. 164. l. 50

Abſtinentia *à carne in religioſis quibuſdam ordinibus; Fraus & Noxa illius Inſtituti* p. 496. l. 32

Ἄβυσσος p. 180. l. 39

Achazum *filium ſuum ſacrificâſſe more* Canaanitico p. 114. l. 55

Achazi *Hypocriſis quomodo à quibuſdam imitata* p. 823. l. 51

Achmetis *Collectio* Onirocritica p. 595. l. 43

Acta Apoſtolorum

Cap. 2. *v.* 2, 3. p. 169. l. 1. *v.* 23 p. 653. l. 31

Cap. 3. *v.* 13. 21. p. 238. l. 3

Cap. 7. *v.* 39, 40. p. 875. l. 8. & l. 32. *v.* 43. p. 532. l. 7

Cap. 13. *v.* 39 p. 327. l. 41

Cap. 17. *v.* 31 p. 237. l. 57

Acûs variatio prope Roſſeburg p. 303. l. 25

Ἁ δεῖ γενέσθ ἐν τάχει *non arguere res pleraſq; in Apocalypſi ad Excidium Hieroſolymæ Romámq; Ethnicam pertinere* p. 195. l. 28 & p. 196 *Nulli eis eſſe poſſe latibulo qui perſpicuitatem Viſionum Apocalypticarum indè volunt obſcurare* p. 763. l. 43 & p. 764

Ἅδης *quàm latæ ſit ſignificationis, quæq; vocis ſecundùm* Plutarchum *ratio* p. 71. l. 40

Adorationem *panis in Euchariſtia ex perſuaſione quòd ipſe Chriſtus ſit, craſſam eſſe Idololatriam* p. 477. l. 11 & p. 843. l. 56

Adoratæ Hoſtiæ *Idololatriam ex eo non excuſari quòd quis putet panem non eſſe in Euchariſtiâ* p. 478. l. 33

Adorationem Hoſtiæ *etiam per eos, qui Tranſubſtantiationem non tenent, factam, manifeſtam eſſe Idololatriam* p. 844. l. 4

Adorationem Hoſtiæ, *ex eo quòd Divinitas Chriſti tantùm colitur, non Humanitas, ab Idololatria excuſari non poſſe* p. 844. l. 28 & p. 845

Adorandi *Objecta ſenſibilia proclivitas in quibuſdam hominibus unde proficiſcatur* p. 887 l. 52

Adventum Chriſti *in Prophetia de* Homine peccati *non eſſe Excidium Hieroſolymitanum* p. 754. l. 44 & p. 755

Aërem *Regionem eſſe malignorum Dæmonum* p. 596. l. 37

Æterna Juſtitia *in Vaticinio* Danielis *quid* p. 257. l. 33. p. 261. l. 3

Æternus logos *quàm graphicè in Apocalypſi deſcriptus* p. 735. l. 26 & p. 736

Agar *quid ſignificet* p. 390. l. 7

Agrippam *non fuiſſe* Meſſiam abſciſſum p. 263. l. 22

Albus calculus *quid* p. 798. l. 8

Aleph Cabbaliſtarum *lucidum & tenebroſum* p. 656. l. 11

אלילים *à Septuaginta reddi,* εἴδωλα & χαιροποίητα *æquè ac* δαιμόνια, σαμόνια & μαγισεῖαι p. 455 l. 55 & p. 456

Ἀλλὰ *Apoc.* 10. *v.* 5. *pro* ἀλλ' ἢ *quod eſt* εἰ μὴ p. 18. l. 29

Ὁ ἄλλος p. 647. l. 54 & p. 648

Ὁ ἄλλος *ſive* Rex ſeptimus *quàm neceſſariò intelligendus de* Cæſaribus *purè Chriſtianis* p. 698. l. 29

Allegoria *Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, &c. quàm elumbis & inutilis res ſit, ſi conferatur cum Hiſtoria* p. 232. l. 13

Allegoricè *ſcripturam interpretandi facultatem nullum donum eſſe ſpirituale, ibid.* l. 47.

Alluſiones *Prophetarum: Vide Prophetarum Alluſiones.*

אלהים *cur non conſtanter* θεοὶ *à* Septuaginta *redditum, ſed interdum* εἴδωλα p. 456. l. 7

Alphabetum *Iconiſmorum Propheticorum: Vide Iconiſmorum Propheticorum Alphabetum.*

Alphabeti *hujus utilitas* p. 595. l. 14

Alpha & Omega *Phraſis Rabbinica apud* Grotium p. 656. l. 20

Amen, *Chriſtus cur ità dictus in Proloquio Epiſtolæ ad Eccleſiam* Laodicenſem p. 813. l. 17

אמת *apud* Danielem *eo ſenſu quo* φιλοσοφία ἡ καθ' ἀλήθειαν *apud* Parmenidem p. 592. l. 38

Amilcas *nomen Dei cui* Carthaginienſes *ſacrificabant* p. 115. l. 20

Amor ſuiipſius *omnium* animalium *Paſſionum radix* p. 84. l. 5 *Nullam ipſi ineſſe vitioſitatem quatenus* animalis *Affectus, & quare, ibid.*

Amor *à* Chriſto *Apoſtoliſq; commendatus qualis ſit* p. 320. l. 1

Amor Chriſti *quo incaleſcere debet Novus Fœderator* p. 399. l. 27

Amor proximi *quomodo Divinus* p. 824 l. 22.

Amor Divinus *omnium bonarum Actionum ratio prima ac menſura, idémq; perfectiſſimi ſtatûs Eccleſiæ peculiaris character* p. 824. l. 31

Amos

Cap. 5. *v.* 15. p. 582. l. 60.

Ἀνάστασις, & ἔγερσις *quotuplex ipſorum ſit ſignificatio*

INDEX.

ſicatio p.62.l.18

Angelus *æternum Evangelium prædicans quid ſignificet p.46.l.14*

Angelos *Divinas eſſe Imaginationes quàm ſtolida ſit ac profana opinio p.55.l.6*

Angelorum *trium Preconum* Deuteroplerosis *p.3.l.21*

Angelos bonos *exiſtere quomodo probetur p.76.l.25 & p.196.l.18*

Angelorum *lapſus : Vide Lapſus Angelorum.*

Angelos *ſingulos perſonas eſſe vitâ ſenſúq; præditas p.78.l.8*

Angelos *per ſtellas* Cabbaliſticè *ſignificari p.615.l.18*

Angeli *in Apocalypſi quid denotent p.787 l.14*

ANGLICANA Eccleſia : Vide Eccleſia Anglicana.

Animam *poſt mortem vivere atq; agere, Opinionem non eſſe in Eccleſiam per Patres è Schola* Platonica *introductam p.65.l.42*

Animam *poſt mortem non dormire Scripturis probatum p.68, 69, 70, 71*

Animæ *latiùs ſumptæ ſignificatio p.75.l.49*

Animam *poſt mortem vitâ non privari p.77 l.8 Quibus argumentis confirmetur illa aſſertio, ibid. ad finem uſq; paginæ.*

Animas *in mundi* Conflagratione *perire* Stoicorum *opinio p.79.l.41*

Animæ *poteſtas ad organizandum* Vehiculum *in ſtatu ſeparato p.77.l.44*

Animæ ſeparatæ *vis & activitas p.155.l.1 vitam ejus in terris inſomnium quaſi eſſe, ib.l.13*

Animæ ſeparatæ *vis in proprium vehiculum illuſtrata, ibid.l.23*

Anima Jeſu *quàm Divinâ Virtute prædita p.222.l.7*

Anima Cœli *cur & qualis à* Vanino *ficta p.296.l.13 Belli hujus commenti ex motu Telluris Confutatio p.296.l.38*

Animalis vitæ *plenius intellectæ utilitas p.3 l.22*

Antemedialium Viſionum *ad ſtatum Eccleſiæ Applicatio p.40 & 41*

Antichriſti ruinæ *appropinquationem nullis aliis indiciis nunc æſtimari poſſe, niſi ex veræ Pietatis profectu in Eccleſiis reformatis p.14 l.27*

Antichriſti *deſcriptio à circumſtantialibus characteribus, omiſſis partibus eſſentialibus, quàm ſit incommoda p.447.l.31 & p.448 & è contrà p.5.l.25*

Antichriſtum *non procreatum iri ex Tribu* Dan *ſed ex Tribu* Levi *etiam ſecundùm* Gregorii Magni *ſententiam p.545.l.41*

Antichriſtus *in* Leviathane *præfiguratus p.552.l.50 & p.553*

Antichriſtum *qui Chriſtianum ſe profiteatur, equè inſignem eſſe poſſe Antichriſtum, atq; is qui ſit Extraneus p.573.l.25 p.582.l.39*

Antichriſtum *illum inſignem*, Antichriſtianiſmúmve *à Prophetis prædictum in* ipſa *fore* Eccleſia *non* extra *p.574.l.14 Hujuſce rei Prædictiones p.630.l.5 p.636.l.11 & p.637 l.13 p.640.l.50 & p.641 p.687.l.47 & 698 l.52 p.710.l.17 & l.44, &c. p.713.l.1 p.715 l.31 & p.716,717,718,719,720 p.721.l.4 & p.722*

Antichriſti *veri adventus an uſpiam in Scriptura ſub eo ipſo nomine prædictus ſit p.580 l.49 & p.581,582,583*

Antichriſtorum *iſtorum multorum apud S.* Johannem *unde profecta ſit mentio p.582.l.6*

Antichriſti *nomen declinare cùm res ipſa appareat, valde abſonum eſſe, undéq; Patres id nomen magno illi Eccleſiæ Adverſario venturo impoſuerint p.583.l.16*

Antichriſti *adventum in fine Mundi merum eſſe Figmentum p.630.l.44*

Antichriſti regnum *quo temporum ambitu comprehendatur p.697.l.16*

Antichriſtum *jamdudum ingreſſum eſſe in mundum p.697.l.34*

Antichriſti *ruina quomodo jam appropinquare dicatur, quæq; illius rei ſint obſtacula p.697 l.31*

Antichriſtus *ille inſignis &* Simon Magus Gnoſticíq; *collati inter ſe, mirúſq; illorum conſenſus & congruentia p.761.l.4*

Antichriſti ruinæ *finalis appropinquatio quibus rationibus computanda p.822.l.9*

Antichriſtianiſmo *vero impugnando operam dare, rem minimè illiberalem eſſe aut ignobilem p.6.l.1 & p.7*

Antichriſtianus *Eccleſiæ ſtatus cur tam Satyricè perſtringatur in Viſionibus Apocalypticis p.11.l.25*

Antichriſtianiſmi *principia duo generalia quibus conſiſtat p.448.l.21*

Antichriſtianiſmum *in* Idea *noſtra deſcriptum* Pagano-Chriſtianiſmi *quoddam genus eſſe p.579 & 580*

Antichroniſmus *quid ſit quæq; illius origo p.594.l.8. Schema neceſſarium eſſe ac demonſtrabile ibid.l.38*

Antinomorum *opinio quàm abſurda p.324 l.16*

Antinomorum *doctrinæ immanitas p.346.l.2*

Antipas Martyr *quis p.794.l.50 & p.795 l.15 & p.684.l.26*

Ἀντιπελαργῶν *quid p.84.l.53*

Ἀνθρωποθυσίαι. *Vide* Immolationes *hominum.*

Ἀνθρωποθυσίας *omnes expiatorias eſſe* Catharmata *p.117.l.15*

Antitrinitariorum *doctrinæ examinatio p.415 & 416*

Antitrinitariorum *defenſio cum Reſponſo ad Defenſionem p.415.l.22 & p.416*

Aoriſti *ſignificatio ſecundùm* Grotium *p.722 l.20*

Ἀπειθήσασι *non poni pro ἀπειθέντων* 1 Pet.3.20. *& de ſignificatione ἀστρολικῶ p.68.l.37 & 50*

Aperto Capite *in Eccleſia verſari nihil in ſe habere Idololatrici p.885.l.56 & p.886*

INDEX.

Apocalypſis

Cap. 1. *v.* 1 *p.* 195. *l.* 28 & *p.* 763. *l.* 43 & *p.* 764, 765 *v.* 1. 3, 4. 7, 8. 10, 11. 16. 18, 19, 20. *p.* 783. *l.* 47 & *p.* 784. 786

Cap. 2. *v.* 10 *p.* 585. *l.* 39. *capitis ſecundi tertiiq; perpetua Interpretatio à p.* 786. *l.* 39 *ad p.* 816

Cap. 3. *Vide Cap.* 2.

Cap. 4. *v.* 1 *p.* 704. *l.* 61 & *p.* 705 *v.* 6, 7 *p.* 183 *l.* 26 & *p.* 184. *l.* 31

Cap. 5. *v.* 1 *p.* 592. *l.* 38

Cap. 6. *à ver.* 1. *ad v.* 13 *p.* 183. *l.* 48 & *p.* 184, 185

Cap. 8. *à ver.* 7. *ad finem cap.* 9 *p.* 185, 186, 187, 188 *c.* 8. *v.* 10 *p.* 615. *l.* 8

Cap. 9. *vide cap.* 8 *c.* 9. *v.* 1 *p.* 615. *l.* 23 *v.* 5 *p.* 586. *l.* 25 *v.* 15 *p.* 587. *l.* 5 *v.* 20 *p.* 713. *l.* 22

Cap. 10. *v.* 6, 7 *p.* 704. *l.* 38 *v.* 11 *p.* 178. *l.* 57 & *p.* 705. *l.* 11

Cap. 11. *v.* 1 *p.* 185. *l.* 15 *v.* 3. *ad v.* 13 *p.* 724, 725, 726, 727, 728 & *p.* 803. *l.* 20 *c.* 11. *v.* 7 *p.* 180. *l.* 11 *v.* 8 *p.* 189. *l.* 46 & *p.* 721 *l.* 44 & *p.* 728 *v.* 9 *p.* 179. *l.* 40 *v.* 10 *p.* 803. *l.* 20 *v.* 11 *p.* 179. *l.* 40 *p.* 777. *l.* 48 *v.* 15 *p.* 188. *l.* 35 *v.* 19 *p.* 708. *l.* 43

Cap. 12. *v.* 3 *p.* 613. *l.* 4 *v.* 7 *p.* 185. *l.* 15

Cap. 13 & *cap.* 17. *ambo illa capita ſimul exponuntur à pag.* 631. *ad pag.* 693 *c.* 13. *v.* 6 *p.* 633 *l.* 35 *v.* 12. 14 *p.* 632. *l.* 28 *v.* 11. 18 *p.* 191. *l.* 10 & *p.* 192, 193

Cap. 14. *v.* 1 *p.* 585. *l.* 53 *v.* 8 *p.* 610. *l.* 42

Cap. 15. *v.* 2 *p.* 721. *l.* 28 *v.* 3, 4 *p.* 708. *l.* 21 *v.* 8 *p.* 823. *l.* 3

Cap. 17. *v.* 8 *p.* 190, 191 *v.* 10 *p.* 612. *l.* 54 & *p.* 613 *Cap.* 17 & 13 *ambo illa capita ſimul exponuntur à p.* 631 *ad p.* 693

Cap. 18. *v.* 23 *p.* 611. *l.* 19 *c.* 18 *à ver.* 9 *ad v.* 24 *p.* 738 *ad p.* 742

Cap. 19. *v.* 10 *p.* 466. *l.* 20 & *p.* 803. *l.* 9 *c.* 19 *à v.* 11 *ad v.* 16 *p.* 735 *ad p.* 738

Cap. 20. *v.* 4 *p.* 181. *l.* 3 & *p.* 182 *v.* 6 *p.* 792 *l.* 55

Cap. 21. *v.* 8 & *c.* 22. *v.* 15 *p.* 569. *l.* 27

Cap. 22. *v.* 7. 20 *p.* 764. *l.* 14 *v.* 10 *p.* 805. *l.* 36 *v.* 15 *p.* 569. *l.* 27

Apocalypſeos *mira ordinatio & perſpicuitas, p.* 37. *l.* 28 *Neceſſaria ac inevitabilis ejus Intelligibilitas demonſtrata, ibid. l.* 38 & *p.* 47 *l.* 14

Apocalypſis *quomodo Evangelia Actáq; Apoſtolorum tam maturè ſcripta arguat p.* 288. *l.* 17

Apocalypſin *totam ſcriptam fuiſſe temporibus* Domitiani *p.* 683. *l.* 42 & *p.* 684 *Quod omnes ſubvertit* Grotii *Interpretationes p.* 684 *l.* 43

Apocalypſis *fideliſſimum maximéq; Philoſophicum Scriptum quod ab ulla manu unquam ſit exaratum p.* 774. *l.* 33 *Quantum ad ſtabilimentum Coronæ Eccleſiæq; Anglicanæ faciat, ibid. l.* 29 & *p.* 699. *l.* 33

Apocalypſis *quàm eximium* Apotheoſeos *Chriſti ſit argumentum p.* 162. *l.* 13

Apocalypticorum *Viſorum diviſio in* πείμενα, μέσα & μελάμενα *p.* 18. *l* 52

Apocalypticarum *Viſionum utilitas ad* Providentiam *particularem*, Angelorúmq; Exiſtentiam *evincendam p.* 196. *l.* 18 & *ad* Animæ immortalitatem, *ibid. l.* 47 *Ad* Divinitatem Chriſti & Trinitatem, *ibid. l.* 55 & *p.* 197

Apocalypticarum *Viſionum uſus adversùs Homines* Fanaticos *in rebus Religionis, ibid. l.* 11 & *p.* 8. *l.* 32 & *p.* 696. *l.* 18 *p.* 698. *l.* 2 *Et in rebus* Civilibus *p.* 198. *l.* 6 *Adversùs* Judæos *etiam atq;* Atheos, *ibid. l.* 39 *Speculum eſſe quo naturam* Romanæ Apoſtaſiæ *contemplemur p.* 198. *l.* 54 & *p.* 199 *Et ad quod Eccleſiæ* Reformatæ *ſe examinent p.* 199. *l.* 13

Apocalypticas *Expoſitiones veras nullas extare aut excogitari poſſe contra principalem ſenſum* Proteſtantium *p.* 693. *l.* 17 & *p.* 695. *l.* 24

Apocalypticarum *Viſionum compages quàm una ac continua p.* 764. *l.* 42

Apoc. *c.* 13 & *c.* 17 *quodnam verum ſit viſorum iſtis capitibus contentorum argumentum p.* 630. *l.* 55

Ἀπολέιὰς & ἀπολίσαι *quid ſignificent p.* 70. *l.* 29

Ἀπώλειαν *Beſtiæ ſignificare illius* παιωλιθείαν *p.* 639. *l.* 51

Apollonii *apud* Brachmanas *exceptio p.* 94 *l.* 6 *Quàm idoneus eſſet* Paganiſmi *inſtaurator ibid. l.* 26 *Et quàm miſellus tamen* Pythagoreus *ibid. l.* 32

Apollonii & Chriſti *Paralleliſmus ab Authore cur factus p.* 125. *l.* 42

Apollonii abſtinentia *à carne & vino, & in quem finem p.* 129. *l.* 15

Apollonii *Sanationes p.* 138. *l.* 47 & 139

Apollonii Chriſtíq; *facta breviter comparata p.* 141. *l.* 11 *Ejus ingenium* Spiritúſve *qualis ibid. l.* 38 Superbia *multis exemplis probata p.* 142, 143

De Apollonii *exitu ex hac vita opiniones variæ p.* 160. *l.* 23 *Dictat verſiculos novitio cuidam Philoſopho* Tyanæ *p.* 161. *l.* 39 *Apparet* Aureliano *Imperatori, ibid. l.* 48

Apollyon & Abaddon *quò alludant p.* 187 *l.* 13

Apoſtaſiam *in Prophetia de* Homine Peccati *memoratam nec defectionem eſſe à fide ad* Gnoſticorum *Hæreſin, nec derelictionem* Judæorum *per Apoſtolos p.* 759. *l.* 39

Apoſtaſiæ *Eccleſiæ Epocha: Vide* Epocha *Apoſtaſiæ Eccleſiæ.*

Apoſtolorum *nullum in reliquos habuiſſe principatum p.* 546. *l.* 46

Ἀποδιόσεις *Paganorum quàm latè ſe extendant p.* 117. *l.* 20

Apotheoſis Chriſt *ejúſq; cultus à ſuſpicione Idololatriæ vindicatus p.* 156. *l.* 39 & 157

Apotheoſeos *Chriſti Corollarium, ibid. l.* 44

Apotheoſeos *Chriſti demonſtrationes inſignes p.* 162. *l.* 2

Apotheoſeos *Chriſti tria magna conſequentia p.* 168. *l.* 29

INDEX.

Apotheoſcos *Chriſti prædictio* p.269. l.50 & p.270

Apum *Reſpublica* p.85. l.4

Ἀφέτης & Ἀναφέτης *Aſtrologici* p.301.l.54

Aquæ *per Chriſtum in Vinum converſæ occaſio & ſignificatio* p.136.l.17

Aquæ *quid ſignificent ex Interpretatione Angeli* p.652.l.26

Aquæ luſtralis *aſpergines in Eccleſia Apoſtatica cum illarum uſu in Paganiſmo comparatæ* p.668

Aſcenſio Chriſti *operationum Animæ in tenuiori vehiculo pignus* p.154. l.48

Aſcenſionis Chriſti *prædictio* p.269.l.39

Aſia *quid alluſivè ſignificet in ſeptem Eccleſiis* Aſiaticis p.785.l.35

Aſpectus Planetarum *quàm frivolis innitantur fundamentis* p.304.l.23 & p.307.l.15

Aſtarte *Dea* Venus, *Abominanda ejus Turpitudo* p.110.l.15

Ἀσὴρ πεπλωκὼς p.615.l.20

Aſtrologica Divinatio *ab* Apollonio & Brachmanis *affectata* p.129.l.19

Aſtrologia *quibus potiſſimùm argumentis defendatur* p.298.l.36 & p.299

Aſtrologiæ *confutatio* p.302 *ad* p.313

Aſtrologorum *fallax ad eventus Provocatio* p.310.l.14

Aſtrologiæ *affinitas cum* Dæmonolatria p. 311.l.46

Aſtrologiæ *prima Rudimenta* p.299.l.28 & p.300

Athei Ariſtotelici *quomodo omnem vim Evangelii evadant* p.295.l.40

Atrii Interioris *Expoſitio ſecundùm* Grotium & Medum p.185.l.31

Atrium Exterius *à Gentibus conculcatum; Vide* Civitas ſancta.

Averruncus & Robigus *qualia Numina* p. 102.l.4

Authoris *Apologia quòd volumen* Theologicum *priùs publicaverit quàm* Philoſophicum p.1.l.16 *Illius ſtudium ut omnibus quidem proſit, offendat verò neminem*, ibid.l.42 *Fidelitas ejus in explanando* Myſterio Pietatis p.2.l.27

Author *cur toties exagitet* Quakeros & Familiſtas p.4.l.9

Authoris *methodus in demonſtranda* veritate Religionis Chriſtianæ p.4.l.38 Apologia *pro* ſtyli ſui aſperitate *aliquibus in locis* p.1.l.58

Authorem *non ex* defectu charitatis *ſed ex* vera charitate & fidelitate *erga Eccleſias tum* Reformatas *tum ipſam etiam* Romanam *Vaticinia quæ ab antiquis de* Antichriſto *intellecta ſunt ad* eam Eccleſiam *applicuiſſe* p.10,& 11

Authorem *peritiam* interpretandi prophetias *nunquam affectâſſe, ſed ferè nolenti volenti clariſſimam earum rerum intelligentiam ipſi obtigiſſe* p.12.l.46 claritatis certitudiniſq; *Interpretationum ſpecimina quædam memorata*, ib. l.49 & p.13

Certitudinem *hanc feciſſe ut has ſuas Interpretationes per conſcientiam ipſi celare non liceret* p.13.l.13

Authoris ignorantia *ad tempus circa* Reſurrectionem Teſtium, *minúſq; perfecta ejus cognitio naturæ* Idololatriæ p.13.l.24 & 33

Occaſio ſcribendi Myſterium Iniquitatis & Antidotum *adversùs* Idololatriam, *ibid.l.38*

Quàm nullo *cum* partium ſtudio *verſatus ſit in Prophetiis interpretandis* p.13.l.61 & p.14

Authoris monitio *repetita ad Eccleſias* Reformatas *de moribus emendandis* p.14.l.7

Reſurrectionem Teſtium *jam factam eſſe indubitata* Authoris *perſuaſio* p.14.l.24

Authoris *de puro &* glorioſo Eccleſiæ ſtatu *in terris futuro conſtantiſſimum affirmatiſſimúmq; præſagium* p.14.l.27

Authorem *quid moverit ad tam diligentem* detectionem *Impoſturæ* Familiſmi p.247.l.15

Authoris ad ſinceriores Trementes *ſive* Quakeros *Expoſtulatio* p.431,432,433,434 *Pax animi & ſatisfactio quòd defunctus ſit officio* p.434.l.17

Authoris benignus olim Error de Artolatris, *cjúſq; correctio* p.477. l.47 & p.478 p.884 l.53

Autoritativam *obtruſionem craſſarum* Falſitatum, Incredulitatem *gignere circa* totum Myſterium Pietatis p.408. l.18 *Quàm latè pateat peſtiferum hoc malum in* Tranſubſtantiatione, Conſubſtantiatione, abſoluta Reprobatione, *&c. ibid. l.45*

B.

BAalim & עצבים *cur* εἴδωλα *à* Septuaginta *toties reddita* p.456.l.10

Babylonis *caſum non ſemel fore ſed gradatim* p.739.l.5 p.741.l.8

Babylonis *caſum*, Romæ *per* Totilam *Incendium eſſe non poſſe* p.741.l.29

Babylonem, Politian *eſſe non* Urbem *ex* Coexpoſitione *noſtra demonſtratum* p.742.l.52

Babylonis *deſolatio, poſſe fore, ut* Romæ Pagano-Chriſtianæ *ad puram rurſus & Apoſtolicam Chriſtianitatem tantùm ſit Converſio* p. 742. l. 62 & p.743 p. 9. l. 60 & p. 10 p. 11 l. 18

Bacchanaliorum *deſcriptio* p.108.l.42

Bacchanaliorum *Antichriſtianorum deſcriptio* p.555.l.17

Balaamus & Balacus *quid præfigurent* p.797 l. 16

Balaamum & Jezebelem *idem ſignificare* p. 361. l. 13

Balaamitæ *in Eccleſia* Pergamena *qui* p.796 l. 33

Baptiſmi *tempus, déq;* ſigno Crucis p. 440 l. 24

Baran, *Interpres Regis* Perſiæ p.595. l.48

Barchocab *Typum eſſe poſſe inſignis illius* Antichriſti p.581.l.24

Βάτεαχ, *quæ ratio nominis, cujúſq; rei ſit ſymbolum* p.611.l.51 & p.612
Baubûs & Cereris *Hiſtoriola* p.111.l.10
Bellonæ *ſive Deæ* Syriæ *ſacra* p.112.l.28
Belus & Baal-peor p.117.l.25
Beſtiæ ſepticipitis *decacornis capita & cornua quæ apud* Grotium p.190. l.11 & p.191 l. 4
Beſtia bicornis *Ars Magica apud eundem, ejúſq; commenti confutatio* p.191.l.11
Beſtiam ſingularem *ſignificare corpus Politicum, demonſtratum ex* Daniele p.588. l.49 & p. 589
Beſtiam unam individuam *repræſentare Regnum corpúſve Politicum ab ortu ejus uſq; ad illius interitum* p.589.l.21
Beſtiam ſepticipitem *Apocalypticam*, Regnum *eſſe ſive Imperium* p.626.l.42 *Et nominatim* Romanum, *ibid.l.50 & p.627 Eam Regnum eſſe Romanum* Idololatricum p.627.l.18 *Imperium* Turcicum *eam non eſſe* p.627.l.11 *Eam Imperium* Romanum Idololatricum *eſſe per* omnia *illa ſecula quibus ſit* Idololatricum, *ibid.l.57 Et per* ſola *illa ſecula* p.628.l.26
Beſtiam ſepticipitem *Apoc.*17 Romanum *eſſe Imperium in* Paganiſmi *quoddam genus relapſum* p.630.l.5
Beſtiam ſepticipitem *tribus viſionibus exhibitam unum idémq; eſſe Regnum Imperiúmve Idololatricum* p.640.l.1
Beſtiæ *nomen Apoc.*17. *fusè expoſitum* p.640 l.15 & p.641, *&c.* [Beſtiæ quæ erat, non eſt & tamen eſt] *quomodo intelligendum* p.640.l 5 & p.642.l.35
Beſtiæ Imago *cur de Imperio rurſus* Idololatrico *potiùs quàm* Pontificio *facto, interpretanda ſit* p.643.l.43
Beſtiæ *nomen* [Fuit & non eſt, &c.] Exiſtentiam *vel* Non-exiſtentiam *determinatam non ſignificare, ſed* ordinem & ſucceſſionem, *Mathematicè demonſtratum* p.647.l.45
Beſtiæ caput ſextum *fuiſſe quod vulneratum eſſet, clarè demonſtratum* p.648.l.6
Beſtia quæ erat, *&c. quomodo* Rex octavus *dici poſſit* p.649.l.7
Beſtiæ bicornis *ſedes cur tam determinatè affixa ſit* Romæ veteri, *in illa viſione* p.655. l.6 & p.656 & p.657.l.30
Beſtiæ ſepticipitis ſedes *cur in utraq; viſione* libera p.659.l.9
Beſtiam, quæ erat & non eſt, *Apoc.* 17. Diabolum *eſſe ſecundùm* Riberam p.675. l.7 *Expoſitionis confutatio, ibid.l.42 & p.676*
Beſtiam bicornem *non eſſe Idololatriam* Romanam, *contra* Grotium p.688.l.49 & p.689
Beſtiam bicornem *non eſſe* Artem Magicam, *contra* Grotium p.690.l.35 & p.691
Beſtiam, quæ erat & non eſt & tamen eſt, & *quæ* Imago *eſt* Beſtiæ, *Imperium eſſe non poſſe factum* Arianum p.694.l.43 & p.695
Bibliorum *oſculationem in juramentis accipiendis nihil in ſe habere Idololatrici* p.886 l.13
Bicornis Beſtia, *cur ſic dictus Imperii Clerus adulteratus* p.659.l.1
Blaſphemiam *in* Chriſtum *maximam eſſe* Immortalitatis *in Evangelio promiſſæ per* Allegorias Eluſionem p.172.l.61 & p.173
Blaſphemia διὰ πεγμάτων ἢ τύπων p.599. l.12
Blaſphemia *quàm aptus ſit Idololatriæ* Icaſmus p.599.l.42
Βλάσφημον πεῦγμα *de Idololatria dictum apud* Epiphanium p.714.l.33
Boni Genii *quales potiſſimùm* homines *ſint evaſuri* p.118.l.51
Bonitatem veram *ſuperſtitioſis ac Hypocritis qualicunq; indutam ſpecie non placere* p. 354 l. 49
A. Borelii Legiſlator *cum* Myſterio Pietatis *collatus* p.4.l.27
Boreliana *methodus probandi Evangelia Actáq; Apoſtolorum tam maturè ſcripta quàm præ ſe ferunt* p.280.l.10 & p.281,282,283,284, 285,286,287,288
Borelianæ *Methodi ad probandum Hiſtoriam Chriſti tam maturè ſcriptam cum methodo* Authoris *felix conſpiratio* p.288.l.28
Brachmanes *Solis Sacerdotes ejúſq; apud ipſos cultus* p.94.l.1
Brevis & Longi *ratio quomodo definienda* p.696.l.31
Brevis *Terminus in tres gradus diviſus* p.697.l.4

C.

CAbbaliſticas *ſcribendi formulas ſæpe occurrere in* Apocalypſi p.656.l.2
כבוד *conſpicua ſymbola* Reſidentiæ Divinæ p.457.l.41
Cæci curationis *per lutum ſputúmq; egregia ſignificatio* p.137.l.29
Cæcilii *contra Reſurrectionem Mundiq; Conflagrationem ſcommata* p.217.l.33
Cædis *Beſtiæ verus ſenſus quomodo eruendus* p.628.l.36
Cœleſtis corporis *animam non eſſe incapacem* p.215.l.44 *Summum id illius eſſe præmium* p.216.l.1 *penéſq; Chriſtum illud donare, ibid.l.16*
Cœleſtium *in die noviſſimo* corporum *recuperandi ratio* p.215.l.12
Cain, *Ratio nominis, quidq; illius partus ſignificet* p.92.l.34
Καίπερ ἐσι *non* καὶ παρέσαι *legendum eſſe Apoc.* 17. *clarè evincitur* p.676.l.45
Caium *plus Chriſtianos afflixiſſe quàm* Claudium p.618.l.26
Caium *non eſſe* Hominem peccati p. 755 l. 6
Calendarium *Propheticum J. M.* p.716.l.4
Calviniſmi *periculum* p.414.l.1
Calumniarum Antichriſtianarum *exempla varia, & ſpeciatim* Hæreſeos p. 560. l. 18 & p. 561

INDEX.

Campanarum *baptizatio quàm propè ad* Tubiluſtria *Paganorum Inſtrumentáq; ænea ad abigendos Lemures accedat* p.669.l.4

Candela *ſex menſes continuos ardens B. Virginis tutelæ commendata* p.856.l.26

Candelabrum *ex ſuo loco movere* p.789.l.9

Canis rabidus *& ab eo morſus homo quomodo ſanati ab* Apollonio p.138.l.50 & p.139

Canticum novum *quod à* Cœtu virgineo *cantatur, quid ſignificet* p.712. l.6

Cantilena Hylobaris *de* Divina Providentia p.904,905

Cantilena Bathynoi, Devotio Philoſophi *aliàs dicta* p.906

Cantilena Sophronis p.907.l.20

Cantilena Philothei, *de conſilio Divino circa* propagationem Regni Chriſti in veritate & juſtitia p.907.l.34 & p.908

Cantus *Meretricis* Tyri *myſticæ* p.745. l.15 & p.863.l.27

Capitum Expoſitio *quàm utilis* Prædicandi *ratio* p.437.l.26

Capreæ inuſtam Notam *Caprcæ eſſentialem non eſſe, ſed* caprinam naturam p.201.l.14

Caput Eccleſiæ *Catholicæ neminem unum præter* Chriſtum *eſſe poſſe* p.545.l.47 & p.546

Capútq; *hoc* non *eſſe* inviſibile, *ibid.l.8*

Caput *quàm aptè ſignificet* ſummam Poteſtatem p.600.l.26

Caput Beſtiæ *lethaliter vulneratum* Capitolium *non fuiſſe* p.689.l.30

Cardani *inſulſa opinio quòd* Lumen *viſibile &* Intellectus *ſit idem* p.95.l.35

Cardani *egregia fatuitas in calculando Nativitatem Chriſti* p.297.l.47 & p.312.l.57

Carnis Chriſti *eſus ſanguiniſq; potatio quid ſint* p.338.l.18

Carniſprivium, *ludorum* Megalenſium & Bacchanaliorum *conjunctio* p. 670. l. 47 & p.671

Carpocratem *cum ſuis* Gnoſticis *inſcitè ad Prophetiam de* Homine peccati *referri* p.760 l.22

Carthaginienſes *ſacrificâſſe homines* Saturno p.115. l.10

Cazimi, combuſtio & liberatio *à* combuſtione p.306.l.4

Καλίβη εἰς ἅδου *quomodo intelligendum* p.71 l.13

Catecheſis *quàm utilis Evangelii* prædicandi *ratio* p.437.l.12

Catharmata *Paganorum* p.116. l.34 *E viliſſima plebe facta, ibid.l.42*

Cerealia *Paganorum quomodo* Umbri *jam aliiq;* Italiæ *incolæ imitentur* p.669.l.46

Ceremoniæ *additionales in Eccleſia Chriſtiana quales eſſe debeant* p.443.l.5

Ceremoniarum *onere ut populum Dei liberet Chriſtum veniſſe in mundum* p.451. l. 33 & p.452.l.8

Cereris & Baubûs *Hiſtoria turpis & ridicula* p.111.l.10

Cervorum Siculorum *ſolertia politica* p. 85 l. 28

Characteres *perſonæ* Meſſiæ *in Vaticiniis præfigurati* p.269,270,271 & p.290,291,292

Characterem Beſtiæ *in manu frontéve accipere quid ſit* p.651.l.15

Characterem Beſtiæ *non eſſe viſibilem aliquam puncturam aut ſtigmatiſmum* p. 692 l. 10

Charitatis *deſcriptio* p.89.l.31

Charitas *in N. T. quàm diligenter inculcata* p.316.l.35

Charitatis *commendatio apud Apoſtolos* p. 320 & p.322

Charitas, *ſumma Divinitatis participatio, idq; ipſum quo Dei filii evadimus* p.322.l.47

Charitatis *ſenſu ità incaleſcendum ut nihil peccetur contra* Puritatem p.403.l.40

Charitatis *præſtantia quódq; ipſa vita Animáq; ſit* Politiæ *Chriſti* p.557.l.52 & p.558

Χαριέστερον τοῖς δόγμασι *Coloſſ.* 2. *quomodo intelligendum* p.451.l.42

Cherub *μόχον ſignificare Divinæq; Præſentiæ eſſe ſymbolum* p.457.l.53 & p.875.l.53

Cherubinos *populo* Judaico *non fuiſſe Objectum Adorationis* p.877. l.12 *Nec* Pontifici Maximo *in Sancto ſanctorum, ibid.l.52 & p.878*

Chriſti interni *perinde atq;* externi *neceſſitas* p.2.l.39

Chriſti præcepta *ſevera licèt, rationi tamen eſſe conſentanea* p.4.l.60 & p.5

Chriſti Spiritus Apollonii Spiritui *quàm contrarius* p.143.l.25

Chriſti Spiritum, *qualis ſit, nullum hominem* naturalem, *aut re aut imaginatione aſſequi poſſe, ibid. l.35*

Chriſtus, *quî factum ut princeps ſit* Angelorum *æquè ac* Hominum *cùm Angelis ordine ſit inferior* p.158.l.12 & p.159

Chriſti capacitates *adeò* univerſales *fuiſſe ut maximè idoneus omninò eſſet, qui caput fieret omnium* Intellectualium *ordinum* p.159.l.29

Chriſti Nativitas, Paſſio, Aſcenſio, & Interceſſio *quot partes* Religionis Paganicæ *complectatur* p.159.l.48

Chriſto judicium *omne commiſſum à Patre* p.216.l.30

Chriſti ſacrificium *in cruce, prædictum* p.269 l.12

Chriſtum *non eſſe Perſonam fictitiam probatum ex Hiſtoriis Paganorum* p.273.l.45 & p.274 & 276

Chriſti Hiſtoriam *maturè ſcriptam fuiſſe: Vide Hiſtoriam de Chriſto, &c.*

Chriſtum *veniſſe in mundum ut peccatum ex eo exterminet* p.314.l.36 & p.315

Chriſto, Divinitas *quo ſenſu attribuenda* p. 350.l.48 & 844,845

Chriſtus *quo ſenſu* Pater *appellandus* p.453.l.8

Chriſtus *myſticè intellectus pro* Eccleſia p. 604.l.28.p.801.l.9

INDEX.

Christus, *ille* אלוה נבר *apud* Danielem [*c.* 11] *p.*719.*l.*57

Christus *quàm constans amicus* Humanitatis, Æquitatis, Veritatis *ac* Rationis *p.*774.*l.*42

Christianum *nè* speculativum *quidem esse, indicium animi admodum stupidi ac tardi p.*81.*l.*47

Christiani Mysterii *veritatis demonstratio à sua* Rationabilitate *eiq; ab omne genus hominibus constanter adhibita fide p.*248.*l.*33

Christianæ *religionis* utilitas *in genere p.* 314.*l.*9

Christiani *statûs* puerilis, *descriptio p.* 306 *l.* 21

Christiani militis *valida armatura p.* 334 *l.*47 *vehemens ejus ad perfectionem contentio p.* 335.*l.* 6

Christiani vocatio *quàm sancta sit & cœlestis p.*335.*l.*35

Christiani realis, *verus* character *p.* 356 *l.* 38

Christiani falsi *character* verus *p.* 356. *l.* 50 *& p.*357

Christianorum verorum *contra* Pharisæos *vindicatio ab insimulatione* Blasphemiæ *p.*357 *l.*32 *&* 358 Superbiæ, *ibid.l.*9 Neutralitatis, *ibid. l.*29 Injustitiæ, *ibid. l.*39 Convitiationis, *ibid.l.*46 Zeli tumultuarii, *ibid. l.*59 *& p.* 359 Insaniæ *sive phreneseos, ibid.l.*17 Luxuriæ *moriſq; dissoluti, ibid.l.*61 *& p.* 360 Prodigalitatis, *ibid. l.* 13 Ambitionis *& Sui-quæsitionis, ibid.l.*21

Christianorum tarditas *in vero detegendo* Antichristo *cum* Judæorum *in vero* Christo *dignoscendo comparata p.*582.*l.*29

Christiani falsi *ac mendaces qui p.*791.*l.*24

Christianitas Judaismi *&* Paganismi *perfectio, & veluti* Recapitulatio *p.*121.*l.*38

Christianitatem Judaismo *successisse speciali* Dei consilio, *non* Influentiâ stellarum *p.* 297 *l.* 30

Christianitatis utilitas *ad bona hujus vitæ privata p.*375.*l.*19

Christianitatis utilitas *ad bona Politica p.* 376.*l.*7

Christianitas *vindicata ab injustis insimulationibus tanquam si rebus* Politicis *minùs esset utilis, ibid.l.*35 *& p.*377

Citeria *&* Manducus *quid p.*672.*l.*18

Civitas magna *in tres partes divisa Apoc.*16. *quid significet p.*45.*l.*54

Civitatum Gentium *casus quid p.*45.*l.*49

Civitas magna *ubi Christus crucifixus est, quæ sit p.*189.*l.*47

Civitas sancta *à* Gentibus conculcata, *Idololatriæ in Ecclesia futuræ præfiguratio p.* 710 *l.* 18

Claudium, *primum Christianorum persecutorem non fuisse sed* Neronem *p.*680.*l.*22

Claudium *& corpus esse* Bestiæ *& caput*, Domitianum *verò & caput & corpus & os Bestiæ, commentum* Grotianum *p.*683.*l.*21

Cleri depauperandi *studium profanitatem rancidè olere & Atheismum aut Infidelitatem p.*430.*l.*26

Cœlibatûs votivi *onus p.*496. *l.*50 *& p.* 497 *scopi ipsius magis abditi & pernicioſi p.* 497 *l.*13 *scopi illius magis obvii, ibid.l.*33 *& p.*498 *Noxæ ingentes p.*498.*l.*6

Cœlibatûs votum *in Sacerdotibus ac Monachis quantam vim habeat ad* Impuritatem *p.*554 *l.* 26

Cœlibatûs votum *Ritus Paganicus antiquus in Sacerdotibus* Vestæ, Apollinis, Junonis Argivæ, &c. *p.*671.*l.*34

Cœnæ Dominicæ *celebratio quàm utilis sit* Passionis Christi *commemoratio nunquam antiquanda p.*368.*l.*28

Cœtus Virgineus *quomodo lapsum Ecclesiæ in Idololatriam innuat p.*712.*l.*19

Cœtum Virgineum *éq; duodecim Tribubus* obsignatos, *eundem esse cœtum p.*703.*l.*12

Co-expositionis *nostræ usus exemplum egregium p.*675.*l.*36 *& p.*676 *p.*679.*l.*40 *& p.*680

*Co-expositionis suæ firmitas quibus rationibus nitatur p.*695.*l.*42

*Co-expositionis nostræ Consectarii duodecimi utilitas insignis ad detegendam falsitatem trivialium Expositionum cujuslibet visionis quæ Synchrona sit visioni Bestiæ instauratæ p.*700 *l.* 1

Cognationis *spiritualis onus p.*496.*l.*17

Collyridianorum *Idololatria ab* Epiphanio *reprehensa p.*714.*l.*27

Collyrium Laodicenum *p.*814. *l.* 60 *& p.* 815

Ad Colossenses

*Cap.*2.*v.*18 *p.*118.*l.*23 *v.*19 *p.*532. *l.*1

Cometarum *sublunarium qualia effecta & præsagia p.*219.*l.*32

Comminationes *stylo etiam symbolico scriptas conditionales esse posse p.*12.*l.*5

Communicabilitatem *Christianæ Religionis ejus* Rationabilitatem *innuere p.* 382. *l.* 49 *&* 383

Communicandi *rectè, methodus p.*383. *l.*12 *Exemplum breve illius methodi, ibid.l.*26

Communione *quinam excludendi sint, & de* Positura *inter recipiendum*, Communionisq; *fructu p.*439.*l.*40 *& p.*440

Conceptus *quomodo fiat secundùm* Harvæum *p.*120.*l.*10

Concionum *quis maximè genuinus sit usus p.*437.*l.*37 *&* 438 *l.*43

Concubinæ *Sacerdotibus permissæ quàm absurdum spectaculum p.*555.*l.*30

Concilii Tridentini *de Adoratione Hostiæ doctrina quàm sit Idololatrica p.*845.*l.*36.846,847

Concilii Tridentini *præceptum de Imaginibus præcepto Dei planè contrarium p.*854.*l.*9

Concilii Nicæni *secundi doctrinam de cultu Imaginum crassè esse Idololatricam p.*856.*l.*2 *Quibus rebus illius Concilii levetur Autoritas, ibid.l.*5

INDEX.

Concilium Nicænum *qualem honorem Imaginibus assignaverit* p.856.l.42

Concilium Nicænum *Latrian, apud* Photium, *Imagini Christi, cultúmq; saltem religiosum* Sanctorum *Imaginibus assignare* p.856. l. 49 & p.857

Concilii Tridentini *de Imaginum cultu doctrina, praxi & sententiis præcipuorum membrorum Romanæ Ecclesiæ illustrata* p.858.l.2

Concilium *verè* sanctum *veréq;* Oecumenicum *sub secundo* Tonitruo *futurum* p.30.l.45

Confessionis *Anniversariæ necessitas conscientiarum carnificina* p.501.l.35

Confessionem *auricularem nullum habere fundamentum in Scripturis* p.502.l.29

Confessionem *voluntariam & in genere, utilem fore in Ecclesia in quibusdam circumstantiis, & in ordine ad* Absolutionem *à Sacerdote* p.503.l.1 *Ut &* Confessionem *particularem modò sit voluntaria, ibid.l.*15

Confessionum *auricularium servitus & Noxa, ibid.l.*21 & p.504

Conflagratio *mundi* p.79.l.37

Conflagratio *mundi è Scripturis probata* p. 205.l.39. p.206,207

Conflagratio *mundi quomodo à Christianis magis sobriis intelligatur* p. 217. l. 54 & p. 218

Conflagrationis *terræ possibilitas multis argumentis probata* p.218,219,220,221,222

Conflagrationis *possibilitas quibus fallaciis improbabilis hominibus reddatur* p.223.l.19

Conflagrationis *rationabilitas probata* p.223 l.39.p.224

Conscientiæ *libertas: Vide Libertas conscientiæ.*

Constantinopolin, *Novam* Sionem *captam à* Turcis, sanctam *esse* Civitatem *secundùm* Grotium *à* Gogo & Magogo *obsessam* p.193.l.62 & p.194

Constantinopolin *septicollem esse perinde ac* Romam p.646.l.4

Constantinopolin *sedem nunc non esse Meretricis* Babylonicæ *sed* Romam *veterem* p.698 l.52 & p.699

Convivium *quo excipiebatur* Apollonius *à* Jarchâ & Brachmanis p.138.l.34 & p.94.l.9

Κοσμοθιδζεως *quid sit* p.62.l.39

1 Corinth.

*Cap.*1.*v.*30 p.329.l.28
*Cap.*2.*v.*14 p.130.l.62 & p.343.l.1
*Cap.*3.*v.*5 p.506.l.51
*Cap.*4.*v.*15 p.116.l.45
*Cap.*10.*v.*9 p.66.l.39
*Cap.*11.*v.*26 p.368.l.33
*Cap.*13.*v.*4 p.558.l.49 *v.*9,10 p.235.l.18
*Cap.*15.*v.*32 p.61.l.55 *v.*51 p.371.l.22

2 Corinth.

*Cap.*5.*v.*1,2,3,4,5,6 p.63.l.51 p.64.l.15 & l.50 & p. 65 *v.* 16 p. 238. l. 63 *v.*21 p. 364 l.48

Cornua *bicornis Bestiæ quid significent* p. 639.l.9

Cornua *duo similia Agni perperam à* Grotio *interpretata* p.690.l.35

Cornu parvulum *necessariò ad Regnum Romanum pertinere jam* decacorne *factum &* Pagano-Christianum *simul* p.733.l.24

Cornu parvulum *Meretrici ac Bestiæ bicorni* ισόχρονον *esse, cúmq; illis & Bestia instaurata tempore saltem coincidere* p.733.l.35 *Unde &* Cornu parvulum *ipsam* Meretricem Bestiámve bicornem *esse demonstratur* p.733.l.54 & p. 734 *Cur oculos hominis habere dicatur* p.734 l.24 *quàm accuratè Patriarcham Romanum præfiguret, ibid.l.*13

Corona vitæ *Ecclesiæ* Smyrnææ *promissa quid* p.792.l.20

Corona vitæ *cur Ecclesiæ* Smyrnææ *appropriata* p.818.l.33

Costeri *Jesuitæ confessio quàm immanes Idololatræ sint* Romanistæ *si panis Eucharisticus non sit transubstantiatus* p.847.l.32

Crudelitas Satanæ *in* Paganismo p.112 *in* Cathaia & Mangi, *ibid.l.*24 *in* Siam & Pegu, *ibid.l.*38 *in* Zeilan, *ibid.l.*5 *in* Hispaniola, Mexico & Peru p.113

Crudelitatum Antichristianarum *exempla varia* p.564 *ad* p.568

Cultum publicum *essentialem esse Religioni à persecutione immuni* p.435.l.19 *Recta circumstantiarum ipsius mensura* p.435.l.32

Cultûs publici *Christianorum Domum Templum propriè dici non posse* p.436.l.16

Cultus Non-Dei *sine* Imagine, *primus modus* Idololatriæ p.455.l.27 & p.456

Cultus veri Dei *per* Imaginem, *alter modus* Idololatriæ p.457 & 458,459,460

Cultus Non-Dei *per* Imaginem, *tertius modus* Idololatriæ p.460.l.47 & p.461

Cultus Imaginis *vel Complicati ex Imagine & Dæmone pro vivo aliquo Numine, quartus modus* Idololatriæ p.461.l.61 & p.462

Cultus Statuæ *tanquam cum supremo Numine Magicis Ritibus vitaliter unitæ, quintus modus* Idololatriæ p 463.l.6 p.843.l.40

Cultûs Idololatrici *modos omnes ad hos quinq; reduci posse* p.463.l.46

Cultûs Divini *Objectum unum perinde esse ac invisibile* p.464.l.11

Cultûs *in* Latrian, Dulian, & *Cultum* Civilem *mendosa Distributio* p.465.l.26

Cultum *ejusdem denominationis* Angelis Hominibúsq; *competere, non autem* Angelis & Deo, *& quare* p.465.l.55 & p.466

Cultum *qui Sanctis Angelisq; debetur, rectè* Civilem *appellari, & quare* p.466.l.40

Cultum religiosum *non esse nisi* unum, *quibus rationibus probatur* p.467.l.23

Cultum *quem exhibemus viris Dei, sacrisve Bibliis non esse religiosum* p.467. l.60 & p. 468

Cultûs *in sua genera recta distributio* p.468 l.31

Cultûs religiosi *definitio, ibid.l.*44

Cultum

Cultum religioſum *Objecto inidoneo quantumvis coactè fictéq; exhibitum, craſſam eſſe* Idololatriam *p.*469.*l.*4

Cultûſq; *propterea* religioſi *nullos eſſe* gradus ſpecificos *ſed omnem eſſe* Latrian, *ibid.l.*20

Cultûs religioſi ſigna *appropriata p.*470.*l.*45 *p.*471,472

Cultûs Divini ſigna *quanquam perperam à Paganis adhibita erga Deos falſos, non deſinere eſſe ſigna iſtiuſmodi cultûs p.*471.*l.*42

Cultum religioſum *ab Autore definitum, cultum eſſe Deo ſoli debitum, ac proinde* Divinum, *ex eóq; ſe ſua argumenta ad* Idololatriam *redarguendam eſſe deſumpturum p.*473.*l.*5

Cultus religioſus *Humanitati Chriſti quomodo communicabilis p.*844.*l.*34

Cultum ritualem *non pendere à mente Cultoris tranſiturus ſit ad Objectum necne p.*872 *l.*21

Cultum religioſum *qui Creaturæ applicatus* Idololatriam *conſtituat, reverà eſſe* Divinum, *p.*873.*l.*51 *&* *p.*874 *Creaturámq;* Deum *facere* ſummum, *ibid.l.*2

Cultum Divinum *inter &* religioſum reſpectum *vel præferentiam quantum ſit diſcrimen p.*885.*l.*32

Cultûs Divini *puritas in quo maximè conſiſtat p.*889.*l.*45

Cultus Angelorum *Sanctorúmq; per Invocationem, Erectionem Templorum, Altarium, Imaginum, &c. ad Idololatriæ definitionem reductus p.*882.*l.*37 *&* *p.*883,884 *Evaſioni occurritur* 883.*l.*27

Currus Dei *qualis, quomodóq; ab* Aarone *viſus in monte Sinai p.* 458. *l.*15 *&* *p.*875 *l.*59

Cybeles *ſacra quàm turpia p.*108.*l.*37 *Circulator* Cybeleius, *ibid l.*47

Cynocephali *cum Luna conſenſus ſive ſympathia p.*86.*l.*10 *Lunæ per hujuſmodi Animalia adoratio qualis, ibid.l.*18

D.

DÆmonum *ignorantia ipſorúmq; cultus Solis p.*94.*l.*38

Dæmones famelici *ſitim ſanguinis profitentes p.*113.*l.*45

Dæmones Incubi *p.*120.*l.*32

Dæmoniorum Ejectio *per Chriſtum & mortuorum Excitatio quid portenderent p.* 131 *l.* 34

Dæmonum Reſidentiæ *prope ſtatuas ſuas quæ apud Paganos argumenta p.*461.*l.*21

Dæmonis *ac* ſtatuæ *in unam perſonam coaleſcentium commentum p.*4 1.*l.*43

Dæmonum *Magica per ſtatuas ad certa loca devinctio p.*461.*l.*43

Dæmonem *eſſe quicquid* religiosè *colitur, præter mundi conditorem p.*719.*l.*33

Dæmoniacorum *copiæ, temporibus Chriſti, præquàm nunc eſt, rationes p.*131,132,133

Dæmoniacorum *videri poſſe abunde eſſe aut fuiſſe hiſce noſtris temporibus p.*133.*l.*17

Dæmoniacus *cui nomen* Legio *p.*134 *Difficultates circa eum propoſitæ ac ſolutæ l.*18 *Cur Chriſtus nomen* Dæmoniaci *rogaret l.*55 *Cur permiſerit* Dæmonibus *in Porcos intrare p.*135 *l.*29 *iſtiuſq; rei ſignificatio l.*43

Dæmoniacus Athenis *quomodo per* Apollonium *ſanatus p.*139.*l.*28

Dæmoniorum *ejiciendi formulæ apud* Judæos *&* Ægyptios *p.*351.*l.*36

Δαίμων *&* ἄγγελος *idem ferè ſonare, & quid propriè* δαίμων *p.*118.*l.*24

Δαίμονες μανῖκοὶ καὶ ἰαλεικοὶ *p.*461. *l.*33

Δαίμων *&* δαιμόνιον *idem apud Patres p.* 714 *l.* 40

Δαίμονες Paulini *iidem qui* Mahuzzim *apud* Danielem *p.*719.*l.*30

Δαιμονιζόμενοι, *quàm latè ſignificare poſſit iſta vox p.*133.*l.*38

Daniel.

*Cap.*2.*v.*34 *p.*731.*l.*6 *v.*44 *p.*730.*l.*38

*Cap.*7.*v.*6 *p.*732.*l.*40 *v.*8.24 *p.*734.*l.*21 *v.* 13 *p.*730.*l.*24 *v.*23 *p.*729.*l.*50 *v.*24 *p.*733.*l.* 47 *v.*25 *p.*654.*l.*16

*Cap.*8.*v.*14.26 *p.*717.*l.*4 *v.*21 *p.*732.*l.*13 *v.* 22 *p.*730.*l.*11

Cap. 9. *v.* 24, 25, 26, 27 *p.* 256, 257, 258, 259

*Cap.*11. *v.*36,37 *p.*750.*l.*48 *v.* 36,37,38,39 *p.*717.*l.*41 *&* *p.*718,719,720

Cap. 12.*v.*11,12 *p.*716.*l.*32

David Georgius *&* *H.N. quales Prophetæ p.* 163.*l.*1 *Vafros* Veteratores *&* Impoſtores *fuiſſe potiùs quàm ſimplices* Enthuſiaſtas, *ibid.l.*49 *Quanta Illuminationis eorum ſumma p.*164.*l.*1 Mahometes *ipſis orthodoxior in præcipuis Religionis articulis, ibid.l.*31

Deaſtrorum *multitudo Paganicorum cum* Divorum *Pontificiorum multitudine comparata p.* 665.*l.*57 *&* *p.*666

Decalogum *totum* moralem *eſſe, cúrq; Tabulis lapideis Dei digito inſcriptus dicatur p.* 480.*l.*27

Decalogum *totum* moralem *eſſe quibus confirmetur argumentis p.*838.*l.*2

Decalogum *ad populi captum ſcriptum eſſe, nec verſutorum ſophiſmatis eludendum p.*854 *l.*23

Decalogi, *in primo ſecundóq; præcepto ſenſus genuinus ac neceſſarius p.*874. *l.*27 *&* *p.* 875,876

Decemviros *ſummam fuiſſe poteſtatem ex* Livio *conſtare p.*661.*l.*15

Decem Cornua *Beſtiæ perperam à* Grotio *expoſita p.*687.*l.*26 *&* *p.*688.*l.*35

Decem perſecutiones *prædictæ in Divinis Oraculis p.*791.*l.*50 *&* *p.*792

Deificationem *realem ac Phyſicam nemini competere præterquam Chriſto, quódq; aliter ſtatuere ſit Chriſtianitatem ſubvertere p.* 60 *l.* 30

INDEX.

Dei exiſtentiæ *ratio ex idea ipſius petita* p. 74. *l.* 1 *Ulteriórq; ejuſdem confirmatio ex concatenatione illius cum rationibus reddendis rerum cæterarum* p. 74. *l.* 18 *Probatio ex rerum formationibus, ipſorúmq; confeſſionibus* Phyſiologorum, *ibid. l.* 35 & p. 75. *l.* 1

Dei definitio *apud* Plutarchum p. 96. *l.* 62

Dei præſentia *ſpecialis in cœlis, ſive* Divina Schechina p. 156. *l.* 8

Dei notitia *veriſſima quæ ſit, quomodóq; ſeculis* Philadelphianis *maximè propria* p. 824 *l.* 25

Δελφὸς *vox antiqua apud* Macrobium p. 95 *l.* 13

Deos induere *quid ſit apud Paganos, ejúſq; apud Pontificios imitatio* p. 669. *l.* 35

Deos Paganorum *pleroſq; omnes, homines fuiſſe* p. 117. *l.* 39

Deſertum *Gentiliſmi ſymbolum* p. 632. *l.* 51

Deſertum *cur Paganiſmum indigitet* p. 602 *l.* 29

Deum *eſſe credere quem* deglutire *poſſumus quàm abſurdum apud* Ciceronem p. 665. *l.* 53

Deus *quomodo dicatur in* corda dediſſe decem Regibus *ut regnum ſuum dent Beſtiæ* p. 653. *l.* 13

Deuteronom.

Cap. 22. *v.* 9 p. 802. *l.* 33

Cap. 29. *v.* 14, 15 p. 66. *l.* 13

Deuteropleroſis *Præconii trium Angelorum* p. 31. *l.* 21

Deuteropleroſis *an tertium quoddam genus* Henopœiæ p. 589. *l.* 60

Diaboli dominium *in mundo ante adventum Chriſti* p. 105. *l.* 41

Diaboli crudelitas *in perſonas hominum ſub* Paganiſmo p. 132. *l.* 6 *Illius poteſtas in* Excommunicatos & *Apoſtatas, ibid. l.* 22 *Poſterioris exempla quædam egregia in vertiginoſis quibuſdam hujus ſeculi ſectis l.* 26

Diabolus *quomodo abuſus ſit Prædictione quadam* Apocalypticâ *in damnum Eccleſiæ* p. 585. *l.* 11

Diaboli *falſa conjectura de expiratione Chriſtianiſmi* p. 687. *l.* 37

Διαθήκη, *variæ illius vocis ſignificationes* p. 386. *l.* 23 ἡ καινὴ διαθήκη Novum Teſtamentum *cur redditum* p. 387. *l.* 36

Δικαιοῦν, δικαιοῦσθαι & δικαίωσις p. 327. *l.* 29

Dictatores, *ſummam fuiſſe poteſtatem* p. 661 *l.* 32

Dies *cur* Annos *nunquam ſignificent, rationes* Grotii *propoſitæ & confutatæ* p. 176. *l.* 46 & p. 177

Dies judicii *ſeptima* Potentia Evangelica p. 371. *l.* 13 *Illius* Diei *incertitudo, ibid. l.* 44 *Crepuſculi veſpertini illius* Diei *deſcriptio* p. 372. *l.* 31 *Matutini deſcriptio, ibid. l.* 53 & p. 373

Dies Feſti 441. *l.* 16

Dierum Feſtorum *Numeroſitas cum inefficacibus rerum Divinarum miniſterio conjuncta quantum momentum habeat ad mores ſpurcos & impuros* p. 553. *l.* 54 & p. 554

Dies 1260. *quomodo exponendi, ut* & Tres Dies & Dimidium p. 585. *l.* 62 & p. 586

Dies *cùm* annum *ſignificat*, Icaſmum *eſſe* p. 616. *l.* 1

Dignitatum *Aſtrologicarum tum* Eſſentialium *tum* Accidentalium *confutatio* p. 305. *l.* 56 & p. 306, 307

Dii σύμβωμοι *omnes eorúmq; Θεοξωΐα* p. 96. *l.* 1

Dijovis & Vejovis *idem qui* Apollo p. 101 *l.* 49

Diluvium igneum *univerſale quibus rationibus arguatur probabile* p. 220. *l.* 47

Διόνυσος p. 93. *l.* 56

Dioriſmus *ejúſq; genera* p. 585. *l.* 33 & p. 586, 587

De Dioriſmorum Numeralium *uſu problema paulò curioſius* p. 586. *l.* 59

Dioriſmorum proportionalium & ſpecificorum *exempla* p. 507. *l.* 26

Diphili *Tragœdi de* Conflagratione *Vaticinium* p. 221. *l.* 34

Directio *apud Aſtrologos quid* p. 301. *l.* 33

Directores *vel* ſignificatores *principales quinam ſint* p. 301. *l.* 48

Diſpenſationes *contra legem Chriſti cum illius rei fraude & noxa* p. 520. *l.* 37 *Hujus poteſtatis prætextus perfidioſus, ibid. l.* 59 & p. 521 *Malum hujus prætextûs effectum* p. 521. *l.* 10

Diſſenſiones *Chriſtianorum circa Trinitatem, circa Divinam eſſentiam, circa creationem mundi, circa Animam humanam, circa Chriſtum atq; Angelos* p. 54 & 55

Divinæ Providentiæ *de rebus Eccleſiæ* matura *ſolicitudo è vaticiniis antiquis eluceſcens* p. 750. *l.* 30

Divinæ vitæ *triumphus externi Imperii Diaboli ruinâ contractior* p. 172. *l.* 29 *Conſpicua illius eminentia primitivis temporibus, ibid. l.* 35

Divinæ vitæ *triumphus externus quàm bene firmatus quámq; plenè celebratus* p. 374. *l.* 15 *Quàm gratus ſit hominibus verè piis, ibid. l.* 48

Divinæ vitæ *ramulos ſine Fide in Deo & Chriſto in meram degenerare moralitatem* p. 403 *l.* 9

Divinatio Aſtrologica *ob* Apollonio & Brachmanis *affectata* p. 129. *l.* 19

Divinationis Apollonii p. 140. *l.* 23 *ab* Inſomniis *l.* 29 *à* pipilationibus paſſerum *l.* 37 *à* tonitruo *l.* 42 *à* monſtroſo partu *l.* 46 *ab* Halone *l.* 49

Divinitas Chriſti *probata ex primo capite Evangelii S. Johannis* p. 58. *l.* 34 & p. 59 *Ut à cultu Divino ei exhibito, ibid. l.* 42

Divinitatis Chriſti *negatio Religionis Chriſtianæ ſubverſio* p. 60. *l.* 30

Divinitatem Chriſti & *myſterium* Trinitatis *nullas in ſe habere repugnantias* p. 380. *l.* 3 & p. 381. *l.* 13

INDEX.

Divinitatis Christi, *prout à Scholasticis explicatur, examinatio* p.414.l.38

Divinitatis Christi *inculcationem creaturam omnem arguere cultûs religiosi incapacem* p.470 l. 22

Doctores *quosdam meras striges esse & Infantisugas* p.398.l.10

Δογματίζειν [*Coloss.* 2. 20.] *quid sit* p.451 l.48

Domi *cœlestes* p.301.l.1

Domorum Nativitatis *erectioni sq; Schematis confutatio* p.307.l.31

Domitianus *Bestia quæ erat & non est, &c.* apud Grotium p.190.l.54

Domitianus *si, Bestia quæ erat & non est, fuisset,* Patres *utiq; qui magis è propinquo eum aspectabant, sic esse deprehendissent* p.685.l.39

Domitianum *non fuisse Imperatorem tempore patris, non magis nec æquè sanè quàm* Titus *frater* p.685.l.55 & p.686

Domitianum *Bestiam esse quæ erat & non est, quàm vesanum* Grotii *commentum* p.686.l.33 & p.687

Domitianus *portio* Neronis p.690.l.30

Draco *quomodo dicatur* vires suas dedisse Bestiæ p.643.l.54

Draco serpénsve septiceps *quomodo ad* Romam Pagano-christianam *etiam pertineat* p. 603.l.14

Dulias *officium ad neutram Decalogi tabulam referri posse* p.467.l.9

Duo Testes *quas binas res potissimùm significent* p.200.l.15 *Quotuplici sensu vivi dici possint vel occisi, ibid.* l.26 & p.201

Duorum Testium *& conculcationis* exterioris Atrii *à Gentibus, explicatio* Grotiana p. 189.l.24

Duorum Testium *visionis vera explicatio* p. 724,725,726,727,728

E.

ECclesiæ Anglicanæ *ab omni suspicione* Antichristianismi *vindicatio, à* p. 765 *ad* p. 778

Ecclesiæ Anglicanæ *Reformatio in doctrinis suis & institutis quàm sit perfecta* p.765.l.21

Ecclesia Anglicana *Invocationem Sanctorum, Adorationem Sacramenti sive Hostiæ cultúmq; Imaginum tanquam Idololatrica planè condemnat* p.765.l.47 & p.766,767 *Rationem colendi* Sanctos & Imagines *eandem esse concludit apud* Pontificios *quæ olim colendi* Deastros *erat apud* Paganos p.767.l.48 *Libera ejus Justáq; censura de* ornatu Imaginum *prætextúq; quòd* libri *sint* Laicorum p.768.l.18 Romanam *Ecclesiam* Apostaticam *Meretricem esse* Babylonicam *minimè dissimulat, ibid.* l. 23 *Notásq; Regni* Antichristi *in ea apparere, ibid.*l.36

Ecclesia Anglicana *quàm perfectè nos liberaverit à Jugo illo* Ægyptiaco *quod nobis* Papismi *temporibus incubuit* p.769. l. 16 Dierum Festorum Quadragesimæq; *Observatio, usúsq;* Superpellitii, Signiq; Crucis *in Baptismo, in sensu* Ecclesiæ Anglicanæ *quàm nihil Superstitionis aut Antichristianismi sapiant* p.770.l.12 & p.771,772

Ecclesia Anglicana *quàm ex diametro opposita sit illi Antichristianismi parti quæ* Regale & Propheticum *Christi officium oppugnat* p. 772.l.37 & p.773 *Ut & illi quæ* Sacerdotale p.773.l.31 *Eam nihil tenere adversùs cæteros Christi Titulos,* Veritatem, Vitam, Lucem, *&c.* p.773.l.14

Ecclesiæ Anglicanæ *peculiaris gloria quòd adeò in solidum immunis sit omnium fraudum & Impostturarum* p.776.l.13 *Illius à* Superbia *Immunitas, ibid.* l. 30 *Ab* Antichristiana Impuritate, *ibid.*l.45 *Et à* crudelitate p. 777 l. 5

Ecclesiam Anglicanam *nihil quod vel minimam habeat speciem* Idololatriæ *in celebranda* Cœna Dominica *requirere* p.887.l.28

Ecclesiæ apostatantis *statûs, quantùm ad enorme studium cultûs externi erga Servatorem Sanctósq; ex Divinæ Providentiæ consilio interpretatio* p.173.l.48 & p.174

Ecclesiæ Apostaticæ *statûs ridiculi pariter ac calamitosi Descriptio* p.175.l.26

Ecclesiam *post* Apostasiam *latuisse tantùm in* Eremo, *non periisse* p.173.l.37

Ecclesiæ *corruptio postquam Christianitas facta sit Religio Imperii* p.173.l.24

Ecclesiarum *Fabrica debitáq; pulchritudo* p. 435. l.34

Ecclesiæ Lapsus & Instauratio *prædicta in Apocalypsi* p.182.l.25

Ecclesiæ lapsus *accuratissimis circumstantiis prædictus ut firmum sit pignus illius* restitutionis p.673.l.9

Ecclesia ἐν περγάμῳ *constituta ut primùm* superba, *dein* contentiosa *evaserit* p.792.l.7

Ecclesiæ Reformatæ, *qualis* Idololatriæ *illæ reæ videantur* p.182.l.25

Ecclesiæ restitutæ *descriptio* p.175.l.53 & p.176

Ecclesiæ statûs *per* Antemediales *Visiones prædicti compendiosa descriptio* p.38.l.20

Ecclesiæ statûs *per* Mediales *visiones prædicti descriptio* p.38.l.37

Ecclesiæ statûs *per* Postmediales *prædicti descriptio* p.39.l.28

Ecclesiæ status *in* Deserto *idem qui servitutis in* Ægypto p.711.l.45

Ecclesia *cur Anglicè* Church *appellata, vandq; Sectariorum circa eam rem Cavillatio* p. 436.l.40

Ecclesiam, *quamvis* Templum *non sit, esse tamen aliquâ ratione* Sanctam, *ibid.* l. 52 & p.437

Ecclesiam *sufficienter* unam *effici ex eo quòd* unum caput *habeat* Christum unámq; Legem *Apostolicam* p.546.l.27

Ecclesiam *liberam fuisse ab Idololatria & Anti-*

INDEX.

Antichriſtianiſmo ad annum quadringenteſimum ferè à nato Chriſto p.696.l.19

Eccleſiæ paci *ac ſecuritati quantum conferat* Co-expoſitionis *Conſectarium ſecundum p.696.l.21*

Eccleſiæ paci *quantum conferat Conſectarium ſeptimum p.678.l.7*

Eccleſiaſticæ Poteſtatis *Pompæq; majoris* Imperiali, *plauſibilis ſuppoſitio p.537.l.23* Rationum *hujus ſuppoſitionis* Imbecillitas *p.537.l.38* Noxæ *ab ea provenientes in depellendis Eccleſiaſticorum animis à veritatis ſanctitatiſq; ſtudio, faciendóq; ut quicquid verum ſanctúmq; ſit, ſi ipſorum avaritiæ & ambitioni adverſetur, oppugnent p.538.l.6 Quòd hujuſmodi* Poteſtas Luciferiana *ſubverſura eſſet* Regnum Chriſti *& in merum* Emporium *mutatura p.538.l.57 & p.539*

Ἐκδημῆσαι ἐκ τῦ σώμαλ@ *p.69.l.30*

Eclipſis Solis *in Paſſione Servatoris quî fieri poſſit ut in Hiſtoriis Gentilium non occurrat p.148.l.16 Quid de illius commemoratione ſtatuendum ſit apud* Phlegontem & Thallum, *ibid. l.33* Calvini *Sententia de illa Eclipſi, ibid.l.52*

Edom & Boſra *p.737.l.22*

Efflagellationis *Nummulariorum è Templo quis ſenſus ſit p.136.l.34*

Εἳ *in* Λαλῶν@ *non* ῖ *ſcribendum eſſe, multis confirmatur argumentis p.656.l.31*

Electionis & *Reprobationis examinatio p.411 & 412*

Elephantorum *ingenium Politicum p.85 l.36*

Elephantis *religionem ſyderum ineſſe opinio* Plinii *p.86.l.23*

Eleuſinia *quàm fœda & obſcœna p.110.l.31 Illorum ſacrorum magnificentia, magnáq; frequentatio, ibid. l.41*

Ellipſis Prophetica *quid propriè ſit p.592 l.28*

Ellipſeos Propheticæ *proprietas exemplis illuſtrata p.592.l.51 & p.643.l.22*

Elohim *etiam cum verbo pluralis Numeri conjunctum, de vero Deo intelligi p.457.l.30*

Ἐν ἀρχῇ [*Johan.1*] *quomodo intelligendum p.57.l.16*

Ἐνδύσασθ@ *quid propriè ſignificet p.64.l.35*

Enthuſiaſtica Intemperies *quàm conjuncta cum ſuperbia p.165.l.57*

Enthuſiaſtarum *conditio incurabilis p.211 l.14*

Enthuſiaſmus Mahometis *quomodo temperatus, ejúſq; ſucceſsùs ratio p.166.l.2*

Epheſus *quomodo à peſte per* Apollonium *liberata p.139.l.10*

Epheſus *quid alluſivè ſignificet in Eccleſia* Epheſina *p.787.l.53 & p.788*

Ad Epheſios

Cap.1.v.10 p.121.l.42
Cap.2.v.14 p.452.l.8
Cap.3.v.16 p.343.l.27
Cap.4.v.11 p.509.l.35

Ephodum Michæ & Teraphim *vero Deo fuiſſe conſecratos p.459.l.18*

Epiphanii *locus de ablegatione* Johannis *in* Patmon, *explicatus p.682.l.12*

Epiphanii *locus alter de* Johannis *reditu è* Patmo *à* Petavio *correctus, ibid. l.46 & p.683*

Epiphanius *quàm indiligens Hiſtoriæ & imperitus p.683.l.11 Niſi error fortè ſcribæ eſſet, ibid. l.25*

Epiphonema *Epiſtolarum ad ſeptem Eccleſias quid ſignificet p.790.l.3 Ejus poſitio p.792.l.31 & p.812.l.12*

Epiſcopatûs Anglicani *ab Imputatione* Antichriſtianiſmi *ex ipſa* Apocalypſi *petita vindicatio p.774.l.14*

Epocha *Viſionum* Apocalypticarum *ubi reperienda p.34*

Epocha *Apoſtaſiæ Eccleſiæ p.696.l.19 & p.697 p.707.l.57 p.710.l.21 p.27.l.18 Quam habeat latitudinem p.17.l.34 p.34.l.3 & p.35*

Ἐπόψ@ις & Ὄψ@ις *quid p.51.l.penultima*

Ἐπόψεια *Paganorum quomodo affectetur in* Tranſubſtantiatione *Pontificiorum p.671.l.55 & p.672*

Equæ *à vento gravidæ p.120.l.13*

Equi albi Seſſoris *prælium quid p.46.l.2*

Equi albi Seſſoris *viſio fusè explicata p.735, 736,737*

Equitum Euphratæorum *Explicatio ſecundùm* Grotium *p.187.l.34 & ſecundùm* J. Medum, *ibid.l.57*

Equi ſtatua *ænea cum Seſſore*, Teleſma Conſtantinopolitanum *contra peſtem p.364.l.4*

Erectio *Schematis Aſtrologici quot modis fiat p.301.l.14*

Error *maximè* fundamentalis *radixq; omnium corruptionum in Eccleſia Chriſti p.406 l.17*

Eremus: *Vide Deſertum.*

Eſaias

Cap.7.v.14 p.291.l.13
Cap.9.v.6 p.270.l.5
Cap.11.v.4 p.737.l.3 v.10 p.271.l.24
Cap.14 à verſ.12 ad v.20 p.749.l.15 & p.750
Cap.23.v.15,16,17,18 p.744.l.43 & 745 v.16 p.863 v.18 p.746.l.22
Cap.26.v.21 & c.27.v.1 p.553.l.16
Cap.27: Vide Cap.26
Cap.29.v.8 p.340.l.27
Cap.41.v.11,12 p.400.l.39
Cap.53.v.1 uſq; ad v.13 p.266,267,268

Ethnicorum *ſapientiores* ἐκ τῶν Σεβομένων *potiùs fuiſſe quàm meros* Paganos *p.110.l.40*

Evangelium *videri* Gentibus *potiùs quàm* Judæis *deſtinatum p.121.l.ult.*

Evangelium Johannis *à* Turcis *pro amuleto adhibitum p.172.l.2*

Evangeliorum exemplaria *omnia nunquam fuiſſe*

fuiſſe combuſta *p.*289.*l.*13 *Nec* depravata *aut corrupta, ibid. l.*37 *Idq; ex ipſis variis ſectionibus aliquo modo conſtare p.*290.*l.*1

Evangelii veritas *probata, ex* ſucceſſu *quem habuit* Hieroſolymis, *ex* ſeveritate *Præceptorum, &c. p.*293 & 294

Evangelium Chriſti *quibus amoris noſtri demonſtrationibus proſequi debeamus p.*405.*l.*19

Evangelium *appellari potuiſſe vel* Novam Legem *vel* Novum Fœdus *p.*386.*l.*52 *Cur appellatur* Διαθήκη *potiùs quàm* Νόμος *p.*387.*l.*7

Evangelii ſenſum *ad tarditatem vel exiguitatem cujuſlibet imbecillis Ingenii demitti non debere p.*384.*l.*15

Evangelii *finis* privativus & poſitivus *p.*448 *l.* 42

Evangelium *Chriſti cur* æternum *dictum p.*2 *l.* 61

Evangelii *ſcopus, indoles atq; vis p.*121 *l.* 15

Euchariſtiæ *ſive myſterii communionis corporis Chriſti* abuſus immaniſſimus *p.*572.*l.*5

Euphratæi equites *quo paxillo rebus Imperii* Turcici *affixi ſint, quibuſq; indiciis conſtet ad quod mundi ſeculum illud vaticinium* pertineat *p.*587.*l.*20

Εὐθυνοπεῖαι & ἐνύπνια αἰνιγματώδη *p.*595.*l.*19

Evomitionis *Eccleſiæ* Laodicenæ *profundior ſignificatio p.* 813.*l.* 60 & *p.* 814 & 819 *l.* 40

Excellentiam mediam *Deum inter atq; Homines ſoli Chriſto* διανθρώπῳ *competere p.* 465 *l.* 45

Excellentiam *tantùm* infinitam & *increatam debitum eſſe Objectum cultûs* religioſi *p.* 479 *l.* 28

Exemplum Chriſti *quarta Potentia Evangelica p.*348.*l.*24

Exemplum Chriſti *vindicatum ab inſimulationibus* Blaſphemiæ *p.*349.*l.*45 & *p.*350 Magiæ *p.*351.*l.*2 Profanitatis, *ibid.l.*4 Neutralitatis *p.*352.*l.*1 Injuſtitiæ, *ibid.l.*16 Convitiationis, *ibid.l.*48 Zeli tumultuarii, *ibid.l.*6 & *p.*353 Deſperationis, *ibid.l.*12 Dementiæ *l.*23 Morum diſſolutorum *l.*61 & *p.* 354, 355 Ambitionis & Sui-quæſitionis, *ibid.l.*15

Exemplum Chriſti *piis Animabus quàm ingens Privilegium p.*361.*l.*5

Exodus

*Cap.*3.*v.*14 & *c.*34 *v.*8 *p.*381.*l.*56
*Cap.*23.*v.*20 *p.*875.*l.*29
*Cap.*32.*v.*1 *p.*875.*l.*33
*Cap.*34 *vide cap.* 3

Exorcizatorum *Elementorum in uſus ſuos ſuperſtitioſos diſtributio p.*494.*l.*11

Exorcizatio Diaboli *ex Infante baptizando, quale ſpectaculum p.*494.*l.*21

Ezechiel.

*Cap.*1.*v.*10 & *c.*10 *v.*14 *p.*458.*l.*1
*Cap.*10 *vide cap.*1
*Cap.*27.*v.*29 *p.*740.*l.*58
*Cap.*28.*v.*2,3,4,5 *p.*743. *l.* 15 & *à v.* 12 *ad v.*18 *ibid. l.* 46 & *p.* 744
*Cap.*28.*v.*2 *p.*748.*l.*40 & *v.*7.*l.*53
*Cap.*43.*v.*10,11 *p.*255.*l.*54
*Cap.*47.*v.*8,9, &c. *p.*256.*l.*4

F.

FAmiliaritas Dæmonum *cum* Aſtrologia *non rarò conjuncta p.*311.*l.*37 & *p.*312

Familiſmus, *Oeconomia nempe Spiritûs, cum aliis tumidis illius encomiis p.*230.*l.*48

Familiſmum *miniſterium* Spiritûs *nullo pacto eſſe poſſe p.*236.*l.*9

Familiſmi *Noxa & periculum p.* 246 & 247

Familiſtarum *Arcanum præcipuum quid ſit p.*230.*l.*2

Familiſtas *nec* Immortalitatem Animæ *nec* Spirituum exiſtentiam *credere p.*243.*l.*50 & *p.*244,245

Familiſtarum *abſurditas in rejiciendo perſonam Chriſti & adhærendo tam carnali Ductori quàm eſt H.N. p.*317.*l.*35 & *p.*318

Familiſtæ *quâ occaſione* Amoris Titulum *ſibi vendicaverint p.*319.*l.*19

Familiſtarum *contemptus in Chriſtum ob mœſtam illam ejulationem in Cruce p.*365.*l.*18

Fanatici *homines quo Spiritu regantur p.* 233.*l.*49

Fati Divinæve Providentiæ *ambitu ſtatus Eccleſiæ* apoſtaticus *quomodo comprehendatur p.*653.*l.*24 & *p.*654 *p.*715.*l.*46 *p.*734.*l.*47 *p.* 745.*l.*25

Feræ *Regna Idololatrica & Tyrannica quàm rectè repræſentent p.*598.*l.*33 & *p.*599

Feſta *Paganorum: Vide* Jubilæi.

Ficûs maledictio *per Servatorem quid ſignificet p.*136.*l.*54 & *p.*137

Fides, *vitæ Divinæ radix p.*88.*l.*60

Fide ſolâ *an ſalvemur p.*325,326,327,328, 329,330

Fides *tantopere à* Paulo *commendata qualis ſit p.*326.*l.*62 & *p.*327

Fidei Chriſtianæ *pars præcipua p.*328.*l.*34

Fides *nobis imputata ad juſtitiam qualis p.* 328.*l.*57 & *p.*329

Fidei Hiſtoricæ *natura p.*386.*l.*8

Fidem veram *ac ſalvificam propriè* Fœdus *eſſe, ibid.l.*23

Fides Abrahami *ad partum* Iſaac ſpiritualis *quàm neceſſariò imitanda p.*392.*l.*13

Fidei Chriſtianæ *Objectum eminentiſſimum obiter detectum p.*393.*l.*3

Fidei ſalvificæ *ſive* Fœderis Chriſtiani *Objectum adæquatum p.*394.*l.*40

Fides *quædam ferè* omnipotens *Novo Fœderatori neceſſaria p.*399.*l.*1

Fides *qualis ſit quæ diſtinguitur à* Cognitione & Sapientia *p.*518.*l.*20

*Fides, quali Eccleſiæ conſtitutione neceſſariò ferè extinguatur p.*539 & 540

Fidem veram *firmámq; in Christum à* Nova *esse* Nativitate *p.*803.*l.*3
Fides *in genere quid sit p.*827.*l.*5
Fides *propriè sic dicta quid p.*827.*l.*42
Fidem *firmam posse esse falsam p.*827.*l.*8
Fidei *certitudo* humana *ac* moralis *quæ sit quibúsq; rebus innitatur p.*829.*l.*42
Fides *communis & Catholica quæ p.* 830 *l.*53
Fidei *certitudo* Divina *qualis sit, & quid insuper addat* humanæ *ac* morali *p.*830.*l.*57 *& p.*831
Figuratus *quando rectè dici possit sermo, quando non p.*872.*l.*38 *& p.*873
Filia *quid significet stylo prophetico p.*609 *l.*14
Filiorum Dei *per Antichristianam Potestatem indigna tractatio p.*533.*l.*8
Filium Dei *cur* Christus *se appellet in exordio Epistolæ ad Ecclesiam* Thyatirensem *p.*853 *l.*16
Filum *ordinis visionum* Apocalypticarum *principale, quodnam sit p.*18.*l.*10
Fili *hujus* tripartitio *in sex prima* Sigilla, *sex primas* Tubas *& septem* Tonitrua *p.*18 *l.*46
Flagellantium *sive* Ninevitarum *ordo unde originem ceperit p.*671.*l.*42
Flagellatio, *Illius* Inefficacia, *Pœnitentis* Hypocrisis, *barbara Ecclesiæ* superbia, Noxæ *indè provenientes p.*498.*l.*24
Flora *Dea p.*109.*l.*41
Fœdera vetera *plura fuisse uno p.*388.*l.*2
Fœderum duorum *differentia per duplicem similitudinem illustrata* [*Gal.*4] 389.*l.*19
Fœderis veteris *natura adumbrata in* Agar *filióq; ejus* Ismaële *p.*390.*l.*7
Fœderis Novi *adumbratio in* Sarah, *ejúsq; filio* Isaac *p.*391.*l.*11
Fœdere Christiano *nihil ex nostra parte requiri, quàm periculosus error & execranda Hypocrisis p.*395.*l.*61 *& p.*396
Fœderis Novi *pactionem actualem, supponere* Resipiscentiam *p.*397.*l.*26
Fœderis secundi *filius & mancipium* primi *ut discriminentur p.*400.*l.*25
Fœdus *&* Testamentum *in quo conveniant p.*386.*l.*42
Fœdus *illud* vetus *quodnam sit à quo speciatim* Novum *distinguitur p.*388.*l.*8 *Discrimen ipsorum, ibid. Objectio adversùs datum discrimen cum Responso, ibid.l.*26
Fœdus secundum *cur non facilè frangatur* 388.*l.*45
Fœdus secundum *inter atq;* primum *discrimen illud ingens in quo consistat p.*392.*l.*52 *& p.*393
Fœdus Novum *inire quid sit p.*397.*l.*6
Fœdus Novum *nè in* Fœdus operum *mutetur periculum esse,* Amórq; Christi *in* Amicitiam mercenariam *p.*401.*l.*51
Fœderatorem Novum *ex aqua & spiritu genitum esse p.*397.*l.*34
Fœderatores Novi *sive recèns nati in Christo, quomodo tractandi p.*397.*l.*48
Fœderator Novus *quæ principia strictè debeat observare p.*398 *&* 399
Fœderator Novus *quàm diligentem instituere debeat examinationem ad inveniendum quicquid in ipso sit corruptum, &c. p.* 399 *l.*46
Fœderatoris Novi *circumspectio perpetua & vigilantia p.*402.*l.*35 *Ejus conversatio apud homines, ibid.l.*55 *& p.*403
Fœlicior Augusto, melior Trajano, *acclamatio populi ad* Cæsares *suos p.*692.*l.*32
Fortitudinis *stupendæ in B. Servatore copiosa descriptio p.*90.*l.*6
Fulminis *natura & effecta p.*220.*l.*1
Fulminatrix legio, *ibid.l.*22
Fundamenta *verissima certissimáq;* Fidei *quæ sint p.*832.*l.*49

G.

*Litera quàm facilè in vocabulis deperdatur p.*799.*l.*31
Gabrielis *salutatio ad* Mariam *cur facta p.* 125.*l.*13

Ad Galatas

*Cap.*2.*v.*16 *p.*330.*l.*10
*Cap.*3.*v.*21 *p.*330.*l.*43
*Cap.*4.*v.*2.22,23 *p.*339.*l.*19
*Cap.*5.*v.*14 *p.*331.*l.*6
Generationes *hominum initium habuisse p.* 79.*l.*23

Genesis

*Cap.*1.*v.*14 *p.*141.*l.penult.*
*Cap.*3.*v.*15 *p.*291.*l.*9
*Cap.*4.*v.*1 *p.*92.*l.*32
*Cap.*18 *&* 19 *p.*381.*l.*59
*Cap.*49.*v.*10 *p.*251.*l.*24
Genitivus *Objecti & Agentis p.*714.*l.*60
Gigantum *generatio qualis secundùm* Josephum *p.*120.*l.*6
Gladius *acutus ex ore Sessoris Equi albi prodiens* [*Apoc.*19] *quid sit p.*736.*l.*55 *& p.*737
Gladius hic *quomodo ad ipsos sanctos pertineat, ibid.l.*51 *& p.*738
Gladius *Robustorum gentium* [*Ezech.*28] *adversùs Principem* Tyri *strictus quid p.*748 *l.*53 *& p.*749
Globi *à Sacerdotibus* Ægyptiis *clàm custoditi p.*96.*l.*9
Gloria Dei *quid p.*345.*l.*44
Gloriam *reliquos* dedisse Deo, [*Apoc.*11.*v.* 13] *de quibus intelligendum p.*728.*l.*19
Gogi *&* Magogi *Obsidium quid p.*31.*l.*3
Græcorum *veterúmq;* Latinorum *similitudo & consensus in vocalibus pronunciandis scribendisq; p.*656.*l.*48 *& p.*657
Gratia discriminativa *quomodo admittatur, ejúsq; vi irresistibili quosdam salvari p.* 413 *l.*16

INDEX.

Gratiam ſufficientem *reliquis offerri multóſq; ex ipſis ſalvatum iri, ibid. l.* 29

Gratiam & veritatem *per Chriſtum contigiſſe, quomodo intelligendum p.*451.*l.*7

Gratitudo *in brutis perfectióq;* Phariſaica *p.* 84.*l.*54

Grotii *ingenium humanum ac benignum, unde ejus, in interpretando Apocalypſin, errores profluxerunt, ſed nec à minùs benigno eorundem per Authorem detectio p.*194.*l.*32

Grotius *quàm miſerè hallucinatus ſit in interpretanda* Imagine Beſtiæ *p.*673.*l.*39

Grotii *in cap.* 17. *Apocalypſeos confutatio p.* 679 *ad p.*688 *Expoſitionis* Fundamenta duo *quibus neceſſariò ſuffulcienda ſit p.*680.*l.*11 *Fundamentis interpretationum tam malè poſitis infeliciſſimus illius ſucceſſus p.*685.*l.*12

Grotius *cur tam alternans in Expoſitionibus p.*690.*l.*11 *Craſſum illius peccatum adversùs* ſecundam Regulam *interpretandi prophetias p.* 692.*l.*53

Grotii *immane facinus, ſi claritatis ſui nominis interpoſitu Divinam veritatem obſcurare voluerit p.*693.*l.*1

Grotii *ſucceſsûs inauſpicati in ſuis Interpretationibus* Apocalypticis *quædam non contemnenda utilitas p.*693.*l.*17

Grotii ἀπροσδόκητον *abſurdiſſimum in interpretando* 2 Theſſ. *cap.* 2. *verſu octavo p.* 754 *l.*32 & *p.*755.*l.*30

Grotius *in prophetia, de* Hómine peccati, Paulum *introducit de præteritis prophetantem p.*756.*l.*20 & 757.*l.*38

Grotiana *Methodus interpretandi* Apocalypſin *quàm incerta & abſurda, quámq; firma ac demonſtrativa ſit* Medana *p.*182.*l.*41

Grotiana *Methodus probandi Hiſtoriam de* vita Chriſti *tam maturè ſcriptam p.*288.*l.*5 & *p.*289

Grotiana *Interpretatio* Filii Hominis [*Dan.* 7] *profana ac inepta p.*730.*l.*46 *Par dementia in interpretando* Lapidem ſine manibus abſciſſum *p.*731.*l.*5

Gruum *prudentia politica p.*45.*l.*13

Guianæ & Pariæ *Incolas hominibus immolatis veſci p.*113.*l.*37

H.

הבלים, ἐιδωλα *p.*460.*l.*2

Hæreſin & Schiſma *peccata eſſe contra Eccleſiam* verè Catholicam & Apoſtolicam *p.*561 *l.* 23

Hæreſis *quid ſit p.*52.*l.*18

Hæreticum *neminem eſſe poſſe aut* Schiſmaticum *qui corporis Apoſtolici ſit membrum p.* 563.*l.*3

Haggæus

*Cap.*2.*v.*6,7,8,9 *p.*255.*l.*9

Hebdomadum Danielis *Expoſitio p.*256,257 *uſq; ad p.*261

Hebdomadum *Epocha* Funçiana *p.*260.*l.*59

Hebdomadum *Epocha* Lydiatæa *p.*261.*l.*1

Ad Hebræos

*Cap.*2.*v.*17,18 *p.*237.*l.*8

*Cap.*6.*v.*1,2 *p.*235.*l.*20

*Cap.*9.*v.*24,25,26,27,28 *p.*237.*l.*22

*Cap.*10.*v.*11 *p.*237.*l.*19

*Cap.*11.*v.*26 *p.*66.*l.*41 & *p.*238.*l.*40

*Cap.*12.*v.*2 *p.*355.*l.*17 *v.*9 & 22 *p.*70. *l.*9

*Cap.*13.*v.*8 *p.*238.*l.*42

Helga & Hecla *Vulcani in* Iſlandia *p.* 218 *l.* 23

Henopœiæ *prima & præcipua ſpecies quæ ſit p.*588.*l.*41 *Duo altera genera* Henopœiæ *p.*589 *l.* 48

Heroum *cultûs per Paganos defenſio p.* 98 *l.*17 *Eos cultos fuiſſe ob gratificationes tantùm* Animalis vitæ *p.*104.*l.*36

Heroes *Paganorum quales p.*119.*l.*15 Franciſci Pici *de* Heroibus *à Diis oriundis opinio, ibid.l.*38

Heroum *exempla citra tempus* μυθικὸν *vel* ἡρωικὸν *p.*120.*l.*47

Hexecadem *quàm veriſimile ſit menſuram eſſe primam ſive Diviſorem Numeri Dierum* 1260 *p.*616.*l.*18

Hieroſolymorum *excidium quibus prodigiis comitatum p.*210.*l.*17

Hiſtoriam *de* Chriſto *maturam verámq; ſcriptam fuiſſe dum oculati teſtes adhuc vivebant p.*277. *l.*47 & *p.*278,279,280,281,282,283, 284,285,286,287,288,289

Hiſtoriæ Evangelii *objectio ſub prætextu auſcultandi* lumini interno *quàm periculoſa res ſit*

H. N. Literali *ſenſui Scripturæ quàm infeſtus & Evangelii miniſtris ſecundùm* literam *docentibus p.*229.*l.*20 *Ejus cura nè* Novitii *ſui quenquam conſulant aut cuiquam fidem habeant, nè dictatis quidem propriæ conſcientiæ, ſed ſolis* Senioribus *ſuæ* Familiæ *p.*230.*l.*6 *Se* Moſi, Johanni Baptiſtæ, *ipſiq;* Chriſto *anteponit, ibid. l.*32

H. N. Chriſtus *pro ſuo tempore & maximus natu* Familiæ *poſt eum in perpetuum p.*231.*l.*18 *Rationes ob quas H. N. adeò ſe magnificet propoſitæ ac confutatæ, ibid.l.*43 & *p.*232,233

H.N. nulla edidiſſe miracula *p.*233.*l.*10 *Nec ullum ſpecialem fuiſſe* Perfectionis *aut Preconem aut Exemplum, ibid.l.*24 *Nullum extare in Scripturis de H.N. ejúſve doctrina Vaticinium p.*234.*l.*26 & *p.*235

*H.N. qualis vir fuerit, & quàm ineptus Divini Amoris magiſter p.*316.*l.penult.* & *p.*317

H.N. nullum unquam ſpecimen amoris ſui *erga genus humanum dediſſe ſicut Chriſtus & Apoſtoli p.*318.*l.*12 *Quàm injuſtus ſit Tituli* Amoris *uſurpator, ibid.l.*39

Hoc eſt corpus meum, *neceſſariò figuratè eſſe intelligendum p.*847.*l.*3

Hominis imagine *cur Regnum Chriſti depingatur p.*598.*l.*39

Homo peccati, *qualis Clerus rectè cenſeatur,* &

& Leviathanis *descriptione præfigurari* p.552 l.32 & p.553

Homo peccati *quomodo dicatur ostendere se tanquam sit Deus* p.752.l.24

Homo peccati *quomodo spiritu oris Christi delendus* p.753.l.14

Homo peccati *quando adventurus juxta commune Antiquitatis suffragium* p.752.l.41 & p.753.l.24

Homo peccati & Cornu parvulum *inter se comparati* p.753.l.33

Homonymia *quid sit & quomodo differat à secundo genere* Henopœiæ p.593.l.8

Honoris Christo debiti *rationes multifariæ* p.452.l.51

Hostiæ adoratio: *Vide Adoratio Hostiæ.*

Humiliationes Christi *ut semper compensatæ* Exaltationibus p.143.l.44 & p.144

Humilitatis *descriptio* p.89.l.19

Humilitas *quàm seriò commendetur à Christo & Apostolis* p.315.l.35 & p.316

Humilitatem *sic exercendam esse ut non sapiat* superbiam p.403.l.23

Humilitatem *proprium esse characterem personæ Spiritúsq; Christi* p.545.l.15

Hylasmus *quid sit cum ejus generibus & Exemplis* p.588.l.11

Hymni *ab Ecclesia componendi* p.441.l.16

Hymnus *in* Nativitatem Christi p.893 *In* Passionem Christi p.894,895 *In* Resurrectionem p.896

Hymnus *in* Ascensionem p.897,898 *In* Missionem Spiritûs S. p.899 *In* Creationem Mundi p.900,901 *In* Redemptionem Mundi *per Christum Novæ Creaturæ Re-introductione* p. 902

Hypallages Propheticæ *Exempla nonnulla* p.711.l.20

Hypocrisin *Professorum Religionis, Atheis mundum implevisse* p.407.l.24

Hypostasin *unicam in Deitate rationibus Mysterii Christianitatis non sufficere* p.59.l.51

I.

Ἀναγωγία Eleusiniorum *pars* p.111.l.6

Janua *quæ Christum intromittat* p. 815 l. 55

Jao *nomen Solis* p.94.l.ult.

Icasmus *quid sit, quódq; hujus Figuræ crebritas ità Vaticinia non obscurat quin æquè facilè intelligi possint ac* Scutorum Gentilitiorum *explicationes quælibet edisci* p.594.l.44

Iconismorum Metallaxis *quid sit* p.594.l.53

Iconismorum *Propheticorum Alphabetum, à* p.595 *ad* p.617 *Per quod cùm singuli* Iconismi *facilè inveniri possint, in* generalem *hunc* Indicem Alphabeticum *eos non inserui.*

Iconismorum *Propheticorum rectè intelligendorum optima ratio* p.595.l.33

Idea Christianismi *Divinæ Bonitati quàm sit congrua* p.228.l.35

Ideæ Antichristianismi *describendæ artificium* p.448.l.42

Ideæ Antichristianismi *confirmatio ex Apoc. c.21.v.8 & c.22 v.15* p.569.l.52

Ideæ Antichristianismi *summaria Repræsentatio* p.570.l.6 & p.571,572

Idea Antichristianismi *quàm mirificè consentiat cum Prophetiis de statu Ecclesiæ Apostatico* p.763.l.29

Idololatriam & Persecutionem duo illa esse immanissima crimina ob quæ tanta mala orbi Antichristiano intententur ex visionibus Apocalypticis *planè constare* p.11.l.60 & p.12

Idololatriam *genuinum* vitæ animalis *esse fructum, undéq; id constet* p.86.l.45 & p. 87

Idololatriæ *extirpatio per Messiam, prædicta à* Jeremia p. 449. l. 15 & *aliis locis V. & N. Testamenti, ibid. l. penult. &* p.450

Idololatria *omnis quomodo sit* Blasphemia p.472.l.19

Idololatriæ *incapaces nos non reddere veri Dei professionem* p.476.l.15 & p.477,478

Idololatriæ *damnum, & injuria* Deo p.485 l.33 Sanctis Angelísque, *ibid.l.*48 ipsis Idololatris p.486.l.10

Idololatriam *homines convertere in lupos atq; ursos* p.486.l.30 *Fontem esse Impuritatis & omnimodæ Improbitatis, ibid.l.*42 & p.487 *Quanta damna Ecclesiæ Christi inferat totiq; adeò mundo* p.487.l.22 & p.488

Idololatria *quàm aptè significetur per* Fornicationem & Adulterium p.607.l.37 & p.608

Idololatria *apostatantis Ecclesiæ character præcipuus, cúrq; tam fusè prædictus* p. 720 l. 38

Idololatria *à Deo sic declarata quàm manifesto jure talis sit habenda* p.837.l.17

Idololatria *quàm gravis animi morbus* p.840 l.5 *Immanitas criminis, ibid.* 37 *Quod tamen in Idololatris seriis semper comitatur Ignorantia* p.840.l.44

Idololatriæ *Ethnicorum defensionis per ipsos vel extenuationis quis sit usus* p.100.l.9 *Responsio ad Defensionem, ibid.l.*34

Idololatria *Ethnicorum in quo consisteret* p.838.l.35

Idololatriæ *exempla plurima quæ specioso prætextu in Ecclesiam introduci possint* p.454 l.36

Idololatriæ *notio nimis stricta & nimis laxa* p.455.l.1 *Quàm utilis sit veræ notionis illius Investigatio* p.455.l.23

Idololatriam *non restringendam esse ad Idolorum cultum propriè sic dictorum* p.455.l.27

Idololatriæ *peccatum in quo consistat* p.463 l. 23

Idololatriam *esse rei cujuslibet alîus cultum præter Deum* p.463.l.57 & p.464

Idololatria *quid sit* p. 468. l. 54 & p.475 l. 37

Idololatria *ut committatur, requiri ut cultus religiosus dirigatur ad indebitum objectum tanquam*

INDEX.

tanquam ad Objectum non tanquam circumſtantiam p.469.*l.*32 *Non autem tanquam ad ipſum Deum, ibid.l.*48 *Ipſos quidem Paganos iſtiuſmodi Idololatriæ nunquam fuiſſe reos* p.470 *l.*3 & p.838.*l.*47

Idololatriam *eſſe vel unam Divini Numinis peculiaritatem in cultu Creaturæ agnoſcere* p.475.*l.*2 & p.873.*l.*17

Idololatriæ *periculum in incurvando ſe versùs Imaginem, quanquam* circumſtantialiter *tantùm quoad animi propoſitum, non autem* Objectivè p.839.*l.*25

Idololatriæ *communiter ſic dictæ accurata Definitio* p.871.*l.*19 *Definitionis Explicatio, ibid.l.*35 & p.872,873

Idololatria *in ſecundo Præcepto interdicta ad Definitionem Idololatriæ reducta* p.878 *l.*52

Idololatriæ Spiritualis *inſtantiæ variæ* p.888 *l.*18 & p.889

Idolum *eſſe quicquid religiosè colitur cùm non ſit Deus* p.455.*l.*53

Idolum & לא־אל *i.e. Non-Deum idem eſſe exiſtimatione Divinâ* p.456.*l.*33

Idola *ipſa quî factum ut Pagani pro Diis haberent* p.461.*l.*1

Idolum *inter &* Imaginem *ineptè diſtingui, ubi utraq; fiunt religioſi cultûs objecta* p.479 *l.*11

Idolothytorum *comeſtio in Eccleſia* Pergamenſi *quomodo interpretanda* p.796.*l.*27 & p.797

Jejunium Chriſti *ac ſolitudo, ante Miniſterium ſuum quid denotent* p.127.*l.*61 & p.128

Jeremias

*Cap.*1.*v.*5 p.66.*l.*14

*Cap.*2.*v.*27 p.583.*l.*5

*Cap.*10.*v.*7,8,9,10,11 p.449.*l.*19

Jezebel, *quàm viva ſit* Romanæ *Hierarchiæ figura* p.801.*l.*52 & p.802 p.803.*l.*41 & p.804

Ignis de cœlo *quàm accuratam Excommunicationis ſymbolum* p.606.*l.*16

Ignis de cœlo *eductio, de fulgure in Nativitate* Apollonii *vel coruſcatiuncula Umbræ* Achillis *frigidè à* Grotio *expoſita* p.691.*l.*8

Ignis *exiens ex* ore Teſtium *quo homines occidantur quid* p.724.*l.*52 & p.725

Ἰλῶ ὁ χῦ Κεῖνῶ p.115.*l.*32

Imaginum *cultûs per Paganos Defenſio* p.98 *l.*40 & p.99,100

Imago Jovis p.98.*l.*47 Æoli, *ibid.l.penult.* Cereris p.99.*l.*7

Imago Apollinis *ſive* Solis p.99.*l.*12

Imaginum *uſûs noxa & periculum* p.101 *l.*3

Imagines & Picturæ *in locis publici cultûs, an & quomodo ferendæ* p.442.*l.*8

Imaginem *nullam, præter Jeſum Chriſtum, vivam Patris Imaginem, eſſe colendam* p.456 *l.*39

Imaginem *Chriſti nullam veram eſſe ſi licitum eſſet eam adorare* p.480.*l.*3 *Illicitum verò eſſe quamvis extaret, ibid.l.*17

Imaginum *uſum ad memoriam & Devotionem, prætextum fuiſſe Ethnicorum* p.480.*l.*56 & p.481 *Hujus Apologiæ vanitas* p.481.*l.*23 & p.482

Imaginum *cultûs finem lucrum eſſe Sacerdotis* p.482.*l.*51 *Artes variæ quibus hæ imagines fiant lucroſæ* p.483.*l.*9

Imago Beſtiæ *vivis depicta coloribus à* p.664 *ad* p.673

Imaginis Beſtiæ *loquela quomodo à* Grotio *expoſita* p.691.*l.*48

Imaginum cultum *à* Tridentinis *Patribus præceptum, eſſe* Idololatricum p.853.*l.*50 & p.854

Imagines *colendas eſſe ex eo minimè probari quòd Honor referatur ad Prototypum* p.854 *l.*33

Imaginem *Animæ ſeparatæ Chriſtiq; ἀναθεώτῃ quàm inſulſum ſit effingere velle* p.855.*l.*1

Imaginum Sanctorum cultum, *eſſe reverà in* ipſos Sanctos contumeliam p.855.*l.*40

Imaginem *eodem cultu honorandam eſſe quo is cujus ſit imago, conſtans opinio Theologorum Pontificiorum* p.858.*l.*12

Imagines *quomodo ſuâ conſecratione* Deaſtri *fiant ſive* Idola p.858.*l.*26 & p.859.*l.*7 *Paganorum* Teleſmata *quomodo referant* p.858.*l.*36

Imaginum *cultus quibus rebus aliis præter* orationem & adorationem *conſiſtat* p.859 *l.*15

Imaginum debitum honorem *omnia in uſu apud Pontificios includere, quæ Patres* Tridentini *non exceperint* p.859.*l.*23 *Circa rem* Imaginum *quanta cautio adhiberi debeat, ibid. l.*45

Imagines *omnes cum relatione ad Deum cultas eo ipſo fieri* Repræſentativas p.879.*l.*1 *Cultúmq;* Divinum *ipſis* impertiri, *ibid.l.*23 & p.880

Imagini Chriſti *cultus Divinus præſtitus an* Irrepræſentabilitatem *Divini Numinis violet* p.880.*l.*55 & p.881

Imbibitio *capitis* 13 *Apoc. in caput* 17 p.622.*l.*37 & p.623,624,625

Immolationes hominum *ſub Paganiſmo* p.113.*l.*27 *in* Virginia, Peru, Braſilia, Nicuragua, *ibid.& in* Mexico p.114.*l.*3

Immolationem Hominum *ab* Abrahamo Iſaacum *offerente, initia non ſumpſiſſe, ſed à malitia Diaboli* p.115.*l.*34

Immolationes hominum *in* Britania, Luſitania, Gallia, Germania, Thracia, Mona *inſula*, Græcia, *ibid. In* Sicilia, Italia, Ægypto, India, Perſia, *&c.* p.116.*l.*3

Immortalitatis *in Evangelio promiſſæ per allegorias eluſionem ſummam eſſe in Chriſtum blaſphemiam* p.172.*l.*48

Immortalitatis *Animæ quàm certa faciliſq; demonſtratio ſit* Reſurrectio & Aſcenſio *Chriſti* p.369.*l.*9

INDEX.

Imperium *tam* Orientale *quàm* Occidentale *Idololatriâ contaminatum* p.711.l.7 & 713 l. 22

Impuritas *Paganismi* p.108,109,110,111

Impurissimæ *superstitiones in* Tartaria, Malabar, Narsinga, *totáq; Continente* Americana p.111.l.19

Impuritas *quibus rebus promoveatur in Ecclesia* Antichristiana p. 553. l. 42 & p. 554, 555,556

Imputari in justitiam *quid* p.327.l.14

Incantationis *notio generalis apud* Agrippam p.493.l.16

Incantationum & *Exorcizationum exempla varia* p.492.l.19 & p.493

Incarceratio Satanæ *quid significet* p.32.l.1

Incurvationem *versùs Altare & ad nomen Jesu nihil in se habere Idololatrici* p.886.l.28 & p.887

Infallibilitatis *prætextûs Confutatio à* p.508 *ad* p.518 *Usurpationem juris* infallibiliter *interpretandi leges Christi, Regalis ejus Officii esse supplantationem* p.508.l.32 & p.509

Infallibilitatem *promissam fuisse primis duntaxat Ecclesiæ Fundatoribus* p.510.l.43 & p. 511.l.25 *Apostolicorum scriptorum tutam ad nostra usq; tempora per Ecclesiam Traditionem, ipsius non arguere* Infallibilitatem p.512.l.32

Infallibili judice *non solùm nihil opus esse, sed nullum esse è re magis fore Ecclesiæ* p. 513 l. 32

Infallibilitatis *defectum non tollere Ecclesiæ autoritatem, cùm privati cujusq; officium sit in rebus reverà dubiis Ecclesiæ sententiæ stare* p.513.l.47

Infallibili judice *in causis Civilibus quanquam opus sit, in rebus tamen Religionis longè aliter se habere, ibid.* l.61 & p.514

Infallibilitatem *Ecclesiæ exemplo Ecclesiæ* Judaicæ *refutari* p.516.l.27 *Et* Christianæ *etiam totius ferè in* Arianismum *lapsæ* p.517.l.5

Infallibilis Judicis *defectum haud ità grandi damno esse populo Dei* p. 517. l. 23 & p. 518 l. 28

Infallibilitatis *Fraus & Noxa* p.518.l.43

Infallibilitati *magni illius* Pseudoprophetæ *redarguendæ locus opportunissimus* p.524.l.11

Infantum *baptizandorum obsessio quàm horrida suppositio* p.494.l.40

Injunctiones *rigidas Regno Christi esse contrarias* p.520.l.25

Inquisitionis sanctæ, *quæ dicitur, descriptio* p.567.l.12 & p.568

Insomniorum & Visionum *interpretandi rationem eandem esse, modò insomnia merè* Typica *sint non ex corporis temperie orta* p.595 l.54 & p.596

Institutorum externorum *vilificationem nullum signum esse* Novi Fœderatoris *sed insolentis Animi & carnalis* p.402.l.45

Intentio Sacerdotis *in Sacramentis administrandis quantas anxietates creare possit* p.501 l.3

Interceſſio Christi p.159.l.39

Interreges, *Potestatem non fuisse à* Regia *distinctam* p.661.l.48

Intervalla *septem Ecclesiarum* p.781.l.33 & p.783.l.27

Invocationem *Spiritûs particularis invisibilis, Idololatriam esse, & quare* p.474.l.1

Invocationis *jus in Omnipræsentia sive Omnipercipientia quadam fundari* p.841.l.34

Invocatio *Sanctorum Angelorúmve quare Idololatrica* p.841.l.41 p.842 p.844.l.11

Invocationis *Sanctorum formulæ variæ Idololatricæ à* p.848 *ad* p.853

Invocationum *Formulæ ad B. Virginem insigniter Idololatricæ* p.850. l.45 & p.851,852, 853

Invocationem *Sanctorum non esse nudum* [*Ora pro nobis*] p.848.l.28 p. 850. l. 33 & p. 853.l.43

Job.

*Cap.*31.*v.*26,27,28 p.87.l.7

*Cap.*38.*v.*19.21 p.66.l.16

Cap. 41.*v.* 5,6,7. 9,10,11,12. 15. 25 p.552 l.46 & p.553

Johannem *in Patmon non fuisse ablegatum temporibus* Claudii p.680.l.40

Johannem *nec vidisse, nec scripsisse visionem Meretricis & Bestiæ, temporibus* Vespasiani p. 680.l.58 & p.681

Johannes *quando suum iniverit Apostolatum* p.682.l.59

Johannis Evang.

*Cap.*1.*v.*11 p.66.l.43 *v.*17 p.451.l.9 *v.*21 p. 234.l.43 *v.*32 p.226.l.48

*Cap.*3.*v.*13 p.67.l.18 *v.*14 p.361.l.47 *v.*31 p.67.l.16

*Cap.*5.*v.*26 p.238.l.12

*Cap.*6.*v.*34.51.54.56.62,63 p.338.l.25 *v.*36 p.451.l.19 *v.*38 p.67.l.15 *v.*44 p.238 *v.*62 p.67.l.22

*Cap.*8.*v.*58 p.350. l.11

*Cap.*9.*v.*3 p.67.l.37 *v.*6 p.137.l.29

*Cap.*10.*v.*30.34 p.350.l.1

*Cap.*12.*v.*31 p.107.l.4 *v.*32 p.145.l.59

*Cap.*14.*v.*15 p.338.l.54 & p.509.l.30

Cap. 16. *v.*8 p.170.l.42 *v.*13 p.509.l.32 *v.* 28 p.67.l.17

*Cap.*17.*v.*4,5 p.67.l.5

*Cap.*20.*v.*23 p.502.l.1

Johannis Epist. 1

*Cap.*2.*v.*1 p.237.l.32

*Cap.*2.*v.*18 p.580.l.40 *v.*22 p.581.l.24

*Cap.*3.*v.*9 p.341.l.1

*Cap.*4.*v.*2 p.581.l.52 & p.582

Josephi *testimonium de tempore adventûs* Messiæ p.264.l.26

Josephi *testimonium de Christo suppositititium* p.275.l.4

Jovis *à* Jehovah *derivatio* p.162.l.35

Iphicratis *stratagema* p.167.l.12

Ἵππων καὶ ῥιζῶν καὶ σωμάτων *quisnam sit sensus illorum verborum* p.739.l.53

Irenæi *teſtimonium de tempore Scriptionis Apocalypſeos* p.683.l.32
Iſaac & Iſrael *quid myſticè ſignificent* p.391 l. 33
Iſaacus *Typus Chriſti in nobis geniti* p. 328 l. 34
Iſmael *quid ſignificet, cujúſq; rei ſymbolum ſit* p.390.l.39
Iſochronæ *Viſiones quatuor* p.21.l.1
Iſraëlitas Jehovam *coluiſſe in vitulo aureo* p. 457.l.19
Iſraëliſmus *quid* p.591.l.16 Sacramentalitatem *Eccleſiæ* Judaicæ, *reſpectu ad* Chriſtianam, *crebro hujus ſchematis uſui occaſionem dediſſe* p.591.l.22 p.745.l.46
Jubilæi Pontificii *modiq; generales celebrandi ſua Feſta cum* Paganorum *Feſtis comparati* p.669.l.27
Judæi, *quî factum ſit ut* Meſſiam *ignorarent* p.54.l.10
Judæi *lux mundi ante adventum Chriſti* p.108 *Illi imputari debere ſiquid olim* noſtrum *Hemiſphærium tolerabilius fuerit* Americano, *ibid.l.15 Sed nec tantam vim habuiſſe quin craſſæ Idololatriæ ubiq; obtinuerint, ibid.l.23*
Judæorum *objectio contra adventum* Meſſiæ p.295.l.19
Judæos Chriſtum *potiori jure adorare debere quàm eorum Patres præſentiam* Angelorum p. 381.l.55
Judæos *fuiſſe Idololatras quamvis verum Deum profeſſi ſint* p.477.l.5
Judæorum *expulſionem è* Roma *per* Claudium *minimè probare Chriſtianos per eum expulſos* p.681.l.19
Judaiſmum *reſpexiſſe tantùm gratificationes* Animalis vitæ p.104.l.penult.
Judaiſmi *præſtantia præ* Paganiſmo p. 105 l. 9
Judicium Noviſſimum *Principalia tria quæ comitentur* p.204.l.18
Judicium *omne Chriſto commiſſum à Patre* p.216.l.30
Juliani *propoſitum de ædificando Templo* Hieroſolymitano p.275.l.23
Jupiter *Cœleſtis, Marinus, & Infernalis* p. 98.l.13
Juramentum *ab eis præſtandum qui ſub prætextu libertatis conſcientiæ religionem mutare volunt* p.428.l.41
Juſtitia æterna [*Dan.9.v.24*] *quid ſignificet* p.3.l.1
Juſtitia Chriſtiana *qualis* p.327.l.50 & p. 328
Juſtitia Fidei *quid ſecundùm Apoſtolum* p. 330.l.33
Juſtitiam Fidei *non eſſe Imaginationem ſed Realitatem* p.331.l.19
Juſtitiam Fidei *Novam eſſe Creaturam* p. 331.l.33
Juſtitiam Fidei *non excludere bona opera* p. 332.l.38
Juſtitiâ Imaginariâ *contentorum conditio per oppugnatores* Arielis & Sionis *præfigurata* p. 340.l.15
Juſtitia imaginaria *quot quantáq; damna Animæ inferat* p.341.l.27
Juſtitiam imputativam *quibus ſcripturæ locis ſtabilitum eant* p.325.l.40 & p.326 *Erroris illius cauſæ naturales quæ, ibid.l.21*
Juſtitiæ imputativæ *Examinatio* p.417.l.10
Juſtitia Laodicena *qualis* p.813.l.1
Juſtitiæ Realis *Neceſſitas irrefragabilibus Scripturæ teſtimoniis probata* p.329.l.46
Juſtificationem *in ſanguine Chriſti per Maris rubri tranſitum ſignificari* p.8.l.49
Juſtificatio, *quid vox ſignificet* p.327.l.29
Juſtificationis per fidem *Notio unica legitima* p.329.l.8

K.

KAlendarium *Propheticum* J. Medi p. 716 l.4 & l. 27

L.

LAcedæmoniorum *Juvenum flagellatio ad aram* Dianæ p.112.l.14
Laodicenæ *Eccleſiæ ſtatûs deſcriptio* p.812 l.29 & 813,814,815
Laodicea, *quæ ratio nominis* p.812.l.50 & p.813
Laodicenæ *Eccleſiæ res* & Gogi *ac* Magogi *obſidio quomodo coincidant* p.815.l.15
Laodicena *Eccleſia, cur præ cæteris adeò opulenta, ſuâ ſaltem opinione, repræſentata* p. 820.l.31
Lapſus *Angelorum in quo conſiſtat* p.76.l.48
Lapsûs *effectum in vehicula, ibid.l.51 Non extinxiſſe vitam* p.77.l.3
Lapſum *Animæ à* Divina vita *accelerare partum* Cain p.92.l.15 *Ejuſdem lapsûs paulò plenior deſcriptio, ibid.l.17*
Lapſi generis humani *error primus maximéq; fundamentalis* p. 92. l. 37 *Quàm naturaliter Genus humanum poſt* lapſum *ſubditum ſit Tyrannidi Diaboli* p.106.l.21 *Illius rei exempla in Gentibus* Americanis, *ibid.l.41*
Lapſus hominum *ac* Angelorum *ejúſq; effectus cur permittendi ad tempus* p.225.l.52 & p. 226
Lapſus *Angelorum & Hominum unde innoteſcat* p.226.l.23 *Hujus lapsûs utilitas* p. 226 l.30 & l.60 & p.227
Λαῖλαψ *nomen beſtiæ quomodo computandum* p.656.l.25
Latina *Eccleſia* & Latini *Patres olim dicti qui nunc* Romani p.657.l.30
Laudis *ſenſus in* Brutis p.84.l.43
Legiſlatores *in Deorum numerum relati* p. 117.l.46
Sub Lege *non eſſe quomodo dicantur qui ſunt in Chriſto* p.331.l.1

Legis Christi *abſconſionem in lingua peregrina ſupplantationem eſſe illius Imperii* p. 519 *l.*14 *Vt & calumniationem & vilificationem ejus, ibid. l.* 20

Legum Christi *vilificatio minorem irrogando pœnam ob Admiſſa contra ipſas, quàm contra leviora Inſtituta Eccleſiæ* p.520.*l.*10

Lemnii Meſſores *quàm mirabili fulmine icti* p.220.*l.*27

Λεμμαλοκοσμησία *quid* p.618.*l.*42

Λεμμαλοσωλήχια *quid* p.594.*l.*35

Leonæ Syri & Menandri Smyrnenſis *inſomnia ab* Artemidoro *interpretata* p.613.*l.*61 & p.614

Lex & Fœdus *in quo conveniant* p.386 *l.*31

Lex ignea *Typus legis* Spiritûs p.591.*l. penult.* & p.592

Liber vitæ & Corona vitæ *quam interdum habeant ſignificationem* p.808.*l.*22

Libertas novi Fœderis *in quibus præcipuè conſiſtat* p.393.*l.*24 & p.394

De Libertate Conſcientiæ p.423,424,425, 426,427

Libertatis Conſcientiæ *jus ad eos qui Deum eſſe negant vitámq; futuram, non pertinere* p. 422.*l.*55

Libertatis Conſcientiæ jus *ad quales Religionis profeſſores pertineat* p.423.*l.*8 *Hujuſmodi juris* Libertatis Conſcientiæ *conceſſionem contra rem nullius ferè Eccleſiæ facere niſi* Romanæ, *ibid.l.*51 & p.424

Libertatis Conſcientiæ *antiquorum Patrum autoritate confirmatio* p.424.*l.*17

Libertas Conſcientiæ *argumentis è re ipſa ductis confirmata* p.424.*l.*37 & *à magnis incommodis quibus adverſa ſententia oneratur* p.425.*l.*3

Libertatem Religionis *commune & naturale jus eſſe omnium Nationum ac Perſonarum* p.425 *l.*46 *Populum quemlibet qui reverà hoc jus agnoſcit, poteſtatem etiam habere emittendi Legatos in alias Nationes de rebus Religionis, déq; ipſorum illîc converſatione, &c.* p. 426 *l.*5 *Theorema verò hoc propter generalem mundi perverſitatem ad praxin difficulter poſſe revocari, ibid. l.* 54 & p. 427 : *Vide Magiſtratus Chriſtianus.*

Lignum *Thyinum* p.739.*l.*38

Liturgiæ publicæ *usûs in Eccleſia quanta commoditas* p.438.*l.*18

Locuſtarum *Interpretatio de* Mahomete *ac* Saracenis p.186.*l.*47 & p.187

Λόγος, *vox apud* Platonicos & Judæos *eodem ſenſu uſurpata quo apud* Chriſtianos p. 59 *l.* 1

Logon, *mundum etiam incredulum creâſſe* p. 59.*l.*33

Λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην p.327.*l.*14

Loricas *Equitum* Euphratæorum *igneas, Hyacynthinas & Sulphureas, Pulverem Pyrium ſuis temporibus jam inventum fore, præſignificare* p. 188.*l.*5

Loti *uxor quali fulmine in ſtatuam ſalis converſa, & cur* p.220.*l.*34

Lucas

*Cap.*4.*v.*7 p.467.*l.*23

*Cap.*7.*v.*38 p.354.*l.*9

*Cap.*20.*v.*38 p.63.*l.*24

*Cap.*23.*v.*42,43 p.70.*l.*44

Lucas *quòd* Evangelium Actáq; Apoſtolorum *tam maturè ſcripſerit, peculiare argumentum* p.287.*l.*44

Ludus Dianæ p.161.*l.*11

Lumen intra nos *quo de* Spirituales *quidam tantoperè gloriantur, quomodo debeat intelligi* p.346.*l.*28

Lumen intra nos *informationem debere accipere ab extrà* p.346.*l.*51 & p.347

Luna *per* Mahometem *diviſa & redintegrata* p.167.*l.*55

Lunæ *vim humefactivam reliquorum Planetarum Influentiam non arguere* p.303.*l.*1

Lupercalia *cur per homines nudos celebrata* p. 109. *l.* 24

M.

MAchinamenti Evangelici *Potentia prima, à* p.314.*l.*35 *ad* p.333.*l.*7 *Prima & ſecunda potentia illius* p.333.*l.*7 & p.335.*l.*49 Potentias *duas primas* Officium, *reliquas quinq;* ſubſidia *complecti, ibid.l.*51

Machinamenti Evangelici imperitam aliquam aut perfidioſam fuiſſe tractationem, quòd tam parùm exitii hactenus Regno Diaboli intulerit p.405.*l.*43

Magia Divina *Animæ* Jeſu p.222.*l.*17

Magia *ab* Idololatria *Paganica diſtincta qualis* p.690.*l.*56

Magica *verba* Philtris *miſcendis adhiberi ſolita* p.611.*l.*1

Magorum *itineratio cur memorata* p. 125 *l.* 17

Magiſtratûs *officium in re Religionis* p.428, 429,430,431

Magiſtratus Chriſtianus *quibus perſonis, quibúſq; cum circumſtantiis* Conſcientiæ libertatem *concedere debeat* p.428.*l.*18

Magiſtratum Chriſtianum *ad munera publica eos qui* Chriſtiani *non ſint admittere non debere, modò Chriſtiani ſuppetant ad ea obeunda idonei* p.429.*l.*1 *Nec* opiniones *hominum* fallibiles *magni facere, ſed unumquemq; ſecundùm* vitæ merita & facultatem ſerviendi Reipublicæ *aut* Eccleſiæ, *æſtimare* p.429.*l.*12 *Quòd honorifica & ſufficientia* ſtipendia *continuare debet aut providere eis qui laborant in ſermone & doctrina, ibid.l.*36

Magiſtratum Chriſtianum *iſtiuſmodi Sectas ſupprimere debere quæ* immediatam *prætendant* Inſpirationem nulli ſobriæ rationi examinandam, & *quare* p.430.*l.*6 *Scholas etiam* humanæ Literaturæ *aut erigere aut ſuffulcire, cum ponderoſis illius rei rationibus, ibid. l.*47 *Rationum*

tionum illarum in Fanaticos Perfectionarios ulterior profecutio p.431.l.3

Mahometes *quàm alto gradu ſe collocet* p.164.l.44 *Iter ejus in cœlos, ibid.* & p.165 *Mirabilis illius congreſſus cum Deo* p.165.l.36 *Quæ tunc à Deo acceperit, ibid.* l.48 *In cœlo ſeptimo commendat ſe Chriſto* p.165.l.31

Mahometem, *verum non fuiſſe Prophetam quî conſtet* p.166.l.36 & p.167 Nigra macula *cordi ipſius per Angelum* Gabrielem *exempta* p.167.l.20 *Ejus* miracula, *ibid.*l.30

Mahometani *quomodo Semichriſtiani* p.171 l.39 & 172

Mahometaniſmus & Familiſmus *comparati* p.3.l.52

Mahuzzim *apud* Danielem [*cap.*11] *qui ſint* p.719.l.14

Maiarum *Kalendarum celebratio* & Floralia Romana *inter ſe comparata* p.669.l.42

Malachias

*Cap.*3.*v.*1 p.256.l.9 p.270.l.33 & p.333.l. *penult.*

Manducus: *Vide* Citeria.

Manifeſtationum Divinarum *in Natura, deſcriptio* p.97.l.4 *Quomodo in* unum Deum *deſinant juxta ſubtiliorem Paganorum Apologiam, ibid.*l.32

Manifeſtationes internæ p.97.l.36

Manifeſtationum *in* perſonas *commutatio* p.97.l.48 *Illiúſq; rei ratio ac defenſio, ibid.* l.54 & p.98

Ad Manifeſtationes *etiam* Genios *Spiritúſve referri* p.98.l.7

Manifeſtationes *ad vitam* mediam *relatæ* p.103.l.48

Manna *qualis Typus* p.591.l.52

Manna verum *quid* p.798.l.2

Marcus

*Cap.*3.*v.*21 p.353.l.32

*Cap.*6.*v.*5,6 p.130.l.51

*Cap.*8.*v.*27,28 p.67.l.44

Mare rubrum, *ubi* Pharao *peſſundatus eſt, cujus rei typus ſit* p.592.l.21

Mareſium, *quanquam magno quidem contemptu à* Grotio *exceptum, multò tamen eo ſuperiorem eſſe in expoſitionibus* Apocalypticis p.692.l.41

Mariam *Virginem* Junonis Lucinæ Veneríſq; *locum Eccleſia Apoſtatica quomodo ſupplere faciat* p.666.l.38

Maria Virgo *quanto majori ſtudio apud Pontificios culta (in Intervallo* Thyatirenſi) *tanquam* Dei filia, *quàm* Chriſtus *ipſe* verus Dei filius p.798.l.45 & p.799 & p.801.l.3.

Mariæ Pſalterium *quâ autoritate ſit apud* Pontificios p.853.l.28

Mars & Venus, *Iraſcibile & Concupiſcibile* p.103.l.44

Martyrium Chriſtianorum reale, *argumentum eſſe irrefragabile, quòd* Reſurrectio *non ſit* Allegorica p.172.l.44

Martyres Jeſu *qui veri ſint* p.638.l.38

Mors eorum cur Meretrici *imputetur, ibid.* l.48

Martyrium *qui recuſant, falſos eſſe Chriſtianos* p.791.l.24

Matthæus

*Cap.*10.*v.*26 p.70.l.22

*Cap.*16.*v.*14 p.67.l.41 *v.*18 p.509.l.29

*Cap.*18.*v.*18 p.501.*l. penult.*

*Cap.*24.*v.*30,31,32.36 p.204.l.27 & p.288 l.17

*Cap.*27.*v.*46 p.353.l.12

*Cap.*29.*v.*29 p.816.l.10

J. Medi *Encomia* p.176.l.13

J. Medi lapſus, circa expoſitionem Beſtiæ quæ erat, non eſt & tamen eſt p.698.l.40

Medialium Viſionum *ad ſtatum Eccleſiæ Applicatio* p.42 & 43

Medialium *Synchronorum naturalis colligatio* p.188.l.55 & p.189

Mediatorum Dæmonum *opinio quàm latè diffuſa* p.118.l.6

Mediatorem *unicum eſſe* Jeſum Chriſtum p.528.l.39 *Ad leviores quoſdam prætextus multiplicandi* Mediatores *reſponſum, ibid.* l.56 & p.529 *Hujus erroris ulterior Confutatio* p.529 l.8 *Fraus & Noxa in multiplicandis* Mediatoribus, *ibid.* l.32 *Noxa ſpecialis incremento Gratiæ & Sanctitatis* p.529.l.57

Melchiſedechum Chriſtum *fuiſſe ſecundùm quoſdam* p.66.l.33

Menippi & Lamiæ *Hiſtoria* p.139.l.39

Menſura *temporis Viſionum* Medialium *authentica quæ* p.34.l.53

Menſurationis Templi Viſionem *à prima Epocha incipere quibus rationibus probetur* p.704 l.16 & p.705

Menſium & Dierum *ad Hiſtoriam impiorum & juſtorum appropriatio* p.616.l.5

Mercatores *terræ* Myſtici *qui* p.739.l.20

Mercurius, *Logos Divinus* p.102.l.27

Merendi *prætextus in Religioſis quibuſdam Ordinibus quàm inviſum ſuperbiæ ſpecimen* p.552.l.14

Meritis *nos non poſſe noſtris Deum devincire* p.339.l.16

Meretricem Babylonicam [*Apoc.*17] *deſcriptam,* Romam *quidem* Paganam *non eſſe ſed* Pagano-chriſtianam p.630.l.26

Meretricum nomina *frontibus ſuis inſcribi ſolita* p.636.l.6

Meretricis ſedes *cur tam determinatè affixa ſit tandem* Romæ veteri *in Vaticinio* p.654 l.48 & p.655 & p.658.l.54

Meretricis ſedem *eſſe* Romam *veterem, clarè demonſtratur* p.655.l.3 & p.658.l.54

Meretricis Viſionem, *Eccleſiam* Romanam *preſſiori ratione perſtringere* p.659.l.22

Meretricem Babylonicam *non eſſe* Romam *Ethnicam contra* Riberam p.676.l.7

Meretricem *non eſſe* Romanam *Poteſtatem* Paganicam, *contra* Grotium p.687.l.15

Messiam *jam adveniſſe demonſtratum, à p.* 251 *ad p.*265

Messiam *eo tempore à* Judæis *expectatum fuiſſe quo* Chriſtus *venit, multis teſtimoniis comprobatum p.*264.*l.*18 *&* *p.*265.*l.*6

Messiarum duorum *figmento apud* Judæos *unde data ſit occaſio p.*267.*l.*18

Messiæ *ad crucem deſtinatio in* Peſicta *tradita p.*267.*l.*23

Messis *&* Sponſæ *præparatio quid ſignificent p.*31.*l.*46

Metallaxis Iconiſmorum [*Apoc.* 16] *p.*45 *l.* 55

Metalepſis *quid, cum illius probatione & illuſtratione per exempla p.*593.*l.*47

Metragyrtæ *&* Menagyrtæ *p.*108.*l.*44

Michæas

*Cap.*5.*v.*2 *p.*290.*l.*36

Millennii *appropinquantis maximè utilis conſideratio p.*202.*l.*35

Millennii *initium ubi fixerit* Grotius *p.*193 *l.* 45

Millennii *ſenſus magìs ſobrius p.*422.*l.*8

Miniſterium Angelorum *quàm credibile p.* 125.*l.*17

Miniſterium Spiritûs *verum quale p.* 236 *l.* 20

Miniſterii *finem eſſe non ut quis ſua dona oſtentet, ſed ut populum ædificet p.*438.*l.*27

Miniſterii *ſui magnificandi quæ ſit optima ratio p.*439.*l.*13

Miracula Chriſti *ad quot genera referenda, triáq; præcipuè de eis notanda p.*130. *l.* 10 *Cur ſæpe ſilentium imperaret eis in quibus fecerit* miraculum, *ibid.l.*26 *Cur nunquam fruſtrà eſſet in tentando* miraculo *p.*130.*l.*44 Imaginationis *vi ſtolidè ab Atheis* Chriſti miracula *imputari p.*130.*l.*49

Miracula mendacia *&* Reliquiæ *p.*541,542, 543

Miraculum *nullum contra ſenſum Rationémq; rectè circumſtantiatam communémq; Fidem valere debere p.*831.*l.*30

Miſſæ *uſus magìs alieni, qualès perplexitates creare poſſint p.*500.*l.*29

Miſſio Spiritûs ſancti *quàm neceſſaria p.*168 *l.*33

Miſſionis Spiritûs *die* Pentecoſtes *Circumſtantiæ explicatæ p.*169.*l.*6 *Continuata illius Aſſiſtentia Apoſtolis quócunq; irent, ibid. l.* 55 *&* *p.*170 *Rerum verò patratarum credibilitatem ab ipſo ſucceſſu argui p.*170.*l.*12

Miſſionis Paracleti *tria effecta inſignia p.*170 *l.*42 *Quòd Mundum arguturus eſſet de* Peccato *quid ſit, ibid.l.*48 *Quid de* æquitate *p.*171.*l.*1 *Quid de* Judìcio, *ibid.l.*4 *Plenior illius Textûs Explicatio p.*171.*l.*10 *&* 22 *Hujus Vaticinii Chriſti quàm lata ſit Impletio, ibid.l.*32

Modin, *Deus* Grotii *fictitius p.*718.*l.*26

Moloch *Idolo pueri* immolati *p.*114. *l.*36 *Non* februati *tantùm, ibid.l.*48

Montacutii *Epiſcopi feſtivitas in fingendo Numerum* 666 *in nomine* Mahometis *p.* 699 *l.* 5

Montaniſtæ *cur Apocalypſin haberent ſuſpectam falſimonii p.*682.*l.*30

Mortem *impœnitentes peccatores eidem conditioni tradere quâ ipſi ſunt diaboli p.* 372 *l.* 1

Mortis ſecundæ *mentio in Epiſtola ad* Smyrnæos *quàm præclarè noſtram illius Epiſtolæ interpretationem confirmet p.*792.*l.*44

Mors ſecunda *quid ſit p.*181.*l.*61

Moſem *Typorum ſuorum ſenſum intellexiſſe, illámq;* Immortalitatem *per* Chriſtum revelandam *p.*105.*l.*9

Moſem, Chriſtum, *&* Mahometem *Legiſlatores fuiſſe perinde* Aſtrales, *quàm ſtolida* Vanini *opinio p.*297.*l.*51 *&* *p.*298

Moſaica *Sabbata Feſtáq; reliqua omnia intra res hujus vitæ claudi p.*105.*l.*19

Mulieris Eremicolæ *interpretatio* Grotiana *p.*189.*l.*61 *&* *p.*190

Mulier in deſerto *Idololatriæ in Eccleſia futuræ præfiguratio p.*710.*l.*44 *Illius Viſionis brevis Expoſitio p.*711.*l.*7

Mundi vita *motúſq; generalis quos ſpeciales effectus habere poſſit pro diverſis Animalium naturis p.*86.*l.*28

Mundanorum Phænomenon *affectuoſæ admirationi nihil incommodi ſubeſſe niſi animum in ſtuporem quendam deprimat primæq; Cauſæ oblivionem p.*87.*l.*13

Mundi partes *tot Numina Paganis p.* 103 *l.* 13

De Muſica *in Eccleſiis p.*441.*l.*3

Myſta *quid ſit p.*51.*l.*36

Myſtagogus Chriſtianus *quomodo ſe gerere debeat erga magìs tardos & illiteratos p.* 384.*l.*3 *Officii illius ulterior deſcriptio, ibid. l.* 33

Myſteria Religionis *ab omni* Repugnantia *ſeu* Incompoſſibilitate *immunia eſſe debere p.* 379.*l.*53

Myſterium Chriſtianitatis *præcipuum in quo conſiſtat p.*81.*l.*31

Myſterii Chriſtiani Intelligibilitas *quibus nitatur fundamentis p.*225.*l.*34

Myſterium Iniquitatis *non apertam Impietatem ſed* Pietatis *ſpecie coopertam innuere p.*447 *l.* 14

Myſterii Iniquitatis *in genere deſcriptio p.* 453.*l.*41

Myſterii Iniquitatis *proprietates proprietatibus* Myſterii Pietatis *in genere oppoſitæ, & quâ methodo proſequendæ p.*454.*l.*2

Myſterii Iniquitatis *operatio temporibus Apoſtoli quid ſit p.*752.*l.*46 *&* *p.*753 *&* 761 *l.*44

Myſterii Pietatis *Proprietates quatuor primariæ p.* 51.*l.*8

Myſterii Pietatis *proprietates derivativæ p.* 378.*l.*14

Myſterium, *nominis ratio p.*51.*l.*22

Mysterii *falsa notio apud* Grotium *p.* 755 *l.*18 *& apud Interpretem recentiorem p.* 760 *l.* 17

Mysterium, Babylon magna, mater illa scortationum, *&c. quomodo intelligendum p.* 636 *l.* 11

Mysterium *Coronæ* Papali *insculptum p.*659 *l.*36

Mysterium *fronti Meretricis inscriptum facere, ut intelligi non possit de* Roma Ethnica *p.* 687. *l.*21

N.

Naὸς *qui Ecclesiæ status p.*823.*l.*6

Nativitas Christi *è Virgine & possibilis & rationabilis p.*123.*l.*11 *Cur Christum oporteret nasci è Virgine, ibid.l.*23 *& p.*124

Nativitatis Circumstantiæ *Humilitatem Hominibus commendantes p.*124.*l.*51 *& p.*125

Nativitatis Christi *descriptio cum descriptione Nativitatis* Apollonii *comparata p.* 125 *l.*52 *& p.*126

Nativitatis Christi *in* Bethlehem *prædictio quàm mirandis circumstantiis impleta p.* 290 *l.*36

Nativitatis *è* Virgine *prædictio p.*291.*l.*7

Nativitatis calculandæ *tempus præcisum quàm difficulter inveniendum p.* 307. *l.*53 *& p.*308

Nativitatis Christi calculatio *quàm fatuè à* Cardano *venditata p.*297.*l.*47 *& p.*312.*l.*57 *& p.*313

Nativitatis correctio *per* Trutinam Hermetis, *per* Animodar *& per* Accidentia Nati *p.* 308.*l.*17

Nativitatis correctionem *per* Accidentia Nati *esse aut* Profectionem Annuam, *aut* Transitionem, *aut* Directionem *p.*308.*l.*56

Navis ænea *Telesma* Constantinopolitanum *contra pericula tempestuosi maris p.*364.*l.*8

Navis Mercatoria *cur hominum cœtum Religionis ergô congregatum significet p.* 609 *l.*37

Navigia Babylonica [*Apoc.*18.*v.*19] *quid innuant p.*740.*l.*40

Nehemias

*Cap.*9.*v.*18 *p.*875.*l.*44

R. Nehemiæ *testimonium de tempore adventûs* Messiæ *p.*264.*l.*18

H. Nicolai : *Vide H.N.*

Nicolaitæ *unde originem duxerint p.* 789 *l.*45

Nicolaitismus *quàm maturè Ecclesiam invaserit p.*787.*l.*26

Nigredo *quàm aptum symbolum Justitiæ & Severitatis p.*185.*l.*1

Nilus, *Numen apud Ægyptios magnum, ut* Ganges *apud* Indos *p.*104.*l.*13

Nocti *Deæ cur gallus sacrificatus*, Baccho *caper, &* Cereri *sus p.*103.*l.*33

Νόες *&* Ἔνδοξες *quales sint p.*75.*l.*45

Nomina Dei *veri ut* Jah, El, Adonai, *&c. in Exorcismis Magicis usurpata p.*493.*l.*9

Nomina Hominum septies mille occisa [*Apoc.*11] *quomodo intelligenda p.*727.*l.*43

Nomen sibi soli cognitum *in Sessore Equi albi,* [*Apoc.*19] *quid innuat p.*736.*l.*26

Nominalium Allusionum *in Prophetiis exempla p.*188.*l.*3

Nova Creatura *quid sit & in quibus consistat p.*331.*l.*39

Novæ Creaturæ *justitia, sanctitas, & sapientia, ibid.l.*57 *& p.*332

Noviter inventæ Interpretationis septem capitum Bestiæ *propositio p.*694.*l.*19

*Novæ hujus Expositionis Confutatio p.*694 *l.* 34

Novi Fœderis *tenor p.*526.*l.*29

Nova Hierosolyma *descendens de Cœlo quid significet & quando futura p.*30.*l.*45

Nova Hierosolyma *Agni Sponsa quæ secundùm* Grotium *p.*194.*l.*7

Nova Hierosolyma & dilecta Civitas *ut differant p.*815.*l.*30

Novum Nomen *quid p.*798.*l.*8

Novum Christi nomen Philadelphianis *inscriptum, quid p.*811.*l.*57 *& p.*812

Novitas Religionis *objecta Christianis primitivis ut & nunc dierum Protestantibus p.* 684.*l.*28

Novi opera tua, *cur in singulis Epistolis ad septem Ecclesias repetitum p.*819.*l.*51

Numen *Paganorum* innominatum *ad quod omnes cultus referebant p.* 95.*l.* 47 *& p.* 96 *Mundum id fuisse materialem, ibid.l.*16

Numerum Bestiæ *ad* Ulpium *non pertinere p.*191.*l.*23 *& p.*692.*l.*18

Numerus Bestiæ [666] *quomodo Hierarchiam* Romanam *perstringat p.*192.*l.*20

Numeri Bestiæ *uberrima Explicatio p.* 191 *l.*35 *& p.*192, 193

Numerum Bestiæ *Potentiam potiùs esse illius Numeri qui Bestiam detegit quàm Numerum ipsum p.*658.*l.*21

Numerorum Danielis [1290] *&* [1235] *usus insignis ad detegenda tempora* Antichristi *p.*716.*l.*32

Numerum [666] *quamvis in aliis Nominibus præter* Λατῖνος, *reperiatur, nihil de vi sua perdere ad probandum Hierarchiam* Romanam *Bestiam esse Bicornem p.* 657.*l.* 47 *& p.* 658

Numerositatis Dierum festorum onus p. 496 *l.*25

Nymphæ *circa* Pana *saltantes quid p.* 102 *l.* 18

Nympharum Dianæ *canticum* Apollonium *in cœlos evocantium p.*160.*l.*41

O.

OBligatio *ex nostra parte in* Novo Fœdere *ex ipsa Novi Testamenti Inscriptione probatur*

batur p.394.l.52 & p.395 Cœleſtémq; Hæreditatem ſub conditione *nobis promitti multis locis Scripturæ demonſtratur p.396.l.1*

Obſcuritatis *Myſterii Chriſtianæ Religionis cauſæ ſeu Rationes p.52.l.41 & p.53*

Obſcuritas *Myſterii Chriſtianitatis probata ab effectis p.54 & 55*

Obſcuritas *quomodo Myſterium reddat* Venerabilius *p.378.l.23 & p.379*

Obſervantiarum *levium multitudinem ad onus intolerandum aſſurgere poſſe p.488.l.33*

Obſervantiam *nullam* Religioſam *levem eſſe quæ obligationis nexum conſcientiæ injicit p.488.l.47*

'Ο καθέχων, quàm inſcitè ad derelictionis Judæorum *per Apoſtolos procraſtinationem referatur p.759 l.penult. & p.760*

Octavus Rex *quomodo octavus & tamen è ſeptem p.648.l.44 & p.649*

Octavum *Regem* Domitianum *eſſe, impoſſibile, contra* Grotium *p.686.l.26*

Octo Reges *eſſe, quanquam ſeptem tantùm capita Beſtiæ; vera illius Ænigmatis ſolutio p.646.l.50 & p.647*

Oculus *cur ſapientiæ Politicæ ſymbolum p.610.l.6*

Oculi flammei *Seſſoris Equi albi quid ſignificent p.736.l.8*

Officia Chriſti, *ut Sacerdotis, & Judicis, die novìſſimo, quomodo ſublata per H.N. p.241.l.13 & p.142, 143*

Οἶνον θυμῦ *virus eſſe amatorium p.610.l.42*

'Ονείρατα apud Achmetem *etiam ὀνείρατα appellari p.595.l.penult.*

'Ονηροσκελικῶν antiquorum uſus ad Iconiſmos *Propheticos rectè intelligendos p.595.l.42*

Opinionum *obtruſio iniquior quàm Ceremoniarum p.443.l.21*

Opiniones Deductitiæ *quales commendari debeant p.443.l.17*

Opinionum *afflictantium onus p.499.l.25 & p.500*

Opiniones *Ægyptiis culicibus muſciſq; comparatæ p.726.l.4*

Opinionum incredibilium *impoſſibiliúmq;* obtruſio *quàm immenſa piis & ingenuis hominibus vexatio p.504.l.6*

Opinionum *determinandarum curioſitas in Eccleſia* Antichriſtiana *unde provenerit p.534 l.7*

Opinionem *nudam* Cultum *eſſe non poſſe, multóq; minùs* Cultum Ritualem *p.872.l.3*

De Oratione, *quæq; vera ſit orandi ratio* per Spiritum *p.437.l.58 & p.438*

Orbis Chriſtiani, *quanti intereſſet, ſi repurgare ſe vellent à craſſo illo peccato* Idololatriæ *p.713.l.59 & p.714*

'Ορθοδοξίας vanæve ſcientiæ pabulum inſalubre ac flatulentum p.407.l.17

'Ως in Viſionibus ſenſum neceſſariò non minuere p.644.l.21

'Ότων μέλλῃ σαλπίζειν, &c. [Apoc.10.v.7] quomodo exponendum p.18.l.24 & p.28.l.17

'Όταν τελέσωσιν [Apoc.11.7] quomodo intelligendum p.180.l.11

P.

PAganorum *Religionem* Animalis vitæ *limites non exceſſiſſe p.3.l.22*

Paganos *unum Numen ſupremum tenuiſſe rerum omnium conditorem p.462.l.29*

Paganos *ipſos unum tantùm Deum coluiſſe tanquam ſummum p.470.l.6*

Palilia *ut conſuetudines quaſdam referant in Eccleſia* Romana *p.669.l.61 & p.670*

Panos *deſcriptio copioſa, deſcriptiq; ſignificatio p.102.l.14 Nympha ab eo adamata* Syrinx, *Uxor* Echo, *& Iambe filia, quid ſignificent, ibid.l.31*

Pantheon *B. Virgini cunctiſq; Sanctis dedicatum ut olim* Cybelæ *omnibúſq; Diis p.667 l.2*

Papale fulmen, *Ignis de cœlo [Apoc.13.v.13] p.635.l.13*

Papa *fœmina p.659.l.49*

Papa *cum* Cæſaribus *comparatus, ejúſq;* Cardinales *cum Senatu* Romano *p.665.l.12*

Papa Romanus *quàm eximio ſenſu Epiſcopus* Pergamenus *p.794.l.15*

Papatûs *extinctio turpis & ignominioſa ab* Eſaia *prædicta p.749.l.15 & p.750 Etiam à S. Johanne p.803.l.56 & p.804*

Parabola Equitum *ſacri Nemoris, &* Aëtitæ *p.572.l.27*

Parabola, *quâ abſurditas oſtenditur eorum qui* Idololatriam *ſuam ex eo excuſant quòd Dæmonas Paganicos non colant, ſed B. Virginem, S.* Petrum *& S.* Paulum, *&c. p.573.l.48*

In Parabolarum *Viſionúmq; Symbolicarum Redditionibus an ſinguli apices ſectandi ſint p.618.l.13*

Paradiſus *poſt mortem fruendus juxta* Judæos *qualis p.71.l.1*

Paralleliſmi Chriſtum *inter &* Apollonium *utilitas p.3.l.32 & p.162.l.33*

Paralleliſmi *contumeliarum in Servatorem & in veros illius Sectatores conjectarum uſus p.360.l.56*

Paralleliſmi *Congruentiarum cap. 17 & cap. 13 Apoc.p.620.l.42 & p.621, &c.*

Parmenidis *Effatum de antiqua Sapientia p.592.l.38*

Paronomaſia *Prophetica quid p.593.l.22*

Παραφυάδια *quale ſit Schema Propheticum p.618.l.42*

Paſchatis *à Chriſto cum diſcipulis celebrati allegoria* Familiſtica *horrida & execranda p.240.l.42 & p.241*

Paſſio Chriſti *Religionis Chriſtianæ* Epoche *p.3.l.2*

Paſſionis Chriſti *vis ineffabilis ad ſubvertendum Regnum Diaboli p.144.l.38 & p.145* Enthuſiaſtarum *quorundam in* Paſſionem *Chriſti* Blaſphemia

Blaſphemia *p.*145.*l.*31 *Accidentia* Paſſionem *concomitantia Effecta* Paſſionis *ſignificare, ibid. l.*60 & *p.*146

Paſſio Chriſti *cur tam gravis p.*145.*l.*31 & *p.*146.*l.*18 *Juſtum paſſum eſſe pro injuſto non eſſe injuſtitiam apud Deum p.*146.*l.*29

Paſſionis Chriſti *cum Tyrannide* Satanæ *comparatæ utilitas p.*147.*l.*44

Paſſioni *Chriſti quid reſpondeat in Hiſtoria* Apollonii *p.*149.*l.*60

Paſſio Chriſti *quinta* Potentia Evangelica, *ejúſq; virtus à Servatore ſpecialiter notata p.* 361.*l.*38

Paſſionis Chriſti *Myſterium à quibus præcipuè contemptum, maléve æſtimatum p.*365.*l.*1 *In Chriſti ejulatus in Cruce quorundam* Blaſphemia *p.*365.*l.*18

Paſſionis Chriſti *finem*, peccati extirpationem *perinde eſſe atq;* Pacificationem conſcientiæ *p.*366.*l.*10

Paſſio Chriſti *allegoricè intellecta quàm jejuna res ſit atq; inutilis ſi cum Hiſtorica Applicatione conferatur p.*367.*l.*3 *Circumſtantiarum* Paſſionis Chriſti *Applicationes particulares p.*367 & 368

Paſſionis Chriſti *uſum qui non agnoſcunt, veros* Iſraëlitas *non eſſe ſed* Serpentum *progeniem p.*368.*l.*17

Paſſionis *Feriæ Celebratio p.*441.*l.*44

Paſſiones Animales *in ſe eſſe innocuas p.* 84 *l.*27 *Nobiliorum harum* Paſſionum *exempla in brutis p.*8.*l.*42

Nullam ex Paſſionibus Animalibus *extingui oportet, niſi excellentioris boni adipiſcendi causâ p.*87.*l.*21

Πατὴρ τῦ μέλλονΘ αἰῶνΘ *quo ſenſu Chriſtus dictus ſit p.*532.*l.*47

*Patrum Conciliorúmq; poſt annos ferè quadringentos à nato Chriſto habitorum qualis ſit Autoritas p.*699.*l.*44

Pauca illa nomina *in* Sardis: *Vide* Sardis.

Pauli Epiſtolæ *quàm peculiarem in ſe habeant veritatis* αὐτοδηλίαν *p.*278.*l.*22 *Primum ac maturrimum Chriſtianitatis ſenſum in illis contineri p.*278.*l.*41

Peccati abolitionem *non fieri abſq; aliquo confligendi ſpacio, Quæq; Methodus ad eam rem maximè utilis p.*401.*l.*15

Peculiaritas Divina *quomodo intelligenda p.* 873.*l.*19

Peculiaritates Divinas *duobus modus violari, ibid.l.*43

Peregrinationes & *Jubilæi p.*498.*l.*52

Perfectionariorum *jactabunda Hypocriſis, undéq; ea proveniat p.*419.*l.*1 *Ad quas leges ſuam* Perfectionem *expendant, Funeſtúſq; eventus eorum Apoſtaſiæ à* perſona Chriſti *p.*419.*l.*10

Perfectionis *plus eis ineſſe qui à nomine* Perfectionis *abhorrent quàm in his qui eam tantopere venditant p.*419.*l.*30

Pergamus *quid ſignificet p.* 793. *l.* 41 & *p.*794

Perſecutio & *Idololatria: Vide Idololatria & Perſecutio.*

Perſecutionum Antichriſtianarum *Atrocitates: Vide Crudelitatum* Antichriſtianarum *Exempla.*

Perſonalia Chriſti officia *nunquam eſſe antiquanda p.*237.*l.*7 & *p.*238,239

Perſonam Chriſti *ab H.* Nicolai *eſſe exauctoratam p.*239.*l.*37 & *p.*240,241,242

Perſonæ Chriſti *tranſcendens Eminentia, etiam abſq; recurſu ad Evangelia, demonſtrata, illiúſq; rei utilitas p.*277.*l.*16

Perſonalis regni Chriſti *in terris examinatio, ut &* Millennii *p.*422.*l.*3

פסל *quomodo vertendum in ſecundo Decalogi præcepto p.*876.*l.*27

Petri Epiſt. 1.

*Cap.*1.*v.*22 *p.*320.*l.*53 & *p.*321 *v.*4 *p.* 206 *l.*34

*Cap.*3.*v.*18,19 *Iſtorum verſuum Paraphraſis p.*68.*l.*17 *p.*237

*Cap.*4.*v.*3 *p.*475.*l.*43

Petri Epiſt. 2.

*Cap.*1.*v.*13 *p.*69.*l.*61

*Cap.*1 & *Cap.*3 *Adventum Chriſti illîc memoratum neceſſariò intelligendum eſſe de adventu ultimo p.*205,206,207

*Cap.*1.*v.*11,12,13,14,15,16,17,18 *p.*206

Phialæ quartæ *effuſio in* Solem *p.*45. *l.* 24 Quintæ *in* Thronum Beſtiæ *l.*29 Sextæ *in* Euphratem, Septimæq; *in aërem, quid ſignificent.*

Phialæ ſex primæ *cur intra Tubam ſeptem collocatæ apud J.* Medum *p.*706.*l.*25

Phialas *omnes collocari debere intra Tubam ſeptimam p.*708.*l.*8

Philadelphiana *Eccleſia qualem Eccleſiæ Apoſtolicæ ſtatum præfiguret p.*809.*l.*10 & *p.*810, 811,812

Philadelphianam *Eccleſiam omnium ſplendidarum Prædictionum de Chriſti Eccleſia Impletionem fore p.*809.*l.*26

Philadelphianæ *Perfectionis deſcriptio p.*809 *l.*37 & *p.*810.*l.*1 & *l.*26 & *p.*811.*l.*4

Philadelphiana *Eccleſia eadem ferè quæ* Nova Hieroſolyma *p.*811.*l.*39

Philadelphianos, Equites *illos eſſe* Equis albis *inſidentes*, & Boanerges *ſuper* magnam Civitatem *in tres partes diviſam intonantes p.* 808.*l.*46 & *p.*812.*l.*1

Philadelphianæ *Eccleſiæ Expoſitio* Prophetica *quanti momenti ſit ad reducendum Terrarum Orbem ad bonam frugem p.*823.*l.*37

Philadelphiani *Intervalli ſuaviſſima ac jucundiſſima Recordatio p.*824.*l.*13

Philadelphianorum *ſeculorum Prænuncius ſive Prodromus p.*824.*l.*39

Philadelphiani Intervalli initium & finis p. 33.*l.*1

Ad Philippenſes

*Cap.*1.*v.*21,22,23,24 *Senſus eorum verſuum p.*69.*l.*40

INDEX.

*Cap.*2.*v.*6,7,8 *p.*67.*l.*1

*Cap.*3.*v.*11 *p.*65.*l.*14

Philtrum *quomodo miſceatur* *p.*611.*l.*1

Philtrum *ex quibus compoſitum* *p.*635.*l.*2

Photius *fideliſſimus doctrinæ Concilii* Nicæni *de cultu Imaginum Interpres* *p.*857.*l.*40 *Qui tamen* Latrian *Imagini Chriſti, Sanctorúmq; Imaginibus* cultum *ſaltem* religioſum *tribuit, ibid.l.*27 & *p.*881.*l.*47

Φυλακῖτις, *ſeptenarius cur ſic appellatus* *p.*597.*l.*23

Plagæ decem Ægyptiacæ *quo ſenſu per Teſtes* Ægypto myſticæ *infligendæ* *p.*725.*l.*41 & *p.*726

Planetarum *qualitates & per Terram penetratio* *p.*299.*l.*32

Planetarum *Dignitates Eſſentiales & Accidentales* *p.*300.*l.*3 & *l.*44

Planetarum *Influentias nec ab Æſtu marino nec à directione Acûs ad Polum argui* *p.*303 *l.*12

Planetarum *Stationem & Repedationem adversùs Aſtronomos facere* *p.*303.*l.*37 & *p.*307.*l.*3

Planetarum *Domi, Exaltationes & Aſpectus, ex quàm levibus occaſionibus inventi* *p.*304.*l.*11

Planetæ *ſtellis fixis quàm inſcitè ab Aſtrologis prælati* *p.*304.*l.*37

Planetis *Qualitates primæ quàm falsò attributæ* *p.*304.*l.*48

Πλάσιγγες *ſive lances Bilancis ad aures Judicis quàm bellè referantur apud* Achmetem *p.*617.*l.*48

Plinii *de mundi Conflagratione ſententia* *p.*221.*l.*3

Pluto, Ops, & Bona Dea *qualia Numina* *p.*103.*l.*18

Poculi Meretricis *Explicatio* *p.*634.*l.*48 & *p.*635,636

Ποιῆσαι εἰκόνα [*Apoc.*13] *quàm inſcitè à* Grotio *interpretatum* *p.*691.*l.*21

Ποιῆσαι εἰκόνα Διὸς Apollonii *ſtatuæ perperam ab eodem applicatum* *p.*691.*l.*39

Politicæ *Sapientiæ in Brutis ſpecimina* *p.*85.*l.*4 *Adeóq;* Vitæ Animalis *eſſe partem, ibid.l.*45

Polytheiſmi *cum Atheiſmo connexio neceſſaria* *p.*93.*l.*18

A Polytheiſmo *quomodo Pagani ſe defenderent* *p.*93.*l.*22

Polytheiſmi *dilutio per eos qui Deum æternam immaterialémq; mentem ſtatuebant, réſq; omnes illius eſſe Manifeſtationes* *p.*96.*l.*penult. & *p.*97

Pontifex Romanus *quàm ad vivum apud* Ezechielem *deſcriptus ſub Typo Regis Tyri* *p.*743 *l.*14 & *rurſus l.*49 & *p.*744 & 748.*l.*40

Pontifex Romanus *à Deo primitùs inſtitutus* *p.*744.*l.*5 *Quæq; ſit Negotiationis illius iniquitas per quam ſua polluit Sanctuaria, ibid.l.*24

Poſtmedialium *Viſionum ad ſtatum Eccleſiæ applicatio* *p.*43 & 44,45

Poſt tres dies & dimidium, *quomodo intelligendum* *p.*777.*l.*48

Poſtulata *Apocalyptica* *p.*38,39 & 40

Præ-exiſtentia *Animæ* Meſſiæ *ſive Chriſti Servatoris* *p.*66 & 67

Prædicandi *ratio triplex*, Catecheſis, Expoſitio, Conciones, *earúmq; omnium inter ſe comparatio* *p.*437.*l.*13

Prædictiones *nullas fuiſſe de lapſu Eccleſiæ in ſuum* Pagano-chriſtianiſmum, *prorſus incredibile* *p.*580.*l.*11 *Et quàm malè collocata ſit opera eorum Interpretum, qui eaſdem conati ſunt obſcurare, ibid.l.*27

Prædictiones Apocalypticas *non determinari ad annum* *p.*697.*l.*6

Prædictionem *aliquam eſſe in Epiſtolis ad ſingulas antecedentes Eccleſias in ſubſequentis Eccleſiæ Intervallo, implendam* *p.*789.*l.*36

Præ-exiſtentiæ Animarum *quæ lòca Scripturæ videantur favere* *p.*66 & 67

Præſentias ſymbolicas *Chriſti Sanctorúmve colere, Idololatriam eſſe* *p.*855.*l.*16

Præſentia ſymbolica *quid ſit?* *p.*873.*l.*53

Præſentiam *nullam* ſymbolicam, *præter ſanctam Chriſti Humanitatem, Divini cultûs versùs ſe facti eſſe capacem* *p.*881.*l.*20

Preces *veri vivíq; Chriſtiani quorſum maximè tendant* *p.*400.*l.*8 & 402.*l.*18

Priapi *Imago & Sacrificium* *p.*109.*l.*7

Privatæ Coargutionis *præcellentia cum publicis Concionibus collatæ* *p.*439.*l.*36

Privato cuiq; *non ſolum permitti ſed & præcipi ut ipſe pro ſe in rebus Fidei judicet* *p.*514 *l.*38 *Idem jus ac privilegium ratione etiam demonſtratum* *p.*514.*l.*53

Privati cujuſq; *rationem ſeu judicium non eſſe privatum Spiritum ſenſu illo ignominioſo quo quidam volunt* *p.*515.*l.*16

Privati cujuſq; *jus judicandi pro ſeipſo in rebus fidei, neminem facere Eccleſiâ ſuâ* ſuperiorem, *nec* æqualem *p.*515.*l.*41 *Nec ſupponere quidem eum* ſapientiorem *Eccleſiâ ſeipſum exiſtimare, ſed potiùs de æterna ſua conditione magìs eſſe ſolicitum* *p.*516.*l.*1

Nec Privatam *ſuam eſſe* Sapientiam *cui adhæreat, ſed* ſapientiam Dei *omnibus cognitam præterquam eis qui ſponte cæcutiant, ibid.l.*16

Privatus quiſpiam *quibus adjutus adminiculis certum Scripturæ ſenſum poſſit eruere* *p.*831.*l.*61 & *p.*832

Proceſſiones *Paganicæ & Pontificiæ comparatæ* *p.*672.*l.*15

Prodigia *ante Judicia Extraordinaria frequenter apparuiſſe* *p.*209.*l.*22

Prolemmata *quibus uſus ſit Author ad reſpondendum Objectionibus* Pſychopannychitarum, *ex* 1 *Cor.*15 *petitis* *p.*62.*l.*1

Prophetias *affirmare prorſus eſſe* inexplicabiles, blaſphemiam *planè ſapere adversùs* Spiritum ſanctum *p.*7.*l.*31

INDEX.

Ad Prophetias *intelligendas integritatem cordis magis quàm ingenii excellentiam requiri p.7.l.52 & p.47.l.34*

Prophetiarum *intelligentiam ad pacem Orbis Christiani magnopere facere p.8.l.2*

Rectæ Prophetiarum *intelligentiæ utilitas contra* Quinto-monarchianos *aliósq;* Enthusiastas, *ut* Quakeros *&* Familistas *p.8.l.32*

Prophetiarum *intelligentiæ, Protestantibus qui in Imperio sunt, utilitas p.9.l.22 & universo Orbi Christiano l.33*

Prophetias Apocalypticas *Hierarchiæ quidem Papali malè ominari, nec sic tamen quin ab Idololatriis aliisq; enormibus peccatis repurgata tuta esse possit Ecclesia Romana p.9.l.48*

Prophetiarum Apocalypticarum *eventus ad annum non præfiniri p.14.l.44*

Prophetico Christi officio *quanta sit contumelia communium Notionum dictatis silentium imperare p.523.l.28 Hujus Tyrannidis exempla egregia quibus magnus ille* Pseudopropheta *detegatur, ibid.l.36 & p.524*

Prophetiam, *Historiam quasi anticipatoriam esse p.618.l.9 & p.650.l.49 & p.663.l.13*

Prophetiæ Pauli *ad* Timotheum *Expositio* Epiphaniana *ex* Daniele *confirmata p. 717 l. 28*

Prophetiæ Spiritus, *sensu nobilissimo, qualis sit p.803.l.6 Vide* Vinea Nabothi.

Prophetarum *Allusiones vel Transsultus p. 266.l.5 Allusiones has vel purè* Allegoricas *esse vel* mixtas, *ibid. l.21 De* mixtis, *earúmq; vi in argumentatione p.266.l.43*

Prophetiæ: *Vide* Vaticinia.

Propitiatorium *versùs quod adorabant* Judæi, *quid significaret p.592.l.10*

Προσευχὴ ἁγία *p.352.l.6*

Protestantium *derelictionem Ecclesiæ* Romanæ *non esse Schisma p.699.l.33*

Providentiam Dei *particularem esse, ad res personásq; singulas pertingentem p.75.l.18*

Providentiæ Divinæ *Festivitas cum* Naturæ *lusibus in suis* Gamaieu *comparata p. 659 l. 53*

Providentiæ Divinæ *de rebus Ecclesiæ matura solicitudo p.750.l.30*

Prudentia Moralis *prima maximéq; necessaria præparatio ad veras rationes assequendas certitudinis Fidei p.827.l.27*

L. Psalmorum

Psalm.2.v.9 p.736.l.58
Psalm.16.v.8 p.269.l.25
Psalm.22.v.16 p.292.l.9
Psalm.45.v.6 p.269.l.57
Psalm.68.v.18 p.269.l.39
Psalm.74.v.14 p.553.l.14
Psalm.106.v.19 p.875.l.16 v.26 p.117.l.31 v.28 p.714.l.44 v.37 p.114.l.53
Psalm.110.v.1.4 p.269.l.51

Pseudoprophetæ *illius egregii olim venturi characteres particulares p.522.l.22*

Pseudoprophetam, Bestiam bicornem & Meretricem Babylonicam *idem esse p.723.l.3*

Psychopannychitarum *opinionis periculum & Inconsolabilitas p.61.l.27*

Pugnæ Michaëlis *cum Dracone Expositio secundùm* Medum *& secundùm* Grotium *p.185 l. 18*

Purgatorium *ex* [1 *Pet. c. 3. v. 19*] *probari non posse p.69.l.1 & 6*

Purgatorii *figmentum horrendum p. 504.l. 38 Terrificam hanc* fabulam *totam molem reliquarum superstitionum infinitò facere graviorem, ibid.l.53 & p.505*

Purgatorii *confutatio p.506.l.14*

Purgatorii *nullum fundamentum esse nec in Scriptura nec apud Patres p. 506. l. 50 & p. 507*

Purgatorii *crassa fraus noxáq; ingens p.507 l. 11*

Purgatorii *descriptio immane quantum poëtica p.542.l.17*

Puritatis *descriptio p.89.l.49*

Puritatis *stricta per Servatorem Apostolósq; præceptio p.323.l.16 & p.324*

Puritatem *sic exercendam esse ut nihil peccetur contra* Humilitatem *p.403.l.34*

Purificatæ Animæ *status egregius & stupendus p.321.l.52*

Pythagoreorum *quàm pura olim fuerit Religio ac Philosophia p.464.l.1*

Q.

Quadraginta duos menses Bestiæ, Annorum Menses *esse quibus rationibus demonstretur p.696.l.1*

Quadratum *666. quid indigitet p.199.l.4*

Quadraticæ Radicis *Extractionem per peritiam numerandi* Numerum Bestiæ *insinuari p. 191.l.37 & p.192*

Quadraticarum *Radicum* Numeri Bestiæ & Numeri Chiliarchiarum Agni *sive Novæ Hierosolymæ* Ἀντισοιχία *p.192.l.9*

Quakeri: *Vide* Trementes.

Quartum Regnum *apud* Danielem *non esse* Lagidarum & Seleucidarum *sed* Romanum, *argumentis multis eisq; validis demonstratum p.729 ad p.733 Ex communi Scriptorum Ecclesiasticorum consensu p.729.l.42 Ex eminentia & magnitudine Regni quarti p.729.l.47. & p. 730 Ex temporis distantia inter* Lagidarum & Seleucidarum *Regnum & Regnum* lapidis abscissi *sine* manibus *p.730.l.18 Ex decem Regum secundùm Typum co-existentia p.731.l.48 Ab immensè differentibus Periodis, uno statim post* Antiochum *finiente, altero non nisi ante diem Judicii p.731.l.54 & p.732 Ex eo quòd* Daniel *magnum cornu primum Regem faciat in* Regno tertio, *quatuórq; minora post ipsum ex ejusdem Hirci capite enasci p.732.l.9 Et ex quatuor deniq; capitibus Pardi, qui quatuor sunt successores* Alexandri, *ex eóq; quòd* Daniel Antiochum *prope finem illius successionis collocet p.732.l.40 & p.733*

INDEX.

Quatuor Animalia *ante Thronum* [*Apoc.*4] *quomodo intelligenda ſecundùm* Grotium *p.* 183. *l.*26 *quomodo ſecundùm* Medum, *ibid. l.* 38

Quinquatria *minora Ludive* Megalenſes Carniſpriviorum *Pontificiorum quàm ſimiles p.*670.*l.*38

Quinq; menſes Locuſtarum *quomodo exponendi p.*586.*l.*25

Quòd quinq; præterierant ſupremi Magiſtratûs genera *tempore S.* Johannis *p.*660.*l.*47 *Nec plura quàm quinq; p.*661.*l.*46 *Quàm certa ſit hujus rei evidentia p.*663.*l.*19

Quintæ Monarchiæ *introductionem bella non ſupponere nec ſpolia nec ullius Principis Populive Jurum Invaſionem p.*698.*l.*2

Quinto-Monarchianorum *Satanicus furor p.* 202.*l.*4 *Quibus rationibus optimè extinguatur, ibid. l.*21

R.

RASI vertices, *ritus Sacerdotum* Iſidis *ac* Dianæ *p.*671.*l.*33

Ratio *quid p.*87.*l.*34

Ratio *quando rectè circumſtantiata p.*828 *l.* 11

Reconciliationis *Mundi cum Deo per mortem Chriſti fuſior Explicatio p.*59.*l.*56 *&* *p.*60

Reformatio Anglicana, *eminens Prophetiæ de* Reſurrectione Teſtium *ſpeciminalis impletio p.* 8.*l.*32 *&* *p.*777.*l.*30

Reformationis Anglicanæ *rectitudo triplici argumento confirmata p.*11.*l.*46

Reformatæ Eccleſiæ *ſtatus per Eccleſiam* Sardenſem *præfiguratus p.*805.*l. penult.&* *p.*806, 807,808.*l.*54 *Vitia illius perſtricta p.*806.*l.* 29 *&* *p.*807.*l.*19 *Minæ illi intentatæ niſi ad doctrinam vitámq; Apoſtolicam redeat, vigilétque, ibid.l.*43 *&* *p.*823.*l.*31

Reformata Eccleſia *Reſurrectio Teſtium p.* 808.*l.*55

Reformata Eccleſia, *quanquam haud ſatìs perfecta, præferenda* Romanæ *p.*809.*l.*1 *&* *p.* 822.*l.*57 *&* *p.*823

Reformatæ Eccleſiæ *à Schiſmatis crimine Divino calculo abſolutæ p.*822.*l.*25

Reformatæ Eccleſiæ *quibus rebus per Typum ſuum* [*Eccleſiam* Sardianam] *modeſtiam doceantur mutuámq; tolerantiam p.*821.*l.*60 *&* *p.* 822.*l.*49 *p.*823.*l.*22

Reformatæ Eccleſiæ *eadem Gratiæ adminicula offerri quæ olim* Primitivæ *p.*807.*l.*9

Reformatarum Eccleſiarum *vitia ac maculas obſcuriùs in Prophetia* libri aperti, *in Epiſtola tamen ad Eccleſiam* Sardenſem *ſatìs apertè ſignificari p.*44.*l.*13

Reformatores *noſtri Eccleſiæ primi quàm digni quibus* Reſurrectionis Teſtium Viſio *applicetur p.*821.*l.*15 *Quámq; id notatu ſit utile p.*821.*l.*40 *&* *p.*822

Regenitus *verè qui ſit, requieſcere neſcit donec omnis ex eo exacta ſit corruptio p.*400 *l.* 1

Regiam Poteſtatem, *in cauſis etiam Eccleſiaſticis, in propriis Regnis &* Papali *&* Presbyterianâ *eſſe majorem p.*774.*l.*47 *&* *p.*775 *Eccleſiæ Anglicanæ, ſuper hac re, ſententia p.*775 *l.* 39

Regina Cœli *p.*109.*l.*57

Regna Mundi *omnia quomodo Diabolus Chriſto oſtenderit p.*127.*l.*46

Regnum Angelorum *Animarúmq; ſeparatarum eſſe, undéq; illud innoteſcat p.*78.*l.*15

Regnum Antichriſti *Divinæ Gratiæ charitatis contrarium p.*559 *&* 560

Regni Antichriſti *abſurda ac fabuloſa deſcriptio p.*677.*l.*40 *&* *p.*678

Regni Beſtiæ *per menſes* 42 *durationem duplici ſenſu intelligi poſſe p.* 706. *l.* 33 *&* *p.* 607

Regni Beſtiæ *expirationem in exitu Tubæ ſextæ* partialem *eſſe ſive* ſpeciminalem, *multis probatur argumentis p.*707.*l.*16

Regnum Chriſti *perſonale in terris perſtrictum p.*182.*l.*9

Regni Chriſti *deſcriptio è Scripturis p.*558 *l.*12 *Deſcriptionem hanc conſtari ex effectis* Charitatis, *ibid.l.*41

Regni Cœleſtis *quales ſint qui ſunt capaces p.*365.*l.*38

Regni Lucis *&* Tenebrarum *Inimicitiæ perpetuæ ac bella p.*78.*l.*20

Regni Lucis *liberatio ſupernaturalis in* Mundi Conflagratione *p.*80.*l.*17 *Illius rei ratio, ibid.l.*39

Regni Lucis *Princeps qualis eſſe debeat p.* 81.*l.*7

Regno Lucis *aſſiſtere quòd ſpeciali modo debeat Deus p.*227.*l.*5

Regni Lucis *Princeps qualis à Divina Providentia conſtituendus p.*227.*l.*14 *&* *p.*228

Regnum quartum: *Vide Quartum Regnum.*

Regnum Spiritûs *apud* Cabbaliſtas *p.*236 *l.* 20

Regni Tenebrarum *ruinam aliquando conſummatiſſimam fore p.*79.*l.*6

Regni Tenebrarum *ac* Lucis *conflictus p.*226 *l.*60 *&* *p.*227

Regulæ *quædam quibus opiniones examinentur p.*409,410

Regularum *dictarum uſus generalis p.*411 *l.*7 *Uſus earundem ſpecialis in favorem hominum mutuum, opinionibus diſſentientium p.* 411.*l.*24

Regulæ *quædam ad quas expendi poſſint* Vaticiniorum Interpretationes *p.*618.*l.*52 *&* *p.*619

Relativam Idololatriam *æquè veram Idololatriam eſſe ac relativum Adulterium verum Adulterium p.*880.*l.*6

Relativam Idololatriam *realem propriámq; eſſe Idololatriam etiam juxta præciſam rationem Scholarum p.*880.*l.*27

Relativam Latrian, *quanta neceſſitas ſit, ut Pontificii tribuant Imaginibus Dei Chriſtique p.*881.*l.*46 *&* *p.*882

Religio *an inſit* brutis *p.*86.*l.*8

Religionem Ethnicorum *ultra* vitam Animalem *ſe non extendiſſe p.*101.*l.*45

Religioni Romanæ, Græcæ, Ægyptiæ *Gentiúmq; omnium in eo conſenſus, quòd ultra* vitam Animalem *ſe non extenderent p.*104.*l.*1

Religionem *Hominis potiùs gratiâ inſtitutam eſſe quàm Dei p.*351.*l.*50

Religionis *noſtræ* æſtimationem *minimè conſiſtere in damnando univerſos ad infimum Inferni barathrum qui eam non profiteantur p.* 404 *Intempeſtiva apud Chriſtianos hujus opinionis Inculcatio p.*404.*l.*31 *&* *p.*405

In Religionibus *omnibus quæ bona ſunt, à bono Chriſtiano debere laudari p.*405.*l.*7

Religiones falſæ *quàm magnam Orbis terrarum partem occupaverint p.*405.*l.*28

Religionem electitiam *veram Pietatem ubiq; extinguere p.*407.*l.*7

Religionis cujuſdam profeſſio, *quæ reverà Dei Evangeliiq; quædam quaſi* deriſio *ſit p.* 418.*l.*7

Religionem morum corruptricem *à Magiſtratu jure coërceri poſſe, & quæ robur Regni & tutamen tolleret p.*427.*l.*11 *Et cui Perſecutionis principia inſeparabiliter intexta ſint p.* 427.*l.*29 *Ad objectionem Reſponſio, Sectas utiq; omnes perſecutioni eſſe deditas, &c. ibid. l.*37

Renatorum *animis peccata æquè dolorifica eſſe ac morbos corporibus p.* 340. *l.* 60 *&* *p.* 341

Reſignationis *genus quoddam falſum & periculoſum, quale & Spiritus Apoſtatæ promovere videantur p.*106.*l.*54

Reſignationis *hujus ſpecimen in* Trementibus *p.*107.*l.*2

Reſurrectio Chriſti; *quàm defixus in eam Chriſti fuerit oculus p.*151.*l.*13 Divinæ vitæ *per eam Triumphatus, ibid. l.* 31 *Immortalitatis Animæ Confirmatio p.* 152. *l.* 34 *Totiúſq; miniſterii Chriſti, ibid.l.*54 *Quî factum ut pontifices proceréſq;* Judæorum *per eam non eſſent converſi p.* 153. *l.* 22 *Quomodo evinci poſſit Dæmonis non fuiſſe deluſionem, ibid. l.*42

Reſurrectionis Chriſti veritatem, *ex eo quòd pro libitu apparuerit & diſparuerit, minimè infirmari p.*154.*l.*27

Reſurrectionis Chriſti *à mortuis Prædictio p.*269.*l.*25

Reſurrectionis Chriſti *certitudo p.* 294 *l.* 4

Reſurrectionem mortuorum *non quidem* morali, *ſed* naturali *ſenſu, fore è Scripturis probatum p.*205.*l.*19

Reſurrectio mortuorum *Scholaſtica quàm grata auribus Atheorum p.* 210. *l.* 47 *Qualis lapis offendiculi quibuſdam Enthuſiaſtis p.* 211.*l.*3

Contra Reſurrectionem *Objectio ab Activitate Animæ extra corpus cum Reſponſo p.*214 *l.* 11

Reſurrectionis Myſterium *ab omnibus Objectionibus tum* Atheorum *tum* Enthuſiaſtarum *per Autorem liberatum p.*215.*l.*38

Reſurrectionis *defenſio per Autorem quouſq; ſe extendat p.*217.*l.*3

Reſurrectionem *etiam* Scholaſticam *non eſſe impoſſibilem unde poſſit demonſtrari p.* 217.*l.*9

Reſurrectio prima [*Apoc.*20] *quomodo intelligenda p.*180.*l.*51 *&* *p.*181

Reſurrectionis primæ *filii an nobis apparituri, & cur p.*182.*l.*13

Reſurrectio & Aſcenſio *Chriſti ſexta* Potentia Evangelica *p.*369.*l.*8 *Magna illius ad impellendos homines ad vitæ probitatem vis p.*369 *l.*35 *&* *p.*370

Reſurrectionem Teſtium, *Reformationis haud ità pridem factæ eſſe Impletionem, Quantiq; interſit Eccleſiarum Reformatarum illud ſcire p.* 8.*l.*32 *&* 59 *&* *p.*9.*l.*1

Reſurrectio *quibus Objectionibus per Atheos impetita p.*211.*l.*25 *Ad objectiones Reſponſa p.* 212 *&* 213

Reſurrectio viſibilis *quomodo confirmetur ex Expoſitione Prophetica Epiſtolæ ad Eccleſiam* Laodicenam *p.*816.*l.*23 *&* *p.*823.*l.*61

Ὁ πᾶς *quid innuat apud* Paulum 1 Tim.4 *& quàm rectè illîc uſurpatum p.* 717. *l.* 31 *&* *p.* 720.*l.*6

Revelationem *nullam à Deo eſſe quæ ſenſui rectè circumſtantiato repugnet p.*828.*l.*43 *aut manifeſtis veritatibus naturalibus, ibid. l.* 51 *Immortalitatémve foveat aut promoveat p.*829 *l.*13

Rex Babylonis *quonam ſenſu vocetur* הילל *ſive* Lucifer, *Occidentaliſq;* Cæſareatûs Stella *p.*614.*l.*60 *&* *p.*615

Rex *ſeptimus: Vide* ὁ ἄλλος.

Rex ſuperbiæ [*Dan.*11.*v.*36] *quàm imperitè per* Grotium *de* Antiocho *expoſitus p.*717 *l.*52 *&* *p.*718 *Quàm neceſſariò intelligendus ſit de* Antichriſto *p.*718.*l.*1

Rex Regum *& Dominus Dominantium, Seſſoris Eqni albi Titulus* [*Apoc.*19] *quomodo intelligendus p.*737.*l.*28

Rex ſuperbiæ *à Daniele prædictus p.*750.*l.* 48 *p.*751,752

Rex ſuperbiæ & Cornu parvulum *idem quod* Homo peccati, *ac proinde iidem inter ſe p.* 753.*l.*45

Riberæ & Grotii *Expoſitiones* [*cap.*17.*Apoc.*] *quanti momenti ſit ut confutentur p.*674. *l.*33 *&* *p.*675

Riſus Panos *quid ſignificet p.*102.*l.*54

Ritus Paganicos *imitandi ſtudium in Eccleſia degenerante p.*664.*l.*43

Romam ipſam *aliquando reformatum iri non abnuere Oracula p.*11.*l.*23

INDEX.

Romæ *convertendæ* Apocalypſis *quomodo inſerviat* *p.*11.*l.*27

Romam *incendio vaſtatum iri, ex ſenſu vaticinii minimè conſtare* *p.*652.*l.*54 & *p.*653 *p.*728.*l.*6

Romæ Potificiæ *res quali fato creverint, qualiq; dilapſuræ* *p.*653.*l.*50 & *p.*654

Romæ *ſeptem montes ſinguli ſingulis* Sanctis *nunc conſecrati, ut olim ſinguli ſingulis* Diis *p.*667.*l.*4

Roma *per* Totilam *capta & incenſa malè per* Grotium *applicata ad Incendium* Babylonis *p.* 687.*l.*48 & *p.*688

Romæ *totiúſq; adeò orbis Chriſtiani Amici fideliſſimi quinam ſint* *p.*714.*l.*5

Roma *ex Paganica Chriſtiana, ex Chriſtiana Pagano-Chriſtiana & Idololatrica, & ex Pagano-Chriſtiana purè Chriſtiana rurſus reddenda* *p.*745.*l.*1 & *l.*34 *p.*746.*l.*22

Roma & Pergamus *inter ſe comparatæ* *p.* 794.*l.*9

Romanæ *Hierarchiæ ruina quas ob cauſas in vaticiniis comminata* *p.*742.*l.*4 *p.*743.*l.*36 *p.* 744.*l.*11 & *l.*28 *p.*750.*l.*6

Romanæ Eccleſiæ *in diſſentientes crudelitas quibus aggravetur Circumſtantiis, quámq; clarè indè conſtet eam mulierem illam eſſe quæ* Sanctorum ſanguine ebria ſit & ſanguine Martyrum Jeſu *p.*860.*l.*36 & *p.*861

Romana in Eccleſia *quàm exigua vel quàm nulla potiùs ſpes ſit ſalutis* *p.*861.*l.*28 *Quóſq; quidam è noſtris ſalvatum iri credunt, non aliter tamen ſalvandos credere quàm per implicitam illius communionis renunciationem* *p.* 862.*l.*20

Romanæ Eccleſiæ *cum vera pœnitentia ſtatúq;* Regenerationis *quàm malè conſiſtat communio* *p.*862.*l.*41 & *p.*863

Romanæ Eccleſiæ calliditas *deſcripta* *p.*863 *l.*22 Unitatem *quàm vanè venditet, ibid. l.*43 & Antiquitatem & Univerſalitatem, *ibid.l.*54 Miracula *etiam* *p.*864.*l.*1 & Sanctitatem, *ibid. l.*12 & Infallibilitatem, *ibid.* 25 *Vt* & Abſolutionem Sacerdotalem, *ibid.l.*46 & *p.*865 & Theſaurum *deniq;* Meritorum, *ibid.l.*12

Romanæ *Eccleſiæ* gloriationum *ex vera ſtatûs illius deſcriptione è ſacris Oraculis petita,* Confutatio *p.*865.*l.*31 & *p.*866

Romanæ *Eccleſiæ* gloriationes *è dictis Vaticiniis ſolidè confutari, miniméq; eam indè contumeliis affici: Quibúſq; rationibus id cuivis qui nullo laborat præjudicio, poſſit conſtare* *p.*866.*l.*49 & *p.*867

Romani Imperii *ſupremarum Poteſtatum ſucceſſiones quàm naturaliter in* octo *partes ſe diſſolvant* *p.*646.*l.*50 & *p.*647

Romanum Imperium *à Regibus uſq; ad illius exitum uni Homini apud* Florum *comparatum* *p.*660.*l.*36

Romanum Imperium *in decem Regna diviſum, ſedes facta Antichriſti* *p.*697.*l.*47

Imperium Romanum *in decem Regna diffractum introducere* Antichriſtum *p.*752.*l.*40 & *p.*753.*l.*24

Ad Romanos

*Cap.*4.*v.*5 *p.*329.*l.*10

*Cap.*5.*v.*6.10 *p.*237.*l.*37

*Cap.*6.*v.*7 *p.*327.*l.*40

*Cap.*8.*v.*10,11 *p.*328.*l.*16

Ruina finalis Antichriſti: *Vide* Antichriſti ruina finalis.

Rupes percuſſa *qualis Typus* *p.*591.*l.*55

Ruſticitas *eorum hominum qui omnem Divinam veritatem etiam in modis & circumſtantiis comprehenſibilem eſſe volunt.* *p.*379.*l.*20

S.

Sacerdotii Chriſti perpetuitas *p.* 273.*l.*14

Sacerdoti *Reverentiam rectiùs quæri in vitæ doctrinæq; vi ac potentia quàm in pompa quavis Hiſtrionica* *p.*490.*l.*46 & *p.*491

Sacrificia *in omnibus Religionibus propitiationes fuiſſe iræ Deorum* *p.*147 *Ex quo ſenſu mors Chriſti eſt interpretanda, ibid. l.* 23 *Odioſa illorum ſubtilitas quæ hanc veritatem delere conantur, ibid.l.*29

Sacrificium Chriſti *Reatum tantùm tollere non pœnam, quàm nefaria iſta doctrina ſit, criménque, quàm* Judæ, *majus* *p.*527 & 528 *Hujus doctrinæ Noxa, ibid.l.*16

Sagarum Magorúmq; *cibi evanidi & deluſorii* *p.*131.*l.*10

Saitani *Templi Inſcriptio Myſtica, quæq; illius ſit mens* *p.*96.*l.*30

Sanctitatis *gradum exiguum non quidem ſufficere Homini Chriſtiano* *p.*333.*l.*7 & *p.* 334,335

Sanctorum, *Angelorúmq; & Hominum piorum naturæ proximitas* *p.*466.*l.*43

Sanctos *non percipere preces noſtras ac ſuſpiria, nec per propriam ſuæ naturæ excellentiam nec per Revelationem Divinam* *p.*474.*l.*31

Sanctorum abſentiam *ab Imaginibus non excuſare ab Idololatria* *p.*479

Sanctorum *Angelorúmq;* cultum *religioſum, realem eſſe adversùs eos* contumeliam *ac* blaſphemiam *p.*485.*l.*49 & *p.*486

Sanctorum *Appellatio quomodo Evangelicis, Eccleſiiſve Reformatis competat* *p.*613.*l.*11

Sancti Tutelares *cum* Diis Tutelaribus *comparati* *p.*665.*l.*35

Sanctorum *Altaria, Statuæ, Templa, Feſta, Adorationes, Invocationes, Cereorum Oblationes & Incenſi, Jurationes per eos, & Vota eis facta, Imaginum deportationes in proceſſionibus, Peregrinationes ad eas, curationúmq; miraculoſarum monumenta in Templis ſuſpenſa, manifeſta lineamenta eſſe* Imaginis Beſtiæ *p.* 667.*l.*9

Sancti *quomodo in* Dæmonas *ſeu* Dæmonia *vertantur, déq; ea re* Danielis & Pauli *prædictio* *p.*719.*l.*30

Sanctos veros *Regna antè non accipere quàm data sint eis* p.711.l.30
Sanctorum Invocationem *etiam à* Tridentinis *Patribus præscriptam, esse* Idololatricam p.848.l.10
Sanguis *in Fœderibus quid significet, & quid* Sanguis Christi *in Fœdere Christiano* p. 395 l. 13
Sanguis, *vis vitáq; Animalis secundùm sententiam* Ægyptiorum & Persarum p. 613 l. 48
Sanguinolenta *oppugnatio Imperii Christi in trucidandis fidelibus suis subditis* p. 521 l. 51

Lib. Sapientiæ

*Cap.*8.*v.*19,20 p.66.*l.*22
*Cap.*13.*v.*1 p.93.*l.*7
Sapientiam Divinam *è reali justitia & sanctitate nasci* p.341.*l.*34 & p.342,343
Saracenos *significari per* locustas Apocalypticas p.186.*l.*47
Saracenici Regni *duratio & de rebus* Saracenorum p.586.*l.*25
Sarah *quid significet, cujúsq; rei symbolum* p.391.*l.*11
Sardis *quid significet, ejúsq; cum* Hymnodia *Citharistarum & doxologia Seniorum, convenientia* p.31.*l.*39 p.44.*l.*1
Sardæ *lapidis qualitates* p.806.*l.*6
Sardis, *quæ ratio nominis* p.806. *l.*17 *Rationes hujus nominis cum citharistarum Cantico* [*Apoc.*16] *concentûs, ibid.l.*23
Sarda *quæ &* Carnalina *quomodo vitia quædam Ecclesiæ reformatæ præfiguret & illustret* p. 806.*l.*29
Pauca illa in Sardis Nomina *quomodo intelligenda* p.807.*l.*60 & p.808 *Semen esse Ecclesiæ* Philadelphianæ, *ibid. l.*29 *Horum* paucorum Nominum *per Christum Confessio quid sit* p.808.*l.*24
Sardiana *Ecclesia &* Philadelphiana *inter se comparatæ* p.809.*l.*15
Sardianus status *deerrationi* Israëlitarum *in Deserto non absimilis* p.822.*l.*61 & p.823 *l.* 13
Sardiana *Ecclesia novum quasi exordium vel Emergentia veræ Ecclesiæ Regnive Christi ex Potestate Regni Antichristi* p.818.*l.*16
Satanæ Synagoga *cœtus Antichristianus & quare* p.810.*l.*13
Satisfactionem Christi *ad* Reatum *tantummodo tollendum non ad pœnam se extendere quàm* Antichristiana *sit doctrina* p.505.*l.*20 *In quàm multifarios labores ac molestias hæc doctrina & figmentum Purgatorii homines conjiciant, ibid.l.*40 & p.506
Saturnalia *quâ consuetudine apud Pontificios referantur* p.670.*l.*31
Sævitiæ *Antichristianæ Exempla varia* p. 564
Scala Divinæ Lucis *per quam* Mahometes *ascendit in Cœlos* p.165.*l.*23
Σκῦλα *quàm latè significet* p.739.*l.*42
Schisma *quid sit* p.562.*l.*45
Schismatica *quædam Meticulositas Antichristianæ Ecclesiæ in abstinendo à communione in rebus sacris, cum Apostolicis, fraudulentúmq; eorum propositum ea in re* p.563.*l.*21
Scientiæ *etiam naturali quanto Obstaculo sint Animi vitia* p.343.*l.*33 & p.344
Scopus *Evangelii* privativus *Idololatriæ Abolitio, Onerisq; Ceremoniarum ablatio* p.449, 450,451,452
Scopus positivus *Evangelii* p.452,453
Scripturarum *solida cognitio Philosophiæ prælata* p.1.*l.*27
Scripturæ perspicuitatem *in rebus ad salutem necessariis, Infallibilis Judicis tollere necessitatem* p.513
Scripturam, *cùm nullum indigitet Judicem infallibilem, ullúmve fidelem Traditionum custodem, seipsam eo ipso declarare solam sufficientem normam Doctorémve* p.513.*l.*16
Scripturarum *abscondendarum prætextus fraudulentus* p.519.*l.*36
Scripturarum *Excellentia vindicata, ibid. l.* 42 & p.520
Scripturæ *interpretandæ ratio solidissima ac firmissima* p.817.*l.*6
Scripturam *maximè certam esse Traditionem* p.830.*l.*6 *firmissimúmq; Fundamentum Fidei, ibid.l.*14
Scripturam *sufficienter esse perspicuam* p. 830.*l.*19
Scripturæ *sensus quando literalis aut Historicus, quando figuratus tantùm aut Parabolicus habendus* p.830.*l.*29
Scripturæ *partem nullam in se esse inexplicabilem* p.831.*l.*10
Scripturas *consulere ac legere non solùm jus esse sed & Officium cujusq; Christiani* p.831 *l.*43
Sensus *rectè circumstantiatus* p.828.*l.*9
Separare *ab Ecclesia* Romana, *ob ipsius* Idololatriam, *Schisma non esse coram Deo, Divino etiam suffragio comprobatum* p.822 *l.*34
Septem, *stylo prophetico* universalitatem *significare* p.785.*l.*20 & p.807.*l.*9 p.818.*l.*5
Septem capita Bestiæ *septem esse summorum Magistratuum genera, quâ methodo demonstretur* p.626.*l.*31 & p.627, *&c.*
Septem capita Bestiæ *ut sint septem Personæ planè esse impossibile* p.628.*l.*52 & p.629, 630
Septem capita Bestiæ *de septem summorum Magistratuum generibus interpretari nullam esse* περιλογίαν, *contra* Grotium p.646.*l.*45
Septem capitum Bestiæ *numerationem iuire à* Claudio *& desinere in* Domitianum *omni carere ratione* p.685.*l.*23
Septem capita Bestiæ [*Apoc.*13] *non esse septem montes, contra* Grotium p.689.*l.*7

INDEX.

Septem Eccleſiarum *viſio viſioni ſeptem Sigillorum Libriq; aperti Synchrona p.*781.*l.*11

Septem Eccleſiarum *viſio cur Epiſtolari formâ conſtituta p.*782.*l.*31 *&* *p.*783

Septem Eccleſiarum *viſio quibus rationibus demonſtretur eſſe Prophetica p.* 783. *l.*41 *&* *p.* 784,785,786 *&* *p.*787. *l.*37 *item* *p.*817, 818, 819,820

Septem Reges [*Apoc.*17] *Reges eſſe impios ſeptem Ætatum mundi ab Adamo ad Diem noviſſimum, ſecundùm* Riberam *p.* 675. *l.* 14 *Expoſitionis hujus Confutatio p.*676. *l.*55 *&* *p.*677

Septem Reges *ad Romanum Imperium propter ſeptem montes, quorum capita Beſtiæ, Typi ſunt, neceſſariò pertinere p.*678.*l.*14

Septem Tonitrua *partes Tubæ ſeptimæ p.* 707.*l.*31

Serapis Ægytius *quid p.*96.*l.*21

Sermo Servatoris *reverenter lectus in Eccleſia quanti ſit momenti p.*438.*l.*47

Serpens æneus *Paſſionis Chriſti Typus propheticus p.*361.*l.*49 *&* *p.*364.*l.*39

Serpentem æneum *non Artis aut Naturæ vi Iſraëlitas ſanâſſe p.*362.*l.*1

Serpentem æneum *non fuiſſe Teleſma ſenſu* Gaffarelli *p.*364.*l.*21

Serpens æneus *quàm perfecta Chriſti præfiguratio p.*364.*l.*44

Serpenti æneo *Incenſi adoletio Idololatrica p.*460.*l.*22

Serpens æneus *Chriſti Typus in Cruce pendentis p.*591.*l.*44

Servator *qualis doctor Amoris p.* 318. *l.*52 *&* *p.*319

Servatoris *jus quo colatur in perpetuum tanquam* æternus Logos *qui creavit cœlum & terram p.*449.*l.*29

Seſſio Chriſti *ad Dei dextram quid ſignificet figuratè & propriè p.*155.*l.*46

Severitatum *variarum* Antichriſtianarum *Enumeratio p.*499.*l.*7

Sexti Rufi *locus reſtitutus p.*661.*l.*18

Sigillorum *ſex primorum explicatio ſecundùm* Grotium *p.*183.*l.*54 *&* *p.*184

Sigillorum *ſex primorum explicatio ſecundùm* J. Medum, *ibid.l.*31 *&* *p.*185

Sigma *quomodocunq; ſcriptum nullum alium habere valorem quàm* 200 *p.*632.*l.*36

Signorum *appropriatorum cultûs religioſi generalis diſtributio p.*472.*l.*32

Similitudinem *per* Identitatem *eleganter aliquando exprimi p.*644.*l.*41

Simonis Magi *Hiſtoriolam Figmentum eſſe; & qua de occaſione ortum p.*755.*l.*46 *&* *p.*756 *&* 758.*l.*33 *p.*759.*l.*15

Simonis *cum igneis quadrigis ſpectaculum, regno* Claudii *contigiſſe, non autem* Neronis, *contra recentiorem quendam Interpretem p.* 759.*l.*6

Simonem Magum *non fuiſſe* Hominem peccati *p.*759. *l.*25 *Nec ſtatuam ei erectam fuiſſe, nedum in Templo ut Deum ſediſſe p.* 759.*l.*30

Simonem *cum* Gnoſticis *unum* Hominem peccati *conſtituere non poſſe, quem Dominus interficiat ſpiritu oris ſui, deſtruátq; illuſtri ſuo adventu p.*760.*l.*29

Simonem *&* Gnoſticos *in ea parte prophetiæ* [*Nam Myſterium jam operatur Iniquitatis*] *ut Typum illius magni* Antichriſti *forſan notari, quámq; multis rebus inter ſe conveniant p.* 760.*l.*51 *&* *p.*761

Sinceritas (*via media inter Infirmitatem ſimulatitiam & Perfectionis venditationem*) *deſcripta p.*420.*l.*32 *&* *p.*421

Sinceri Chriſtiani *plenior adhuc character p.* 421.*l.*14 *Qui ad hunc ſtatum non aſpirant* Hypocritas *eſſe, qui ſe ſupra eſſe prætendunt, contra* æternum Chriſti Sacerdotium Conſpiratores *p.*421.*l.*46

Smyrna *quid alluſivè ſignificet in Eccleſia* Smyrnæa *p.*790.*l.*22

Sodalitates Romanæ *Paganicæ cum Pontificiis comparatæ p.*671.*l.*25

Sodomæ, *per ignem de cœlo, ſubverſio, poſſibilitatis Conflagrationis terræ pignus p.*220 *l.*43

Sol *unicum Paganorum Numen ad quod reliqua referebant p.* 93. *l.* 23 Sol *mundi mens, ibid.l.*59

Soli *nec* unitatem, *nec ulla è reliquis Divinis Attributis competere p.*95.*l.*21

Solis *tamen &* Apollinis Delphici *Nomina* unitatem *innuere, ibid.l.*10

Solis *cultores cum* Artolatris *comparati p.* 477.*l.*28

Solis *ac* Lunæ *ſignificatio ſpiritualis p.*614 *l.*11

Solifidianiſmi *Examinatio, & quo ſenſu* Fides *dici poſſit* ſola *juſtificare p.*417.*l.*45

Solutio Diaboli *ubi inceperit ſecundùm* Grotium *p.*193.*l.*55

Σοφία, *quæ ratio Nominis p.*645.*l.*35 *Duplicem fuiſſe apud antiquos, ibid.l.*41

Σοφία *vocis alluſio ad* צופיה *p.*785.*l.*51

Spectrum *in monte* Caucaſo *per* Apollonium *fugatum p.*139.*l.*33

Spirituum Atheorum *agmina innumera eſſe, eorundémq; deſcriptio p.*78.*l.*33

Spirituum Apoſtatarum *malitia qualis ſit in genus humanum p.*106.*l.*45

Spiritûs Aſtralis *impuritas quid ſit, qualéſq; faciat præcones ac vates p.*233.*l.*49

Spiritus Fidei *ut diſtinguatur à Spiritu* Cognitionis *&* Sapientiæ *p.*518.*l.*8

Spiritûs *Oeconomias multas fore ementititias circa initia Temporum* Regni Spiritûs, *ut olim* Meſſiæ *ementititii multi erant circa tempora veri* Meſſiæ *p.*197.*l.*53

Spiritûs promiſſi *potentiam ac vim non eſſe abſolutam & omnipotentem, ſed ità ferè ſe habere in rebus Divinis ut* Spiritus Naturæ *in naturalibus p.*347.*l.*55 *&* *p.*348

Spiritûs promiſſio *Machinamenti Evangelici potentia tertia p.*336. *l.*9 *è multis locis V. & N. Teſtamenti probata p.*337,338,339

Spiritum Propheticum *nulli uni Perſonæ appropriatum eſſe, ſed eſſe liberum p.* 522. *l.*47 *& p.*523

Spiritum Religionis *Ceremoniarum onere ſuffocari p.*374.*l.*42

Spiritum S. *optimum eſſe in Myſterio Chriſtianitatis* Myſtagogum *p.*53.*l.*2

Spiritus S. *Angelus à quibuſdam habitus, unde* Perſonalitas *illius arguatur p.*57.*l.*39

Spiritûs S. *deſcenſus in Chriſtum in forma Columbæ p.*126.*l.*45

Spiritus *eſſe ſubſtantiáſve particulares immortales p.*75. *l.*39 *Illius rei probatio p.*76 *l.* 3

Spiritus Geniorum & Hominum *quomodo inter ſe differant, ibid. l.*17

Spiritûs verè Chriſtiani *deſcriptio p.* 420 *l.* 3

Spiritum *nos certos facere de veritate Scripturarum, ſententiam eſſe haud ità ſuperciliosè explodendam p.*517.*l.*42 *& p.*518

Sponſa *per* Apollonium *è mortuis quomodo excitata p.*240.*l.*9

Sponſa Agni *quæ ſecundùm* Grotium *p.* 193 *l.* 42

Sputum Baptiſmale *à quo ritu Paganico ortum p.*670.*l.*19

Stationes & Repedationes *Planetarum cur Debilitates Planetarum habitæ p.*307. *l.*3

Statua Apollonii, *vocalis p.*161.*l.*36

Statua Magica *cum ſupremo Numine vitaliter unita, commentum* Procli *p.*462. *l.*46 *& p.*463

Stellas *Planetáſq; ſuo uſu non carere quamvis nulla veritas ſit in Aſtrologia p.*302.*l.*26

Stellas *non eſſe cauſas varietatis rerum, ibid. l.* 42

Stellas *Solémq; apud* Originem ζῶα εἶναι λογικὰ καὶ ἀυθεῖα, *nec tamen à nobis colenda p.*466.*l.* 56 *& p.*467

Stellæ *ſenſus magis Myſticus p.*615.*l.*13

Stellam dare Matutinam *quid p.*805.*l.*27

Stella ſplendida Matutina, & ἑωθὲς πρωινὸς *quomodo differant p.*805.*l.*33

Stephanus *ut ab* Apollonio *in ecſtaſi maniaca animatus, dum* Domitianum *trucidabat p.* 141.*l.*1

Stephanus Martyr *quomodo Chriſtum viderit ad dextram Dei p.*156.*l.*21

Stoiciſmus & Spartaniſmus *à Divina vita quàm alieni p.*145.*l.*45

Stylus Propheticus *quàm determinatè intelligibilis p.*618.*l.*5 .

Stylus Propheticus *quâ cautione interpretandus p.*707.*l.*9 *& p.*708.*l.*2

Subſtantiam *omnem reverà eſſe individuam p.*381.*l.*17

Succeſſionem Individuorum *repræſentari uno Individuo p.*589.*l.*11

Succoth Benoth *p.*110.*l.*8

Suetonii *Teſtimonium de tempore Adventûs* Chriſti *p.*265.*l.*24

Suetonii *locus ventilatus de expulſione* Judæorum *tumultuantium, impulſore* Chreſto *p.* 681.*l.*38

Sui-quæſitio *veris Chriſtianis quàm facilè imputetur per Hypocritas p.*360.*l.*37

Summi Sacerdotis *in Sanctum ſanctorum ſemel quotannis Introitus quid ſignificaret p.* 592.*l.*6

Superbia *Cleri* Antichriſtiani *quales habeat fomites ac fulcra p.*551.*l.*21 *& p.*552

Superſtitio *quid propriè ſit p.*443.*l.*25 *& p.*455.*l.*15

Superſtitionem *etiam eſſe poſſe in oppugnandis Ceremoniis, &c. p.*406.*l.*45 *& p.*407

Supralapſariorum *doctrina quàm immane portentum p.*408.*l.*50 *& p.*409

Syderum *per terræ viſcera penetratio quàm mendosè apud Aſtrologos concluſa p.*304.*l.*44 *& p.*305.*l.*11

Symboli Athanaſiani *verba, cujuſmodi ſunt,* Unus & Unitas, Deus & Omnipotens, Æqualis, *&c. latitudinem ſenſûs admittere p.*380 *l.*25

Symbolum Athanaſianum *nec Polytheiſmum nec Idololatriam, nec ullam Abſurditatem Repugnantiámve involvere p.*380.*l.*53 *& p.*381

Symboli Nicæni *verba ea* [Credo unam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam] *quomodo intelligenda p.*561.*l.*44 *& p.*562

Symmetra *Eccleſiæ tempora per rationem* Interioris *Atrii ad* Exterius *quomodo indicata p.*197.*l.*38

Axiomata Synchroniſtica *p.*17.*l.*1

Synchronarum *viſionum Initia Finéſq; quâ latitudine ſint intelligendi p.*17.*l.*33

Synchronorum *Apocalypticorum plena ordinatáq; Propoſitio p.*18.*l.*1 *p.*19.*l.*3 *& p.*20

Synchroniſmi *viſorum* Antemedialium *p.* 25.*l.*1 *& p.*27.*l.*21 *p.*704.*l.*1 *& p.*705.*l.*30

Synchroniſmorum Medialium *Demonſtrationes p.*20.*l.*46 *p.* 21,22,23 *& p.* 701.*l.*31 *p.*702,703

Synchroniſmi *viſorum* Poſtmedialium *p.*27 *l.*36 *& p.*28 *p.*705.*l.*43

Synchroniſmi Phialarum *cum primo* Tonitruo *contemporantium demonſtratio p.* 28 *&* 29 *Vide & p.*706,707,708

Synchroniſmorum Medialium *naturalis Colligatio p.*188.*l.*55 *& p.*189

Synchroniſmos *intelligendi neceſſitas ex Erroribus* Grotii *demonſtrata p.*194.*l.*25

Synchrona Medialia *quo ſenſu in exitu* Tubæ ſextæ *ſint implenda p.* 708. *l.* 48 *& p.* 709

Synchrona Medialia *quocunq; ſenſu gradúve expirant, omnia ſimul expirare p.*709 *l.* 4

Synchronorum Poſtmedialium *Initium, Tem-*

πύσῃ Millennii *magis eminenter sic dicti* p. 709. l.27

Syrbachan *Interpres Regis* Indiæ p. 595 l. 45

T.

TAbernaculum *ac* רביר Israëlitarum *quid significarent* p.591. l.32

Taciti *testimonium de tempore adventûs* Messiæ p.265.l.8

Taciti *error de* Judæis *tanquam caput Asini colentibus* p.458.l.32

Tarphan *Interpres* Pharaonis *Regis* Ægypti p.595.l.49

Τειχῖται Babylonici [*Apoc.*18] *quales sint* p. 741.l.57

תקומה & תחיה *quid significent* p. 213.l.30 *Quænam sint earum vocum significationes speciales* p.214.l.42

Τιλιλαὶ *quid* p.52.l.9

Telesmaticas *Præparationes omninò esse superstitiosas* p.362.l.14

Telesmaticæ *Imagines cum Diis* Tutelaribus *comparatæ* p.362.l.27

Telesmatum *effecta cœlestibus Influentiis non posse imputari, ibid.*l.52 & p.363

Telesmatum *vis an ex similitudine sit* p.363 l.9 & p.364

Telesma *cur sic dictum* p.364.l.29

Templi *cum Atriis* Ichnographia p. 26 & 27

Templa *Paganorum fuisse ferè omnia Sepulchra* p.117.l.35

Tempus adventûs Messiæ *vaticinio* Jacobi *prædictum* p.251.l.23

Tempus Finis *quid* p.715. l. 54 & p.716 *Idem quod* ὕστεροι καιροὶ p.716.l.25 & p. 717

Tempus, tempora & dimidium temporis p. 615.l.44

Tentationes Christi *aliæq; vitæ ejus asperitates quorsum tendant* p.127.l.8 Tentatio *ejus à Diabolo, ibid.*l.26

Teraphim, *statuæ vocales fatidicæ* p. 461 l. 54

Tertia pars, *quid significet stylo* Apocalyptico p.587.l.26 p.186.l.5 & p.713.l.9

Testes *cur* duo p.724.l.25

Testium duorum *visio explicata* p.724,725, 726,727,728

Testium potestas *claudendi cœlos nè pluat, quomodo intelligenda* p.725.l.14

Testes veros *cœlum non invadere sed illuc venire accersitos* p.727.l.29

Testimonium Christo *ter cœlitùs perhibitum* p.128.l.46

Testimonia *de* Apollonio *quàm obscura & ridicula* p.129.l.35

Tetractys *duplex ejúsq; Explicatio & Applicatio ad illustrandum* Numerum Bestiæ p.658 l. 13

Tetractyos *majoris ad* Hexameron Mosaicum *relatio* p.658.l.31

Θεῶν ὄχημα *in* Æthiopia *Vulcanus memorabilis* p.218.l.38

Ad Thessalonicenses
Epistola 2.

*Cap.2.v.*1,2,3,4,5,6,7,8 p.751.l.31 & p.752, 753 *usq; ad* p.761

*Cap.2.v.*7 p.761.l.44

*Cap.2.v.*8,9,10,11,12 p.747.l.29

Ad Thessalonicenses *secundam reverà esse secundam Epistolam non primam, contra* Grotium p.756.l.26 & p.757

Thronus *Christi, Cœlum* p.816.l.6

Thyatiris *Ecclesiam non fuisse temporibus S.* Johannis *Opinio* Montanistarum p.682.l.31

Thyatira *quomodo* Romam *denotet, quæq; vocis illius ratio* p.798. l. 22 & p. 799 & 800

Θυάτειρα *alludere etiam ad* θυατήρια p. 800 l. 22

Thyatiræ Intervallum *à cultu virginis, tanquam si Filia Dei esset æquè sublimi sensu ac Christus ipse Dei filius, denominatum* p. 853 l. 3

Tidor & Ternate *Insularum Orientalium Incolæ* Solis Lunæq; *Cultores* p.86.l.58

Ad Timotheum
Epistola prima.

*Cap.3.v.*15 p.509.l.33

*Cap.4.v.*3 p.451.l.52 & *v.*1,2,3 p.714.l.13 & p.715,716

Ad Timotheum
Epistola secunda.

*Cap.1.v.*12 p.63.l.51 *v.*10 p.369.l.11 *v.*20 p.105.*l. penult.*

*Cap.4.v.*8 p.63.l.51

Τὸ κατέχον [2 *Thess.* 2] *quid sit* p.752. l.37 & p.753.l.6

Tonitrui *significatio magis mystica* p.617 l. 8

Tophet & *Vallis* Hinnom *quæ ratio Nominum* p.144.l.40

Torcularis *significatio magis spiritualis* p. 617.l.36

Torcularis *calcatio à* Sessore Equi albi p. 739.l.6

Traditio *minùs rectè circumstantiata, quàm lubricum incertúmq; argumentum* p. 832 l.30

Transfiguratio *Christi in monte* p.128. l.17 *Significatio illius, ibid.*l.32 *Utilitas* p. 128 l. 37

Transfixionis *manuum pedúmq; Christi prædictio* p.292.l.3

Translatio Ecclesiæ *Christi ad* Æthereas *suas* mansiones, *cum brevi cœlestis Beatitudinis descriptione* p.373.l.29

Transubstantiationis *lucrum causam esse cur in Ecclesia* Antichristiana *tam mordicùs teneatur* p.483.l.37 *Quàm mirificus Intercessor Sacerdos*

Sacerdos ſit ex hoc Prætextu, ibid.l.49 Variæ rationes è re ſua utendi hoc dogmate p.484.l.11 Honor ineffabilis indè Sacerdoti contingens, ibid.l.30 Quòd indè videri poſſit omni lege major p.484.l.50

Tranſubſtantiationis *abſurditates p.* 523 *l.* 36

Tranſubſtantiationis *Incredibilitas quanto ſit Eccleſiæ damno p.543.l.16 Quàm naturaliter* Atheiſmum *introducat, ibid.l.36 Quàm compreſſus* Impoſſibilitatum *faſciculus p.543 l.58 & p.544 Venditatam Eccleſiæ* Infallibilitatem *leviorem eſſe quàm ut ipſi contraponderet p.544.l.19 Nec credibilem reddi poſſe fictorum miraculorum obtentu, ibid.l.29*

Tranſubſtantiatio *Panis ni fiat, Adorationem Hoſtiæ eſſe Idololatricam p.843.l.40 & p.844,845 & p.847.l.29*

Tranſubſtantiationem *communi ſenſui, indubitatiſq; omnium Artium ac Scientiarum rudimentis apertè repugnare p.846. l.13 & p.847*

Tranſubſtantiationis *craſſam falſitatem, perplexitatum in myſterio S.S.* Trinitatis, *obtentu neutiquam poſſe tegi p.884.l.24*

Tranſubſtantiatio *quamvis firmiter credatur à quopiam, id tamen eum ab Idololatria minimè liberare p.884.l.53 & p.885*

Trementes *quid lucrati ſint ex quo à Chriſto defecerint p.432.l.11*

In Trementium *ſecta* Spiritûs Dei *effecta non reperiri ſed potiùs* Pythoniſmi, *ibid.l.45 Inſpirationes eorum Divinas non eſſe ſed Diabolicas p.433. l.4 Myſticarum allegoriarum vana apud eos venditatio, ibid.l.15*

Trementes *cur tam amarulenti contra Miniſtros Chriſti p.433.l.46*

Trementes *per Autorem moniti nè ad* Familiſmum *divertant p.434.l.1*

Trementium *ſinceriorum conditionis Commiſerabilitas p.434. l. 25 Spes reditionis ad Chriſtum, ibid.l.49*

Tres dies & dimidium [*Apoc. 11. v. 9.11*] *quomodo intelligendi p.179.l.4 & p.180.l.26 & p.726.l.44 & p.727*

Tres dies & dimidium [*Apoc. 11*] *neceſſariò reſolvendos eſſe in* Antichroniſmum *p.594.l.22*

Tria Miniſteria, Legis *ſub* Patre, Fidei *ſub* Filio & Amoris *ſub* Spiritu, *Familiſticè intellecta quale Inſomnium p.235.l.44*

Triados Platonicæ *deſcriptio p. 55. l.44* Unitatis trium Hypoſtaſeon, *gradatim facta Explicatio p. 56. l. 10 Quomodo cunctæ unum ſint Divinum Numen adorabile p. 56 l. 38*

Triados Platonicæ *cum Scripturis probabilis convenientia p.57.l.6*

Triadem Platonicam *non eſſe Paganicum Inventum p.57.l.22 & p.59.l.5*

Tribuni Conſulares *à* Tribunis Plebis & Tribunis Militum *diſtincti p. 660. l. 52 & p.661.l.10*

Trigonorum Aſtrologicorum *commentum confutatum p.305.l.26*

Contra Trinitatem Chriſtianam *Cavillationes aliquot p.56.l.55*

Trinitatis Chriſtianæ *veritas è ſacris paginis probata p.57.l.30 & p.58*

Trinitatis Negatio *Chriſtianitatis ſubverſio p. 60. l. 30*

Τελτον μέρος *Imperium* Romanum *indigitare p. 186. l.5*

Triumviros Reipublicæ conſtituendæ *aut ſummam poteſtatem non fuiſſe p. 662. l. 5 aut à poteſtate* Imperatoria *non diſtinctam, ibid.l.45 & p.663*

Tubarum ſex primarum *Expoſitiones ſecundùm* Grotium *& ſecundùm* Medum *p. 185 l.48 & p.186,187,188*

Tubam ſextam *Imperium* Romanum *multò pòſt ſpectare quàm factum ſit* Chriſtianum *p. 713.l.3*

Tubæ ſextæ *Clangorem jam præteriiſſe quantùm ad Impletionem Prophetiæ, quámq; id notatu ſit utile p.821.l.32*

Tubam ſeptimam *in ſeptem* Tonitrua *ut* Sigillum *ſeptimum in ſeptem* Tubas, *dividi p. 18.l.34.*

Tubæ ſeptimæ *Expoſitio* Grotiana *p.188.l.36 Expoſitio vera, ibid.l.43*

Tubæ ultimæ *tempus ad finem uſq; mundi pertingere p.18.l.22*

Turcæ *an unquam Eccleſiam* Occidentalem *vaſtaturi ſint, ſicut* Orientalem *vaſtârunt p. 11. l.14*

Turcas *per* Equites Euphrateos *ſignificari p.187.l.55*

Turcæ, Perſæ *dicti in Hiſtoria* Græca *p. 188.l.1*

Turcici Imperii *ad Chriſtianitatem convertendi quænam ſit ſpes p. 172. l.5*

Tyrus *Eccleſiæ Apoſtaticæ appellatio quarta p.743.l.7*

Tyrus myſtica, *Civitas* coronans *cur dicta p. 744. l. 53*

Tyri *Viſiones* [*Eſai. 23*] *quàm neceſſariò myſticè ſint intelligendæ p. 745. l. 56 & p. 746*

U.

ν *particula quàm laxæ ſit ſignificationis p. 718.l.40*

Vanini *vanitas ac ſuperbia p.296.l.28 Illius temulentia ac levitas in admittendo Vaticinia & Apparitiones & negando tamen earum conſequentias p.297.l.1*

Varronis *dictum memorabile de diſtinctis officiis Deorum, quam rationem ſequi videatur Eccleſia Apoſtatica p.666.l.30*

Vaticinia : *Vide* Prophetias.
Vaticinia Chriſti *pauca fuiſſe, & quare* p. 138.*l.*1
Vaticiniorum *Deſpectus apud levia Ingenia ipſorúmq; contra ea Objectiones* p.249.*l.*25
Vaticinium Danielis, *ſeptuaginta nempe* Hebdomades *quomodo probent* Meſſiam *veniſſe* p.261.*l.*25 p.262.*l.*25 p.263.*l.*8
Vaticinium Eſaiæ *novem* Meſſiæ *characteres complectens* p.266.*l.*52 & p.267,268
Vaticinium *hoc nec ad populum* Judæorum *nec ad* Jeremiam *adæquatè applicari poſſe* p. 268.*l.*6 & *l.*19
Vaticinium Haggæi *de tempore adventûs* Meſſiæ p.255.*l.*9
Vaticinii Jacobi *vera Explicatio, cum Confutatione præcipuarum Evaſionum* Judæorum p. 251,252,253,254
Vaticinium Malachiæ *de tempore adventûs* Meſſiæ p.256.*l.*9
Vaticinia Jacobi, Haggæi & Danielis *quàm manifeſta argumenta ſint* Meſſiam *jam veniſſe* p.264.*l.*8
Vaticinia *apud* Judæos *vera cur eſſent, ratio ſpecialis* p.250.*l.*29
Vaticiniorum *verorum exempla apud Gentes* p.250.*l.*33
Vaticinia *de* Meſſia *nec ſuppoſita eſſe à* Judæis *nec corrupta* p.249. *l.*45 *Reſponſum de obſcuritate Vaticiniorum, ibid. l.* 56 *Objectio à libero arbitrio ſumpta diluitur* p.250.*l.*1
Vaticinia, obſcura *eſſe debere, tum propter liberum Hominis arbitrium, tum propter Inimicos Eccleſiæ, tam Homines quàm Dæmonas* p. 584.*l.*12 & p.585
Vaticiniorum obſcurandorum ars *quibus potiſſimùm rebus conſiſtat* p.585.*l.*23
Vaticiniorum Syſtema novum *incipere* [*Apoc.* 10.8] *quibus rationibus confirmetur* p. 178 *l.*49 & p.179.704,705
Vaticiniorum *V. T. uſus peculiaris ad convincendos Homines Atheos & Melancholicos* p.272.*l.*46
Vaticinium *notabile à* Vanino *agnitum de nece* Julii Cæſaris p.250.*l.*41
Vaticinium Danielis Veſpaſiano *per* Joſephum *perperam applicatum* p.264.*l.*44
Vaticiniorum *ad notos eventus, qnò Religionis Chriſtianæ veritas evincatur, applicatio* p.272.*l.*46 & p.273.*l.*34
Vaticinationes *omnes è fortuito æſtu tumultúq; Imaginationis neutiquam oriri* p. 250 *l.* 10
Vehicula *Angelorum lapſu mutata* p. 76 *l.* 48
Venus *cœleſtis & popularis* p.109.*l.*45
Venus Melitta, *ibid. l.*56
Venus *eadem quæ* Luna & Hecate p. 110 *l.* 11 *Abominanda cultûs illius turpitudo apud* Euſebium *deſcripta* p.110.*l.*16
Veræ Rationes Certitudinis Fidei *quales ſint* p.827.*l.*21
Verbo Dei *omnia* creata *fuiſſe ſignificatum per ſtatuam ab Incolis* Thebaidos *cultam* p. 462.*l.*38
Veritatem ſalutiferam *præ* Civilitatis *ſtudio non eſſe amittendam* p.867.*l.*3
Veronica, *ad eámq; Oratio* p.859. *l.*60 & p.860
Verſiculi Mnemonici *quibus Viſionum Apocalypticarum ſeries memoria facilè retineantur* p.35,36,37
Veſta *an idem quod* Sol & Apollo p.103 *l.* 25
Veſtimentorum religioſorum *virtus fictitia, cum fraude hujus Opinionis maliſq; ejuſdem Conſequentiis* p.491.*l.*25 & p.492
Veſtimenta ſummi Sacerdotis *quid ſignificarent* p.592.*l.*40
Veſtimenta candida Laodicenæ *Eccleſiæ commendata* p.814.*l.*51
Viæ mediæ Calviniſmum *inter* & Arminianiſmum *examinatio* p.413 & 414
Vinea Nabothi *quid myſticè ſignificet* p. 802.*l.*17 & *l.*35 p.803.*l.*24
Virginis Mariæ *compellationes* Idololatricæ, *ut*, Salvatrix Animæ, Largitrix Spiritualis Gratiæ p.851 Dei Filia *eo ferè ſenſu quo Chriſtus* Dei Filius *dicitur* p. 851. *l.* 32 & 852 *l.* 25 & *l.* 50 Illuminatrix cordis, Porta vitæ, Janua ſalutis p. 852. *l.*51 & *l.* 40 Salvatrix ſeculi p.851. *l.* 50 Regina Gentium p. 851. *l.* 52 Fundatrix Mundi p.852. *l.* 21 Genetrix vitæ, Initium & finis totius ſalutis p. 852. *l.*47
Virtutem *Animæ naturalem eſſe*, vitium *extraneum* p.345.*l.*1
Viſibilitas perſonalis *reditûs Chriſti ad Judicium è Scripturis demonſtrata* p. 204. *l.* 25 & p.205 p.816.*l.*30 p.823.*l.*60
Viſibilis reditûs Chriſti ad Judicium *Congruentia ac neceſſitas* p.208. *l.*12 *Argumenta ad eos adhibita qui* miraculoſam *ejus credunt* Nativitatem, Transfigurationem, Aſcenſionem, *&c. ibid. l.* 38 *Argumenta adversùs eos qui Infideles ſunt, &c.* p.208.*l.*53 & p. 209,210
Viſiones Imaginéſve Propheticas *etiam ea quæ ſubinde fiunt aut ſeriùs pari fulgore, ac quæ perpetuò, repræſentare* p.659.*l.*28
Viſionem *quidem* partialem *id quod præteritum eſt aliquando reſpicere* p.782.*l.*9 & p. 783.*l.*7
Vita Animalis *in genere quid ſit* p. 83 *l.* 51
Vita Æterna *quid ſignificet apud* Familiſtas p. 243. *l.* 34
Vita Divina *cur non ſtatim ad debitam attollatur gloriam* p.82.*l.*17 & p.83
Vita Divina *quàm inſipida res ſit Homini merè naturali* p.88.*l.*43
Vitæ Divinæ *ramus* p.89.*l.*6
Vita Divina *quo ſenſu ſic dicta* p. 89. *l.* 12

Necessariò inesse διανθρώπῳ *cuilibet, vel* θεοδαίμονι, *qualis speciali modo erat Christus p.89. ibid.*

Divina vita *quomodo in se contineat* Justitiam, Temperantiam, Fortitudinem *ac* Prudentiam *p.89 & 90*

Vita Divina *Mysterio Christianitatis clavis optima p.91.l.4*

Vitæ Divinæ *Triumphus personalis etiam in Ecclesia Apostatica p.175.l.16*

Vitæ Divinæ *pretiositas p.226.l.45*

Vitam Divinam, *in genere, quæ oppugnent p.535.l.36 & p.536,537,538*

Vita Media, *cujus radix sit ratio p.87.l.30*

Vitæ Mediæ *partes & effecta p.87. l.42 & p.88*

Vita Media *quousq; in rebus Religionis possit progredi p.88.l.17*

Vitam Terrestrem, *mortem potiùs esse quàm vitam p.215.l.1*

Vitulum aureum Apis Ægyptii *figuram non fuisse sed* Cherubum *p.457.l.53*

Vitulos aureos *in* Dan *&* Bethel *duos fuisse* Cherubinos *ad cultum Dei* Israëlis *erectos. p.458.l.43 & p.459*

Vituli aurei *cultum in* Horeb *Idololatriam fuisse ut & Vitulorum in* Dan *&* Bethel *p.459 l.40 & p.460*

Vitulum aureum *Imaginem* Apis *non fuisse, sed symbolicam præsentiam* Jehovæ *p.875.l.4*

Vitulum aureum *Dei* Apis *symbolicam fuisse Præsentiam quàm immanis sit Repugnantia p.875.l.53*

Ulpium Trajanum *hominem fingendo ad quem Numerus 666 pertineat, quàm fœdè hallucinatus sit* Grotius *p.692.l.18*

Umbræ, *quas projicere possit Christianitas postquam in Ecclesia* Sol Justitiæ *in occasum præcipitaverit p.494.l.38*

Una, *apud* Spenserum, *quàm ad vivum, statum Ecclesiæ in Eremo repræsentet p.174. l.26 & p.175*

Una Catholica & Apostolica Ecclesia, *quomodo intelligenda p.561.l.44 & p.562*

Unctio extrema *aliiq; ritus superstitiosi circa homines* moribundos *p.494.l.56 & p.495 Ut & circa* mortuos, *cum fraude & noxa horum rituum p. 495. l. 30*

Unionem Christi cum Deo *inter nostrámq; cum eodem, discrimen p.60.l.36*

Unionis Hypostaticæ *clarior solito explicatio p.381.l.13*

Unionem Christi *cum æterno verbo nullam implicare contradictionem p.381.l.34*

Unio Christi *cum Deo cum illa Angelorum comparata qui in V. T. nomen* Jehovæ *gestabant p.382.l.1*

Unio Servatoris *cum æterno verbo quàm rationabilis, cúrq; cum illa Hypostasi distinctim ab aliis p.382.l.17*

Unum virum *fœminámve unam singularem stylo Prophetico corpus politicum repræsentare p.589.l.33*

Voluptates *quibus se addicere debent qui* vitam *expetunt* immortalem *p.370.l.1*

Votorum *religiosorum illaqueationes p.500 l. 20*

Ὑστερα πρωτερα *quid p.715.l.44 & p.716*

Waldensium *res &* Albigensium *apud* Danielem *perstrictæ p.793.l.13*

Waldenses *&* Albigenses *quòd sint Martyr* Antipas *p.795.l.25 & p.796*

Waldenses *Martyres quanquam in prælio occisi p.796.l.8*

Vulcanus *cur claudus fictus p.103.l.17*

Vulcanorum *Historia ex* Plinio *&* Acosta *p.218,219*

Z.

ZAbii *cur sanguinem sacrificiorum comederent p.461.l.30*

Zeli *falsorum quorundam* Boanergium *descriptio p.385.l.3*

Zelum *quemlibet ardorémve* Ministerium vivum *non constituere p.385.l.32*

Zelotypiæ *mentionem in secundo præcepto Decalogi minimè probare Imaginis cultum ibi prohibitum de Imagine solummodò Dei alieni esse intelligendum p.876.l.62 & p.877*

Ζῶα, *quatuor Bestiæ* Apocalypticæ *cur vocatæ sint non autem* θηρία *p.598.l.44*

Zodiaci *Divisio in* Trigonos *p.299.l.60*

Zodiacum *hunc ipsúmq; Cœlum ubi esse supponitur, merum esse Figmentum p.305.l.3*

Ζωοποιοῦντος *quàm latam habeat significationem p.68. l.26*

Zoopœia *quid sit p.590.l.3*

Zoopœiæ *genus alterum probatum illustratúmq; ab exemplis, ibid.l.13*

Præcipuorum membrorum *Antichriſtianiſmi Deſcriptionum* ſimul & *Prædictionum* eiſdem reſpondentium Index particularis.

ARtolatria Romana *deſcripta* p.475. l.30 p.477.l.11 & 478

Artolatria Romana *prædicta* p.796.l.26 p. 803.l.29 & p.847.l.51

Aſtutia Politica *Hierarchiæ Antichriſtianæ* deſcripta p.546.l.62 & p.547,548

Aſtutia Politica *Hierarchiæ Antichriſtianæ* prædicta p.734.l.24 p743. l.25 *ibid.* l.36 p. 748.l.28 p.753.l.33 p.805.l.1

Blaſphemia *adversùs Angelos Sanctóſq;* deſcripta p.485.l.49 & p.486

Blaſphemia *adversùs Angelos Sanctóſq;* prædicta p.633.l.35 p.713.l.36

Caput Antichriſtianæ Eccleſiæ *ut* Divinos Titulos *ſit acceptaturus*, Deſcriptio p.549.l.19 Prædictio p.743.l.16 p.748.l.37 p.749.l.36

Ut in Reges & Imperatores inſultaturus, *Deſcriptio* p.549. l.35 *Prædictio* p.749.l.39 p. 750.l.54 p.752.l.10

Exceſsûs Homagii *à ſummis Magiſtratibus huic capiti præſtiti* deſcriptio p.549.l.54 & p. 550 Prædictio p.749.l.19 p.750.l.35

Suiipſius Exaltatio ſupra Deum & *quantùm ad juriſdictionem & quantùm ad honorem ſeu præcedentiam*, deſcripta p.550.l.14 Prædicta p.751.l.6 p.752.l.4

Suiipſius exaltatio ſupra Deum *in ipſa* Dei domo *literaliter intellecta*, deſcripta p. 551 l.1 Prædicta p. 551.l.8 p.749. l.25 & p. 752 l.26

Cœlibatûs & Abſtinentiæ *à cibis* Deſcriptio p.496.l.32 & p.497

Cœlibatûs & abſtinentiæ *à cibis* Prædictio p.715.l.20

Cœlibatûs impuritas *deſcripta* p.498.l.6

Cœlibatûs impuritas *prædicta* p.713. l.52 p.721.l.59

Cœlibatus Antichriſtianus *deſcriptus* p.554 l.26

Cœlibatus Antichriſtianus *prædictus* p.751 l. 3

Ceremonialitas *Eccleſiæ Antichriſtianæ* deſcripta p.489.l.9 & 490

Ceremonialitas *hujus Eccleſiæ* prædicta p.722 l.14 p.728.l.37 p.6[illegible]4 *uſq;* ad p.672

Chriſti oppugnatio (*quatenus eſt* Veritas) deſcripta p. 530.l.34 Prædicta p.738.l. 20 *Quatenus* Lux, *deſcript.* p.530.l.53 Prædict. p. 738.l.20 *Quatenus* Vita, *deſcript.* p.531.l.16 Prædict. p.738.l.20 *Quatenus* Deus, *deſcript.* p.531.l.31 & p.532 Prædict. p.738.l.20 *Quatenus* Pater, *deſcript.* p.532.l.47 & p.533 Prædict. p.738.l.23

Chriſti oppugnationis *quatenus* Princeps pacis, *doctrinas falſas obtrudendo vel non neceſſarias, vim juramentorum obligatoriam ſolvendo, & belligerando contra Sanctos*, Deſcriptio p. 533.l.50 & p.534 Prædictio p.738.l.20 p.742 l.25 p.749.l.46

Crudelitas Antichriſtianæ Eccleſiæ *in Sanctos & Prophetas* deſcripta p.521.l.48 & p.524.l.20 p.564,565,566,567,568

Crudelitas Antichriſtianæ Eccleſiæ *in Sanctos & Prophetas* prædicta p.633.l.5 p.713.l. 52 p.742.l.21 p.762.l.13 & p.763 p.795.l.16 p.800.l.22 p.802.l.22 p.803.l.50

Fides *quibus modis extinguatur in Eccleſia* Antichriſtiana, *Deſcriptio* p.539.l.42 & p.540 Prædictio p.544.l.41 p.748.l.30

Fraudulentia lucroſa *notata in genere* p.454 l.11 *Paſsimq;* *in Idea Antichriſtianiſmi* deſcripta. Prædicta *verò* p.713.l.56 & p.744.l.14 *Vide* Imperii Sacerdotalis acquirendi, *&c.*

Idololatria *Eccleſiæ* Antichriſtianæ deſcripta p.473.l.29 & p.474,475

Idololatriæ Eccleſiæ Antichriſtianæ *prædicta* p.630.l.20 p.631,632,633,634 p.700.l.16 p. 710.l.12 & p.711,712 *ad* p.720 p.796.l.26 p.803.l.29

Imperii Sacerdotalis *acquirendi ampliſicandiq;* ratio fraudulenta, *præter univerſalem* fraudem *per totam rerum adminiſtrationem diffuſam* & p.454 *notatam, magìs ſpeciatim* deſcripta p.547.l.4 & p.548 Fraus *verò* hæc generalis *prædicta* p.733.l.47 p.734.l.24 p.742 l.4 p.744.l.11 & l.28

Impuritas *Eccleſiæ* Antichriſtianæ *deſcripta* p.553.l.42 & p.554,555,556

Impuritas *Eccleſiæ* Antichriſtianæ *prædicta* p.557.l.28 p.761.l.55 & p.762

Incantationum & *Exorcizationum* Deſcriptio p.492.l.18 & p.493, 494

Incantationum & *Exorcizationum* Prædictio p.713.l.52 p.742.l.11

Infallibilitatis *prætextus* Antichriſtianus *deſcriptus* p.508.l.32 & p.509

Infallibilitatis *prætextus* Antichriſtianus *prædictus* p.723.l.13 p.743.l.19 & l.58 p.797. l. 18 p.801.l.37

Mendacium Miraculorum & *Figmentorum in Eccleſia* Antichriſtiana *affectatorum* Deſcriptio p.541,542,543,544

Mendacium Miraculorum & *Figmentorum in Eccleſia* Antichriſtiana *affectatorum* Prædictio p.544.l.41 p.635.l.44 p.747. l.16 & p. 748 p.715.l.14

Mercatura *Eccleſiæ* Antichriſtianæ : *Vide* Nundinationes.

Multiplicatarum Superſtitionum *onus ſervitúſq;* deſcripta p.488 *ad* p.507

Multiplicatarum Superſtitionum *onus ſervitúſq;* prædicta p.720. l.53 & p.721 & 722.l.2 p.722.l.33 & l.49 Nun-

Nundinationes *Eccleſiæ Antichriſtianæ* deſcriptæ *p.*537.*l.*23 & 538, 539

Nundinationes *Eccleſiæ Antichriſtianæ* prædictæ *p.*738.*l.*37 *à p.*738 *ad p.*742 *p.*744.*l.*11 *p.*746. *l.*52

Poteſtatis prætextûs *à Chriſto derivatæ dum contra Chriſtum agunt*, Deſcriptio *p.*508.*l.*32 *ad p.*524 & *p.*559.*l.*5 & 570.*l.*47

Hujus prætextûs *Prædictio* *p.*636. *l.*30 *p.* 639.*l.*21

Prophetici Officii *Chriſti oppugnatio* deſcripta *p.*522,523,524

Prophetici Officii *Chriſti oppugnatio* prædicta *p.*723.*l.*3 *p.*728.*l.*28

Regalis *ac* Legiſlatorii *Officii Chriſti oppugnatio* deſcripta *p.*519,520,521

Regalis *ac* Legiſlatorii *Officii Chriſti oppugnatio* prædicta *p.*728.*l.*28 *p.*729.*l.*27 *p.*734 *l.*45 *& p.*735 *p.*738.*l.*6

Regalis *ac* Prophetici *Officii Chriſti quatenus* Æternus Logos, *oppugnatio* deſcripta *p.* 521 *l.*39 *& p.*523.*l.*28 *& p.*524

Regalis *ac* Prophetici *Officii Chriſti quatenus* Æternus Logos, *oppugnatio* prædicta *p.*735.*l.*26 *& p.*736 *p.*737.*l.*51

Sacerdotalis *Officii Chriſti oppugnatio* *p.*525, 526,527,528,529

In ementita repetitione Oblationis *realis corporis Chriſti*, deſcripta *p.*525.*l.*15 Prædicta *p.*633.*l.*35

In contumelia *adversùs* Chriſti corpus *Dei Tabernaculum*, deſcript. 525.*l.*41 *& p.* 526 prædict. *p.*633.*l.*35

In ſacrificio ſuo propitiatorio vilificando, *quaſi ad Reatum ſolum tollendum valeret non ad Pœnam*, deſcript. *p.*526.*l.*47 *& p.*527 prædict. *p.*722.*l.*56

In conſtituendo alios Mediatores, deſcript. *p.*528.*l.*38 *& p.*529 Prædict. *p.*722.*l.*53

Sanctorum *cultus Idololatricus* deſcriptus *p.* 473.*l.*46 *& p.*474

Sanctorum *cultus Idololatricus* prædictus *p.* 714.*l.*27 *& p.*715 *p.*719.*l.*17 *& p.*720

Sodomiæ *in Eccleſia* Antichriſtiana *crebritas* deſcripta *p.*556.*l.*53 *& p.*557

Sodomiæ *in Eccleſia* Antichriſtiana *crebritas* prædicta *p.*557.*l.*35 *& p.*762.*l.*2

Superbiæ, *in Eccleſia*, Antichriſtianæ *deſcriptio* *p.*537. *l.*23 *& p.*538,539 *& p.*545.*l.*35 *& p.*548. 551,552,553

Superbiæ, *in Eccleſia*, Antichriſtianæ *prædictio* *p.*553.*l.*1 *p.*634 *p.*749.*l.*5 *& p.*750,751,752, 753 *p.*794.*l.*15 *p.*797

FINIS.

BRITISH MUSEUM

ERRATA.

Præfat. p.1.l.34. lege corroboratæ, l.48.lenem, p.2.l.5. lancinaret. Illi, p.3.l.6. Chriſtianitati, l. 25. definiatur, p 5.l. 55. Atenim, p.6.l.38. in gremio, p.7.l.21. cætera, p.8.l.14. vendicare, l.16. vendicet, l.33.neceſſario, l.59. Epinicion, p 9. l.12. occæcari, l. 19. excurſu, l.51. Papalem, l.60. Et tamen, p.10.l.37. Babylonis, p.11.l.8. ſævæ, l.9. cœlibatus, piæ, l. 35. perſentiſcere, p.12.l.5. reſipiſcentiam, l.60. inexpugnabile, p. 13. l. 29. cap.17. l.54. juvenilioris, p. 14. l. 24. moliendas. Viſionem, l.36. Erit, erit.

Ratio Synchroniſt. p.18.l 41. ſubindicetur, libri, p.21.l.1. Eremicolæ, p.22.l.2.cap.13. l.22.Aſcenſionem, p. 23. l. 3. ut hi, p.31. l 26. ἀντισυχίας cœtûs, p.34 l.27. Numerationibus, p 35.l.43. excedunt, p.39.l.5. Sed &, l. 25. curriculi, p. 40.l. 39. in prælio, p.46.l. penult. pro Tubæ lege Phialæ.

Myſter. Pietatis. p 58.l.8. dele τῷ, p. 64.l. 53. lege ἐπιθῆναι, p.76 l.13. impaſſibiles, p 79.l 33. Secla, p.81.l.12. quæque, p.86. l.24. ſcilicet ſyderum, p 93 l 26. perſona, p 94.l.11. Lunula, l.18. tantam, p.95.l.39. non aliter, l 50. quâ ſunt, p 98.l.1. ἀρρενόθηλυς, l.28. Idololatricum, p.99. l 33. ὃς ἤδει, p.102.l.4. Robigum, p.103.l.49. cognitione, Belli, p.106.l 55. ſpacium faciunt, p.108.l.44. Cybeles, p.111.l.18. Δηὼ, p.113 l.37. adjacentium, p.117.l.8. ἀγενῆς, l 45. Liberum, p.118 l 29. ψυχὴν ἔχουσα, l 31. δαίμονα, l.36. ἐπιμελῆς, p.119.l.36. Ζεὺς, p.131.l.53. proſpectum, p 138.l.36. cum, p.144.l.8. veſtimenta, p.149.l.47. ſermocinans, p.162. l.49. exuta, p.165.l.50. primam, p.171.l.56. Anaiar, p. 173. l.24. Chriſtianitas facta, p.174.l 28. ſubſultim, p.179 l.35. incipiant, p.192.l.5.lineārem, p.193 l.2.v.g. p.194.l.6. poſſederunt, p.196.l.24. præteritarum, p.207. l.2. oppidò, l. 16. auritus, p.215.l.21. ut qui, l.52. Anima, p.217.l 37. furioſa, p.221.l 37. χάσῃ, p.224.l.18. lentam, p. 228. l. 41. declaraverit, legerítque, p. 235.l.57. commendandam, p.240.l.4. fit, p 241.l.62. impudentia, id, p.246.l.28. Domino, p.248.l.17. Vanino, p.251.l.43. explicata, p.252 l.1. lege, vocabulum יקהת ſignificare poteſt, Congregationem, Expectationem, Obedientiam vel Confractionem. p.254.l.27. ablatum, p.257. l.13. נהתר, p.258.l.29. יכרה, p.264.l.42. Gaulonites, p. 266. l. 28. dele non, p. 271. l. 29. ינוחו, p.298.l.49. Ælurorum, p.309.l.43. Almugeam, p.310.l.54. ſtriatas tabulas, p.314 l 29. beatum, p.316.l.47. opus fuerit, p.320.l.35. obrèpſerit, p.322.l.8. Pſellus, p. 325. l. 8. adhibitarum, p.336. l. 47. trabam efficiam, tribulam, p.345.l.54. fueris, p.346. l.23. abrogent, p.347.l.30. adversùs, l.57. quæ videatur, p.355. l.5. Publicanis, p.358. l. 38. Phariſaicam, p.365. l. 4. Giganteos, p.372.l.52. explebit, p.373.l.27. quam, p.384.l.43. cantatur, p.385.l.22. reddendúmque, p.386.l.15. affici, p.388.l.56. Principii, p.390. l.27. ſic ut, p.392.l.62: liberæ, p.402.l.7. competat, p.410.l.4. veræ, p.414.l.38. diſcreper, p.417.l.26. evaſerant, p.418.l.7.Fideíque, p.425.l.21. Religioni, l.53. accerſere, p.426.l.9. tentandúmque, p.435.l.51. ſcandaloſæve, p.442.l.42. alii alios, p. 443. l.7. oporteat, l.35. amplectendáſve.

Idea Antichriſtian. p 451.l.penult. Poteſtatum, p. 455. l. 55. προσκυνήσεως, l.57. eo ipſo, p.469.l.49. neceſſarium, p.470. l.22. adhiberi, p.471.l.25. Dei utique, p 474.l.55. inutile, p.475.l.13. audire, p.483.l.24. attracturæ, p.488.l.12. ſic ſatis, p.492.l.18. me, alterius, p.496.l.49. Regulam, nimii, p.500.l.21. illaqueentur, p.503.l.12. judicaturúmve, l.25. Eccleſiaſtico-Pol. p.506.l.30. quin ipſum, p.512.l 2. ſola certa, p.516.l.28. operæ, p.517.l.52. immediato, p.519.l.52. ſtabiliendáſque, p.526.l.29. nempe; ut, l.40. marcidíſque, p.527.l.30. propriíque, p.528.l.13. illîc, p 540.l.55. quæ vel, p.544.l.24. audenter, p.555.l.28. & abſque, p.563. l.50. Phariſaicæ, p.566.l.6. arbori, p.570.l.22. totum, p 573 l.2. infallibilis.

Synopſis Prophet. p.580.l.3. Chriſtiana, reverà, p.582.l.16. prehendet arctéq; conſtringat, p.591.l.30. Eccleſia, p.592.l.12. ἱλαστήριον, p.600.l.29. Regnum, ſummam, p.601.l.55. ſtudio, p.604.l.11. afferet, p.618.l 37. ſectandos, l.51. judicari, p.619.l.8. Vatablus, p.623 l.19. Congr. 3. p.625.l.33. Congr. 17. p.630.l.8. Quod, p.632.l.23. tanta, p.635. l.51. ſint intùs, p.638.l.53. Quæ ſexta, p.639.l.23. Inſulæ, p 641.l.14. formula, p. 644.l. 4. Idola, l. 52. ſuperſtite ſcilicet, p.647. l. 4. Regéſve, p. 658. l.61. Par enim, p.659.l.56. luſibus, p.661.l.24. Panſam, p 662.l.61. regnâſſe, p.663.l.26. ἐπλάσομεν, p.667.l.28. ſacrificium eſt, ς, p.671. l.35. Mónachis, l.40.Eunuchos, p.673.l.21. crudelitate ſimul conſiderata; cum, p.674.l 31. vero, p.681.l.13. nititur, p.685.l.47. nullius, p.700.l.29. Prædictiones, p.705.l.54. Satanas, p.709.l.9. retardentur, p.711.l 10. ab Orientali, p.718.l.40. ι, p.725.l.30. ubi res, p.728.l.19. ſpectet, p.734 l.23 comparatus, p.748.l.3. fiunt, p.749.l.60. cum ullo, p.753.l.45. unam, p.768.l.28. fulgida, p.771.l.36. imbecillis, p.772.l.39. ullarum, p.773.l.49. Mendaciis Legendariis, p.775.l. 12. Interpretationum, opinionum, p.778. l.17. futura ſit.

Expoſ. Prophet. p.784.l.47. Die dominico, l.60. deſtinatam, p.785.l.13. ſcribendum erat, l 15. fuiſſe? p.792. l.30. oppoſitorum, p.797.l.57. aſtringant, l.58. Baſaami, Iſraëlitis, Idol. p.798.l.2. manna, p.799.l.2. ſe profitetur, l.10. jejunant, l.50. ἕδρᾳ σηλυκῶς, l.54. cuncta hæc, p.800.l.4. lævibus, l.27. odores, l.47. Lolhardos, p 802.l.35. poteſt, p.811.l.31. σηλογεαφίαν, p.821.l.29. alibi.

Reliqua ſcripta. p.830.l.42. circumſtantiato, p.832.l.33. quam, p.833. l.2. te, p.841.l.20. adhibetur, erga eum adhiberi debet, erga, p.844.l.40. Divinitas, p.858.l.23. ipſis, p.863. l.26. textis, p.865. l. 61. expandat, p.876 l.19. poſſumus, l.34.delineant, l.41. fit, p.878.l.57. fit, p.879 l.28. cultus, p.880. l.62. eam, p.881. l.52. tollant, p 886.l.52. fit, p.887.l.62. manifeſtam, p.898.l.16. timidos, p.906.l.25. ſphæris, velificantum.

Errata quæ mihi impreſſa exemplaria feſtinantiùs perlegenti occurrebant, hæc ferè ſunt omnia. Siqua verò ſunt alia quæ me fugerint, ſive per Typographi, ſive per Scribarum, ſive per meam ipſius incuriam facta, Lector, quæ eſt illius humanitas, ipſe corriget & condonabit.